
MARIUS.MAREFUSCHUS

HISTORIARUM POLONIÆ ET MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ SCRIPTORUM

QUOTQUOT AB INITIO REIPUBLICÆ POLONÆ AD NOSTRA VSQUE TEMPORA EXTANT OMNIUM

COLLECTIO MAGNA

ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA

OB EXEMPLARIUM RARITATEM ITERVM TYPIS EXSCRIPTORVM SUPPEDITANTE CELEBERRIMA

BIBLIOTHECA ZALUSCIANA

EDIDIT VARIAS ANNOTATIONES ADIECIT AC PRÆFATUS EST

LAUR. MIZLERUS DE KOLOF

REGNI POLONIÆ HISTORIOGRAPHUS, IN SERENISS. REGIS POLON. AULA CONSILIARIUS ET MEDICUS

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO

TOMUS PRIMUS

CONTINENS SCRIPTORES TOPOGRAPHICOS



CUM SERENISSIMI REGIS POLONIARUM PRIVILEGIO

VARSAVIÆ

SUMPTIBUS TYPOGRAPHIÆ MIZLERIANÆ

ANNO MDCCLXI.

SERENISSIMO PRINCIPI

AC

DOMINO

CAROLO

CHRISTIANO

PRINCIPI POLONIARUM

REGIO

DUCI CURLANDIÆ

AC

SEMIGALLIÆ

RELIQUA

DOMINO SUO LONGE INDULGENTISSIMO

FELICITATEM PERPETUAM.

SERENISSIME
PRINCEPS REGIE,
DOMINE LONGE INDULGENTISSIME

Reges Principesque omnibus temporibus in florem incrementumque scientiarum artiumque, in regnis suis principatibusque incubuerunt, maxime nempe eas ad felicitatem subditorum suorum facere, nulli dubitantes. Ea re in erigendis Academiis, gymnasiisque illustribus sumptus posuere fere immensos, præmiisque etiam ingenia inuitare excellentia operam dederunt. Hæc tam magna in genus humanum a Regibus Principibusque profecta beneficia, tantum per aliquot sæcula profecerunt, vt docti viri recentiores, nunc veteres etiam, qui maxime litteras excoluerunt, anteire,

mathesi

mathesi in primis, physica, œconomia, historiaque, videantur. Historia antem maxime est illa litterarum scientia, in qua & Reges Principesque animos habere occupatos non dubitarunt, quia dominantibus, iisque, qui illis a consiliis sunt, salutaria semper suppeditat consilia.

Cum igitur nunc primum historiarum Poloniæ scriptorum tomum in lucem ederem, haud a re alienum videbatur, TIBI, Serenissime Princeps Regie, *eum dicare,* TUÆ*que committere clientelæ, qui primus nunc in regno, post* Serenissimum Regem, *Patrem TVVM, & Dominum meum longe indulgentissimum, omnium oculos in TE conuertis clementiæ plenus. TVA etiam interesse videtur,* Serenissime Princeps Regie, *vt scientiæ in Polonia magis magisque floreant, historiaque colatur, qui magnorum Poloniæ Regum & filius & nepos dignissimus, paternarum virtutum hæres felicissimus, omnibusque ad imperium virtutibus ornatus, multa Poloniæ beneficia præstanda promittis. Nil magis igitur tantæ gloriæ Principi tota Polonia optat, quam firmam semper in posterum sanitatem, vt ea omnia, quæ boni omnes ardenter optant & prævident, impleantur. Ad extremum TVÆ,* Serenissime Princeps Regie, *gratiæ, me meosque qualescunque labores, summa submissione etiam atque etiam commendo, qui maiori felicitate vti haud possim, quam si mea litteris Poloniæ dicata studia tantum valeant, vt gratia TVA & clientela,* Serenissime Princeps Regie, *censear non indignus. Sic voti compos summo obsequio fidelitateque emoriar,*

SERENISSIME REGIE PRINCEPS
CELSITUDINIS TUÆ REGIÆ

Seruus longe obsequentissimus
Laur. Mizlerus de Kolof.

PRIVILEGIUM
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI
REGIS POLONIARUM

AUGUSTUS III. Dei gratia, Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Kiiouiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Severiæ Czerniechouiæque. Nec non hæreditarius Dux Saxoniæ & Princeps Elector.

Significamus præsentibus litteris Nostris, quorum intereft, vniuersis & singulis. Cum generosus *Laurentius Mizlerus de Kolof*, Philos. & Medicinæ Doctor, in Aula Nostra Consiliarius et Medicus, Historiarum Poloniæ et magni ducatus Lithuaniæ Scriptorum, quotquot ab initio reipublicæ Polonæ ad nostra vsque tempora extant, omnium, collectionem magnam, variis ex tomis consistentem, in scientiarum in Polonia incrementum typis impressam, euulgare in animum induxerit, Nobisque submisse supplicauerit, vt evitando damna, quibus eum, tam exteri, quam indigenæ typographi & bibliopolæ afficere possent, reimpressionem huius operis, tam in natura, quam etiam aliam in linguam translati, ad certum temporis spatium inhibere dignaremur: Nos præfatæ supplicationi, vti iustæ, benigne annuentes, omnibus & singulis in regno & dominiis Nostris existentibus typographis & bibliopolis mandamus, serio inhibentes, ne præfata historiarum Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Scriptorum collectio magna, absque consensu generosi auctoris quocunque idiomate imprimere, vel reimprimere, nec non compendia inde confici curare, intra spatium viginti annorum audeant, sub poena mille aureorum Hungaricorum, cuius summæ dimidia pars auctori ad resarcienda damna, si casus existat, altera pars dimidia, ad bona opera secundum iudicium fori competentis adiudicanda, reimpressum vero hocce opus in quacunque extra regnum typographia confiscationi irreuocabili omnium exemplarium, si talia in regno & dominiis Nostris inuenientur, subesse, & præfato auctori extradi deberi declaramus. In quorum fidem præsentes Manu Nostra subscriptas, Sigillo Regni muniri iussimus. Datum Vschovæ die XXVI. mensis Maji, anno Domini MDCCLV. regni vero Nostri XXII. anno.

AUGUSTUS REX.

Locus Sigilli
Regni Maioris

Cancellariatu Illustrissimi & Excellentissimi Domini IOANNIS, Comitis in Konskie & Bialaczow a Malachowice MALACHOWSKI, supremi regni Cancellarii, Ostrolecensis &c. Capitanei sigillatum.

ADALBERTUS RAKOWSKI
S. Reg. Mai. & Sigilli Maioris Regni
Secretarius.

PRAEFATIO

Historiarum Poloniæ Scriptorum, quotquot ab initio reipublicæ ad nostra vsque tempora extant omnium, collectionis magnæ tomum primum ob oculos tuos ponere, lector beneuole, minime dubitaui. Iam ante aliquot annos hoc opus edere in publicum laboraui, & certe citius prodiisset, nisi præsens in Germania bellum, exitiosum sane, difficile durissimumque, impedimento mihi fuisset, cuius calamitates in Poloniam etiam redundant, quibusque ii maxime, quibus cum Saxonia vsus est, afficiuntur. Sed cœpto semel opere, progredi, quamuis lentis passibus, oportebat. Primo tandem nunc tomo absoluto & secundo iam iterum typis exscribi cœpto, promissum facio, singulis sex mensibus tomum vnum, finito scilicet infelici præsente bello, proditurum. Volumen hoc primum omnes Poloniæ scriptores topographicos continere debuit, sed eorum numerum id minime potuit capere, ea re & tomus secundus eos, qui supersint, suppeditabit; in tomo autem tertio ipsa incipiet historia Polona, qui varias ob causas scriptores genealogicos, quos absolutis topographicis edere promisi, ad calcem operis reiicere debuerim. De vtilitate huius Poloniæ thesauri historici multa facere verba, nihil ad me attinet, in sinu autem gaudebo, si commodis tuis, lector beneuole, seruire possit. Haud enim a re esse multis videbatur, historiarum scriptores omnes, regni tam inclyti, tam late patentis, & post varias fortunæ variæ vicissitudines ad hunc vsque diem libertatem conseruantis, vnum in corpus secundum temporum ordinem redigere, eosque digestos correctosque locupletissimis indicibus ornare, vt iis commodius litterati vti possint. Huc vsque enim indices locupletissimi in omnibus nostris historiarum Poloniæ scriptoribus plane deficiunt, qui tamen nerui scriptorum esse videntur. Paucorum enim est tam magna perlegere volumina, sed multorum, ea, quorum intelligentia ac cognitione indigeant, inuestigare, atque adeo variorum vna de re scriptorum sententias perscrutari, vt eo magis veritas elucescat. Quod si vero historiarum scriptores indicibus locupletissimis careant, non nisi magno temporis dispendio id efficies. Si igitur amplius nihil in hoc historiarum Poloniæ scriptorum corpore, præter indicem locupletissimum, præstitum fuisset, sufficere iam nobis posset, historiam Polonam cum per id videamus, quod antea nondum fuit, ad omnium vsum accommodatam. Sed plura sunt, quibus de historicorum Polonorum amatoribus bene mereri operam dedimus. Tanta nempe fuit optimorum scriptorum raritas exemplariumque penuria, vt eos, vel nusquam, vel summa cum difficultate, magnoque pretio redemtos comparare potueris. Exemplo sunt: *Crassinii Polonia*, *Swiecicii topographia Masoviæ*, *Ogerii iter Polonicum*, reliqua. Nunc vero quarta pretii parte, quod Crassinii Polonia constabat, integrum hoc volumen cum eadem Crassinii Polonia emitur. Sed verum vt fatear, hoc magnum in Poloniæ historicorum amatores collatum beneficium minime ad me, sed ad magnum illud Poloniæ decus, virum illum, qui ad litterarum cognitionem attinet, plane incomparabilem, illustrissimum comitem *Iosephum Andream Zaluscium*, Episcopum Kiouiensem, pertinet, qui singulari ad instaurandas in patria litteras studio libentissime scriptores omnes ad vsum nobis concessit: Et litteratissimum etiam nostrum *Ianocium*, Canonicum Kiouiensem, & Bibliothecæ Zaluscianæ præfectum, laudare debeo, qui me in quærendis suppeditandisque his scriptoribus, secundum veterem, qui inter nos intercedit, vsum, plurimum adiuuit. Bibliothecæ celeberrimæ ergo Zaluscianæ maxime debetur hæc collectio magna, mihi sumtus & labor. Hunc quod attinet videbis, lector beneuole, hos scriptores maiori cura, quam ab initio factum fuit, typis nunc fuisse iterum exscriptos. De annotationibus meis, quas sparsim adieci, quibusque lectorem, nisi opus videbatur, morari nolui, tuum est iudicare. Mei autem officii est, cum litteratis vsu iam venerit, vt scriptorum conditiones qualita-

qualitatesque ex præfatione cognoscere laborent, scriptores nunc omnes, qui hoc in volumine continentur, breuiter recensere.

Primum occurrit POMPONII MELÆ *descriptio Sarmatiæ.* Vnicum, quartum nempe caput, *Mela* lib. III. scripsit, de moribus & finibus veteris Sarmatiæ, in quod *Ioachimus Vadianus*, ex nobili familia de Watt, in Helvetia oriundus, vtcunque commentatus est. Notitia vera autem ad explicandam veterem Sarmatiam instructus non fuit, & melius de Salisfodinis in Polonia, quam de Sarmatia veteri dixit. Pauca sunt, quæ *Mela* de veteri Sarmatia scripsit, panciora quæ Vadianus adiecit, sed hic varia, illo tempore de Polonia memoria digna, nobis reliquit, quæ legere & scire iuuat. Ad hæc varias adieci annotationes, quæ ad rem facere possint. Curaui vt accuratius etiam scriptores imprimerentur, quam in corpore Pistoriano historiæ Polonæ, in quo scriptores Poloni plurimi ex officina Henricpetrina Basileæ anno 1582. magna incuria typis sunt exscripti, & eiusmodi fœda errata occurrunt, quæ sensum plane inuertant. De mala orthographia & barbara nil dicam, alioquin errores computares innumerabiles.

II. *Aeneas Siluius*, summus Pontifex Romanus, *Pius* II huius nominis, post adeptum Pontificatum, dictus, *de Polonia, Lithuania & Prussia.* Grauis est hic auctor & vir magnus, qui multa scripsit, quæ verò de Polonia & Lithuania memoriæ prodidit, & pauca sunt, & exigui momenti. Aperte falsis etiam historiam Polonam interpolauit, verbi gratia, GUILIELMUM *ducem Austriæ*, HEDWIGEM *reginam in matrimonium accepisse, & Poloniæ præfectum fuisse: ex secunda vxore* VLADISLAUM IAGELLONEM duos suscepisse filios *nonagenarium*: *Casimirum, Iogellonidem Boleslao Suidrigelloni successisse*: reliqua, quæ omnia in annotationibus refutauimus.

III. *Erasmi Stellæ*, Libanothani, libri II. *de antiquitatibus Borussiæ.* Hic auctor, medicinæ doctor, varia non contemnenda de antiqua Borussia memoriæ prodidit, sed imperiosus nimium & audax mihi videtur, qui omnia, quæ ipse ignorarit, pro fabulis haberi velit. De succino non male disseruit, ex Borussiæ vero antiquitatibus, parum accurate scriptis, apparet, *Erasmum Stellam*, non tam veritatem profunde scrutari, quam se potius magistro ordinis Teutonici, aliisque, quorum interfuit, commendare voluisse. Plura sibi, quam scriptorem modestum decet, sumsit, & audacter mentitus est, ne dicam stilum, sæpius parum Latinum, plebis interdum sermonem sapere, quo pertinet barbara locutio, *nasum continere*, in præfatione adhibita. Præconceptam etiam animi opinionem prodidit, quando scripsit: *vt aduersus quoscunque aliter de Borussia sentientes, ceu pro aris & focis dimicaturus sit, vltima potius perpeti certus, quam ignauiter cessurus.*

IV. *Matthiæ Striykovii*, canonici Miednicensis in Samogitia, *descriptio Sarmatiæ Europææ.* Inter scriptores de Polonia topographicos merito *Striykowski* optimus censetur, qui non solum vir rectus doctissimusque, sed & simul diligentissimus fuit. Memorare iuuat, *Guagninum* hanc Sarmatiam Europæam suo nomine edidisse, & quam plurimi, si non omnes, literati in ea huc vsque fuere sententia, Guagninum Sarmatiæ Europææ verum esse auctorem, id quod tamen omnino falsum, & Striykovium dictum librum exarasse, extra omne dubium positum est. Hæc lector beneuolus recte ex duobus illis capitibus, quæ de Guagnino & Striykovio, infra ad Sarmatiam Europæam adieci, intelliget. Striykovii vero librum quod attinet, non mirandum, eum multis de locis plane nil dixisse, cum tractu temporis multa fuerint mutata, & hæc vrbium Poloniæ descriptio secundum tempora illa diiudicanda sit. Et quamuis nunc multa ad hunc librum adiici possint, Striykovius tamen inter geographos Polonos vtilissimus semper erit, quia non solum recentissimam, sed & antiquam geographiam Polonam scire iuuat. Quod super est, negare non possumus, nimium fuisse Striykovium breuem, qui fere non alia, præter ciuitates maiores, annotauit loca, quam vbi iuducia, causæque nobilium aguntur, vel singularia quædam, tum ex historia ciuili, tum naturali, annotanda obueniunt.

V. *Martini Cromeri Polonia, siue de situ, populis, moribus, magistratibus,*

republica regni Polonici, libri II. Neminem, qui historia Polona doctus, fugit, Cromerum scriptorum, quod geographiam attinet, principem putari, neque a veritate abhorret, eum suo tempore præ cæteris bene scripsisse, sed nostris temporibus multa, quæ illius tempore vera fuere, sunt obsoleta, quædam etiam falsa. Hæc in notis adiectis correxi. Dixit Cromerus: *conferendi nobilitatis potestatem solus habet princeps*, sed vi legum, seu constitutionum sequentium, hæc regum Poloniarum prærogatiua, qua adhuc *Sigismundus Augustus* fruebatur, abolita fuit, & respublica sola in comitiis congregata, vna cum Serenissimo rege plebeiis iura nobilitatis, vel extraneis nobilibus ius nobilis Poloni, quod *indigenatum* vocant, ob merita in rempublicam nunc distribuit. Serenissimus quidem Rex Polonus, tanquam Monarcha, & marchiones, nobilesque creat, sed illi non iuribus Polonorum nobilium gaudent, neque ea re bona nobilia iure hæreditario possidere, neque publicis officiis fungi possunt. Sequentia insuper sunt etiam adnotanda: pag. 136. scripsit: *novis creatis nobilibus obtinere & possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet.* Vbi autem statutum illud inueniatur, minime meminit. Hoc quidem scimus ex legibus publicis, nouis creatis nobilibus non licere officiis publicis fungi, ad tertiam vsque generationem, vt pacta, sie dicta conuenta, loquuntur, sed si bona etiam, terrestria appellata, possidere non possent, in quo ius nobilitatis in Polonia consistit principale, tunc ignobilibus haud essent meliores. Sed hac de re in Polonia nemo dubitat, & nescio, quo casu, vel qua ratione, litteratissimo Cromero hæc verba exciderunt. Deinde hæc sententia: *habent nobiles Poloni in subditos suos vitæ necisque potestatem*, omnino etiam sunt sub incudem reuocanda, si ius clarum cum abusu iuris haud confundi debeat. Nobilis, qui subditum suum, vel ira incensus, vel alia ex causa interimit, non quidem capite plectitur, sed pecuniam, pœnæ loco, soluere debet, si interemti consanguinei dicam ei scribant, id quod plerumque ex inopia intermittitur, & sic eiusmodi homicida immunis. Hoc neminem iuris Poloni gnarum fugit. Quod si vero subditus cuiusdam nobilis tale crimen commiserit, vt vita priuari debeat, dominus nullo modo sua auctoritate id iubere potest, sed ad castrum, seu præfecturæ iudicium, vel aliud forum, ius gladii exercens, eiusmodi maleficum extradere debet, vt secundum leges damnetur ac puniatur, si vero secus faciat, lege & iure Polono pœnam soluere debet. Hoc idem nemo negat. Inde igitur infero: quod si nobilis Polonus, subditum suum interimens, qui capite plecti vel meruit, vel non meruit, semper tamen secundum ius Polonum pœna pecuniæ afficiatur, tunc certe nobiles domini in subditos vitæ necisque potestatem non habent, & optimus Cromerus allucinatus est. Loquitur etiam de Officialibus regni, qui sunt: succamerarius, gladifer, pocillator, siue pincerna, mensæ structor, quem inciscorem vocant, dapifer, magister culinæ, & hoc dilemma adiicit: *aut iidem sunt terrestres Cracouiensis satrapiæ, aut ea sola de omnibus nullos habet.* Sed facile respondetur, non esse eosdem terrestres Cracouiensis satrapiæ Officiales cum Officialibus regni, quia hi soli in coronatione regum, & vasalli solenni in feudum inauguratione, &c. officiis suis publice funguntur. Cracouiensis vero palatinatus, seu satrapia, suos habet Officiales terrestres, qui, si Rex in palatinatu Cracoviensi commoraretur, tunc officiales terrestres Satrapiæ Cracouiensis idem, iubente Rege, facerent, exceptis actibus solennibus, quod alii Officiales terrestres in palatinatu Masoviæ, vel alio. Clare igitur sunt Officiales regni ab officialibus terrestribus Cracovienfibus distincti, clarius autem a Rege distinguuntur. Illi enim plerumque ordine aquilæ albæ insigniuntur, honoris signo, quo tantum senatores regni affici solent. Iudicium sex ciuitatum, de quo auctor differit, nostris temporibus obsoletum est, & supremus regni Cancellarius in omnibus ciuitatum causis, si ad eum prouocetur, Regis nomine iudicat sine vlteriore prouocatione, excepta vnica vrbe Culma, quæ in causis suis non ad Cancellarium, sed ad episcopum suum, prouocat. Tandem auctor dicit: *in Prussia neque a bonis terrestribus plebeii arceantur.* Hoc nunc non ita se habet. Plebeii enim & rustici in Prussia Polona, bona nobilium emere & possidere non possunt. Sed notandum, vocem *plebeii* in Polonia ambiguam esse.

Multi

Multi enim sibi persuadent, omnes eos, qui non sunt nobiles, esse rusticos, & ordo ciuilis in Polonia, non re vera, sed vsu loquendi, obsoleuit. Cum igitur magistratus ciuitatum, qui bona terrestria possident, maxime sint ex ordine ciuili desumpti, male illi plebeii appellantur. Quidam enim, vt Torunensis, Gedanensis, Elbingensis, ad status reipublicae in Prussia pertinent. Et hoc in causa fuisse videtur, quod Cromerus alioquin acutissimus, minus accorate scripserit.

VI. *Descriptio Sarmatiarum Asianae & Europaeae, & eorum, quae in eis continentur, auctore* MATTHIA a MIECHOW, artium & medicinae doctore, Canonico Cracouiensi.

Multa quae Sarmatiam attinent, vtilia dixit Miechovius, & quidem in libro I. de vtraque Sarmatia in genere, de ortu & aduentu Tartarorum, de crudeli vastatione Poloniae & Hungariae per Tartaros; quomodo Innocentius Papa IV. legatum misit ad Chanum Tartarorum, ne Christianos persequeretur, & quomodo fidem Machometi susceperit, de moribus Tartarorum & de contentis in terrâ eorum; de finibus & metis Tartarorum Zavolhensium: de genealogia imperatorum trans Volham incolentium, quod gentes Scythae inquietae sint & semper rapaces; quae gens, quaeque natio habitat in Scythia, quae nunc Tartaria vocatur, de Gothis, de Alanis, Vandalis & Sueuis, de Iuhris, de Turcis, de familia Tartarorum Vlanorum, siue Precopensium, de Tartaris Kosanensibus & Tartaris Nohaiensibus.

In libro II. disserit de Russia, de amplitudine & contentis magni ducatus Lithuaniae, de Moschovia, de regionibus Scythiae, *Perm*, *Baskird*, *Iuhra*, & *Corela*, per ducem Moschouiae subiugatis. Haec sunt, quae *Miechovius* memoriae prodidit, stilo minus Latino, varios intermiscens barbarismos ac soloecismos. Historia tamen, si superstitionem tollas, minime contemnenda, quamuis haud recte semper digesta. Saepius enim sine necessitate de montibus Hyperboreis & Ripheis, nec non de piscibus ex mari scandentibus, *Morss* dictis, & aliis de rebus quibusdam loquitur, quasi oblitus esset ea, quae ante dixit. Errores typographicos in exemplari, apud Hallerum Cracouiae anno 1521. viuente auctore, impresso, occurrentes, sedulo correxi, nec non illos, qui in editione Pistoriana, ex ignorantia Poloni idiomatis, saepius obueniunt, quorum satis magnus sit numerus.

VII. *Sigismundus* liber Baro in *Herberstein* de Lithuania. Descriptio haec Lithuaniae ex *commentariis rerum Moscouiticarum* excerpta est. Duae quidem sunt tantum plagulae cum dimidia, quae Herbersteinius de Lithuania exarauit, sed accurate & singularia quaedam scripsit, quae legisse neminem poenitebit. Notandum Polonos Herbersteinium accusasse, quod primus Moschouiae duci, legatus in aula eius, regium titulum dedisset, eumque contra regem Polonum excitasset, sed in scripto ad Henr. Glareanum, se defendit, & integritatem domus Austriacae erga Poloniam monstrauit. Vide Boeclerum de rebus XVI. saeculi p. 518.

VIII. *De Sarmatia commentariolus* HARTMANNI SCHEDELII medicinae Doctoris. Hunc commentariolum continet *liber Chronicorum*, qui Norimbergae anno 1443 prodiit. Quamuis pauca de Sarmatia dixerit Schedelius, de *Vladislai* tamen prole, de Sancto *Stanislao*, Episcopo Cracouiensi, & de Cracouia, haud contemnenda retulit.

IX. STANISLAI SARNICII *descriptio veteris & nouae Poloniae, tum diuisione eiusdem veteri & noua. Adiecta est vera & exquisita Russiae inferioris descriptio, iuxta reuisionem commissariorum regiorum. Et Livoniae iuxta hodoeporicon exercitus Poloniti redeuntis ex Moschouia.* Geographiam Polonam, vt ante saeculum cum dimidio se habebat, nemo forte exactius tractauit *Sarnicio*, qui accurate satis de situ & ambitu veteris Sarmatiae, eiusque diuisione, secundum veterum sententiam, disseruit, quamuis ipsius etymologias, seu nominum propriorum explicationes, non omnes probemus. Adiecit Sarnicius indicem locorum ordine alphabetico, qui octo plagulas continens, maximam operis partem facit, & in quo longitudo latitudoque vnius cuiusque loci semper adscripta est. Situs & ambitus Livoniae, provinciarumque ad flumen Dunam sitarum, separatim in fine operis adpositus est.

X. *Iacobi Prilusii de provinciis Polonicis, & quibusdam regni diplomatis tractatus.* Iacobus Prilusius tempore Sigismundi Augusti, Poloniae Regis, floruit, orator, poëta & iure consultus insignis, terrae Cracouiensis notarius & aedilis, vir suo tempore longe eruditissimus, Orichovii, Tricesii & Kochanovii familiaris & amicus. Hic Prilusii tractatus, ex statutorum libris ab illo publicatis exscriptus, etiamsi ab omnibus inter geographicos & a nobis etiam numeretur, plura tamen hoc in opere, quae historiam & publica litterarum monumenta, quam geographiam attinent, continentur. Inuenimus enim hic *vnionem magni ducatus Lithuaniae cum regno Poloniae in Hrodlo anno 1413. factam*, item documentum, quomodo *Praelati Lithuaniae incorporant se regno Poloniae, ac regi Poloniae se subiciunt, quem vna cum Polonos eligent.* Sequitur *Vladislai III. Regis Poloniae, confirmatio iurium ac priuilegiorum Sigismundo, magno duci Lithuaniae super ducatu magno per d. olim Vladislaum suum genitorem eidem Sigismundo concessa*, deinde *procerum Lithuaniae* confirmatio veteris societatis magni ducatus, adiuncti regno Poloniae, facta anno 1499. Obuenit porro *de capta & repetenda Smolensco Sigismundi ad imperatorem fragmentum epistolae.* Articulus II sequentia continet: *de regni ducatibus ad serenda onera vnitudis: terra Drohicensis iuri Polonico adscribenda*, item *Bielscensis tractus eidem iuri Polonico adscribendus.* Sequuntur deinde omnia fere documenta, quae ad historiam Prussiae pertinent, tempore, quo magistri ordinis Teutonici eam possidebant.

XI. IOANNIS CRASSINII *Polonia ad Serenissimum Henricum Valesium* Poloniae Regem. Poloniam hanc Crassinii quod attinet, phoenix est librorum, & nullibi in Polonia conspicitur. Non nisi tria exemplaria in vita sua vidit, Illustrissimus Episcopus Kiouiensis, Zaluscius comes, nempe in bibliotheca *Ottoboniana* & *Casonatensi* Romae, & *Krasinstiana in Nowawies* in Polonia, praeter duo, quae antea possidebat, exemplaria, quorumque alterum bibliothecae regiae Dresdensi fuit donatum, alterum a Celsissimo pie defuncto episcopo Cracouiensi e bibliotheca sumtum *Zaluscianа*, &, nescio quo in loco, perditum fuit. Nunc vero nerum extat hac in bibliotheca huius libri exemplar vnicum, in Gallia nuper emtum. Non parum igitur mihi molestiae creauit libri huius raritas, quem certe hoc in tomo edere non potuissem, nisi singulari ex gratia & iussu illustrissimi comitis de *Brühl*, primi Serenissimi Regis Poloniarum, Electoris Saxoniae, ministri fidelissimi, qui litteris Musisque nunquam defuit, libri huius exemplum scriptum manu per litteratissimum *Hen. Ionath. Clodium*, Sereniss. Regi a bibliotheca & epistolis secretioribus, obtinuissem, qui id prius legit atque correxit.

Fuere quidam, qui Crassinium huius libelli esse auctorem negarunt, quorum quidem princeps est *Thuanus*, lib. I. commentariorum de vita sua p. 17. edit. Londinensis, qui id ex ore *Sigonii* accepisse perhibet, quam ob causam etiam in catalogo bibliothecae Thuanae, part. I. p. 430. iuxta inscriptionem huius libri. *Io. Crassinii Polonia Bonon.* 1574. haec verba adscripta sunt: *(Carolus Sigonius auctor est). Thuanum*, virum fide dignum, alii sequuti, idem scripserunt, vt *Placcius*, *Deckherr*, aliique, quos praetereo. Sed his omnibus non obstantibus certum esse videtur, *Crassinium*, non *Sigonium* libelli huius verum esse auctorem. Hoc facile nunc probamus, & maximum, ex ipsa ad *Henricum Valesium*, Poloniae regem, Crassinii dedicatione, sumimus argumentum, dicentis: *quae causa effecit, vt hoc de Polonia scribendi negotium, vrgente potissimum* CAROLO SIGONIO, *praeceptore meo, non inuitus susceperim.* Quis esset tam durus, ne dicam audax, vt Crassinium aperti mendacii in dedicatione ad regem, viuente *Sigonio*, insimularet, quem sibi auctorem, vt hunc libellum scripserit, fuisse, clare dicit. Certe plus fidei meretur *Crassinius* ipse, qui se auctorem libri coram rege coram praeceptore profitetur, quam *Thuanus*, qui audita dicit, & male rem, de qua statim dicemus, intellexit. Deinde verisimile minime videtur, *Sigonium*, quamuis litteratissimum, tam exactam rerum Polonarum cognitionem habuisse. Sed *Crassinius* ea, quae deficiebant, potuit suppeditare. Potuit & scribere, vsus tam diu tanto praeceptore. Quando igitur Crassinius & voluit & potuit scribere, & se scripsisse dicit, cur iniuria Crassinii hunc

libellum,

libellum, Sigonio tribuamus, qui se nunquam illius auctorem dixit. *Muratorius*, sagax ille & diligens rei litterariæ scriptor, in vita *Caroli Sigonii*, operibus eius præfixa, ne verbum quidem hac de re dicit, mentionem faciens libri *Zamoscii, de senatu Romano*, qui Sigonio etiam attribuitur, qua de re tamen Muratorius doctissimus dubitat, hæc adiiciens verba: *mihi Italica eruditio nihil ministrat, vnde ista aut confirmentur, a ut falsi arguantur.* Nullus dubito, *Sigonium* vltimam ad Crassinii discipuli sui, Poloniam addidisse limam, qui, cum ei ad scribendum hunc librum auctor fuerit, sine dubio tanquam suasor & præceptor, opus prius vidit, legit, correxit. Hoc *Thuanus* ex eo sciuit qui ob id libellum Sigonio præceptori, non Crassinio discipulo, male tribuit. Quæso autem, quinam est libri auctor, illene, qui omnia conquirit, elaborat, & digerit, vel ille, qui deinde legit, & quædam limat? Thuani igitur testimonium non tam suspectum, quam male dictum, mihi videtur. Ea quæ præ cæteris lima critica indigeant, videat lector beneuolus in notis ad calcem Crassinii Poloniæ adiectis.

XII. *Simoni Starovolscii Polonio cum præfatione Hermanni Conringii.* Simon Starovolscius inter Polonos polygraphorum princeps, haud contemnendus quondam in Sarmatia scriptor, & vir in rebus litteratis Polonis apprime versatus; quamquam non semper adeo accuratus. Communi laborant polygraphorum vitio, ut multa scribentes non omnia recte digerant, de cætero de litteris in Polonia præclare meritus. Starovolscii vero Poloniam quod attinet, inter omnes eius libros censetur optimus, quamuis nunc quædam sit mutata. Iam non illa Livoniæ pars ad Poloniam pertinet, quæ Regis Vladislai IV. tempore periit. Iam non tres Polonia habet clientes fiduciarios, quos *Vasalles* vulgo dicunt, sed tantum vnicum, Curlandiæ ducem, nunc serenissimum *Carolum*, AUGUSTI III. indulgentissimi patriæ patris filium dignissimum. Quæ vero *Starovolscius* de ingeniis Polonorum, de victu & vestitu, de nobilitatis prærogatiuis, de legibus & statutis, de opibus, militia & viribus Poloniæ, & bona & mala, æqua sinceritate, dixit, ad veritatem dicta sunt omnia, adeo, vt quam plurima & nunc vera sint, & verendum, ne omnia vera maneant in posterum.

XIII. ANDREÆ SWIĘCICKI, *descriptio topographica ducatus Masoviæ.* Hæc topographia, eleganter scripta, multa memoria digna continet, neque vllus est scriptorum topographicorum, qui melius, quam *Swięcicki* de Masovia, scripserit. Sed ita rara fuit editio typis exscripta, vt nemo fere litteratorum eam viderit, quæ tandem in bibliotheca illustrissimi supremi regni Mareschalci, *Bielinscii* comitis, fuit inuenta, & mecum gratiose communicata.

XIV. *Regni Poloniæ magnique ducatus Lithuaniæ, omniumque regionum iuri Polonico subiectarum nouissimo descriptio studio* ANDREÆ CELLARII, *Gymnasii Hornani Rectoris.* Auctor diligentissime omnia, quæ variis auctoribus ad recte describendam Poloniam lacerent, conquisiuit, in ordinem redegit digessitque, fontes etiam, ex quibus hauserit, fideliter semper indicauit. Ideo *Andreæ Cellarii* regni Poloniæ descriptio præcedentes omnes facile & accuratione & soliditate antecellit.

XV. *Polonia defensa contra* IOANNEM BARCLAIUM, *ubi occasione ista, de regno genteque Polona multa narrantur hactenus litteris non tradita.* Auctor huius libri elegantissimi est *Lucas* comes *Opalinski*, ex antiqua stirpe oriundus, qui fuit primum succamerarius Posnaniensis, deinde Mareschalcus curiæ regni, tempore Regis *Ioannis Casimiri.* Patrem habuit *Petrum Opalinium*, Palatinum Posnaniensem, matrem *Sophiam Kosiczankam*, *Christophori Kostkæ*, præfecti Biecensis, filiam. Doctissimus fuit Poloniæ Mæcenas, noster, variarum Europæ linguarum,, atque adeo Græcæ & Hebraicæ gnarus. Multas adolescens Europæ visitauit Academias, & cum eruditissimorum virorum, tum optimorum librorum accuratiorem sibi comparauit notitiam. Sagax etiam fuit ac prudens regni minister regi suo semper fidelis, mortuus anno 1662. Ex vxore *Isabella Tęczyńska*, Ioannis Palatini Cracoviensis filia, progenuit filios, *Stanislaum* gubernatorem nouæ ciuitatis, & *Ioannem*, regni pocillatorem, filiamque vnicam, *Sophiam*, quæ *Stanislao Lubomirski*, Mareschalco regni, nupsit. Neminem certe pœnitebit, & doctissimum & eleganter Latine scriptorum hunc librum, qui multa & vera & memoria digna in se continet, perlegisse.

XVI. CAROLI OGERII *iter Polonicum, siue Borussicum.* Carolus Ogerius fuit Parisiis causarum patronus in supremo *Parlamento*, deinde legato Gallico comiti d' Avaux, ab epistolis. Natus Parisiis anno 1595. Iuris operam dedit *Bituricis* & *Valentiæ* in Delphinatu. Ephemerides legationis Domini sui in Sueciam, Daniam & Poloniam confecit, quæ Lutetiæ Parisiorum apud *Petrum le Petit* anno 1656. prodierunt. Est dignissimus vtilissimusque liber est, simulque rarissimus, ex quo iter hoc Polonicum denuo typis descriptum.

Ogerius non opere curauit Latinitatem, magisque res quam verba ponderans haud eleganter scripsit Latine, quod viro pragmatico, & Gallo iter facienti, facile quidem ignoscendum. Nescio vero, vtrum hoc ei condonandum, quod tam multa itineri suo, plane haud necessaria, atque adeo nugas, quibusdam in locis, admiscuerit, nisi forte pro domestico, suoque tantum vsu, ephemerides illas conscripserit. Parum enim refert ceteros scire, quibus diebus litteras ad fratrem amicosque in Gallia exararit, siue ab iis acceperit, vel quo tempore e lecto sorrexerit, atque ambulatum sit exspatiatus. Cui bono deinde fuit, Cirembergii historiam, vel potius nugas, referre, ad quas credendas nullus vnquam physicus verus inducetur, qui melius naturæ leges cognoscit, quam omnes eiusmodi fabularum narratores.

XVII. *De flumine Memela Lithuaniæ, qui cura & industria clarissimi viri Domini Nicolai Tarlo, nauibus permeabilis factus est. Carmen elegiacum Auctore Adamo Schroetero.*

XVIII. *Regni Poloniæ Salinarum Vielscienfium descriptio carmine elegiaco, auctore eodem.*

XIX. *De Salinis Cracovianis Obseruatio, auctore Iodoco Willichio,* Resellano. Hæc vltima tria scripta, eleganter exarata, quamuis ex professo topographiam non tractent, ad rem tamen faciunt, variaque & scitu digna in se continent.

Ad extremum lectorem beneuolum, vt errata typographica, quorum nonnulla me inscio post correctionem incuria typothetarum irrepserint, æqui bonique faciat. Scribebam Varsaviæ, prid. Id. Dec. A. MDCCLX.

¢.

CONSPE-

CONSPECTUS
TOMI PRIMI.

POMPONII

POMPONII MELÆ

LIB. III. CAP. IV.

DESCRIPTIO SARMATIÆ.

SARMATIA INTUS QUAM AD MARE LATIOR (*b*), AB IIS QUÆ SEQUUNTUR, VISULA (*c*) AMNE DISCRETA, QUA RETRO ABIT VSQUE AD ISTRUM (*d*) FLUMEN IMMITTIT, GENS HABITU, ARMISQUE (*e*) PAR-
IICÆ PROXIMA, VERUM VT COELI ASPERIORIS, ITA INGENII, NON SE VR-
IBUS (*f*) TENET, ET NE STATIS (*g*) QUIDEM SEDIBUS, VT INVITAVERE PABU-
A, VT CÆDENS, ET SEQUENS HOSTIS EXIGIT, ITA RES OPESQUE SECUM
RAHENS, SEMPER CASTRA HABITAT: BELLATRIX, LIBERA, INDOMITA,
T VSQVE EO IMMANIS ATQUE ATROX, VT FEMINAE ETIAM CUM VIRIS BEL-
A INEANT, ATQUE VT HABILES SINT, NATIS STATIM DEXTRA ADVRI-
UR MAMMA, VT INDE EXPEDITA IN ICTVS MANU, QUÆ EXVRITVR, VIRILE
IAT PECTUS: ARCVS TENDERE, EQUITARE, (*h*) VENARI, PVELLARIA
ENSA SVNT: FERIRE HOSTEM ADVLTARVM STIPENDIUM EST, ADEO VT
ON PERCVSSISSE PRO FLAGITIO HABEATVR, SITQUE EIS POENÆ VIR-
INITAS (*i*)

OACHIMI VADIANI COMMENTARIOLUS
IN POMPONIUM MELAM
DE SARMATIA.

ARMATIA) Quemadmodum Ptol. ſcribit, lib. 3. a ſeptentrione oceano Sarmatico, & parte terræ in arctos incognitæ terminatur, ab occaſu Iſtula, ab
rtu confinibus Cherſoneſi Tauricæ, 1) ipſaque Mæotide, & Tanai 2) ad vſ-
ue Rhiphæos, 3) & ignota, quæ ſupra eos ſunt, a meridie Carpathiis monti-
s. Huius iuſta pars hodie Polonia dicta, a planitie videlicet terræ, quam ipſi
rnacula lingua *Pole* etiamnum vocant. Orientale eius latus in 2. lib. princi-
o, pro virili explicuimus. Reliqua ſequi calamo non pigeret, niſi hodie reddi-
ſſent plerique, inter quos vel diligentiſſime Raphael Volaterranus. Coloni
ne e Germania profecti videntur: nam cum Boiemis lingua communicant,
ſunt, cum vitæ ſinceritate, tum morum candore, manſuctiores, quam vt
ythici ſanguinis eſſe, qui nunc habitant, quiſpiam exiſtimet. Vtque in Ger-
ania, vetuſta ferocitas, ita Germanorum in Polonia Scythica feritas hodie
cognita eſt. Regem habent: is erat, dum hæc ſcribebam, SIGISMVNDVS CA-

Polonia vnde dicta.

SIMIRI

1) *Cherſoneſus Taurica* inter pon-
n Euxinum (mare nigrum) & Mæotidem pa-
em (mare Aſovienſe) ſita, a Tauris, Scythiæ
ropeæ populis, *Taurica* appellata.

2) *Tanais* Scythiæ fluuius, Aſiam diui-
s, ab Europa, a ſeptentrione in meridiem fluens, paulo tamen orientalior per Scythas & Sarmatas in Mæotim defluens. Tanais hodie DON fluuius dicitur.

3) *Riphæi* ſunt montes ſeptentrionales Scythiæ, de quibus hic ſermo, Rhipei vero montes in Arcadia, teſte SERVIO.

Sigismundus Poloniæ rex

SIMIRI filius, princeps sæculorum dignus memoria. Est enim & bello (vt paucis ambiam) & pace insignis, tanta formæ præstantia, vt dignam regno maiestatem, vel sola videntibus offerat. Huius mater, longe *Lampido* 4) illam Lacedæmoniam vincens, regis vxor, regis filia, neptisque, regis soror, & sex regum pientissima parens, vt alibi sumus testati, extitit. Gens ipsa Christiana religione insignis, optimorum antistitum hodie custodia incolumis. Quos inter, quos equidem nouerim, ERASMUS est VITELLIUS, præsul Plocensis, IANUS LUBRANSKI, Posnaniensis, MATTHIAS DREVICIUS, Vladislauiensis, IOANNES KONARSKI, Cracouiensis, & candidissimi animi PETRUS TOMICIUS, Premisliensis; viri in vniuersum, cum seorsum litteratissimi, & nullis non doctrinis dediti, tum studiosorum amantissimi & magni patroni. Id quod in præsulibus Christianis non naturæ solum, sed etiam gratiæ munus esse videtur. Noui enim plerosque, vel æstimatissimos, quibus magis curæ est, quid habeant, quam quid sciant: nec, quam docti adsint, sed quam compti ministrent, respiciunt. Porro & altissimo in otio socordes ab opibus & auaritiæ studio spectari volunt, quibusuis veteribus tyrannis in deglubendis pauperibus sæuiores, immitioresque. A quibus longe & vere δὶς διὰ πασῶν, quod aiunt, illi dissentiunt. Inter quos nomino cum honoris præfatione Silesiorum IANUM THURZONEM, Vratislauiensem, & Morauorum STANISLAUM fratrem suum, Olomucensem (episcopos) genere, doctrina, virtutibus magnos, eoque mihi commendabiles vel maxime, quod hic IANUM DUBRAVIUM 5) inter multos, ille GASPARUM VRSINUM 6) amplectitur, viros, vt ipsa indicant studiorum suorum vel nunc edita monimenta, doctrina, elegantiaque præstantes. De Iano Konarski iure consulto inter insignes regios oratores clarissimo, quid sentiendum sit, ipsa me humanitas sua, simul & eruditio monuit: satius vero est, modestum videri me suarum laudum præconem, si minus, quam fert animus, hoc in loco retulero, quam affectatæ laudis suspicione premi, dummodo fatear nihil esse, quod adeo de me merito viro non debeam.

Poloni religiosi.

Antistites Sarmatici.

Ianus Thurzo præsul Vratislauiensis.

Ianus Konarski

b Latior) Nam ab Istulæ fontibus ad Tanaim, circumque Euxinum versus, multo erat Melæ temporibus spaciosior, quam in ora septentrionalis litoris, cuius magna ignorata pars fuit.

Vistula.

c Visula) Mira nominis variatio: nam Visula, Iustula, Iustilia, Istula, Vistula vocatur. Oritur in Carpathiis, qua in Iaziges 7) & Marcomannos 8) Polonia imminet: in Codanum 9) egreditur non vno ostio, & amplissimo, antequam Dantiscum attingat, alueo, vbi mira piscium copia. Dantiscum clarum & opulentum aduectis mercibus oppidum, aere ob vicina, quæ palustri humore madent, nonnihil insalubri, memorabile vero ætate nostra IOANNIS DANTISCI nomine, iureconsulti, poetæ & SIGISMUNDI, Poloniæ regis, (quod fidei suæ & eruditioni debebatur) secretarii.

Dantiscum.

Ioan. Dantiscus.

d Ad

4) *Lampido* Lacedæmonia mulier, quæ regis filia fuit, & regis vxor & regis mater. Plin. lib. 7. cap. 41.

5) IOANNES DUBRAVIUS, fuit deinde episcopus Olomucensis, natione Bohemus, qui historiam Bohemiæ libris XXXIII. comprehensam, scripsit, nec non commentarium in psalm. V. & librum de piscinis. mortuus d. VI. Sept. a 1553.

6.) GASPAR VRSINUS, cognomine Velius fuit illis temporibus orator & poeta in Silesia Schwidnicii natus celeberrimus, regni Bohemiæ historiographus, nec non FERDINANDI consiliarius & orator, eiusque filii MAXIMILIANI II. præceptor. Præter *elegias*, *syluas*, *epigrammata*, *panegyricos*, scripsit *epitomen chronicorum mundi* & librum *de rebus Austriacis*. A. 1538. quinta Maii euanuit, & propter pestem creditur, vxorem in Danubium se præcipitasse,

7) *Iazyges*, populi fuere sæpius habitationes mutantes, ab oriente Daciam, ab occasu & Austro Germaniæ partem, a septentrione Sarmatiam occupantes. *Transsyluani* nunc ex parte illam regionem inhabitant.

8) *Marcomanni*, Germaniæ populi, Hercyniæ syluæ quondam accolæ. Hodie *Morawi* dicuntur.

9) *Codanus sinus* proprie est ille, quem Dani *Schagerack* dicunt, sed Vadianus hic codanum pro mari Baltico accipit.

d Ad Istrum.) Ideo Ptol. non Istula tantum, sed & montibus, qui in Iaziges imminent, & Germaniæ parte, terminari ait.

e Armis) Hodie quoque equitatu maxime præstant, habentque qui arcubus, antiquo gentis more, vtantur.

f Vrbibus) Clarissimæ sunt hodie Cracouia & Posnania inter plurimas. (maxime nunc Varsavia) At maiores multo in Lithuania, & ea ora, quæ in Tauricam Chersonesum, & Euxinum spectat, sitæ: inter quas eminet Vilna præcipue, tum & Orscha arx munitissima, Kyow, Ruthenorum metropolis, & in Podolia cæteris munita Camieniec, quam Latine, obsitum loci, *saxeam* cognominant. Quod si quis ad terrarum, regnique amplitudinem respicit, non erit adeo celebris oppidis Polonia. Constat autem ampliorem esse, quam tota sit trans Pyrenæos Hispania.

Poloniæ magnitudo.

g Ne statis) Omnia hæc abolita migratione, vt credo, gentium. Similia his libro primo, de Amazonibus, & secundo libro de Scytharum feminis retulit. Id magis miremur, cur totus is tractus in Scythiam vsque adeo apibus abundet, vt ceræ, mellisque nusquam maior copia sit. Nec artem ibi expectant, nec industria iuuari volunt, sibimet aluearia intra roborum excauata latera construunt, adeo vt grauissimas hiemes iuxta facile ferant. Est hæc terra plane suis prædita floribus, & per æstiua nullos magis sol aspicit, quando longissimus est dies, qui animali ad labores nato, breuibus vmbris operam intercipit.

Sarmatia apibus abundat.

h Equitare) Scribit libro octauo Plinius, Sarmatas equos habere tolerantissimos laborum, quos cum iter acturi sunt, inedia pridie præparant, exiguum tantum potum impertientes, atque ita per centena millia & quinquaginta. 10) continuo cursu euntibus insident. Iidem & Scythicarum gentium more herbariis quibusdam succis corpora tinxerunt, fuitque adeo agrestis victus, vt pulte alerentur farinæ crudæ, equino, vel sanguine, vel lacte, admixto.

Durant crudelitatis reliquiæ in Tartaris, qui pars quidem Sarmatarum sunt, sed & Scythicis immanes moribus. Vaga illa gens, & incertis contenta sedibus, nec aliud lucri, quam quod præda adiicit, incursibus maxime noxia, profundis & trucibus oculis, ac fere cæsiis, turbinato cranio, & circum tempora capite presso. Plerosque nuper Cracoviæ, & haud ita pridem aliquot Viennæ in ipsis catenis vidimus: ac nescio, an viderit *Apollinaris* 11) qui de iisdem, cum vere, tum eleganter in panegyri ad Anthemium AUGUSTUM sic refert: *Iacet sub axe vrsæ gens animis, membrisque minax, ita vultibus ipsis infantum suus horror inest, consurgit in arctum massa rotunda caput, geminis sub fronte cauernis. Visus adest oculis albentibus, acta cerebri in cameram vix ad refugos lux peruenit orbes.* 12) Horum semper iustum numerum, qui diuersum opus faciant, compeditos, & ergastularios habet in arce sua Cracoviana Rex SIGISMUNDUS: equina his carne non est cibus alius gratior. Certa fides, si equum vtcunque morbidum indica-

Tartarorum immanitas.

Sidonius.

Tartari hippophagi.

10) Centena & quinquaginta millia, nempe passuum, nouem faciunt cum dimidio milliaria Germanica, & haud a veritate abhorrere videtur, esse quosdam Tartarorum equos, cursu subactos, non vero alios omnes, qui tale itineris spatium continuo cursu absolvont, neque negandum, generatim eos, gentium aliorum ferme omnium equos, velocitate patientia & duritie superare, ac longe post se relinquere.

11) *Apollinaris.* Varii fuere Apollinares, *Sidonius* vero præ cæteris celebris, primo dux belli contra Gothos, deinde episcopus Claromontanus Arvernorum, Lugduni in Gallia natus. Liberos ex Papianilla coniuge, filia *Auiti* consulis, ante episcopatum susceptos, reliquit. Poeta clarus, sed ob adfectatum tumorem, in Latinitatis causa, scriptor intestabilis, quamuis ratione rerum haud contemnendus. Tandem in numerum sanctorum relatus. Floruit circa finem sæc. V. Extant Sidonii Apollinaris epistolæ & carmina, quorum optima editio Parisina a. 1652 cum notis *Iac. Sirmondi* e Soc. Iesu. & sumtibus Sebast. & Gabrielis Cramoisy.

12) *Vadianus* hic non accurate posuit Sidonii Apollinaris de Tartaris versus, qui in panegyrico

dicaueris, rem egisti gratiis dignam, adeunt, cadauerosum extrahunt, suoque in carnario euiscerant, carnibusque partim assis, partim elixis, grandi in fornice focis circumsidentes hiantem exsaturant voluptatem. Cum Cracoviæ essem, leonem catulum, qui in aula tum forte mortuus erat, euiscerabant, celebrique deuorabant conuiuio, adstantibus etiam nobis & feritatem demirantibus, ridiculo nutu, ut coniissemur, inuitatis. Equorum ossibus mire expolitis, & faberrime efformatis manubria scuticarum præmuniunt, intus visenda arte cultros, ceu in vaginam condentes, quorum in itinere pro Tartarorum more possit esse vsus. Equidem cum e Cracovia Bochniam visum abiissem salinas, & Ioannis Boneri, salinarum præfecti, beneficentia in arcem Bochnianam hospitio receptus essem, a Iano de Oleschincky, Damiani domino, qui, tum Boneri vicem gerebat, viro & virtutibus, & litteris iuxta claro, humanissime tractatus, inter cætera mihi homo Scytha ostendebatur, præterquam quod agreste Sarmaticum fidibus ludebat, ad nocturnas tantum vigilias natus: qui nec minis, nec verberibus ab esu demortuarum felium, canumque deterreri potuit, clanculum vel e cœno cadaueribus, quibus vesceretur, raptis, assisque.

i Virginitas.) Cogitur enim esse virgo, si nullum occiderit. Est ergo pœna, cum sit maxime honorificum, id manu consequutam femellam, vt nubere possit. Nihil horum hodie vsu venit, præter miram in plerisque Sarmatis equitandi agilitatem. Vulgare est, medio in cursu ex equo in equum insultare, idque, sine mora, sine casus metu. Quod ipsum anno abhinc tertio in Pannoniæ claro oppido Posonio, cum illuc ad VLADISLAVM, Vngariæ regem, frater SIGISMVNDVS venisset, spectaculi gratia (nam nostri mirabantur) iterum, iterumque exhibuerunt vt mihi retulit Victor Gampus Viennensis, iure consultus clarissimus, & dignus omni fide homo, qui tum cum Cæsareis oratoribus Posonium profectus, crebris illis ludis interfuit. Cornelius Tacitus auctor grauissimus in his maxime, quæ ad Christianorum historiam nihil attinent, libro historiæ XVII. equitatum Sarmaticum commendans. Mirum, inquit, dictu, vt sit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipsos, nihil ad pedestrem pugnam tam ignauum: vbi per turmas aduenere, vix illa acies obstiterit.

Victor Gampus iureconsultus

Liber autem hoc in loco, quoniam dignissima res est, nec aliena proposito, vtpote de terræ insignibus locis commentantibus nobis, salifodinas Sarmaticas orbi patefacere, præsertim quod hanc admirandum naturæ fecunditatem a scriptoribus, quos equidem viderim, Latinis, aut historiæ penuria, aut certe experientiæ inopia, siue (quod suspicor) raris alibi gentium salinis, copia magnitudine Sarmaticis illis respondentibus, neglectius traditam videam. Nec vero facile, aut Arabum Carras 13) illas, iuxta quas e salis frustis, vt Plinius tradit, aqua ferruminatis, ædificia exstruuntur: aut Oromenum Indiæ montem,

Salifodinæ Sarmaticæ

quem Romæ dixit *Anthemio* Augusto bis consuli, *Carmine II. p. 256. edit. Sirmondi*, huius sunt tenoris:
Albus hyperboreis Tanais qua vallibus actus
Riphæa de cante cadit, iacet axe sub vrsæ
Gens animis membrisque minax: ita vultibus ipsis
Infantum suus horror inest. consurgit in arctum
Massa rotunda caput: geminis sub fronte cauernis
Visus adest oculis absentibus: acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux peruenit orbes,
Non tamen & clausos. Nam fornice non spatioso,
Magna vident spatia, & maioris luminis vsum
Perspicua in puteis compensant puncta profundis.
Tum ne per malas excrescat fistula duplex
Obtundit teneras circumdata fascia nares,
Vt galeis cedant. Sic propter prælia natos
Maternus deformat amor, quia tensa genarum
Non interiecto fit latior area naso.
Cetera pars est pulchra viris. Stant pectora vasta
Insignes humeri, succincta sub ilibus aluus.
Forma quidem pediti media est, procera sed extat
Si cernas equites, sic longi sæpe putantur,
Si sedeant. Vix matre carens, vt constitit, infans
Mox præbet dorsum sonipes: cognata reare
Membra viris, ita semper equo ceu fixus adhæret
Rector.

13) *CARRAE* ciuitas Mesopotamiæ trans Edessam Arabiæ, vbi muros domosque ex massis salis fecerunt, aqua ferruminantes.

tem, e quo falis glebæ lapicidarum more cæduntur, quantum fcriptorum lectione confequi animus poteft, valde mirabitur, qui Sarmatiæ aut Bochniam, aut Velifcum vidit. Duobus in locis cæditur metallicus atque foſſilis, oppidis vtrobique ob mortalium frequentiam, & operum magnitudinem, enatis. Horum propius Velifcum vocant, a Cracouia, paſſibus, plus minus, octomillibus, alterum Bochniam 30. maximum millibus diſtans cum arce perelegante, a falinarum præfecto, quem fua lingua *Zupparium* vocant, habitata.

Velifci fitus æquus in feptentrione, ad meridiem & ortum molli affurgit cliuo altiusque atque altius: proinde montanis extantibus, agri, quemadmodum & Bochniæ, iuxta fere fteriles funt. Intra oppidulum prope facram ædem vno hiatu, quem ipfi *Schibum* nominant, in illa tenebrarum regna defcenditur. Foſſa ipfa vndique præceps, roboribus in quadratum fere contignatis altiſſime demittitur, fune prægrandi e machina pendente, quo glebæ falis, quas *Bancas* ipfi appellant, ex variis cauernis ad eius fauces deuolutæ, tandem in lucem, extrahuntur. Qui defcendunt, reftibus ex fubere, ima in parte craticulæ in modum contextis, & grandem illum ad funem nexis, infident, manibus fefe retinentes, atque altero crure ad funem applicito, quo minus, qui ita pendet, vacillet. Bini frequenter iunctis lateribus penfiles intromittuntur, ita tamen, vt fepteni atque enim octeni ordine appenfi, demittantur: ftupentibus autem & inexpertis, antea periti rerum foſſores intermifcentur, qui altera in manu lucernam geftantes, pede alterutro funem immani altitudine fluctuantem regunt, ne, in compacta quadrato robora fi impingat, leuifime fedentes excutiat, enecetque cafu. Cum ad fundum peruentum eft, ocyſſime fefe prinui explicant, funemque diuerfum in cuniculum trahentes, fequentibus confidendi relinquunt locum.

Velifcum.

Bancæ falis.

Hic primus per puteum, qualem diximus, introitus, eft tantæ altitudinis, vt fubtus ftantibus nullus vnquam cerni dies queat, & omnis defuper clamantium vox euanida fit, nec quicquam eo modo ab his, illisue fignificari queat. Stipulas accenfas & carbones deiiciunt, qui fuperne adftant, illis inuicem funem magno nixu crifpantibus, aut grandi malleo contignata robora in imo quatientibus, talem impetum pedibus magis, quam auribus horum excipientibus. Hic mutuus fignorum modus eft. Aduenis non raro, qui defcendere aut nolunt, aut non audent, putei altitudo indicatur ftraminis fuccenfo fafciculo, iniectoque, vifu fequentibus eum qui adftant, hoc modo altitudinis parte deprehenfa. Nec facile periculum in igne fuerit, udis femper primarum faucium roboribus. Velifci uno tantum puteo (ita vocare libet) defcenditur, Bochniæ pluribus: fed vno tamen frequentiſſime demiſſis operariis, ex aliis interim falis miris extractis: & Bochnia quidem profunda, & vndique decliui planicie iacet, Velifco, vt dixi, prominente. In huius fodinis amœniora omnia funt vifu. Nam vix vfquam periculofus timidis etiam & infuetis intus gradus eft, & in latera abeuntes cuniculi ita panduntur, vt erectus queas incedere. Bochniæ in profundum omnia abeunt, altiſſime fubfidentibus foſſis, graduque, infuetis præfertim, periculofiſſimo. Ab puteorum lateribus fcalæ demiſſæ tenuibus ferramentis, funiculisque roboribus annectuntur, exilibus fubtus proceribus nitæ, & operariorum frequentia detritæ plerumque, a quibus, pro foſſarum fpecie abeuntibus, crebro flectendus fit gradus, idque immani fubtus altitudine, qua quidem ab ignaris primum finemetu defcenditur, lucernis proxima tantum illuminantibus, non etiam profundum aperientibus. Magno vero metu afcenditur cogitantibus præfertim, quantum inanis altitudinis fubfit, quamque

Puteorum altitudo.

Bochnia.

Scalæ.

pendulo nitantur gradu, qui vadunt. Equidem vt de me dicam, non raro terra marique cum timuerim mihi, haud leuibus in periculis versatus, nunquam tamen frequentius, præsentiusque de morte cogitaui, quam cum naturæ noscendarum opum cupiditate victus, in Bochnianum illud barathrum descendissem: de quo etiamnum ita cogito, vt incolumem me omnia vidisse gaudeam, non amplius, quacunque occasione oblata, visurus.

Salinæ Velicenses.

Velisci, cum demissi essemus per primum puteum, vario ac perplexo, & vere quosuis labyrinthos vincente cuniculorum ambitu, in antra non parum spaciosa ducebamur: cameras appellat Sarmata, e quarum lateribus ingentes micæ ferreis cuneis, malleisque cædebantur. Vix autem fidem ceperit, quantum omnia salis politissima munditie resplendescant. Ac Velisci quidem, quo magis in latera cuniculos adigunt, eo salem salsiorem, mundioremque deprehendunt, profunditate fere sterili, aut micis certe ob intermixtam glaream impuris. Rarissime vero (idque in fodinis metallicis Carinthiæ obseruaui) in his vsu venit, vt ligneis columnis, aut fornicibus compaginatis tellus, ne sidat oprimatue operarios, suspendatur. Solidæ sunt perinde effossis salis rupibus cryptæ, nec temere vnquam inde periculum euenit, sicut nec vapor vsquam noxius, aut fumus pestilens strangulat. Solo casu quotannis sunt, qui pereunt, fractis interdum scalis, ac non raro glebis prægrandibus, dum attrahuntur, & rumpitur funis, miserabili clade recidentibus. Porro & primo in descensu periculum est præsens, si funiculi siue restes, quibus insidere solent demittendi, disrumpantur.

Merces pro labore.

Operariis merces soluitur, non a tempore, quod in his cauernis nullum est, sed operis modo æstimatione facta. Instituta quoque ad eam rem regula, & in salis (mirum) glebis virium & laboris indicia insunt: hoc modo di par salarium recipientibus, nec vnquam desideria eludentibus qui cædunt. Cumque nullæ sint illic lucis & tenebrarum vices, sic vt nec vigiliarum, nec somni modus vllus existat, semper laboratur, opera tamen, per vices sortuitas, distributa: primi graues micas forma quadrata, sed oblongiori excidant, mox sint, qui demolientes, per multiplices eos cuniculos sub introitum primi putei trahant, vt tandem in lucem attollantur, quibus ab opere vacantibus, postremi succedunt, qui tenui mercede puluerem salis conuerrunt, & fragmenta legunt, in veteres & exhaustas ea fossas coniicientes, aut in factitii salis vsus extrahentes, humeris portantes, & certatim sub ipsa puteorum trahentes ora, vt attracta demum edantur. Ad hanc autem operam & iuuentus conducitur, cum illa non nisi a robustissimis perficiatur.

Operum vices

Venæ fontales.

Fontales venas Velifcenses fodinæ passim habent, cæterum modice scaturientes, quas canalibus e cryptarum ambagibus commodum in puteum corriuatas mox doliis attollunt, coquuntque harenosi salis iniectis fragmentis. Velisci enim & Bochniæ non tam fossitii salis quam factitii copia est. Hic solidis e rupibus cæsus paulo est amarior recens, mox cum aere superno inuaditur, extractus dulcescit, fitque optimus. Hic paulo salsior aqua, vt dixi, ex fragmentis extractis coquitur, grandi subiecto igne, velut in Germaniæ, Galliæque locis pluribus. Bochniani micas, statim, vt editæ sunt, probant, puræ sint nec ne, glareæ siue argillæ venis interturbatas confestim in frusta, vt coquantur, findentes. Puriores integras vendunt, non pondere, sed magnitudine tantum æstimata. Mirum autem adeo facile frangi salem, cum nostro ab aere humescere cœperit: rursum, dum in cauernis est, leuiorem & duriusculum esse, extractum ingrauescere maxime 14.)

ALBERTUS noster ex terreo combusto, crassoque, & aqueo commixto, ac

14) Idem dixit, vel aliis fidem habuit, celeberrimus medicus Lipsiensis ETTMVLLERUS. Negauit D. *Doleljus*, Varsauia hanc ob causam Crcouiam profectus, quique rem istam examinando,

ac terræ frigiditate congelato, salem natura calidum, & siccum constare autumat: porosum vero esse, & hiare rimis subtilibus, vnde coniectura sit minime audax, leuem esse salem, dum sicco in aere trahitur, mox nostro, qui humidior est, per hiantes poros hausto, grauiorem fieri, ac facile frangi posse, quoniam laxior, molliorque factus sit. Plinius Lib. XXX. cap. VII. prodidisse ait quosdam, leuissimum intra specus suos salem esse, qui in lucem vniuersam prolatus vix credibili pondere ingrauescat. Cuius euidentem causam putauit esse a cuniculorum madido spiritu sic adiuuante molientes, vt aquæ solent, in quibus grauiora pondera facile mouentur. Mihi certe prior causa magis arridet, qui sum expertus siccum, calidum, acutum, & perquam subtilem in his fodinis aerem esse, vt suadent obambulantes, & nudi etiam Cyclopum more laborantes Bochniæ, ocreatis tantum, & braccis pudibunda velatis, qui fodiunt. Micæ, cum ad supremi putei fauces peruenere, appensæ funi iumentis extrahuntur, prægrandem rotam anhelo & in circum reducto gyrantibus cursu. Et Velisci quidem leuiori opera omnia constant, Bochniæ magnus in extrahendo labor est, cum quod multis in locis extrahitur, tum etiam quod ex altissimis fossis, interim per cuniculos trahitur, interim machinis subtus fabrefactis attollitur, donec hac & illac vario flexu per cryptas prouolutus, & sexies minimum subterraneis illis machinis sublatus, demum ad supremi introitus fauces conuoluitur, vt claram in lucem attollatur. Cumque Velisci fossæ sint præter cameras, alicubi octodecim scalarum altitudine, quarum nulla breuior sit octo cubitis, multis interim longioribus: constat Bochniæ, præter primarum faucium immanem profunditatem, in altissimam fossam octoginta scalarum altitudinem durare, & quotidie fieri altiorem, innumera salis excisa copia. Scalas numerauit Ludouicus Decius noster, Regi Sarmatiæ a secretis, & IANO BONERO Salinarum præfecto, a rationibus, amœnissimi ingenii, & eximiæ doctrinæ homo, mihi sane nonnullo metu perturbatori, tum & alia demirato, quorum gratia veneram, id ipsum obseruare non dabatur. Bochnianæ glebæ duriores, salsioresque existimantur. Vtrobique per reliqui salis rupes venæ quædam videntur pellucidæ, & cristalli modo nitidæ salis gemmæ, vt recentiores cognominant, cuius præcipuus est in medicinis vsus, apparent & venæ extincto carboni nigriori similes, quarum materiam aurei pondere contritam, & modico vino sumptam aluum soluere aiebant. Sal qui coquitur, visendæ magnitudinis patinis ex ære, ferroue factis non sane profundis, nec crassis admodum, infunditur, vbi aquis, flammarum vi bullientibus, concretus & sidens sal, post quam incanduit, extrahitur. Quod Plinius intellexit, quando scripsit, in Gallia, Germaniaque ardentibus lignis aquam salsam infundi. Et libro tredecimo Tacitus in Hermunduris salem prouenire ait, non, vt apud alias gentes, eluuie maris, arescente vnda, sed super ardentem arborum struem fusa, ex contrariis elementis igne atque aquis concreta, &c. Et hic quidem, quamuis in medico illo siue fossili acutior paulo, salsiorque esse solet, parum tamen a natiuo salis abest acuminis vi. Mirum vero inter tot fecundæ naturæ miranda opera spectaculum, tanta altitudine solidos salis demitti montes: & cuniculis in tanta spatia actis, ad lucernarum lumina moles subterraneas excauari. Nullus illic dies, vel Cimmeriis olim 15) nulla vox, sed vmbræ tantum sine cœlo. Porro & alto altum silentium inest, vbi ab opere vacatur, vt manes inesse loco credas. Velisci non raro ingentium sese templorum specie cameræ offerunt, immanibus

Plinius.

Bochniana salina operosior.

Bochniæ salinæ altitudo.

Ludouicus Decius.

Salis gemmæ

Salis facticii ratio.

Plinius.

Tacitus

Salis in Sarmatia montes.

...que in casu, eandem se inuenisse salium fru...um, intra & subter terram, grauitatem, per...uit. Verisimile esse videtur, salem extractum, ...ea, quam recte in sequentibus VADIANUS ...licat, causa, parum ingrauescere, haud vero, ...idem dicit, maxime. D. *Dobelius* forte non satis magnam, ad instituendum hoc experimentum, salis quantitatem accepit, vel libra etiam, prout in eiusmodi experientiis omnino opus, non satis accurata fuit.

15) *Cimmerii* montes supra Albaniam, secundum Plinium, & *cimmeriæ tenebræ* proverbio ce-

bus falis columnis extantibus, quibus fuperiora folido, & ipfa concreta, fale, ceu fornices quidem fuftinendis montibus enati imminent, grauiffimo fefe pondere admirabili quadam operariorum induftria librante. Bochniæ mille quingentorum pondo Germanicorum graues micas extractas vidimus: hæc autem Romana pondo tria millia æquant. Aiebant interdum maiores cædi, neque id difficile creditu æftimantibus, falis illic non glebas tantum, fed montes etiam effe. Ex ingenti vero illo Sarmatiæ thefauro maius eius regni principi vectigal eft, quam plerisque effe ex auri, aut argenti fecundiffimis fodinis posfit. Etiam fi hoc, quicquid eft emolumenti, vix æftimandis fumtibus conftat. Illud non prætericrim, in multis Sarmatiæ locis copiæ falis euidentia veftigia fpectari, in quibus tamen fodere, lege cauente, prohibentur, qui adhabitant, ne rei precium euilefcat, & detrimentum emolumento maius fiat. Velifcenfem fodinam quatuor plus minus horis bona parte colluftrauimus, comitantibus nos Rudolpho noftro Agricola, 16) Benedicto Vadiano fratre, & adolefcentibus duobus Cracouianis Seuerinorum familiæ, fpectatiffimæ indolis, qui vna fe in horrendam illam altitudinem demifere. Solus Agricola, cui caput eft natura vertiginofum, & ex ftudiis debile, nullusque omnino ad fcandendum incautius animus, tantifper donec extraheremur, & noftro redderemur cœlo, nos opperiebatur. Bochniæ iidem fere nobifcum defcenderunt, ducente nos & fingula diligenter commonftrante Ioanne de Olefchineky, Damiani domino, viro præter humanitatem, candidiffimos mores, imaginibus etiam & litterarum peritia claro. Cui pro fingulari beneuolentia & liberalitate fua, non fatis videbatur in hominem peregre aduenam collatum officii, quod vna periculofa vectura demiffus in fodinas effet, quod omnia indicaffet, & expofuiffet, nifi fexta fere hora demum reductum, cum feffum, fqualidumque cerneret, & lauandum curaret, & apparatiffimo prandio in regia arce exciperet, toto fodalitio noftro biduano hofpitio incredibili humanitate tractato. Porro ne is quidem beneficentiæ finis erat, poftridie nos in villam fuam Damianam deduxit, fertili agro ad pifcofi amnis ripam extructam, & vndique amœniffimo nemore claufam, in qua, iucunda deambulatione facta, rurfum elegantiffimo & plane faliari prandio, non tam ferculorum apparatu, quam morum & facilitatis fuæ comitate, mirifice exhilarauit: additis mox, qui nos compendiariis itineribus Cracoviam reducerent. Quidni autem fatear, fummam beneficentiæ me Ioanni Bonero debere falinæ vtriusque præfecto? qui fimul ac ituros nos Bochniam intellexit (iam enim Velifcum videramus) litteris actutum præmiffis, vt his modis cum vniuerfo fodalitio exciperemur, curauit. Eft hic vir grauiffimus, prudentiffimusque, auctoritate & gratia nullis fane in SIGISMUNDI regis aula cedens, præter ea exterorum (ad Rhenum enim natus eft) primus, qui tantis fortunæ ornamentis, tantaque dignitate apud Sarmatiæ principis inclaruerit. Ac de falis quidem fodinis Sarmaticis hactenus. AENEAS

Glebarum falis pondus.

Magnum e Salinis vectigal.

Rudolphus Agricola

Ioannes de Olefchincky.

Ioannes Bonerus.

lebrantur pro denfiffima caligine. Ideo OVIDIUS fomni fedem ibi collocauit. *Libro Metamorphofeon.*

Eft prope Cimmerios longo fpelunca receffu,
Mons cauus, ignaui domus & penetralia fomni.

16) Duo fuere *Rudolphi Agricolæ*, alter orator, poeta & muficus clariffimus, natione Belga, mortuus a. 1485. XXV. Octobris, alter iunior cuius Vadianus hic facit mentionem, quique gratulationem ad SIGISMUNDUM ab HERBERSTEIN, a Mofchis reuerfum, fcripfit.

17) Ex re effe in eorum vfum videtur, Vadiani hic adiicere breue vitæ curriculum, quos forte id in Lexico eruditorum Ioecheriano, euoluere tædet, vel Germanicam linguam haud callent. Ortus a parentibus nobilibus *de Watt* in Heluetia, in fano Sti Galli a. 1484, die XXVIIII Novemb. vbi pater eius erat in magiftratu. Omnis generis fcientias magna excoluit diligentia, Viennæ duce Cufpiniano, vbi deinde liberales artes ipfe docuit, a Maximiliano I. a. 1514. corona poetica redimitus. Iter per Vngariam, Poloniam & Italiam inftituit, quo abfoluto Viennam a. 1517. redux medicinæ Doctor factus. Sequenti vero anno, fæuiente lue peftifera, in patriam rediit, cui ciuitas Sti Galli ftatim falarium pependit, ac paulo poft magiftratum dedit; quo facto a. 1526. conful electus. Mortuus a. 1551. die VI Aprilis. Scripta eius *hic commentariolus, epitome Africæ Afiæ & Europæ, fcholia in Lib. II. Plinii, confilium contra peftem, liber de poetica & carminis ratione, poemata &c.*

II.

ÆNEAS SILVIUS, 18) SUMMUS PONTIFEX ROMANUS, PIUS II HUIUS NOMINIS POST ADEPTUM PONTIFICATUM DICTUS, DE POLONIA, LITHVANIA ET PRUSSIA SIVE BORUSSIA.

De Polonia regione vasta, quod in ea domus luto & macerie componantur, equi silvestres inueniantur. De Vladislao cum regno baptismum suscipiente, deque Frederico Brandeburgensi & Alberto Bauaro regnum quolibet pro se recusante.

POLONIA vasta regio est, quæ Silesiæ ad occidentem proximat, Hungaris, Lithuanis, ac Prutenis contermina: hic Cracovia est præcipua regni ciuitas, in qua liberalium artium schola floret. SUBIGNEUS huic vrbi præfuit episcopus, litterarum doctrina, & morum suauitate insignis, a quo plurimas accepimus epistolas, multo sale & Romana elegantia conditas, cui ob singulares virtutes romana ecclesia insignia cardinalatus honoris rubentem pileum misit. Ciuitates Poloniæ præter Cracouiam parum nitidæ. 19) Ex maceria domus ferme omnes componunt, plerasque luto linunt: 20) plaga regionis nemorosa est, potus genti cereuisia, ex tritico atque lupulo factus. Vini rarissimus vsus, nec vineæ cultura cognita, 21) ager Cereris ferax, multa geniti armenta, multa ferarum venatio, equum silueſtrem præter cornua ceruo similem edunt, feros boues venantur, quos prisci vros vocauere. Pisce ac volucribus abundant, argenti, auri, inops terra. 22) Vectigalia regi parua. Regnum in quatuor partes diuisere maiores: has cum per circulum anni rex ambiuit, quælibet pars tribus mensibus regem ac curiam pascit: quibus exactis, ad alteram partem fit transitus. Statuta sunt, quæ præstare prouinciales oportet. Si manserit vltra præfinitum tempus Rex, suo viuere sumtu cogitur. Cum rex gentis patrum nostrorum tempestate obiisset, relictam filiam Guilielmus dux Austriæ in matrimonium accepit, illique regno præfectus est. 23) Non placuit Polonis rex Teutonicus, Vladislaum ex Lithuania vocauere

Sbigneus Cardinalis.

Guilielmus Dux Austriæ.

18.) AENEAS SILVIUS BARTHOLOMÆUS PICCOLOMINEUS, vnus ante alios pontifices Romanos eruditissimus, vir magnus, *Corsiniani* in Italia a. 1405. die 18 Octobris natus, patre nobili *Siluio*, matre Victoria vsus. Ob summum ingenium atque eruditionem ad amplissimos ad scendit honores; episcopus Senensis & S. R. E. purpuratus creatus. Imperatoris Friderici III. a secretis & legationibus fuit, laurea poetica ab eo donatus. Tandem summus pontifex electus XIII. calend. Sept. A. MCCCCLVIII. Mortuus Anconæ a. 1464, XVIII. calend. Sept. ætatis suæ nono quinquagesimo, ex quo vero pontificatum inierat sexto anno. Vitam magni huius pontificis scripserunt, *Platina*, vel Bartholom. de Sacchi, *Stella*, sacerdos Venetus, *Io. Tritemius*, abbas Spanheimensis, *Antoninus Campanus* episcopus Aprutinus, qui præ his accurate eam exarauit. In concilio Basiliensi, summum pontificem consilio subesse affirmauit, summus vero pontifex factus contrarium defendit. Ideo dictum fuit: *quod Aeneas probauit, Pius damnauit.* Multa eaque varia opera scripsit, quæ a. 1571. Basileæ, ex officina Henricpetrina prodierunt, vno volumine comprehensa, neque tamen omnia. Nam *P. Raym. Duellius* historiam eius Gothicam ex manu scripto edidit a. 1730. Quæ hic a *Pio II.* de Polonia scripta legis, ea de eiusdem *historia rerum vbique gestarum locorumque descriptione* deprompta sunt, & historiæ de Europa capita XXV—XXIX efficiunt.

19.) Illis nempe temporibus, nostris vero, vt in aliis, sic etiam ratione architecturæ, mutata Poloniæ facies.

20.) Hoc ita nunc intelligendum, vt in pagis Poloniæ rusticorum tuguria ex ligno, vbi autem id deficit, vt in Russia, *ex macerie constructa sint. Ceteroquin pulcherrima ædificia, domus, palatia, arces, & in Polonia extant, in ciuitatibus non solum. sed etiam ruri.

21) Quondam vineæ cultura in Podolia & Volhynia, Russia etiam circa Leopolim, aliisque in locis cognita fuit. vid. *historia naturalis* P. RZĄCZYNSKI.

22.) Hoc falsum. Terra enim haud inops auri argentique, quorum copia haud exigua in montibus Carpathis abscondita, hæc vero metalla, ex iis non eruuntur, quia serenisſ. res publica Polona id nondum e re sua esse duxit.

23.) Mirum est, tam grauem auctorem, historiam Polonam aperte falsis interpolasse, & de au-

Vladislaus Iagello ex gentili fit Christianus.

uere, eiectoque Guilielmo, coniugem eius & regnum nouo regi tradidere. Gentilis fuerat Vladislaus & idola coluerat, sed baptismum cum regno suscipere non recusauit. Conuersus ad Christum, religiosum principem gessit. Multos ex Lituanis ad Euangelium traxit, pontificales ecclesias nonnullas erexit. Episcopos magno honore prosecutus est. Inter equitandum, quotiescunque turres templorum inspexit, detracto pileo caput inclinauit, Deum, qui coleretur in ecclesia, veneratus. Cum Tartaris, regni limites infestantibus, feliciter dimicauit, Prutenos maximo bello vicit, de quo inter res Prutenicas memorabimus. Ex priori coniuge prolem non sustulit, cum qua matrimonium haud legitimum fuit. Ex secundo iam ferme nonagenario duo nati sunt filii, 24) Vladislaus, & Casimirus, is Lithuaniæ ducatum consecutus est, prior patri, regno Poloniæ, succedens, ad Hungariæ quoque regnum accersitus, in bello Turcorum (vt alibi narratum est) cecidit. Qua re cognita, solliciti Poloniæ proceres de successore, Fredericum (II.) marchionem Brandeburgensem, qui pueritiam in regno transegerat, linguamque gentis & mores tenebat, vt regnum acciperet, rogauerunt. Responsum datum est: Casimirum, Lithuaniæ ducem, qui frater esset defuncti, hæredem extare. Sciscitari eius animum oportere, cui fraternum, paternumque regnum cupienti, impedimentum afferre a dignitate sua, Fredericus non duceret: pari moderatione & Albertus Bauariæ dux, erga Ladislaum, Alberti filium visus est: qui Bohemiæ regnum sibi oblatum recusauit. FREDERICUS quoque Imperator, & ab Hungaris, & a Bohemis ad hereditatem Ladislai vocatus, nunquam audire sustinuit, quod patrueli præiudicium faceret. Ingens laus nostræ ætatis, & magnum decus Germanici nominis, quamuis non ambigo, esse aliquos, qui non tam iustitiæ, quam ignauiæ tradunt, alienis regnis quempiam abstinere. Ego quod boni speciem habet, non laudare non possum. CASIMIRUS autem, etsi difficile a Lituanis dimitteretur, qui suum ad se principem retinere cupiebant, in Poloniam veniens, pacificam regni gubernationem accepit: nec diu postea sororem Ladislai regis duxit vxorem. Multa ei aduersus fratres Teutonicos, qui sanctæ Mariæ appellantur, bella fuere, de quibus in rebus Prutenis referemus.

Fridericus II. Marchio Brandeburgensis.

Albertus dux Bauariæ.

De Lithuania regione, Vitoldo viro facile sanguinario in ea regnante, de soli ad transitum æstiuo tempore difficultate, gentis in moribus qualitate, & quae super sacrorum diuersitatibus Hieronymus Pragensis eremita denarrauit.

Vitoldus tyrannus.

Lituania & ipsa late patens regio Polonis ad orientem connexa est, palustris ferme omnis ac nemorosa. Vitoldus huic præfuit, Vladislai frater, qui relicto deorum cultu, cum regno Poloniæ *Christi sacramentum* accepit. Magnum Vitoldi nomen sua tempestate fuit, quem subditi adeo timuerunt, *vt iussi laqueo se suspendere, parere potius, quam in principis indignationem incidere voluerint*: detrectantes imperium insutos vrsina pelle viuentibus vrsis (quos

eam

dito tantum, satis negligenter quadam scripsisse. LUDOVICUS, Poloniæ & Hungariæ Rex, duas reliquit principes, *Mariam* & *Hedvigem*, illa *Sigismundi*. Marchionis Brandeburgensis vxor, hæc vero *Guilielmo*, Austriæ duci, tantum desponsa, nunquam vero huius coniux fuit. Guilielmus igitur neque regno præfectus, neque ex illo eiectus, sed ex arce Cracouiensi, vbi iam noptiarum causa præsens fuerat, eiectus a proceribus Polonis fuit. Vid. KOIALOWICZ hist. Lith.

24.) Et hoc falsum. Nam quarta coniunx VLADISLAI IAGELLONIS, SOPHIA, Kiiouiensium ducis ANDREÆ & VITOLDI sororis filia, primum peperit filium *Vladislaum* regi nondum octogenario, 1425. Quatuor matrimonia Vladislai Iagellonis fuere etiam legitima omnia. Prima enim coniux fuit *Hedvigis* regina, secunda *Anna*, Hungara, Ciliæ comitis filia, Poloniæ regis Casimiri neptis, a. 1400. Tertia *Elisabetha Pilecia*, vidua *Gradovscii* equitis, anno 1416. Quartam nunc dictam anno 1421. in matrimonium accepit. vid. *Koialowicz historia Lithuana.*

eam ob caufam nutriebat) dilaniandos obiectauit, crudelibusque aliis affecit fuppliciis. Equitans arcum femper tenfum geftauit. Si quem confpicatus eft aliter incedere, quam voluit, confeftim fagitta confodit, multos quoque per ludum interemit. *Sanguinarius carnifex*, vt effet inter populares & ipfum principem, certum faciei difcrimen, radere barbam omnibus imperauit. Id vbi non fucceffit (facilius enim ceruicis quam barbæ iacturam Lithuani ferebant) tonfus ipfe mentum & caput prodiit, capitale interminatus, fi quis prouincialium pilos faciei capite fuo deponeret. Rex *a Sigismundo Caefare* Lithuanorum appellatus, prius obiit, quam legati diadema ferentes fe conuenirent. Succeffor SVIDRIGELLO vrfam nutriuit, quæ fueta ex manibus eius panem accipere, fæpe in filuas vagabatur. Redeunti vfque ad thalamum principis, oftia quæque patebant. Ibi confricare ac pulfare pedibus oftium, cum fames affuit, confueuit, cui princeps aperiens cibum præbuit. Confpirauere nobiles aliquot adolefcentes aduerfus principem, atque vrfæ modum fecuti, fumptis armis cubiculi principalis ianuam confricauere. Credit Suidrigello vrfam adeffe, oftiumque aperuit, ibique mox ab infidiantibus confoffus interiit. Prouinciæ deinde gubernatio ad Cafimirum peruenit. 25)Ad Lithuanos æftiuo tempore difficilis tranfitus eft, paluftribus aquis cuncta ferme obfidentibus, hiems præbet aditum aftrictis gelu lacunis. Mercatores fuper glaciem ac niuem iter faciunt, plurium dierum cibaria in vehiculo ferentes, nulla certa via: meatus (ficut in mari) fiderum curfus oftendit. Rara inter Lituanos oppida, neque frequentes villæ. Opes apud eos, præcipue animales pelles, quibus noftra ætas Zibellinis, Hermelinisque nomina indidit. Vfus pecuniæ ignotus, locum eius pelles obtinent: viliores cupri atque argenti vices implent, pro auro fignato pretiofiores. Matronæ nobiles publice concubinos habent, permittentibus viris, quos *matrimonii adiutores* vocant. 26)Viris turpe eft ad legitimam coniugem pellicem adiicere. Soluuntur tamen facile matrimonia mutuo confenfu, & iterum atque iterum nubunt. Multum his ceræ ac mellis eft, quod filueftres in filuis apes conficiunt. Vini rariffimus vfus & panis nigerrimus. Armenta victum præbent multo lacte vtentibus. Sermo gentis Sclauonicus eft: latiffima eft enim hæc lingua, & in varias diuifa fectas. Ex Sclauis enim alii Romanam ecclefiam fequuntur, vt Dalmatæ, Croatini, Carni ac Poloni. Alii Græcorum fequuntur errores, vt Bulgari, Rutheni, & multi ex Lituanis. Alii proprias hærefes inuenere, vt Bohemi, & Moraui, & Bofnenfes, quorum magna pars Manichæorum imitatur infaniam. Alii gentili adhuc cæcitate tenentur, quemadmodum multi ex Lituanis idola colentes. Horum magna pars æuo noftro ad Chriftum conuerfa eft, poftquam Vladislaus ex ea gente Poloniæ regnum accepit. Noui ego Hieronymum Pragenfem, facris litteris apprime eruditum, vitæ munditia & facundia fingulari clarum, qui annos fupra viginti in eremo Camaldulenfi, in Apennino Hetrufco pœnitentiam egit, hic (oriente apud Bohemos Huffitarum hærefi) fugiens poftiferum virus, in Poloniam tranfiuit. 27) Vbi acceptis litteris ab Vladislao rege commendatitiis, præ

Sclauorum fectæ

Hieronymus Pragenfis eremita.

25.) Et hic *Siluius* in hiftoria Lithuana allucinatus eft. *Boleslaum* enim *Suidrigellonem*, non *Cafimirus* in adminiftranda Lithuania, fed *Sigifmundus* Kieyftutiades eft fequutus, hunc demum *Cafimirus* II. Iagellonides. Neque Suidrigello, fed Sigifmundus tyrannus, vrfa illa delectatus, & ob adhibitas varias in Lithuanos crudelitates, a proceribus interfectus a. 1440.

26) Valde de hac *Siluii* narratione dubitamus, qui, vt monftratum fuit, in rebus Polonis ac Lithuanis plane eft incuriofus. Quæ de Lithuanorum moribus fcripfit, ea omnia nunc longe aliter.

27) *Hieronymus Pragenfis*, alioquin Hieronymus *Faulfifch* dictus, Huffitarum fectator, in concilio Conftantienfi damnatus, inque rogum impofitus a. 1416. XXX. Maii. Hieronymus vero Pragenfis, cuius hic facit mentionem Siluius, alius eft, quippe qui in concilio Bafilienfi a. 1431 præfens fuit.

prædicaturus Euangelium Christi, ad Vitoldum principem in Lituaniam pene trauit, multosque populos, Vitoldi fauore fretus, ad salutiferam Dei Christi fidem conuertit. Venitque tandem ad synodum Basiliensem, vocatus a Iuliano sancti Angeli Cardinali, cum de rebus Bohemicis ageretur, narrauit hic multa de Lithuanis, quæ pæne incredibilia videbantur. Audiebam ego ex aliis eius dicta, nec mouebat, vt crederem; libuit adire hominem, atque ab eius ore lata cognoscere. Comites mei fuerunt Nicolaus Castellatius, qui tum Cardinalis Iuliani domum regebat. Bartholomæus Lutimanus, Archiepiscopi Mediolanensis scriba, & Petrus Noxetanus, Cardinalis Firmiani secretarius, viri graues & docti, hominem in cella sua trans Rhenum apud Carthusienses conuenimus, cuius hæc narratio fuit: Primi, quos adii, ex Lithuanis serpentes colebant, paterfamilias suum quisque in angulo domus serpentem habuit, cui cibum dedit, ac sacrificium fecit in fœno iacenti: hos Hieronymus iussit omnes interfici, & in foro adductos publice cremari. Inter quos vnus inuentus est maior ceteris, quem sæpe admotus ignis consumere nullo pacto valuit. Post hos gentem reperit, quæ sacrum colebat ignem, eumque perpetuum appellabat. Sacerdotes templi materiam, ne deficeret, ministrabant, hos super vita ægrotantium amici consulebant: illi noctu ad ignem accedebant, mane vero consulentibus responsa dantes, vmbram ægroti apud ignem sacrum se vidisse aiebant. Quæ cum se calefaceret, signa vel mortis, vel vitæ ostentasset, victurum ægrotum facies ostensa igni, contra si dorsum ostentasset, moriturum portendit. Testari igitur & rebus suis consulere suadebant, delusionem hanc esse Hieronymus ostendit, persuaso populo, deleto templo, ignem dissipauit, Christianos mores induxit. Profectus introrsus aliam gentem reperit, quæ solem colebat, & malleum ferreum raræ magnitudinis, singulari cultu venerabatur. Interrogati sacerdotes, quid ea sibi veneratio vellet? responderunt: olim pluribus mensibus non fuisse visum solem, quem rex potentissimus captum reclusisset in carcere munitissimæ turris. Signa zodiaci deinde opem tulisse soli, ingentique malleo perfregisse turrim, solemque liberatum hominibus restituisse. Dignum itaque veneratu instrumentum esse, quo mortales lucem recepissent. Risit eorum simplicitatem Hieronymus, inanemque fabulam esse, monstrauit. Solem vero, & lunam, & stellas creatas esse ostendit, quibus maxime Deus ornauit cœlos, & ad vtilitatem hominum perpetuo iussit igne lucere. Postremo alios populos adiit, qui siluas dæmonibus consecratas venerabantur, & inter alias vnam cultu digniorem putauere. Prædicauit huic genti pluribus diebus, fidei nostræ aperiens sacramenta, deinque, vt siluam succideret imperauit, vbi populus cum securibus affuit, nemo erat, qui sacrum lignum ferro contingere auderet. Prior itaque Hieronymus assumpta bipenni excellentem quandam arborem detruncauit. Tum secuta multitudo alacri certamine, alii ferris, alii dolabris, alii securibus siluam deiiciebant. Ventum erat ad medium nemoris, vbi quercum vetustissimam, & ante omnes arbores religione sacram, & quam potissime sedem esse putabant, percutere aliquandiu nullus præsumsit. Postremo, vt est alter altero audacior, increpans quidam socios, qui lignum, rem insensatam, percutere formidarent, eleuata bipenni magno ictu cum arborem cedere arbitraretur, tibiam suam percussit, atque in terram semianimis cecidit. Attonita circum turba flere, conqueri, Hieronymum accusare, qui sacram Dei domum violari suasisset, neque iam quisquam erat, qui ferrum exercere auderet. Tum Hieronymus illusiones dæmonum esse affirmans, quæ deceptæ ple-

Status religionis in Lithuania Vitoldi tempore.

lebis oculos fascinarent, surgere, quem cecidisse vulneratum diximus, mperauit, & nulla in parte læsum ostendit, & mox ad arborem adacto ferro, adiuuante multitudine, ingens onus cum magno fragore prostrauit, totumque nemus succidit. Erant in ea regione plures siluæ pari religione sacræ, ad quas dum Hieronymus amputandas pergit, mulierum ingens numerus plorans atque eiulans, VITOLDUM adit, sacrum lucum succisum queritur, & domum Dei ademtam, in qua diuinam opem petere consueßent, in-e pluuias, inde soles obtinuisse, nescire iam quo in loco Deum quærant, ui domicilium abstulerint: esse aliquos minores lucos, in queis dii coli oleant, eos quoque delere Hieronymum velle, qui noua quædam sacra inroducens, patrium morem extirpet: rogare igitur atque obtestari, ne maiorum religionum loca & cærimonias auferri sinat. Sequuntur & viri mulieres, nec se ferre posse nouum cultum asserunt. Relinquere potius terram & patrios lares, quam religionem a maioribus acceptam, dicunt. Motus a re Vitoldus, veritusque populorum tumultum, Christo potius, quam sibi, lecesse plebem, voluit. Reuocatisque litteris, quas præsidibus prouinciarum dederat, iubens parere Hieronymo, hominem ex prouincia decedere iussit. Hæc nobis Hieronymus constanti vultu nihil hæsitans, ac per iuramentum affirmauit: dignum fidei & grauitas sermonis, & doctrina ostendit, & viri religio. Nos, quæ accepimus, inmutata retulimus, veri periculum non assumimus, persuasi tamen, & nos, & comites, ab eo recessimus.

Vitoldus Hieronymum ex Lithuania iubet exire.

De Ruthenis, & quomodo principatum apud eos assequuntur.

RVtheni, quos appellare *Rosanos* STRABO videtur, Lithuanis contermini sunt, gens barbara, incompta, apud quam opulentam ecclesiam obtinuit ISIDORUS Cardinalis Sabinensis. In hac gente ciuitatem permaximam esse tradunt Nouogardiam appellatam, ad quam Teutonici mercatores magno labore perueniunt. Magnas ibi esse opes fama est, & multum argenti, pellesque pretiosas, vendentesque atque ementes ponderato argento, non signato vtuntur. Lapis in medio fori quadratus est, quem qui ascendere potuerit, neque deiectus fuerit, principatum vrbis assequitur. Pro ea re in armis dimicant, sæpeque vna die plures conscendisse ferunt, vnde sæpe seditiones in populo emersere.

Strabo.

Isidorus cardinalis

De Liuonia semiferos in vna sui parte continente.

LIuonia deinde Christianarum vltima prouinciarum ad septentrionem Ruthenis iungitur, Tartari eam sæpe incurrunt. In qua, nostra ætate, magnas acceperunt strages fratres Teutonici, qui beatæ Mariæ vocantur, hanc armis quæsiuere, & Christi sacra suscipere coegerunt, cum esset antea gentilis & idola coleret. Eam alluit ab occidenti mare Balthicum, quod plerique veterum oceanum esse putauerunt, nondum septentrio (vt hodie) cognitus Græcis atque Italis fuit. Christiana religio hanc orbis partem nostro generi aperuit, quæ fortissimis gentibus detersa barbaris, mitioris vitæ cultum ostendit. Baltheus sinus adeo late patet, vt incompertæ magnitudinis apud aliquos esse videatur. Origo eius ex Britannico mari ducitur, quod Germanicum appellari potest. Nam & Germaniæ magnam partem alluit. Ostium eius in occidenti est, non longe a Chersoneso Cimbrica, quam Daciam hodie vocant. Excurrens autem in orientem, in septentrionem panditur, insulasque magnas ambit: occidentale litus, Noruegi occupant. Ad se-

Liuonia

ptentrionem semiferos homines esse tradunt, cum quibus nullum linguæ commercium nauigantes habent, signis tantum & nutibus commutari merces ferunt. Meridionale litus Saxonibus ac Prutenis traditur: orientale (vt diximus) Liuones tenent. Inter Liuoniam & Prussiam paruam terram esse ferunt, vnius ferme diei latam itinere, quam Massagetæ colunt 28) gens neque gentilis, neque vere Christiana, Polonorum imperio parens, atque hinc regnum Poloniæ ad mare protenditur, & Baltheum, quem diximus, sinum.

Samogetæ.

De Prutenis, & quomodo fidem Christianam a Teutonicis fratribus sanctae Mariae sumserint.

Redeunti Liuonia in Germaniam, per litus Balthei maris, post Massagetas (Samogitas potius) Pruteni sese obiiciunt, qui ripas vtrasque Vistelæ amnis accolunt: is est Sarmatiæ ac Germaniæ terminus, qui exoriens in montibus, qui Poloniam, Hungariamque dirimunt, partem Poloniæ irrigat. Prussiam vero, quam longa est, percurrit, ab oppido Torunio vsque Gedanum, quo in loco Baltheum influit. Hunc fluuium alii Vistelam, vt diximus, quibus ætatis nostræ sermo congruit, alii Iustulam, quidam Istulam vocauere. Quod vltra fluuium est, Sarmatici iuris fuit: quod citra, Germanici, ad orientem ac meridiem Masouitæ Polonique rura colunt: occidentem Saxones occupant, aquilonem Balthei maris excipit litus. Frumentiferax regio est, aquis irrigua & plena colonis, multa ambitiosa oppida, multi maris sinuosi reflexus amœnam efficiunt. Pecorum ingens vis, multa venatio, piscatio diues. Vlmigeros olim hanc terram incoluisse IORDANVS 29) tradidit, quo tempore Gothi ab insula Scandinauia in continentem descendere. Qui (vt ille ait) Vlmigerorum terras inuasere, Ptolemæus autem Amaxobios & Alanos, Venedos, ac Githones penes Istulam fluuium habitare affirmat. Barbara hæc gens & idolorum cultrix, vsque ad FREDERICVM Imperatorem, eius nominis secundum, fuit. Sub eius vero imperio, cum amisissent Christiani Ptolemaidem, Syriæ ciuitatem, fratres Teutones, quos sanctæ Mariæ diximus appellari, inde fugati in Germaniam rediere, viri nobiles & rei militaris periti, qui, ne per otium marcerent, Fredericum accedentes, Prussiam, Germaniæ conterminam, Christi cultum spernere dixerunt: sæpe illius gentis homines in Saxones, ceterosque vicinos excurrere, ingentem vim pecorum atque hominum abigere, esse in animo sibi compescere barbaram gentem: annuat tantum Imperator, prouinciamque fratribus perpetuo iure possidendam tradat, si eam armis acquirant. Iam enim Masouiæ duces, qui eius se terræ dominos affirmabant, ius suum fratribus concesserant. Grata oblatio FREDERICO fuit, qui collaudato proposito, quas voluere fratres, sub aurea bulla litteras concessit. Illi sumtis armis breui tempore, quicquid Prutenici iuris citra Vistelam fuit, occupauere. Exin tranato fluuio, vetustam & late patulam quercum, in castelli modum erectis propugnaculis, iuxta ripam munierunt, ibi collocato præsidio vlteriores Prutenos vexare cœperunt. Pugnatum est sæpe pro quercu, & ingentes Paganorum copiæ fuga-

Fridericus imperator.

Fratribus Teutonicis litteras concessit.

28) Fortasse ÆNEAS SILVIUS *Samogetæ* vel Samogitæ scribere voluit. Nam inter Prussiam & Livoniam non aliæ gentes, nisi Semigalli & Samogetæ habitant. *Massagetæ* vero populi Scythici in Asia vltra mare Caspium, orientem versus, trans Araxem. Sed & alii scriptores, loco Samogetæ, Massagetæ, dixere, id quod iniuriæ tribuendum esse videtur.

29) *Iordanus*, vel, vt alii aliquoties scribunt, GORDANUS, ille est, qui de rebus Gothicis & de regnorum successione scripsit, natione Gothus, primum Gothorum regis in Italia a secretis, deinde, vt fertur, episcopus Rauennæ, tempore imperatoris IUSTINIANI.

tæ ac deletæ sunt: bellum pluribus annis productum est. Ad extremum fortuna, fratrum imperio arridens, omnem eis Prussiam subiecit. Victæ barbaræ nationes, iugum subiere. Ex illo tempore lingua Teutonica introducta est & cultus Christi gentibus imperatus. Ecclesiæ quoque pontificales erectæ, trans Viselam Pomesaniensis, Culmensis, Sambiensis, & Varmiensis, ad quam, defuncto FRANCISCO episcopo, paruitatem nostram postulauere canonici. CALIXUS Pont. Max. eam nobis, annuente senatu Apostolico, commendauit. Quæ vna est illis in partibus iure suo vtens, nec subiecta fratribus, reliquos episcopos religionis habitum gestare oportet. Quo in loco munitam quercum diximus fuisse, nobile oppidum ædificatum est, quod Mariæburgum vocant, & arx nobilis atque amplissima: hic sedes magni magistri, qui cunctis fratribus præest Prussiam incolentibus. Sunt alii duo in eadem religione magistri, alter Liuoniam regit, alter conuentus Alemanniæ gubernat. Teutones huius religionis inuentores fuere, ac propterea nemo recipitur ad eam, nisi Teutonicis nobilibus ortus parentibus, & cui propositum sit pro tuendo Christi Euangelio, aduersus salutiferæ crucis inimicos armis depugnare: ob eam rem vestimentis albis vtuntur nigra cruce insuta. Barbam omnes nutriunt, exceptis, qui sacris altaribus seruiunt. Pro canonicis horis dominicam orationem vsurpant, neque litteras discunt. Magnæ his opes, nec minor potentia, quam regibus: & sæpe cum Polonis de regni limitibus, acceptis atque illatis cladibus, contendere nec, totis viribus, belli fortunam experiri, recusarunt cum VLADISLAO, CASIMIRI, qui modo regnat, patre. Contraxerant ambæ partes validissimas atque ingentes copias. Polonis Lithuani & Tartari adiuncti erant, quos duxerat VITOLDUS. Teutonici fratres ex tota Germania vires conciuerant: postquam prope, ad viginti ferme stadia, vterque consedit exercitus, spe plenus & impatiens moræ, Prutenorum magister caduceatorem, qui bellum regi denunciaret & duos enses, in quibus staret victoria, misit: facta potestate, vt, quem vellet, hostis eligeret, alterum sibi remitti iussit. Accepit VLADISLAUS alacer nuncium, donatoque caduceatore vno retento gladio, remisit alterum. Mox iussi milites arma induere, bellique signum datum, quadraginta millia equitum in ambobus castris fuisse, proditum inuenio. VLADISLAUS Tartaros ac Lithuanos primum inire certamen iussit. Ex Polonis subsidiarias acies elegit. Contra Prutenus auxilia in postremis habuit: florentem ordinis sui militiam in exercitus fronte collocauit. Commisso prælio inermes quodam modo Tartari ac Lithuani magna strage cæsi sunt. Vrgebat tamen multitudo, nec terga dare Polonus memens audebat, atrox pugna super cadauera occisorum edebatur. Nec tam vulnerare Prutenus alacer, quam vulnera recipere Tartarus videbatur: protractum est diu certamen, peracta ingens occisio, Lithuani, Tartarique, veluti pecudes, mactabantur. At cum nouus semper hostis emergeret, defessi, tanta cæde peracta, Teutones, versare ferrum vix poterant & iam remissius pugnabant. Quod vbi VLADISLAUS animaduertit, tum primum Polonorum aciem validam ac ferro fulgentem immittit: fit subita irruptio, instauraturque prælium: non tulere Teutones recentis agminis impetum, impar pugna recentis ac fatigati militis fuit: oritur mox fuga ex parte fratrum, ferit terga Polonus. Magister ordinis vbi suos cedere videt, nec iam vllam in auxiliis spem esse animaduertit, cum lecta militum manu hosti sese obiectans occiditur: fit fœdior fuga, nec prius Teutonicus fugere, quam Polonus persequi destitit.

Æneas Siluius eligitur episcopus Varmiensis.

Mariæburgum

Prælium acre ad Tannenberg & Grünwald a. 1410.

ftitit. Perierunt in eo bello ex parte fratrum multa hominum millia, inter quos viri primarii, quos vocant *Commendatores*, equeftre dignitate infignes, cum ipfo Magiftro, circiter DC. Nec Polonis incruenta victoria ceffit, Tartaris ac Lithuanis magna ex parte cæfis. Bellum hoc, anno trecentefimo decimo fupra millefimum fuit poft Chrifti faluatoris ortum. Pruffia, fortunam regis fecuta, omnis, excepto B argomariæ, ad victorem defecit. Sed interueniente SIGISMUNDO Cæfare, pax inter fratres & Polonum conftituta eft: percuffum fœdus, pecunia Polono data. Pruffia reddita fratribus, nec deinde, vfque ad FREDERICI tempora, qui modo imperat, in poffeffione agri fui turbata religio eft. Sub eius vero imperio cum populares graue fibi iugum fratrum exiftimarent, fœdus inter fe iniere, in hunc ferme modum: vt quindecim viri fingulis certis in locis conuenirent, qui prouincialium querelas aduerfus fratres audirent, nec finerent quempiam indigne vexari. Ex his quatuor ex religione viros affumi voluere, quatuor ex prælatis ecclefiarum, parique numero ex nobilibus ac ciuitatibus, hisque parere omnes voluere. Per idem tempus diuifa inter fe religio fuit: alii magnum magiftrum fequebantur, alii quosdam commendatores, qui Magiftri regimen improbabant. Magifter, vt populares fibi alliceret, fœdus ipfum inconfulto fratrum confenfu approbauit. FREDERICUS quoque Imperator eidem fœderi robur adiecit, cautione tamen inferta, ne per fuas litteras ius religionis læderetur. Mortuo, deinde magiftro, qui fœdus acceperat, & altero in eius locum fuffecto, NICOLAUS Pont. Max. legatum mifit, qui prouinciam Pruffiæ infpiceret. Cognitoque rerum ftatu, quantum legatus retulit, popularium fœdus damnauit: vtque ab eo difcederent, anathema interminatus, acriter imperauit: quibus pertinacius in eorum fententia perfeuerantibus, ex confenfu partium, lis ad FREDERICUM Imperatorem deducta eft. A quo rurfus caufa cognita, damnato eorum fœdere, iuffi Pruteni funt ad obedientiam fratrum redire: qui eam prouinciam e manibus infidelium fuis armis vindicaffent, multoque fanguine coemiffent. Qua re ciuitatibus nunciata, mox arma in fratres populariter recepta funt. Ex quibus plures capti atque occifi, caftella eorum euerfa, arces a fundamentis eiectæ, quinquaginta & quinque oppida in eam rebellionem confpirauere. Sed cum non fatis rem fuam contra religionem fine externa ope tutam putarent, CASIMIRUM Poloniæ regem fibi dominum afciuere, deuotum fratribus fanguinem, qui fortunam patriæ eius experti fuiffent. Ille cum exercitu prouinciam ingreffus dedentes fefe ciuitates in poteftatem accepit, cum quo fratres diu, varia victoria, dimicarunt. Plures fuere congreffus, inter quos memorabilior, qui apud Conitium oppidum habitus eft. Duo de viginti millia Polonorum obfidionem in eo loco tenebant, in queis & rex ipfe CASIMIRUS fuit. Oppugnabat oppidum dies noctesque machinis admotis. RUDOLPHUS princeps Sagoriæ, ex Slefiæ ducibus, tum religionis ductabat exercitum, qui laturus obfeffis opem, cum feptem millibus militum aggredi regem non dubitauit. Commiffum eft prælium in confpectu oppidanorum fumma vtrinque contentione atque ardore, cæfis hinc atque inde compluribus. Cum fuos referre pedem Rudolphus animaduertit, increpans ignauiam fugientium, interminatusque necem, aciem fiftit. Et progreffus in medium cum recenti pugnatorum manu, acre certamen inftaurat: hos fternit, illos confodit: fit fubita rerum mutatio. Vrgente Rudolpho, cedit Polonus. Rurfumque Cafimirus fuos retinet, pugnæque feipfum mifcet, & tanquam ex integro pertinaci contentione certa-

tur.

Fœdus Prutenorum contra fratres Teutonicos

Pruteni Cafimirum Pol. regem, in dominum afciscunt.

Prælium ad Conitium.

tur. Occiditur in pugna Rudolphus, Rex vero equo deiicitur, meliores ex vtraque parte occumbunt. Postremo cæsum credentes Poloni suum regem, desperata victoria, fugam arripiunt. Rex ab amicis adiutus, vix ex clade ereptus est. Rudolphus morte sua victoriam religioni peperit. Ex Polonis supra sex millia cecidisse feruntur, ex Teutonibus quoque non pauci periere. Post eam cladem, res Polonica nutare apud Prutenos cœpit, eo inclinantibus populis, quo belli fortuna quæritur. Stat tamen adhuc anceps exitus, & alterius Martis iudicium moratur. Ferunt, inter hos fratres olim, mortuo Magistro, cum de successione ageretur, vnum fuisse, qui rogatus eligere quem putaret religioni vtiliorem, se ipsum elegisse, dicentem: nolle deierare. Scire se cogitationes suas, aliorum corda ignorare. Si magistratus sibi committatur, non dubitare, quin reipublicæ bene consultum eat. Motos eius verbis reliquos administrationem illi credidisse, quæ saluberrima deinde fuerit.

Rudolphus magister cadit.

III

ERASMI STELLÆ 30) LIBANOTHANI LIBRI II. DE ANTIQVITATIBUS BORUSSIÆ.

AD ILLUSTRISSIMUM PRINCIPEM FEDERICUM SACROSANCTÆ MILITIÆ ORDINIS DIVÆ VIRGINIS TEUTONICORUM PROTOMAGISTRUM, SAXONIÆ DUCEM, THURINGIÆ LANDGRAVIUM, AC MARCHIONEM MISNIÆ, ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI IN ANTIQUITATES BORUSSIÆ PRÆFATIO.

Etsi vereor, FEDERICE princeps, res Borussicas altius & a prima origine repetiturus, antiquitatem in his, quae vsque eo latuit, velut ex cauea in scenam theatrumque producturus, multorum risus, ronchos & cachinnos, denuumque explosionem magis quam applausum legentis turbae me incursurum, tum quod id secum ferat antiquitas, ceu Aristoteles in problematis perhibet, vt res anilibus fabulis simillimas narrare videatur, tum quod res Borussiae diuturna barbarie, sine vllis litterarum monumentis, quasi perpetuis tenebris mancipatae, & in ipsa lethe demersae pene obriguisse existimentur, adeoque concretae, vt etiam phæbeo calore agitatae vix incalescere possint, quo iterum lucem, solemque admittant. Verum dum hi blaterones Tuam celsitudinem *istius ludi agonothetam in orchestra conspexerint, sub cuius vmbraculis me in hanc scenam prodiisse pernoscant, forte ne lingulacae, infrenique ore a te sapientissimo principe iudicentur, maledictis temperabunt, simul nasum continebunt. Quod si nec reueriti tuam maiestatem, effrenataque lingua verbis non aequis defluant, malignitatis quoque aculeos haud recondere velint, imo blaterare malint, nihil est, quo perhorrescere oppido possim, vt cœptam scenam interturbem. Ronchiscent hi nasuti, obstrepant, clament, arguant, criminentur, exsibilent denique, dum modo tibi plausibilis, lepida ac iucunda nostra actitatio visa fuerit.* Antigenidas *olim musicae artis peritissimus, cum discipulo in arte probe instituto, populo tamen non admodum grato, in scenam progressus, cunctis audientibus dixisse fertur:* Mihi cane & Musis, *quia videlicet ars bene cœpta, quanquam populi lenocinio destituatur, infra tamen comprobatione non exuitur. Sed vt tandem his respondeam, qui longe petitas historias calumniantur, ceu minus fidei illis insit, caecutientibus id forsan euenit & nocturnis oculis, sed penes clare cernentes plus dignitatis antiquitati inesse, nemo saniae mentis ambigit. Nec quoque res Borussicas, ceu sempiternis tenebris*

Antigenidas.

obno-

30) *Erasmus Stella*, Med. D. Lipsiæ natus, vbi pater eius sellas conficiebat. Anno 1513. Zwicaviæ vrbis in Saxonia, quæ *Cygnea*, a nonnullis Latine dicitur, consul electus fuit, a quo se vero magistratu abdicauit, vt eo melius medicinæ vacaret. Præter has antiquitates scripsit etiam librum *de Gemmis*.

obnoxias & minime ad solem lucemque ex caliginoso vetustatis recessu redituras, possint argumentari, meminerint saltem, quae de Hercule feruntur, qui cerberum tricipitem ab inferis, solemque hunc nostrum ac calorem ferre coegisse dicitur, Threicium & vatem raptam sibi Eurydicem ex Tartareis sedibus diuina sua suauiloquentia eduxisse.

Orpheus.

Ob id nec inficias eant locutulei, res Borussicas, quantumcunque vmbra vetustatis contectas ac rubigine obductas, imo in abditissimos recessus actas, curiosa indagatione non posse non restitui, ex noctisque caliganti nebula eximi, ac claritate diei illustrari, ornarique: quum haec ipsa indagatio, puta industria, vnica ab omnibus esse inscritur, cui nihil inaccessum, nihil occlusum relictum sit.

Industriæ vis.

Haec res quomodolibet obstrusas, & in penetrabilibus reconditas, elicit, exprimit ac promit. Hnc cælum petit, & & subterranea regna subintrat, maria scrutatur, oculis subiicit, quidquid vsquam latet, sepultumque est. Illa ipsa Homerum caecum plus Argo, mille oculos habente, videre dedit. Haec Zeuxim Helenam, nunquam a se visam, tanta venustate depingere docuit, vt eius forma digna iudicaretur, propter quam tantum laboris subiisset Graecia, & alta Pergama ruerent. Haec Phidiam statuarium dignissimum, simulacrum Iouis exprimentem, eo vsque euexit, vt diuinitatis effigiem e cælo mutuatus diceretur. Haec eadem fores antiquitatum Borussiae, vectibus e cardine semotis, vt paterent, effecit, extraque latebras, quicquid de his obuallatum fuerat, produxit. Hac adminiculatrice ex imo lethaei fluminis cœno hae ipsae conquisitae, erutaeque sunt, & vtcunque a sordibus detersae, sese ceu postliminio reuersae, tuis luminibus, conspectuique, Illustrissime princeps, primum ostentantes, te vt felicem moderatorem suum salutant, vt patrem patriae venerantur: & quicquid vsquam in secundiorem sortem, faciemque splendidiorem commutatum, ceu ferme singula aspexerint, id totum tibi, sacraeque sanctae militiae, cuius tu magister, imo Dictator perpetuus extas, tribuunt. Quod si sunt, qui Te circumstant, & has ineffigiatas, rudesque Borussiae imagines toruis luminibus respexerint, abigendasque duxerint, quod sine cultu ornatiori, & paene inuestes in hunc augustissimum consessum productae sunt, his responsum sit: Feminam probam pigmenta, fucumque non decere, nec orationem fidem habituram vnguenta vsque adeo redolere. Logographis id tribuimus, vt quodcunque suauius quam verius narrent. Nos in his commentariolis sine fraude, omni apparatu orationis seposito, Borussiae antiquitates exposuimus: vt si qui futuri sint, cultiori sermone res Borussicas describere volentes, hinc sumere possint, quod ornatum iri tantopere velint. Nuda namque haec oratio facile, quem quis imponet, cultum perferet. Vt autem fidem sine scoria habituri sint, hi nostri commentarioli, vetustate & carie oppleti, ipsos ex praeclarissimis rerum scriptoribus elucubratos esse fidem facio, Plinio scilicet, Solino, Pomponio Mela, Cornelio Tacito, Strabone, Ptolemaeo: ex neotericis Iordano, qui primus res Gothorum litteris mandauit, nostro Alberto Magno, qui has inuisit & peragrauit, Othone Freisingensi episcopo, qui quinque Imperatorum Rom. res gestas luculenter scripsit, Helmodo Lubecensi presbytero, qui res Sclauorum haud ineleganter prosequutus est, Borussicasque simul attigit, Blondo Foroliuiensi, Ænea Siluio, & praeter hos, quicquid annales Borussiae vsquam vetustatis habuere, pleraque etiam per acceptionem. Nam apud Valerium Maximum locus est, quo res suo saeculo cognitas, & absque litterarum monumentis conseruatas, manare ad posteros indicantur, sola scilicet traditione patrum. Id genus disciplinae Hebraeis etiam vsitatissimum est. Huiuscemodi innixis fulcimentis, commentariolos nostros non temere edi posse arbitratus. Ne autem manus nostras excedentes absque patrocinio vagabundi errent, ipsos nomini tuo illustrissimo dedicandos duxi, tum quod neminem magis rerum Borussiae cognitio deceat, quam Borussiae principem, tum quod pari tutela hac nostra aetate ac prisca Borussia fruatur. Quum igitur, princeps illustrissime simul & inuictissime, a curis publicis feriatus fueris, frequentis quoque Veterum quibus inhias, lectitatione satiatus magis quam lassatus, etiam domestica peculiariaque

que

que inuisas legasque: subinde agnosces in his Borussiae praeter veteres eius limites, va- rios ipsius cultores: crebro enim illinc migratum est, aliquorum maiore numero co- gente, moresque vetustiores: quos si ad praesentes accommodabis, non obscure lucebit, quanta sunt quae sacrosancta militia Teutonicorum in Borussia egerit. Optimo enim iure gloriari poteris, eam quam patres regionem barbaram, incultam, asperam, idolatram, fœdam ac rerum omnium inopem acceperant, illam ipsam splendidam, cultam, ciuilem, opulentam, humanam, & quod maximum est, Christianam reddi- derunt & reliquerunt. O felix nimium Borussia, si sua norit bona illo principatu. Facile demum, illustrissime princeps, deprehendes, quam iusto Dei iudicio Borussia ad Germanorum redierit incolatum: quum Germaniae & pars sit, & Germanis a re- rum exordio debita, inhabitata, luculentissimorum scriptorum testimonio. Cur, me iudice, indigne iterum a quibuscunque aliis gentibus inhabitatur, administraturue? Ego autem hanc scribendi prouinciam, non tam mea sponte, quam iussu venerandi an- tistitis Iobi Pomesaniensis, a nullo antea tentatam, accepi, vt meo Marte aduer- sus quoscunque aliter de Borussiae finibus & populo sentientibus, ceu pro aris & focis dimicaturus sim, vltima potius perpeti certus, quam ignauiter cessurus. Te igi- tur, principem inuictissimum & ad arma progenitum, pro tua virtute rogo, ne desi- stas auxilia ferre tam pio ac iusto bello, vt iunctis viribus omnem colluuiem barba- rorum ex his tuis finibus eliminemus. Nullum enim apud me dubium vertitur, si tuo Marte agendum erit, facile hanc oram ex manibus iniuste occupantium vindicabimus. Quod breui futurum, modo fata sinant, tuae auitaeque virtutes ac genitoris tui prae- clara facinora admonent. Nunc ad institutum pergamus.

ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI DE BORUSSIÆ ANTIQVITATIBUS LIBER PRIMUS

BORUSSIA vltima Germaniæ ora, a Vistula amne, quem ad occidentem terminum habet, incipiens, sinusque Baltici maris, qui septentrionale li- tus eius ambiunt, percurrens, orientalem solem ab Alanis 31) excipiens, montibus Hamaxobiis 32) australe latus eius obtegentibus, a quibus conti- nuis silnarum iugis disterminatur. Fuit hæc terra diuersis habitata cultori- bus. Nam vt GORDIANUS Gothus scribit, nuper Hulmigerii Germani eam tenuere, a quibus aliquandiu Hulmigeria dicta: hodieque ea pars, quæ Vistu- læ accolit Culmigeria pro Hulmigeria vocitatur. Sed hi per Gothos quam primum ex Scandinauia in continentem descendissent, inde pulsi, eam, vt is ait, occupauere. Ptolemæus autem vetustiores incolas recensens, Gothones, Venedos, Stagnanos & Sargatios, Sudinosque his locis insedisse scribit, qui- bus Gelidanos, simulque Gillones, Vacinos, & Charinos, quos ipse Cha- ionas nominat, addit, finesque ad Hamaxobios vsque protendisse indicat. Ad Vistulam vero pauciores sedisse conmonstrat: nam Finnos cum Venedis, & Sulones duntaxat hanc oram habitasse, ait. Hos autem populos nullo alio quodam communi nomine dignatur: forte quia non vnus populus, nec in vnum

Hulmigerii.

30) *Alani* a Scythiæ fluuio *Alano*, ita dicun- tur, secundum *Plinium*. Iuxta hos erant Troxolani, seu Roxolani. *Ammianus* scribit, Alanos dici, quos prisci Masfagetas dixerunt. *Iulius Capitolinus* Alanos in parte Daciæ collocat. Ptolomæus in ea Scythiæ parte, quæ est intra *Imaum* montem, qui pars Caucasi & Tauri.

Nec de Sarmatico transit Alanus equo
Martialis.

32.) *Hamaxobii* montes, a populis Sarmatiæ in Europa *Hamaxobiis*, seu *Hamaxobitis*, dicti, quia pro sedibus plaustra habebant. Græcis enim *hamaxa*, plaustrum dicitur. Non a veritate aber- rare videntur ii, qui eos esse credunt, quos hodie, alibi sitos, Poloni *Moscouitas*, corrupto voca- bulo, nominant.

vnum concessit nomen. Verum Cornelius Tacitus diligentius hæc loca conquirens, ipsa Germaniæ prorsus adscribit: quanquam promiscue Sarmatis, Germanisque populis habitata asseueret. Venedos enim Germanis connumerandos censet, quod & domos fingunt & scuta gestant, peditum vsu ac pernicitate gaudent. Quæ omnia diuersa Sarmatis exstitere, in plaustris solummodo ac equis viuentibus: quanquam & ipsi ex Sarmatarum moribus traxerant, quod vicinos latrocinio infestarent. Quicquid enim inter Peucinos, quos quidam Basternas dixere, siluarum ac montium erigitur, latrocinio pererrauere. Erant autem Peucini & Basternæ, vt Plinius testatur, contermini Dacis, sermone, cultu, sede ac domicilio Germanos referentes, multa tamen fœditate Sarmatarum contacti: nam & connubiis promiscuis vtebantur, & proceres eorum pari sorde ac plebs torpebat. 33) In dubium Tacitus vertit, Sarmatisne an Germanis adscribantur: verum hæc loca hodie Poloniæ adscribuntur. Plinius tamen ipsos Germanis connumerat: cui & Varini & Gothones Germani sunt, ex Vindelicorum genere. 34) Vltimo autem regionem Borussii intrauerunt, populi, qui Ptolomæo teste, ad Riphæos montes, vbi in septentrionem fusius excurrunt, nec longe qua Tanais ex eis erumpit, sedes habuere, qui infelicitate sua conciti (perpetuis namque niuibus, algoribusque illic terra riget, ad omnequenaturæ ministerium damnata est) ad nouas sedes capessendas patriam egressi in hæc loca delapsi sunt: quæ tum soli fertilitate, tum pascuorum, lacuumque amœnitate, ipsis quum primum placuere, nec vltra progressi sunt, hic sedes vnanimi consensu sibi desumentes, vtque sibi ac posteris perpetuo essent duraturæ, terram vocabulo gentilitio Borussiam appellauere, quæ vsque hodie vnius litteræ suppressione Brussia vulgo dicitur. Hæc est vera huius gentis origo. Et ceterum, quicquid dicitur, perinde ac anilem fabulam habendum esse censeo. 35) Facit istius rei fidem permaximam, quod vsque hodie populi ad Riphæos habitantes, eodem parique sermone, quo hi, vtuntur. Borussii vero sedibus formatis, terram cultoribus vacuam (Gothi enim populariter eam excessere) nullo repugnante facile occupauerunt, circa eam portionem quæ ad Vistulam est. Hæc adhuc a paucissimis Germanis tenebatur. Propagantes igitur sese a Chrono flumine vsque in contingentiam Hulmigerorum: quæ nuncupatio, post pulsos per Gothos veteres colonos, e medio oræ huic regioni accommodari cœperat, nomine suo breui ceterorum hic habitantium nomina obfuscauere: quod forte euenit, quia Borussii conterminis gentibus, puta Germanis, notiores exstitere, vel quod multitudine suorum, amplaque ac spatiosa oræ occupatione, ipsos etiam indigenas superarunt. Terrarum namque limites pro nutu potentiorum sæpenumero nomina sortiuntur, duratque hodie ea nuncupatio, quod, qui ex Germanis, vel Vistulam, vel illic maris tractum accolunt, Borussii vocentur, qui tamen cum illis ipsis præter cælum commune habeant nihil, iustiusque Borussienses nuncupandi forent. Terram hanc Borussii vndiquaque fœcundam longe lateque incolentes, ipsam tamen minime

Borussia.

33) De Basternis, seu Bastarnis, iam Strabo dixit, vt sint Europæ in Sarmatia populi, fere ex Germanis originem ducentes, plures in vicos nationesque diuisi. Qui vero *Peucen*, Istri insulam, habitant, dicti *Peucini*.

34) *Vindelicia* regio Germaniæ, Rhetiam habens ab occasu, Noricum ab ortu, ab illa Lyco, ab hoc Æno fluuio, diremta, a septentrione Danubio terminata, a meridie Alpibus supra Italiam extensis. Huius regionis incolæ dicebantur *Vindelici*.

Videre Rhæti bella sub Alpibus
Drusum gerentem & Vindelici.

Horatius.

35) Imperiosus nimium & audax mihi Erasmus Stella videtur, qui omnia, quæ ipse ignorauit, pro fabulis haberi velit. Melius nostris temporibus Borussiæ antiquitates illustratæ sunt, vt in sequentibus videbimus. Sed ista omnia, nam multa sunt, hic adiicere, non conuenit.

minime excoluere, vel ob ignorationem rei rusticæ, vel ne, bonitate soli deprehensa, & ipsi finitimorum metui obnoxii fierent, indeque eliminarentur, vel quod victum e terræ nascentibus nondum nouere: carnibus namque ferinis, & quidem crudis pro cibo, lacteque pro potu, vescebantur: quandoque etiam sanguine equino mixto, & eo vsque ad ebrietatem. Domus non fingebant, sed specubus & arborum subere (vnde etiam SUBARIA dicta comperitur) ab imbribus & algoribus sese ac infantes protexere. Nulla eis sacra aliquandiu fuere: tandem in eam deducti insaniam, vt serpentes, ferasque & arbores religiose colerent, ceu de his in subsequentibus dicemus. Non leges, non magistratus nouere: tantum cuique licuit, quantum audebat: nihil a feris vita illorum distabat. Erga tamen naufragos, & maris tempestate iactatos, humaniores & illis ipsis vndiquaque auxilio fuere: in reliquis mira fœditas ac fœda paupertas: nam eis nec arma, nec ferrum fuerant. Si quando ad prælia inter se concurrerent, sudibus præustis & perticis vtebantur. Non autem multi effluxere anni, quum Germani Hulmigeriam incolentes, resumtis viribus (nam per Gothos multum attriti fuerant) accitisque trans Vistulam sociis, qui amne fratribus transmisso eis consedentes, & iunctis viribus contra Borussios bella parabant, penitiora quoque regionis ingressi, quotquot Borussiorum offenderant, aut in seruitutem acceperant, aut retrocedere coegerant, breuique sese, suosque a metu barbarorum asseruere. Borussii vero, quo a Germanis finitimis tutiores forent, cum Sudinis, qui vltra Chroni fluenta sedes habebant, eiusque regionis aborigines creduntur, societatem iniere, qui tum virtute, & potentia plurimum pollebant. Est autem Chronus fluuius, qui hodie *Pregulus* dicitur, quem in finibus Borussiæ ortum, brumalem versus, multi lacus eodem ferme loco mutuo influentes efficiunt: qui Borussios a Samiis primum, vt Strabonis nomine vtar, deinde a Sudinis disterminat, populis, etiam Romanis armis tentatis magis quam victis: a *Druso* enim Germani, teste Plinio, classibus oppugnati sunt: qui primus Romanorum ductum septentrionalem oceanum ingressus est, & post eum a DOMITIANO Cæsare, in expeditione, quam contra Sarmatas, quod legionem cum legato necarent, instituit, ob succinum, quod abundantius barbari illic inter maris eiectitia, soli omnium gentium excepere, bello petiti sunt, sed se magna eius rei, propter quam peti se senserant, copia, succini scilicet, redimentes, illacessiti remansere. Sed hic de succino obiter dicamus: abundat enim eo hæc ora, quæ quasi peninsula est, ob sinuosos flexus maris, terramque spatiose in freta excurrentem, in quam vi tempestatum id ipsum aduehitur: id olim a Germanis *Glesum* dictum est, vt eruditi scriptum reliquere. Inde *Glessaria* regio ipsa a Romana militia nuncupata, & ab aliis Subaria a subere, quum patrio nomine Sudinia vocetur: ab eruditis vero Austrasia. Succinum etiam *Sualternicum* Scythico vocabulo barbari appellant. Vbi autem loci succinum gignatur, scriptores non conueniunt. Præter enim ea, quæ fabulose de ipso in Phaethontis fabula prodita sunt, *Pytheas*, Gothonibus, Germaniæ gentis accolis, æstuarium *Mentonomon* nomine esse ait, ab oceano stadiorum sex millium, ab hoc diei nauigatione insulam abesse *Abalum*, ex illa vernis fluctibus succinum aduehi, & esse concreti maris purgamentum: incolasque pro lignis eo vti dicit, proximisque Teuthonis vendere: huic & Timæus assentit: sed insulam *Basiliam* vocauit. *Nicias* autem solis radiorum succum esse voluit, hosque circa occasum, vt ipse credit, vehementiores in terram actos, sudorem pinguem in ea parte oceani relinquere: deinde æstuante mari in Germaniæ litora eiici. *Mithridates* in Germaniæ litoribus insulam esse asserit, vocari-

Subaria.

Anarchia

Chronus fluuius, hodie Pregulus

Glessaria: Subaria. Sudinia.

Succini generatio.

cariqùe eam Cedron, cedri genere silvosam, inde & in petras defluere. CORNELIUS TACITUS Aestyorum gentem, qui dextro Suionici maris alluuntur, ipsum legere inter vada, ac cetera maris eiectitia ipso litore, asserit: 36) quod & hodie fieri cernimus. Quidam nostri temporis experti, ipsum e limo quorundam montium, sole excalescente, fluitare existimant, in herbidoque solo atque algido, quod his montibus subest, indurari: oceano illic efferuescente inde rapi, in proximaque litora expelli. Indicium istius esse, quod ipsum aliquando ex solido eruitur, quod & ipsi vidimus: quanquam cerea mollitie, & pæne lentum fit, ob id ipsum mari denuo immergunt, cuius rigore lapidescit. Hanc vero opinionem neque omnino adstruere, neque refellere, in animo est. Quod autem hos montes nominatim non edunt, mihi suspicionem incertitudinis facit. PLINIUS vero, naturæ fidissimus interpres, GERMANICI Cæsaris, classibus bellum, vt dictum est, in septentrionali oceano, gerentis experientia innixus, tradit succinum gigni in insulis septentrionalis oceani, ipsumque nasci, defluente medulla ex pinei generis arboribus (ceu enim resina in cerasis, ita & in pinis humoris abundantia erumpit) densarique rigore maris, eo intumescente ex insulis rapi, certoque litore expelli: ita inuolutum herbis, vt ex his pendere videatur, salo expui: succum vero arboris esse, ipsumque primum liquidum distillare, argumento sunt quædam intus lucentia, vt formicæ, aut apes, etiam lacertæ, ceteraque id genus, quæ adhæsisse musteo non est dubium, indurescente vero humore inclusas remanere. Pineæ autem arboris indicium est pineus in attritu odor, & quod accensum tædæ modo fragrat. Rude est, informeque ac glebæ simillimum, dum ex aquis excipitur, corticibus ac aliis rebus sibi inhærentibus: ob id diu incognitum barbaris, inter maris quisquilias iacebat. Germani id ipsum primum nouisse traduntur, in Pannoniamque ad Carnutum oppidum aduexisse, inde Veneti ipsum accipientes, primum rem feminæ fecere, mox proximi Pannoniæ circa Adriaticum mare, Transpadanique, quorum agrestes feminæ monilium vice, & decoris gratia succinum gestauere. Hinc natam fabulam de Pado, omnibus notam, credimus. Eius esse genera quam plurima constat: candida, sed odoris præstantissimi sunt, quibus diu minus pretium erat: hac uero tempestate & fulua & cerea, mercede præstant: ex fuluis etiam translucentibus amplior erat auctoritas, præterquam, si nimio ardore flagrent: imaginem enim igneam, non ignem inesse placet. Summa laus Phalernis tum fuit, a vini colore dictis, molli fulgore conspicuis: id ab aliquibus Chryselectrum dici comperimus, quasi coloris aurei: rapacissimum id est igneum, & si iuxta fuerit, celerrime ardescens. Sunt in quibus decocti mellis lenitas placet. DOMITIUS NERO Romanus Imperator, capillos coniugis suæ POPPEÆ in hoc nomen adoptauerat, ipsos quodam carmine succinos appellando. Ex eo tertius hic color a matronis expeti cœpit in capillis. Dum quoque is gladiatorum munus Populo Rom. exhibiturus esset, Iuliano quodam equite Rom. id curante, ad ipsum comparandum misso, qui, hæc litora peragrauit, vidit, ac commercia tentauit, tantam copiam Romam inuexit, vt

retia

Cornelius Tacitus.

Domitius Nero.

Poppea.

36) Videatur *Cor. Tacitus* in libello de moribus Germanorum circa finem, edit. Plantinianæ p. 451. vbi hæc verba leguntur: *dextro Suevici maris litore Aestyorum gentes alluuntur, quibus ritus habitusque Sueuorum, lingua Britannicæ propior. Soli omnium succinum, quod ipsi glesum vocant, inter vada atque in ipso litore legunt. Nec quæ natura quæque ratio gignat, vt barbaris, quæsitum compertumue. Diu quin etiam inter cetera eiectamenta maris iacebat, donec luxuria nostra dedit nomen, ipsis in nullo vsu, rude legitur, informe perfertur, pretiumque mirantes accipiunt. Succum tamen arborum esse intelligas, quia terrena quædam, atque etiam volucria animalia plerumque interlucent, quæ implicata humore, mox durescente materia, cluduntur.*

retia in venatione publice edita eo nodarentur, armaque & librilla totusque simul diei vnius apparatus e succino esset: visa tunc fuit gleba tredecim librarum. *Solinus* tamen refert, id succinum, a rege Germaniæ, Neroni dono datum: cui sententiæ magis accedo. Tanta fuit eius, vt eruditi scriptum reliquere, in deliciis taxatio, vt hominis quamuis parua effigies, viuorum hominum, vigentiumque pretia superaret. Quumque in aliis ad luxuriam quæsitis ostentatio & vsus placeret, ceu in Corinthiis, æs, auro argentoque mixtum, in cælatis ars & ingenium: vniones quod capite, gemmæ quod digitis, circumferuntur. In succino, vt Plinius inquit, tantum deliciarum conscientia, luxuriaque expetita est. Est vsus eius multiplex in medicina: nam ab infantibus pro amuleto gestatur: contra lymphationes & noctis metus, cuicunque ætati prodest: vrinæ difficultatibus potum, alligatumque, quod chryselectrum vocant, collo alligatum mederi febribus *Callistratus* prodidit. Tritum cum melle ac rosaceo aurium vitiis prodest, & si cum Attice 37) teratur, oculorum caliginem remouet. Stomachi etiam vitiis, vel per se, farina eius sumta, vel cum mastiche ex aqua pota, medetur, quod de candidis maxime crediderim. Tonsillis quoque resistere creditur, & faucium vitiis: ob id mulieres Padanæ ipsum circa colla longo sæculo gestauere, vario genere aquarum, secundum illos, infestante guttura ac carnes vicinas: quod hodie Turcarum equestres copiæ in equis suis obseruant. Neotericorum pariter experientia adciendos partus candida operari depromit: notissimum id Germaniæ mulieribus. Calculos quoque vesicæ & renum, eo poto, elidi, euocarique, quam plurimi testantur. Venena, pestilentemque aerem eius odore fugari, compertum est, distillationes quoque sisti: vulneratis, si in potu sumserint, prodest: malagmatis ob id etiam assumuntur. Verum & hoc notum fieri oportet. Succinum quocunque libeat colore tingi, hœdorum seuo & anchusæ radice: quippe etiam ipsum conchylio infici tradunt. Quæ vero translucida sunt, ad gemmas adulterandas magnam habent vicinitatem, & maxime ad amethystos. Politur succinum adipe suis lactantis incoctum. Ramenta eius oleo addita dilucidius ac diutius flagrant, quam lini medulla. Notissimum cuique est, quod attritu digitorum caloris vi accepta attrahunt ad se paleas & folia arida, vt magnes ferrum. Visum esse, quidam retulere, quod æris, etiam ferri laminas attraxerit. Ego glebam vidi, cui ferrum quasi adnatum inhæserat, quod vi sua forte attraxerat. Multi tentauerunt succinum flexile ac ductile reddere, sed nequicquam cessit, mirum, quum nimia humida & succulenta prodeant, vti indicauimus. Hæc tumultuarie de succino, Sudinorum opibus, dicta sint, propter quas sæpenumero ab exteris gentibus bello petiti. Sensere namque præter Romana arma & Saxonum, Angliam occupantium, oppugnationem, a quibus se terra & mari impigre defensarunt. Habuere enimuero hi populi, vt de moribus eorum aliquid transeunter dicam, regulos suos, quorum legibus obtemperabant: agrosque coluere & commercia nouere. Vestium cultus apud eos fuit, vt mares lanea, feminæ linea tunica vterentur, circulosque ex ære vel orichalco collo circumdarent. Auribus etiam crotalia suspenderunt, rem friuolam, quod tamen neque hodie desitum. Domos in villarum modum extructas inhabitauere, uicosque, ac sine muro & vallo omnia, quod forte ab externis, ipsos commercii gratia adeuntibus, didicere: alioquin alienum a Sarmatis. Sed vt ad Borussios repedemus, societatem cum Sudinis eos iniisse diximus, ob Germanorum finitimorum metum. Nec a Sudinis aspernati sunt: verum eorum

Succini pharmaca.

Sudinorum mores.

37) Attice est *Celso* Ochra, Germanice *Berggelb.*

eorum potentia adiuti, & contra quosuis conterminos populos tutiores facti, aliquandiu in sua fœditate degerunt: de qua posthac. Nunc de ceteris Borussiæ rebus editis prosequamur. Generat & terra hæc feras multiiugas, eas etiam nec alibi cognitas. Præterenim vrsos, apros, ceruos, quibus abundat, vros excellenti vi & velocitate profert, qui vastitate corporis parum infra elephantum sunt, eaque ferocitate, vt neque homini, neque feræ, si quam conspicati fuerint, parcant. Cornutumque id animal est: eius cornuum magnitudo tanta visa est, vt vrnas binas vnius capitis cornua, vt Plinius testatur, impleuerint. Barbari ex his potant, argenteo circulo parte, qua labris admouetur, circumducto. Sunt enim caua & in mucronem demum concreta. Alii pila his præfixa cuspidant. Romani in laminas ea secabant: vt lumen, quod his includebant, latius funderent, ipsisque pro lychnuchis ac laternis vsi sunt. Qui sese venatione eorum exercent, si plurimos interfecere, relatis in publicum cornibus, quæ testimonio sunt, magnam laudem adipiscuntur. Soliti erant antiquitus caueis, ad hoc ex opera factis, eos capere, captosque iugulare, forte quod ea tempestate ferro caruere: sed eo mortis genere, feram tam insignem, posterioris ætatis iuuenes præcipuæ virtutis & audaciæ, interire indignum censentes, ob id canibus ipsos insequi placuit, venabulisque cominus ac eminus petere, arboribus sese robustioribus semper condentes, ne & ipsi a fera rursus impeterentur, quæ cornibus arbori insertis, vindictæ auida, inhæret, donec insequentium telis saucia concidat: tali morte feram dignantur atrocissimam. Fera hæc sub mento villos longiusculos habet in arunci speciem, ceteris tauro persimilis existit. *C. Caligula* Romanus Imperator, primus Romæ vros in arena ostendit, quos tum imperitum vulgus bubalos falso credidit. Gignit hæc terra & bizontes iubatos, qui e boum siluestrium genere sunt, sed nostra ætate admodum infrequentes. Aiunt hos solidipedes, maribusque ac feminis iuxta iubas cornua, eadem vtrique forma & magnitudo, colore quoque & specie haud dissimiles tauro sunt. Aliqui ex horum genere vnicornes perhibentur: quod verum sit, nec ne, incompertum habeo. *Plinius* tamen Indicos boues siluestres vnicornes, tricornesque esse, scripsit, ob id non incongruens videtur, eos & alio loco nasci, verum esse alterius generis a bizonte suspicandum est. Tale forte est cornu, quod hodie in archiuo protomagistri integrum custoditur, ac monocerotis asseritur, quum nigrum illud sit, hoc uero luteum conspicitur. Sunt & in ea regione greges ferorum equorum, quos Græcia non vidit, nec Romanus, quapropter alio vocabulo nominari non possunt. Hi cicuribus equis omnino similes extant, præterquam quod dorso molliori sunt, ob id nec vsui apti. Dicuntque ipsos nequaquam mansuescere posse. Carnibus eorum incolæ etiam hodie vescuntur, quas non insuaues asserunt. Gignit & alces (quos falso siluestres asinos quidam autumant, quum hos Asia tantum ac Africa procreet) specie media inter ceruinam & iumenti, nisi quantum aurium proceritas, ipsaque ceruix distinguit, magnitudine inter camelum & ceruum: maribus in superciliis cornua nascuntur, quæ quotannis amittunt, latiora quam ceruis, ramosa tamen & per totum concreta ac solida: vngulæ bifidæ, coloreque ceruum imitatur: venatorem e longinquo sentit: animal certe simplex, & quod plus latebris, quam fugæ fidat. Si vi canum vrgetur, magis in canes se calce, quam cornibus tuetur: in locis palustribus sese plurimum condit, illic & partus edit suos, formidinis eius argumentum esse aiunt, quod rarenter solitarius, in armento multum appareat. Vngulis eius comitialem morbum, & iam spumantem abigi, creditum est, si cute at-

Sudiniæ animalia Vri.

Bisontes.

Equi feri.

Alces.

cute attingitur. Allucinati sunt, qui alcem nullo suffraginum flexu dixerunt, neque quietis causa procumbentem, verum accliuem arbori somnum capere, quæ ad insidias a venatore incisa, feram vna affligit ac concidit. Quod & pascendo retrogreditur ob superius labrum prægrande, quasi progrediendo pasci nequeat: quæ singula non de alce, sed de *machlin* fera, illi haud dissimili, quam Scandauiam mittere aliqui prodidere, dicta sunt. Habet & siluas incæduas, vnde vis ingens lignorum, & ad naualem vsum & domesticum conuehitur, teretumque arborum, ad malos nauium accommodam, quæ inde in remotissimas oras deferuntur: habent & siluæ præter id suas diuitias, vnde quasi sponte compendium non modicum incolis prouenit, apum, scilicet, ingentem multitudinem, quarum alueos ceu natiuos, intra arbores ad hoc cauas, cernere est: ex quibus tanta mellis, & ceræ copia prouenit, vt Germaniæ, Britanniæque, ac ceteris adiacentibus insulis, commode harum rerum vsum suppeditet. Nec apiarii, arte vel industria, examina illic curant: nullis enim satorum floribus, aut herbis ipsa inuitant, nec, si longius euolent, reuocant: e frondibus & siluestribus floribus succum contrahunt, quo opera conficiunt sua, quæ compendii ingentis argumento sunt. Præter illa & pelles quasdam non ignobiles mittunt hæ siluæ, quæ vestium ambitui principum hominum subduntur. Lectorum etiam stragula ex his consuunt, prætioque ingenti vendunt: has olim pelles ouini velleris commutatione mercatores ab incolis receperunt. *Gagnos* barbari vocant ea animalia, Germani, martes, e mustelarum siluestrium genere, ab aliquibus historiam naturalem commentantibus, esse scribuntur. Piscationes quoque diuersis in locis non incommodas exhibet: nam pisces omnis generis, tum ex lacubus, tum ex æstuante mari illic prendunt, ceu psittas, soleas, lingulas, rumbos, trossullas, mullos, asellos, salmones, marinos canes, & id genus alios, anguillas præter ceteros numerosiores: nec de his incolæ vescuntur, nisi quod sole, aereque siccatum, tostumque sit. Sed ad alia pergamus. Hæc ad loci situm, ac terrarum prouentum, vti antiquitas possedit, tradita sint.

ERASMI STELLÆ LIBANOTHANI DE VETVSTATIBUS BORUSSIÆ
LIBER II

Tempore quo Valentinianus Romanis imperauit, 38) Alani, populi septentrionales, Borussis contermini, contra Romanum imperium arma sumentes, post diutinas in imperii fines excursiones, a Sicambris 39) compressi sunt, quo bello Sicambri sibi, & posteris libertatem pepererunt. Alanorum, qui cædi supererant, pars per imperii terminos delapsa, Hispanias vsque peruenit, vbi se Gothis, illic belligerantibus, iunxerant, qui tandem sedibus ibidem sumptis, se confusaneo duarum gentium vocabulo, Gothialanos appellauere, quasi Gothorum, & Alanorum sedes. Pars vero imbecillior, quæ domi remanserat, ac cæde patrata patriam repedauerat, exuta præcipue iuuentutis manu, sibi non satis in sedibus propriis fidens, cum vxoribus & filiis, omnique seruitiorum multitudine, ad Borussios contermimos secessit: supellectilem tum

Sicambri.

38) Duo fuere imperatores VALENTINIANI pater & filius, circa finem sæculi quarti, post Christum natum, regnantes.

39) *Sicambri*, Germaniæ populi, Menapiis finitimi, vtramque Rheni ripam incolentes, ii creduntur, quos hodie *Gueldrenses* vocamus, quanquam videntur olim latiores fuisse Sicambrorum, quam hodie sint Gueldrensium, termini. *Menapii* fuere, qui nunc *Iuliacenses* sub duce Cleuensi, dicuntur.

tum omnem fecum in carris ac plaustris trahens, tum etiam pecora, quorum prouentu hæc gens plurimum victitat, vniuersa ac sese Borussiorum fidei, & tutelæ commiserat. Nec ipsi a Borussiis repulsi, quod eorum multitudine adaucti, facilius quibusuis populis resistere posse credebant, etiam tum magis Germanos formidabant, qui penitiorem Vistulæ ripam accolebant, ipsosque sæpiuscule a suis, quæ possederant locis, disturbarunt. Concesserunt itaque Alanis cohabitandi ius, qui rursus Borussiis mulierum suarum coitus permisere. Connubia enim nulla habuere, sed vt quisque in mulierem incidit, ea ad Venerem vti licebat: quare breui in eam multitudinem coaluere, vt quoscunque contingentes populos superarent. Ex ea tandem multitudine cœperunt inter sese angustia finium premi: vtcunque enim placuerat, ac commodum quisque ratus, tantum terræ sibi, equisque desumserat: vnde rixis variis inter sese diffidere cœperant, quæ plerumque cædibus transigebantur: id populum hunc agrestem intra se discordem, in eo concordem fecit, vt de rege sibi constituendo conuentus agere cœperint: vbi pro ruditate populi varia vndiquaque ea de re dicta, agitataque sunt. Viduutus Alanus, qui ceteris & dignitate & vigore animi præstabat (magna enim seruitiorum classe abundabat, vnde etiam sibi in alienis terris auctoritatem non modicam acquisiuit) inquit: *Ni, o Borussii, apibus nostris hebetiores essetis, de hoc, quod inter vos agitatis, dissidium nullum esset: has enim regem habere videtis, cuius imperatis obtemperant, qui opera eorum dirigit, singulas ad labores idoneos deputando, qui & inobedientes castigat, inertesque foris aluearia propelli iubet, cuius hortatu omnes in labore perdurant, operaque sua perficiunt: vos, qui haec indies videtis, illas sequamini duces, & regem vobis constituite, eiusque voluntati obsequimini. Ille rixas inter vos dirimat, caedes vlciscatur, furta puniat, innocentiam tueatur; is solus in omnes sine vlla exceptione ius dicendi, potestatemque habeat.* Eius dictis cuncti, ingenti sublato clamore, assensere. An ergo nobis eris *Biotterus*? quod ipsorum lingua apum regem significat. Is nec vocem aspernatus omnium ore rex salutatus est. Miranda mortalibus gloriæ cupiditas, qua humilis quisque se dignum fastigio regio existimat. Is vsque in eum diem pari fœditate, qua ceteri, humi vitam trahens, vnica populi exclamatione, tam rudis, & inculti, regem agere cœpit. Nec ei regius animus defuit. Nam quam primum a plebe maiestate regia secretus fuerat, non alio animum applicuit, quam vt apum ducem imitaretur. Quare in primis palantem populum certis finibus, instar examinum, inclusit, quæ peculiaribus aluearijs labores suos perficiant. Operaque agrestia exercenda monuit, & prout loci situs admittebat peragenda, puta, vt hi terram colerent, sementaque spargerent, ac arbores consererent, illi vero apum compendio insisterent: alios pecori, alios piscationi deputans: legesque condidit, quibus futuris finium angustiis prouidere se credidit. In primis, ne quispiam paterfamilias plures partus aleret, nec etiam seruitia, quam pro laboribus suis explendis sibi sufficerent, ceteros aut venundaret, aut necaret: ne quis paterfamilias partus inutiles, mancosque, ceu ad labores inefficaces, educaret: vtque filio parentem senecta opressum, vel imbecillitate virium labores nonferentem, impune strangulare fas esset, vtque pueri non adeo incerto patre nascerentur, coitum promiscuum prohibuit, & sub connubii specie instituit, vt quotquot & quamcunque paterfamilias puellam suscipiendam prolis gratia iniret, sine ex seruitiis peculiaribus, vel alienis foret, siue ex liberis, eam secum suo detineret tugurio, aleretque. Alieni tamen iuris puellam non nisi pretio, quasi ære emtam, a quocunque deduci, pro prole procreanda, inhibuit. Adulteria tamen non vsque adeo prohibuit, sed abigen-

Viduutus. Alanus.

Primus Borussiorum rex.

Leges & mores antiquorum Borussorum.

abigendos mœchos poteſtate caſtigauit. Quo autem populum hunc ferocem ad vitam produceret manſuetiorem, comeſſationes frequentes, & publicas inſtituit, quibus feros hominum animos demulctos iri credidit: nec in eo allucinatus eſt. Nam breui ad eam deuenere mollitiem, vt eos, quocunque vellet, perduceret: hinc hoſpitalitatem maxime colendam eſſe ſtatuit, quia ipſa amicitiæ firmiſſime glutinarentur. Potum ex aqua & melle concinnare docuit, qui Latine mulſum dici poteſt, quo in comeſſationibus, & publicis & priuatis vti conceſſit: cuius dulcore mirum in modum barbari delectati facile ad eneruationem peruenere. Ad religionem autem ſe vertens, ſacerdotes a Sudinis, ſociis populis, accerſiuit, qui, inſana ſuperſtitione contaminati, eos immunda quæque animalia, vt ſerpentes, colubros, perinde ac deorum famulos, nuntiosque, religioſe colere docuerunt, quos intra domos nutriebant, eisque, vt diis penatibus, litabant. Deos in ſiluis ac lucis habitare dixerunt; illis, victimis ibidem vt placarentur, immolandum eſſe: ab his ſolem, pluuiasque expetendas fore. Sacra eorum aditu aduenarum pollui, nec aliter, quam humana victima expiari, conſtanter crediderunt. Feras omnes, alcem præcipue, has ſiluas incolentes, vt deorum ſeruos, venerandas eſſe monuerunt, ideoque ab eis abſtinendum. Solem & lunam, deos omnium primos, crediderunt, tonitrua, fulgetrasque ex conſenſu gentium adorabant, tempeſtates auertendas, citandasque precationibus dixerunt. Hirco in ſacrificiis vſi ſunt, ob fecundam animalis iſtius naturam: nam ad coniunctionem ſexuum maxime defertur, ſine qua generatio eſt nulla in animantibus. Præcellentes arbores, vt robora, quercus, deos inhabitare dixerunt, ex quibus ſciſcitantibus reſponſa reddi audiebantur: ob id nec huiuſcemodi arbores cædebant: ſed religioſe, vt numinum domos, colebant. In eo numero & ſambucum, & plerasque alias habuere. Statuit & dies natalitios, & funera, pari modo celebranda, mutuis, ſcilicet, comeſſationibus, & compotationibus, tum luſu, & cantu, abſque mœrore cum ſumma hilaritate & gaudio: vtque alterius vitæ ſpem præ ſe ferrent, illo ſaltem oſtenderunt, quod exutos ſpiritu, armatos, veſtitosque ac magna ſupellectilis parte circumpoſita humarunt. Quo more vsque nunc ſepeliuntur, addito etiam potu inelleo, aut ex frumentis facto, in teſtaceis vaſis. In funebri epulo, partem obſonii, potusque, vita defuncti manibus libarunt, hodieque libant, pudendo illic Chriſtianorum præſulum dedecore. His & ceteris, populo illo inſtituto, religioneque firmata, Viduutus hanc oram prudenter, & quietiſſime rexit, nullis excurſionibus in vicinos populos permiſſis, nec aliqua rurſus ab eis perpeſſus incommoda. Eo vita defuncto filios quatuor ſibi ſuperſtites reliquit, qui inter ſe de imperio diſſidentes, gentem iam paci diutinæ aſſuetam, ad prælia mutua ſuſcitabant. Concurrebant ergo inter ſe multis præliis: ſed ſenior natu, quia ex matre Alana progenitus, ſolus Alanorum ſuffultus auxiliis, Boruſſiisque exoſus, fratribus, qui multitudine abundabant, cedere cogitur. Poſt multas igitur cædes ex vtraque parte commiſſas, eum ſtatuere diſſenſionis finem, vt ſenior natu Viduuti filius & a matre Alana prognatus, cum ſuis Alanis retrogrederetur, auitaque loca repeteret, his vt poſſet, dominaretur. Terram vero Boruſſiæ, fratribus tribus ex matre Boruſſica, ac in ſolo Boruſſico natis, relinqueret. Accepit conditionem hanc *Litalalanus*, ita enim ſenior natu iuuenis nuncupabatur, Boruſſiam egreſſus magno ſuorum numero. Et quum ſupra modum aucti eſſent, priſtinas ſedes, quas vacuas inuenerunt, facile implerunt. Ab hoc quoque eorum duce in poſterum, qui prius Alani dicebantur, Litalalani dicti ſunt, nunc hodie vulgo Lithuani nuncupantur. Qui in Boruſſia remanſere, ter-

Sacra eorum a Sudinis accepta.

Litalalanus.

ram secundum capita diuiserunt, *Pomesamus*, qui ex his ætate præcellebat, forte eam occupauit oræ portionem, quæ Hulmigeriæ propinquior est, tum a Germanis habitata, a quibus Borussii magis formidabant. Sed quoniam Pomesamus strenuus manu uideretur ac animo feroci, multitudinisque admodum studiosus, hanc magis tutari eum posse confidebant, & ex ipso hæc portio posthac *Pomesamia* dicta. Alter Viduuti filius *Galingus* nominatus: huic terra, quæ nunc Galingia nuncupatur obuenit, a quo & terra nomen sortita est. Tertius vero *Natangius* Natangiam terram a se nominauit, & obtinuit. Hæ sunt tres primæuæ terræ Borussiæ portiones. Nati vero eorum & nati natorum, iterum paternas diuidentes possessiones aliam atque aliam varietatem nominum induxere, vt hi Barti, alii Naoderitæ dicerentur: & qui hodie vetustatis vestigium retinentes Varnienses a Varnitis dicuntur. Eo pacto Viduuti filii inter se imperio diuiso, pro sua quisque libidine, deposito regio nomine, quam tenuit portionem, administrauit, subinde inter se dissidentes: in hoc tamen concordes fuere, vt aduersus quosque suos vicinos, præcipue Polonos & Germanos excursiones facerent, ac eos latrociniis infestarent. Sæpe prædam ingentem hominum, pecudumque ab eis abigentes: & dum ipsi rursus insequerentur, sese & prædam in intimis siluarum latibulis occuluerunt, quod insequentes, ne [illegible] circumuenirentur, retinuit. Ex huiuscemodi deprædatione, quia ducibus non tenuis quæstus, plebi etiam victus obtigit, agriculturam, & alia agrestia opera, quæ sub Viduuto exercenda sumserant, breui intermisere, aut eatenus exercebant, quatenus necessum visum est. Ducti lucri cupiditate ad pristinos mores, latrociniaque quam breui reuertentes, Germani tandem consulentes in medium, vocatis in auxilium Sueciæ regulis: ii in Oceano Germanico siti sunt, a Latinis *Sitiones* dicti, qui *Ganipoti* cognominabantur, quod & ipsi Germani essent, & re bellica, tum terra, tum mari plurimum pollerent: qui eis auxiliares copias classibus traduxere, pluribus annis cum Borussiis belligerantes: quo multis trucidatis atque cæsis, eos ad deditionem compulere. Est vsque hodie oppidulum ad Vistulam cum arce situm, quod *Suetza* vocatur, vbi hi, qui ex Suetza venerant, castra sua posuerunt, quod postea in eam munitionem, quam videmus, per Teutonicos fratres extructum est, ex quo Borussios repellentes identidem impugnarunt. Nouem regulos id confecisse bellum annales habent: sed qua tempestate, aut quamdiu durauerit, nec an simul, an sibi inuicem succedentes, id bellum gessere, an etiam Borussios ad tributum pendendum coegere, nihil reliqui est, donec ad tempora *Henrici primi*, patris magni *Othonis* ventum est. Ea tempestate barbara gens iterum latrocinio finitimos impetens per *Hugonem* cognomine *Botyrum*, alias Bructerum, ex Saxonia natum: tum principem Germanorum, Vistulam ex vtraque ripa accolentium, quas aliqui Bructeros fuisse autumant, seditionibus ex natali solo pulsos, in hæc loca deuenisse: ab eius gentis principe, qui illic (vt dictum est) imperitabat, Borussi compressi sunt, adeoque viribus exuti, vt pacem longissimam seruarint: permansere namque quieti ad tempus *Othonis* imperatoris Romani. Sub id tempus Borussiorum ferocia recusa est, viribusque adeo contrita, vt omnino ab incursionibus cessarent. *S. Adalbertus* natione Bohemus, sed in Saxonia enutritus, ac episcopus Pragensis, in Borussiam commigrauit, ac gentem hanc a suis erroribus reuocare conatus est: sed a Sudinis, dum sacra perageret, interficitur, corpusque dissectum ante volatilia proiicitur: quod eius hospes colligens, mox redintegrauit, & ipsum cophino transamnem ad Polonos detulit, ac pro auro tanti ponderis (sed quoniam exiguum diuina ordinatione pendebat) vendidit.

Pomesamus. Galingus. Natangius.

Hugo Bructerus.

S. Adalbertus a Sudinis interficitur.

dit. *Boleslaus* Poloniæ princeps ipſum in inſigni loco ac tumulo conſeruauit. Qui multis clarens miraculis, a Datho pontifice maximo conſecratur. Dies eius martyrii octauo Calendas Maias ab eccleſia celebratur. Tempore quo *Conradus* ſecundus Romano præſuit imperio, Boruſſii cum Polonis conſpirarunt, qui tunc ab imperio Romano, cui iam diu ſubiecti erant, 40) deſciuerant, ducemque eorum *Boleslaum* cum coniuge ſua *Gertrude*, *Leopoldi* Auſtriæ Marchionis filia, pepulere. Tributum quoque quingentarum librarum argenti, ærario publico quotannis debitum, inferre recuſantes, rati Boruſſi Polonorum auxilio facilius Germanos finitimos ad internecionem cæſuros. Durante autem hac Polonorum rebellione, vsque ad FEDERICI cognomento Barbaroſſæ tempora, qui copiis per Oderum fluuium traiectis, Poloniam ingreſſus vrbes, quas repugnantes inuenit, expugnat, & diripit: arcem Glogam cum ſubuertiſſe annales habent: ſingula igne, ferroque deuaſtans: copias, quas obuiam habuit ex Boruſſiis, Boſſalanis, Tartaris ac Polonis ingentis multitudinis, minimo negotio fudit, Poloni in ſola deditione præſidium eſſe arbitrati, Boruſſii in fuga ſalutem quæſierunt, quos imperator inſequutus, multis cæſis, multis captis, vltra Viſtulam compulit. Coacti tum fuisſent Cæſaris ferre iugum, ni aliotenus imperii negotiis auocatus fuiſſet. Huic expeditioni LUDOVICUS, Thuringorum princeps, ferrei cognomentum ſortitus, non ſolum interfuit, ſed & præfuit: quippe qui duobus millibus equitum, & magno peditum numero, ſeſe Cæſari iunxerat. Polonis ſiquidem ad deditionem coactis, Boleslaoque reſtituto, ac tributo duorum millium librarum argenti, fiſco imperiali, & quatuor ab ærario publice pendendum impoſito, Germanos, qui vltra, citraque Viſtulam habitabant, vt tuti ab incurſionibus barbarorum permanerent, Maſſobiorum duci, qui Cæſari conſanguinitate iunctus fuerat, in tutelam contulit, quod fidelis Romano imperio ſemper fuiſſet, & ex antiquiſſima Germanorum Saxonum domo duceret originem. Non multum temporis effluxit, vbi Boruſſii infeſto agmine finitimos petiere. Primum Maſſobios, ſic quoque hac ætate vocitantur, qui ſeſe pecunia, veſtibusque multoties redemerant, ſubinde Germanos vicinos, qui ſe diu armis, quamuis ægre defenderant. Tandem inuocantes fidem Conradi ducis, cui a Cæſare commiſſi erant, CONRADUS quoties Boruſſiis acie occurrit, fugatur, cæditur, ac caſtris exuitur. Ob id de domeſtica potentia deſperans, auxilium *Celeſtini* Pont. Rom. (quod imperator Henricus, qui Federico ſucceſſerat, cum magnis copiis in Aſiam profectus fuerat) implorat. Celeſtinus ergo Pontifex, vt rebus afflictis ſuccurreret, Chriſtianum ordinis Ciſterci-enſis monachum, in epiſcopum Boruſſiæ deſignat. Qui ad Conradum primum veniens, communicato cum eo conſilio, quo gentem tam ferocem ab incurſionibus in Chriſtianos prohibere, ſimulque ad fidei veritatem inducere poſſet. Acciti tum fuere ex Liuonia fratres, milites Chriſti cognominati, qui vna cum Chriſtiano præſule Boruſſios aggreſſi ſunt: is in virtute verbi Domini, hi bello & armis, ſed omnia nequicquam. Nam ſemen ſacratiſſimum, quod præſul ſpargeret, cecidit in terram ſterilem, & abſque fructu exaruit. Fratres ſi quos ad deditionem receperant, cum primum opportunitate habita rebellarunt, quos in præſidiis collocarant obtruncantes, & quam breui ſpatio ſe-

Boleslaus S. Adalberti corpus in Poloniam deducit.

Ludouicus ferreus.

Conradus dux Maſſouiæ.

Cœleſtinus ſummus pontifex.

Chriſtianus epiſcopus Boruſſiæ.

ſe

40). Stat hic Eraſmus Stella a mendacio conſueto. Nullo enim vnquam tempore Poloni Romano imperio ſubiecti fuerunt. Et quia auctor ſine vlla probatione, nulloque adiecto documento, id tantum leuiter affirmat, ſimpliciter etiam tantum hic contradico. Ipſa autem in ſequentibus hiſtoria Polona euidenter falſitatem confirmabit.

ſe a ſeruitute, quam impoſuerant & præſul & fratres, vindicarunt. Tandem Chriſtiano præſule nihil proficiente, fratribus partim occiſis, partim fugatis, quum & barbari longo tempore inquietiſſimi fuiſſent, e re fore arbitrati ſunt, pacem quam perpetuum bellum amplecti. Fit itaque pax ex vtraque parte, neceſſaria magis, quam honeſta. Interea catholici ſuaſu præſulis, per Poloniam ac Hulmigeriam ædes ſacras vicatim reſtituunt, cœnobia vtriusque ſexus extruunt, quæ pro ſua pietate calicibus, libris, & aliis apparatibus eccleſiaſticis ornant atque ditant: antiſtites vndequaque, vt poſſunt, eccleſiis præficiunt. Fuit ſummum Chriſtianis a barbarorum populationibus otium. Id populum fidelem in meliorem ſpem erexit: quare magis atque magis rem diuinam ampliandam duxit. Sed cuncta barbari rupto fœdere turbarunt: fœda enim populatione in fines Chriſtianorum effunduntur, longe lateque per Poloniam, & Maſſobiam graſſantes, omnia prædari cœperant. Deinde incenſis villis, agrisque vaſtatis, ſacrariis omnibus ſpoliatis atque dirutis: amplius enim ducentis ædibus ſacris periiſſe ignibus legimus: oppida inſuper, & cœnobia deuaſtarunt, quibus ſingulis euerſis & direptis, ingentem vim prædæ, tum hominum, tum pecudum, ac tantam omnis generis ſupellectilem, quantam nunquam ante, abegerunt. CONRADUS quum ſe imparem contra hoſtem tam ferocem, ac multitudine ſuperiorem vidiſſet, ſe vltra amnem in terram Coianorum, qui olim Onomani, hodie Cumani dicti, recepit: dum interim in Aſiana expeditione Ptolemais, vel vt alii dicunt, Acona oppugnatur, ordo militaris Teutonicorum fratrum domus hoſpitalis, beatæ Mariæ in Hieruſalem humilibus initiis ortum ſumſit. Per cuius fortiſſima pectora demum omnis hæc peſtis ex Chriſtianorum finibus exploſa eſt, Boruſſiaque ad fidei præcepta colla rigida ſubmittere Chriſtiano iugo coacta eſt.

Boruſſi Poloniam deuaſtant.

AD INVICTISSIMUM PRINCIPEM FEDERICUM

Eraſmi Stellæ Libanothani diſtichon.

Da Federice tuo genio, foueatur & auro
Hic liber, & rabido qui volet ore latret.

Ad eundem FEDERICUM, Principem inuictiſſimum
Eraſmi Stellæ elegiacum.

Diuitias FEDERICE tuas hic collige Princeps
Quas habet arctoi Bruſſica terra poli: (tum
Scilicet Heliadum lachrymas Phaetonta queren-
Audax quod patrios flectere tentat equos,
Par nec erat Iouis, placuit tamen ire ſub axe
Aetherea, atque genus teſtificare deum,
Neſcius ipſe viæ perdit conamine vires,
Mox ruit e curru lapſus in alta freti.
Hunc iuuat æternis lachrymis fleuiſſe ſorores,
Sed pius in lenta ſuccina fletus abit.
Has fert undiſonis Thetys tibi fluctibus, illum
Teſtantes caſum, ruptaque lora ducis.
Munera clara deum variis quæ vultibus ornat,
Mille gerens formas Proteus ille ſenex.
Hinc quædam radiant, auroque ſimillima fuluo,
Et Lunæ niueam ſunt imitata bigam.
Lacteus eſt aliis candor, croceo igne coruſcus,
Hyblæi retinent mellis, & illa decus.
Indiæ opes ſuperant hæc, & Gangerica dona,
Et quod mollis Arabs, Scythis habetue rapax.
Terra nutrit ſiluas, ſunt hæc ſtabula alta ferarum,
Siue velis vros, ſiue biſonta magis,
Hic nuſquam notus, bene tortus naſcitur alces,
Atque feri armenta conſpiciuntur equi.
Quique ſua pelle eſt gratus veſtire gainus
Membra ritum, rigidum pellit & inde gelu.
Hæc vbi legiſti; Stellæ FEDERICE memento,
Bruſſica qui cunctis geſta legenda dedit.

ALEXAN-

41) Ex his Boruſſiæ antiquitatibus, parum accurate ſcriptis, apparet *Eraſmum Stellam*, non tam veritatem profunde ſcrutari, quam ſe magiſtro potius ordinis Teutonici, aliisque, quorum interfuit, commendare voluiſſe. Plura ſibi, quam ſcriptorem modeſtum decent, ſumſit, & audacter mentitus eſt, ne dicam ſtilum, ſæpius parum Latinum, plebis interdum ſermonem ſapere, quo pertinet barbara locutio, *naſum continere*, in præfatione adhibita. Præconceptam etiam animi opinionem prodidit, quando ſcripſit: *vt aduerſus quoscunque aliter de Boruſſia ſentientes, ceu pro aris & focis dimicaturus ſit, vltima potius perpeti certus, quam ignauiter ceſſurus.*

IV

ALEXANDRI GVAGNINI VERONENSIS 42) PRAEFATIO IN DESCRIPTIONEM SARMATIÆ EUROPAEÆ ET TOTIUS POLONIÆ, LITHVANIÆ, LIVONIÆ, ETC.

AD SERENISSIMUM AC POTENTISSIMUM PRINCIPEM STEPHANUM DEI GRATIA POLONIÆ REGEM, MAGNUM DUCEM LITHVANIÆ, RUSSIÆ, PRUSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIJOVIÆ, VOLHINIÆ, POMERANIÆ, LIVONIÆ, ac vniuersæ Sarmatiæ Europææ Monarcham, Dominumque &c. nec non Transyluaniæ Dominum.

Cum iam annos complures in iſtis regionibus verſarer operamque meam qualemcunque in re militari huic Reipublicae praeſtarem, STEPHANE REX SERE-

42) *Alexander Guagninus*, palatii Lateranenſis eques auratus, Italus, ſtrenuus miles in Polonia, Liuonia, Moldauia, & bello Moſchouitico varius per annos fuit, militum tribunus & propugnaculorum Witebsk & Polocz gubernator, iure indigenatus tempore SIGISMVNDI AVGVSTI donatus. Cum laudem virtutis bellicæ haberet, voluit & in republica litteraria inclareſcere, quamuis minime fuerit vir litteratus. Ad colligendam hanc laudem ſingulari audacia ductus, MATTHIÆ STRIYKOWSKI commilitonis ſui litteratiſſimi, quique Witebſcii ſimul ſub eius imperio erat, librum de Sarmatia ſurripuit, ſuisque ſumtibus & nomine Cracouiæ imprimi iuſſit, eo tempore, quo verus auctor STRIYKOWSKI abſens & cum legato Polono, comite ANDREA TARNOWSKI ad Turcarum imperatorem, Conſtantinopolim præfectus fuiſſet.

Credidit forte Guagninus firmiter, verum auctorem in Europam non rediturum, vel etiam de Striykowski morte fama fuit, qui vix mihi perſuadere poſſum, vt ſine tali re circumſtante Guagninus tam audax plagium litterarium committere, atque adeo alienum laborem, tanquam ſuum, Regi ſuo dedicare potuerit. Cum vero Striykowski redux opus ſuum, ſub Guagnini nomine in preſſum, vidit, non potuit non ei ſtomachari, & publice teſtatus eſt, ſuum opus eſſe, in teſtimonium STANISLAVM PACIVM, Palatinum Witebſcenſem, totamque circum iacentem nobilitatem, quibuscum ſæpius hac de opere, cum id ſcriberet, loquutus fuit. Hoc etiam fuit in cauſa, vt priuilegium, hiſtoriæ eius Lituanæ, Polono idiomate ſcriptæ, præfixum, a rege Stephano d. XIV. Iul. a. 1580 obtinuerit, in quo claris verbis, liber de *Sarmatia Europæa* vero auctori Striykowski addicitur. In eadem hiſtoria Lithuana, vitam ſuam Striykowski, verſibus Polonis ſcriptam, narrat. dicens in nota marginali, Italum quendam, Guagninum nempe, Sarmatiam Europæam ſuam feciſſe, ſuoque nomine edidiſſe, qui tamen neque legere ſciret, cumque *perfrictæ frontis* hominem appellat. Ad hæc Guagninus nil reſpondit, neque tanquam illiteratus, facti conſcientia damnatus, reſpondere potuit. *Hartknochius* primus Guagninum in ſuſpicionem plagii vocauit, quia extraneus haud exacte linguam Polonam, omnino ad eiusmodi opus conficiendum neceſſariam, calleret, id quod, vt mihi videtur, non eſt argumento. Sunt enim quidam in Polonia & nunc extranei, qui non ſolum bene linguam Polonam didicerunt, ſed etiam de rebus Polonis exactiſſimam habent notitiam, & ſi non alia eſſent de Guagnini plagio argumenta, certe Hartknochii minus probabile, fidem non faceret. *Dauid Braunius* vero, in libro de *ſcriptorum Poloniæ virtutibus & vitiis* p. 37. id melius explanauit, dicens: *exteri omnes Guagninum pro vero auctore agnoſcunt & ſequuntur, quia Striykouium, Polonice tantum editum, non habent, nec legunt.* In hunc autem errorem, vt Guagninus auctor Sarmatiae habeatur Europææ, extraneos ad vnum omnes fortaſſe *Starovolſcius*, in elogiis ſuis induxit, ſcriptor, cui non adeo facile fides habenda, quia nimium incurioſus elogia ſua corrogauit, ideoque ſæpiſſime allucinatus eſt. Sed extranei hoc errore facile carere potuiſſent, ſi bene animaduertiſſent, male Starovolſcium hoc opus p. 88 edit. Venet. Striykovio primum, & p. 187. idem opus iterum Guagnino adſcribere, id quod Braunius citato loco primus annotauit, his verbis: *Polonicos hiſtoricos miror, præſertim Starovolſcium, qui, cum Striykovio hanc Sarmatiæ Europææ deſcriptionem diſerte adſcripſit, nihilominus Guagnino tribuit Chronicon Poloniæ cum additione (in Polonica eiusdem verſione Baſzkowſki) geographicæ deſcriptionis populorum ſeptentrionalium. Atqui vero hac Starovolſcii circumlocutione, nihil aliud, quam hæc deſcriptio Sarmatiæ Europææ intelligi poteſt, cuius pars erat Chronicon, a Guagnino ſeorſim Cracouiæ 1578 Latine, poſtea vero a. 1611 Polonice a Paſzkowio vtraque nempe chronicon & deſcriptio geographica populorum ſeptentrionalium, ſecundum anteriorem editionem Spirenſem Latinam, vt ſit & edita.* Porro Braunius ibidem bene dixit *qui deſcriptionem hanc Europææ m cum chronico Striykowski confert, vnius auctoris collectanea eſſe animaduertit.* Veritate igitur ducti debuimus Sarmatiam Europæam manibus Striykowski, ſummi hiſtoriarum ſcriptoris, vindicare, Guagnino autem dedicationem tantum relinquere, quam forte & Striykowski ſcripſit, Guagninus vero mutatis rebus quibusdam circumſtantibus, ad celandum plagium, aptari iuſſit. Articuli igitur illi, de Guagnino, variis in Lexicis, verbi gratia, Moreriano, Bayliano, nec non Ioecheriano, aliisque, a veritate deſciſcentes, obliterandi ſunt in poſterum omnes. Quod ſupereſt, Guagninus, laude ſua militari non defraudandus, litteras tamen quod attinet, elogium Auguſtini Columnæ verſiculis expreſſum, a Starovolſcio exhibitum, non meruit, potius ſummum plagii, quod vnquam in republica litteraria commiſſum fuerit, reliquit exemplum. Mortuus Cracoviæ a. 1614. ætatis anno ſeptuageſimo ſexto.

SERENISSIME, cum saepe alias, tum maxime Lithuania armis, belloque a magno Moschorum Duce infesta & oppressa, vbi ego arci Vitebsko praefectus eram, quod munus iniunctum, qua potui industria, peregi, sicut & data mea fides, & Reipublicae dignitas, & loci ipsius necessitas (est enim arx Moschis contermina) postulare videbatur, longa tandem consuetudine linguam, mores, leges Polonorum edoctus sum, situmque regionum totius Sarmatiae Europaeae, cum magna ex parte propria experientia exploratum habui, & saepissime subieci oculis meis. Quare nactus ego occasionem temporis, dum a duro Marte respirarem, quaedam scitu non indigna de moribus, legibus, initio, incremento, rebus gestis imperii Polonici, populorumque Sarmatiam incolentium, denique de situ, dispositioneque regionum earum omnium, quas ipse Sarmatiae orbis complexus est, militari stylo conscribere non dubitaui. Hoc enim pacto, maiorem animi mei affectum Reipublicae huic nobilissimae testari non possem: quum si pro eius gloria, ne dicam salute, non modo si res & vsus postulauerit, vitam, qua nihil est, nec esse potest, post animae salutem, homini charius, profunderem, sed etiam eandem, si modo per ingenii vires liceat, etsi hinc quidpiam ad eius dignitatem accedere queat, ornarem, laudesque eius celebrarem. Nam si patrio solo, quod me genuit & conspectu huius splendidissimae lucis ornauit, plurimum natura debeo, profecto & huic Reipublicae, quae supra naturae dona plurimum mihi adiecit, vtilitatis, dignitatis, et ornamenti, quae me aduenam in suum recepit gremium, receptum complexa est, complexumque ciuem suum agnoscit, tantum vt debeam necesse est, quantum nemo alius suae patriae se debere profiteri potest, & profecto licet multi sint singularis, & immensae in eam pietatis ac fidei, concedam tamen nemini, in adeundis pro eius gloria, forti & constanti animo, omnibus periculis, si non tanta cum gloria & vtilitate, quantam ceteros posse ei suis periculis praestare facile patior, tamen animi affectu & propensissima voluntate, vinci me a quoquam nunquam concedam. Id cum semper praestare volo, tum & nunc his meis commentariis, quibus Sarmatiae Europaeae nomen indidi, huiusce animi erga eam mei minime obscuram significationem declarare volui. Verum quo patrono lucem cognoscere deberet, cum non satis mihi constaret, praesertim cum in ea nuncupanda id spectandum esse existimarem, quod spectari a sapientissimis quibusque solet, labores non sine summo iudicio ita nuncupantibus, vt & his, quibus offerantur, conuenientissimi sint, eosque delectent, & ipsi apud eos amorem mereantur, gratiamque referant: male enim collati labores et munera, tam pereunt, quam quod maxime: ecce tandem sese offert SERENISSIMA Maiestas tua, cui iure hic meus qualiscunque debetur labor: nam & ab homine militari profectus, tibi potissimum, qui ab ineunte aetate, arti militari operam dedisti: & gradatim ob tuam virtutem bellicam in magnum honorum fastigium conscendisti, iure optimo consecrari debuit, & de rebus Sarmatiae conscriptus, tibi non inutilis, & non iniucundus fore visus est, tum quod diuina prouidentia Sarmatiae constitutus es Monarcha, tum quod hoc gubernaculum tibi oblatum non leuem difficultatem cum molestia coniunctam facessere videtur, maxime cum in eo sit tanta perturbatio, tanta varietas nationum, linguarum, legum, morum, & aliarum rerum, vt ad ea omnia recte componenda, sapientia, virtuteque summa, qua es a deo Opt. Max. ornatus & instructus, opus sit.

At nostra haec Sarmatia, quam meis sumtibus sub praelum mittere curaui, tuoque nomini Augustissimo consecratam esse volui, magna ex parte te ea difficultate leuare, & ab hac molestia vindicare potest. Cognosces enim ex ea subditorum tuorum mores, ac studia diuersa, quae nonnisi longo tempore, diurnaque conuersatione cognosci possent. Inferes tandem oculos in regiones tuas amplissimas, atque quibus hae abundent, quibus egeant, animaduertes, municipiorum, arciumque situm, dispositionem, & si aliqua munitione, & propugnaculis, ad propulsandos hostium

valo-

veloces ac feroces incursus desiderent, considerabis. Insuper exploratas habebis vicinas regiones, ac vicinarum, tam Christiani, quam barbari nominis, gentium, mores, religionem, & in rebus gerendis denique consuetudines, cognosces. Ex quibus aliarum tu studia in te tuo candore, & beneuolentia conuertere debes, aliarum vero superbas, ferocientesque vires, ad effrenatam insolentiam, si modo saluam & integram tuam gloriam, simul ac imperium hoc conseruare vis, vt armis retundas necesse est, talemque te eis praebeas, qualem te esse eorum animi, & mores exposcent. Ne autem parum emolumenti, adferre tibi posse, hanc tuarum regionum cognitionem putes, o Rex, scies sane optime, minus apte illum Monarcham dici, cui mores, consuetudo ac facies tota suae Monarchiae cognita non fuerit, & qui eam mente non intueatur, nec in oculis circumferat suis. Neque feliciter illum posse bellum in illis locis exercere vnquam, quarum situm cognitum non habeat. Hinc illud est, quod a sapientibus quibusque praecipitur, principibus viris longinquam necessariam esse peregrinationem, illosque demum felices rerumque gerendarum non ignaros esse, qui mores multorum hominum ac vrbes considerarunt, sin minus vero tute longius euagari, & e patria diutius aberrare propter varia pericula possunt, tamen ne tanto bono fraudentur, tabulis geographicis, & cosmographicis a prudentissimis hominibus prouisum est, vt ea quae oculis subiicere nequeant, saltem animo, & cogitatione complectantur, & cum hoste in ignotis regionibus decertaturi, ex tabulis ea cognoscant, quae nulla alia ratione tam facile cognosci possent. Quare & Alexander Macedo, qui virtute, et rebus gestis Magni nomen meruit, conferturus manum cum hoste in loco ignoto, prius eum sibi in tabula depingi voluit, vt ita ex eius consideratione cognosceret, quid sibi cauendum, quid adoriendum esset. Et Romani Imperatores, totius domitores orbis, pugnaturi in aliqua regione, antequam bellum decerneretur, prius pictam intuiti sunt, quod et ingruente Gallico tumultu fecisse eos, Italiamque pictam praebuisse, testis est Varro. Idem varii multi clarissimi Imperatores, non sine summo nominis sui splendore, et in rebus gerendis felici ac prosperosuccessu, fecere, quos ego miles apud te Imperatorem strenuum recensendos minime puto. Id vnum dico, te posse hic regionum situm, legesque et mores gentium, animo perlustrare, tam tuo imperio subiectarum, quam externarum, illarum praecipue cum quibus tibi res aliquando futura sit, vtpote Moschouitarum mores, expeditionesque domesticas ac bellicas, ac ditiones amplissimas, tum Tartarorum hordas siue nationes campestrium potentissimas. In primis vero originem, incrementum imperii Polonorum, vitas Principum, praelia, disciplinas, studiose et explicate descripta, considerabis, et quomodo illi Herculei Sarmatae, quorum tu successor es, has sedes non sine sudore, et sanguine occupauerint, quid illi, quid item alii ab aliis prognati, alius post alium, tam in toga, quam in armis gesserint. Videbis illos non vt barbaros, sed clarissimos, et regia dignitate ornatos imperatores, suis rebus praeclare gestis, Heroum, qui admirationi toti orbi fuere, nomen et gloriam adaequasse. Nam saepius non modo pro salute patriae, sed etiam totius Europae, aliis regnis interim (proh dolor) domesticis, et ciuibus armis sese mutuo infestantibus, immani ferocitati hostis communis sese opposuerunt, eiusque impetum effrenatissimum armis retuderunt, non dico quoties illi Tartarorum influentes in Europam copias represserunt, semper enim et assidue in excubiis aduersus eos fuere: non commemoro saepius victas, et profligatas ab eis Turcicas legiones, non Moschorum exercitus caesos, non alios, tam patriae quam toti Europae infestos hostes, victos sub iugum missos, et aut ad colendam perpetuam pacem, et amicitiam, aut ad tributa persoluenda compulsos, quae illorum fama, cum per totum orbem increscceret, vicinas gentes permouit, vt pleraeque earum a tyrannis oppressae, hos solos putarent dignissimos, quorum fidei ac patrocinio fortunas, libertatem, ac denique salutem tuto committere possent. Testatur id Bohemia, quae pi

riculosissimis temporibus regibus Polonis toties sese vltro submisit: fatetur & Vngariae nobilissimum, & vere olim aureum regnum, quod sua sceptra, & fasces ad reges Polonos detulit, & a sua ceruice saepius eorum armis reiectam fuisse ferocem Turcicam securim agnoscit. Praedicat id ipsum Silesia, Morauia, Valachia cum sua Moldauia, & aliae Christianae gentes, quibus iura indixerunt felicissime Poloni, non commemoro, quam multoties rem Christianam, contra Turcas acie, & milite iuuerit Polonus. Silentio praetereo, saepius a vicinis contra seditiosorum ciuium conspirationem, a Polono impetratum patrocinium: ne plura dicam, tanta illis Heroibus inerat moderatio, virtus, & tantus, tamque excellent animus, vt & parcere subiectis & debellare superbos optime nossent, & saepius ad se delata imperia repudianda, saepius eadem sibi infesta, armis moderanda, & comprimenda esse putarent, vt ita non imperandi libidine, sed gloriae & immortalitatis studio, quicquid ogerent, agere viderentur. Cognosces hic Lechos, & Lituanos fortissimos, qui sanguine suo Sarmatiam hanc posteris amplissimam reddiderunt patriam: superiorum enim eius gentis principum famae fortuna inuidit, ita vt nullae res eorum ad nostram memoriam deuenerint. Videbis demum Cracos, industrios armis, & pace, Piastos strenuos, Leschones bellicosos ac sobrios, Boleslaos fortes, & in rebus gerendis promtissimos, e quorum longo ordine Boleslaum retorti oris alterum Herculem, cuius virtus in latissima Sarmatia contineri, nec altissimis montibus, ac peruasto mari concludi potuit. Ille enim strenue gestis in Sarmatia rebus, & domita Morauia, Bohemia, Roxolania, Pomerania, Henrico Romanorum Imperatore, fines Poloniae infestante, pulso ac profligato, & plusquam quadragies felicissime cum hoste collatis signis, eadem signa in Daniam vsque forti, & promta manu intulit, ibique impressis Polonae virtutis vestigiis, regibusque illius regni tributo imposito, domum felix rediit. Cognosces Casimiros Reges pios & iustos, religionisque amantissimos, tandem Vladislaos Turcarum horrendas pestes, & acerbissima fata, Iagiellones magnanimos, sceptra regnorum vltro sese offerentium, Bohemiae, Vngariae, Suetiae, Daniae, Noruegiae, Gothlandiae, repudiantes, infesta autem reprimentes, vim vi, arma armis, a capite, a fortunis, saluteque suorum propulsantes. Hi legibus, religione, pulcherrimarum artium cognitione, domesticam disciplinam cum militari cumularunt, Lituaniam, Ducatum nobilissimum cum regno coniunxerunt, Samogitiam, & alias gentes immanissimas, ab illa barbara feritate, & impietate gentili, ad humanitatem, & veram cognitionem Dei reuocarunt. His colla sua dedit vincienda Moldauus, praebuit ex se triumphos Germanus, miseras Prutenus porrexit manus, procubuit ad pedes Lino, Moschus se victum saepe professus est, saepiusque succubuerunt in acie Scythae. Et hic est ordo ac series praecipuorum in hac republica Principum, quorum nomen, & gloria perpetua in terris recolitur, cum summa quadam venerationis memoria: animae autem eorum exantlatis plurimis pro patria, & Christi nomine laboribus, gratissima in illis supremis domibus fruuntur mercede, & gaudent. Hos tu vnus omnes, & victoriarum multitudine, et gloriae splendore, iustitia, fortitudine, omnibusque virtutibus, quae olim in eis erant conspicuae, facile superabis, si eos tibi ad tuendum, et imitandum proposueris, maxime cum etiam tibi non desint magnarum virtutum domesticarum, tuaeque gentis Hungariae regum, clarissima exempla, quae tuum indies animum exagitant, ad consequendum illum orbem virtutum, quem illi omnes sustinuerunt, et ad comporandam gloriam cum immortalitate coniunctam, qua illi vniuersum orbem impleuerunt, et vere impleuerunt. Atque ne ex multis regibus Pannoniae aliquot commemorem, et proferam, uno contentus ero: Matthia scilicet Huniade, cuius semper memoria apud Hungaros est iucundissima, gratissima et celeberrima, sic vt illi talem Regem hodie a Deo Opt. Maximo sibi dari et excitari cuperent, cum quo si te conferam, velim vt aequo animo accipias, et ab eo proficisci putes, qui dotes illius celeberrimi Matthiae in te elucere videat, ac optet nomen tuum sic

longe,

longe, lateque patere. Quis mediocriter versatus in historiis ignorat, Matthiam mirabili fato ad gubernacula regni Hungarici euectum? cuius tam praeclara indoles fuit, vt a teneris adhibitus ad optima studia litterarum, artiumque multarum didicerit semina, mirabili celeritate atque auiditate. Ideoque acerrimi iudicii viri palam dicebant, se in hoc puero regiam fortunam, & virtutem deprehendere. Merito sane idem praedicari potest, REX STEPHANE, de te. Nam vt miro quodam modo, & incredibili, primum post obitum Iohannis Sigismundi electi Regis Hungariae, & Principis Transyluaniae, electus es in principem: sic non minori cum admiratione propter tuas virtutes, ab ordinibus regni Poloniae, maxime pacis amantibus, creatus es in Regem. In adolescentia tua studia doctrinae ita amasti; vt inter Reges Europae, liceat mihi hoc libere dicere, fremant quicunque voluerint, vnus sis, qui de rebus grauissimis differere possis docte ac bene Latine: ac etiam in primis illis tuis annis ita in duris militiae laboribus tyrocinium fecisti, vt optimi militis famam inter tuos sis consequutus: & gradatim ad maximos honores perueneris, dignusque sis iudicatus non modo Transyluaniae principatu, sed etiam hoc Sarmatiae amplissimo, & potentissimo regno. Ex quo videre licet, non tam pulchrum esse nasci ex regibus regem, nisi is regiis virtutibus ornatus, quam virtute sua iudicari dignum fastigio regio Denique ineptam esse hanc vocem iudicandum est: litteras principem effeminatum reddere: Quo fit, vt hodie multos principes inuenias, litteris, & doctrina nulla excultos: at doctrina non solum optimum principem, sed & ad res gerendas ac bellicas aptissimum effecit. Est enim vtroque tempore, tam pacis quam belli, doctrina principi pernecessaria. Quid amplius? Matthias detestatus est auaritiam, luxum & alia scelera suorum, veluti, iniustitiam, et libidines vagas, omnisque religionis et summi magistratus contemtum, quae mala Pannoniae fatale attraxerunt excidium. At tu, REX prudentissime, an non saepius tam priuatim, quam publice, fastum gentis Sarmaticae reprehendisti, laxamque disciplinam, et auream plane suam libertatem, in licentiam perniciosam transformantem iure dictitas esse materiam certissimam ruinae Reipublicae, ni mature pareant bene consulentibus? Apud claudianum singularis laus est Theodosii, quod non fuerit suspicax. Matthias Rex ille Hungariae immortalitate dignus, non facile admittebat calumnias eorum, qui familiares suos in odium ipsi adducere conabantur. Sic etiam audimus calumniatores, et falsos delatores apud te nullum locum habere, penitus arceri, aditu que tuo excludi. Denique vt Matthiam litterati amarunt, et post funera multis laudibus extulerunt: ita non dubitamus, quin docti tuas virtutes admirabuntur, et litterarum monumentis mandabunt. Nam re vera ea, quae habere solet grauissimus Princeps, ab omni leuitate abhorrent, in te etiam Deus contulit. Verum hic me continebo, ne in os te laudare videar, et adulationis crimen mihi impingatur a multis, quibus hoc responsum volo: Regem dotibus regalibus condecoratum, et insignem, satis laudari non posse, nec clam nec palam: cum huiusmodi Princeps sit imago Dei graphice suis coloribus depicta.

Itaque hanc nostram Sarmatiam tuo nomini dicatam, et consecratam offero, supplexque cum summa reuerentia oro, vt hunc in ea cudenda meum laborem, et animi promptitudinem Maiestas tua non aspernetur: sed eam clementer ac placide suscipiat, neque simul ac meos conatus in iuuanda et ornanda hac republica, sua excellenti auctoritate iuuare, prouehere, atque tueri velit. Seruet te tandem REX potentissime, Deus Regum auctor, et conseruator, diutissime incolumem, quo augeas rem christianam, confirmes tuum regnum, hostesque istius regni immanissimos compescas ac coerceas: imo vero de illis triumphes: et sic fato tuo fungens omnes optimi ciues te praedicent, ac ipsa posteritas, tuam sapientiam, atque fidem, quae est dictorum, factorum que constantia et veritas, et denique magnanimitatem tuam cum iustitia coniunctam, admiretur, colat atque amet. Croconiae 20 die Iunii, 1578.

TUÆ SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS

obseruantissimus Alexander Guagninus
Eques auratus, militumque præfectus.

SARMATIÆ EUROPÆÆ DESCRIPTIO
IN QVA EST TOTIUS POLONIÆ, LITVANIÆ, LIVONIÆ, PRUSSIÆ, &c. CHOROGRAPHIA, DILIGENTISSIME SCRIPTA ET EXPLICATA
a
MATTHIA STRIYKOWSKI, OSOSTEVICIO 43)
Equite Polono, Canonico Miednicenſi in Samogitia.

SAVROMATIÆ EUROPÆÆ SITUS.

SAUROMATIÆ Europææ gentes, regionumque, quas complectitur, ſitum, deſcripturus: operæ pretium me facturum, & rem non iniucundam lectori exiſtimaui: ſi in primis Europæ ipſius fines, quibus ab Aſia, & Africa diſterminatur, præponerem. Europa itaque pars mundi tertia, ab EUROPA,

43) MATTHIAS STRITKOWSKI, *Oſoſtevicius*, nobilis Polonus, ab oppidulo *Oſoſlow*, in Palatinatu Lanciciensi, familiæ Striykovianæ illo tempore ſede, ita dictus, natus anno inſtauratæ ſalutis 1647 Puer quinque annorum, in lacum delapſus & ſerius extractus, habitus pro mortuo fuit, & iam ſuper feretrum ad templum, ad humandum corpus, allatus, forti campanarum ſonitu quaſi excitatus reuiuiſcere cum ſumma adſtantium admiratione cœpit, ſed ne verbum quidem intra integram hebdomadam locutus. Litterarum deinde fundamenta iecit Brzeziniæ, vbi parum abſuit, quin a campanæ ſonantis ictu, decimum quartum annum agens perierit, qui fuit in cauſa, vt per totam vitam difficillime loqueretur, faciliusque, vt ipſe in vita ſua ait, aliquot verſiculos ſcripſit, quam duo verba dixit. Poſtea in academia Cracovienſi litteris Latinis Græcisque & philoſophiæ operam dedit, magna cum diligentia, Lipſiæ etiam ſtudiorum cauſa morabatur, & Germaniam peragratus, omni doctrina atqoe optimarum artium ſtudiis eruditus, gloriam in litteris haud vulgarem conſequutus, exteris etiam claris viris, GVILIELMO BUDAEO, PAULO MANUTIO, FRANCISCO ROBORTELLO, IACOBO CARPENTARIO, innotuit. In patriam redux, ſtipendia Witebſcii, tempore Henrici regis, ſub Italo quodam, vt Striykovius in præfatione ad hiſtoriam Lithuanam ait, hoc eſt, Guagnino, per tres annos meruit, vbi horis ſucciſiuis Sarmatiæ Europææ deſcriptionem exarauit, quam, vt ſupra probauimos, Guagninus ſurripuit, ſuoque nomine edidit, *quamvis*, (ſunt verba Striykovii Latina, in præfat. hiſtor. Lithuanæ p. 6.) *Deum opt. max. appello, ne primis quidem Heliconii fontibus labra admoueris.* Iubet porro Striykovius id experimento comperire, & quærere ex eo, vnde origo gentis alicuius deriuetur, ac quomodo geſta principum, ſitus prouinciarum & locorum ibidem contentorum intelligantur. In hac eadem hiſtoria Lituana, Lib: VI. cap. XIII, p. 277, iterum Striykovios de Sarmatia Europæa ſequentia verba Latina, Polono idiomati intermiſcuit: *labor meus al artiuum in immatura edenda prole paſſus eſt. Illius etenim noſtri laboris, cui teſtem Deum opt. max. contra conſcientiam meam apella, fructu, per quendam Italum, & eundem pediſum in Witebſka præfectum, fruſtratus ſum, qui quamvis ipſe ne primis quidem muſarum fontibus labra admouerit, & prorſus litterarum expers fuerit, præfati libri exemplar, vt populari ſatiaretur aura, ſub nomine ſuo, quibuſdam verbis & ſententiis (vt ipſius inuentia inde appareret,) facile immutatis, imprimendum dedit. Et ſic vos non nobis.*

Pagina ſequente hac ſe Striykovius lenit conſolatione: non dubito fore, *vt auctor fruatur debito & plus quam iuſte promerito honore*, quando *tempus veritatis parens eam ipſam veritatem e tenebris in lucem educet.* Ille vero, quid ſuum eſſe dicit, in quo non laborauit, neque ingenium eius ad id aptum, vt reſpondeat, ſi ex eo quærant, quomodo hoc vel illud intelligendum, *confunderur, & ſic ſuo iudicio ſore x perilis* Hæc omnia, & quæ ſupra attulimus, ſatis probant, STRIYKOVIUM, non Guagninum, Sarmatiæ Europææ eſſe auctorem.

Tempore interregni poſt diſceſſum HENRICI VALESII a. 1574, cum præclaro nobili Polono ANDREA TARANOWSKI (alii dicunt ANDREA TARNOWSKI, legato ad portam Ottomanicam, qua de re non certus ſum) magnam Aſiæ partem peragrauit, & ſæpius etiam in vitæ venit diſcrimen. Multa in hoc itinere antiquitatis monimenta perluſtrauit, varia etiam ſecundum geometriæ & coſmographiæ regulas delineauit. Omnia, quæ vidit, audiuit atqoe intellexit, in commentaria, vt ipſe profitetur, retulit, quæ Cracouiæ, ſub inſcriptione: *de libertate Poloniæ & magni ducatur Lithuaniæ* &c impreſſa fuere Sed hæc commentaria, qood dolendum, iam nusquam, vt molta alia Striykouii ſcripta, inueniuntur. Ex Turcia in Poloniam reuerſos, ab epiſcopo Samogitiæ *Melchiore* canonicus Miednicenſis creatus fuit. Hiſtoriam deinde Lithuaniæ, Regiomonti anno 1682. typis exſcriptam, edidit, opus præſtantiſſimum & in hiſtoria Lithuana vnicum. *David Braunius*, accuratus, ſed ſeuerus ſcriptorum Polonorum cenſor, hæc in laodem Striykovii, (de ſcriptor. Polon. virtut. & vitiis p. 36) ſcripſit: *multis antiquitatum monimentis perluſtratis, præter extraneos hiſtoricos Græcos, Latinos, & Germanos, Turcorumque annales euolutos, ex manuſcriptis chronicis Lituanicis numero XII, Prusenicis No V. Liuo-*

PA, Agenoris Regis Lybiæ & Syriæ 44) filia, denominationem traxit, cuius insigni pulchritudine subiter (ut Poetæ fabulantur) captus, nullam aliam occasionem ad effectum insani amoris habens, in bouem niueum sese transfigurauit, in litoreque maris viridifero, vbi virgines ceteræ cum Europa Reginula ludebant, armentis boum sese interiunxit. Europa vitulum præ omnibus pulcherrimum videns tergo eius insedit, qui confestim in mare cum ea insiliens, in Cretam insulam, siue Candiam, dicitur eam transtulisse. Porro Europam ab oriente Tanais fluuius celeberrimus disterminat, a meridie mare mediterraneum, a septentrione Anglicus siue Britannicus oceanus, ab occidente vero, oceano Atlantico finitur. Hæc pars mundi ceteris duabus, vtpote Asia, & Africa, minima est, 45) sed ad habitandum habilior, conuenientiorque & moderatior: nam neque calida, torridaue, nec etiam frigida nimis: ideo habitatoribus copiosior, frequentior, pleniorque est, exceptis regionibus septentrionalibus

Europæ denominatio ab Europa Agenoris Regis filia.

Europæ termini.

K

Liuonicis No. IV. Polonicis No. V. Kiouiensibus N. IV. Russicis compluribus, denique Moschouiticis, Bulgaricis & Slauonicis aliquot, integro septennio, (hoc est, ab a. 1575. ad a. 1582.), *labore maximo,* CHRONICON *Lituanicum, Polonicum, Russicum, Prussicum, Liuonicum, Samogiticum & Moschouiticum, lingua Polonica composuit, typisque, Regiomontanis a. 1582. quousque historias deduxit, cum priuilegio regis Stephani publicauit. Quo labore magnam laudem meruit, quia ante eum nemo, tot documentis antiquis tot præsertim a sæculo, ex quo fides Christi simul cum notitia scribendi Russos illustrauit) tam amplam de gentibus illis aggredi ausus fuit historiam, pauci vero, & in his Baro ab Herberstein, attigerunt. Ideo dignissimus hic auctor, quem Albertus Wyiuk Kotolowicz perpetuo compendio, quantum ad historiam Lituanicam pertinet, nitida Latinitate vertit. Et quia hoc Striykouii Chronicon nunquam post hanc primam editionem recusum est, incuria Polonis sueto, idcirco possessoribus eius rarissimum est & charissimum.*

STRIYKOWSKI etiam archidiaconus (fortasse Samogitiæ) fuit, si Starovolscio credere fas est, qui in elogiis p. 88. edit. Venet. id affirmat his verbis: *a Samogitiæ episcopo canonico dignitate & archidiaconi munere ornatus fuit, atque regi AUGUSTO in Lithuania tum commoranti, ob conscriptas stilo eleganti res Polonicas Lituanicasque* (hoc non de historia Lithuana intelligendum, quæ illo tempore nondum fuit edita) *in quo præcipue laborauit, in primis gratus, ob eoque sanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus fere regnorum arcana committi solent, præfectus, in eodem studio ætatem consumsit.* Mirandum autem Striykovium de archidiaconi munere & de præfectura illa, ne verbum quidem in historia sua Lithuana, in quo sæpius de se loquitur, dixisse. Faceto deinde etiam atque eleganti floruit ingenio STRIYKOWSKI ob idque IOANNI CHODKIEVICIO, exercitus Lithuani duci secundo, charus, teste Starovolscio in Sarmatiæ bellatoribus N. CV. p. 133. edit. Vratisl. cuius de hoc sequentia verba: *qui* (Chodkievicius) *tametsi ad seueritiam natus videretur, apprime tamen consortio eruditorum virorum afficiebatur, præcipue Stricouii archidiaconi Samogitiæ, quod vir ille & facetus esset, & loco ac tempori optime inseruire sciret, iocisque atque salibus animum eius oblectaret.* Hoc adhuc de STRIYKOVIO, quo quidem supersedere vellem, annotare cum dolore debeo, nempe quod non adeo bona stetit fortuna. Audiamus ipsum in dedicatione historiæ Lituanæ ad regem STEPHANVM BATHOREVM, quiritantem: *voluntati,* inquit, *addictissimæ, quo minus illa in lucem prodirent, illud obstitit quam maxime, quod Aulo Gellio noctes Atticas scribenti, & quod diuino Nasoni de ingratitudine suæ ætatis conquerenti, cum etiam illud de me ingenue (rumpantur licet ilia Codro) dicere audeam:*

Ingenio poteram summas volitare per arces
Menisi: &c. *Sed*
Inuia virtuti nulla est via
Ipsa quidem virtus precium sibi,
Fortuna secura nitet, nec fascibus vllis
Erigitur &c.

Qua ego etiam duce, nulla vnquam comitatus fortuna, quæ perpetuum virtuti bellum indixit, Serenissime Rex, duobus fere lustris dies noctesque, Gelliano labore excubando, probabilibus auctoribus vndique conquisitis, hanc totius Sarmatiæ, Slauorum Polonorum Lituanorum, Samogitarum, Russorum, Volhiniorum, & ceterarum totius imperii tui nationum historiam, propria industria & inuentione adhuc vsque tempora descripsi, nouaque luce, quam nunquam antea, densissimis & plus quam Cimmeriis tenebris inuolutam vidit, nullis sumtibus parcendo donaui. Mira res est, vt cæca fortuna semper tyrannidem in homines virtuti deditos exerceat, tam verum est, vt virtus omni tempore laudetur & algeat. Non fugit cordatos politicos, vnicum exemplum eximiæ virtutis atque eruditionis haud remuneratæ, plus ad opprimenda optima ingenia, quam decem exempla virtutis mediocris remuneratæ, ad ea excitanda, facere, neque minus tamen sæpius in historia eius modi exempla pessima obueniunt. Cetera, quæ Striykovium attinent, & qua ætate, quo anno, & vbi mortuus, ignoro, hoc legisse memini, immaturam eum mortem obiisse.

44) *Agenor* secundum alios fuit Phoenicum Rex, Beli regis filius, cuius pater *Didus.*

45) *Miror* Striykovium Americæ non fecisse mentionem, quæ quarta orbis terrarum pars, illo, tempore iam fuit nota.

nalibus, oceano glaciali contiguis: quæ aliqua ex parte ob intensa frigora inhabitabiles sunt. Religione quoque Christiana, moribus & viuendi consuetudine incolarum, vrbiumque frequentia, & rerum commestibilium fertilitate, cœlique & aeris temperie, Asiæ & Africæ, quamuis longe amplioribus, facile anteponitur.

Quot milliaribus pateat Europa.

Intellige hic milliaria Polonica, siue Germanica, quæ Italica 5. & Moschouitica totidem complectuntur

Ducentis quadraginta quinque milliaribus Germanicis in latitudinem patet, a mari Aegæo, siue Ionio, ad oceanum vsque Hybernicum. In longitudinem vero septingentis sexaginta milliaribus extenditur, a Portugallia videlicet, regno Hispaniæ, ad Tanaim vsque fluuium, qui Sarmatiam ab Asia disterminat. Inchoatur autem Europa ab oriente a fluuio Tanai, a meridie vero ab Aegæo mari Græciæ.

Sauromatia duplex

46) In hac parte orbis tertia SAVROMATIA regio amplissima, multas nationes, regnaque eiusdem generis complectens (de qua nobis res agitur) sita est. Est autem duplex Sauromatia, vna Scythica siue Asiatica in vlteriori, orientaliue ripa Tanais, & Vuolgæ fluuiorum, quam incolunt Tartari, siue Scythæ Zauuolhenses, & plures alii, in *Hordas*, id est, tribus certas, diuisi. Altera Europæa Sauromatia dicitur: cuius coloni sunt Poloni, Russi, siue Ruteni Lituani, Masouitæ, Pruteni, Pomerani, Liuones, Moschouitæ, Gothi, Alani, Valachi, & Tartari, qui in hac ripa Tanais fluuii occidentali, iuxta Pontum Euxinum degunt. Hanc ab oriente Tanais fluuius, palusque Mæotis ab Asia dislimitat, ab occidente vero Vistula, vel secundum quosdam, Odera fluuius, a meridie montibus Hungaricis, BESKID gentiliter dictis, terminatur, ab aequinoctio mari Germanico, siue Sarmatico fines suos a Germania dirimit.

Montes Carpati dicuntur.

Sauromatiæ Europææ situs, finesque.

Ptolemæus vero Lib. 3. cap. 5. Sarmatiam Europæam, a septentrione, oceano Sarmatico terminari scribit, iuxta sinum Venedicum, ad fines vsque Engroneland terræ incognitæ, vltra Nortuegiæ regnum longe patentis, ab occasu Vistula fluuio & parte Germaniæ, quæ est inter caput ipsius, & montes Sarmatarum. A meridie Iazigis, metanastis, 47) quæ est gens Hungarica, ab oriente, Istmo eam ambiri refert, a Carcinito fluuio per Bicen paludem, & latere paludis Mæotidis vsque ad Tanaim fluuium, in prouincia Resanensi Moschouiæ fontes habentem: hic autem fluuius Asiam Scythicam ab Europa dislimitat. Australi deinde plaga Sarmaticorum montium iugis ad Carpatum vsque montem, *Tatri* siue BESKID vulgo appellatur, Sarmatia Europæa finitur: denique per Valachiam, Moldauiamque ad Boristhenis vsque ostia, vbi in pontum ingenti aquarum colluuie, influit, & per litora ponti ad Carcinitum vsque fluuium ex montibus Circassorum quinquemontanorum defluentem extenditur Sarmatia Europæa, secundum Ptolemæi, Cosmographorum principis, opinionem, qui etiam hos fluuios ætate sua celebriores Sarmatiam præterfluere asserit. Vistula, qui & Vandalus, Istula siue Iustula variis nominibus apud veteres enunciatur, hic ex montibus Sarmaticis emergit, Silesiaque & Polonia, Masouia, Prussia præterlapsus, multis fluuiis exhaustis, apud Gedanum, Prussiæ emporium celeberrimum, in mare Sarmaticum, siue Balticum exoneratur. Cronon quoque fluuius insignis in Russia, non longe a

Celebriores fluuii Sarmatiæ Europææ.

Tu-

46) Longitudinem & latitudinem Europæ quod attinet, Striykouius hic corrigendus, qui male Europæ terminos metitus est. Latitudinem enim Europæ a mari Aegæo, siue archipelago, non vsque ad oceanum Hybernicum, quæ distantia, 400., non 245. vt Striykouius ait, milliaria Germanica efficit, sed ab insula Græciæ, Candia, ad oceanum septentrionalem, iuxta Laponiam Danicam metimur, quæ locorum distantia ex 560 milliaribus Germanicis consistit. Longitudo deinde non a Tanai fluuio, qui nunc *Don* audit, sed ab Obii ostio in Moschouia ad Algarbiæ fines in Portogallia patet, quæ 780 milliaria Germanica in se continet, cum distantia a Tanai fluuio ad Portugalliam non 760, secundum Striykouium, sed tantum 600 milliaria Germanica efficiat. Qui vero longitudinem ac latitudinem superficiei alicuius metiri velit, illas, quæ maximæ sint, vt geometriæ tironibus notum, accipere debet. Europæ igitur longitudo & latitudo maximæ sunt eæ, de quibus nunc diximus, secundum nouissimam ac præ ceteris omnibus accurate delineatam Europæ tabulam geographicam celeberrimi quondam hac in scientia viri *Io. Matth. Hasii* in academia Vitebergensi professoris matheseos. Quod super est, Europa recte inchoatur ab oriente a fluuio Tanai, sed a meridie melius dicitur ab insula Candia, a septentrione ab Obii ostio & Laponia Danica, ab occidente a Portugallia.

47) *Metanastæ*, Græcum vocabulum, sunt populi, qui solum vertentes alio commigrant.

rouu oppido ortus, Rusfiæ regiones & Lituaniæ ac Prusfiæ percurrens, poſt Viſtulæ oſtia ad ſeptentrionem reflectendo, in Germanicum quoque mare (quod Cronium inde forte dicitur) influit, vulgo NIEMEN appellatur. RVBON quoque fluuius, qui *Dzwina* vulgo, Latinis & Germanis *Duna* dicitur, in Rusfia Moſchoviæ fontes ſuos habet, & magna parte Rusſiæ, Lituaniæ, & Liuoniæ prætérlapſus in prædictum mare, a Riga, Liuoniæ metropoli, duobus milliaribus, amplisſimis oſtiis, poſtquam centum triginta milliaria Polonica a fontibus ſuis emenſus fuerit, ingreditur. TERNVTIS quoque & CHERSINVS fluuii, ſecundum Ptolemæum ex Riphæis montibus naſcentes, in prædictum mare exonerari di cuntur, qui mihi *Narew* & *Bug* vulgo dici videntur. Præter ea Sarmatia Europæa multos alios fluuios celeberrimos habet, vtpote Boryſthenem, *Dniepr* vulgo dictum, in Pontum Euxinum influentem, HYPANIN, qui hodie Bog (non Bug, qui Viſtulæ commiſcetur) dicitur, TYRAN, qui Dnieſter proprie a *tirando* Italico verbo, quaſi ſagittando dictus. Horrida enim violentia aquas impellit. Inſuper Viliam, Diſnam, Seripetum, Sluczam, Naruam in Liuonia, & alios complures nauigabiles fluuios, quos recenſere longum eſſet. Hoc itaque in imperio Sarmatico, cuius modo limites ex Ptolemæo, & noſtra propria experientia deſcripſimus, Rex Poloniæ a maioribus ſuis, belli vel pacis iure acquiſito, rerum potitur, & modernis temporibus Sarmatia Poloniæ Regis potentisſimi, & inuictisſimi monarchæ his finibus includitur.

A montibus Sarmaticis, & Tranſſyluaniæ palatinatu, ad Viſtulæ fontes, vbi incipit Ducatus Teſſinenſis, inde per Sileſiam ad Oderam fluuium, & vſque ad Marchiam Brandenburgenſem, ac Francfordiam, per Pomeraniam quoque longo tractu ad litus oceani Germanici, ſinumque Codanum, ſiue Balticum, per latus demum ſeptentrionale per Samogitiam, Curlandiam, Liuoniæque ampliſsimum dominium, ad Phinlandiam vſque, vltimam fere orbis regionem, Suecorum Regi ſubiectam, orientem verſus per multas regiones Rusſiæ ad Moſchorum Principis imperium vſque extenditur. A Germanico vero Oceano ad Alexandri Macedonis aras per campeſtria deſerta ad paludes Mæotidis longiſſimo tractu vltra Boryſthenem procedendo, deinde Ponto Euxino per campos Podolienſes, & per Moldauos ac Valachos rede undo Iazigis, metanaſtis, vel Tranſylvanis, & Hungaris, montibuſque, qui hodie Scepuſienſes dicuntur, a meridie imperium monarchæ Poloniæ diſiungitur.

Dicta eſt autem Sauromatia Græcis, ſimilitudine ſumpta ab hominibus viperinos oculos habentibus, terribilibus ſcilicet & crudelibus: nam *ſauros* Græcis viperam, *omma* vero oculum ſonat. Atque nunc in primis de Polonis præcipue ante Sauromatica dicendum nobis occurrit.

Sauromatiæ vtriuſque denominatio.

DEDVCTIO ET ORIGO ANTIQVAE, BELLICOSAEQVE *gentis Sauromaticæ, quæ ex Polonia ortum genusque ſuum ducunt.*

Eductionem, originemque Polonorum, eorundem geſta ſecundum ordinem deſcripturus: paucis obiter lectorem admonendum volo, ne quid me in principio rei de Polonis dicturum ſigillatim exiſtimet. Conſequens enim eſt, vt antiquisſimæ gentis Sauromaticæ, ſiue Slauonicæ originem & mores priſcos, aliis in primis inueſtigaremus, quod pro rei ipſius faciliori intellectu fortaſſe vtile erit. Liquet aperte ex ſcripturis ſacris veteris legis, ad quod etiam omnium hiſtoricorum conſentiens opinio eſt; IAPHET filium natu maximum NOHÆ, poſt diluuium totius mundi diluuium, orientem, & ſeptentrionem verſus in Europa & in Aſia minori, primum conſediſſe, illicoque, cooperante diuina voluntate, in maximam gentem excreuiſſe, quod ei, cum Etymon nominis, dilatationem ſignificantis, tum fauſta NOHÆ parentis imprecatio, portendebant. Sic etiam NOHA ille Patriarcha præfigurans neceſſarie futuram

Iaphet Nohæ Patriarchæ filius, vbi cõſederit poſt diluuium.

Etymon Iapheti.

turam esse trinam conditionem vitæ humanæ, filiis suis dixisse, singulisque singula officia administranda iniunxisse, & demandasse fertur, vt vnusquisque suæ vocationi prædefinite correspondeteret, in hæc verba: Tu Sem ora, velut sacerdos, munus diuinum obiens: CHAM labora, agros colens, & artes mechanicas exercens: tu IAPHET rege, & protege velut Rex & miles, arma exerce, ceterosque certis propositis legibus in officio retine. Quod mandatum, ad testamentum Nohæ hæc vsque in tempora durare videmus: vna quæque etenim natio ex illius filiis propagata, suam vocationem ex quadam prædestinatione, & paterna imprecatione exercet. Posteri igitur Iapheti, cum maiorem orbis terrarum partem in Europa, Asiaque minore occupauerant, testamento patris sui, & faustæ imprecationi Nohæ Patriarchæ correspondentes, statim ad arma exercenda animum adiecerunt, & innumerosam gentem temporis successu, sub Duce GOMERO, Iapheti filio, in orientali vbi Armenia, & septentrionali plaga, excreuerunt, ad Bosphorumque Mæotidi paludi proximum, qui nunc Cimmerius dicitur, & ad fontes ostiaque Tanais longo tractu sedes suas habuerunt. Postea potestatem, & prælaturam sub qua ceteri regantur, necessariam esse considerantes ad TVISKONEM siue ASCENAM, Gomeri filium, imperium detulerunt, qui, Beroso teste, latissime a fontibus Tanais ad Rhenum vsque fluuium Germaniæ imperauit. Hunc Tuisconem, prædictus Berosus Historiographus, Germanorum omnium, Sauromatarumque pariter conditorem esse, asserit, quo testimonio satis recte probaretur Sarmatas, siue Slauos, cum Germanis vnum esse, cum ab eodem auctore, & propagatore processerint. CRANTIVS quoque rationatur, Polonos Bohemosque Germanis congeneros esse, eo quod frequens Germanicæ linguæ apud hos populos vsus fuerit, & vestibus Germanicis multi eorum vtantur. Qua ratione quoque probaretur eos Latinos, vel Italos, Hungarosque esse: nam hæ quoque linguæ, idemque habitus apud Polonos nunc ex magna parte in vsu esse cœperunt, & Latina lingua omnes fere nationes vincunt. Non recte igitur Crantius hic ratiocinari videtur: si enim Slaui vel Sauromatæ ex Germanis oriundi essent, eademque cum eis antiquitus lingua vterentur, vnde igitur Sarmaticæ, siue Slauonicæ linguæ apud Sarmatas vsus ortus esset? qua hæ gentes passim, & vulgariter, vtpote innata, vtuntur, habitu quoque, moribus, & vitæ consuetudine Sarmatæ a Germanis penitus diuersi sunt, quod etiam Plinius approbat, dicens: Sarmatæ quidem certe Germani non sunt, sed ab iis Vandalo, siue Vistula fluuio, ad ortum solis vergente dirimuntur, cui sententiæ probati antiquitatis indagatores, Cornelius Tacitus, Strabo, & Ptolemæus astipulantur. Sed ad rem vnde digressus sum, redeo. Illa posteritas Iapheti impigra, strenua, manuque prompta, & bellicosa extitit, quod res ipsæ ab illis strenue, audacissimeque gestæ abunde testantur: toti enim orbi terrarum tunc temporis terrori dicuntur esse, vnde a Græcis Sauromatæ in primis appellati sunt, deducto nomine a *Sauros*, quod est vipera, & *omma*, oculus, quasi dicas gens terribilis cum viperinis oculis. Ab hoc itaque tempore hæc gens, regionesque eorum quas incolunt, Sauromatiæ nomen retinent. Hi postea tempore succedente, & in dies magis ac magis numero populi accrescente, videntes illas sedes patrias propter se, progeniemque paulo arctiores esse, a Tanais fluuii ostiis, & paludibus Mæotidis meridiem versus vlterius processerunt, per regionesque propinquas, Datiam, Russiam, Lituaniam, Borussiam

Noha filiis singulis singula munia obeunda demandat.

Ora, labora rege, protege.

Iapheti posteritas.

Gomer Iapheti filius.

Tuisco Gomeri filius.

Berosi testimonium,

Crantii opinio

Plinii de Sarmatis assertio

Sauromatæ vnde dicti.

orussiam, quæ nunc Prussia dicitur, Livoniamque longe lateque diffusi
int. Quorum maior pars in has prouincias campestres, quæ hodie a Polo-
is coluntur, commigrauit, fluuiique Vistulæ, quæ antiquis Vandalus diceba-
ır, vtrasque ripas occupauerunt, et statim cum antiqua gente Teutonum,
uæ etiam ad Vistulam fluuium in tuguriolis antiquitus degebat, societatem
tque amicitiam, velut aduenæ, contraxerunt, propter communem prædam, ac
ıpinas, cum adhuc minime assueti essent sudore proprio, vel agricultura, ar-
ficiisque victum acquirere. Manu itaque coniuncta frequentes irruptiones
ı Prussiam, Saxoniam, & Pomeraniam exercebant, prouinciasque maritimas
ssiduis excursionibus diuexabant, & mare Balticum, siue Germanicum pro-
ter res sibi necessarias acquirendas, piratarum more, remigiis tentabant.

Sarmatarum prima commigratio.

Sarmatæ ad Vistulam fluuium venientes, & cum Teutonibus amicitiam contraxerunt.

Quando vero & qua occasione hæc migratio Sauromatarum a fontibus,
ostiisque Tanais fluuii, & paludibus Mæotidis in has regiones contigerit,
uoniam nulla gentis ab eo tempore monumenta extant, ex quibus id consta-
e possit, ignotum est. Si enim litterarum cultura æque ac res militaris a-
pud Sauromatas tunc temporis floruisset, certiora de suo in hæc loca aduentu
liisque rebus præclare gestis, monumenta reliquissent, sed ipsi animose, vi-
ilıterque agere, & bella exercere, quam eleganter & ornate scribere malue-
unt. Sabellicus tamen et Herodotus scribunt, Sauromatas & Cymbros a
Lydorum rege ALIATE ex Asia eiectos esse. Quidam etiam opinantur, eos
vi a Gothis expulsos, sedibus patriis emigrasse, quod verisimile non videtur,
sed potius suapte sponte ac voluntate, siue fato quodam impulsos, siue opum
alienarum cupiditate accensos, cultiora loca appetiisse eos existimauerim.
Neque vero soli Sauromatæ, sed et aliæ quædam gentes, ipsis conterminæ, se-
dibus patriis relictis, in alias terras cultiores migrantes transierunt, inter hos
Cimmerii, siue Cymbri, Gothæ, Daci, Sueui, siue Tuiscones, & Sacæ, qui
nunc Saxones dicuntur. Hi etiam, in hæc vsque tempora, Sarmatis sunt con-
termini. Neque vero vniuersam gentem illinc se simul effudisse constat, sed
remansisse nonnullos, qui relicta ab aliis loca colerent, quod hodierni incolæ
illius oræ, iuxta Tanaim fluuium degentes, aperte testantur, vtpote Tartari
campestres, qui longo tractu iuxta Tanaim fluuium & paludes Mæotidis, Pon-
tumque Euxinum viuunt. Hi enim a veteribus Sarmatis, moribus & institutis
haud dissimiles sunt. Sed ad rem redeo. Illi Sauromatæ, qui ad Vistulam flu-
uium consederant, cum Teutonibus, commilitonibus suis, omnes prouincias
circumiacentes, & colonias frequentibus diuexationibus depopulatas, ad ni-
hilum redegerunt, & victum amplius acquirere non potuerunt. Agros enim
non colebant, sed paratis & raptis viuebant. Ideo sterilitate soli per ignauiam
suam causata, adiunctis sibi in societatem vicinis Teutonibus, vlterius, inqui-
rentes fertiliores prouincias, processerunt, quorum multitudo trecenta millia
virorum excessisse fertur, & a fluuio Vandalo, nunc Vistula dicto, quem acco-
lebant, Vandalitæ, Sarmatarum nomine abolito, appellati sunt. Primo itaque
hi Vandalitæ populabundi in Pannoniam excurrerunt, Constantini magni
temporibus, eamque XL annis, expulsis primis eius incolis, occupatam tenue-
runt. Deinde, Hungaricis historiographis testantibus, a Gothis illinc eiecti, ex-
pulsique sunt. Polonorum vero annales testantur, Vandalitas ex Pannoniæ
finibus eductos, per Stillicum, ducem suum, in Italiam, quam armis crudeliter
peruastarunt. Postea in Hispaniam cum eodem duce suo Stillico commigra-
runt, ex Hispaniis vero per mare Herculeum nauigantes, in Africam deuene-

Sauromatæ olim litterarum ignari, bellis armisque assidue studentes.

Sabellici & Herodoti opinio de Sarmatis.

Causa aduentus in hæc loca Sarmatarum.

Sarmatarum cum Teutonibus a Vistula fluuio, a quo Vandalitæ dicti, in Pannoniam commigratio.

Vandalitarum in Italiam Hispaniamque eruptio.

Vandalitæ in Africa.

runt, vbi annos ducentos in pace, & abundantia omnium rerum peregerunt, Romanumque imperium nauali, & terrestri bello variis excursionibus debilitarunt, ac ipsam Romam sub Sixto Papa, vt quidam volunt, anno Christi CCCCXXXVIIII crudeliter vastarunt. Tandem anno Domini DXXXVIII Iustinianus Imperator per ducem celeberrimum exercitus sui Belisarium, virum insignem, & rebus gestis clarum, eos cruento prælio profligauit, ex Africaque funditus exterminauit, Rexque eorum Gilimerus captiuus Constantinopolim abductus est. Aiuntque nonnulli, hoc prælio Belisarii, Vandalitas, ad internecionem vsque gentis, cæsos, deletosque fuisse, sed id a vero esse alienum, non vno argumento liquet. Etsi enim vires eorum adeo fractæ, attritæque essent, vt robur vetus & potentiam pristinam recuperare nunquam potuerint reliquiæ tamen eorum ita fuga dispersæ sint, vt quidam in Poloniam ad Vistulam fluuium, natale videlicet solum, vnde ortum duxerunt, regressi, nonnulli in Græciam, , & Pannoniam, Germaniamque, nouis querendis sedibus, dilapsi sint. Horum reliquiæ, vltra Albim fluuium in septentrionem sparsim habitantes, Slauonico idiomate maiori ex parte vtuntur, & ducatus, quem incolunt, confinis Prussiæ, Vandalia nuncupatur, cuius Dux, Prussiæ Polonorum feudalis titulum sibi vsurpat. Porro vero omnes Germani, denominatione a Vandalis sumpta, omnes Sarmatas, Slauonica lingua vtentes *Vuenden* siue *Vuinden* promiscue appellant, mareque, quod Sarmatiam alluit, Venedicum vocant. Cetera horum Vandalitarum gesta, breuitati consulens omitto, nihil de eis scribitur, solummodo barbara atrocitas, & immanitas, qua crudeliter in omnes sæuiebant, adhucque hodie in Litaniis catholicæ ecclesiæ Romanæ canitur: *a Vandalis libera nos Domine*. Post hos Vandalitas ex iisdem Sauromatiæ sedibus, alia a fluuio Tanai, Paludibus Mæotidis gens crudelis, priori non dissimilis, ortum duxit, qui Roxolani siue Rosseni, & Rutheni, Russique cognominati, Procopio Historiographo id testante. Volgari quoque siue Volhinii, populi ex iisdem sedibus, a Volga fluuio amplissimo, cognominati, moribus & idiomate Slauonico cum Roxolanis concordantes, ortum duxerunt. Volga autem fluuius celeberrimus, quem plurimi Tanaim, falsa opinione ducti, existimabant, Ptolemæo *Rha*, Tartaris *Edel* dicitur, Moschouitasque certis limitibus cum Tartaris campestribus disterminat. Illi itaque Roxolani, siue Russi, cum Volgaris ob similitudinem, & vnitatem consuetudinis vitæ, amicitiam & societatem contraxerunt, coniunctisque viribus in Tauricæ regionem, quæ nunc a Tartaris Præcopensibus occupata est, penetrarunt, ibique locum domicilio delegerunt: quamdiu ibi degerint, vel quo tempore aduenerint, incertum est, nullus enim inter eos inuentus erat, qui temporum, rerumque a se gestarum vices literis mandando, posterorum memoriæ, factorumque æternitati consuleret. Audientes tandem discordiam pullulare inter principes Christianorum in Græcia, quidam eorum cum duce suo Crumo, Danubio traiecto, recta in Thraciam populabundi perrexerunt, vbi Imperatorem Constantinopolitanum cum exercitu, cruento prælio fuderunt, Nicephorum quoque, & Michaelem Curopalatem, Imperatores, ad Adrianopolim occiderunt. 47) Tandem Mysia vtraque occupata, eam Volgariam a sui denominatione, quæ nunc Bulgaria dicitur, vocauerunt. Alii eorum Russiæ

regi-

Vandalitæ ex Africa pulsi.

Vandaliæ ducatus.

Mare Venedicum.

Roxolani siue Ruteni gens Sarmatica fecunda.

Volgari.

Volga fluuius

Roxolani in Taurica

Volgari Sauromatæ cum Roxolanis Constantinopolitanos Imperatores occiderunt

Bulgaria.

47) *Nicephorus* imperator, homo perfidus, fuit quidem in Bulgaria a *Crumo* trucidatus in prælio, minime vero prope Adrianopolim, & *Michael Curopalates*, pugna cum Bulgaris infausta inita, quam ob causam *Leo Armenius*, exercitus dux seditionem fecit, cuique deinde imperio cedere debuit, factus in insula *Prota* monachus, vitam exegit. Vid. *Ioan. Zonaræ* annalium Tom. III. p. 104. edid. Basileens. a. 1557.

regionem occupauerunt, quam Vuoliniam, quæ hucusque hoc cognomen retinet appellauerunt. Ceteri quoque Podoliam, Lithuaniam, Podlasiam, Masouiam, regiones occupauerunt. Hi omnes loca semel occupata, hæc vsque in tempora non mutarunt, exceptis illis, qui in Mysia consederant. Variis autem nominibus ab historiographis appellabantur. Græci enim eos Sporios, id est, dispersos, Sauromatasque, id est, crudeles, sumpta a viperis similitudine, appellabant, ceteri eos Roxolanos, Besos, Guados, Bodinos, a fluuio Boristhene, Bolgaros, a Volga, Morauos, a Moraua flumine, vel a Morato rege, Antos, Basnos, Carnios, Serbos, Rascios, a Russia, Dalmatas, Slauos, Illiricos, Istrios, ab Istro siue Danubio, Bohemos, a regione Boëmia, Polonos a campestri planaque regione, vel a venatione. *Pole* enim venationem & planitiem Slauis significat, hæcque gens planam fere, apertamque regionem incolit, et apprime venandi studio tenetur. Hæ gentes Sarmatiæ, vt in plures diuersasque prouincias diuiduntur, variisque nominibus appellantur, sic etiam diuersa variaque idiomata præ se ferunt, secundum terrarum distantias, quamuis omnes vnius gentis & idiomatis Slauonicæ fuerint: nam Moschouitæ a Ruthenis aliquantulum Rutheni quoque a Polonis, & Massouitis, sic etiam Bohemi, Croatæ, ab inuicem idiomatis expressione, accentibus & prolatione verborumque immutatione differunt, ita vt sese intelligere difficile possint, nisi mutuo familiaritatis vsu alter alterius linguæ assuetus fuerit. Nam quia Sarmatæ siue Slauones, bellicosi, pugnacesque extiterunt, pacem odio prosequentes, varias mundi partes peragrabant, & pro suo arbitrio occupabant, peregrinorum quoque vocabuliorum vsu idioma Slauonicum immutarunt. Apparet autem ex antiquorum historiographorum scriptis, gentem Slauinorum, vel Slauorum in Paphlagonia, regione Asiæ minoris, tempore belli Troianorum, floruisse. Procopius etiam Cæsariensis, ante mille & quinquaginta annos, de bello Gothico, Iustiniani imperatoris temporibus, scribens, mentionem quoque Slauinorum facit. Blondus vero, qui ante centum decemque annos, historiam ab inclinatione imperii Romani conscripsit, antiquiora Arcadii & Honorii tempora persequens, Slauorum meminit. Iornandes autem Alanus, in suis chronicis dicit, id nomen SLAVORVM suo tempore nouum extitisse, idioma autem hoc, quo nunc Slauones vtuntur, antiquum fuisse: scribitque hic Iornandes, & Diuus Gregorius, primus huius nominis Romanus Pontifex, Slauos ad Istrum, seu Danubium, septentrionem versus, habitasse, traiectoque, Danubio Mysiam vtramque, Pannoniam, Macedoniam, Thraciam, Istriam, diuexasse, interque Drauum & Sauum flumina, in Illirico & Dalmatia consedisse, eis regionibus Slauoniæ nomen indidisse, Romanumque imperium penitus debilitasse.

Iidem SLAVI ne Germaniæ quidem pepercerunt, ac ad eam amplitudinem peruenerunt, vt prope dimidiam Europæ, & Asiæ partem teneant: etenim in ea natione connumerantur non solum ii, qui Dalmatiam, Illyricum, Carpatum, & Hungariæ montana tenent, sed aliæ omnes orientales & septentrionales maximæ & fortissimæ gentes, quæcunque Slauonico idiomate vtuntur, vtpote Bulgari, Bosnæ, Serbii, Croatæ, Carnii, Rascianii, Dalmatæ, Istrii, (Burgundi iam Slauorum linguam amiserunt) Stirii, Poloni, Masouitæ, Pomerani, Lusatii Podolii, Volinii, Rutheni, Moldaui, Moschouitæ latissime imperantes, Cassubii Vandalii, Silesii, Morauii, Bohemi, & ceteri. In omnibusque his prouinciis, ab oceano glaciali, qui vltra Moschorum principis ditiones longissimo tractu septentrionem versus extenditur, ad mare vsque mediterraneum & Adriaticum, populi idiomatis Slauonici reperiuntur. Sic quoque a Ponto Euxino Moldaui, Valachiique, & ceteræ Ruthenorum gentes ad mare vsque Germanicum colonias suas habent. Quamuis plurimi eorum patrium viuendi modum in pe-

[Margin notes: Vuolhinia. gentes Russiæ. — Sarmatarum Roxolanorum que variæ appellationes. — Poloni vnde dicti. — Varietas sermonis Slauorum — Causa immutationis Slauorum idiomatis — Antiquitas Slauorum. Historiographorum opiniones de Slauis — Diui Gregorii de Slauis assertio. — Gentes Slauonicæ quantæ & quot? — Slauorum termini.]

regrinos mores commutarint. Bulgari enim, Bosnæ, Rascii, Dalmatæ cum Turcis & Hungaris, Burgundii, Mysii, Pomerani & Silesii cum Germanis: Lithuani, Ruteni, Masouitæ cum Polonis, Istrii, Carniolani, Carinthii cum Italis sentiunt. Attamen omnes hi, quamuis inter peregrinas gentes diffusi, dispersique sunt, patrio idiomate Slauonico, diuerso modo licet, vtuntur. Plurima & præclara gesta hi Sauromatæ exercebant, præcipue vero cum Roxolani, quorum posteri nunc Rutheni, siue Russi dicuntur, strenue cum Mithridate, Rege Parthorum & Ponti belligerarent, qui has regiones, quas hodie Turca, possidebant. Cum Romanis quoque & ceteris finitimis regibus longas acies vario Marte tenuerunt, sed quia gentiliter viuebant, litterasque ignorabant, ideo etiam præterita recordare, & antiqua gesta ad posteritatem transmittere flocci pendebant. Porro qui diligentius rem ipsam considerare velit, nullam gentem olim Sarmatis bellicosiorem extitisse videbit: hi enim omnes miserias bellicas, frigora, intempestates, & id genus alios casus, facile sustinebant, & propter nomen æternum nulla vetustate aboliturum, vitam flocci pendentes, morti impauidi, variis periculis opponebant, de quorum insigni fortitudine audacique animo, Ovidius ille Naso, e Roma ad Pontum in regnum Tauricæ relegatus, pro singulari miraculo, Romanis proceribus scripsit in hæc verba: Lib. I. de Ponto, elegia II ad Maximum.

Slauorum commutatio, metamorphosisque.

Roxolani cum Mithridete Ponti rege bellabent.

Sarmatis nulla olim gens bellicosior.

Hostibus in mediis interque pericula versor,
Tanquam cum patria pax sit adempta mihi.
Qui morti sæuo geminent, vt vulnere causas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
Hic eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circumeunt s oues.
Tecta rigent fixis veluti vallata sagittis,
Portaque vix firma submouet arma sera.

Ad eundem in eadem elegia.

Aut quid Sauromatæ faciant, quid Iasiges ecres,
Cultaque Orestea Taurica terre Deæ.
Quæque aliæ gentes vbi frigore constitit Ister
Dura meant celeri terge per amnis equo.
Maxime pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonii militis arma timet.

Dant animos arcus illis plenæque pharetræ,
Quamque libet longis cursibus aptus equus.
Quodque sitim didicere diu tolerare, famemque
Quodque sequens nullas hostis habebit equas.

Ad Atticum lib. II eleg. VII

Nulla Getis toto gens est truculentior orbe
Sed tamen hi nostris ingemuere malis.

Idem ad Vestalem eleg. VII Lib. IV

Ipse vides onerata ferox vt ducat Iazix
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub adunco toxica ferro,
Ac telum causas mortis habere duas.

Ex hoc igitur testimonio Ovidii, Sarmatas bellicosos, imperioque Romano minime subactos esse, apparet, cum dicit: *nec te pulcherrima curat Roma.* Porro quæ de antiquissimis eius gentis moribus & institutis proferri possint, hæc fere sunt. Vtebantur primis temporibus vetustissimi illi Sarmatæ siue Slauones, & qui in Polonia, Russiæque regionibus postea sedes habuerunt, eorum posteri prisca illa Slauonica lingua, quæ Sarmatis Ruthenisque gemina est. Regem aut principem secundum genus agnoscebant neminem, sed exortis subinde bellis ex suis fortissimum quemque, & factis illustribus spectatum, ducem sibi eligebant, nec diuturnius cuiusquam erat imperium, quam ipsum bellum, cuius gerendi dux esset declaratus. Vnde & nunc Polonis Rex non nascitur, sed consensu senatorum, qui dignus videretur, per sortem eligitur. Ad bella singuli viritim proficiscebantur, arcubusque, frameis, & lanceis oblongioribus vtebantur. Vxores secum ducebant, quæ incantationum, magicarumque artium gnaræ, auguriis & vaticiniis operam nauabant, de præliorumque euentibus scienter præsagiebant. Fugere in bello res insolens illis erat, quique id fecisset, ei nullus

Antiquorum Slauorum siue Sauromatarum mores.

Rex in Polonie non nascitur.

Expeditio in bellum antiquorum Sarmatarum.

nullus ad suos reditus patebat, neque grauiorem vllam turpitudinem aut ignominiam nouerant. Summa apud eos dignitas erat, post electos belli duces, equitum, quos ab ornamentis auratos vocams, ad quam nemini aditus patebat, nisi qui virtute bellica, factisque in hostem patratis, id assequeretur. Martem, Lunam, Solem, aliosque vanæ religionis Deos adorabant, eosque diuersis & certis locis colere, et sacra ipsis facere solebant: de animarum tamen immortalitate recte sentiebant. Sepulturæ eorum eranr in siluis et agris, tumulosque, aggestis lapidibus, vestientes eminenter muniebant, quod genus in Russiæ regionibus passim adhuc visuntur. Nonnulli quoque more Romano cadauera cremare, cineresque collectos in vrnas recondere solebant, in victu paucis contenti erant. Permutatione rerum necessaria vtrinque comparabant. Nihil proprium absque arcu, framea & lancea possidebant. Vestibus vilibus, ex coriis ferarum, pellibusque vtebantur, ad talos demissis. Thesauros, possessiones, prædia, vestesque pretiosas non comparabant. Causas omnes & controuersias publico inloco, Marte iudice, armis dirimebant. Hæc plane sunt, quæ de antiquissimis Sarmaticæ, Slauonicæque gentis, institutis & moribus extant, quorum potissima pars in hunc vsque diem apud posteros eorum quibusdam in locis viget.

Fuga in bello Sauromatis tur pissima. Equitum militumque apud Sarmatas antiquos dignitas. Idola Sarmatarum. Sepulturæ. Victus. Commercia. Possessiones. Arma. Vestitus. Iudicia.

REGNI POLONICI CVM SVIS PALATINATIBVS ET PROVINCIIS

Ciuitatibusque, & arcibus principalibus compendiosa descriptio.

AVCTORE MATTHIA STRIYKOWSKI

REGNVM Poloniæ in Sarmatia Europæa amplissimum & nobilissimum, ab oriente nonnihil in septentrionem reflectendo, Masouiæ, Lithuaniæque contiguum est. A septentrione Prussiæ, marique Germanico, siue Venedico, adhæret. A meridie & oriente simul, Russia, Podolia, Valachiaque, & montibus Hungariæ, Beskid dictis, terminatur: ab occidente Silesia, Saxoniaque & Albi fluuio, fines suos terminat.

Fines regni Poloniæ.

Porro Polonia bipartita est, maior et minor. Maior ideo dicitur, quod in ea Lechus auctor Polonorum inprimis consederit, ibidemque Gnesnam ciuitatem, regni sedem, fundauerit. Sed postea sedes regia Cacouiam, minoris Poloniæ metropolim, translata est; vbi in hunc vsque diem perseuerat, atque hanc ob causam minor Polonia maiori anteponitur, quam in primis describendam aggrediemur.

Polonia duplex.

CRACOVIENSIS TERRA

CRACOVIA vrbs celeberrima, minoris Poloniæ metropolis, in planicie insigniter ad Vistulam fluuium nauigabilem, quo merces omnis generis Gentium, emporium Prussiæ, deportantur, condita, muro duplici, valloque inexcusso & fossa muro præcincta, cingitur. Arx vero in scopulo eminenti Vauel dicto, ad eundem fluuium sita, sede Regum Poloniæ, vbi coronantur & sepeliuntur, celebris, gymnasioque & vniuersitate clara. Eidem aliæ tres ciuitates Clepardia, Stradomia, Casimiria, contigue adhærent, hanc Rudawka amnis, illas vero Vistulæ fluuius interfluit. Porro Cracouienses aduocato supremo carent, ea de causa,

quod anno Domini 1312, regnante Vladislao cubitali, quidam aduocatus Cracouiensis, Germanus, auctorem se perfidiæ, in deditione vrbis, Boleslao, Duci Opoliensi, præbuerit, qui postea perfidiæ dignas pœnas, cum suis complicibus dedit. Ab hoc tempore Rex ipse prætura Cracouiensi potitur. Castellanus quoqe Cracouiensis Palatinum in senatus consessu, accubitu locoque superat: nam cum Boleslaus Krziuousti, Rex Poloniæ bellicosissimus, a Rutenis dolo circumuentus esset, Palatinus, honore postposito, cum maiori parte exercitus aufugit, Rege in medio hostium relicto. Ab hocque tempore Castellanus primas obtinet, in ceteris vero illius regni prouinciis palatinus castellanum dignitate antecellit.

Aduocatus Cracouiæ.

Palatinus & castellanus.

CIVITATES PALATINATVS
siue territorii Cracouiensis. (48)

Hæ ciuitates præcipuæ, vbi iudicia, causæque nobilium disceptantur, continentur in palatinatu Cracouiensi, quibus capitanei, iudices, & alii, regia munia obeuntes, præsunt:

BIECZ ciuitas muro circumdata, in planicie sita, eam Rapa fluuius perterfluit, in quo spumæ, ex quibus sulphur conficitur, colliguntur, a Cracouia, quindecim milliaribus, abest.

WOYNICZ ciuitas lignea ad Dunaiecz fluuium sita, a Cracouia nouem milliaribus distat.

SANDECZ ciuitas murata in planicie condita: quam Dunaiecz fluuius præterlabitur, a Cracouia vndecim milliaribus distat.

LELOVIA ciuitas murata, in colle sita, arcem inferius conditam habet, quam Biala fluuius alluit, a Cracovia vndecim milliaribus abest.

KZYAZ ciuitas lignea, a Cracouia milliaribus septem distat.

PROSZOVICE ciuitas lignea in planicie sita, in qua curia regia ad Sczeniauam fluuium condita est, Craconia quatuor milliaribus distat, in qua conuentiones terrestres nobilium celebrari solent.

Sunt etiam aliæ multæ ciuitates & oppida nobilium & magnatum in terra Cracouiensi, sed hic nisi eorum, in quibus terrestria officia celebrantur, mentionem facimus.

In eadem terra Cracouiensi tres sunt fodinæ insignes, quæ magnis prouentibus thesaurum Regium adaugent. Prima in Olkussia quinque milliaribus a Cracovia, ubi plumbi copia, argentumque effoditur. Secunda in Bochnia ciuitate, quæ quinque milliaribus a Cracouia distat, vbi sal glaciei simile perspicuum grandibus massis effoditur. Tertia in Wieliczka duobus milliaribus a Cracouia, vbi etiam sal glaciale, sed vilius Bochnensi, copiose effoditur. (49)

Fodinæ in Olkussia Bochnia & Wieliczka.

SENA-

(48) Meum non est, impuram *Striycouii* sparlim obuenientem Latinitatem corrigere, quando vero dixit, *ciuitates districtuales in terra Cracouiensi*, loco: *ciuitates præcipuæ Cracouiensis territorii*, seu palatinatus, quo verbo in Polonia, quamuis minus Latino, vti omnino debemus, tunc nullo modo hanc barbaram vocem *districtualei*, quam reieci, digerere potui. Sed de eiusmodi minutiis in posterum ne verbum quidem dicam.

(49) Nimium fuit breuis *Striycovius*, in enarrandis palatinatus Cracouiensis ciuitatibus præcipuis. Ideo catalogum omissorum locorum hic aduciam:

Alwernia, in siluis & montibus sita. Est ibi monasterium, siue collegium, sodalium S. Bernardi.

Babia gora, hoc est, mons vetularum, non longe a Lanckorona abest, præ ceteris montibus Carpatis altissimus. In cacumine eius est fons, *oculus maris* dictus, quia immensæ altitudinis. Multæ ibi reperiuntur herbæ, mercurius viuus, & aquæ salutares.

Bielany, vel mons argenteus. Est ibi monasterium Carthusiorum a *Nicolao Wolscio*, supremo regni Mareschalco, institutum, & a republica per const. a. 1667. approbatum. Hic mons est iuxta Vistulam.

SENATVS PRINCIPALIS
palatinatus Cracouienſis.

Epiſcopus Caſtellanus Palatinus	Cracouienſis.	Caſtellanus	Sandecenſis (50) Woynicenſis Byecenſis Oſwiecimenſis

VEXIL-

Czerna, in medio ſiluæ ſita, habet eccleſiam lapideam, & eremitæ ibi habitant. In montibus Czerneuſibus inuenitur marmor & alabaſter, conditus hic locus a Tencayniis.

Czeſtochowa, oppidulum celebre, ob adiacentem clarum montem, in cuius vertice eccleſia & monaſteriom eremitarum S. Pauli eremitæ, conditum a Boleslao, duce Opolienſi. In templo huius monaſterii aſſeruatur imago S. Mariæ, a S. Luca picta, quam ob cauſam ex tota Polonia multi homines religionis cauſa clarum montem inuiſunt, qui merito appellatur Polonorum *Loretto*.

Czchow, oppidulum muro ſeptum. Ibi conſeruantur acta ad ditionem huius tractus pertinentia.

Czorſtin habet arcem & capitaneum ſine iurisdictione. A. 1651. rebellis *Napierski* cum Coſacis hunc locum occupauit, qui deinde palo fuit tran ſixus.

Dobczyce, oppidulom, habet arcem & capitaneum, ſeu præfectum ſine iurisdictione.

Dzierzkow, pagos, ad præpoſitum Cracouienſem pertinens, celebris in Polonia, ob imaginem S. Mariæ, quam *Mieszkowski* a Coſacis recepit, a. 1664.

Grzybow, habet præfectum ſine iurisdictione, ibi etiam reperitur aqua virtute ampliandi guttur prædita.

Hebdow, iuxta Viſtulam, ibi abbatia canonicorum regular. S. Norberti, & templum magnificum.

Jędrzeiow, oppidum, vbi abbatia & monaſterium Ciſterſienſium, a *Gryfiis* a. 1140. conditum. B. Kadlubko, epiſcopus Cracouienſis & celebris hiſtoriarum Poloniæ ſcriptor, ibi tumulatus.

Imbramowice, eſt ibi monaſteriom religioſarum.

Kazimierz, oppidum, quam proxime Cracouiam, vbi monaſterium canonicor. reg. S. Augustini, proxime vero Caſimiriam eſt mons *Skalka* dictus, in quo monaſteriom S. Pauli eremitæ, & templum de nouo conditum, in quo [illegible]os & altare oſtenditur, iuxta quod S. Staniſlaus, epiſcopos Cracouienſis, foit trucidatus. [illegible] ante coronationem omnis Rex Poloniæ viam [illegible] in montem, ex arce Cracouienſi, in publico [illegible] ordinis proceſſu, conficere debet. Proxime Caſimiriam oppidulum eſt Iudæorum peculiare, id quod, & Caſimiria, qoaſi ſuburbia Cracouiæ efficiunt.

Kalwaria, eſt ibi monaſterium ſodalium S. Francisci, a *Zebrzydowiis* conditum.

Kromolow, oppidulum, ibi fons, a quo *Warta* fluuius originem ducit.

Lanckorona, ibi præfectus ſine iurisdictione & [illegible] in alto monte, a rege *Caſimiro* magno, mo[illegible]ta, ex qua *Stephanus Batoreus Maximilianum* deiecit.

Lelow, habet arcem & præfectum ſine iurisdictione. Acta ſic dicta terreſtria ibi conſeruantur. Sodales S. Franciſci collegium etiam ibi habent.

Lipowiec, cum arce epiſcopi Cracouienſis & turri, carcere ſacerdotum.

Lobzow, poſt hortos oppidanorum palatiom regiom eſt.

Miechow, ſunt ibi canonici regulares S. ſepulcri a. 1162 a *Iaxa*, ex familia *Gryfiarum*, inſtituti.

Mogila, eſt ibi abbatia Ciſterſienſium, iuxta amnem *Dlubniam*.

Mſzow, oppidom iuxta *Wartam*. Sunt ibi canonici regular. S. Auguſtini.

Mislenice, iuxta amnem *Rabam* oppidulum, ad *Caſtellanatum* Cracouienſem pertinens.

Niepolomice, cum arce regia.

Nowy Targ, oppidum, in montibos prope fines Hungariæ, habet præfectum ſine iurisdictione.

Olbrom, oppidulom, vbi præfectus ſine iurisdictione, & canonici regular. S. Aoguſtini.

Olkusz, oppidum, vbi monaſteriom S. Auguſtini, celebre antea ob metalla & argenti & plumbi, quæ ibi effodiuntur. Nonc & oppidum & metallorum fodinæ in peius ruont.

Olſztyn, vbi arx & præfectus ſine iurisdictione, iuxta Wartam

Oyczow, habet arcem & præfectum ſine iurisdictione.

Pieskowa Skala, habet arcem ad Wielopolſcios comites pertinentem.

Pilica, habet eccleſiam collegiatam cum canonicis, & arcem. Amnis *Pilica* hic ex ſtagno ortum docit.

Promnik, eſt ibi palatiom epiſcopi Cracouienſis iuxta amnem eiusdem nominis, locus hic celebris, ob prælium, in quo *Zamoiſcius Maximilianum*, archiducem Auſtriæ, poſt electionem *Sigismundi III.* ſuperauit.

Rudawa, gaudet eccleſia ſic dicta parochiali. Marmor ibi varii coloris reperitur.

Skala, oppidulum, ad monaſteriom S. Andreæ pertinens. Marmor ibi etiam inuenitur.

Skalmierz, oppidulum, cum eccleſia collegiata canonicorum, ad vicarios cathedræ Cracouienſis pertinens.

Staniątki, ibi ſont religioſæ S. Benedicti a Gryfio, caſtellano Cracouienſi a. 1253. conditom.

Szczyrzyc, oppidulum, habet præfectom ſine iurisdictione & abbatiam Ciſterſienſium, a Gryfio, palatino cracou. a. 1234 inſtituram.

Tenczyn, arx in alto monte, ad Czartoryiſcios principes pertinens. Reperiuntur ibi & cuprum & carbones foſſiles.

Tyniec iuxta Viſtulam, celebris ibi eſt abbatia Tyniecenſis, ſob directione Benedictinorum, a rege Caſimiro I. inſtituta, ad quam quinque

VEXILLVM TERRESTRE BELLICVM AQVILA alba coronata in campo rubeo, per alas linea aurea protenſa, inſignitur.

Ducatus Zatorienſis & Oswiecimenſis cum regno Poloniæ vniuntur.

Tractus Sandecenſis vexillum peculiare habet, clipeo bicolori inſignitum. In eadem terra Cracouienſi duo ducatus continentur, qui iure naturali in ditionem regni ceſſerunt, Zatorienſis & Oſwiecimenſis. 51)

OSWIECIM, ciuitas principalis prædicti ducatus lignea, in planicie ſita, arcem quoque ligneam, argilla circumlinitam, habet, quam fluuius quidam præterlabitur, VII. mil. a Cracouia. Vexillum aquila nigra, O, in pectore habente, inſignitur.

ZATOR, ciuitas lignea cum arce, cuius vexillum aquila laſurini coloris, Z, in pectore geſtante, inſignitur.

Huius ducatus Zatorienſis Princeps, a Spitkowe *Miſkowski*, equite Polono, doloſe occiſus eſt, ab hoc tempore in regni Poloniæ ditionem ceſſit.

SANDOMIRIENSIS TERRA, (52)

SANDOMIRIA, ciuitas principalis, muro circumdata, in colle ad Viſtulam fluuium condita, a Cracouia XX milliaribus diſtat. Arcem muratam, a meridie Viſtulam præterfluam, habet. Hæ ciuitates præcipue ad eam pertinent.

CHENCINY, ciuitas in loco plano ſita, arx vero murata in eminenti ſcopulo condita eſt, a Cracouia XIII milliaribus abeſt. Fodinis laſuli clara, vbi & argentum reperitur.

KORCZIN, ciuitas noua lignea, arcem muratam ad Viſlok fluuium ſitam habet, quam vndique paludes circumdederunt.

WISLICA, ciuitas lignea, quam Nida fluuius circumfluit, muroque circum data inter lutoſas paludes in ſcopulo ſita, in quibus ingens colluuies reptilium omnis generis graſſatur.

PILZNO ciuitas lignea ad Viſlok fluuium ſita.

OPOCZNO ciuitas murata in planicie, quam Pilcza fluuius præterlabitur.

RADOMIA ciuitas muro valloque circumſepta, in planicie ſita.

POLA-

oppida & centum pagi pertinent.

Wisnicz, eſt ibi monaſterium Carmelitarum diſcalceat. & magnificum principum *Sanguſcorum* palatium.

Wodzislaw, oppidulum Lanckoronorum, cum eccleſia murata.

Xiąz, ibi conſeruantur acta hanc ditionem concernentia, pertinet ad marchiones Pinczouienſes. Sunt ibi etiam S. Auguſtini ſodales.

Zakliczyn, ad illuſtriſſimam Tarlorum gentem pertinens, habet arcem & monaſterium R. P. Reformatorum.

Zarki, oppidum *Myczinſciorum*, a Iudæis maxime habitatum.

Zarnowiec, habet arcem & præfectum ſine iuriſdictione.

Hæc ſpeciminis loco tantum ad palatinatum Cracouienſem adieci, vt lector videat, quam multa alia ſint oppida locaque memoria digna, a *Striycouio* nimium breui, omiſſa. Ceteros vero quod attinet palatinatus, omnino ab omni additione abſtinebo, quia non conuenit, multa, quæ infra aliis in ſcriptoribus geographicis obuenient, hic præripere.

50) Nunc caſtellanus Sandecenſis non præcedit Woynicenſem, qui caſtellanus eſt maior, & ſenator ſella gaudens, (Krzesłowi) minores autem caſtellani ſunt Sandecenſis, Biecenſis & Oſwiecimenſis. Forte non abre erit hic adiicere officiales palatinatus Cracouienſis, hoc eſt, eos, qui muneribus publicis in palatinatu funguntur, ſecundum ordinem ibi ſuetum, qui ſunt ſequentes:

Succamerarius (Podkomorzy)
Capitaneus (Staroſta)
Vexillifer (Chorąży)
Iudex terreſtris (Sędzia ziemſki)
Dapifer (Stolnik)
Pocillator (Podczaſzy)
Subiudex (Podſędek)
Subdapifer (Podſtoli)
Pincerna (Czeſnik)
Venator (Łowczy)
Præco exercitus (Woyſki)
Scriba terreſtris (Piſarž ziemſki)
Enſifer. (Miecznik)
Theſaurarius. (Skarbnik)

51) Quid hoc ſibi velit, tractus Oſwiecimenſem & Zatorienſem iure naturali in ditionem regni ceſſiſſe, difficile eſt intellectu, neque recte dictum. Hi ducatus antea ad Sileſiam pertinebant, ſed *Venceslaus* princeps Oſwiecimenſis, *Caſimiro* IV, & & *Ioannes Zatorienſis*, Ioanni Alberto, Pol. regibus, ſe ſubdiderunt, quo facto, familia eorum maſcula extincta, regnante *Sigismundo Augusto* a. 1564, hi ducatus cum Poloniæ regno vnum in corpus fuere redacti.

52) Latine quidem dictum *Sandomirienſis terra* pro Sandomirienſis palatinatus, ſed non recte ſecundum vſum receptum, iam nullo modo Latinitatis

POLANIEC ciuitas lignea, inter colles constructa. (53)

ZAWICHOST ciuitas lignea ad Vistulam fluuium sita, arcem muratam in vlteriori Vistulæ ripa habet.

ZARNOW oppidum ligneum.

MALOGOSZCZ ciuitas lignea. (54)

SENATORES TERRAE SANDOMIRIENSIS.

Palatinus & Castellanus Sandomiriensis.

Castellani minores:
- Vislicensis.
- Radomiensis.
- Zawichostensis.
- Zarnouiensis.
- Malogostensis.
- Polanecensis.
- Czechouiensis (55)

Vexillum terrestre gestat pro stemmate, clipeum diuisum, in vna medietate lineas tres rubeas, & tres albas: in altera campum lasurini coloris, tribus ordinibus stellarum, insignitur.

LVBLINENSIS TERRA. (56)

LVBLIN ciuitas murata, fossa, stagnisque ingentibus circumdata. Arx in colle eminentiori ad stagnum amplum condita, muro validissimo, fossaque profunda cingitur. In hac ciuitate triplices per annum nundinæ, quatuor hebdomadas durantes, celebrantur. Primo pro festo Pentecostes Secundo pro feriis Apostolorum Simonis & Iudæ. Tertio pro festo purificationis Mariæ. Ad eas ex remotissimis regionibus negotiatores, Turcæ, Armeni, Græci, Germani, Moschouitæ, Lithuani, & ceteri ex circum iacentibus regionibus conuenire solent. Iudæi maximam suburbiorum partem occupant, ibique synagogam habent præcipuam Arcem Bystrzica fluuius alluit. Distat autem Lublina a Sandomiria XIV milliaribus, a Cracouia XXXVI, a Vilna LXX, a Varsauia XXIV. (57) Hæ ciuitates sunt terræ Lublinensis:

VRZENDOW, ciuitas lignea ampla ad stagnum sita, a Lublina VII. milliaribus.

LVKOW ciuitas lignea in planitie sita, ex vna parte palude lutosa, ex alia vallo munitur, a Lublina XIV. milliaribus abest, tractum satis amplum complectitur.

PARCOW ciuitas lignea, in planicie ad stagnum ingens sita, a Lublina IX milliaribus abest.

N CASI-

...causa corrigendum. Alind enim in Polonia significat *palatinatus*, aliud *terra*, seu tractus. Palatinatus enim quisque iterum in terras seu tractus diuiditur: v. g. Palatinatus Cracouiensis in octo terras seu tractus, in *Cracouiensem* peculiarem, *Szczerzyzensem*, *Prosoviensem*, *Xiasensem*, *Lelouiensem*, *Sandecensem*, *Czchouiensem*, & *Biecensem*. Sandomiriensis vero palatinatus in septem tractus, vel terras iterum dispartitur, nempe *Sandomiriensem* peculiarem, *Radomiensem*, *Stenzycensem*, *Wislicensem*, *Chencinensem*, *Opoczynensem*, *Pilznensem*.

53) Male in editione Pistoriana est typis exscriptum *Polouiec* pro *Polaniec*.

54) *Opatow* oppidum, ideo notandum, quia nunc comitiola palatinatus Sandomiriensis ibi celebrantur.

55) Castellanus Czechouiensis fuit omissus.

56) Palatinatus Lublinensis iterum diuiditur in terram *Lublinensem* peculiarem, *Lukouiensem*, & *Vrzendouiensem*, quarum vnaquæque officialibus terrestribus gaudet, præter eos, quos eodem numero & ordine ac palatinatus Cracouiensis, habet Palatinatus Lublinensis.

57) Lublini supremum regni iudicium exercetur, quando Petricouiæ cessat.

Casimiria ciuitas lignea, inter ſcopulos ad Viſtulam condita, quæ tempore exundationis Viſtulæ media fere aquis obruitur, a Lublina VII milliaribus diſtat.

Senatores duos præcipuos terra Lublinenſis habet, Palatinum videlicet & Caſtellanum.

Vexillum terreſtre ceruo albo, in collo coronam geſtante, in campo rubeo, inſignitur.

DE TERRIS TRACTIBVSQVE maioris Poloniæ.

POSNANIA ciuitas inſignis, maioris Poloniæ metropolis, ad Vartam, fluuium nauigabilem, & Profnam amnem, inter colles condita, muro duplici, foſſaque profunda cingitur, ædes in ea pulcherrimæ, inſigniterque ex lapidibus ſectis conſtructæ. Arx murata in eminentiori colle, inter Vartam & Profnam fluuios, ſita. In vlteriori ripa Vartæ ſuburbia ſunt ampliſſima, ſtagno ingenti, paludibuſque circumdata, quæ frequenter eum circum adiacentibus exundatione Vartæ, obruuntur, adeo, vt aliquando ſolummodo fummitates ædificiorum ex aquis appareant: ipſaque ciuitas in muro aliquando inundatur, vt in foro, plateisque paſſim nauigetur, ſed tamen hæ exundationes duobus, tribuſue interdum, diebus graſſantur. Nundinæ in Poſnania celeberrimæ ter in anno exercentur. Primæ in principio Quadrageſimæ, quæ quatuor hebdomadis durant. Secundæ pro feſto D. Ioannis Baptiſtæ, quinque hebdomadis durantes. Tertiæ pro feſto S. Michaelis, quæ quinque integris hebdomadis celebrantur.

CIVITATES IN TERRA Poſnanienſi (58)

KOSCIAN ciuitas in planicie inter paludes lutoſas ſita, duplici muro, valloque & foſſa munitur, a Poſnania VII milliaribus diſtat.

MIEDZYRZECZE, ciuitas lignea in planicie inter flumina paludeſque lutoſas (vnde & nomen habet) ſita, finitima Sileſiæ, Pomeraniæ, arcem muratam natura & opportunitate loci munitiſſimam, muro, valloque inexcuſſo & foſſis profundis circumſeptam habet, nullo modo expugnari ſeſe, niſi fame, patitur. Eam Duces Germaniæ aliquot annis graui obſidione præmebant: attamen re infecta cum dedecore diſcedere coacti ſunt, a Poſnania XV milliaribus diſtat.

OSTRESOW, ciuitas lignea finitima Sileſiæ, in planicie latiſſima ſita, quam ſiluæ vndique circumdederunt.

WSCHOW, ciuitas murata, in planicie ſita, a Poſnania XI milliaribus abeſt.

SREMSK, Præmecz, Rogozno, ciuitates ligneæ, ad officium Poſnanienſe pertinentes, in quibus iudicia terreſtria celebrantur.

SENA-

58) Palatinatus Poſnanienſis habet ſuos officiales terreſtres, prout palatinatus Cracouienſis, præfectus vero cum iuriſdictione eſt generalis maioris Poloniæ, hoc eſt, ille præfectus, qui ſeptem in locis ius dicit. Quanquam enim lege prohibitum, vt præfectus duas præfecturas cum iuriſdictione tenere haud poſſit, duo tamen, vi legum, præfecti ſunt, dicti *Generales* (nempe præfecti) *maioris* & *minoris Poloniæ*. Maioris Poloniæ nunc illuſtriſſimus comes *Georgius Mniszech*, curiæ regni Mareſchalcus, qui cum iuriſdictione in palatinatibus maioris Poloniæ, Poſnanienſi & Kaliſienſi, præfectus eſt Poſnanienſis, Kaliſſienſis, Gneſnenſis, Keynenſis, Koſcianenſis, Koninſcenſis et Pyzdrenſis. Minoris vero Poloniæ præfectus generalis eſt, illuſtriſſimus comes Carolus *Myſzkowſki*, coronæ vexillifer, qui non ſolum Cracouiæ, ſed & in tractibus Proſouienſi, Lelouienſi & Xienſcenſi, ius dicit. Palatinatus Poſnanienſis diuiditur iterum in quatuor tractus, nempe *Poſnanienſem* peculiarem, terram *Wſchouenſem*, *Koſcianenſem* & *Walecenſem*.

SENATORES TERRAE POSNANIENSIS.

Episcopus Palatinus Castellanus	Posnaniensis.	Miedzirzecensis Rogosiensis Sremcensis Praemecensis Krzywinsensis Santocensis. (59)	Castellani. minores.

Vexillum terrae Posnaniensis aquila alba cum expansis ad volandum alis insignitur.

CALISIENSIS TERRA. (60)

CALISZ ciuitas muro circumdata inter paludes sita, quam Prosna fluuius praeterlabitur. Arcis muratae ruinae restant, per Crucigeros Prussienses desolatae. Hae ciuitates sunt palatinatus Calisiensis:

GNESNA, ciuitas muro circumdata, in planicie inter lacus, collesque sita, archiepiscopali sede clara. Haec prima omnium ciuitas in Polonia a Lecho, auctore Polonorum, condita, vbi in primis sedes regia habebatur. Ibique Princeps Poloniae *Boleslaus Chabri* ab *Othone* Rom. Imp. regium diadema accepit, quo huc vsque reges Poloniae vtuntur. In hac ciuitate est ecclesia cathedralis metropolitana, in qua corpus diui *Adalberti*, episcopi Pragensis, depositum est. Distat autem a Calisz XIV milliaribus, a Posnania VII. In ea nundinae insignes, praecipue vero pro festo S. Adalberti celebrantur.

PYZDRY, ciuitas murata in planicie ad fluuium Vartam inter siluas sita, a Calis IX milliaribus distat.

NAKLO, ciuitas lignea ad fluuium Noteliam, ex Goplo lacu emergentem. Arx murata inter lutosas paludes sita.

LAND, ciuitas ad Vartam fluuium, a Gnesna IIII. milliaribus abest.

KONIN, ciuitas murata, Vartaque fluuio, vna cum arce, in gyrum circumducta, & nisi pontibus ad eam peruenitur. VIII milliaribus a Calisia abest.

SLVPCZA ciuitas muro fortissimo, propugnaculisque munita, ad Vartam.

KOLO ciuitas lignea circumsepta, Varaque fluuio in gyrum vna cum arce aliquoties circumluitur. VIII milliaribus a Calisia distat.

SENATORES PRAECIPVI TERRAE Calisiensis.

Archiepiscopus Gnesnensis. Palatinus Calisiensis Castellanus Calisiensis Castellanus Gnesnensis (61)	Landensis Nakyelcensis Biechouiensis Camenensis	Castellani minores.

Vexillum terrestre, capite Bisontis, inter cornua coronam auream gestantis, per naresque circulum aureum habentis, in campo in modum latrunculorum siue scachorum albo & rubro insignitur.

59) Castellani minores palatinatus Posnaniensis, alio, ac nunc sunt, ordine positi a *Striycouio* fuere, duos vero vltimos nunc adiecimus,

60) Palatinatus Kalissiensis iterum diuiditur in sex tractus, nempe: *Kalissiensem* peculiarem, *Koninsensem*, *Pyzdrensem*, *Gnesnensem*, *Kcynensem*, *Nakielsensem*. *Officiales* sic dictos terrestres eosdem habet, ac palatinatus Cracouiensis.

61) Ordinem Senatorum palatinatus Kalissiensis iterum correximus. Castellanus enim *Gnesnensis* inter castellanos minores fuit relatus, qui Senator sella gaudens, *Landensis* vltimo loco positus fuit, qui inter minores primus est. *Biechouiensem* addidimus.

SIRADIENSIS TERRA. (62)

SIRADIA ciuitas lignea, muro circumducta in planicie sita. Arx murata ad Vartam fluuium condita. Hæc Prouincia olim pro ducatu amplissimo computabatur, secundoque genitis Regum Poloniæ atributa erat. Hæ ciuitates sunt præcipuæ:

WARTA, ciuitas ampla ad eiusdem nominis fluuium sita. (63)

VIELUNIA, ciuitas muro forti, propugnaculisque & fossa profunda circumsepta, cum vna cum arce Prosna fluuius præterlabitur. (64)

SZADEK, ciuitas lignea in planicie ad stagnum sita, a Siradia V milliaribus abest.

PETRICOVIA, ciuitas murata, inter loca palustrosa condita, vbi comitia generalia, communi approbatione omnium Regum Senatorumque Poloniæ, celebrari constitutum est. In suburbio curia Regia & turris, in qua causæ iudiciales celebrantur, sita est, quam fossa profunda ambit. Curiæ quoque episcoporum, procerumque Poloniæ frequentes ibidem extructæ sunt. Deinde extra ciuitatem curia ex lignis leuigatis insigniter sub nemore amœnissimo ingenti sumptu extructa est, quam Rex cum omni comitatu suo, tempore comitiorum, propter salubriorem auram incolit, Bugey appellata. (65)

ROSPRZA, ciuitas lignea in planicie paludibus circumflua.

SPICIMIRIA ciuitas lignea.

In hac Siradiensi terra, nobiles id regum priuilegiis concessum habent, cæra rubea in obsignandis litteris vti, cum id in illis prouinciis nemini nobilium, solummodo magnatibus, & in officio regio, siue terrestri, præfectis concedatur. Id vero inde promouerunt, cum Pruthenis, cum Polonis in acie acriter confligerent, Lancicienses a Pruthenis, crucigeribus, superati, vexillum sui palatinatus amiserunt, quibus Siradienses in auxilium venientes, vexillum ab hostibus recuperauerunt.

SENATORES SIRADIENSIS TERRAE.

Palatinus Castellanus	Siradiensis	Rospiriensis Spicimiriensis Konariensis Siradiensis (66) Vielunensis	Castellani. minores

Vexillum terrestre medietate leonis rubei, & medietate aquilæ nigræ in campo lasurino insignitur.

Vielunensis quoque tractus suum vexillum proprium habet, agnum Dei cum vexillo cruce insignito, in campo rubeo.

LANCICIENSIS TERRA. (67)

LANCI-

62) Palatinatus Siradiensis iterum in quatuor tractus diuiditur, nempe: *Siradiensem* peculiarem, *Szadkouiensem*, *Petricouiensem*, & *Radomiensem*. *Officiales* huius palatinatus sunt ordine iidem, ac in palatinatu Cracouiensi, præterquam, quod duo sint vexilliferi.

63) *Warta* ciuitas in palatinatu Siradiensi sita, quam auctor inter ciuitates palatinatus Kalisiensis recensuit.

64) Notandum terram Vielunensem, belli quidem tempore, quando nobilitas arma capit, subesse iurisdictioni palatini Siradiensis, alias vero separatim gubernatur, & habet omnes officiales terrestres, vt palatinatus Cracouiensis. Diuiditur hæc terra iterum in duos tractus, nempe *Vielunensem*, peculiarem, & *Ostresouiensem*, qui tractus etiam officialibus gaudent terrestribus, per constitut. a. 1736 creatis, exceptis tamen succamerario & iudicibus terrestribus.

65) Petricouiæ iam non comitia regni, sed tantum Varsauiæ & Grodnæ in Lithuania, celebrantur. Sed regni, vt dicitur, tribunal, seu iudicium regni supremum, ibi exercetur a festo S. *Francisci* die 5 ad diem sabbati palmarum.

66) Castellanus *Konariensis Siradiensis* fuit omissus.

67) Palatinatus Lanciciensis iterum diuiditur in quatuor tractus, nempe *Lanciciensem* peculiarem, *Bresiniensem*, *Orlouiensem* & *Inowlodiensem*. Officiales terrestres habet eosdem ac palatinatus Cracouiensis. Præter eos tractus Inowlodiensis, per constit. a 1726. & tractus Bresiniensis, per constit. 1736 suos etiam habent officiales terrestres, exceptis tamen succamerario & iudicibus terrestribus.

LANCICIA, ciuitas muro, fosſaque obducta, in planitie vndique paludibus lutoſis circumdata. Arx murata in ſcopulo, fosſaque profunda extructa, eam Bſiura fluuius præterlabitur. Ibidem in villa *Koſciol* dicta, eccleſia cathedralis ex lapidibus ſectis conſtructa eſt, ſatisque ſumptuoſe prouiſa.

ORLOVIA, ciuitas lignea, ex vna partium fluuio lutoſo & peramplo, ex altera lacunis paluſtroſis munitur. IV milliaribus a Lancicia diſtat. In eodem tractu ciuitas Piatek inter lutoſas paludes ſita, cereuiſia boni ſaporis, quæ in ea coquitur, per totam Poloniam celebris habetur.

BRESINIA, ciuitas lignea ſatis ampla, inter ſtagna ſita, a Lancicia VII milliaribus abeſt.

KONARZEW, INOWLODZ, BIECHOW, & aliæ multæ, plurimæque ciuitates & oppida lignea ad Lanciciensem iurisdictionem pertinent.

SENATORES TERRÆ LANCICIENSIS

Palatinus	Lanciciensis	Breſinienſis	Caſtellani
Caſtellanus		Inowlodienſis	minores (68)
		Konarienſis Lancicienſis	

Vexillum terreſtre medietate aquilæ & leonis nigri, aurea corona inſigniti, exornatur, in campo rubeo.

CVIAVIÆ SIVE VLADISLAVIÆ TERRA (69)

VLADISLAVIA, ciuitas ampla, ſede epiſcopali clara, inter ſtagna ad Viſtulam fluuium condita. Regio hæc magna ex parte paluſtroſa eſt, ſiluæque in ea rariſſimæ, ideo incolæ inopiam lignorum patiuntur.

BIDGOSTIA, ciuitas murata, in planitie ſita, eam Barda fluuius nauigabilis, quo merces ex maiori Polonia in Viſtulam fluuium deportantur, alluit, a Vladislania VI milliaribus diſtat.

Senatores quatuor terra Vladislauienſis habet, palatinum & caſtellanum, [nec non Bidgoſtienſem & Konarienſem Cuiavienſem, caſtellanos minores.]

BRESTENSIS TERRA (70)

BRESTIA, ciuitas murata, propugnaculis, vallo, foſſaque munita, in planitie inter lutoſas paludes condita. Ciuitates præcipuæ ſunt:

RADZIEIOW, ciuitas lignea, in campo aprico ad lacum ingentem ſita.

CRVSPHICIA, ciuitas lignea, antiquitus condita, & prima poſt Gneſnam. Arx murata ad lacum ingentem, GOPLO dictum, ſita, ex quo lacu mures olim prodierant, qui Popelum principem Poloniæ deuorauerant, prout latius in geſtis regum Poloniæ dicemus. In hac ciuitate ſedes regia olim habebatur, ſed poſtea Cracouiam tranſlata eſt.

KOWALOW, oppidum ligneum in locis paluſtroſis conditum.

SENATORES TERRÆ BRESTENSIS

[Epiſcopus Cuiaviæ]	Breſtenſis	Cruſwicenſis	Caſtellani
Palatinus		Cowalouienſis	minores.
Caſtellanus			

O Cuiaui-

(68) Caſtellani minores peruerſo fuere poſiti ordine, & Biechovienſis additus, qui ad palatinatum Kaliſſienſem referendus.

(69) Palatinatus Vladislavienſis a Polonis appellatur *Inowroclavienſis*, & vrbs principalis *Inowroclaw*, Latine *Vladislavia*. Diuiditur hic palatinatus iterum in duus tractus, *Vladislavienſem* peculiarem, & *Bydgoſtienſem*. Officiales palatinatus ſunt iidem ac in Cracouienſi palatinatu.

(70) Hic Palatinatus ſemper dicitur *Breſtenſis Cuiavienſis*, quia aſt alius Breſtenſis in Lithuania. Diuiditur iterum in tres tractus, nempe *Breſtenſem Cuiavienſem* peculiarem, *Kruſwicenſem* & *Kowalenſem*. In enarrandis huius palatinatus ſenatoribus epiſcopus Cuiavienſis fuit omisſus. Officiales numerantur iidem, ac in palatinatu Cracouienſi.

Cuiauienſis terræ vexillum, quo Vladislauienſis & Breſtenſis Palatinus in. ſimul vtitur, aquilæ rubeæ, leoniſque nigri medietate, in campo aureo, excepto quod non habet coronam auream.

RAVENSIS TERRA. (71)

RAVA, ciuitas lignea in planicie ſita, arcem muratam in ſcopulo ad Rauam fluuium habet.

SOCHAZOVIA, ciuitas lignea, ſeptis ex vna partium circumdata, arx vero in ſcopulo eminenti murata, quam fluuius Bſura præterlabitur.

GOSTININ, ciuitas lignea in planicie inter paludes lutoſas, arx in ſcopulo murata, foſſáque paludibus obducta.

GAMBIN, ciuitas lignea ampla, in planicie ſita. Senatores [quatuor] principales habet terra Rauenſis, Palatinum & Caſtellanum Rauenſem, Sochazouienſem, & Goſtinenſem, [Caſtellanos minores.] Vexillum terreſtre aquila nigra in campo rubeo, litera, R, in pectore inſignitur.

PLOCENSIS TERRA. (72)

PŁOCKO ciuitas murata, ad Viſtulam fluuium condita, ſede epiſcopali clara, arcem quoque muratam in colle eminenti ſitam habet.

BIELSKO, ciuitas lignea, in planicie ſita, a Plockn II milliaribus abeſt.

RACIĄZ, ciuitas lignea, inter lutoſas paludes, a Plocko VIII mil. diſtat.

SIEPCZ, ciuitas lignea, in collo eminenti, inter paludes, a Plocko mil. V diſtat.

SKENSKO, ciuitas lignea in planicie ſita, arx murata inter ſtagna, paludesque ingentes, a Plocko milliarbus X abeſt.

MLAWA, ciuitas lignea, Pruſſiæ finitimâ, eam eiuſdem nominis fluuius præterlabitur, a Plocko XI milliaribus diſtat.

PLONSKO, oppidum ligneum, a Plocko XI milliaribus,

RADZANOW, ciuitas lignea ad Vkra fluuium ſita, arx murata in ſcopulo inter lacunas paluſtroſas, a Plocko VIII milliaribus diſtat.

SENATORES TERRAE PLOCENSIS.

Epiſcopus Palatinus Caſtellanus	Plocenſis.	Racionſenſis Sieprenſis	Caſtellani minores.

Vexillum terræ Plocenſis, Rauenſi ſimile, niſi quod aquila, P, litera, in pectore inſignitur.

DOBRINENSIS TERRA. (73)

DOBRINIA, ciuitas lignea ſeptis circumdata, in ſcopulo ad Viſtulam ſita, arx a crucigeris demolita.

SLONSK, ciuitas lignea, in planicie ad Viſtulam, a Dobrinia II. mil. abeſt.

RIPIN, oppidum lignenm, in planitie ad Odlekam fluuium conditum, a Dobrinia V milliaribus abeſt.

GORZNO,

71) Palatinatus Rauenſis in tres iterum diſpartitur terras, *Rauenſem* peculiarem, *Sochazouienſem*, & *Goſtinenſem*, quarum vnaquæque officialibus ſuis terreſtribus, iisdem, ac palatinatus Cracouienſis gaudet.

72) Palatinatus Plocenſis iterum diuiditur in *Plocenſem* peculiarem, *Racionſenſem*, *Plonſenſem* tractus, & terram *Zawſcreſenſem*. Officiales eosdem habet, ac palatinatus Cracouienſis. Terra vero Zawſcreſenſis peculiares ſuos habet officiales terreſtres, vi conſtit. a. 1726, exceptis Succamerario & iudicibus terreſtribus.

73) Terra Dobrinenſis non eſt palatinatus, & apparet nunc, *Striycovium* haud bene dixiſſe promiſcue terram pro palatinatu. Separatim gubernatur, & hanc ob cauſam etiam comitiola *Lipnæ* celebrat, non *Radzieiouiæ*, vbi palatinatus Vladislavienſis & Cuiauienſis Breſtenſis conuentus ſuos ſimul inſtituunt. Officiales vero terreſtres eosdem habet ac palatinatus Cracouienſis. Diuiditur iterum in tres tractus, *Dobrinenſem* peculiarem, *Rypinenſem* & *Lipnenſem*.

GORZNO, ciuitas lignea, inter filuas in colle, vallo fossaque aquis repleta obducta, a Dobrinia VI milliaribus abest.

Pro hac prouincia Poloni cum Crucigeris, Prussiensibus, frequenter digladiabantur.

Tres Senatores præcipuos terra Dobrinensis habet: Castellanum Dobrinensem, Ripinensem & Slonscensem.

Vexillum terræ Dobrinensis caput humanum cornutum duabus coronis redimitum, fronte & collo in campo rubeo gestat.

DVCATVS MASOVIÆ. (74)

MASOVIA regio amplissima, Poloniæ coniuncta, Prussiam a septentrione, Lithuaniam ab oriente, & Russiam nonnihil in meridiem reflectendo, in vicinia habet. Quondam sui iuris principes habebat, secundoque genitis Regum Poloniæ attributa erat, sed anno Domini 1526. decedentibus immatura ætate, IOANNE & STANISLAO Ducibus, vnicis regionis hæredibus, ducatus Masouiæ in ius Regis Poloniæ cessit. Incolæ eodem idiomate, nisi sibilis quibusdam differenti, habituque, moribus & religione cum Polonis vtuntur. Viri sunt strenui & bellicosi, in Martemque cruentum proni.

Hæ præcipuæ ciuitates Masoniæ numerantur:

VARSAVIÆ TRACTVS

VARSAVIA, ciuitas insignis murata, totius Masoniæ metropolis, dupliei muro, fossaque obducta, in planicie ad Vistulam condita, arx quoque murata ciuitati contigua, Vistulæ impendet. Pons ibi amplissimus ligneus ingenti sumptu in Vistula fabricatur. (75)

CZERSKO, ciuitas lignea in planicie, ad Vistulam fluuium sita, arcem muratam in scopulo eminenti conspicuam habet, a Varsauia V milliaribus abest.

WYSSOGROD, ciuitas lignea, in planicie ad Vistulam, arx in colle murata, a Varsauia XII milliaribus distat.

ZAKROCZIM, ciuitas lignea ad Vistulam fluuium, arx in colle murata, VIII milliaribus a Varsauia abest.

CIECHANOW, ciuitas in planicie sita, valloque circumsepta, arx inter lutosas paludes, fossa profunda munitur, a Varsauia XII milliaribus abest.

CZERWINSK, ciuitas lignea ampla, arcem & monasterium Augustinorum adiunctum habet.

PVLTVSK, ciuitas murata, ad Narew fluuium, vna cum arce, sita.

ROZAN, ciuitas in planicie, arx vero in scopulo ad fluuium Narew condita.

VARKA, ciuitas ampla lignea, in planicie ad Piliczam fluuium sita, a Varsauia VIII milliaribus,

BLONIE, ciuitas lignea ampla a Varsauia IIII milliaribus,

TARCZIN, ciuitas lignea, a Varsauia V. milliaribus abest.

GRODZYEC, ciuitas lignea, a Varsauia milliaribus VII a Tarcin II. distat.

PRASNIS, ciuitas ampla, lapideis ædificiis ornata.

LOMZA ciuitas ampla ad Narew fluuium nauigabilem sita, in ea ædificia pulcherrima murata, a Varsauia XX milliaribus distat.

O2 SENA-

(74) Iam *Masouia* non ducatus, sed Palatinatus dicitur, qui in decem terras diuiditur, *Varsauiensem, Czersensem, Wisensem, Wyssogrodiensem, Zacrocimensem, Ciechanouiensem, Nurensem, Lomzensem, Rozanensem* & *Liuensem*, quarum vnaquæque eosdem habet officiales terrestres, ac palatinatus Cracouiensis.

(75) *Varsauia*, neque simplici muro omni ex parte, neque fossa obducta. Pons etiam, quamuis pro commercio valde necessarius, in Vistula haud videtur nostris temporibus.

SENATORES PRIMARII DVCATVS Masouiæ.

Palatinus, Masouiæ Generalis, [& castellanus Czerscensis]

Varsauiensis, Wiscensis, Wysogrodiensis, Zakrocimensis, Ciechanouiensis, Livensis. } Castellani minores.

Vexillum Masouiæ aquila alba cum expansis ad volandum alis in campo rubeo insignitur.

LIVENSIS TERRA. (76)

LIWO ciuitas lignea, arx murata ad Liwijecz fluuium condita.

WENGROW opidum ligneum, a Liwo medio milliari distans.

WIZNA ciuitas in planicie ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta.

NVR, ciuitas lignea ampla, ad fluuium eiusdem nominis sita.

CAMENYEC, ciuitas lignea in planicie ad Bog fluuium, a Liwo VIII. mil. sita.

Senatores hos duos præcipuos terra Liuensis habet, Livensem & Wiznensem Castellanos.

Vexillum terrestre aquilæ medietate rubeæ, & vrsi albi coronati insignitur.

PODLASSIÆ TERRA. (77)

PODLASSIA regio ampla, Masouiæ ab occidente, Lithuaniæ ab oriente contigua, olim sub potestate & imperio Lithuanorum erat, sed nunc anno Domini 1569. per Sigismundum Augustum, Regem Poloniæ, ad Magnum Ducem Lithuaniæ, Regnumque Poloniæ adiuncta & appropriata est. Incolæ eius Masouitæ, Rutheni, atque Poloni. Hæ ciuitates præcipuæ in ea sunt:

BIELSKO, ciuitas lignea amplissima Podlassiæ principalis, ad Byala fluuium sita, Lithuaniæ contermina. Arx lignea fulminis ictu in præsentia Regis incensa, penitusque exusta est, a Narew IV. milliaribus abest.

BRANSKO, ciuitas lignea ad Nur fluuium, a Bielsko III. mil. sita, in ea curia iudicialis, in qua causæ nobilium disceptantur.

SVRAS, ciuitas lignea inter colles ad Narew fluuium sita, arx in colle fossa circumducta, a Bielsko III. milliaribus distat.

TYKOCIN, ciuitas lignea in planicie ad Narew fluuium sita. Arx natura & opportunitate loci munitissima, propugnaculis, valloque forti proportionaliter circumsepta, Narewque fluuio & paludibus circumdata, vt ad eam nusquam aditus pateat, machinis, tormentisque bellicis bene prouisa. Thesaurus enim Regis in ea asseruatur. Rex Sigismundus Augustus eam magnis impensis restaurari fecit, monetaque ibidem cuditur, a Bielsko X. milliaribus distat, a Vilna XLII.

KNYZYN, ciuitas lignea a Tikocin II. mil. in planicie inter stagna, siluas, paludesque lutosas sita, ibidem curia regia extructa est. Hortus quoque regius amplissimus, vario genere animalium, piscinisque diuersis refertus.

(76) Livensis terra, pertinet, vt diximus, ad palatinatum Varsauiensem, & haud recte fuit separatim posita. Sic & ordo Senatorum fuit peruersus, quem correximus.

(77) Palatinatus Podlassiæ, seu Podlachiæ, iterum diuiditur in tresterras, *Drohincinensem*, *Mielnicensem* & *Bielscensem*, quarum vnaquæque eosdem habet officiales terrestres, vt palatinatus Cracouiensis.

Venationes enim illic omnium ferarum copiose exercentur. XII milliaribus a Bielsko distat.

NAREW, ciuitas lignea, inter siluas ad fluuium eiusdem nominis, a Bielsko IV milliaribus, condita.

WASILKOW, oppidum ligneum, ad Narew fluuium, in quo capitaneus regius residet.

AVGVSTOW, ciuitas noua amplissima, a Rege Sigismundo Augusto, a quo & nomen habet, fundata. XX milliaribus a Bielsko distat.

DROHICINENSIS TERRA (78)

DROHICIN, ciuitas lignea, ad Bug fluuium condita, in colle curiam regiam, in qua causæ nobilium disceptantur, habet, a Bielsko ciuitate X milliaribus, a Varsauia XXX distat.

MIELNIK, oppidum ligneum ad Bug fluuium conditum, arx vero in colle eminenti, a Drohicin V milliaribus.

LOSICZE, ciuitas lignea ad stagnum amplissimum sita, a Drohicin III milliar.

MORDI, oppidum ligneum in planitie ad stagnum situm, a Drohicin V mil.

Ex his duobus tractibus Podlassiæ, Bielscensi & Drohicinensi, pro expeditione bellica viginti millia nobilium statuuntur. Huius terræ duo sunt præcipui senatores palatinus & castellanus. Vexillum terrestre Podlassiæ bicorne, crocei coloris, stemmate magni ducatus Lithuaniæ, in campo albo insignitur, viro videlicet armato, gladium tenente, equo insidente, ex alia vero parte aquilam albam in campo rubeo gestat, postquam regno Poloniæ est inserta. Similiter Bielscensis & Drohicinensis tractuum vexilla vnicornia insigniuntur.

DE TERRIS ET TRACTIBVS RVSSIÆ

Regno Poloniæ insertis.

De gentis Roxolanorum, siue Ruthenorum, vel Russorum origine, varii varia sentiunt, quos Sauromatas, Slauonesque ex posteritate Iapheti, prout latius in deductione Sarmatarum, Polonorumque diximus, constat esse. Quidam eos a fusco gentis colore Russos dici autumant, alii a disseminatione, siue dispersione, *Rosseia* enim Slauis disseminationem significat, quod melius ad veritatem quadrat, cum totam Sarmatiam Europæam, & Asiaticæ partem occuparent, ab oceanoque glaciali ad mediterraneum vsque mare & sinum Adriaticum, a Pontoque Euxino ad Balticum oceanum vsque eorum coloniæ extenduntur, vnde & Græcis Sporii, id est, dispersi, dicuntur.

Qui in primis Ruthenis imperauerint incertum est, cum litterarum prorsus ignari essent, donec anno Domini 796. Michael Curopalatus, Imperator Constantinopolitanus characteres ad scribendum Bulgaris misisset, quos etiam Rutheni omnes susceperunt, & ab hoc tempore illa, quæ poterant ante & post gesta recordari, litteris mandabant. Regionibus Russiæ duo præcipui Principes præsunt, vtpote magnus Dux Moschouiæ, qui se Imperatorem totius Russiæ appellat [& nunc etiam ab omnibus fere Europæ regibus talis salutatur] plures enim in ea Ducatus possidet. Secundus Rex Poloniæ, qui etiam Magno Ducatui Lithuaniæ præest, Russiæ ducatus Lithuaniæ insertos, vtpote Vitebscensem, Kiouiensem, Mscislauiensem, et c. possidet, quos vna cum Lithuania descripsimus.

Nunc ceteras regiones Russiæ, Poloniæ adhærentes, cum præcipuis ciuitatibus describemus, in quibus magna ex parte Poloni coloni sedes suas habent, proceres que equites fere omnes Poloni sunt, ac maior pars religionem Romani ritus amplectitur, vtpote ciues & nobiles, exceptis colonis & agrestibus, qui Græcorum dogmata

P in religione

(78) Drohicinensis terra est pars palatinatus Podlachiæ, neque nunc palatinum & castellanum habet, vt *Stryicouius* infra dicit.

religione sequuntur, de quorum religione & ritibus latius in Moschouiæ descriptione patet.

LEOPOLIENSIS ET HALICIENSIS TERRA. (79)

LEOPOLIS, ciuitas insignis, Russiæ, Polono Regi subiectæ, metropolis, a Leone Russorum Principe condita, duplici muro, propugnaculisque fortissimis vallo & fossa profunda, tormentisque & supellectili bellica expeditissime prouisa. Arx vna in ciuitate, alia vero in eminentissimo scopulo ciuitati impendente munitissime condita est, cuius aspectus decem milliaria patet. Emporio, sedeque archiepiscopali clara, metropolitanus quoque Russiæ ibidem sedem suam retinet. Ecclesiæ in ea Romanæ & Græcorum obedientiæ plurimæ. Armeni quoque ibidem basilicam suæ religionis, antistitemque & sacerdotes habent.

HALICIA, ciuitas lignea amplissima antiquitus condita, vna ex ducatibus Russiæ: Eam a Moldauia Prud fluuius, ex alia parte Tyras, Nester vulgo dictus, præterlabitur. Arcem ligneam in colle eminenti adiunctam habet.

Has ciuitates præcipuas Leopoliensis & Haliciensis terra complectitur, qui sunt sequentes:

ZIDACZEW, in Pokutia, ciuitas lignea, in planicie ad Striy fluuium sita. Arx in colle eminenti vallo circumsepta.

GRODEK, ciuitas circumsepta, vna cum arce in planitie stagnis circumuallata, a Leopoli IV miliaribus.

BVSKO, ciuitas, inter lutosas paludes, ex quibus Bug fluuius oritur, sita, quo merces variæ ex Volhynia in Vistulam deportantur, a Leopoli V milliaribus distat.

STRIY, ciuitas lignea, ad fluuium eiusdem nominis condita.

WIZNA, ciuitas in planitie inter paludes ad fluuium sui nominis extructa.

SNIATIN, ciuitas lignea, septis circumdata, confinis Moldauiæ, cum Prud fluuius præterlabitur, a Leopoli XII miliaribus distat.

COLOMIA, ciuitas lignea, sub monte ad Prud fluuium sita, ibidem sal decoquitur.

ROHATIN, ciuitas lignea, septis circumdata in planitie, eam Rohatinka fluuius præterlabitur. Arcem inter stagna & paludes in collo sitam habet, a Leopoli X milliaribus distat.

DOLINIA, oppidum ligneum inter colles situm.

LVBAZOW, ciuitas lignea, in planitie sita, castrum inter paludes stagnantes conditum.

SENATORES PRAECIPVI HARVM TERRARVM.

Archiepiscopus Leopoliensis	[Premisliensis]	Castellani minores
[Episcopus Premisliensis]	Haliciensis	
[Episcopus Chelmensis]	Sanocensis	
Palatinus Russiæ	Chelmensis	
Castellanus Leopoliensis		

Vexillum Leopoliensis terræ, leonem fuluum coronatum, petram ascendentem, in campo lasurino gestat.

Haliciense vero vexillum monedulam coronatam cum expansis alis, in campo rubeo pro stemmate gestat.

BELZEN-

(79) Inscriptio *palatinatus Russiæ* conuenisset, Leopoliensis enim & Haliciensis terræ, partes tantum sunt palatinatus Russiæ, qui in sex terras iterum dispartitur, nempe *Leopoliensem*, *Premisliensem*, *Sanocensem*, *Haliciensem*, *Chelmensem* & *Zydacesensem*, quarum vnaquæque eosdem ac palatinatus Cracoviensis numerat officiales terrestres. Terra Premisliensis de nouo diuiditur in tractum *Premisliensem* peculiarem & *Prevorscensem*, & terra Chelmensis in *Chelmensem* peculiarem & *Krasnostaviensem*

BELZENSIS TERRA (80)

BELZ, ciuitas lignea, ampla in planitie sita. Arcem ligneam lutosis paludibus late stagnantibus circumductam habet, quam nequaquam Tartarica sagitta attingit.

SOKAL, ciuitas circumsepta in planitie ad Bug fluuium sita. Arx in colle eminenti lignea.

HRVBYESOW, oppidum cum castro in colle situm.

HRODLO, ciuitas stipitibus præacutis circumsepta, arcem in colle Bugo præterfluam habet.

GRABOWIEC, ciuitas lignea in planitie sita, arx in colle eminentissimo natura & opportunitate loci munitissima, accessuque ardua.

TYSSOWICE, ciuitas lignea, arcem in colle habet.

Senatores præcipuos duos terra Belzensis habet, palatinum videlicet & castellanum. Vexillum terrestre griphonem album coronatum, in campo rubeo pro stemmate gestat.

CHELMENSIS TERRA (81)

CHELM, ciuitas septis circumdata, sede episcopali clara, arx in eminentiori colle sita, lignea, argilla oblinita, quatuor milliaria prospectus illius patet.

CRASNOSTAW, ciuitas murata ad stagnum amplissimum sita, arx in planitie murata, quam Viepr fluuius nauigabilis præterlabitur, a Lublina VII milliaribus. In ea capitancus generalis regius residet.

RATNO, ciuitas lignea ampla inter paludes latissime stagnantes sita, a Chelmiaque XXIV fere milliaribus pontibus stratis ad eam peruenitur. Arx in colle eminenti ad Perepetum fluuium nauigabilem, condita, quam Tur fluuius alia ex parte, paludesque lutosæ muniunt, accessusque omni ex parte difficilis.

LIBOWLIA, ciuitas ad Bug fluuium sita, arcem in colle eminenti habet.

Senatores duos principales, episcopum videlicet & castellanum, terra Chelmensis habet.

Vexillum terrestre vrso albo inter tres arbores in campo aureo gradiante, insignitur.

PREMISLIENSIS TERRA.

PREMISLIA, ciuitas murata ad *San* fluuium nauigabilem sita, sede episcopali clara. Arx in colle in vlteriori ripa eiusdem fluuii condita, propugnaculisque apprime munitissima. Ibidem hortus ingens omni genere ferarum refertus.

SAMBOR, ciuitas septis circumdata ad *Tyram* fluuium, vna cum arce, sita, Hungariæ finitima.

DROHOBYCZ, ciuitas stipitibus præacutis in planitie munita, salis fodinis clara.

SANOK, ciuitas lignea inter colles ad San fluuium extructa, arx in colle murata.

PRZEWORSK, ciuitas in colle muro circumdata, ad Mleczka fluuium sita.

KROSNO, ciuitas murata Iasiolda fluuio circumdata. Vislok vero fluuius eam mediam interfluit. Ibidem medio milliari Camieniec, arx in eminenti scopulo murata, natura & opportunitate loci & propugnaculis munita.

P2 Vexil-

(80) Palatinatus Belzensis iterum in quatuor tractus diuiditur, nempe *Belzensem* peculiarem, *Grabowiecensem*, *Horodelensem* & *Buscensem*. Officiales terrestres palatinatus Belzensis sunt ordine & numero eodem ac palatinatus Cracouiensis, quibus iisdem & tractus Grabowiecensis, Horodelensis & Buscensis gaudent, exceptis Succamerariis & iudicibus terrestribus.

(81) Chelmensis terra est tractus pertinens ad palatinatum Russiæ sic & Premisliensis terra, qui tractus haud separatim ponendi, sed ad dictum Palatinatum Russiæ referendi sunt.

Vexillum terreſtre aquilam auream bicipitem coronatam in campo laſurino pro ſtemmate geſtat.

PODOLIÆ REGIO. (82)

PODOLIA, regio ampliſſima, Moldauiæ & Valachiæ a meridie finitima eſt, ab oriente vero vaſtiſſima campeſtria deſolata, ad Tanaim fluuium paludesque Meotidis, & Pontum Euxinum vſque, Tartarosque Præcopenſes habet. Omnium rerum ex terra naſcentium fertiliſſima, adeo, vt colonus, quamuis quomodocunque in agrum ſemen iniecerit, centuplum fructum referat. Prata quoque mirum in modum luxuriantia, adeo vt bouis cornua vix e gramine appareant: terra tamen dura & petroſa nimis, adeo vt biſſenos boues coloni araturi, aratro iungere cogantur. Attamen intolerabile pondus boues anhelantes teſtantur. Mellis ſiluæ paſſim abundantiſſimæ, ſtipitibus enim cauatis vbique mel roſcidum depromitur. Armentis, gregibusque & feris omnis generis redundans. Eam antiquitus Alani, Goti, Getæ, Cumani, Polowcii, & Roxolani incolebaut. Circaſſorum reliquiæ adhuc extant, ad Boriſthenem fluuium.

Has ciuitates præcipuas arcesque hæc regio complectitur, quæ dicuntur:

CAMIENIEC, ciuitas Moldauiæ finitima, diuinaque fere manu inter arduas cliuoſasque rupes condita, portas ſolummodo duas habet. Arx quoque natura & opportunitate loci rupe petroſa, vndique cincta, quam vna cum ciuitate Smotricz fluuius præterlabitur, foſſaque profundiſſima naturali cingitur. Arx ipſa muro propugnaculisque munita. Ciuitatem vero rupes altiſſima, ſaxoſa, acceſſuque ardua, inexpugnabilem facit, quam ita ſuo ambitu includit, vt minime ædium, quamuis eminentiorum, appareant. Sæpius ab ea *Tartari*, *Valachii* & *Turcæ*, cum ingenti ſtrage & dedecore repulſi & fugati ſunt. A Chocimia, Moldauiæ arce duobus milliaribus diſtat.

BAR, ciuitas ſeptis circumdata, in planitie, a Bona, Ioannis Sfortiæ, ducis Mediolani, filia, Sigismundi Regis Poloniæ, coniuge, condita, quam a Baro patriæ appellauit. Arx in colle murata, paludibus late ſtagnantibus circumdata.

MYEDZIBOSZ, ciuitas & arx ampla lignea, inter paludes latiſſime ſtagnantes ſita, ad quam niſi pontibus peruenitur, a Tartaris ſæpiſſime infeſtatur.

BREZANIA, oppidum ligneum, arcem in colle muratam habet.

TREBOWLA, ciuitas ſub monte altiſſimo ſita, arcem in colle eminenti habet.

CHMIELNIK, ciuitas lignea ſtipitibus circummunita, arx lignea in planitie ad Bog fluuium, Herodoto Hypanis dictum, ſita, a Camieniec XX milliaribus.

BRASLAW, ciuitas & arx lignea, vallo, foſſaque circummunita, eam Bog fluuius præterlabitur.

VINNICZA, ciuitas lignea vna cum arce vallo circumſcpta, ad Bog fluuium ſita. Hæ duæ arces, præter ceteras, tractusque ampliſſimos, qui pro palatinatibus computantur, a Tartaris Præcopenſibus ſæpisſime infeſtantur. Vexillum peculiare bellicum cinericei coloris, ſtemmate magni ducatus Lithuaniæ inſignitum habent. (83)

SWINIGROD, arx cum ciuitate lignea in campeſtribus ſita, ibidem munitiones ſunt plurimæ in campeſtribus deſolatis ſitæ, contra Tartaros latrocinantes arcendos. Tandem vltra Bog fluuium (qui Herodoto Hypanis dicitur) Circaſſorum. & Canowciorum reliquiæ, longo tractu ad Boriſthenem extant in campeſtribus deſolatis,

quæ

(82) Palatinatus Podoliæ in tres iterum diuiditur tractus, *Camenecenſem*, *Laticzevenſem* & *Czerwonogrodenſem*. Officiales terreſtres eosdem habet ac palatinatus Cracouienſis.

(83) *Braslavia* & *Vinnica*, ciuitates, non pertinent ad palatinatum Podoliæ, ſed ad palatinatum Braclauienſem, de quo, vt & de Volhyniæ, Kiiuviæ & Czernichouiæ palatinatibus, *Striycovius* nil dixit, ſed ad Lithuaniam retulit.

quæ ducentis milliaribus Polonicis nullis ſiluis collibusue & munitionibus conſpicua, ad Tanaim paludesque Meotidis, & Pontum Euxinum, Tartarosque Præcopenſes, & Crimſcenſes vsque, extenduntur.

Senatores Podolia præcipuos tres dumtaxat habet, epiſcopum Camenecenſem, palatinum, Podoliæ generalem, & caſtellanum Camenecenſem. Vexillum terreſtre ſolem ſtellis duodenis, in campo albo circumdatum, pro ſtemmate geſtat.

LECTORI

Ne te tua opinio fallat, lector candide, me hic vniuerſum regnum Poloniæ abſolute deſcripſiſſe. Ego enim hic prouincias principales, quæ olim pro ducatibus habebantur, nunc vero in palatinatus redactæ ſunt, deſcripſi, ciuitatesque & arces præcipuas regias, in quibus cauſæ iudiciales nobilium celebrantur, enumeraui. Hæ vero prouinciæ, plurimas frequentiſſimasque ciuitates, arces & oppida, tam regis, quam nobilium, procerum, epiſcoporumque complectuntur. In ſingulis autem terris & ciuitatibus præcipuis, ſuperius enumeratis, adminiſtratores cauſarum iudicialium, a rege ſubſtituuntur: vtpote capitanei generales, qui vices regias ſupplent, iudex & ſubiudex, notarius, ſubcamerarius, camerarius terreſtris. Hi omnes cauſas nobilium abſoluunt, exceptis capitibus criminalibusue cauſis, quæ ad regis edictum in comitia generalia relegantur. (84) *Sunt quoque in Poloniæ regno comitatus plurimi, vtpote comitatus in* Tarnow, *in* Gorka, *in* Tenczin, *in* Melſtin, *in* Sidlowiec, *& id genus alii.*

REGNI POLONIÆ MAGNIQVE DVCATVS LITHVANIÆ
REGIS CVM SENATORIBVS SVIS IN SENATV ORDO.

POLONIÆ regnum in Sarmatia Europæa, vt diximus, ampliſſimum, potentiſſimumque, cum aliis multis præclaris rebus, tum modo gubernationis a ceteris omnibus regnis differt, in quibus reges ſine ſenatus conſilio & equitum conſenſu, ex voto priuato legem omnibus ferunt, & niſi virtute innata regantur, in tyrannidem facile prolabuntur. In Polonia autem, vt reges non naſcuntur, ſed communibus ſenatus & equitum ſuffragiis eliguntur, ita etiam ſine auctoritate eorundem nihil decernere poſſunt, quamuis ſint potentiſſimi, & militibus voluntariis ſuperbiſſimos quosque ſuperantes. Soli enim Poloniæ principes inuictiſſimi reperiuntur, qui ex ſolis voluntariis nobilibus, ducentorum millium, quotiescunque opus fuerit, exercitum fortiſſimum & omni genere armorum promptiſſimum, ſine vllis ſtipendiis contra hoſtem educere poſſunt. Nobilitas namque vniuerſa, omnibus ſoluta vectigalibus, bellica tantummodo munera obire pro aris & focis tenentur, quod ſi voluntarii milites non ſufficerent, de ſuis propriis gentibus trecenta millia mercenariorum conſcribere poſſunt. (85)

Ita cum ſit potentiſſimus rex Poloniæ, tamen ſecundum legum & ſenatus præſcripta, viuere tenetur, ſicque regnum ampliſſimum, regio imperio, regia vero maieſtas & poteſtas viciſſim ſenatus & nobilium libertate temperatur, intra æquitatisque terminos, omnes ordines regni cum ipſo rege continentur, quod ſi Rex quandoque ab officio ſuo deflecteret, & publicas libertates ſuorum op-

Q primere

(84) Nunc autem, cum ſupremum regni iudicium, ſeu *regni tribunal*, ſtudio magni illius Io. Zamoiſcii, tempore *Stephani* regis, a. 1578. fundatum fuerit, omnes nobilium cauſæ, quæ in iudiciis inferioribus diiudicari non poſſunt, in hoc ſummo iudicio dirimuntur, neque ad comitia ablegantur, niſi cauſa ſingularis & magni momenti ſit.

(85) Quæ *Striycovius* hic de exercitu Polonico dicit, correctione omnino opus habent, ſed ab ea de induſtria abſtineo.

primere aſpiraret, auctoritate ſenatoria, qui ad hoc attendendum iuramento ſunt obligati, prohibetur, & ita Rex Poloniæ grauiſſimis ſenatorum conſiliis nititur.

Senatores vero ipſi & vniuerſi equites, viciſſim regiam maieſtatem reuerentur, amant, honorant, & vitam ac poſſeſſiones priuatas vniuerſas funditus pro ſanitate & bono illius effundere parati ſunt. Senatores autem voto regis, penes quem eſt ſumma & maxima iuris dicendi auctoritas, ex præcipua & illuſtri totius regni nobilitate, generis & virtutum commendatione delecti, exacto fidei ſacramento, in ſenatum eliguntur. Principes autem & præcipui regni ſenatores, ſunt archiepiſcopi & epiſcopi, propter reuerendam eccleſiaſtici ordinis auctoritatem, & opes, quibus affluunt, præſtantiſſimas. Hi in ſenatu vtrumque regis latus circumſident. Archiepiſcopi autem duo ſunt in vniuerſo regis Poloniæ imperio, Gneſnenſis, regni primas, & legatus natus, Romani pontificis vicem in Polonia tenens, qui a vetuſta ſuperiorum temporum memoria, coronandi ius habet. In Ruſſia vero nigra, ſecundus archiepiſcopus eſt Leopolienſis, vbi ſedes metropolitana Cracouia translata eſt, anno Domini MLXXV, incuria *Lamperti Zulæ*, ſancti Stanislai prædeceſſoris. Epiſcopi tredecim non ſecus ac principes maximi, omnium rerum copia excellentes, in tota Poloniæ monarchia reperiuntur, Cracouienſis minoris, Poſnanienſis maioris Poloniarum, Vladislauienſis, qui & Cuiauiæ, Pomeraniæque, Vilnenſis Lithuaniæ, Plocenſis Maſouiæ, Varmienſis, Culmenſis, Pruſſiæ, Præmislienſis, Luceorienſis, Chelmenſis, Kiiouienſis, Ruſſiæ, Samogitiæ, vltimus Camenecenſis. (86)

Hi ordine omnes Regi aſſident, niſi quod Poſnanienſis cum Vladislauienſi, antiquam dignitatis litem teneat, ideo alternatim locum mutant. Epiſcopos ex veteri priuilegio Caſtellanus Cracouienſis ſubſequitur, militarium procerum princeps, deinde Palatini, quorum maior Cracouienſis & Vilnenſis, palatinis vero quidam, Caſtellani præcipue, intermixti. Tunc demum alii Caſtellani maiores, quos recenſere longum eſſet, ordine loca ſua occupant, qui non caſtris, vt ipſa vocis etymologia ſonat, ſed minoribus prouinciis ſenatorio iure, & nomine regio præſunt, extraque ipſam auctoritatem, dignitatemque (quæ poſt Palatinos) paruum ſui officii quæſtum reportant, quamuis illius, cui præſunt prouinciæ, domini appellantur, nihil enim præter reipublicæ (quod vere Senatorum eſt) commoda quærunt. (87)

Caſtel-

(86) Quia *Striycovius* neque omnes epiſcopos, neque recto ordine enumerauit, ſyllabum eorum, qui hodie ſunt, a. 1758, additis pro poſteritate nominibus, hic adiiciam:

Archiepiſcopus Gneſnenſis, regni & M. D. L. Primas & princeps primus, Celſiſſimus Dominus
ADAMVS KOMOROWSKI

Archiepiſcopus Leopolienſis, illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus *VLADISLAVS LVBIENSKI*

Epiſcopus Cracouienſis, Celſiſſimus princeps *Andreas Stanislaus Koſtka* ZALVSKI.
.... Cuiauienſis, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. *Antonius Sebaſtianus* DEMBOWSKI
.... Poſnanienſis, Celſiſſimus princeps *Theodorus* CZARTORYSKI.
.... Vilnenſis, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. *Michael Ioannes* ZIENKOWICZ.
.... Plocenſis .... *Ioſephus* SZEMBEK
.... Varmienſis Celſiſſimus S. R. I princeps *Adamus Stanislaus* GRABOWSKI.
.... Luceorienſis, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſ. *Antonius* WOŁŁOWICZ
.... Premislienſis, ... *Venceslaus* SIERAKOWSKI
.... Samogitiæ .... *Antonius* TYSKIEWICZ.
.... Culmenſis, ... *Adalbertus* LESKI.
.... Chelmenſis .... *Valentinus* WEZYK
.... Kiiouienſis .... *Caietanus* SOLTYK.
.... Camenecenſis nominatus .... *Hieronymus* SZEPTYCKI
.... Liuoniæ, ... *Antonius* OSTROWSKI.
.... Smolenſciæ, ... *Georgius ab Hilow* HILZEN

(87) Non adeo longum fuiſſet, omnes regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ ſenatores recenſere. En omnium ſenatorum noſtris temporibus viuentium catalogum:

Celſiſſimus Caſtellanus Cracouienſis *Stanislaus* PONIATOWSKI

Caſtellanos, Archimarſchalci, Marſchalcique, ſupremi totius Regni officiarii, ſequuntur, qui ſunt Poloniæ & Lituaniæ de vtroque imperio bini, terreſtres videli-

Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus palatinus Cracouienſis *Io. Clemens* BRANICKI, exercitus regni Poloniæ dux ſupremus.
Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. palatinus Poſnanienſis, *Stanislaus* POTOCKI.
Celſiſſimus palatinus Vilnenſis *Michael Caſimirus* princeps RADZIVIL, exerc.M.D.L. dux ſupremus.
Illuſtriſſimus atque Excellentiſſi. palatinus Sandomirienſis, *Ioannes* WIELOPOLSKI.
. . . . castellanus Vilnenſis *Michael* MASSALSKI, Lithuan.dux campeſtris.
. . . . palatinus Caliſſienſis, *Auguſtus* DZIALINSKI.
. . . . palatinus Trocenſis *Alexander* POCIEY
. . . . palatinus Siradienſis *Caſimirus* DĄBSKI
. . . . caſtellanus Trocenſis *Thadæus* OGINSKI
. . . . palatinus Lancicienſis *Ioſephus* WALEWSKI
. . . . præfectus Samogitiæ . . . . . .
. . . . palatinus Breſtenſis Cuiauienſis *Antoninus* DĄBSKI
. . . . palatinus Kiouienſis *Franciſcus Saleſius* POTOCKI
. . . . palatinus Vladislauienſis *Andreas* ZAMOYSKI
Celſiſſimus palatinus Ruſſiæ, *Auguſtus Alexander* princeps CZARTORYISKI
Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. palatinus Volhyniæ *Ioſephus* OSSOLINSKI
. . . . palatinus Podoliæ *Venceslaus* RZEWVSKI, regni dux campeſtris.
. . . . palatinus Smolenſciæ, *Petrus* SAPIEHA.
Celſiſſimus palatinus Lublinenſis *Antonius* princeps LVBOMIRSKI
Illuſtriſſimus atque Excellentiſſ. palatinus Polocenſis *Alexander* SAPIEHA
. . . . palatinus Belzenſis *Antonius* POTOCKI
Celſiſſimus palatinus Novogrodenſis *Ioſephus Alexander* princeps IABLONOWSKI
Illuſtriſſ. atque excellentiſſ. palatinus Vitebſcenſis *Ioſephus* de *Woyna* SOLLOHVB
. . . . palatinus Maſoviæ *Caſimirus* RUDZIENSKI
. . . . palatinus Podlachiæ *Michael* RZEWUSKI
. . . . palatinus Ravenſis *Caſimirus* GRANOWSKI
. . . . palatinus Breſtenſis Lithuaniæ *Carolus* SAPIEHA
. . . . palatinus Culmenſis *Sigiſmundus* KRETKOWSKI
. . . . palatinus Mſciſlauienſis *Ignatius* SAPIEHA
. . . . palatinus Marienburgenſis *Michael* CZAPSKI
Celſiſſimus palatinus Braclauienſis *Ioannes* princeps IABLONOWSKI, Capitaneus Czehrinenſis, Mareſchalcus campi exercitus cæſarei.
Illuſtriſſimus atque Excellentiſſ. palatinus Pomeraniæ *Iacobus* NARZYMSKI
. . . . palatinus Minſcenſis *Ioannes* HILZEN
. . . . palatinus Livoniæ *Franciſcus* SZEMBEK.
. . . . palatinus Czernichoviæ *Petrus* MIĄCZYNSKI

CASTELLANI MAIORES

Caſtellanus Poſnanienſis Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. *Carolus* GRVDZINSKI
. . . Sandomirienſis . . . . *Michael* SOLTYK
. . . Caliſſienſis . . . . *Albertus* MIASKOWSKI
. . . Woynicenſis . . . . *Franciſcus* CZERNY
. . . Gneſnenſis . . . . *Rochus* ZBIJEWSKI.
. . . Siradienſis . . . .
. . . Lancicienſis . . . . *Joſephus* LASSOCKI.
. . . Samogitiæ . . . . *Joſephus* PAC.
. . . Breſtenſis Cuiauienſis . . . . . *Paulus* DĄBSKI.
. . . Kiovienſis . . . . *Nicodemus Caſimirus* WORONICZ
. . . Vladislauienſis . . . . *Andreas* MOSZCZENSKI.
. . . Leopolienſis . . . . *Michael* LOS.
. . . Volhyniæ . . . . *Michael* LEDOCHOWSKI
. . . Camenecenſis . . . . *N.* HUMIECKI
. . . Smolenſciæ . . . . *Stanislaus* BURZYNSKI.
. . . Lublinenſis . . . . *Victor* WERESZCZYNSKI.
. . . Polocenſis . . . . *Conſtant. Ludovicus* PLATTER
. . . Belzenſis . . . . *Joſephus* KOMOROWSKI.
. . . Novogrodenſis . . . . *Ioannes* CHREBTOWICZ
. . . Plocenſis . . . . *Ignatius* ZBOINSKI
. . . Vitebſcenſis . . . . *Simon* SYRUC.
. . . Czerſcenſis . . . . *Iſidorus* GRZYBOWSKI.
. . . Podlachiæ . . . . *Antonius* MIĄCZYNSKI

videlicet, & curiales. Marſchalcorum officium eſt, curare totius aulæ, & omnium conuentionum tranquillitatem, inter proceres, & aulicos regios partiri ædes vrbium, Regi quocunque eunti, baculos erectos ſinguli præferunt, & vt quiſque officio

Caſtellanus Rauenſis Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ.	*Felix* TRZCINSKI.
. . . Breſtenſis Lith.	*Andreas* ABRAMOWICZ
. . . Culmenſis	*Thomas* GRĄBCZEWSKI
. . . Mſcislauienſis	*Ioannes* ZABIELLO.
. . . Elbingenſis	*Stanislaus* SKORZEWSKI.
. . . Braclauienſis	*Petrus* BRANICKI.
. . . Gedanenſis	*Ioannes* GRABOWSKI.
. . . Minſcenſis	*Michael* JUDYCKI.
. . . Livoniæ	*Ioannes* SZCZYT.
. . . Czerniechoviæ	*Iosephus* CIESZKOWSKI.

CASTELLANI MINORES

Caſtellanus *S*andecenſis illuſtriſſimus	*Petrus* WODZICKI.
. . . Miedzyrſenſis . . .	*Ignatius* TWARDOWSKI.
. . . Vislicenſis	*Rochus* JABLONOWSKI
. . . Biecenſis . . .	*Nicolaus* TRZEBINSKI
. . . Rogoſinenſis . . .	*Maximilianus* MOLSKI
. . . Radomienſis . . .	*Iosephus* POTKANSKI
. . . Zawichoſtſcenſis . .	*Alexander* RÖMER
. . . Landenſis . . .	*Michael* MIASKOWSKI.
. . . Zarnovienſis . . .	*Iacobus* SZĘPKOWSKI
. . . Sremenſis . . .	*Hieronymus* KOLACZKOWSKI.
. . . Malogoſtenſis . . .	*Stanislaus* RVPNIEWSKI
. . . Vielunenſis . . .	*Franciſcus* GALECKI
. . . Premislienſis . . .	*Antonius* MORSKI
. . . Halicienſis . . .	*Antonius* ROZWADOWSKI
. . . Sanocenſis . . .	*Georgius* BVKOWSKI
. . . Chelmenſis . . .	*Ignatius* KOMOROWSKI
. . . Dobrinenſis . . .	*Adam* TRZCIENSKI
. . . Polaniecenſis . . .	*Alexander* CZYŻOWSKI.
. . . Prementenſis . . .	*Ioannes* TWORZYANSKI
. . . Krywinſenſis . . .	*Franciſcus* WILKONSKI.
. . . Czechowienſis	*Auguſtinus* LUBIENIECKI.
. . . Nakielſcenſis . . .	*Antonius* GAJEWSKI.
. . . Roſpierſcenſis . . .	*Eduardus* GARCZYNSKI.
. . . Biechovienſis . . .	*Antonius* ZAKRZEWSKI
. . . Bydgoſtſcenſis . . .	*Michael* BLESZYNSKI.
. . . Breſinenſis . . .	*Sigiſmundus* DOBINSKI
. . . Kruſwicenſis . . .	*Ioſephus* GLEMBOCKI.
. . . Oſwiecimenſis . . .	*Gabriel* SIERAKOWSKI.
. . . Kamienenſis . . .	*Stanislaus* KOSSAKOWSKI.
. . . Spicimirienſis . . .	*Ioannes* MĄCZYNSKI.
. . . Inowlodienſis . . .	*Boguslaus* USTRZYCKI.
. . . Kowalenſis . . .	*Albertus* DĄBSKI.
. . . Santocenſis . . .	*Matthias* MALCZEWSKI.
. . . Sochaczewienſis. . .	*Caſpar* SUFFCZYNSKI
. . . Varſavienſis . . .	*Matthias* SOLTYK.
. . . Goſtynenſis . . .	*Io. Stanislaus* OSSOLINSKI.
. . . Wiſſcenſis . . .	*Io.* CZARNECKI
. . . Racionſenſis . . .	*Valentinus* NISZCZYCKI.
. . . Sierpſcenſis . . .	*Valerianus Adam* WESSEL.
. . . Wyſogrodenſis. . .	*Bartholom.* GISYCKI
. . . Rypinſcenſis . . .	*Stanisl.* BIEGANOWSKI.
. . . Zakrocimenſis. . .	*Antonius* KRASINSKI.
. . . Ciechanovien:. . .	*Vladislaus* ORZEGORZEWSKI
. . . Livenſis . . .	*Ignatius* CIESZKOWSKI
. . . Slonſcenſis . . .	*Wielhemus* MIR
. . . Lubaczewien . . .	*Petrus* TARLO.
. . . *K*onarienſis Siradienſis . . .	*Valentin.* ANKWICZ
. . . *K*onarienſis Lancicienſis . . .	*Petrus* KARCZEWSKI
. . . Konarienſis Cuiavienſis . . .	*Sebaſtianus* WYŻYCKI.

fficio suo apud Regem fungatur, prouident. In senatus consessu omnia ani-
ıaduertunt: quod si supremi Marschalci absuerint, curiales eorum officium
dimplent. Cancellarii, & Vicecancellarii Marschalcos ordine sequuntur, vtrius-
ıe gentis, qui sunt similiter bini, & bina sigilla. (88)

Horum officium est priuilegia, immunitates, prærogatiuas a Rege alicui da-
ıs, literas similiter regias conscribere, scriptas Regi oblatas pronunciant, qui-
us a Rege subscriptis illi sigillum affigunt. Omnes autem litteræ ac priuilegia
n magni Lituaniæ ducatus cancellaria Rutenicis characteribus absoluuntur. (89)

Apud Polonos vero Latine, cuius linguæ sunt peritissimi, omnes causæ descri-
ıuntur. Præcipua quoque est dignitas in Senatu summorum, generaliumque
ıilitiæ Ducum, quorum in Polonia vnus, in Lituaniæ magno ducatu secundus,
erum potiuntur, penes hos summa omnium exercituum imperii sita est, in qua
uctoritate regia plenipotenter vtuntur. Hos demum campiductores de vtro-
ue imperio singuli; qui sunt campestris militiæ duces. Est etiam summus ma-
oris Poloniæ præfectus, siue generalis, similiter Samogitiæ & terrarum Russiæ
ræfecti, quo honorum gradu non nisi principes viri, & de patria optime meriti
rege donantur. Cooptantur quoque in senatus classem, prouinciarum de vtro-
ue imperio officiales, vtpote iudices, qui causas nobilium munere regio
iudicant, pincernæ, succamerarii, dapiferi, secretarii, vexilliferi, scribæ, tribuni
ıilitum, exactores, thesaurarii, & ceteri, qui singuli singula officia in prouinciis
ssignatis exequuntur, & pariter cum iudicibus prouincialibus particularia, cer-
s temperibus anni, assignata iudicia, qui termini, siue *Roki*, vulgo dicuntur,
xercent. Ensifer quoque regni, & vexillifer curiæ regiæ, qui curiale vexillum
ı bello defert, non postrema dignitate funguntur. Non etiam auctoritatis fru-
rantur honore ipsi Secretarii scribæque, siue protonotarii regii. Insuper cubiculi,
abuli, culinæque magistri, suis dignitatibus in senatus consulto gaudent. (90)

R

Ciui-

(88) MINISTRI STATVS
Regni Poloniæ & M.D. Lithuaniæ.

Mareschalcus regni supremus, Illustrissimus atque Excellentiss. Dom. *Franciscus* *BIELINSKI*
Mareschalcus Lithuaniæ supremus, ... *Ignatius* *OGINSKI*
ancellarius regni supremus, ... *Ioannes* *MALACHOWSKI*
ancellarius Lithuaniæ supremus. Celsissimus *Fridericus* *Michael* princeps *CZARTORYISKI*
ıcancellarius regni Illustrissimus atque Reuerendissimus Dom. *Michael* *WODZICKI*
ıcancellarius Lithuaniæ Illustrissimus atque Excellentiss. Dom. *Michael* *Antonius* *SAPIEHA*
hesaurarius regni supremus. . . . . *Carolus* comes *Odrowaz* *SEDLNICKI*
hesaurarius Lithuaniæ supremus. . . . . *Georgius* comes *FLEMMING*
areschalcus curiæ regni . . . . *Georgius* *MNISZECH*
areschalcus curiæ Lithuaniæ Celsissimus Dom. *Ianussius* princeps *SANGVSZKO*

9) Hoc nostris temporibus obsoletum. In Lithuania enim nunc, vt in Polonia, omnia priuilegia, vel
atino, vel Polono idiomate exarantur.

o) Regni & M.D. Lithuaniæ cubiculi, stabuli, culinæque magistri, ceterique regni & M.D. Lith.
ficiales omnes, pertinent ad ordinem equestrem, neque in senatu assident. Sunt autem, recte or-
ne & numero posito, sequentes:

ecretarius magnus regni, Illustrissimus ac Reuerendiss. *Adamus* KRASINSKI Canonicus Gnesnensis,
. . . . . . Lithuan. . . . . *Io.* LOPACINSKI, Scholasticus cathed. Vilnensis.
eferendarius regni ecclesiast. . . . . *Ioseph.* *Andreas* ZALVSKI, Abbas Wochocensis.
. . . . . Lith. ecclesiast. . . . . *Ignatius* MASSALSKI, Præposit. cathed. Vilnensis.
eferendarius regni secularis, Illustrissimus & Excellentiss. *Albertus* SIEMINSKI.
. . . . . Lith. secularis, ... *Antonius* PRZEZDZIECKI.
ıbcamerarius regni . . . . *Casimirus* PONIATOWSKI
. . . . . Lithuaniæ . . . . *Ioannes* MNISZECH
hesaurarius curiæ regni . . . . *Antonius* KOSSOWSKI
. . . . Lithuaniæ . . . . *Iosephus* MASSALSKI
exillifer magnus regni . . . . *Carolus* *Gonzaga* *z* *Wielopolskich* MYSZKOWSKI
. . . . . . Lithuaniæ Celsissimus Dominus *Hieronymus* princeps RADZIVIL

Ciuitatum, oppidorum, arcium regiarum, prouinciarumque præfecti, referendarii, ſupplices libellos, & ſubditorum quærelas, ad regem & ſenatum deferentes, ſummusque regis ſecretarius, & referendarius, ſalinarum fodinarum, & metallorum præfecti, non ignobili certe dignitate potiuntur. Legati quoque prouinciarum, & ciuitatum præcipuarum, ab vniuerſis ordinibus, de ſingulis prouinciis, nomine totius nobilitatis electi, ſuas in ſenatu partes occupant. (91) Equites quoque & patricii viri iuuenes, virtutibus & genere præſtantes aulici, qui in aula regia ſeruientes, in præſtandis quotidianis ſeruitiis regi operam nauant, ſtipendiaque merentur. Inſuper cubicularii, ſiue veredarii, qui cum epiſtolis regiis per omnes prouincias amandati velociſſime diſcurrunt. Demum ſtipendiarii, & ſatellites, ſiue collaterones, regiæ vitæ cuſtodes, poſtremum auctoritatis locum obtinent. Omnibus autem ſenatoribus ſub fidei iuramento, & amore patriæ, eadem eſt perpetua & conſtans tuendæ publicæ libertatis & propagandi imperii, voluntas. In ſenatu cum de republica deliberant libere, & ſæpius acerrime ſententias dicunt, regem imprudentius regnantem obiurgant, atque vno conſen-

Enſifer regni Celſiſſimus Dom. *Antonius* princeps LVBOMIRSKI
. . Lithuan. Celſiſſimus Dom. *Carolus* princeps RADZIVIL
Præfectus ſtabuli ſupremus regni Illuſtriſſimus atque Excellentiſſimus *Hieronymus* WIELOPOLSKI
. . . . Lithuaniæ Celſiſſimus Dom. *Vlricus* princeps RADZIVIL
Præfectus culinæ ſupremus regni Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. *Bernardus* GOZDZKI
. . . . Lithuan. . . . . *Ioſephus* PODOSKI
Dapifer regni . . . . *Auguſtus* MOCZYNSKI
. . Lithuaniæ . . . . *Stanislaus* PONIATOWSKI
Pincerna regni . . . . *Felix* CZACKI
. . . Lithuaniæ . . . . *Ioannes* MASSALSKI
Structor regni . . . . *Adamus* MALACHOWSKI
. . . Lithuaniæ Celſiſſimus *Stanislaus* princeps RADZIVIL
Subdapifer regni . . . . . . *Stanislaus* princeps LVBOMIRSKI
. . . Lithuanæ Illuſtriſſ. atque Excellentiſſ. *Ioannes* RZEWVSKI
Subpincerna regni . . . . *Euſtachius* POTOCKI
. . . . . Lithuaniæ . . . . *Gervaſius Ludouicus* OSKIERKO
Venator regni Celſiſſimus *Stanislaus Koſtka* princeps CZARTORYISKI
. . . Lithuaniæ Illuſtriſſ atque Excellentiſſ. *Ignatius* LANIEWSKI
Notarius ſupremus regni eccleſiaſticus Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. *Gabriel* PODOSKI
Notarii ſupremi Lithuaniæ Illuſtriſſ. Reuerendiſſ. atque Excellentiſſ. I) *Antonius* PAC II) *Thomas Ignatius* ZIENKOWICZ, Suffraganeus Ruſſiæ albæ. III) *Ioſephus* SOSNOWSKI IV) *Ioannes* IVDICKI
Geometra generalis Lithuaniæ illuſtr. atque excellent. *Ioſephus* BVFFAL, Notarius caſtrenſ. Grodzienſis
Tribunus Lithuaniæ . . . . *Adam* MIKOSZA

OFFICIALES BELLICI

Regni & M. D. Lithuaniæ

Notarius campeſtris regni illuſtriſſ. atque excellentiſſ. *Franciſcus* RZEWVSKI
. . . . Lithuaniæ . . . . *Michael* OGINSKI
Primi pili dux regni celſiſſimus *Stanislaus* princeps LVBOMIRSKI
. . . . . Lithuaniæ illuſtriſſ. atque excellent. *Ludouicus* POCIEY
Metator regni . . . . *Procopius* LIPSKI
. . Lithuaniæ . . . . *Leonardus* POCIEY
Præfectus rei tormentariæ ſupremus regni Illuſtriſſ. atque Excellentiſſimus Dominus *Henricus* comes *ab Ocieszyno* BRUHL
. . . . Lithuaniæ . . . . *Antonius de Woyna* SOLLOHVB

OFFICIALES CVRIALES

Regni & M. D. Lithuaniæ

Vexillifer curiæ regni illuſtriſſ. atque excellentiſſ. *Adammus* MNISZECH
. . . . . . Lithuaniæ . . . . *Ioannes* Comes KRASICKI.
Præfectus ſtabuli regni ſecundus . . . . *Ioſephus* SZCZANIECKI
. . . . Lith. ſecundus . . . . *Michael* SLIZIEN
Venator curiæ regni . . . . *Antonius* BIELSKI
. . . . . Lithuaniæ Celſiſſimus princeps . *Alexander Ioſephus* SULKOWSKI
Præfectus cavæ Lithuaniæ illuſtris atque excellent . *Franciſcus* PILSVDSKI

(91) Illo tantum tempore, quando ordinis equeſtris legati, in comitiis, cum ſenatoribus ad conſtituendas nouas leges, vel antiquas confirmandas, congrediuntur.

conſenſu ſanctiſſima maiorum inſtituta, & communis patriæ ſanctiſſimas leges, ad extremum vitæ defendunt.

Capitanei generales in minori Polonia XXXX, in maiori XXX, in ducatu Maſoviæ XII, quæ officia nulla ſucceſſione, ſed ex regis gratia in bene meritos de republica conferuntur. Hi enim prouinciis præſunt, & nobilitatem, regia auctoritate, pro tribunali iudicant, omneſque prouentus regios exigunt, & in theſaurum referunt. (92)

R2 Regno

(92) Præfecti cum iurisdictiune, hoc eſt, prouinciarum gubernatores, qui ius gladii, regis auctoritate exercent, ſunt in Polonia & Lithuania nunc ſequentes:

Præfectus	Nomen
Præfectus Wſchovenſis perilluſtris atque excellent.	N. WESSEL
Walecenſis	*Henricus* GOLTZ
Nakielſcenſis	*Andreas* MALACHOWSKI
Siradienſis	*Rochus* KOSSOWSKI
Piotricovienſis	*Paulus* MOSTOWSKI
Vielunenſis	*Adalbertus* MENCINSKI
Oſtreſovienſis	*Antonius* STADNICKI
Lancicienſis	*Matthias* LVSZEWSKI
Breſtenſ. Cuiavienſis	*Theodorus* MOSZCZENSKI
Radzieiovienſis	*Antonius* ZAKRZEWSKI
Predecenſis	*Stephanus* KOSSOWSKI
Kowalenſis	*Andreas* KRETKOWSKI
Kruſwicenſis	*Franciſcus* NIEMOIEWSKI
Vladiſlavienſis	*Ludovicus* DOMBSKI
Bobrownicenſis	*Michael* PODOSKI
Bydgoſtenſis	*Ignatius* GALECKI
Plocenſis	*Stephanus* DEMBOWSKI
Czerſcenſis	*Ioannes* ROSTWOROWSKI
Varſavienſis	*Fridericus* comes BRUHL
Wiſcenſis & Wonſocenſis . . .	*Ioannes* ROSTKOWSKI
Wiſſogrodenſis	*Matthias* SZYMANOWSKI
Zakrocimenſis	*Ioſephus* MLOCKI
Ciechanovienſis	*Andreas* MOKRANOWSKI
Lomzenſis	*Adalbertus* PRZYIEMSKI
Rozanenſis	*Andreas* RENARD
Livenſis	*Ioſephus* KARCZEWSKI
Nurenſis	*Thomas* OSSOLINSKI
Ravenſis	*Franciſcus* LANCKORONSKI
Sochaczevienſis	*Valerianus* LVSZCEWSKI
Goſtynſenſis	*Antonius* LASOCKI
Kowalenſis illuſtriſſimus atque Excellentiſſ.	*Sigismundus* KRETKOWSKI. palat. Chel.
Kiſporſanſis	*Michael* CZAPSKI, palat. Mariæb.
Skarſevenſis	*Iacobus* NARZYMSKI, palat. Pomer.
Cracovienſis	*Carolus* MYSZKOWSKI, gener. minor. Pol.
Sandecenſis perilluſtris atque Excellent.	*Stanislaus* MALACHOWSKI
Biecenſis Celſiſſimus	*Franciſcus* princeps LVBOMIRSKI
Oſwiecimenſis perilluſtris atque excellent.	*Petrus* MALACHOWSKI
Sandomirienſis illoſtriſſ. atque Excellentiſſ.	*Ioſephus* OSSOLINSKI pal. Volh.
Radomienſis	*Caſimirus* GRANOWSKI pal. Rav.
Chencinenſis perilluſtris atque Excellent.	*Michael* RVDZIENSKI
Opoczynenſis	*Nicolaus* MALACHOWSKI
Neopolienſis.	*Stanislaus* KRASINSKI
Stenzycenſis	*Albertus* GRABINSKI
Lublinenſis	*Ioannes* ZAMOYSKI
Lukovienſis	*Franciſcus* NOWOSIELSKI
Drohicenſis	*Alexander* OSSOLINSKI
Mielnicenſis	*Alexander* BVTTLER
Branſcenſis	*Matthias* STARZYNSKI
Leopolienſis Celſiſſimus	*Carolus* princeps RADZIVIL Enſi f. Lith.
Premislienſis illuſtriſſ. atque Excell.	*Stanislaus* PONIATOWSKI Dapif. Lith.
Sanocenſis perilluſtris atqoe Excellent.	*Ioſephus* MNISZECH
Zydaczevienſis	*Vladislaus* LVSCZEWSKI
Halicienſis illuſtriſſ. atque Excellentiſſ.	*Ioannes* MNISZECH Subcam. Lith.
Trembowolienſis perilluſtris atque Excellent.	*Michael* POTOCKI
Chelmenſis illuſtriſſ. atque Excellentiſſ.	*Venceslaus* RZEWVSKI pal. Podol. dux camp. R
Kraſnoſtavienſis perilluſtris atque Excellent.	*Felicianus* POTOCKI

Regno Poloniæ ſaluberrima aura fauet, omniumque rerum ex terra naſcentium fertiliſſima eſt, cuius vbertatem ceteræ regiones transmarinæ affatim perſentiunt, ad quas frumentum grandi copia, de Polonia nauibus aduehitur. Pecoribus quoque omnis generis, venationibusque abundat, ita vt Saxonia, ceteræque gentes Germanorum, Polonicis bouibus victirent. Incolæ habitum variarum diuerſarumque nationum more geſtant: præcipue vero Italicum, Hiſpanicum, Hungaricum, qui illis peculiaris eſt. Alii Germanico, Turcico, Moſcouitico, Bohemicoque more veſtiuntur: diuerſas enim & remotiſſimas prouincias peragrant, vnde varios mores in patriam inferunt. (93)

Viri ſunt excellentisſima induſtria præditi, variarumque gentium idiomata callent: in primis vero linguæ Latinæ peritiſſimi, qua, vt Hungari, maiori ex parte, in ciuitatibus & pagis paſſim vtuntur, idque omnibus ac pauperibus peculiare eſt, quod in primis pueros litteris imbuendos, apprimeque ad conſumtionem ſedecim

Præfectus Belſenſis illuſtriſſ. atqoe Excellentiſſ. *Saleſius* POTOCKI palatinus Kioviæ.
Buſcenſis Celſisſimus . . . . *Antonius* princeps IABLONOWSKI
Grsbowiecenſis peuilluſtris atque excel. *Marianus* POTOCKI
Horodelſcenſis . . . . *Alexius* SIEMIERZYNSKI
Camionecenſis Celſisſimus *Auguſtus* princeps CZARTORYISKI Gener. ter. Podol. Pal. Roſſiæ.
Zytomirienſis perilluſtris atquo excellent. *Ioannes* ILINSKI
Owrucenſis . . . . *Franciſcus* ZAGORSKI
Luceorienſis Celſisſimus *Stanislaus* princeps CZARTORYISKI Venator regni.
Vlodzimirienſis perilluſtris atqoe excellent. *Franciſcus* LEDOCHOWSKI
Kremieniecenſis Celſiſſimus *Ioſephus* princeps SANGNSZKO.
Winnicenſis perilluſtris atque Excellent. *Ioſephus* CZORNOWSKI.
Czerniechovienſis, ſimul palatinus, illuſtriſſimus *Petrus* MIĄCZYNSKI.
Novogrodenſis *Felix* CZACKI Pocillat. R.

PRÆFECTI CVM IVRISDICTIONÆ
M. D. Lithuaniæ

Præfectus Vilnenſis ſimul palatinus, Celſiſſimus *Michael* Dux RADZIVIL, dux exerc. ſupr. Lith.
Oſzmianſenſis, perilluſtris atque Excellent. *Andreas* OGINSKI.
Lidenſis . . . . *Ignatius* SCYPIOK.
Wilkomirienſis . . . . *Benedictus* TYZENHAUZ.
Braclavienſis . . . . *Ioſephus* HILZEN.
Trocenſis, ſimu. palatinus illuſtriſſimus *Alexander* POCIEY.
Kowinſenſis . . . . . *Simon* SYRUC, Caſt. Vitepſ.
Grodzinenſis . . . . . *Ioſephus* MASSALSKI, theſaus. cur. Lith.
Vpitſcenſis perilluſtris atqoe Excellent . *Stanislaus* PLZYNA.
Samogitiæ . . . .
Smolenſcenſis simul palatinus, illuſtriſſimus *Petrus* SAPIEHA.
Starodubovienſis perilluſtris atque Excellent. *Chriſtophor.* ZAWISZA
Polocensis, simul palatinus, illuſtriſſimos *Alexander* SAPIEHA
Novogrodensis simul Palatinus Celſiſſimus *Ioſephus* princeps IABLONOWSKI.
Slonimensis perilluſtris atque Excellent. *Antonius* SADOWSKI.
Wolkowiſcensis illuſtriſſimos . . . . *Ioannes* MASSALSKI, Pocillator Lith.
Vitepſcensis simul Palatinos illuſtriſſimus *Ioſephus* de WOYNA SOLLOHUB
Orſzaniensis perilluſtris atque Excellent. *Ioan.* CHLEWICKI JOZEFOWICZ
Brzeſcianensis illuſtriſſimus *Ioſephus* Comes FLEMMING theſaur. ſupr. M. D. Lith.
Pinſcensis . . . . *Michael* OGINSKI, Notar. Lith.
Mſcislaviensis perilluſtris atque Excellent. *Nicolaus* LOPACINSKI.
Minſcensis . . . . *Ioſephus* IWANOWICZ
Mozyrſcensis . . . . *Antonius* OSKIERKO.
Rzeczycensis Celſiſsimos *Albertus* princeps RADZIVIL.
Livoniæ illuſtriſſimus . . . . . . *Conſtantinus* PLATTER Caſt. P.

(93) Poloni noſtris temporibus duobos tantum veſtium formis vtuntur orientali nempe, sive habitu longo, ad talos vſque, & breui, Germanorum vel Gallorum more, qui apud eos maxime in vſu eſt, qui exteras prouincias peragrarunt.

edecim, plusue annorum, in pulueribus scholasticis committunt, sumtibus pro magistris minime indulgendo: vnde linguam Latinam omnes fere congrue callent, idque ea de re maxime obseruatum crediderim, quod vulgaribus litteris, vel scripturis, in sacris ac profanis rebus, nunquam vtantur, omnesque leges tam ciuiles, quam nobilium, ac villanorum, & ipsa cancellaria regni ac castrensis, Latinis litteris omnia expedit, atque ideo factum est, vt passim docti omnes euaderent. (94)

Habent præter ea Poloni & Lituani linguæ Latinæ inflectionem propriam, & perfectissimam, vt Latinarum dictionum proprie ad iustum accentum, expressionemque secundum litteras ipsas, quadam cum gratia, & dulcedine inflectere, ac proferre queant. Qua de re Polonia omnium fere gentium studia vicisse videtur, quod rarus esset, qui Latinas litteras non calleret, deinde Germanicum, Hungaricum, ac passim Italicum, & magna ex parte Gallicum, Hispanicumque, extra vulgare suum Sarmaticum idioma, nesciret. (95) Equites in ornamentis equorum, armorum, vestibusque præsumptuosis plurimum delectantur. Campestri prælio alacrius hostem quemlibet paruis & magnis copiis adoriuntur. Castra artificiose collocant, curribus in gyrum arcte dispositis, adeo, vt in illis tuti, non aliter atque in arce firmissima, includuntur. Viri sunt bellicosi, strenui, hostisque, quamuis validissimi, impauidi. Armatura maiori ex parte Hungarorum more vtuntur, clypeosque, qui totum hominem equo insidentem tegunt, & hastas oblongas gestant. pluresque inter eos tantæ animositatis reperiuntur, vt vnus alium, quamuis toto exercitu suorum profligato, ad mortem vsque non deseruerit, sed vterque strenue dimicando honeste occumbere, quam turpiter fugere mauult: prout in Moldauia duobus fratribus germanis, STRVSOVICII dictis, euenit, qui ab exercitu suorum aberrantibus cum quinquaginta commilitonibus, inscii in multitudinem Valachiorum inciderunt, a quibus vndique circumuenti, in primo congressu vnus occubuit, alter vero strenue dimicando euasit: sed cædis fratris germani recordatus, in exercitum Valachiorum conuersus, acies eorum fortiter disuerberabat, & quamuis euadendi facultas iterum ei pateret, tamen honestius occumbere, quam euadere maluit. MELSTINIVS quoque, cum VITOLDVS, dux Lituaniæ, multitudine Tartarorum fugaretur, ex fuga audacter conuersus in confertissimas hostium acies sese coniecit, multisque hostium trucidatis, tam diu strenue dimicauit, donec prorsus telis confoderetur, equoque deiiceretur, a. MCCCXCVII, vt latius patet in Lituaniæ ducum descriptione. His etiam multi similes in gestis Polonorum reperiuntur, quos sigillatim recensere infiniti laboris esset.

Id vero illic maxime non solum inter fratres, sed & inter socios fideles reperitur, prout nuper Vilnæ in Lituania, me præsente, euenit, duobus adolescentibus, per plateam ciuitatis pergentibus intempesta nocte, duo alii armata manu occurrunt, vbi inter defendendum vnus aduersarium suum interemit, aufugitque. Socius vero illius captus cædisque damnatus, in locum decollandi postridie ducitur, cumque iam carnifex gladio euaginato staret, ille reus cædis, qui profugerat, accurrens dixit: finite hunc innocentem abire, ego enim hanc cædem perpetraui,

S ita-

(94) Ob puram putam Latinæ linguæ cognitionem certe nemo doctus euadit. Vniuersi enim rerum cognitio, earumque nexus & vsus, doctos tantum facit homines, minime lingua, quæcunque sit, vel Latina, vel Græca, vel Gallica, reliqua. Quis enim diceret, populum Romanum vel Græcum, doctum ideo fuisse, quia harum linguarum cognitionem habuerit exactam. Lingua quidem Latina nunc eruditorum est idioma, ideoque clauis eruditionis, non vero ipsa eruditio. Sed nemo tamen inficias ibit, vt ii, qui Latine, lectione veterum, discant, non simul & varia ad veram eruditionem pertinentia comprehendant.

(95) Nostris temporibus tres maxime in Polonia florent linguæ exoticæ, Gallica, Germanica, Italica, & Gallica quidem apud proceres & aulicos, Germanica apud mercatores & artifices, Italica inter sacerdotes maxime in vsu est, quamuis & primi sæpissime has tres linguas simul calleant.

itaque ille genua flectens a ſpiculatore decollatus eſt, innocens vero liberatus. (96)

Nobiles humilioris fortunæ, iniurias, a magnatibus illatas, non patiuntur, nam quamuis pauperrimus nobilis extiterit, amicis cognatisque ſuis collectis, quam maximum magnatem debellare poteſt: non ſolum enim poſſeſſiones pro neceſſitate amici exponunt, ſed etiam vitam ſuam pro eo morti, variisque periculis obiiciunt, qua de re magnates in Polonia, non parui ſibi pauperem vulgum nobilium ducunt: in Lituania contra nobiles humilis fortunæ magnatum ſunt ſerui.

Accidit in Polonia, me præſente, quod quidam magnæ auctoritatis vir, Dom. IOANNES LVBOMIRSKI, theſaurarius regius ſupremus, capitaneus Lancicienſis, & Radomienſis, caſtellanus Siradienſis, quosdam pauperes nobiles, MIKOLAIEWSCII dictos, iniuria affecerit, qui collecta manu conſanguineorum, cum magno comitatu proficiſcentem occiderunt, in fruſtaque diſſecarunt. Cumque hic nobilis, aut honore priuandus, aut capite plectendus, pro prædicto facinore eſſet, honorem vitæ præferens, citatus ad comitia Lublini celebrata, alacriter comparuit, ibique, honore integro, ex ſententia regis decollatus eſt. Quod ſi huic genti nimiæ commeſſationes, & diuitiarum plusquam liberales profuſiones, inebriationes, non obfuerint, omnes fere gentes innata virtute, & ingeniis heroicis ſuperarent, ſed vnus pro ſanitate alterius, prout illis mos eſt, bibens, poculum magnum funditus exſiccat, quamuis natura interdum repugnante, ſicque hæc eorum mutua charitas, quam illi maxime in conuiuiis celebrant, eos multoties ſanitate priuat, multisque ex nimia inebriatione infirmitatibus corripiuntur. Cum enim vnus alteri pro ſanitate præbibit, non ſolum poculum vitreum, ſed & ligneum vel figulinum, capiti allidit, tandem poſtridie ſurgens infirmitate correptus vinum incuſat, amphoræ oblitus, quam ad caput colliſerat. Multi quoque inter eos, præcipue in ducatu Maſouiæ, reperiuntur, qui ſeſe alterutrum bibere vi compellant, dicentes, aut mihi præbibe, aut mecum armis decertato: interim vero alius arma, quam poculum, quod natura recuſat, alacrius eligit.

Aulicorum miniſtrorum, famulorumque tantas vniuerſi Sarmatæ, præſertim Poloni, Maſouitæ, Lituani, & Ruteni, fouent turmas, vt nunquam ſperares, eos educari poſſe, qui nullum aliud officium agunt, niſi dominum aliquo migrantem, comitari, vel aliquo amandati munus iniunctum obire, a ceteris ſeruitiis prorſus liberi, immunesque. Mechanicum opus nobilis, famulo ingenuo, quamuis pauperrimo, obire non patitur, nec demandat: quod ſi aliquis minus diſcretus famulo negotium minus honeſtum mechanicumue iniunxerit, ruſticum ſibi ad id muneris inueniendum oportere, ſe vero honeſto ſeruitio minime abdicaturum, reſpondit. Et ideo nobiles nobilibus, paresque genere ac virtutibus, paribus plerumque inſeruiunt, cum honeſta ac nobilia ſeruitia obeunt, contra occidentalium gentium conſuetudines, apud quas nobiles nobilibus turpe inſeruiri putant, quod mechanica ſeruitia, quicquid dominus demandauerit, obire coguntur. Apud Sarmatas vero, qui melius bibit pro ſanitate domini, ille melior cenſetur miniſter, & poſtquam dominus menſæ accubuerit, & miniſtri domeſtici ſtatim ordine ſeruato accumbunt, aliquandoque tres, quatuorue menſas occupabunt, quibus liberaliter fercula opipara apponuntur, vt quilibet aulicorum tres famulos ſua portione educare poſſit, quam ipſe ſaturatus puero a tergo ſtanti, in quadra laute porrigit.

Aulicus quilibet famulos aliquot & pueros habere ſolet, & illi famuli alios famulos, pueri pueros, ad quartum vsque ordinem, ad menſam eiusdem domini omnes

(96) Si hoc ita, vt *Stryicovius* narrat, factum eſſet, neſcio quam ſaperet barbariem. Qui enim magiſtratus hominem ſine inquiſitione, ſine decreto, in momento temporis capite plecti poteſt? Poſſet et mania correptus accurrere ſeque nocentem profiteri. Forte aliter res ſe habuit, quam auctor ſcripſit.

mnes cibaria ſumentes, & ſalaria recipientes, & plerumque maiori ex parte, niſi ad menſam inſeruiunt,peracto prandio, vel cœna,ſaturati inclinatis de more gentis coram domino genubus, capitibusque adapertis,quo volunt, diſcurruut, & quandoque triduo, quatriduoue, vel integra hebdomada, dominus ſeruum in tabernis vel in comitiua occupatum, non videbit: raro tamen, vbi fuerit, interrogatur, & ſi interrogatur, reſpondit, ſe pro ſanitate domini hilariter bibiſſe, ad quem dominus ſubridens gratias agit, & plerumque liberaliter huiusmodi remuneratur.

Quodam tempore accidit, dum quidam epiſcopus per theſaurarium ſuum aulicis, & famulis, ſalaria, ſiue ſtipendia, ſecundum conſuetudinem ad vnamquamque partem anni, perſolueret, adſtantibusque omnibus ordine ſuo, quidam latrunculus, qui eadem in aula nemini ſeruiens verſabatur, bibens & comedens quotidie ad menſam epiſcopi, ceteris famulis ſalaria expetentibus ſe intermiſcuit, quibus aduerſus eum murmurantibus, quod nemini ſeruiens ſtipendium expectaret, epiſcopus illum interrogat, cuinam inſeruiret, & quid negotii obiret? qui reſpondit: tibi reuerendiſſime domine inſeruio, & id quod alii ſtrenuus adimpleo. Qualenam ſit ſeruitium, epiſcopo interrogante, dixit: quotidie bis in die laute ad menſam tuam comedo, & bibo, cui epiſcopus ſubridens ſtipendium perſoluit. (97)

Nobiles legibus caſtrenſibus & terreſtribus, a regibus ſuis conſtitutis, vtuntur, ad ciuitatesque prouinciales, quas ſuperius enumerauimus, citantur, nomine capitanei illius regia munia obeuntis, qui arci prouinciæque præeſt, hosque terminos caſtrenſes appellant. Ad terreſtres vero terminos, qui rarius celebrantur, in anno ſex, quatuor inter vicibus, nomine regis in eandem arcem citantur, vbi a iudice terreſtri, vices regias adimplente, iudicantur. Ciues vero in ciuitatibus, imperatoriis legibus, quas Magdeburgenſes apellant, vtuntur.

Atque hæc nobis de regno Poloniæ breuiter dicta ſufficiant, quod multis de cauſis toti reipublicæ Chriſtianæ vtiliſſimum eſt, a gentibusque variis crudeliſſimis, Tartaris & Turcis videlicet, munitiſſimum propugnaculum, Germaniæ præſertim regionibus.

PROVINCIARVM SEV PALATINATVVM
LITHVANIÆ, CIVITATVMQVE PRÆCIPVARVM DESCRIPTIO.

LITVANIA ab oriente Ruſſiæ, Moſchouiæ Duci ſubiectæ, contermina eſt, ab occidente Podlaſſiæ, Maſouiæ, Poloniæque & Pruſſiæ, nonnihil in ſeptentrionem reflectendo adhæret, a ſeptentrione Liuoniæ, Samogitiæque, a meridie Podoliæ, Volhyniæque, Ruſſiæ regionibus, adiacet. Porro Lituania regio eſt ampliſſima, plurimos ducatus, regionesque & prouincias diuerſis nominibus appellatas, ſuo nomine complectens, & VITOLDI, magni Ducis, temporibus, a Ponto Euxino Tauricaque Cherſoneſo, ad ſinum vsque maris Baltici, pelagumque Curlandiæ, Linones & Prutenos verſus, fines ſuos longo tractu extendebat. Omnis autem magnus ducatus Lituaniæ in palatinatus & tractus certos, ſiue prouincias, vbi iudicia particularia, & terreſtria, pro nobilibus exercentur, non ſecus ac Polonia, diuiſus eſt. Hi vero tractus & palatinatus pro ducatibus, vt quondam temporibus plurimorum ducum erat, computari poſſunt, & vnusquisque palatinatus ſuum vexillum, quo in bello vtitur, habet. Eundem quoque colorem & ſignum omnes tractus, ſiue prouinciæ, qui in eodem palatinatu continentur, in ve-

S2 xillis

(97) Tempora mutantur & nos mutamur in illis. am iſtæ turmæ famulorum inutilium deſueſcunt, neque compotationes nunc tam crebro celebrantur in Polonia, multo minus ebrii remunerantur.

xillis ſuis repræſentant, niſi quod palatinatus vexillum maius eſt, cum duobus cornibus, tractus vero minus, ſimpliciter protenſum cum vno cornu.

Primo itaque vexillum magni ducatus Lituaniæ peculiare, & quadrangulare, ad differentiam cæterorum, ſexaginta vlnas ſericeæ telæ rubeæ continet, in medio inſigne proprium, hominem videlicet armatum, equo albo velociter currenti, inſidentem, gladiumque ſuper caput manu extenſa tenentem geſtat, deſuper ſtemmatis pileus ducalis: ex altera vero parte vexilli pro inſigni, imaginem Diuæ virginis Mariæ in ſole cum puero habet.

Vexillum ſupremi ducis exercitus eiuſdem amplitudinis, quadriangulare quoque, coloris laſurini eodem ſtemmate magni ducatus, ex vna partium in campo rubeo, (campus hic locus ſtemmatis intelligitur) ex altera diui Stanislai epiſcopi Cracouienſis imaginem geſtat.

PALATINATVS VILNENSIS (96)

VILNA vrbs, caput & metropolis totius Lituaniæ intra colles ad confluxum Vilnæ, a quo nomen habet, & Viliæ fluuiorum ſita, muroque circumducta, ipſa quoque murata. Arces duas inſigniter muratas adiunctas ſibi habet, quarum vna inferior, (hæcque ampla, & ſumptuoſiſſime extructa) altera ſuperior, in colle eminentiſſimo condita: eas enim ex vna parte Vilna, ex oriente fluens, ex altera Vilia, fluuii, ibidem concurrentes, præterlabuntur. Porro Vilna, quæ nomen vrbi dedit, minor eſt: Vilia vero eſt amplior, & nauigabilis, quo merces ex Vilna nauibus Gedanum Pruſſiæ emporium celeberrimum, deportantur. (99) In hac vrbe plurima templa Romanæ obedientiæ, & Rutenorum ritus, magnis ſumptibus extructa. Epiſcopalis ſedes in Baſilica arcis cathedrali diuo Stanislao dicata. Metropolitanus quoque Ruſſiæ ibidem ſedem ſuam in Baſilica Rutenici ritus præcipua, titulo diuæ virginis Mariæ inſignita, retinet. Porro in toto Lituaniæ magno ducatu, quinque ſunt Romanæ obedientiæ epiſcopatus, vtpote Vilnenſis, Samogitienſis, Kiouienſis, Lucenſis, & Ianouienſis. (100) Septem præter ea præpoſituræ, ſiue Parochiæ inſigniores, a Vladislao Iagielone, qui primus Lituanos baptiſauit fundatæ, & dotatæ, vtpote Vuilkomirienſis, Miſogolienſis, Nemencienſis, Mednicenſis, Kreuenſis, Obolcenſis, & Haynenſis. Archiepiſcopus, qui ſupradictis epiſcopis Lituaniæ præeſt, Leopoli in vrbe Ruſſiæ ſedem ſuam habet Ruthenici vero ritus in Lituania, & Ruſſia, Polono Regi ſubiecta, ſeptem ſunt. Metropolitanus, ſiue Archiepiſcopus, Vilnæ, ſedem ſuam habet. Epiſcopi vero,

quos

(96) Palatinatus Vilnenſis diuiditur iterum in quinque tractus, *Vilnenſem* particularem, *Oſmianenſem*. *Lidenſem*, *Wilcomirienſem*, & *Braclauienſem*. Officiales vero terreſtres in Lithuania. alio ordine & numero, quam in Polonia, vi conſtitut. a. 1676, poſiti, nempe ſequenti:

Mareſchalcus prouincialis	Marszalek powiatowy
Subcamerarius	Podkomorſzy
Capitaneus	Staroſta
Iudex caſtrenſis	Sędzia Grodzki
Notarius caſtrenſis	Piſarz Grodski
Pocillator	Podczaſzy
Pincerna	Czeſnik
Præfectus caſtri	Horodniczy
Theſaurarius	Skarbnik
Venator	Lowczy
Enſifer	Miecznik
Præfectus ſtabuli	Koniuſzy
Metator caſtrorum	Oboźny
Præfectus vigilum	Strażnik
Structor menſæ	Krayczy
Præfectus pontium	Moſtowniczy
Aedilis	Budowniczy

Tribunus (*Ciwon*) Vilnenſis officialibus etiam terreſtribus annumerandus. Mareſchalci prouinciales in his tantum ſunt tractibus, *Oſmianenſi*. *Lidenſi*, *Wilkomirienſi*, *Braclauienſi*, *Grodnenſi*, *Kowinſenſi*, *Vpitſcenſi*. *Starodubenſi*. *Slonimenſi*, *Wolkowyſenſi*, *Orſzanenſi*, *Pinſenſi*, *Mozyrſienſi*, & *Rzeczycenſi*.

(99) Hoc quidem nunc non fit, quia commercium Vilnæ magis antea, quam noſtris temporibus, floruit, ſed fieri tamen poſſet. vt merces Vilna Gedanum & Rigam nauibus aduehantur, nempe per fluuios *Viliam*, *Niemen*, *lacum Curlandiæ*, & iuxta oras *maris Baltici* Gedanum & Rigam.

(100) Nunc non eſt epiſcopus Ianouienſis, qui vero ſunt ceteri Romanæ obedientiæ in Lituania epiſcopi, ex catalogo Senatorum, ſupra no. 86 dato. apparet.

quos Vladicas Rutheni appellant, hi ſunt, Polocenſis, Volodimirienſis, Lucenſis, Pinſcenſis, Kiouienſis, Præmislienſiſque, & Leopolienſis, qui etiam Metropolitæ titulo vtitur: horum mores, habitum, religionem in Moſchouiæ deſcriptione de religione Ruſſiæ videbis.

Vilnenſis palatinatus vexillum rubeum eſt, & bicorne XXXV vlnas telæ ſericeæ continens, ex vna parte in campo albo magni ducatus inſigne geſtat, ex altera columnarum antiquæ gentis ſtemmate inſignitur.

In hoc palatinatu tres ſunt ingentes tractus, ſiue prouinciæ, *Oſmianenſis*, *Braslauienſis*, & *Vilcomirienſis*, horum quilibet proprium vexillum, quo nobilitas prouincialis in bello vtitur, habet.

OSMIANA, oppidum ligneum a Vilna VII milliaribus abeſt, territorium ad ſe pertinens ſatis amplum habet, in quo ſunt complura oppida regia, & nobilium. Vexillum rubeum ſimile Vilnenſi, ſed cum vno cornu, ſtemmate magni ducatus in campo albo inſignitum geſtat.

VILKOMIRIA, oppidum ligneum ad *Swienta* fluuium ſitum. Curia eſt in ea iudicialis, in qua cauſæ nobilium diſceptantur. Crucigeros Pruſſienſes exuſta nunc in ſcopulo veſtigia eius apparent. Prouinciam ampliſſimam, ad XXV milliaria patentem habet, in qua ſunt oppida complura regia, nobilium, ſpiritualiumque. Vexillum quoque rubeum, ſtemmate magni Ducis ex vna parte ornatum, ex altera diui Michaelis imagine inſignitum refert.

BRATISLAVIA, ciuitas lignea, arcem ſibi adiunctam in ſcopulo ad lacum ampliſſimum conditam habet. Vexillo rubeo, nobilitas tractus Bratislauienſis, cum ſtemmate magni ducatus in bello vtitur. A Vilna XX milliaribus diſtat.

IKAZNIA arx murata, & ciuitas lignea ad fluuium eiuſdem nominis, a Bratislauia II milliaribus diſtat.

DRISWIAT arx ad lacum ampliſſimum eiuſdem nominis ſita, a Bratislauia V milliaribus.

LIDA, oppidum ligneum prouinciale, arcem muratam, in qua iudicia nobilium celebrantur, habet, tractus Lidenſis. Vexillum quoque laſurini coloris in bello geſtat.

PALATINATVS TROCENSIS.

TROKI, ciuitas lignea, muro, cuius adhuc ruinæ apparent, quondam circumdata, ſed a Crucigeris Pruſſienſibus communitione deuaſtata. A Vilna ſex milliaribus diſtat, arcem habet in lacu, ſatis opportunitate & natura loci munitam, ad quam niſi nauibus peruenitur. In ea olim ſedes Ducum Lithuaniæ erat, poſtea in Vilnam translata. Eſt quoque aliud oppidum eiuſdem nominis, quatuor a Vilna milliaribus, ad *Vacam* fluuium, quod ad differentiam huius *nouæ Troki* dicitur. In hoc palatinatu quatuor ſunt ingentes tractus, Grodnenſis, Cownenſis, Lidenſis, & Vpitienſis. (101).

GRODNO, ciuitas lignea, arcem muratam in ſcopulo ſitam habet, quam *Nemen*, ſiue *Cronon* fluuius celebris, & nauigabilis præterfluit, vna cum ciuitate. Eo merces Gedanum ex regionibus Lituaniæ, nauibus deferuntur. Territorium Grodnenſe ſatis amplum eſt, quod pro ducatu olim habebatur. Vexillo

(101) Palatinatus Trocenſis diuiditur iterum in quatuor tractus, *Trocenſem* peculiarem, *Grodzinſenſem*, *Kovinenſem* & *Vpitenſem*. Tractus vero *Lidenſis* pertinet ad palatinatum Vilnenſem. *Lida* ciuitas fuit etiam a plagiario *Guagnino* inter ciuitates huius palatinatus recenſita, quam ad palatinatum Vilnenſem, ubi ſita eſt, reieci. Officiales terreſtres eoſdem habet ac palatinatus Vilnenſis.

lo lafurini coloris vnicorni correfpondens palatinali, ftemmate magni ducatus infignito vtitur.

COWNO, ciuitas lignea infignis, plures tamen in ea domus reperiuntur lapideæ, ad confluxum *Nemenis* & *Viliæ*, fluuiorum nauigabilium, fita, arcem muratam antiquitus in fcopulo conditam habet. Vexillum quoque lafurini coloris in bello nobilitas prouincialis geftat.

VPITA, ciuitas lignea prouincialis, tractum ampliffimum cum multis oppidis complectitur. Vexillo ceteris fui palatinatus tractibus fimili in bello vtitur.

Vexillum palatinatus Trocenfis bicorne, XXXV vlnas telæ fericeæ lafurini coloris continet, ftemmate magni ducatus in campo rubeo infignitur.

PALATINATVS MINSCENSIS.

MINSKO, ciuitas lignea ampliffima, arx ex roboribus extructa, natura & opportunitate loci munitiffima, foffa profunda circumducta, cum fluuius quidam molendinis frequens præterlabitur. Vexillum huius palatinatus purpurei coloris bicorne ftemmate magni ducatus in campo albo infignitur. Tractus quoque eius Recicenfis, quem vnum complectitur, fimile vexillum, fed vnicorne geftat. (102)

MOZYR, ciuitas prouincialis ampla lignea ad fluuium Percpetum condita, qui duodecim milliaribus fupra Kiouiam, haufto fluuio pifcofo, *Tur* dicto, Boriftenem influit, a Kiouia XXX milliaribus Polonicis diftat, a Bobranfko totidem, a Mohilow viginti, ab Orsza XXVI. Vexillo Mozyrenfis tractus viridi, prout fuus palatinatus, vtitur.

RZECZYCA, ciuitas fui tractus principalis, iuxta Boriftenem, arcem habet.

KEIDANOW, arx cum oppido a Vilna XXV milliaribus.

RADOSKOWICE, caftrum cum ciuitate. Hic Rex Poloniæ Sigifmundus Auguftus copias armatas numerofas centum millia fuperantes recenfuit, Anno Domini 1568.

BORISSOW, ciuitas lignea, arx ex roboribus extructa, munitiffimaque propugnaculis, parietibus quaternis, intrinfecus terra, lapidibufque impletis firmata, fluuio Berefina opportune circumducta. A Vilna XL milliaribus diftat. Vexillo prouinciali caret, fed in ea milites præfidiarii, contra incurfum Mofchorum continuo afferuantur, ad eam enim Mofchus fines fuas pertinere contendit.

LOHOISKO, ciuitas cum arce lignea, a Boriffow VIII milliaribus diftat.

SWISLOCZ, caftrum cum oppido ad fluuium eiufdem nominis.

BOBROISKO, arx cum ciuitate, ad Berefinam fluuium.

OWRVCZKO, arx in colle eminenti lignea, olim pro ducatu computabatur, nuncque plures nobiles Ruffi titulo huius ducatus vtuntur.

NOVOGRODENSIS PALATINATVS.

NOVOGRODEK, ciuitas ampla lignea, quondam fecundis genitis principum Lithuaniæ attributa erat, nunc in palatinatum redacta eft. Vexillum bicorne rubei

(102) Palatinatus Minfcenfis difpartitur iterum in tres tractus, *Minfcenfem* peculiarem, *Mozyrfenfem*, & *Rzeczycenfem*. Officiales terreftres eosdem habent hi tractus, ac palatinatus Vilnenfis, exceptis tribunis. Marefchalco tamen, qui ad vitæ tempora fungit officio, vtitur tractus Rzeczycenfis.

rubei coloris ſtemmate magni ducatus, in campo albo inſignitum in bello geſtat. Tractus duos Slonimenſem, & Volkouiſcenſem complectitur. (103)

SLONIM, ciuitas, & munitio lignea, olim ſecundo genitorum magnorum Ducum Lithuaniæ erat, & pro ducatu cum ſuo territorio computabatur, poſtea in prouinciam redacta eſt. Vexillo rubeo vnicorni ſtemmate magni ducatus inſignito prouincialis nobilitas vtitur.

WOLKOVISKO, ciuitas ampla, curia in ea iudicialis, vbi cauſæ nobilium diſceptantur. Vexillum quoque rubeum, Slonimenſi ſimile, habet.

MSCIBOW, oppidum, & arx lignea in ſtagno, natura loci munita, planicie circumdante, a Vuolkowiſko II milliaribus.

Oppida plurima hic Nouogrodenſis, tam regia, quam nobilium, cum ſuis tractibus prædictis, complectitur.

PALATINATVS BRESTIENSIS.

BRESTIA, ciuitas ampla lignea, in finibus Lithuaniæ ſita, conterminæ Poloniæ. Arcem ligneam ſibi adiunctam habet, natura, opportunitateque loci munitam, & duobus fluuiis, quorum vnus *Muchawiecz*, alter vero *Bug* vocatur, opportune circundatam.

Vexillum bicorne laſurini coloris, in campo rubeo ſtemmate magni ducatus inſignitum geſtat, vnum duntaxat, ampliſſimum tamen tractum, Pinſcenſem videlicet, complectitur. (104)

PINSKO, ciuitas lignea ſatis ampla, ad fluuium *Perepetum* ſita, qui multis oppidis Ruſſiæ præterlapſis, in Boriſtenem fluuium ampliſſimum defertur.

Hæc ciuitas cum ſuo territorio quondam inter principatus Ruſſiæ computabatur, & a *Gedimino* magno Lithuaniæ Duce ſubacta, ſecundo genitorum principum Lituaniæ erat, nunc in prouinciam eſt redacta. Nobilitas vexillo laſurini coloris, ſtemmate magni ducatus inſignito, vtitur.

PREPETVS, arx & ciuitas ad fluuium eiuſdem nominis ſita.

OLEWSKO, arx, & ciuitas ad Huberczia fluuium.

VOLINIA REGIO.

VOLINIA, inter ceteros Ruſſiæ principatus, gentem bellicoſiorem habet. Eſt autem regio ampliſſima, frugum omnigenarum abundans, ſiluis ferigenis, ſtagniſque piſcoſis referta, ad magnum ducatum Lithuaniæ pertinebat, ſed nunc regno Poloniæ adiuncta eſt. Hi vero populi a Volga fluuio ampliſſimo, qui Moſchovitas a Tartaris diſterminat, prout in deductione Polonorum latius dictum eſt, in hanc regionem venerunt, quam a ſuo nomine, (Volgari enim a Volga dicebantur) Volgariam, poſtea ſucceſſu temporis, Voliniam nuncupauerunt. Viri ſunt ſtrenui, & bellicoſi, Ruthenico idiomate, moribusque & religione vtuntur. In tres tractus, ſiue prouincias, hæc regio diuiditur, Lucenſem, Vlodimirienſem & Cremenecenſem. Vexillum huius regionis bellicum principale bicorne eſt, purpurei coloris, in campo albo ſtemmate magni ducatus Lithuaniæ inſignitum. Prouincialia quoque vexilla eundem colorem, & ſtem-

(103) Palatinatus Novogrodenſis, non duos, ſed tres tractus complectitur, nempe præter *Slonimenſem* & *Volkowiſcenſem*, etiam *Nowogrodenſem* peculiarem.

(104) In duos tractus diuiditur palatinatus Breſtenſis, *Breſtenſem* peculiarem, & *Pinſcenſem*.

(105) *Olewsko* ciuitas, ſita in palatinatu Breſtenſi Lituaniæ, & *Owrucze*, ac *Zytomir*, ſitæ in palatinatu Kiovienſi, male ad palatinatum Volhyniæ fuere reiectæ. Qua de cauſa in locis ſuis repoſui.

& ftemma referunt, nifi quod vnicornia funt fimpliciter protenfa.

LVCZKO, ciuitas lignea, fede epifcopali Ruthenorum, & Romanæ obedientiæ clara, arces muratas duas in colle eminenti habet.

WLODIMIRIA, oppidum ligneum, munitionem quoque ligneam, ad paludes fitam habet, quondam pro ducatu habebatur.

KRZEMENIEC, ciuitas ampla lignea, caftrum quoque ligneum, argilla circum linitum habet.

Hæ autem ciuitates prouinciales complura oppida, & munitiones ad fe pertinentes complectuntur.

CHABNO, arx, & oppidum ad Vffam fluuium fitum.

KOREC, arx, & ciuitas lignea, pro ducatu olim cum fuo territorio computabatur.

KAMIENIEC, munitio, in colle fita.

ZBARASZ, arx, & ciuitas olim fui iuris erat, cum fuo territorio, & pro ducatu nunc etiam computatur, plurefque nobiles & domini huius regionis, ducum titulo a fuis ciuitatibus vtuntur.

PALATINATVS KIOVIENSIS.

KIOVIA, vetuftiffima, ampliffimaque vrbs ligneis feptis circumdata, olim totius Ruffiæ metropolis, ad fluuium celeberrimum Boriftenem fita, a Vilna centum viginti milliaribus Polonicis diftat. Eam quondam magnificam, & plane regiam fuiffe, ipfæ ciuitatis ruinæ, & monumenta, quæ fex milliaribus patent, indicant. Apparent adhuc hodie in vicinis montibus, & collibus ecclefiarum, monafteriorumque, & ædificiorum defolatorum veftigia. Præter ea cauernæ quædam fubterraneæ vaftiffimæ, longo tractu fubtus terras extenfæ, quas quidem octuaginta milliaribus protendi dicunt, in his plurima antiqua fepulcra, corporaque illuftrium quorundam Ruffiæ virorum, (quamuis antiquitus pofita) carie tantum confumpta, integra tamen apparent: præcipue vero duorum quorundam principum cadauera, in veftibus gentili more, prout viui ambulabant, integra, veluti recens pofita, apparent. Sicque infepulta in fpecu iacent, quæ peregrinis a monachis Ruthenici ritus oftenduntur Iuxta hanc vrbem arx fatis munita, ex roboribus, & lapidibus, terraque ad Boriftenem conftructa eft. Porro Kiouienfis tractus ampliffimus eft, quinquaginta milliaribus Polonicis, plufue patens, olim fui iuris principem habebat: nunc in palatinatus formam redacta eft. A Kiouia in meridiem reflectendo, *Circafs* ciuitas lignea ad Boriftenem fita occurrit, eius incolæ Circaffi dicuntur, longoque tractu, iuxta Boriftenem degunt. Rutheni funt, alii tamen ab his, qui ad Pontum Euxinum in montibus habitant, viri bellicofi, & ftrenui, cum Tartaris Præcopenfibus, fibi in vicinio adhærentibus, frequenter belligerant, in prouinciafque eorum excurrunt, & prædas, iumenta videlicet, abigunt: diftat autem ciuitas Circafs a Kiouia viginti quinque milliaribus Polonicis. Supra Circaffos feptem milliaribus per Boriftenem afcendendo, *Kaniew* oppidum viris bellicofis circumquaque habitantibus clarum occurrit, XVII milliaribus a Kiouia abeft. Infra Circaffos, & Kaniouienfes nullæ habitationes Chriftianorum funt. Campeftria enim defolata colonis vacua, ipfis folummodo feris domicilium præbentia, quadraginta milliaribus ad *Oczakow* vfque caftrum & ciuitatem, in oftiis Boriftenis fitam, patent. In Oczakow autem ciuitate, & circumquaque in campeftribus Tartari Precopenfes degunt; ipfa vero ciuitas cum arce Turcicis præfidiis (quamuis Tartari eam incolant)

lant) tenetur, & hucusque Lituanorum colonia, Vitoldi temporibus, erat, sed ad rem vnde digressus sum, redeo.

Kiouiensis palatinatus vexillum bellicum viride bicorne, stemmate magni ducatus in campo rubeo: ex alia vero parte vrso in campo albo insignitum, gestat. Tractum vnum duntaxat, Moserensem, amplissimum tamen, habet. (106)

ZYTOMIERZ, ciuitas tractus sui principalis, vbi est præfectus cum iurisdictione.

BIALA CERKIEW, ciuitas munita, vbi est præfectura sine iurisdictione.

OWRVCZE, castrum, & ciuitas ampla in colle.

MSCISLAVIENSIS PALATINATVS.

MSCISLAVIA, ciuitas lignea, ad fluuium Sosam dictum sita, arcem quoque ex roboribus apprime munitam habet. In ipsis finibus Moschouiæ iacet, ideo præsidiarii milites in ea continuo asseruantur. Vexillum huius palatinatus crocei coloris est, magni ducatus stemmate in campo rubeo insignitum prouincialibus ciuitatibus caret: plurima tamen oppida, & arces complectitur, quondam sui iuris principem habebat, sed nunc in prouinciæ formam redacta est. (107)

Nunc castra ad Boristenem sita breuiter recensebimus.

DOMBROWNA prima arx a Moschouiæ finibus ad Boristenem, cum oppido sita, a Smolensko decem quatuor milliaribus abest, ab Orsha quatuor.

ORSHAM in Vitebsciensi palatinatu describemus.

KOPYSZ castrum cum oppido ad Boristenem, ab Orsha quatuor milliaribus distat.

SKLOW, arx cum ciuitate ad Boristenem, a Kopisz duobus milliaribus distat, pro comitatu computatur. Vnde se illustris ac magnificus Dominus IOANNES CHODKIEWICZ comitem scribit.

MOHILOW, arx cum ciuitate ad Boristenem sita, sex milliaribus a Sklow.

BYCHOW, castrum cum oppido ad Boristenem situm, a Mohilow duodecim milliaribus.

RECZYCZA, arx cum oppido ad Boristenem sita.

STRISSIN, arx cum ciuitate ad Boristenem.

LVBETZ, arx ad Boristenem sita.

VISZEHOROD, arx ad Boristenem, a Kiouia tribus milliaribus abest.

VITEBSCIENSIS SIVE VITEBLIENSIS PALATINATVS

VITEBSK, ciuitas satis ampla lignea, ad DZWINAM fluuium insignem, & nauigabilem, quo merces omnigenæ Rigam, Liuoniæ metropolim, deportantur, sita. Arces duas amplissimas, natura & opportunitate loci munitissimas habet, quarum vna inferior in planitie sita, ciuitatis formam amplitudine

V referens

(106) Hoc falsum est. Nam tractus Moserensis plane non pertinet ad palatinatum Kiiouiensem, sed, vt supra dictum, ad palatinatum Minscensem. Kiioviensis vero palatinatus dispartitur in tres iterum prouincias seu tractus, nempe *Kiiouiensem* peculiarem, *Zydomiriensem* & *Owrucinsem*. Hic etiam de ciuitate *Moser*, tanquam ad palatinatum Kiiouiensem pertineret, dictum fuit, quæ cum in palatinatu Minscensi sita sit, suo loco posui. Omissa autem palatinatus Kiioviæ ciuitates, *Zydomierz* & *Biala Cierkiew* adieci. Hæc confusio non *Strylcovio* auctori, sed *Guagnino* plagiario, tribuenda.

(107) Hic palatinatus non iterum alios in tractus dispartitur, et praeter Mscislaw, Mohilow, adhuc annotanda *Bychow* noua, *Wrakalabow* antiqua, *Wrakalabow* noua, et oppidula *Lupulow*, *Radziwilowo*, *Hieronimow*.

referens dicitur. Altera superior in colle eminentiori condita, vtraque propugnaculis & parietibus ex roboribus extructis, terraque & lapidibus impletis, supellectilique bellica, tormentis, & bombardis apprime munita. Eas vna cum ciuitate ab oriente fluuius *Dzwina* opportune prælerlabitur, in quam sub ipsa arce ex altera parte Viczba fluuius exoneratur. Hæc arx omnium arcium finitimarum, totiusque Lituaniæ est fortissimum propugnaculum contra incursum Moschorum: in ipsis enim finibus hostium iacet. Sæpius ab ea Moschouitæ cum suo ingenti damno fugati, repulsique sunt. Quatuor in ea præfecti, siue ductores militum pedestrium asseruantur, in quorum ego numero sub Guagnino, quincentenariæ cohortis miles eram. (108) A Vilna octuaginta milliaribus distat: quondam sui iuris principem habebat, & pro ducatu computabatur, nunc in palatina tum redacta est. Vexillum viridis coloris bicorne, stemmate magni ducatus in campo albo insignitum gestat. Tractum, siue prouinciam vnam dumtaxat complectitur, Orshensem videlicet. (109)

ORSHA, ciuitas lignea ampla, ex vna parte stipitibus præacutis munita, ex altera Boristene fluuio alluitur, arcem munitam & muratam sibi adiunctam habet, quam ab vna parte Boristhenes, ab altera Orshicza fluuius (qui nomen ciuitati indidit) præterfluit, a Vitebska XVIII milliaribus abest. Vexillo viridi, prout suus palatinatus, in bello vtitur.

SVRAS castrum inter Dunam, Casplam, & Surascam situm, a Vitebska octo milliaribus superius orientem, ad Moschouiam versus procedendo, Tandem occidentem versus a Vitebska XIV milliaribus abest.

SVSZA, arx Moschorum ad lacum eiusdem nominis. Moschouitis Copia dicitur.

SIENNO, arx cum oppido a Czasniki sex milliaribus distat.

STRZYZOW, munitio ad lacum ingentem sita.

PALATINATVS POLOCENSIS

POLOCZKO olim ciuitas lignea amplissima, stipitibus, septisque ligneis circumdata, ad Dzwinam fluuium condita, arcem ligneam natura & opportunitate loci munitissimam, turribus & propugnaculis firmatam habet, quam ab vna parte Dzwina, ab altera Polota, a qua ciuitas nomen sortitur, præterfluit. Milites in ea præsidiarii a Rege Poloniæ frequenter asseruabantur, ciues & mercatores in ea ditissimi erant, sed anno Domini 1562 Ioannes Basiliades magnus Dux Moschouiæ, eam vi, tormentis bellicis admotis, strenua oppugnatione: obsidium vero indiligenti, & oscitanti defensione, in ditionem suam redegit, Polonisque præsidiariis libere dimissis, Lituanos & Ruthenos ciuitatis incolas, ceterosque qui illuc, velut ad asylum, confugerant, in Moschouiam vinctos abduxit, prædamque dictu incredibilem auri, & argenti illinc asportauit. Hæc ciuitas cum arce, et suo territorio, Moschouiæ principis in ditione permanebat, vsque ad an. 1579. Mense Aug. quo tempore

(108) Scriptum erat: *in quorum ego numero cum patre meo Ambrosio Guagnino quincentenariæ cohortis decem annis præfectus eram*, quæ intrusa plagiarii verba corrigenda duxi.

(109) Palatinatus Vitebscensis diuiditur in duos tractus *Vitebscensem* peculiarem & *Orsanensem*. Hic palatinatus præ ceteris accurate descriptus, forte putatur, quia & verus auctor & plagiarius per aliquot annos in eo versati fuerunt, vnde cognitionem locorum abunde capere potuissent, quod quidem, Striycovium quod attinet, facile credo, sed mirum est, in hoc ipso palatinatu præ ceteris plagiarium loca confudisse. Nam loca *Vla*, *Turowlu*, *Czasniki*, *Leplo*, *Cioteza*, *Krasne*, *Woronice*, sunt sita in palatinatu Polocensi omnia, non in palatinatu Vitebscensi, in quo fuere recensita a Guagnino, qua de causa ex palatinatu Vitebscensi in Polocensem transtuli.

pore STEPH. BATOREUS, Rex Poloniae, vt postea dicetur, cum toto territorio recuperauit. Habebat olim sui iuris principem, & pro ducatu amplissimo computabatur. Vexillum purpurei coloris stemmate magni ducatus insignitum in campo albo nobilitas prouincialis, quæ Regi Poloniæ magno Duci Lithuaniæ subest, in bello gestat.

VSACZA, munitio ad fluuium eiusdem nominis, & Dunam sita, a Poloczka tribus milliaribus distat.

DISNA, arx ampla, vallo forti, & inexcusso circumdata, rebusque bellicis apprime munita, Disna, & Duna fluuiis opportune circumluitur: ciuitas quoque inter eosdem fluuios vallo, stipitibusque præacutis, a Poloczka sex, a Vilna quadraginta milliaribus distat.

DRISSA, arx cum oppido circumsepto, ad fluuium eiusdem nominis & Dunam, sex milliaribus a Disna sita.

DRVHA munitio cum oppido, ad eiusdem nominis fluuium, & Dunam, a Drissa sex milliaribus abest.

VLA, arx in conflictu Vlæ (a qua nomen habet) & Dunæ fluuiorum, a Moschouitis olim fundata, possessaque, & a nostris sæpius, frustra tamen, tentata: postea a duce Romano Sanguskowicz inopinata irruptione capta, exustaque, & e nostris instaurata.

CZASNIKI, castrum et oppidum ligneum ad Vlam fluuium situm, a Susza quatuor milliaribus abest.

TVROWLA, castrum Moschorum ad fluuium eiusdem nominis, & Dunam munitissime sita: a Poloczka tribus milliaribus abest.

CIOTCZA, munitio ad lacum eiusdem nominis.

CRASNE, arx Moschouitica a Ciotcza vno milliari sita.

WORONIEC, castrum cum oppido ad Vsaczam fluuium situm, a Poloczka tribus milliaribus distat.

LEPLO, arx & ciuitas bene munita, in lacu quasi peninsula condida, a Czasniki septem milliaribus abest.

Ab hac arce Liuoniæ fines & arces ad Dunam sitæ, incipiunt, quas suo loco descripsimus. Lituaniæ quoque & Samogitiæ ditio in occidentali ripa Dunæ iacet. Samogitiam itaque describendam ordiemur, quæ moribus, vitæque consuetudine, & idiomate Lituaniæ similis est, eiusdemque principatus.

DVCATVS SAMOGITIÆ.

Samogitia regio satis ampla, proxima Lithuaniæ, a septentrione Liuoniæ conterminа est, marique Balteo, siue Germanico, ab occidente, nonnihil in septentrionem reflectendo adiacet: Prussiam quoque in vicinia habet. Nullo castro munito insignis est, ciuitates tamen in ea cum pagis tam regiæ, quam nobilium complures sunt. Huic regioni præfectus, siue capitaneus supremus, a Rege Poloniæ, magno Duce Lituaniæ, præponitur, neque temere is, nisi grauissimas ob causas officio mouetur: sed quoad viuit, perpetuo manet. Episcopum habet Romanæ obedientiæ. Agrestis turba in humilibus casis iisque oblongioribus vitam ducit, in quibus ignis in medio accensus ardet: ad ignem vero paterfamilias cum domesticis, seruisque sedit, iumentaque & totam supellectilem domesticam cernit. Solent enim sub eodem, quo ipsi habitant, tecto, sine vllo interstitio pecora habere. Maiores eorundem cornibus animalium, vrorum videlicet, pro poculis vtuntur. Audaces sunt, & strenui homines, & ad bellum promti

Fines Samogitiæ.

Habitationes Samogitarum

prompti, loricis, aliisque plurimis armis, præcipue autem cuspide venatorum vtuntur, equos adeo paruos habent, vt vix credibile sit ad tantos labores eos posse sufficere, quibus foris in bello, domique in colendis agris vtuntur. Terram non ferro, sed ligno proscindunt, quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax, & non arenosa sit. Araturi ligna complura, quibus vomeris loco vtuntur, secum portare solent, scilicet vt vno fracto, aliud atque aliud, ne quid in mora sit, in promptu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis, quo prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos vomeres fabricare fecerat: cum autem eo, sequentibusque aliquot annis, segetes quadam coeli intemperie expectationi agricolarum non responderent, vulgus agrorum suorum sterilitatem ferreo vomeri pertinaciter adscribebat, nec aliud quicquam in causa esse putabat. Præfectus eorum vulgi seditionem timens amoto ferro suo, eos more antiquo agros colere permisit.

Mos arandi agros.

Prouincia hæc nemoribus, siluisque abundat, in quibus horrendæ quandoque visiones fieri dicuntur. Mel nusquam melius, nobiliusue, quodque minus ceræ habeat, albumque sit, quam in Samogitia reperitur, siluæque illic summas diuitias ferunt: ex stipitibus enim cauatis mella passim promuntur. Sunt etiam nunc illic inter agrestes idolatræ complures, qui serpentes quosdam quatuor breuibus lacertarum instar pedibus, nigro, obesoque corpore, Giuoiitos patria lingua dictos, tanquam penates domi suæ nutriunt, eosque domo lustrata certis diebus ad oppositum cibum prorepentes, cum tota familia quoad saturati in locum suum reuertantur, timore quodam circumstantes venerantur. Quod si aduersi illis quid acciderit, serpentem deum domesticum male acceptum, ac non saturatum esse credunt.

Samogitiæ siluæ. Mel. *Samogitæ idolatræ*

Accidit hoc nuper in Lithuania, sex a Vilna milliaribus, in pago quodam iuxta ciuitatem Troki, quod quidam Christianus ab eiusmodi serpentis cultore, aliquot aluearia apum emit, quem cum ad verum Christi cultum multo labore adduxisset, vtque serpentem, quem colebat, occideret, persuasisset, aliquanto post, cum ad visendas apes suas eo reuersus fuisset, hominem facie deformatum, ore aures tenus miserabilem in modum diducto, offendit, tanti mali causam interrogatus, respondit, se, quod serpenti, deo domestico, manus nefarias iniecisset, ad piaculum expiandum hac calamitate puniri, multoque grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati oportere. Est etiam quatuor a Vilna milliaribus *Lu[illegible]*, villa regia, in qua multis adhuc serpentes coluntur. Hæc quamuis non in Samogitia, sed in Lithuania gesta sunt, pro exemplo tantum adduxi.

Exemplum superstitionis

Agrestis turba in Samogitia sacrificium quoddam, solennesque epulas gentili more sub finem mensis Octobris collectis frugibus, quotannis celebrat, hoc modo: Ad locum conuiuio, epulisque sacris delectum, omnes cum vxoribus, liberis, & seruis conueniunt, mensam foeno supersternunt, desuper panes apponunt, & ex vtraque panis parte duo cereuisiæ vasa statuunt. Postea adducunt vitulum, porcum, & porcam, gallum, & gallinam, & cetera domestica iumenta, ex ordine mares, & femellas. Hæc mactant gentili more ad sacrificandum hoc modo: In primis augur, siue incantator quispiam, verba quædam proferens, animal verberare baculo orditur: deinde omnes, qui adsunt, iumentum per caput, pedesque baculis verberant: postea tergum, ventrem, & cetera membra concutiunt, dicentes: Hæc tibi, o *Ziemiennik* deus, (sic enim illum dæmonem agrestis turba appellat) offerimus, gratiasque tibi agimus, quod nos hoc anno, incolumes, & omnibus abundantes conseruare dignatus es: nunc vero te rogamus, vt

Ritus gentilis Samogitarum.

vt nos quoque hoc anno præſenti fouere, tueri, ab igne, ferro, peſte, & inimicis quibuslibet defendere digneris. Poſtea carnes iumentorum ad ſacrificium maſtatorum comedunt, & ab vnoquoque ferculo antequam comedant, portiunculam amputant, & in terram, omnesque angulos domus proiiciunt, dicentes: Hæc tibi *Ziemiennik*, noſtra holocauſta ſuſcipe,& comede benignus,' omnesque tunc temporis lautiſſime ſolenniter, & opipare epulantur. Hic vero ritus gentilis, & in Lituania, Ruſſiaque ab agreſtibus, quibusdam in locis obſeruatur. Mare quod Samogitiam alluit Balteum, a quibuſdam Germanicum, ab aliis Prutenicum dicitur, ſinus Balticus proprie nuncupatur. Interluit enim Cimbricam Cherſoneſum, quæ Germanis Iutland, Latinis Iutia vocatur. Alluit quoque Germaniam, & omnem Pomeraniæ regionem, atque longo tractu Liuoniam, Curlandiam, regionesque quaſdam Moſchorum Principis, Sueciam, Finlandiam, Daniamque circumluit. Huius regionis Samogitiae, Rex Polonus, magnus Dux Lituaniae titulo vtitur. Vexillum album bicorne ſtemmate magni ducatus Lituaniæ, in campo rubeo inſignitum, Samogitia in bello geſtat. Incolae regionis, omnibus fere cum Lituanis veſtiuntur habitu cinericio, moribus, regione, idiomate paucula differentia interiecta, vtuntur. Ideo nunc ad deſcribendos mores Lituanorum orationem dirigemus.

Mare Samogiticum.

Lituania admodum ſiluoſa eſt, prout et Samogitia, paludes, lacusque ingentes et ampliſſimos in quibusdam locis maris formam referentes, habet. Praeter ea multos fluuios nauigabiles, quorum alii orientem verſus, vtpote Bog, (Herodoto Hipanis dictus) Perepetus, Tur, Swislocz, et Bereſina, in Boriſtenem, vulgo Dniepr dictum, exonerantur. Boriſtenes vero pluribus fluuiis hauſtis in oriente, tandem in meridiem decurrens, in Pontum Euxinum illabitur. Alii vero Cronon vulgo Niemen dictus, Vilia, Karew, Bug, in occidentem nonnihil in ſeptentrionem reflectendo decurrunt, in mareque Germanicum iuxta Gedanum, celeberrimum emporium Pruſſiae, exonerantur. Dzwina autem, Ptolomaeo Rubon, ex Moſchouia ortus, a Riga duobus milliaribus eidem mari commiſcetur.

Fluuii Lituaniae.

Animalia in Lituania omnis generis parua ſunt, gens miſera, maxime in villis, et pagis, graui ſeruitute oppreſſa: nam vt quisque famulorum caterua ſtipatus, domum coloni alicuius ingreſſus, impune quiduis facere, res ad vitae vſum neceſſarias capere, abſumere, crudeliter etiam colonum verberare poteſt. Colonis quauis de cauſa, ad dominos ſuos absque muneribus aditus non patet, quod ſi etiam admittantur, ad praefectos, et officiales relegantur, qui niſi munera accipiant, nihil boni decernunt, et vnumquodque verbum iudicis in Lituania, aurum eſt. Coloni quinque dies, aliquando ſex, dominis ſuis laborant, dies veto lunae priuato labori conceditur, atque vt plurimum diebus dominicis (nulla enim diuorum feſta agreſtes obſeruant) quoduis opus abſoluunt: agriculturam exercent, ſegetes, prataque metunt, triturant, et id genus alia. Hoc vero et in Ruſſia peculiare eſt, quod ſi interrogaueris, quare Dominico die laboras? reſpondere ſolent: Nonne et die Dominico comedere oportet. Imperatam pecuniam quotannis ter, quaterque pro defendendis regni finibus pendunt, a dominis quoque tributis adinuentis grauiter onerantur, pane atro et viliſſimo ſiligine vna cum ſpicis commolita vtuntur: molendina, ſiue piſtrina manualia agreſtes in pagis trina, quinaue domi habent, eisque ad commolendas fruges vtuntur, dunque haec molendina manibus vertunt, patrio more, agreſtem quendam concentum edere ſolent, dicentes: melior, hocque verbum frequentius ad cantilenae ſimilitudinem repetunt: id vero eſt tam viris, quam mulieribus peculiare, quod de illa re, quam tunc in opere habent, cantilenas agreſtes canant. Tales

Tributis Lituani onerantur.

Molendina Lituanorum.

quoque ligneas oblongas habent, quas inflantes, mirum quendam, et diſſonum concentum edunt, aliquandoque vnus duas infimul tubas, harmonia quadam correſpondente, inflat.

Omnes fere Lituani, et Samogitae, Liuonesque veſtitu vili cinericio, communiter vtuntur, et cum turmatim vulgum ſtantem in foro conſpexeris, neminem niſi cinericia veſte indutum videbis, coturnosque ex tiliae libro, vel ex pellibus iumentorum, vna cum ſetis detractis conficiunt. Currus leues abſque vllo ferri miniſterio conficiunt, et omnia compangunt arboreis gomphis, et ligna coacta vicem ferri complent. Rotasque ex vno ligno in gyros aptas contorquent. Pinguedine, vel pice nunquam linunt currus, et quando multi infimul vehuntur, mirus quidam concentus quaerulorum axium longe auditur, vnde verſus:

Neque linunt Rutheni quaerulos pinguedine currus,
Haud picis auxilium ſtridulus axis habet.
Auditur veniens longe crepitare Colaſſa,
Sic fragiles currus, Ruſſe vocare ſoles.
Nam faciunt habiles, vno vectore quadrigas
Inuectas Rutheni, quas equus vnus agit.
Nec facile inuenies ferrato haerentia clauo
Plauſtra, facit ligni cuncta miniſterium,
Et ſine ferri iuſſu pangunt ſua plauſtra terebris,
Et lignum ligno conſolidare ſolent.

Frumenta omnis generis, primo in calidiſſima caſa, fumo exſiccant, et poſtea in horreo coram extructo excutiunt.

ARANDI, SEMINANDIQVE MODVS IN RVSSIA ALBA MOSCHOVIAE CONFINI, ET IN MAGNO DVCATV LITVANIAE.

Agrorum praeparatio.

In primis agros hoc modo praeparant: circa feſtum diuorum Petri et Pauli, in aeſtate, ad feſtum vſque aſſumptionis Mariae, nemora, myriceſque excindere ſolent, quam excisionem arbuſtorum vulgariter *Lada* appellant, eam ſi nemus denſum fuerit, ſtramine ſuperſternunt, per hiememque ſic durare patiuntur. Vere autem poſtea redeunte, poſt Paſchatis feſtum, ſole torrido aliquot diebus ingruente, illam proſtrationem praedictam arbuſtorum, ſtramine ſuppoſito, ſuperſtratoque ſuccendunt, et in cinerem comburunt: vbi vero terra non combureretur, illic nihil fere naſceretur, ideo ligna incombuſta congerunt, in ſtruemque compoſita, denuo ſuccendunt, ſicque in illa terra combuſta et inculta, collectis dumtaxat carbonibus, et titionibus ſuperfluis, triticum ſeminant primo, et ſupra ſementem, vno equo iuncto aratro arant, et occant, in Ruſſia videlicet. Lituani enim bobus cornibus aratrum trahentibus arare ſolent, tantaque ibi fecunditas dictu incredibilis ſubſequitur, vt Cererem in illis regionibus natam affirmares. Eodem modo et hordeum ſeminatur, metitur, et colligitur, niſi quod craſſiora nemora pro hordeo excinduntur, quod pinguiorem terram, magisque triticum, exigit. In huiusmodi autem agris per annos ſex, vel octo, fimo ſtercoreque non ſuperpoſito, ſeminare ſolent.

Quod ſi arbores nimis altae, et craſſae in ea ſilua, vbi ſeminaturi ſint, eſſent: vtpote pinus, fraxini, robora, et id genus aliae, eas non ſuccindunt, niſi frondes, ramosque circumſecant, ne ſolem agro praeriperent. Ruſticus vero vnus omnes arbores vna ſemel aſcenſa circumſecabit non deſcendendo: inſtrumentum

Arborum circumſectio.

enim

enim ad id factum, quasi fedile, ad ftapedae fimilitudinem fecundum proportionem hominis fedentis factum, arbori fune longo appendit, ficque fedens a puero, fune alio ab arbore ad arborem, facile transfertur, habetque ad latus alligatum lignum curuum, ad id ftudio praeparatum, quo arbori appropinquatus, firmiter eam apprehendit, quam a vertice ad radicem vfque circumfecat, et frondes illas eodem modo fupradicto aeftate redeunte, fuccendit, et feminat.

Siliginem poftea feminant hiemalem, fuper haec culta noualia, tritico vel hordeo collecto, fed duobus vicibus ad filiginem arare coguntur, quam feminare incipiunt circa feftum affumptionis Mariae, XV. Augufti, quod fi fegnis agricola non abfoluerit feminationem, ad aliud feftum natiuitatis Mariae differt, in quatuor hebdomadas, fequente VIII. Septembris die, tunc fructifero prouentu confueto fruftratur. Hanc feminationem filiginis hiemalem appellant: Vere enim redeunte aliam, aeftiualem vocatam, feminant.

Eft quoque alius feminandi mos nuper adinuentus, in praedicta proftratione, fuccifioneque nemorum fuperius defcriptorum, hoc modo: duabus partibus hordei, tertiam filiginis intermifcere folent, quam commixtionem vere inftante, tempore confueto feminant: eadem aeftate hordeum folummodo demetunt, filiginem vero fubter hordeum ad modum graminis paulatim denfiffime crefcentem per hiemem durare finunt, quae fequente aeftate adeo fecundiffime, denfiffimeque excrefcit, vt equo vix eam denfitatem penetrare poffis, et ex vno grano triginta, plusue fpicae pullulare in tantam altitudinem folent, vt vir equo infidens, vix ex ea appareat. Omnes vero agros Ruteni vno equo iuncto aratro, profcindere folent, terra enim per fe nimis facilis eft.

Mirus feminandi modus

Hic autem ordo in feminandis frumentis, in tota fere Sarmatia obferuatur: primo poft feftum Pafchae triticum feminant, poftea filiginem aeftiualem dictam, ab aeftiuali feminatione, vulgariter Iarczyca appellatur, ad differentiam hiemalis filiginis, quae (vt diximus) pro fefto affumptionis Mariae feminatur ad hiemem futuram, vnde vulgariter *Ozimina* dicitur. Ex hac, fi aeftate feminaretur, nihil prorfus nafceretur, et contra fi aeftiualis ad hiemem pro hiemali feminaretur (quamuis fibi grano fimiles effent, et eiusdem quafi naturae viderentur) nulli vfui effet, et in gramen inutile verteretur.

Hanc itaque aeftiualem circa feftum Pafchae feminant, fecundum agri poffibilitatem, praeparationemque, Poloni, Lituani, et Ruteni nigri, cum Mafouitis, et Prutenis, propter folisque beneficium, et regiones temperatiores priori feminatione, longe antecedunt, Rutenos albos, et Mofchouitas in feptentrione degentes, qui ob intemperiem aëris pofterius his omnibus feminare coguntur, at tamen interdum eodem tempore agros demetunt. Hoc autem mirum eft, quod filiginem feminantes aeftiualem, poft Pafchatis feftum interdum, aliquot elapfis hebdomadis, tamen eadem aeftate, vt decet maturam, quafi per octo duntaxat hebdomadas demetunt, colligunt, et recondunt.

Pifa circa ferias diui Adalberti feminant, vulgariter *Groch* dicta, quae ad longum vfum exficcata referuant.

Auenam, et hordeum poft Pentecoftes feftum feminant, quae vulgariter *Owies* dicitur. Hordeum *Ieczmien* appellant.

Cicer vndecim poft Pafcha hebdomadis elapfis ante diui Petri feftum feminatur. *Tatarka* Polonis, *Grecicha* Ruthenis et Lituanis dicitur.

Rapae circa diui Ioannis Baptiftae ferias feminantur. Et omnia eadem aeftate feminata colliguntur, triturantur, triturataque in domibus reconduntur, ita vt granum ex penu ad feminandum depromptum, in decem, aliquando in octo

hebdomadis secundum solis clementiam ad penu, vnde exiuit, reuertatur, agricolae suo centuplum fructum referens.

Recondendi frumenti Polonorum mos.

Poloni omnes, Rutheni nigri, (quorum metropolis Leopolis est) Masouitae, Silesii, Pruteni, et Lituani quidam, in horrea, et aceruos magnos recondunt frumenta, et aliquando apud bonum patremfamilias quadringentos, sexcentosue aceruos, quasi turres quadriangulares eminentes reperies, ad quindecim, plusue interdum annos reconditi frumenti plenos.

Lituani, et Moschouitae quomodo recondunt frumenta.

Sed Rutheni albi, Moschouitaeque omnes, et Lituani statim de agro in penu frumenta defalcata, et triturata congerunt, et recondunt, quidam in cauernis subterraneis, in abditis siluarum, studio ad id effossis, et intus bene cum corticibus arborum adaptatis, frumenta, insuper omnia victuaria, carnes porcinas salsas, et id genus leguminum ad victum pertinentium, vestesque, et praecipuam supellectilem recondere solent, praesertim belli tempore, vti miseri coloni securi sint ab incursu hostili frequenti, et rapinis suorum militum.

Supplicii sumendi modus.

Hoc autem apud eos in villis praecipue obseruatur, si quis forte capite damnatus fuerit, de seipso, iubente Domino, supplicium sumere, suisque manibus se suspendere, etiamsi recusauerit, minis, verberibusque exagitatus cogitur. Atque haec nobis de Lituanis sufficiant. Hic tibi, lector candide, sciendum restat, quod in hoc magno ducatu, qui Polono Regi cum vniuersis suis prouinciis subest, plurima sunt oppida, et castra tam regia, quam nobilium, ecclesiasticorumque, quae hic non sunt posita. Hic enim nos solummodo prouinciales, insigniores que ciuitates, et arces, quae olim pro ducatibus cum suis territoriis habebantur, descripsimus. Sunt praeter ea complures duces particulares in Lituania, con i-

Sluczko in Russia ciuitas, et ducatus.

tatusque, ex quibus Slucensis ducatus celeberrimus est. Princeps enim illius, quamuis Regi Polono magno Lituaniae Duci subsit, et ad quaeuis mandata Regis exequenda paratus fuerit, rerumtamen in suo ducatu, qui XXX. milliaribus Polonicis in longitudinem patet, integre potitur, et thesauro priuato cum Italiae, Germaniaeque quibusuis principibus magnis, facile adaequari potest. Sunt, quoque duces alii plurimi insignes, quorum respectu magnus ducatus Lituaniae dicitur, ex illis primas obtinent, illustres, et magnifici Domini Radiuilones, Dominus NICOLAVS RADIVILVS, in Bierze, et Dubingii Dux, lumen patriae, et alter Cicero, Hectorque Lituaniae, palatinus Vilnensis, et illustris heros NICOLAVS CHRISTOPHORVS RADIVILVS, Dux in Olika, et Nieswiez, comes in Szidlowiec, marschalcus curiae dignissimus, fraterque suus idem dux, Dei gratia episcopus Vilnensis designatus, GEORGII nomine gaudens. Ille quoque alter Scipio illustris heros Dominus IOANNES CHODKIEWICIVS, comes in Sklow et Mysz, castellanus Vilnensis, archimarschalcus magni ducatus Lituaniae, exercituumque imperator et gubernator Liuoniae, ac capitaneus Samogitiae generalis, virtutum speculum insigne, Martisque et Mineruae alumnus. Insuper multos alios heroum antiquorum, quorumuis dignitatem adaequantes duces, et viros insignes Lithuaniae celeberrimus principatus fouet, quos sigillatim recensere, vt difficile ac longum, ita minus necessarium nobis videtur.

ARTICVLI CONSTITVTIONVM BELLICARVM MAGNI DVCAtus Lithuaniae in comitiis generalibus constituti, a supremoque et generali copiarum imperatore fortissimo, et heroe perpetua memoria dignissimo, Illustri Domino GREGORIO CHODKIEWICIO, Castellano Vilnensi confirmati, et militibus imperati.

BENEVOLO

LECTORI BENEVOLO S. P. D. AVCTOR

Hic quoque, lector candide, leges militares in comitiis generalibus magni ducatus Lithuaniæ solenniter constitutas, tibi vt potuimus, summa cum diligentia descriptas, breuiter indicamus. Tu vero hos nostros sudores boni consule, maiora accepturus. (110)

OMNIS qui se obligauerit seruitio Sacræ Regiæ Maiestatis, debet in eo ad tempus præscriptum perseuerare. Si vero longius seruitium militare indictum, protractumque fuerit: miles autem seruire amplius nolens in primo trimestri non indicauerit, tunc indictum seruitium sequentis trimestris adimplere tenebitur.

II. In alterius armis nemo audeat seruire, sub pœna amissionis honoris.

III. Si quis e castris discesserit, seruitio non finito, nobilis ille si fuerit, honoris, plebeius vero capitis pœna puniatur. Ille autem qui eiusmodi hominem occiderit, præsertim non habentem litteras a campiductore, siue Rotmagistro suo, iuste ab eo factum censebitur.

IV. Lites discordiasque milites in alterutrum seminare non audeant, sub graui poena.

V. Quod si aliquis ex militibus, præcipue vero pedestribus, arma sua stipendiaria, quibus hostilis impetus arcetur, lusu alearum amiserit, vel si eques equum militiæ destinatum perluserit, tam lucrator, quam amissor, vterque suspensionis poena puniatur.

VI. Quicunque in Campiductorem, siue Rotmagistrum suum, decurionemue, vel etiam seruus in Dominum suum, manu aut verbis inhonestis sese commouerit, capitis pœna plectatur.

VII. Si quis in custodes castrorum impetum fecerit, vel custodiam demandatam obire renuerit, aut ad custodiam sine voluntate Campiductoris abierit, capite puniatur, excepto si excubiæ ordinariæ ad illum peruenerint.

VIII. Quicunque vulnerauerit aliquem in ductu legionum sub extensione vexilli, pœna honoris et capitis puniatur.

IX. Quicunque pedester in custodia locum suum non tenuerit, aut causa alicuius suæ necessitatis inde discesserit, vel si in ordinatione aciei, excubiisue obdormierit, vel officium iniunctum indiligenter, oscitanterque obierit, circumspectori excubiarum liberum erit talem interficere. Si autem Campiductori oblatus fuerit, capitis pœna puniatur, honoreque priuetur.

X. Si quis in custodiam campestrem destinatus, siue ex muro cum hoste colloquutus fuerit, sine voluntate Campiductoris, conuictus testimonio, pro eiusmodi facinore capitis pœna punitur.

XI. Si aliquis miles ex thesauro Sacræ Regiæ Maiestatis, tam de tormentis puluerem globosue, quam de aliis bonis Sacræ Regiæ Maiestatis aliquid in vsum suum uertere ausus fuerit, sine quauis misericordia, turpi et vituperoso mortis genere puniconatur.

XII Si quis speculatorem ab hostibus missum, in domo sua fouerit, vel de illo notitiam habuerit, talis, omni misericordia semota, in quatuor partes dilaniatur.

XIII. Quicunque tempore necessitatis, siue conflictus, a vexillo in fugam sese dederit, aut verbo aliquo fugiendi causam alicui præbuerit, caput & honorem amittit: similiter, qui tempore periculi non conseruerit manus cum hoste, puniatur.

XIV. Si aliquis temerarie in terram hostilem irruerit, vel occasionem hostibus dederit, sine voluntate Campiductoris, caput amittit.

XV. Tempore nominis dati (quod Polonice Hasto dicitur) vnusquisque miles in ordine suo pacifice permaneat. Quod si post hoc extra ordinem comprehensus fuerit, vel si nomen indictum interroganti proferre nescierit, capitis pœna puniatur.

110) Leges belli in scriptore topographico legere, insuetum quid mihi videtur. Meum autem non erat, eas reiicere, cum ab auctore fuerint operi suo insertæ, id quod ei, tanquam militi, condonandum.

xvi. Dato ſigno requiei per vocem tubæ, nullos clamores, et ſtrepitus in caſtris aliquis facere audeat ſub graui pœna.

xvii. Si quis litem aliquam tempore diſtributionis nominum excitauerit, vel bombardam in hoſtem exonerauerit, capite plectatur.

xviii. Tabernæ et nocturnæ comeſſationes prohibitæ et vetitæ tunc temporis ſint, ſub graui poena.

xix. Nemo militum audeat aliquid violenter alicui eripere, ſub poena ſuſpenſionis: quod ſi aliquid acceperit præter victum, quod vnius groſſi pretio conſtaret, ſine quauis miſericordia iuguletur.

xx. Nemo militum victus acquirendi cauſa abſque ſeruo Campiductoris in villas audeat diſcurrere, neue alicui iniuria inferatur ſub poena graui.

xxi. Hominem alienigenam, aduenam et ignotum nemo in ſeruitium militare ſuſcipere audeat ſine licentia Campiductoris, ſub graui poena.

xxii. Seruitorem alterius commilitonis, ſiue Decurionis, nullis ad ſe perſuaſionibus et promiſſis allicere audeat, ſub graui poena.

xxiii. Nemo militum equos ſtipendiarios curris iungat, neque cauſa neceſſitatis priuatæ, quamuis opportunæ illis vti, vel alicui in vſum dare audeat, ſine licentia Campiductoris.

xxiv. Aduehentibus victum in caſtra, ſi aliquid per vim raperetur, ſuſpenſionis poena eſto.

xxv. Si quis in viam publicam mercandi, præripiendique victus cauſa, extra caſtra abierit, turpe ob lucrum, grauiter puniatur.

xxvi. De emptione & venditione cibi, & potus, Campiductor æſtimationem faciat.

xxvii. Quicunque ante æſtimationem aliquid emerit, emptor pecuniis, venditor mercibus priuetur: ſimiliter & de eo intelligendum eſt, qui cariori pretio quam Campiductor conſtituerit, aliquid vendere auſus fuerit.

xxviii. Satellites a campiductore miſſos, ad comprehendendum malefactorem, nemo verbis inhoneſtis proſcindere audeat, ſub graui poena. Similiter adminiſtratori iuſtitiæ carnifici, nemo illudere audeat, ſub poena honoris.

xxix. Militum præfecti ſub poena honoris tenentur indicare, quot milites in legione ſua deſiderarentur. Arcis vero ſiue ciuitatis, cuius præſidia agit, incolam aut ciuem ad militiam nemo ſuſcipere audeat, ſine licentia Campiductoris, ſub graui poena.

xxx. Vnuſquiſque militum præfectus diligenter animaduertat, ne arcem, fidei ſuæ concreditam ad vltimum vſque periculum vitæ, tradere præſumat, ſub honoris et capitis poena.

xxxi. Decuriones, commilitoneſque, ſi Rotmagiſter, (quod abſit) per ſigna aliqua caſtrum hoſtibus tradere enitueri, illum captum Campiductori præſentare tenentur.

xxxii. Rotmagiſter, ſiue militum præfectus, ad reſerationem, et occluſionem portarum caſtri, quotidie præſens tenetur adeſſe, neminique caſtrum tempore incongruo aperire audeat. Noctu vero omnes milites congregatos habere in arce tenetur.

xxxiii. Nemo in caſtrum intromittatur, niſi certa notitia de illo haberetur, cuias ſit, vel ob quam cauſam venerit, & ſi iuſtam cauſam dixerit, ſolus in caſtrum abſque famulis intromittatur, qui abſque Campiductoris licentia intromitti non poſſunt.

xxxiv. Quicunque militum maxime autem pedeſtrium deprædationis cauſa in terram hoſtilem friuolus abierit, talis poena capitis puniatur.

xxxv. Si alicui cuſtodia ordinaria venerit, ille autem præſens cuſtodi non adfuerit capitis poena eſto.

xxxvi. Si quis cuſtodiæ munus obiens, ſequentis cuſtodiæ adeuntem non expectando abierit temerarie, caput amittit.

xxxvii.

xxxvII. Cui ex ordine custodiam obire contigerit, idque muneris temerarie per ebrietatem, alearumque lusum neglexerit, caput et honorem amittit.

xxxvIII. Ne Rothmagistri, commilitonesue extra arcem discedant, militesque suos ad quamuis legationem negotiorum suorum destinare non audeant sine licentia campiductoris, maxime vero campiductore ibidem præsente, sub graui poena.

xxxIx. Rem forte inuentam, nemo apud se pernoctare sinat, sed Rotmagistro, siue Campiductori eam indicet, sub poena patibuli.

xxxx. Quicunque militum absque armis, ad quæ stipendia accepit, ambulauerit, vinculis corrigatur.

xxxxI. Nemo rixas, motusque aliquos in arce exercere audeat, sub poena atroci, quod si quis aliquem vulnerauerit caput, & pro friuola gladii extractione, manum amittit.

xxxxII. Ad quamuis iustam emendationem arcis, maxime obsidionis tempore, nemo militum eorum, qui in ea præsidia agentes manent, propter seipsos laborare detractent.

xxxxIII. Rotmagistri et decuriones, singuli suos milites semper instruant, doceantque, quomodo vnusquisque in acie, legitime, ordinateque stare, et armis suis competentibus commode vti possit, quod si ex ordine aliquis foras excesserit, caput amittit.

xxxxIV. Commilitones, siue decuriones honeste sese obseruent erga Rotmagistrum suum, non solummodo manu, verum etiam verbis, similiter et Rotmagister erga eosdem, neminem dehonestando, verberandoue, sed si quid aliquis peccauerit, in corona omnium decurionum, sociorumque eum iudicet et puniat, rebellem vero Campiductori indicet.

xxxxV. Quod si quis commilitonum, sociorumue, siue ipse vices gerens, articulos supra scriptos, honoris et capitis poena præmunitos, iuste et legitime non obseruauerit eum Rotmagister suus, Campiductori sub fideiussione, et nobilitatis honore, ordinate transmittat.

PRVSSIAE CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS, omniumque Magistrorum Crucigerorum Teutonici ordinis, iuxta seriem compendiosa descriptio.

DE PRVSSIAE DEDVCTIONE doctorum opiniones.

PRæclarus ille Germanorum legatus, & orator apud multos extraneos principes celeberrimus, Aeneas Syluius, qui in Prussia legationem frequenter obibat, scribit in suis chronicis, quod Prussia rectius & conuenientius, Vlmigauia appellanda sit, & hoc non sine causa: nam populus qui hanc regionem primo incolebat, Vlmiganus nuncupabatur. Ioannes autem Boemus scribit, ab ortu solis in hanc regionem populos Amaxobios, Alanos, & Gotos, Venedosque, siue Vandalitas commigrasse. Matthias vero Miechouiensis, Polonorum Chronographiæ scriptor, lib. 2. cap. 8. refert, Regem Bithiniæ Prussam nomine, ab Hannibale Carthaginensi admonitum, vt Romanis bellum inferret, quod cum ille suscepisset, male ei cessit. Longe enim plus Romani totius orbis Domini, quam Prussa Rex Bithiniæ copiis valebant, quocirca ab illis adeo cum vniuerso exercitu profligatus est, vt Bithiniam regionem propriam relinquere cogeretur, & in Vlmigauiam longa peregrinatione venire, quam a suo nomine Prussiam appellauit. Commemorat, & in alio loco eorundem Chronicorum idem Miechouiensis, multos Romanos in terram istam propter atrocia bella, Romæ exorta, migrasse, seque partim in Prussiam, partim in Lithuaniam, Liuoniamque

Syluii de Prussiæ appellatione opinio. Vlmigani.

Ioan. Boemi de Prussia opinio.

Miechouitæ opinio de Prussia.

Prussia a Prussa Rege Bithiniæ.

Romani in Prussia.

Erasmi Stellæ opinio. & Samogitiam diffudisse. Erasmus vero Stella asserit in hanc regionem gentiles quosdam populos Sargatianos, Gelidanos, Alanos, Venedosque venisse, qui omnes in Vlmigauia, non diu tamen, domicilium habuerunt. Sebastianus

Sebastiani Brand opinio. autem Brand Germanorum Chronographiæ scriptor, sic de Prutenis, eorumque sedibus inquit: Pruteni proximi sunt Vistulæ, siue Vandalo fluuio, qui Poloniam a Germania disterminat, hic fluit ex Silesia, Poloniaque minori & Masouia præterlapsa per Prussiam Gedanum vsque decurrit, ibique in salsum mare exoneratur.

Fines Prussiæ. Ab æquinoctio itaque Prussiam Saxonia attingit, ab occidente Pomerania, & mare Balticum, siue Germanicum, ab ortu solis Lithuaniæ, a meridie Poloniæ regno, & Maschouiæ Ducatui contermina est, a septentrione Curlandia, Liuoniaque terminatur. Regio est fertilissima frugum, pecorisque abundans, incoluerunt illam, maxime autem iuxta Vistulam fluuium Vlmigaui, Alani, Amaxobii, Gotique, vt testis est locupletissimus Ptolemæus. Hæ gentes, in primis immundos spiritus, & profanas creaturas adorauerunt, vsque ad tempora Friderici Cæsaris huius nominis II, cuius consensu & approbatione e Teutonici ordinis Crucigeris, qui primo Mariani vel Pauperiani nuncupabantur, perdomiti sunt, & ad fidem Christianam conuersi, anno Domini 1216. de his fusius Chronica Pontificum de ordine fratrum Teutonicorum, eorumque origine legi possunt. Poterit insuper Sebastianus Francus in secunda parte Chronographiæ suæ videri.

Prussi gentiles.

PRISCA ANTIQVORVM PRVTENORVM religio

Ab eodem Bruteno Prussiam appellatam quidam autumant. ANno Domini D III. gentilibus Prutenis, siue Vlmigauis, rex quidam Bruteno dictus, imperauit, qui cum iustos annos ætatis consecutus esset, regium sceptrum diutius tenere resignauit, quietam vitam ducere instituens, quocirca fratrem Veidenutum successorem sibi in regno elegit, traditoque fratri sceptro, ipse Bruteno summus sacerdos gentili ritu effectus est, nomenque ei dignitatis inditum fuit, Kirie Kirieijto, quasi dicas proximus noster Dominus.

Kirie Kireiito nomina, Græcorum ex Bithinia idiomate personant. Huic pontifici suo Pruteni & idolis, præclaram sane & cum maximo sumptu habitationem, sub quercu quadam erexerant, locoque Romanæ, a Roma nomen indiderunt. Circa hanc quercum octo vlnarum in latitudinem, & altitudinem tela optima sericea extensa fuit, in quam habitationem nemo præter patriarcham eorum, Kirie Kirieijto dictum, & præcipuos ministros idolorum munia obeuntes intrare poterat. Si quis autem inuisendi, honorandi, adorandi vel offerendi gratia ad idola venisset, tunc constituti Deorum ministri telam, vt idola viderentur, a quercu semouebant. Quercus hæc tripartita fuit inter ceteras siluas quercinas delectissima, in loco, vbi nunc oppidum Heligenbeil, id est, sancta securis, constructum est, sita erat, ex vna parte Prutenorum Deum, qui Petuno, id est, fulmen dicebatur, habebant: in huius laudem & honorem ignis ex quercubus construebatur, qui die, nocteque perpetuo ardebat, & nunquam extinguebatur, quod si negligentia ministrorum ad hoc officium præstandum deputatorum ignem extingui contingeret, capitali supplicio afficiebantur. Ex altera parte collocatum erat Patrimpo idolum, cuius cultus erat in serpente viuo retinendo, qui lacte, vt eo commodius viueret, alebatur. Tertia ex parte Dæmoniacum idolum Patelo nomine, situm fuit, huius honor, in retinendo alicuius mortui hominis capite consistebat. Habuerunt præterea alios multos Deos quos adorabant, cultuque diuino prosequebantur, semper tamen inter querceta holocausta eis offerre solebant, & quot fere res habebant, tot præsides & deos constituebant. Fuit igitur Deus singularis Vurschayto gentiliter dictus; quem

Ritus religionis Prussorum.

Petuno idolum.

Patrimpo idolum.

Patelo idolum.

Vurschayto idolum.

quem magno honore venerabantur, & pro lare, siue deo domestico super omnia mobilia, iumentaque, vtpote equos, boues, oues, capras, sues, &c. eum praeponebant. Alter Deus fuit Sneybrato dictus, hunc super anseres, gallinas, anates, columbas, pauones, &c. constituebant. Tertium deum domesticum, Gurcho dictum habebant, is omnibus esculentis, cibariisque præponebatur. Præter ea tonitruis, lunæ, stellis, serpentibus, bubonibus & omnibus pæne creaturis, diuinum honorem deferebant. Fuit hic populus quondam barbarus & incultus, nec vllam scripturam nouerat, propterea nec fidem adhibebant, si quispiam diceret, hominem homini per litteras animum & voluntatem aperire posse. Potus illorum aqua melli commixta, & lac equinum erat, liberales valde & hospitales aduenis se exhibebant.

Sneybrato idolum. Gurcho idolum.

DIVISIO PRVSSIAE IN XII. DVCATVS.

ANno diuinæ incarnationis CCCLXXIII. Vedenuto princeps Prussiæ, (qui Bruteno fratri voluntarie sceptra deponenti successit) duodecim filios procreauit, quorum hæc nomina fuere, Saymo, Neydro, Sudo, Slauo, Natango, Barto, Galindo, Varmo, Oggo, Pomedzo, Culmo, & Lituo. Cunque iam Vedenuto princeps, centesimum decimum sextum annum attigisset, regiones Prussiæ inter filios diuisit, Seymonemque natu maiorem summæ rerum præfecit. Atque ita Prussia in XII. ducatus, secundum filiorum principis Vedenuti numerum diuisa est, & vnusquisque a suo principe nomen accepit. Quos hic secundum ordinem ex sua dispositione, castrisque & ciuitatibus, amnorumque numero, quando videlicet a Crucigeris potissimum erectæ sint, describemus.

Nomina filiorum Vedenuti. Prussia in 12. ducatus diuisa.

SVDAVIA DVCATVS I.

PRimus & præcipuus Prussiae ducatus Sudauia olim erat, qui a Sudo Vedenuti filio principe suo, nomen sortitus est. Hic ducatus omnes alios & præstantia, & fertilitate antecellebat: nam quocunque tempore necessitatis, sex millia equitum, & octo millia peditum præstare valebat. In hac regione præcipui nobiles & proceres totius Prussiæ priscorum tempore sedes suas habebant, nunc autem paludibus & siluis maximis obsitus scatet, nec vllum vestigium tam insignis & nobilis regionis remanet, praeter septem pagos, quos coloni possident, in Luptauensi territorio, tota enim est deuastata a Crucigeris ordinis Teutonici, non aliam ob causam, quam propter inobedientiam et infidelitatem. Distinguit Sudauiam a Sambia regione palus quidam, a ducatu vero Nadrauiensi fluuius Lawo appellatus.

SAMBIA DVCATVS II.

SAmbia nunc Samland appellata, regio Prussiæ a principe Saymo nomen accepit. Haec priori cum potentia, tum fertilitate, non multum cedere videtur, poterant enim ex illa 4000. equitum & 4000. peditum congregari. A Natangia regione fluuio Pregel dicto disterminatur.

Sequuntur castra & ciuitates ad Sambiensem ducatum pertinentes.

Lebenicht	vnaquæque earum condita anno Domini	1256
Kneibach		1380
Regiomontum, cum castro et antiqua, vt illi appellant, ciuitate		1260

Fischu-

Fischusa Lechster Mumelburgia	condita anno Domini	1269 1289 1279

Girmauia, Rudauia, Neuhusia, Vuargia, Ceilgarbia, Bobetia, Lubtauia, Schaccia, Chremeria, Valdouia, Tyremburgia, Bonundia, Rositta, Caymen.

His nominibus arces in Sambia olim appellabantur cum suis ciuitatibus, quae omnes a Crucigeris bene muratæ & fossis cinctæ extiterunt, nunc quædam arces in curias iudiciales redactæ sunt, quarumdam etiam magna pars, humi prostrata iacet.

NATANGIA DVCATVS III.

NAtangia regio a principe Natango nomen ducit, quæ a Bartia regione, flumine, Alla nominato, secernitur, a Pomesania Passaria fluuio, disterminatur. Regio est optima, arces et ciuitates plurimas, prout inferius ordine descriptæ sunt, habet, sunt nempe

Valdouia ciuitas Girdauia ciuitas Cintia oppidum Creuzburg ciuitas cum arce Heiligenbeil oppidum Fridlandia ciuitas Schippenbeil ciuitas Brendenburg oppidum cum ar(ce Balga arx Damnouia ciuitas	conditæ sunt anno Domini	1256. 1326. 1313. 1253. 1301. 1312. 1319. 1362. 1239. 1400.

NADROVIA PROVINCIA IIII.

REgio Nadrouia a principe Nadro denominata est, eam a Natangia fluuius Pregel disterminat, a Slauonia Nara amne distinguitur. Hæc maiori ex parte a fratribus ordinis Teutonici, propter infidelitatem incolarum deuastata est, reliquiæ eius & vestigia reperiuntur, casæ & tuguria in quibus piscatores habitant.

SLAVONIA DVCATVS V.

SLauonia regio quondam priscorum Prutenorum temporibus, pro ducatu computabatur, a principe Slauo nomine denominationem accepit, ex maiore parte a Lithuanis, Crucigerisque depopulata est, eam a Lithuania Memula fluuius disterminat. Has infrascriptas munitiones & arces complectitur cum ciuitatibus & oppidis.

Ragneta Tilsa Renum Liccouia Salauia, Labia Tapia Vintburgia Christonerder Boytia Cestia	His annis incarnationis diuinæ a Crucigeris fratribus constructæ sunt	1253. 1289. 1276. 1273. 1385. 1258. 1255. 1409. 1253. 1338. 1185.

Norbeitia

Norbeitia	His annis incarnationis diuinæ, a Crucigeris fratribus constructæ sunt	1 3 8 1.
Vonsdorfa		1 3 9 1.
Angerburgia		1 4 1 2.
Dringofortia		1 4 0 3.

BARTONIA DVCATVS VI.

Bartonia a Barto principe nominis etimologiam ducit, cum Lithuanis & Moschouitis terminis disceptat, a Lithuania 70. stagnis & solitudine, a Galindia vero flumine quodam finitur, nunc magna ex parte a Lithuanis & Crucigeris peruastata est. Arces cum oppidis, a Crucigeris erectæ in ea sunt.

Nordemburga	His annis hæ munitiones a Crucigeris erectæ sunt	1 5 0 5
Johansburga		1 2 6 8.
Girburga		1 2 5 9.
Insterburga		1 3 4 2.
Richteuerder		1 3 9 6.
Bartonia		1 2 6 5.
Rastenum		1 3 7 5.

GALINDIA REGIO VII.

HÆc regio a Galindo principe Galindia nuncupata est, cuius Masouiæ sua in gens a meridie fines excipit, quondam tam populosa fuit, vt successu temporis, populus in ea progenitus, locum non haberet. Vnde præpositi regionis obstetricibus seuere mandarunt, vt nullam feminei sexus, post partum prolem, hac luce frui permitterent, quam rem cum minus obseruatam animaduerterent, mamillas feminis, ne amplius prolem educarent, amputarunt, quod facinus mulieribus summæ tristitiæ, & miseriæ causa fuit. Erat autem in illa regione mulier quædam auctoritate nomine & potentia clara, quæ pro prophetissa habebatur: oracula enim interrogantibus dabat. Huic cum mulieres calamitates suas exposuerunt, prophetissa illa, miseræ sorti femineæ condolens, dolos quibus viros circumueniret, & perpetratum facinus vlcisceretur, expiaretque, indagare, cogitareque coepit, conuocatisque omnibus proceribus, & nobilioribus viris Galindiæ, monuit eos, vt Christianis bellum, sine vllo armorum genere (euentus enim rerum prædicere solita erat) quam celerrime inferrent, hanc enim voluntatem deorum esse, serio affirmabat, quibus Galindi auditis, sine vlla mora (certum enim esse credebant) iuuenes, senesque valida manu inermes in Polonorum & Masouiorum Christianorum prouincias, cum impetu excurrunt, nactaque ingenti hominum, & iumentorum præda, ad sua proficiscuntur. Interim vero captorum Christianorum aliquot aufugiunt, continuoque reliquis Christianis nuntiant, quomodo Galindi sine armis iterum eruperint. Christiani re intellecta bene armati Galindos assecutos, maxima, cruentaque strage profligant, prædamque repetunt, bellumque continuantes, fugientes hostes in regionem vsque eorum persequuntur, quam armis & igne euertunt, reliquias tam matronarum, ancillarum, & iuuenum, in captiuitatem abducunt. Sequuntur ciuitates & munitiones Galindiæ.

Grande facinus. *Fraus mulieris.* *Proteni in Masouiam excurrunt.* *Masoui Prutenos profligant.*

Ortelburgum castellum	Anni instaurationis eorum	1 2 6 6.
Rastemburgum oppidum		1 3 2 9.
Neyburgum arx & oppidum		1 2 3 8.
Passenhumia oppidum		1 3 8 8.
Dreschlouia arx & oppidum		1 3 3 8.
Lucia castellum		1 3 4 8.
Lucemburgia oppidum		1 3 4 9.

VARMIA REGIO VIII.

VArmia, siue Vuerlandia regio, a Warmo principe nomen sortita est, a Pomesania prouincia stagno, & flumine Passaria discernitur, a Natangia paruis quibusdam fluuiis, hae arces cum ciuitatibus in ea numerantur.

Ressel arx & ciuitas		1 3 3 7.
Seeburg arx		1 3 4 8.
Bichoffstein ciuitas		1 3 2 5.
Wartemburgia ciuitas	His annis sunt	1 3 2 5.
Allenstein arx & ciuitas	extructæ	1 3 6 7.
Melsatia arx & ciuitas		1 3 2 6.
Heilsberga arx & ciuitas		1 2 2 0.
Wormeditum arx & ciuitas		1 3 1 6.
Gutstadia ciuitas		1 3 2 6.

HOGKERLANDIA PROVINCIA IX.

HOgkerlandia siue Pomesania, a principis nomine Hogo appellata est, eam a Natangia, Passaria fluuius separat, a Pomesania duo fluuii Melsink & Drasen appellati, haeque arces cum oppidis in ea reperiuntur.

Brandemburgum castrum & oppidum		1 2 5 8.
Frauenburgum oppidum	His annis extru-	1 2 7 9.
Tolkiemit oppidum	cta sunt	1 3 6 5.
Mulhusia castellum		1 3 6 5.
Scharpouia prædium		1 3 6 5.

Elbingense castrum constructum est anno 1 2 3 7.

Ciuitas vero ipsa Elbinga celebris & populosa, emporio clara, instaurata est anno 1 2 3 9.

CVLMENSIS DVCATVS X.

CVlmia regio Prussiæ, a Culmo principe denominationem trahit. A Polonia & Pomerania Vistula fluuio secernitur, a Pomesania flumine Ossa, a Michlouia vero & Dobrinia, territorii Drebnicz fluuio, fines suos dirimit. Haec ciuitates & munitiones in ea numerantur.

Culmina ciuitas ampla		1 2 2 3.
Ventslauia arx		1 2 1 5.
Aldusia castrum		1 2 3 8
Graudentz arx & ciuitas		1 2 9 9.
Gugeleburga ciuitas		1 2 3 0.
Schonse arx cum ciuitate		1 3 0 5.
Strasburga arx & ciuitas		1 2 8 5.
Bartonia arx		1 3 4 6.
Neumarckt ciuitas	Erectæ sunt an-	1 3 2 5.
Rogosna arx	nis hisce	1 2 9 3.
Colmensee ciuitas		1 2 5 1.
Torunia arx cum ciuitate amplissima, emporio clara ad Vistulam condita		1 2 3 5.

Papa-

Papauia arx	Erectæ sunt annis hisce	1375.
Frideck arx		1331.
Lipno arx		1319.
Lesna ciuitas		1328.
Golba arx & ciuitas		1300.
Luben arx cum ciuitate		1233.
Reden ciuitas cum arce		1233.
Birgela arx		1305.
Lauterburgia arx		1301.

POMESANIA PROVINCIA XI.

POmesania a Pomesa principe, finitur ab aliis regionibus Vistula, Elbinga, Drusno, Drobnicz, Vuessera, multæ in ea præclaræ arces & ciuitates, vt sequitur, habentur.

Marienburga ciuitas ampla, anno Domini M.CCC.II. extructa est, arx vero anno M.CC.LXXXII. a fratribus Teutonicis erecta, sub magistro ordinis Hartmanno, comite Heldrouiensi, natura loci munitissima, valloque fortissimo & fossa profunda circumducta, muro & propugnaculis, ac commeatu copioso, apprime firmata, Regis Poloniæ præsidiis tenetur.

Neutichia oppidum	Hæ ciuitates cum suis munitionibus his annis extructæ sunt.	1329.
Stum arx cum ciuitate		1249.
Christburga arx & ciuitas		1258.
Preusmarck arx		1329.
Salfeld ciuitas		1328.
Merinek arx cum ciuitate		1290.
Holand arx & ciuitas		1329.
Lubstadia ciuitas		1302.
Osterrode arx & ciuitas		1270.
Rosenburga arx cum ciuitate		1289.
Marienuerder arx cum ciuitate		1311.
Garnesia ciuitas		1328.
Germanica Eilouia arx cum ciuitate		1337.
Lebmulia ciuitas		1837.
Hohenstein ciuitas		1301.
Schonembergia arx		1319.
Rosembergia ciuitas		1315.
Eilemburga ciuitas		1299.
Neunburga ciuitas cum arce		1289.
Salauia ciuitas cum arce		1306.

MICHLOVIA PROVINCIA XII.

MIchlouia admodum angusta terra est, inter Brodnam & Drebnicz fluuios iacet. Huius causa Poloni cum fratribus Teutonicis perpetuas rixas fouebant, nullam arcem præter vnam ciuitatem Strasburgam, & tres munitiones, Berklii, Dornik, & Michlouiam habet.

Pomeraniæ regionem amplissimam, longo tractu mari adiacentem, vnde & nomen habet, in Poloniæ regionum descriptione, infra latius indicabimus. De qua mul-

ta bella Poloni cum Prutenis gentilibus, & Crucigeris habebant, in hac sita est celeberrima vrbs Gedanum, siue Dantiscum appellata, a mari Germanico vno miliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostiis in mare exoneratur. Celeberrimum in ea totius Pomeraniæ, & Prussiæ emporium est, regi Poloniæ subiecta, anno Domini M.CC.LXXXV. translata. (111)

Dantiscum.

Pruteni gentiles barbarie indomita rigentes, peruersi & infideles erant, vanas creaturas quaslibet pro Diis colebant, nec se ad fidem Christianam conuerti patiebantur. Idiomate proprio a Liuonico non dissimili vtebantur, Polonis & Masouitis tributarii erant, sed frequenter nacta occasione iugum excutiebant, ideo multa bella longo tempore Poloni cum eis tenuerunt. Postea anno Domini M. CCXI. Conradus, Masouiæ princeps, ex Regibus Polonorum genus ducens, a Prutenis gentilibus sæpius variis excursionibus infestatus, ad Imperatorem Fridericum huius nominis II. legatos destinauit, implorans auxilia aduersus infideles Prutenos, qui libenter fratres ordinis Teutonici Crucigeros, a Saracenis tunc temporis Hierosolyma pulsos, in Prussiam x x millia misit, quibus princeps Masouiæ Culmensem terram in primis donauit, cum arce Dobrzinensi, hac conditione, vt tempore necessitatis subsidium sibi contra infideles Prutenos ferrent, Prussiamque subiugatam insimul partirentur. Hic quædam de origine Crucigerorum Teutonici ordinis subiecimus.

Crucigeri in Prussiam veniunt.

ORIGO ET PRINCIPIVM TEVTONICI ORDINIS.

ANno Domini MCLXXXVIII. cum Balduinus Rex Christianus Hierosolymis regnaret, Saraceni & barbari ex arce nomine Ptolomaide, Latine Acona, Germanice Acris dicta, variis excursionibus sanctam terram infestare solebant. Quam ob rem Rex contra barbaros Saracenos auxilium petiit a Christianis. Longobardi igitur sexaginta galeras, et in his quinquaginta millia virorum, in subsidium miserunt, cum quibus multi homines probi, piæ peregrinationis causa, in terram sanctam profecti sunt. Horum numerus erat D. partim ex Saxonia, partim ex aliis prouinciis Germaniæ, qui omnes in vnam nauem congregati, Aconam vsque peruenerunt, vbi per integrum annum cum infinita multitudine Christianorum, Aconam, antequam caperetur, oppugnauerunt, in oppugnatione multi Christianorum telis barbarorum læsi erant, vnde in morbum inciderunt, passimque sparsi, cum neminem in terra aliena, qui subleuaret inopiam, haberent, multi fame perierunt. Erant autem ex peregrinis præcipui, octo boni & pii viri Teutones, qui cum viderent Christianos tam misere interire, commiseratione ducti curam illorum susceperunt, diligentiaque illorum plurimi infirmi conualuerunt. Postea Xenodochium, siue hospitale, sub titulo Beatæ Virginis Mariæ, Aconæ erexerunt, primusque Xenodochi præfectus Henricus de Vualpot electus est, ex Germania oriundus, hic maximam diligentiam, in fouendis infirmis et egenis adhibuit, vltimum diem Aconæ peregit, ibidemque sepultus est, anno Domini MCLXXXX. Postea Balduinus Rex, Hierosolymis templum, et Xenodochium, pro pauperibus, et pluribus nobilibus infirmis, qui in bello Aconiensi læsi erant, extruxit, sub titulo Beatæ Virginis Mariæ.

Expeditio Christianorum in terram sanctam.

Hospitale beatæ Mariæ Virginis.

Tandem anno MCLXXXXI. Clemens Papa huius nominis III. hunc ordinem confirmauit, et titulum dedit fratribus Teutonicis, Xenodochii Hierosolymitani Beatæ Virginis Mariæ. Præterea D. Augustini, regulam illis seruandam imposuit, stemmateque cum cruce nigra eos insigniuit.

Postea

(111) Nostris temporibus nunc Prussia diuiditur in Prussiam Brandeburgicam, & Polonicam. Prussia Brandeburgica, seu Prussiæ regnum, dispartitur in tres prouincias seu circulos, Sambiensem, Natangiensem & Hogkerlandiæ. *Sambiensis* prouincia Slauoniam, Nadrouiam, Samlandiam, *Natangiensis*, Natangiam, Bartoniam, Sudauiam, Galindiam, *Hogkerlandia*, Pomesaniam, & Hogkerlandiam peculiarem continet. Prussia vero Polonica diuiditur in tres palatinatus, Culmensem, Marienburgensem, & Pomeraniæ, in quibus variæ præfecturæ continentur.

Postea patriarcha Hierosolymitanus, singulos fratres Teutonici ordinis a Pontifice Romano confirmatos, alba chlamyde, ex vtraque parte crucem nigram habente ornauit, sicque illi habitum suum susceperunt. Fuerunt qui vestiti sunt XXIV. fratres laici, & VII. sacerdotes. His, lorica indutis, gladio accincto, missam celebrare concessum erat, nullus barbam tondebat, & super saccum straminе impletum, regula iubente, dormiebant, sed statim hæc mira quadam metamorphosi immutata sunt.

Habitus Cruci-gerorum Teutonicorum.

Secundus, HENRICO de WALPOT, primo magistro Xenodochii Hierosolymitani, OTTO de KARPEN nobilis Germanus, in magisterio successit, anno Domini MCC. sub Imperatore Romanorum Philippo, huius nominis II. & Innocentio III. summo Pontifice. Hic in humilitate, & cordis simplicitate, Deo & fratribus seruiuit. Sexto anno officium absoluit, Aconæque sepultus est.

Tertius ordinis magister HARMANNVS BART Olsacensis, electus est sub Pontifice Innocentio III. & Philippo II. in ordine Germanorum Imperatorum XXII. anno MCC.VI. præfuit officio IV. annis, pauperibus quantum potuit satisfecit, Aconæque sepultus est.

Quartus HERMANNVS A SALZEN, nobilis Misnensis, Friderici secundi, Imperatoris, & Innocentii III. Pontificis, temporibus, anno Domini MCC.X. electus est. Hic omnium præclarissima priuilegia ordini a Pontifice, et Friderico secundo, Cæsare, consecutus est. Nam cum simultates, et odia inter Pontificem Romanum, et Fridericum Cæsarem exortæ essent, ille huiusmodi cladem prudentia sua e medio sustulit, sub eo Conradus Marchio Thuringensis habitum suscepit, duo millia, nobiles et auratos equites Germanos in ordine habuit, quos XXX. continuis annis rexit, eius temporibus fratribus ordinis a Saracenis Hierosolyma pulsis, Prussia concessa est, Regum Poloniæ, Conradique Ducis Masouiæ, et Imperatoris Friderici II. concessu. Quorum XX. millia in Prussiam venerunt, Prussosque gentiles auxilio Polonorum, ex terra Culmensi eiecerunt.

Poloni & Masouitæ Prussiam Crucigeris concedunt.

Quintus magister CONRADVS, Thuringorum et Cathorum Landgrauius, sub Gregorio IX. Pontifice, et Friderico II. Imperatore anno MCCXL. electus est, habitum Mariemburgæ, in Prussia suscepit, cum multis nobilibus adolescentibus, et viris eximiis, ac prudentibus, cum Prussis gentibus, multa bella gessit, magnoque labore fines regionum ordinis dilatauit, et, si quæ ruinam minarentur, illas resarciens optime conseruauit. Postea e viuis excessit, Mariemburgæ sepultus.

Sextus ordinis magister POPPO ab OSTERNAU electus est, Conradi IV. Imperatoris, et Innocentii IV. Pontificis temporibus, anno MCCLII. Multa præclara bella cum Prutenis, Liuoniensibus, et Swantopolo, duce Pomeranorum gessit, postea ante Ligniciam ciuitatem cum Conrado Silesiæ duce, sanctæ Heduigis marito, a Tartaris, totam fere Sarmatiam vastantibus, interemptus est, a Christianis vero Vratislauiam delatus, ibique in Basilica diui Alberti, terræ mandatus est, huius magistri tempore Regiomontum constructum est.

Septimus magister, IOANNES SANGERHUSENSIS, officium suscepit tempore Vilhelmi Comitis Flandriæ, Romani Imperatoris et Vrbani IV. Pontificis, anno MCCLXIII. Infidelium Prutenorum, vires mirabiliter diminuit, ordoque eo præsidente, plurimum profecit, Dominicanorum monasterium Toruniæ fundauit, Brandemburga quoque ciuitas cum arce, eius temporibus ædificata est, anno Domini MCCLXVI. Tapia quoque munitio erecta. Annis XII. præfuit, Treueris sepultus est.

Octauus magister, HARTMANNVS, Comes Heldringensis constituitur, sub Rudolpho

dolpho Imperatore Habsburgensi comite, et Gregorio X. Pontifice, anno Domini MCCLXXV. vir pius & industrius extitit, Nadrauiam, Sudauiamque, regiones Prussiæ, debellauit, cum ceterisque finitimis longas acies tenuit. Eo præsidente, anno MCCLXXIX, Menia ciuitas ædificata est. Anno vero Domini MCCLXXXI, Marienburgense castrum erectum est. Venetiis vltimum diem clausit, ibidemque sepultus est.

Nonus magister BURCHARDUS A SWENDEN, sub Rudolpho Cæsare & Pontifice Martino IV. electus est, anno MCCLXXXIII. Eo præsidente fratres ordinis, cum Prussis infidelibus bellum acre larga sanguinis effusione gesserunt, eosque in integrum ad obedientiam compulerunt. Postea VII. annis in officio expletis, magistratu se abdicauit, mortuus est Rhodiis, ibidemque ad Basilicam S. Ioannis sepultus.

Decimus magister, CONRADUS de FEUCHTVANGEN, munus magisterii suscepit, sub Rudolpho Imperatore & Nicolao IV. Pontifice, anno MCCLXXXX. Eo præsidente ordo multum profecit, VII. annis fratres in officio continuit: Pragæ Bohemiæ metropoli spiritum exhalanit, Trebniciæque sepultus est.

Vndecimus magister GOTTFRIDUS, Comes de HOHENLOH electus est, sub Cæsare Adolpho XXVIII. Germanorum Imperatore, & Pontifice Bonifacio VIII. anno Domini MCCLXXXXVII. Hic Venetia cum multis fratribus in Prussiam profectus est, decem annis officium gessit. Postea comitiis celebratis, magisterium resignauit, in Germaniamque profectus, e viuis excessit.

Duodecimus magister SIGFRIDUS de FEUCHTWANGEN, anno MCCCVII. creatus est, Alberti Imp. Austriæ Ducis, & Clementis V. Pontificis temporibus. Hic sedem Venetiis, Prussiæ castrum Mariemburgam transtulit: nam in terra sancta, Venetiis, Neapoli, & in Anglia sedes suas, & præclara ædificia propter quasdam simultates amiserant. Duobus annis officio præfuit, Mariemburgæ mortuus est.

Decimus tertius magister, CAROLUS BEFFART susceptus est, sub Henrico VII. Imp. & Clemente V. Pontifice, anno MCCCIX. erat insignis vir prudens, & industrius. Anno Domini MCCCXII. eo præsidente, Memula arx, in Curlandia regione Prussiæ, fundata est, ad propulsandos Lithuanorum incursus. Tandem prædictus magister a Pontifice Romano citatus, adeo crimen obiectum auxilio Dei diluit, vt in aduersarior um caput redundaret. Romaque discedens, in itinere, Viennæ morbo oppressus expirauit, ibique tumulatus est. Huius tempore pestis per integrum annum tantopere grassauit, vt omnia frumenta, penuria hominum, in agris manerent.

Decimus quartus magister VERNERUS Vrselensis, temporibus Ludouici IV. Cæsaris & Ioannis XXII. Pontificis, suscepit officium suum, anno MCCCXXII. ordini cum summa laude præfuit, cito post interemptus est, a fratre ordinis Ioanne Bunsdorfio, in vigilia S. Elisabeth, cum ex vespertinis precibus egrederetur.

Decimus quintus magister RUDOLPHUS, Dux Brunsuicensis, sub Ludouico IV. Cæsare, & Ioanne XXII. Pontifice magisterii celsitudinem suscepit, anno MCCC.XXV. vir pius & sapiens extitit. Fratres ad cultum diuinum summopere compulit, largeque illis omnia ministrauit, ideo eos liberalitate obedientes sibi effecit. Iustitiam magnopere administrauit.

Decimus sextus magister DITRICHUS, Comes Altemburgensis, octogenarius iam electus est, temporibus Ludouici IV. Imperatoris & Ioannis XXII. Pontificis, anno Domini MCCCXXIX. eloquentia validus, auctoritate grauis, iustitiaque rigidus extitit, gentibus terrori fuit, templum beatæ Mariæ Virginis Mariemburgæ extruxit, Toruniæ obiit, translatus Mariemburgam, in templo S. Annæ sepultus est.

Decimus septimus magister RUDOLPHUS, Dux Saxoniæ, Ludouici IV. Impera-

peratoris, ac Benedicti duodecimi Pontificis tempore, in officium susceptus est, anno Domini MCCCXXXIX. Hic anno Domini MCCCXLI. magnas copias conscripsit, Neumarcouiamque oppugnauit. Interim vero Lithuani Prussiam inuaserunt, eamque fere totam igne, & cædibus consumserunt, multos captiuos abducentes, quæ causa illi tantum moerorem attulisse creditur, vt mente captus, ab officioque depositus, præ moerore vitam terminarit. In Marienuerder ciuitate sepultus est.

Lithuani Prussiam vastant.

Decimus octauus magister HENRICUS Dusmariensis, Clementis VI. Pontificis tempore, officii dignitatem consecutus est, VI annos in regendo ordine consumsit, cum Lithuanis & Ruthenis bellum egregium, in die Purificationis beatæ Mariæ gessit, auxilioque diuino 10000. inimicorum prostrauit. E viuis postea decessit, Marienburgæque humatus est. Hic virginum coenobium, LEBENTCH dictum, Regiomonti erexit.

Decimus nonus magister HENRICUS Kniprodiensis, Carolo IV Cæsare & Clemente VI pontifice imperantibus, ad dignitatem magisterii accessit, anno MCCCXLVIII. Eo præsidente ordo doctis viris abundauit, fratres in timore & amore Dei instruxit, annis XXXI officio præfuit: Marienburgæ vitam terminauit, ibidemque sepultus est.

Vigesimus magister CONRADUS ZOLNER, temporibus Venceslai Imperatoris Romani, & Vrbani VI. Pontificis, ad officium vocatus est, anno Domini MCCCLXXIX. Multa egregia bella & facinora contra gentiles, Lithuanos, & Samogitas, temporibus Keystudi, Iagielonis, Vitoldi, & Suidrigilonis ducum Lithuaniæ gessit. Ordinem in potestate octo annis tenuit, Marienburgæ naturæ debitum persoluit.

Vigesimus primus CONRADUS VALENRODENSIS, Venceslai Imperatoris, & Bonifacii Pontificis tempore, munus magisterii oblatum suscepit, anno MCCC. LXXXVIII. Vehemens, & iracundus extitit, totis viribus bello incumbebat, monachos, sacerdotes, & omnes Ecclesiasticos furore percitus, odio persequebatur, nullumque in hora mortis ad se venire passus est. Anno MCCCLXXXXI. fratres ordinis, armata manu, per fluuium Crononem, Lithuanis Niemen dictum, ad arcem Cownensem in Lithuaniam nauibus, terraque peruenerunt, ibique tres munitiones celerrime erexerunt, Newerder, Riteuerder, & Meremburg appellatas, ex his Crucigeri Lithuanis, magna damna inferebant, regionem igne & ferro vastando, incolasque occidendo.

Vigesimus secundus magister CONRADUS DE IUNGINGEN, ad munus obeundum vocatus est, Venceslao Imperatore & Bonifacio IX. Pontifice præsidentibus. Hic propter morum probitatem magnam laudem apud omnes obtinuit, pacisque obseruantissimus erat, ideo ab ordinis fratribus, eum multa pati oportebat. Annis XII. officio præfuit. Postea ex carceribus corporis liberatus, Marienburgæ in D. Annæ templo humatus est.

Vigesimus tertius magister VLRICUS DE IUNGINGEN, Conradi frater, Ruperto Cæsare, & Gregorio XII. Pontifice, munia obeuntibus, officium suscepit anno MCCCCIV. Strenuus & bellicosus vir extitit, regulas ordinis non admodum obseruauit, consanguineos odio persequebatur, illorumque arces partim eripuit, partim destruxit. Cum Lithuanis & Polonis plurima bella gessit, hunc postea Iagielo Rex Poloniæ, & Lithuaniæ magnus dux Vitoldus, cruento prælio profligauit, vbi & ipse cum plurimis commendatoribus, quorum CC. recensentur, cecidit. Dux quoque Stetinensis & Olesnicensis, Kerschdorfque, dux exercitus Crucigerorum, a Polonis capti: V millia Crucigerorum a Polonis cæsa

Crucigeri profligantur.

 sunt.

ſunt. Lithuanorum tamen in caſtris Polonorum militantium VII. millia trucidata, fugataque in primo conflictu.

Vigeſimus quartus magiſter HENRICUS comes PLAUENSIS, ſub Sigismundo Imp. & Ioanne XXIII. Pontifice electus eſt. Hic volebat vlciſci iniuriam, quæ a Polonis Crucigeris illata erat, ſed ante quam quicquam inciperet, ab officio deiectus eſt, & Engelsburgæ in carceres coniectus, deinde ad Lekſteg miſſus, ubi VII. anno in vinculis peracto, fatis conceſſit, ſepultus Marienburgæ.

Vigeſimus quintus MICHAEL STERNBERGENSIS, imperatoriæ culinæ magiſter, Sigismundo Imp. ſceptrum tenente, & Ioanne XXIII. Rom. Pont. ordini præpoſitus eſt, anno Domini MCCCCX. Primo anno cum ſuſcepiſſet officium, Iagielo Rex Poloniæ, & Vitoldus Dux Lithuaniæ, Oſterrodam, Helsburgenſemque epiſcopatum, Reſenburgam, Elbingam, & Chriſtburgam ciuitates, depopulati ſunt. Argentoratum obſederunt, re tamen infecta diſceſſerunt. Nouem annis ordinis curam geſſit: poſtea, vt deponeretur, precibus obtinuit, Gedani vitam finiuit, Marienburgæ vero ſepultus eſt.

Poloni cum Lithuanis Pruſſiam vaſtant.

Vigeſimus ſextus PAULUS RUSDORFIENSIS, Sigismundi Imp. & Martini V. Pont. tempore, magiſterii celſitudinem conſecutus eſt, anno Domini MCCCC. XIX. Huius tempore prouinciæ & ciuitates Pruſſiæ ad Regem Poloniæ Caſimirum defecerunt, & iugum Crucigerorum excuſſerunt, officium IX. annis hic magiſter retinuit, mortuus tandem, Marienburgæque ſepultus.

Ad Polonos Prutheni deficiunt Crucigeros ſpernentes.

Vigeſimus ſeptimus CONRADUS ab ERLINGSHAUSEN, Alberti II. Rom. Imp. tempore officium ſuſcepit, anno MCCCCXXXVIII. Hic a bello, quoad uixit abſtinuit, nimio dolore ob fratrum peruerſitatem conſumptus eſt, Marienburgæ mortuus, ibidemque ſepultus.

Vigeſimus octauus LUDOVICUS ab ERLINGSHAUSEN, ſub Cæſare Friderico huius nominis III. fratres regere coepit anno MCCCCL. Huius tempore Pruſſia ab ordine deſciuit, ad regemque Poloniæ Caſimirum maior pars eorum defecit. Milites quoque ordinis præſidiarii, Marienburgam regi anno Domini MCCCCLVII pro ſumma 476000. florenorum vendiderunt, cum aliis caſtris & ciuitatibus. Poſtea Rex Poloniæ capta arce Choynicze, pacem cum Crucigeris iniit, atque ab hoc tempore Pomerania regno Poloniæ adiuncta eſt, pro qua Poloni CL. annis perpetuo cum Crucigeris belligerabant.

Pruteni Crucigerorum iugum excutiunt. Marienburga venditur.

Vigeſimus nonus HENRICUS RHEUS, comes Plauenſis, dignitatem magiſterii aſſecutus eſt, ſub Friderico huius nominis III. Imp. anno Domini MCCCCLXVII. Vndecim hebdomadis officio præfuit, Regiomonti in cathedrali eccleſia terræ mandatus eſt.

Trigeſimus magiſter HENRICUS comes RICHTENBERGENSIS, anno MCCCC. LXX. officium ſuſcepit, præſidentibus Friderico III. Imperatore, & Sixto Pontifice huius nominis IV. Fuit vir rigidus, furibundusque, Theodorum epiſcopum Pruſſiæ captum, in vinculis fame peremit. Ordini annis VII. præfuit, Regiomonti ſepultus eſt, huius tempore bellum ſacerdotum in Germania fuit.

Bellum ſacerdotum.

Trigeſimus primus MARTINUS TRUCHSES Verſchhauſenſis, ſub Friderico III. Imperatore, & Sixto IV. Pontifice ordini præfectus eſt, XII. annis præfuit, Caſimiro Regi Poloniæ, obedientiam præſtitit, Regiomonti mortuus, ibidemque ſepultus eſt.

Trigeſimus ſecundus IOANNES de TIEFEN ex Heluetia, celebri familia oriundus, Friderico ſceptrum tenente, & Innocentio VIII. Pontifice præſidente, ordinem in tutelam ſuſcepit, anno MCCCCLXXXIX. Eodem anno Poloniæ Regi, iuramentum præſtitit. Poſtea eidem Regi Ioanni Alberto, auxilium contra Valachos ferens, cum exercitu profligatus, ipſeque peremptus eſt. Regiomontum delatus, ibidem terræ mandatus. Trige-

Trigesimus tertius FRIDERICUS Dux Saxoniæ, Thuringorum & Hermandurorum Marchio, Maximiliani Imperatoris, & Alexandri VI. Pontificis temporibus, anno Domini MCCCCLXXXXVIII. In festo D. Michaelis Regiomonti magistratum suscepit. Nunquam Regi Poloniæ iuramento se obstringere voluit, qua de causa a Polonis sæpius infestatus, in patriam suam Hermanduriam profectus, vbi XII. annis extra ordinis fines exactis, mortuus est. Huius tempore Ioannes Albertus Rex Poloniæ e viuis decessit, cui in regno Alexander frater germanus successit.

Trigesimus quartus ALBERTUS Marchio Brandeburgensis, Casimiri Regis Poloniæ nepos, Maximiliani Cæsaris, & Iulii Pontificis temporibus, ordini solenniter cum ingenti pompa Regiomonti præfectus est, anno Domini MDXII. Sigismundo Regi Poloniæ, auunculo suo, iuramentum præstare noluit, sed arces necessariis omnibus muniuit, vt se contra Polonorum incursum defenderet, magnum & diuturnum bellum cum Rege Poloniæ habuit, in quo ex vtraque parte multi ceciderunt, eam ob causam, quod iuramento se obstringere regi noluisset.

GESTA HVIUS MAGISTRI TEMPORE PRÆCIPUA.

ANno Domini MDXIX. in autumno, inter Sigismundum Regem Poloniæ, & Magistrum Prussiæ Albertum Marchionem, bellum ortum est. Anno MDXX Albertus Marchio, die festo circumcisionis Christi, Braunsbergam inopinate occupauit. Eodem anno, Mehlsak, Milinlyn, regi traditæ sunt, cum aliis plurimis ciuitatibus, castrisque. Quadragesimali tempore, mense Aprili, copiæ Regis, Oland, ciuitatem & arcem sub magistro, ceperunt, eodem anno Brandenburga arx & ciuitas a Polonis capta & depopulata est

Anno Domini MDXX. Vuolfangus dux Schonemburgensis cum exercitu ordinis, decem millibus peditum, IV. millia equitum coniungens, Gedanum oppugnauit, ex episcopique monte, (vt vulgo vocant) ciuitate imminenti, IV millia globorum tormentorum bellicorum, in ciuitatem, frustra tamen, exonerauit, nullum enim hominem læsit, sibi vero ingens damnum in tormentis & globulis intulit: nam ex muro ciuitatis tormentum vnum præstantissimum, in mille frusta concussum est, & si aliquis ex exercitu se ostenderet, in hunc quatuor vel quinque tormenta ex turribus ciuitatis exonerabantur, tantaque miseria & penuria omnium, Crucigerorum milites afflicti erant, vt multis suorum desideratis, quibusdam captis, fuga sibi ab obsidione consulere cogerentur. Interea vero Poloniæ Rex, in subsidium Gedanensibus XII. millia equitum electorum misit, qui milites Crucigerorum a Gedani obsidione discedentes, insecuti sunt, plurimosque ex eis trucidauerunt, quosdam captiuos abduxerunt, multi etiam a Cassubiis & Pomeranis iugulati sunt. Postea regius exercitus Dirschouiam & Stargardum arces occupauit. Choynicz quoque arx cum ciuitate capta est, postea ceteræ ciuitates & arces vltro se Regi Poloniæ obtulerunt, & milites ordinis vna cum Crucigeris ex Prussia sunt eiecti.

Cruciger a Gedano fugantur.

Crucigeri ex Prussia eiciuntur.

Anno Domini MDXXV. die VIII Aprilis, Prussia, quam primum religiosi, Crucigeri videlicet, tenuerunt, in mundanam politiam & principatum sæcularem cessit. Albertus enim Marchio Brandeburgensis in ordine XXXIV. & vltimus magister Crucigerorum, belli cum Rege Poloniæ pertæsus, difficileque contra stimulum calcitrare videns, regem sibi per internuncios fratres & affines suos reconciliauit, Cracouiamque veniens iuramentum solenniter Regi Poloniæ Sigismundo, in Maiestate regia ad id fabricata, in medio foro Cracouiensi sedenti, regalibusque induto, præstitit, multis principibus præsentibus. Ibique prædictum Albertum Marchionem Brandenburgensem, post iuramentum solenniter præstitum, Sigismundus Rex, principem sæcularem, equitemque (vt vocant) auratum creauit. Terrasque omnes Prussiæ certis

Magister Prussiæ iuramentum Regi præstat.

certis sub conditionibus, eidem vt feudali, clientique, & subdito suo concessit, vexillumque illi suum sub insigniis Polonicis dedit. Atque hic finem ordo ille, vt vocant Teutonicorum Crucigerorum, in Prussia habuit anno Domini MDXXVI. ALBERTO Prussiæ Duci, soror Regis Daniæ, in matrimonium data est, ex qua suscepit filium ALBERTUM FRIDERICUM hodiernum Ducem Prussiæ, qui etiam post mortem patris, Regi Poloniæ iuramentum, homagiumque solenniter præstitit, nunc quo ordine, & quibus ceremoniis hoc iuramentum præstitum sit, quoniam ipse præsens rerum spectator fui, breuiter dicam.

Mos homagiorum regni Polonici.

Vestitus solennis Regis Poloniæ.

Anno Domini MDLXIX. mense Iulio, in comitiis regni generalibus, Lublini celebratis, ALBERTUS FRIDERICUS Marchio Brandenburgensis, ALBERTI Ducis Prussiæ prædicti filius, patri in principatu succedens, iuramentum Regi Poloniæ præstitit, hoc modo: decima nona die Iulii, amplissimum suggestum (siue maiestas, vt dicitur, regia) tectum sericeis, & stragulis, tapetisque pretiosis, in suburbio Lublinensi sumptuose erigitur, vbi Rex sessurus esset. Concursus fit ad forum immensæ hominum multitudinis, opplentur viæ, omnesque plateæ, quacunque incessus erat, satagit pro se quisque, vel ornatus splendido vestitu, vel armis instructus apparere. Interim Maiestas Regia ex arce in thronum proficiscitur, cingitur ingenti, & splendida Senatorum, Procerumque vniuersi regni corona, præcedentibus principibus, viris, ac omnis ordinis consiliariis, & aulicis. Vexillumque pulcherrimum & amplissimum album, nouo Duci, de more, cum insigniis donandum, Erasmus Debinski, Cancellarii regni filius, præferebat, postea Rex in domum quandam suggesto oppositam diuertitur, ibique ornatu regali induitur, sandaliis videlicet aureis, alba Dalmatica, & Chlamyde, siue Pluuiali ex panno aureo confecta, et corona regia aurea gemmis, lapidibusque pretiosis concinne, affabreque ornata, chirothecas quoque annulis, gemmisque ornatas manibus imposuit. Induta Maiestas regia ornamentis regalibus de modo dicta illa in suggestum procedit, media inter Reuerendissimos Dominum IACOBUM VCHANSKI, archiepiscopum Gnesnensem, Primatem Regni, ac Dominum PADNIEWSKI episcopum Craconiensem, præcedentibus, et subsequentibus contigue primariis dominis, consiliariis, Spiritualibusque; gladium euaginatum ancipitem ANDREAS ZBOROWSKI gladiator (vt dicitur) Regni, præferebat: pomum aureum cruce insignitum PETRUS ZBOROWSKI, Palatinus Sendomiriensis portabat, sceptrum STANISLAUS MYSZKOWSKI, Palatinus Cracouiensis, anteferebat. Cum itaque Sacra Regia Maiestas in solio sedit, quatuor Germani proceres Prussiæ, nomine Ducis sui, supplices venerunt, et genubus flexis vnus eorum orationem facundo lepore, ad S. R. M. recitauit: oratione finita, Regia Maiestas quatuor consiliarios cum illis quatuor Germanis ad Ducem Prussiæ accersendum misit. Veniens itaque Illustrissimus Princeps ALBERTUS FRIDERICUS, disertissima facundia, orationem fecit ad S. R. M. singularem fidem, supplicitem, et subiectionem testantem. Responsum est postea ipsi Principi, consiliariisque eius Latinis verbis, nomine Regis: S. reg. Maiest. tam ipsum principem, quam omnes subditos et optimates eius, omni fauore, et gratia complecti, defendereque velle. His finitis accessit princeps ad solium, et pedes regios genu flexo cum summa reuerentia accepit, accepitque de Sacræ Regiæ Maiestatis manibus vexillum album insignitum aquila nigra, cum litteris S. et A, colligatis in pectore, cum institutione ore regio facta his verbis: Nos SIGISMUNDUS AUGUSTUS Rex annuentes vestris, et vestrorum subditorum precibus, tradimus, et concedimus illustritati tuæ, prout parenti tuo Illustrissimo tradideramus, in feudum terras, ciuitates, oppida, et arces in Prussia, et ad eas illustritatem tuam inuestimus, per huius vexilli traditionem, ac instituimus ex gratia, et benignitate nostra, qua illustritatem tuam, vt nepotem nostrum charissimum complectimur, speramusque, quod

Verba Regis ad Ducem Prussiæ.

eius

eius beneficentiæ nostræ, et memor, et grata, fidelisque illustritas tua sit futura. Deinde princeps Prussiæ caudam vexilli tenens, super libro Euangeliorum in hæc verba iuramentum præstitit.

Ego ALBERTUS FRIDERICUS, *Marchio Brandenburgensis in Prussia, Stetinensis, Pomeraniæ, Slauorum, Cassubiorum Dux, Princeps Rugiæ, & Burggrauius Norimbergensis, promitto & iuro, quod Serenissimo Principi ac Domino, Domino Sigismundo Augusto, Regi Poloniæ inuictissimo, Magno Duci Lituaniæ, Russiæque, ac omnium terrarum Prussiæ Domino, & Hæredi, sicut meo naturali, hæreditarioque Domino, & eius Sacræ Maiestatis hæredibus, & successoribus Regibus, & Regno Poloniæ, ero fidelis & damnum præcauebo, ac omne id faciam, quod ad fidelem vasallum, feudalemque pertinet, ita me Deus adiuuet, & hoc sanctum Dei Euangelium.*

Iuramentum Ducis Prussiæ.

Accepto huiusmodi iuramento Maiestas Regia, gladium ancipitem, a gladiatore regni, Domino Andrea Zborowski accepit, nouumque ducem ter præcinxit, inclinatum de more dicens: *Accingere gladio tuo super femur tuum, Potentissime.* Postea ei torquem auream, regio munere non indignam, imposuit. Mox omnis ordinis nobiles, qui ad equestre munus contendebant (in quorum ego numero, eodem more præcinctus fui) præcincti sunt. Quibus omnibus ex ordine solenniter peractis, ac depositis regalibus indumentis, cum toto illo comitatu, Duceque Prussiæ cum suis præcedente, in arcem rediit.

Hæc autem Prussiæ regio, plerisque sinuosis flexibus est vbique amoena, & opportunis portubus maris Baltici, maxime commoda, vrbium illustrium oppidorum, arciumque frequentia, & opimis incolarum diuitiis, opibusque ac terræ vbertate, supra modum claret. Pecoris omnigeni inæstimabili copia, piscationibus, venationibusque, & siluis fructuosissimis, aërisque temperie, cum amoenitate coniuncta, prædita est, & postquam fidem Christianam Prussia suscepit, LXXII. arces præcipuas, & LXII. ciuitates principales habuit, a Crucigeris domus Teutonicæ erectas, quarum numerus nunc temporis successu, plurimum creuit: multæ enim & frequentes ciuitates ac oppida, munitionesque, tam a Polonis, quam Crucigeris vario Marte vtrinque decertantibus, extructæ sunt. Longitudo eius ex Aquilone in Austrum, a Torunia vrbe, confini Masouiæ, vsque ad Memulam castrum cum oppido, quinquaginta octo milliaribus extenditur. In latitudinem vero quinquaginta milliaribus, Lituanos, & Masouitas contingens, patet.

Commendatio Prussiæ.

Ciuitates in Prussia.

Flumina præcipua, & principalia, in Prussia duodecim reperiuntur, Istula siue Vistula, quæ Silesiam, Poloniam, Masouiam, & Prussiam præterlabitur, similiter Cronon, siue Niemen ex Lituania decurrens, Nogat, Elbinga, Vuesera, Passaria, Alla, Pregel, Offa, Drebnicz, Lica, Lauia. Extant quoque alia plura flumina omni genere piscium abundantia, minus tamen hominibus præcipue externis cognita. Lacubus plurimis, aliquando septem milliaribus Polonicis patentibus, piscibusque omnis generis exundantibus, vndique scatet. Gummi quoque genus lucidissimum, quod succinum, siue GLESSUM, vulgariter Burstin, vocatur, in littore maris Baltici copiose colligitur. Cum autem Prussia, vt copiose superius descripsimus, barbarorum colonia antiquitus fuerit, Polonorum ac Teutonicorum armis subactam, sacrisque initiatam se agnoscit, qui in eam colonias suas, barbaris penitus fere extirpatis, deduxerunt, nuncque tam Polonis, quam Germanis equitibus, pariter ciuibus, agricolisque frequens est. Barbarorum tamen reliquiæ, ad Curlandicum lacum hucusque supersunt, qui cum Liuonibus, & Lituanis vicinis, idiomate, moribus, habituque concordant. Porro nulla in vniuerso Poloniæ Regis dominio, regio reperitur, quæ tam frequentibus ciuitatibus, arcibus, et oppidis, vt Prussia, abundet.

Flumina Prussiæ.

Hæc autem Prussiæ regio amplissima, omniumque fructuum tam ex terra, quam

Prussia duplex.

 aqua

aqua nascentium abundantissima, duplex est, ducalis, et regalis: nam Dux, gratia Regis Poloniæ, in suis ciuitatibus, et arcibus integre rerum potitur, vt vasallus, et feudalis, ac beneficiarius regni. Regiomontique, quæ est ciuitas maritima, sedem suam habet, in qua est collegium communis studii, ab Alberto præfato, primo ex magistro duce creato, fundatum. Est autem Regius mons emporio clara ciuitas, ad eam enim merces ex septentrionis regionibus copiose apportantur. In hanc sedem suam magistri transtulerunt, Marienburga nobilissima, eaque munitissima arce, ac totius Prussiæ propugnaculo, quæ cum se expugnari non pateretur, Casimiro Regi Poloniæ (vt diximus) pro certa stipendiorum militibus ordinis persolutione dedita, in ea assidue milites præsidiarii a Rege Poloniæ asseruantur, victu et omnibus ad bellum necessariis tam apprime prouisa, vt sex annorum obsidionem sustinere possit. Est enim regalis Prussiæ (id est, illarum arcium, et ciuitatum, quas Rex electas extra ducem, armis maiorum suorum, acquisitas possidet) caput, et metropolis, a Gedano septem milliaribus distat. Plurimas nobiles ciuitates, et arces, quas superius enumerauimus, Prussia complectitur.

Regiomontum · *Academia Regiomonti.* · *Marienburga.*

Episcopatus vero quatuor catholicos, postquam fidem Christianam suscepit, Prussia habebat: Varmiensem, Culmensem, Sambiensem, et Pomesaniensem, nunc Sambiensis Varmiensi: Pomesaniensis autem Culmensi adiuncti. Varmiensem episcopatum, qui est præcipuus, Reuerendissimus Dominus Stanislaus Hosius, Polonus, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis dignissimus, singulari pietate, et vitæ sanctitate, ac doctrina coelesti, scriptis diuinis corruscans, administrat, qui malleus hæreticorum indefessus, et catholicæ ecclesiæ propugnator strenuus iure censendus est. Culmensem episcopatum, Reuerendissimus Dominus N. Kostka, virtutum, et doctrinæ speculum insigne. Nunc de Pomerania regione amplissima dicendum nobis occurrit, quæ etiam Polonorum, armis antiquitus perdomita, imperio paret. Nam Boleslaus Rex bellicosissimus anno Domini MIII, Russiæ principibus debellatis, strenuoque marte contusis, perpetuum victoriæ monimentum, Herculeum imitatus opus, tres ferreas columnas in Boristene fluuio collocauit. Deinde anno Domini MVIII Saxonibus bellum intulit, & omnem illorum regionem, circa Oderam, ad Albim, & Salam fluuios, Chersonesumque Cimbricam, quæ hodie Dania appellatur, summa belli dexteritate ditioni suæ subiugauit. Vrbes earum regionum maximas, partim solo æquauit, partim suis Polonis muniuit, gentemque vniuersam Pomeranorum, barbaram & incultam, ad fidem Christianam suscipiendam, armis coegit, & vt sempiterna memoria victoriæ felicissimæ apud posteros extaret, in Albi, & Sala, Ossaque fluuiis, columnas æreas inclytus triumphator locauit, totam Prussiam ac Pomeraniam, Christianis infestissimas, perdomuit.

Episcopatus Prussiæ. · *Gades Boleslai*

DVCATVS POMERANIÆ.

POMERANIA regio amplissima, ab Holsatia ad Liuoniam vsque, longo tractu iuxta mare Germanicum, extenditur, vnde & nomen habet. POMORZE enim Slauis mari adiacentem regionem significat. In hac regione natio Slauonica, antiquitus consederat, sed nunc Germani magna ex parte eam incolunt. Has præcipuas ciuitates a mari procul sitas complectitur, Stetinum, vnde ducatus Stetinensis dicitur, Neugardiam, Laumburgam, Stargardiam, Belgardiam, Camenetiam, Publinam, Grifenbergam, & alias complures. Quæ vero mari impendunt, sunt Colberg, Camin, Coslin, Gripswald, Sunt, Puczka, Reuecol, Hechel, &c. Iulinum in hac regione vrbs erat celeberrima, nunc ruinis deformis iacet, pro hac regione Poloni cum Prutenis gentilibus, & Crucigeris, longo tempore acriter decertabant, nunc titulo eius Rex Poloniæ, qui in ea maiori ex parte rerum potitur, Duxque Prussiæ, feudalis Regis Poloniæ, vtuntur.

Iulinum.

GEDA-

GEDANVM, siue Dantiscum, huius regionis metropolis, vrbs amplissima, & insignis a mari Germanico vno milliari abest, eam celeberrimus fluuius Vistula præterlabitur, ibidemque amplissimis ostiis in mare exoneratur, in ea totius Pomeraniæ, & Prussiæ celeberrimum emporium est: ex vltramarinis enim regionibus longinquis, Anglia, Britannia, Scotia, Gallia, Hispania, Suecia, Dania, & Nordvegia, naues ad eam appellunt. Ex Lituania quoque, Russia, Volinia, Poloniaque variæ merces, fluuiis nauigabilibus in eam deferuntur: præcipue vero siliginis, & frumenti, ingens copia ex supra nominatis regionibus aduehitur. Regi Poloniæ subiecta est, Castellanumque a Rege præfectum habet. Ex mari in vrbem perducta est fossa, qua naues maximæ intra moenia veniunt. Burggrauius cum proconsulibus, & consulibus regio nomine, ciuitatem administrant. Ciues omnes fere Germani sunt, mercatoresque ditissimi, ita vt Gedanum ædificiorum pulcherrima dispositione, commerciorum varietate, maris, Vistulæque opportunitate, incolarum & externorum incredibili multitudine, ciuium diuitiis, & instrumentorum bellicorum, ad hostes propulsandos, ac machinarum æncarum numero, cum præcipuis Europæ vrbibus, meo iudicio, conferenda sit. Prætorium maximo sumtu, eoque regio exædificatum cum superba turri, ædesque sacræ, cum priuatis, ingenti auri pondere, artificiose erectæ, Geldaque, publicum vrbis palatium, ac horologium diuinis fere manibus elaboratum, cuius campanæ mirabilem quendam, & suauissimum concentum edunt, secundum artificis voluntatem, et temporis conuenientiam, omnium gentium aduenas attrahentes. Propugnaculum munitissimum in ipso maris portu extruetum, frequentibus directis machinis armatis, militibus custoditur.

Vexillum totius Pomeraniæ aquilam nigram in collo coronatam, gladium euaginatum manu humana tenentem, pro stemmate in campo aureo gestat, similem Prussiæ, quam supra expressimus.

ELBINGA ciuitas insignis non procul a littore maris magnificentissime, et sumtuose extructa, splendidis ciuium opibus, et mercatorum diuitum frequentia claram, spectabilemque se reddit. Eius titulo Rex Poloniæ, scribens se Dominum terræ Elbingensis, maxime in priuilegiis, vtitur. Tractum enim amplissimum circumiacentem habet. Atque haec de Prussia breuiter dicta sufficiant.

LIVONIAE TOTIVS CVM SVIS PROVINCIIS, CIVITATIBVS, CASTRIS, ET COMMENDIS, SIVE PRÆFECTVRIS, etc. SVCCINCTA DESCRIPTIO.

Addita est quoque breuis narratio, quomodo hæc regio in ius Inuictissimi Regis Poloniæ Sigismundi Augusti, Magni Ducis Lituaniæ, cesserit, & quo pacto a Moschorum Principe, & Sueciæ Rege, diminuta fuerit.

LIVONIA, siue Lieflandia, regio amplissima, ab oriente Russiae, Moschorum Principi subiectae, contigua est, Neruaque fluuius nauigabilis, (in cuius vtraque ripa, duae arces eiusdem nominis, vni Liuonensium, altera Moschorum sibi ex aduerso sitae sunt) imperium Moschouiticum, a Liuoniensi, dislimitabat. Sed hodiernus Moschorum monarcha, IOANNES BASILIDES, Derpt, insigni vrbe episcopali, cum sibi adiacente prouincia occupata, vlterius fines suos (prout inferius dicitur) promouit. A septentrione cum Sueciae regno, et Finlandiae ducatu fines suos, sinu maris Baltici disterminat: ab occidente mari Baltico (quod Germanicum, et Prutenicum appellatur) contermina est: a meridie Samogitiae, et Lituaniae, nonnihilque in occidentem vergens, Prusiae adhæret. Nonaginta milliaribus Germanicis in longitudinem, et quinquaginta in latitudinem, cum sinu maris

Fines Liuoniæ.

ris Baltici adiacenti, extenditur. Sed nunc bellis fæuientibus, pluribus in locis vastata, & diminuta est. Continet autem in se plurima territoria, quæ pro ducatibus computari possunt, horum singula cum suis ciuitatibus, & castris succincte describere curabo. Sed primo quomodo, & quando regionis incolæ nomina Christo dederint, paucis aperiam.

Totum pene orbem terrarum post maximum illud vniuersæ terræ diluuium, fallacium dæmonum fraude seductum, veram vnius Dei religionem, impio multorum, & falsorum Deorum cultu, vanaque superstitione commutasse, constat. Quidam enim mortuos homines propter merita beneficia, & egregia gesta, cultu diuino venerabantur. Alii malignos dæmones, ementitis miraculis, & prodigiis, hominum oculis sese insinuantibus, adorabant. Denique belluis atque serpentibus, & sculptis, pictisque arte humana simulacris, gloriam veri Dei exhibebant. Donec Iesu Christi, veri Dei, hominisque benignitas, & Euangelii eius claritas post multa sæcula, quasi lux clarissima, mundo coelitus affulgens, has terras, terribilesque tenebras discussit. Sed regiones septentrionales, et omnes gentes ad aquilonem vergentes, Christianæ religionis ignaræ, vano idolorum cultui, diutius subiugatæ fuerunt: difficilis enim ad eos externis gentibus erat aditus, propter efferam barbariem, et crudelitatem populi. Romani etiam, et Græci, qui primo fidem Christianam amplexi sunt, septentrionalium plagarum minus exactam notitiam habebant: vnde factum est, vt Liuonia cum ceteris, ad aquilonem vergentibus regionibus, nouissime omnium, sacro baptismi fonte lauata fuerit. Demum Friderici primi ex Ducibus Germaniæ, Romanorum Imperatoris temporibus, mercatores rem familiarem ex Germania per mare Balticum in Liuoniam appulerunt, et gentis barbaræ, simplicissimæque animos ob mutua mercimonia commutanda pellexerunt. Erat autem hic populus miræ simplicitatis, opumque parandarum, et rei familiaris iusto negligentior: melle enim expresso, quo maxime regio abundat, cæram velut alias quisquilias, et purgamenta domibus euerrebant. Postea succedente quæstu, et mercatoribus occidentalibus, eo loci confluentibus, sacerdotes paulatim se illis immiscere, adiungereque, piæ peregrinationis causa, coeperunt, vt mercatoribus, videlicet thesauros Liuonum acquirentibus, ipsi animas gentis Christo, per verbum salutiferum lucrifacerent. Erat igitur ea tempestate vir quidam Meinardus nomine in Lubeca ciuitate celeberrima, pietate, et sanctimonia vitæ insignis, hic vna cum mercatoribus conscensa naui, in Liuoniam, anno partæ per Christum salutis, millesimo, ducentesimo, traiecit, et conspiciens in tam insigni, et præmatura messe, nullos operarios extare, continuo ibi vnius famuli conuictu contentus, ætatem transigere constituit. Casamque sibi ex arbustis propter imbres arcendos construxit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, et tædio superato, habita iam mutui conuictus, et contractæ notitiæ cum incolis regionis opportunitate, religionis, et rerum Diuinarum eos admonere coepit, sensimque a vano idolorum cultu, ad christianæ fidei obseruantiam adducere, auspicanteque Deo, et pium viri religiosi conatum secundante, complures incolarum in agnitam veritatis doctrinam concesserunt, quorum crescente numero, multorumque animis, vt fit, rei nouæ, et inusitatæ religionis studio, flagrantibus, Basilica instauratur. Nec multo post MEINARDUS a Bremensi archiepiscopo, in Liuoniae episcopum consecratur, qui in messe Christi strenui operarii munus adimplens, rem christianam multum adauxit, et magnam gentis partem ad Christum conuertit, postea vitam cum morte feliciter commutauit. Huic ex vita decedenti BERTOLDUS Cisterciensium abbas successit, qui contra irruentes hostes fidei christianae, vna cum peregrinis militibus, qui pietatis ergo ad militiam Christo exercendam, ex Germania confluxerant, pugnare instituit. Vbi vero ad pugnam ventum est, equo infreni in mediam barbaro-

rum

Fridericus Imperator. Germani in Liuoniam veniunt.

Meinardus pius vir, primus in Liuoniam venit.

Meinardus Liuones in fide Christi instruxit.

Meinardus Episcopus creatur Liuoniæ primus.

tum aciem proiectus confoditur. Tandem crescente multorum pietate, plurimi sacræ militiæ deuouerunt, ordinisque fratrum Teutonicorum habitu suscepto, ensiferos fratres sese nuncupauerunt. Sed cum rebus gerendis superesse non possent, hostiumque barbarorum vis vndiquaque inualesceret, Teutonicorum fratrum ordini, in Prussia se coniunxerunt. Cum enim audiuissent, quod ordo Teutonicus Cruciferorum in tota Germania proficeret, Volquinus, Præpositus eorum, a quinto in ordine, magistro Prussiæ, Conrado, olim comite Turingensi, in ordinem Teutonicum susceptus est, anno Domini MCCXXXIV, suffragiisque eiusdem magistri Prussiæ Conradi, Gregorius summus Pontifex Romanus huius nominis nonus, iussit vbique & præcipue apud infideles Prutenos, Liuonesque proclamari, quod ordo fratrum a gladio in Liuonia (qui nondum confirmatus erat) Teutonico ordini in Prussia vnitus, incorporatus, adscriptusque esset. Susceperunt itaque fratres a gladio Liuonienses, crucem, habitumque more fratrum Teutonicorum in Prussia. Et semper ab hoc tempore magistri Prussiæ, a Liuoniensibus magistris tributa certa, & obedientiam exigebant, vsque ad tempora Alberti Marchionis Brandenburgensis, magistri Prussiæ, qui anno Domini supra millesimum, quingentesimum, decimo tertio, pecuniam, quam obedientiam accipere maluit. Itaque Liuonienses data, præscripta ingenti summa pecuniæ, in posterum ab obedientia Prutenicis magistris exhibenda, liberati sunt. Hanc tamen libertatem paulo post per insolentiam suam amiserunt. Rex enim Polonorum Sigismundus Augustus, eos in potestatem suam, prout inferius dicetur, redegit. Sed ad rem accedo, Liuonienses cruciferi, habitu fratrum Teutonicorum in Prussia assumpto, grauissimis bellorum laboribus, cum barbaris fortiter exantlatis, hactenus rerum in Liuonia potiti sunt, magistrumque sibi elegerunt, qui cum commendatoribus, seu etiam præfectis totam regionem gubernabat. Erant præter hunc in Liuonia episcopi quinque, vtpote archiepiscopus Rigensis, Derptensis, Habselensis, Oseliæ, Curlandiæ Reualiæque, episcopi. Hi sua munia strenue, & magnifice, vt principes, obibant, sed anno Domini MDLVIII, Moschorum Dux, Derpta, siue Terpato, insigni vrbe episcopali, potitus, episcopatum Derptensem penitus aboleuit. Rex quoque Poloniæ archiepiscopatum Rigensem cum omnibus arcibus, & ciuitatibus (rerum enim in Liuonia potitur) tenet. Reualiensem episcopatum, Sueciæ Rex, vrbe Reualia capta, administrat, Oselensem episcopatum, & Habselensem fratrer Regis Daniæ, Magnus nomine, vna cum insula Oselia possidet.

Margin notes: Bertoldus Episcopus occiditur. Ordo Teutonicorum in Liuonia. Volquinos primus Liuoniæ magister. Ordo Liuonicus a Gregor. nono Pontifice confirmatur, Crocigeri Liuonienses Prussiensium tributarii, & cum illis vniti. Liuonienses se redemerunt a Prussiensibus, Episcopi Liuoniæ. Episcopatus Liuoniæ direpti a multis Principibus.

Ordinis Teutonici magister, vna cum suis commendatoribus, plurima oppida, & arces munitas possidebat, & primo quidem ordinis magister, & archiepiscopus Rigensis simul, & coniunctim Rigam vrbem, metropolim regionis, occupabant, monetamque vterque propriam, qua adhuc incolæ regionis vtuntur, cudebat. Verum magister præter dominii, & possessionis consortium, arcem quoque ibi habebat. Hic iam ordine territoria, arces, & ciuitates, tam magistro ordinis, quam episcopis, & commendatoribus subiectas, describere pergam. Hæc vero sunt territoria, siue prouinciæ, in Liuoniensi dominio, quæ pro ducatibus valent: vtpote, Leitlandia, Curlandia, Semigallia, Estlandia, Virlandia, Haria, Gerwenlandiaque.

Margin note: Prouinciæ Liuoniæ.

LEITLANDIA SIVE RIGENSIS PROVINCIA.

LEITLANDIA regio Liuoniæ præcipuas has arces, & ciuitates Regi Poloniæ subiectas habet.

RIGA vrbs celeberrima, totius Liuoniæ metropolis, muro fortissimo, propugnaculisque, & turribus densis, tormentis bellicis apprime munitis, valloque inexcuso tribus ordinibus tormentorum, vndiquaque munita, fossis duabus ex vtraque vallis parte, circumducta, & stipitibus acutis circumsepta, rebus bellicis, tormentis,

Gothardus Ketler. tis, & commeatu copioſo, militibusque ſtipendiariis, pacis, & belli tempore bene proniſa. Arcem quoque bene munitam, & omnibus neceſſariis proviſam, ſibi adiunctam habet, in qua olim magiſtri ſedem ſuam habebant, eam nunc Gothardus Ketler Dux Curlandiæ, Regis Poloniæ feudalis, nomine regio adminiſtrat, in ciuitatem tamen ipſam, ius nullum habet. Adminiſtratorem enim, ſiue Capitaneum aliquem ciues ſibi dominari (libertatem aſſerentes) non patiuntur, ſed obedientiam, & tributa Regi Poloniæ, fideliter exhibent, ipſique ciuilibus legibus vrbem adminiſtrant. Hanc vrbem fluuius Dwina ampliſſimus, (ex Seueria regione Ruſſiæ, Moſchouitæ duci ſubiecta, ortus) vna cum arce alluit, & duobus a Riga milliaribus in mare ampliſſimis oſtiis exoneratur. Per hunc naues ex mari, de vltramarinis regionibus, vtpote Suecia, Dania, Holſatia, & ceteris remotis prouinciis, appellunt. Ex Ruſſia quoque, & Lithuania, cineres, aſſeres, ligna caeſa, & leuigata, omnis generis ad naues fabricandas, frumentum quoque grandi copia, & cetera importantur. Magnumque hac in vrbe, & celeberrimum eſt emporium: quamuis enim duobus milliaribus a mari diſtat, naues tamen omnigenæ, facillime de mari, ſub ipſa moenia vrbis veniunt, & redeunt.

Dwina fluuius. Emporium Rigenſe.

Hæ vero arces, ciuitates, & præfecturæ, capitaneatusque in hac Leitlandia, ſiue Rigen ſi Prouincia, continentur, videlicet:

DVNAMVNT, arx inexpugnabilis natura, opportunitateque loci, mari adiacet, in oſtiis Dwinæ fluuii, duobus a Riga milliaribus ſita, præſidiisque Polonicis munita, in ea omnes naues ex vltramarinis regionibus, ad Rigam venientes, merces indicare, teloniaque perſoluere coguntur.

BLOKAVS munitio, inter Rigam, & Dunamunt, ad Dwinam condita, in ea quoque omnes naues excutiuntur. Hæ autem duæ arces Rigenſibus maxime inuiſæ ſunt.

KIRCHOLM arx murata, ad Dwinam fluuium, duobus milliaribus a Riga ſita, in orientem procedendo.

Hae quoque arces Dwinae impendunt

VXVL arx deſolata, curia tamen in ea, vbi præfectus manet, extructa, a Kircholm duobus milliaribus abeſt. Crudelem illic quondam conflictum, & hominum ſtragem inſignem, cumulus oſſium ingens congeſtus teſtatur.

LENVARD arx ab Vxul quatuor milliaribus ad Dwinam ſita.

ASCHERAD olim Palatinatus: arx ad Dwinam munita, Moſchouitæque ab ea aliquoties repulſi ſunt, quatuor milliaribus a Lenuard abeſt.

NITAW, Seſuegen, Georgenburg, Leuuborg, Roſſiten, Lucen, Luden, Neuenhul, arces muratæ ſine ciuitatibus.

DVNEBVRG arx ad Dwinam munitiſſime ſita, commendator, ſiue palatinus, ei olim magiſtri nomine præſidebat.

SEGEVOLT arx, & ciuitas, olim ordinis Marſchalci primi, a magiſtro, propria erat, cum ceteris ad eam pertinentibus, videlicet, Leuburg, Nitaw, Georgenburg, et Choen caſtris.

ARIES arx, Wolmer ciuitas, et caſtrum. Hermes arx, quatuor milliaribus a Pernauuia, et Felin.

Has ſupradictas omnes arces, et ciuitates, cum ſuis palatinatibus, et præfecturis, inuictiſſimus Rex Poloniæ poſſidet, excepto Marienburga caſtro, quod Moſchouiæ princeps occupauit. Adzel autem, et Rodempeus a Moſchouitis exuſtæ, et deſolatæ ſunt.

ARCHIEPISCOPATVS RIGENSIS.

IN eodem territorio Rigenſi, Rex quoque Poloniæ omnes arces, et ciuitates, capitaneatus, et praefecturas archiepiſcopales poſſidet. KOKEN-

KOKENHAUS arx, & ciuitas, natura, & opportunitate loci munitissima, ad Dwinam fluuium sita, ceterarum archiepiscopi arcium, principalis.

VXVL, Lenward, supra nominatae arces, Kreuburg, Landon, Sesuegen, Schanzberg, Serben, Conemburg, arx cum ciuitate, Salis, Vansel, Dalen, Iencel, Treyden.

SMILTEN arx a Moschouitis desolata, Cremon castrum olim Capituli metropolitanae ecclesiae Rigensis.

SANCEL arx apprime munitissima, mari adhaerens, ad archidiaconatum Rigensem quondam pertinebat. Hae itaque omnes arces, & ciuitates enumeratae Regi Poloniae subsunt.

Arces nobilium in praedicto archiepiscopatu hae sunt, Nochrosen, Rosemberg, Mayn, Pierkiel, Roppe, Nabbe, Elner, & Bersen. Earum Domini Polono Regi obtemperant.

EPISCOPATVS DERPTENSIS.

DERPT, siue Terpatum, siue Derbet, insignis vrbs episcopalis, & arx in colle munitissima, vrbi impendens. Haec anno Domini MDLVIII. ab exercitu Moschorum Ducis, violenta oppugnatione, cum tota circumiacenti prouincia, capta est. Hae vero arces ad hunc episcopatum pertinebant: Falkenau castrum, & monasterium insigne, Neuhaus, XVIII milliaribus a Derpt sita, Ruthenis contermina, Werbek, Oldentorn, Kirinpe. Nobilium arces in hoc episcopatu quatuor praecipuae erant, videlicet, Olsen, Kanelicht, Raden, Regental, omnesque a Moschorum duce cum episcopatu subiugatae sunt.

EPISCOPATVS HABSELENSIS & OSELENSIS.

VESTLANDIAE pars ad Habselensem episcopatum cum suis arcibus, & ciuitatibus pertinebat, quae quatuordecim milliaribus in longitudinem, duodecimque in latitudinem patet, mari Germanico adhaeret, & has arces complectitur, quas Sueciae Rex vna cum regione possidet.

HABSEL arx principalis cum ciuitate, in qua est ecclesia cathedralis, eam Rex Sueciae vi ad deditionem coegit.

LODE arx munita, quam Dux Curlandiae GOTARDVS KETLER a Suecorum impetu nuper defenderat, & aliquot eis grandia tormenta ademerat, sed postea ab eisdem capta est.

LEHAL castrum, & ciuitas, in qua est insigne virginum monasterium, nunc praesidiis Suecorum tenetur.

FIEKEL & Felix arces a Moschouitis exustae, & desolatae sunt.

VERDER arx munitissima ad fluuium Zundam sita, ab ipsis Crucigeris Liuoniensibus destructa, & demolita est.

OSELIA Insula in mari Germanico aliquot a littore milliaribus sita est, ad Oselensem episcopatum pertinebat, arces, & ciuitates quas munitissimas habet, eas Cruciferi Regi Daniae prodiderunt, quas nunc Magnus, eiusdem regis Daniae frater, possidet, episcopatusque titulo vtitur. Harum arcium vna Arensburg, altera Sonenburg appellatur.

CVRLANDIA REGIO.

HAec regio in Liuonia sita a septentrione, maris Baltici sinu, ab occidente vero, vbi Prussiam contingit, pelago, qui Curlandicus appellatur, alluitur: a meridie

ridie Samogitiæ confinis est, Regique Poloniæ subest, sed eam Gotardus Ketler, Regis gratia, & benignitate tenet, tituloque eius vtitur. Has ciuitates, & arces complectitur, quæ sunt:

VINDA, arx cum ciuitate, & palatinatu, Polonis KIESS dicitur, in ea Magistri sedem suam habueruunt, & comitia, conuentionesque celebrare soliti erant, nunc Polonicis præsidiis tenetur, administrante illustri, & magnifico Domino IOANNE CHODKIEWICZ, Generali Samogitiæ, & supremo gubernatore Liuoniæ ac magno Marschalco magni Lituaniæ ducatus.

GOLDINGEN arx, & ciuitas cum tractu amplo.

GRUBIN, & Candaf arces cum præfecturis ditissimis.

TVCZKOM, Sabel, Durbin, Shruden, Frauemburg, Alswangen, arces. Neuburg castrum in finibus Samogitiæ.

Episcopatus Curlandiæ septem arces continet, quas Magnus, Regis Daniæ frater, possidet, episcopatusque titulum sibi vsurpat, hisque nominibus, hæ arces nominantur, Edwalen, Pilthen, Hasenpot, Angermunde, Dondangen, Neuhaus, & Ambothen.

SEMIGALLIA DVCATVS.

Hic ducatus Curlandiæ adhæret, a meridie Lituaniæ continuus est, hasque arces continet, Soleburg, arx & præfectura, Basemborg, Doblin, Mittau, arces cum tractibus, ciuitates nullas habent, totumque territorium, vna cum arcibus enumeratis, Curlandiæ Dux prædictus Regis Poloniæ gratia, & benignitate commissum tenet.

ESTLANDIA DVCATVS.

ESTLANDIÆ, siue Estoniæ ducatus mari Sueciæ a septentrione adiacet: hæ arces præcipuæ cum ciuitatibus, & præfecturis numerantur:

FELIN, arx et ciuitas munitissima, vna cum vltimo Magistro Liuoniæ, VILHELMO FURSTEMBERG, feudali Regis Poloniæ, a propriis militibus stipendiariis Germanis, Moschorum Duci dolose prodita est. Ciuitas ipsa exusta: arx vero præsidiis Moschouiticis munita, vnaque cum tractu, siue palatinatu, Moschorum Duci subest: Magister vero in ea captus, in Moschouiam abductus, in vinculis spiritum exhalauit. Atque hunc extremum exitum Magistri Liuonienses habuere.

Felin cum Magistro capta. Exitus Magistrorum Liuoniæ.

LAIS et Talkosen arces, a Moscho quoque occupatæ sunt.

TARNEST, siue Taurus, arx munitissima, præsidiisque Moschouiticis prouisa, a Lituaniæ Duce exercitus, illustri et magnifico Domino NICOLAO RADZIWIL, Palatino Vilnensi, pulueribus tormentariis suppositis eiecta, et cum Moschouitis, a vi et impetu pulueris volantibus, euersa est. Ego etiam huic oppugnationi cum patre meo interfui. Hac autem arce expugnata, et exusta, Lituani quibusdam Moschorum abductis, quibusdam occisis, velut Tartari, arce desolata relicta, et non occupata, nec munita (quæ facile instaurari potuit) cum spoliis, tormentisque, et cetera supellectili bellica ablata, discesserunt, anno Domini MDLXI. Iulii vltima.

Taurus capta.

OPERPAL arcem exercitus Regis Poloniæ exussit, & desolauit,

Has autem in hoc ducatu arces Rex Poloniæ possidet:

KARKIS, Helmet, Rugen, Pernauam arcem insignem, et munitam cum ciuitate mari adiacentem. Hæc a Sueciæ Rege primum occupata erat, sed postea a Polonis inopinate capta in ditionem regis Poloniæ cessit.

Pernauia recuperata.

VIR-

VIRLANDIA.

TERRITORIVM hoc Liuoniæ inter orientalem, et ſeptentrionalem plagam ſitum, a ſeptentrione Baltici maris ſinu terminatur, ab oriente Nerua fluuio celebri x lacu Peiibas emergenti, et in mare Balticum ingredienti, alluitur. A meridie ſtlandiæ, ab occaſu Hariæ contermina eſt, et octo milliaribus in longitudinem, a Nerua fluuio ad Reualiam vsque extenditur, hasque arces complectitur, quæ ſunt:

NERVA arx, et ciuitas inſignis, munitiſſimaque, ad fluuium eiusdem nominis ſi. Ex aduerſo in altera ripa arcem a Moſcho erectam Iuanogorod dictam hien- abet, atque fluuius praedictus Nerua, has arces interfluens, Moſchorum et Liuo- um imperium olim diſlimitabat.

TOLSBURG arx ad ſinum maris Baltici inter Neruam, et Reualiam ciuitates æquali iſtantia ſita.

WEISENBVRG arx, et capitaneatus.

BERCHOLM olim arx Epiſcopi Reualienſis erat. Aſs quoque et Eſt, duæ arces obilium Liuoniæ, vna Roberti a Gilſen, alia Bernardi de Taube.

Has omnes arces cum ſuo territorio Moſchorum princeps occupauit.

HARIA PROVINCIA.

HARIA iuxta mare Sueciæ ſita, in longitudinem ſedecim milliaribus, et octo in latitudinem extenditur, cum Virlandiæque territorio pro ducatu computatur. Hæ arces in ea ſitæ ſunt:

REVALIA, vrbs celebris cum arce munitiſſima ad ſinum maris Baltici condita ſt. Sede epiſcopali clara, ſub Rege Poloniæ, a Sueciæ Regis exercitu occupata. Monetam Reualienſes propriam quadriangularem cudunt. Reualienſis epiſcopus rces aliquot ſibi ſubiectas poſſidebat, in ciuitatem tamen nullum ius, imperium- ue habebat, ſed Magiſter ordinis eam adminiſtrabat.

BADIS caſtrum, et monaſterium inſigne, Sueci inopinata irruptione coeperunt.

FEGFEVR arx olim epiſcopi Reualienſis, a Moſchorum Duce expugnata nunc enetur.

GERVENLANDIA DVCATVS.

GERVENLANDIA regio mari adiacens, ſeptem milliaribns in longitudinem, ſex in latitudinem patet. Frumenti, et ceterarum rerum ex terra naſcentium fera- iſſima, vnam arcem, Vitenſtein dictam, principalem, cum pagis et curiis complu- ibus nobilium habebat. Eam ſub Rege Poloniæ, Suecorum Rex occupauit, Bia- y kamien, id eſt, albis lapis, Polonis dicta. In his territoriis, ſiue prouinciis Li- ioniæ prædictis, (quæ etiam pro ducatibus computari poſſunt) variæ ſunt mul- arum gentium linguæ: plebs ipſa Liuonica tribus fere linguis (non multum ta- nen a ſe differentibus) vtitur, ad Lituanicumque idioma, magna ex parte allu- lunt, barbarie, & moribus incultis rigent, Lituanis & Samogitis, ob vicinitatem n omnibus perſimiles ſunt. Veſtitu vili, eoque, vt plurimum, cinericio, ad Ger- nanicum habitum alludenti, vtuntur, ex tiliæ libro more Lituanorum, & Ruthe- iorum cothurnos, connectere ſolent, vel ex iumentorum pellibus, vna cum ſetis de- ractis. Femineus ſexus in pagis more gentis Cyganorum, (vel vt quidam vo- unt Cyreneorum) vagabundæ, veſtiuntur, veſtitumque quibusdam globulis plum- i, cupri, & electri exornant, induſia quoque, circa collum præcipue, annulis, in- ertexturisque variis ornant.

Liuonum agreſtium habitus, mores & idioma.

Mulierum Liuonicarum habitus.

Ee Cri-

Crinibus passis, mulieres vetulæ, & virgines omnes promiscue incedunt, capitisq; ornamenta quædam, mire ex globulis quibusdam confecta, ad similitudinem vnionum gemmarumue, varii coloris gestant. Omnes fere matronæ sagæ, & incantatrices peritissimæ sunt, artibus magicis supra modum deditæ. Pane vilissimo, teterrimoque, & cibariis simplicissimis vtuntur. Frumenta omnis generis trituranda, excutiandaque, perinde vt Lituani, primo in calidissima casa, ad id præparata, fumo exsiccant, & postea in horreo, coram extructo, excutiunt. In ollis figulinæ artis nusquam, nisi in lebetibus æris, cupreisue, in pagis, & ciuitatibus coquunt, neque tibi ollam argilleam aliquo, per totam Liuoniam videre licebit. Paleis quoque frumentorum, vulgus magna ex parte cum farina filiginis mixtis vtitur. Et quamuis miserrima gens fuerit, supra modum tamen callida, fallax, tumida, atrox, & ad cædes patrandas prompta. Polonos, Lituanos, Ruthenos, ceterosque extraneos Regi Poloniæ militantes (extra Germanos, quorum sub iugo olim fuerunt) maxime inuident, eosque deprædatores, & comestores bonorum, sundique sui calamitatem appellant, & vbi possunt quoscunque milites astu circumuentos, incautos opprimunt. Vni, vel duobus viris transitus difficilis est, præcipue si apud agrestes pernoctauerint: nam somno oppressos, magna ex parte trucidant, suffocantque. Diuersoria in hac regione rara, vel penitus nulla reperiuntur, sed ad curias, & prædia viatores diuertere, ibidemque pernoctare solent. Templa quoque rarissime, nisi in arcibus visuntur.

Victus Liuonum miserrimus.

Peruersitas Liuonum.

Ciues, & nobiles omnes Germani sunt, Germanisque moribus, & idiomate vtuntur. Femineus sexus pallia rubea, communiter capiti imposita, ad talos cum frequentissimis plicis, gerit. Vittas mulieres in capitibus non gerunt, sed contricatos crines (quos maxime nutriunt, vel ad id præparatos adaptant) tam matronæ, quam virgines capiti circumnectunt. Pileos siue biretos quadriangulares, more Cardinalium Romanorum, gestant: quædam vero palliis cum velamine, velut tecto, frontem, & caput tegente, vtuntur.

Ciues, & nobiles in Liuonia Germani.

Matronarum Rigenium habitus.

Sponsa cum ad matrimonium contrahendum deducitur, corona argentea deaurata rotunda, & in altum prominente ornatur, omnisque virginalis, & matronarum chorus, rubeis palliis vestitus, longo ordine præit, & sequitur. Cereuisia ex hordeo, & lupulo passim in pagis, & ciuitatibus gustu amarissima, maxime differenti a ceterarum regionum ceruisia, vtuntur: attamen gens illa, & omnes Germani, regionis incolæ, hunc potum suauiter præbibunt.

Siliginis, & frumenti Liuonia diues est, adeo vt exteræ quoque transmarinæ nationes, Lubeca, Amsterdam, Hollandia, Dania, Sueciaque eius vbertatem præsentiant, ad quas grandi copia frumenta e Liuonia deportantur. In Liuoniam quoque ipsam ex Russiæ, Lituaniæque regionibus, fluuio Dwina, & Nerua, siligo, & id genus rerum plurimum aduehitur. Pecoribus, & iumentis domesticis omnis generis abundat, lacubus, fluuiisque piscosis, & siluis ad venationem idoneis referta, in quibus habet, vrsos, alces, vulpes linces, martes, castores, et omnis generis animalia. Lepores in Liuonia mutant æstate, et hyeme colorem, perinde vt Heluetiis in alpibus, hyeme sunt albi, et æstate cinericei. Inferunt et Moschouitæ pelles vrsarum albas in Liuoniam, quas ex frigidissimis septentrionalibus regionibus, maxime ex Dwina prouincia, oceano glaciali, adhærenti, acquirunt. Religiosissima gens Liuonica post susceptam Christianam fidem, Romanæ ecclesiæ ritum ardenter obseruans erat:, Domini etiam ordinis Teutonici, et ipse Magister, priusquam ad Lutheranismum desciscerent, religiosa pietate diligenter ordinis regulas, in moribusque et habitu cultum decentem, obseruabant. Diuorum delubra, pietate, et pulchritudine decorabant, quæ hodie a Lituanis, pene demolita, et desolata videntur, ditionemque suam ab omni incursu barbarorum strenue, summa

Liuonia ferax

Religio Liuonum.

ſumma cum laude, vindicabant, omnia denique illis ex voto (benignitate diui-
na propter religionis antiquæ obſeruantiam proſperante) cedebant: & Moſchum
barbarum potentem hoſtem, a finibus ſuis ſæpiſſime ſumma cum victoria propul-
ſabant, prout ex his duobus præclaris, et victorioſiſſimis certaminibus (quos
mihi explanare lectori haud ingratum viſum eſt) apparebit.

Anno, quo lux diuina, humana in ſpecie coelitus mundo affulſit, MCCCLXXXI,
magnus Moſchouiæ Dux, Liuonienſium caſtrum Neuhuis, in prouincia Derpten-
ſi, acerrime oppugnabat, cui oppugnationi, ipſe ſua perſona, cum trecentis mil-
libus armatorum intererat. Demum poſt diutinam, & acrem obſidionem, cre-
braſque irruptiones, moenia, & propugnacula diruta, labefacere coeptabant: ob-
ſeſſi etiam defatigati, et viribus exhauſti ac deſtituti, diuinæ propugnationi, &
tutelæ, humiliter ſeſe ſubmittunt, ipſe etiam præfectus arcis, nocte Veneris di-
em antecedente, inſomnis ante aram quandam proſtratus, flagranti corde ora-
bat, vt DEUS in tam deplorato rerum ſtatu, ſibi, ſuiſque auxiliari dignaretur,
felicemque grauis obſidionis liberationem elargiretur. Sole igitur tenebras no-
ctis diſcutiente, cum Moſchouitæ certam iam arcis expugnationem, ſibi promitte-
rent, præfectus ille a precibus exſurgit, arcuque arrepto, telum cum cuſpi-
de præacuta, a feneſtra propugnaculi in medium exercitum Moſchouiticum iacu-
latur, et aſpirante conatibus Deo ipſius magni principis cor, lethaliter transfigit,
concurrunt trepidi Moſchouitæ, dominumque exanimatum leuant, & cum magno
vlulatu deplorantes funeſtiſſimum caſum Domini ſui, relictis, & arrepto cadauere
in Moſchouiam fuga ſibi conſulentes, pergunt, Liuones ex arce ſeſe proripien-
tes, hoſtes fugientes perſequuntur, per agroſque, ſiluas, &: pagos, palantes, aſſe-
cutos trucidant, obruunt, telisque transfigunt, & videntes mirabili, memorabili-
que modo numinis auſpicio, ſe liberatos, arcum ad perpetuam rei memoriam,
Deo dicatum, in Baſilica arcis ad altare appendunt, ſolebatque in eo templo cul-
tus diuinus, magna pietate, & deuotione peragi: Sed poſtea anno Domini MDLI.
Lutheranis dogmatibus aſſumptis, nullum priſtinæ pietatis veſtigium conſpicie-
batur: arcus tamen prædictus immotus ad altare pendebat, donec tandem anno
Domini MDLVIII. IOANNES BASILIADES, modernus Dux Moſchouiæ, eandem,
arce potitus, religionem Lutheranam quoque immutauit.

Moſchus Neuhuis in Liuonia oppugnat.

Inſignis victoria, Moſchorum Duce occiſo.

Aliud celebre, & perpetua memoria dignum, prælium Liuones contra Moſ-
chouiæ Ducem geſſerunt anno MD, ſub ordinis Teutonici Magiſtro, Domino
Woltero a Plettenberg, qui, cum Moſchis bellum indicere ſtatuiſſet, publica ieiunia,
& ſolennes Litanias, ſecundum morem eccleſiæ, inſtituit: nondum enim eos Lu-
therana doctrina catholiciſmo tranſuerſos egerat, menſeque Septembri paulo poſt
natiuitatem Mariæ virginis, exercitum ordinat. Rigenſis quoque archiepiſco-
pus mille Germanos equites adducit, Terpatenſis epiſcopus quingentos, Reuali-
enſis, & Habſelenſis itidem quingentos ſimul, ita vt Magiſter Liuonicus ſeptem
haberet Germanorum equitum millia, & quinque millia Curionum pedeſtrium,
qui populi ſunt Liuoniæ, in regione, quæ Curlandia dicitur. Hoc cum exer-
citu Magiſter, Ruſſiam finitimam Moſchouiæ Ducis inuadit, arceſque, & oppida
quædam expugnat, inde ipſo exaltationis ſanctæ crucis die, ad vrbem Pſcouiam
exercitum ducit, iuxta hanc ſita eſt planities, duorum milliarium latitudine pa-
tens, in quam deuenit, obuiam et procedit Moſchouiticus exercitus, centum
millia armatorum, in duodecim acies diſtributus, continens. His adiiun-
ctæ erant Tartarorum copiæ barbarie feroces, triginta millia conficientes. Ita-
que Teutonicus magiſter, vbi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo
aduerſus tantum exercitum, barbarie, & armis formidabilem procedendum vi-
det, nihil de victoriæ ſpe remittens, aleam belli tentare conſtituit, & animis ſuo-

Vuolter Plettenberg Magiſter Liuoniæ.

Liuones Moſchouiam inuadunt.

rum confirmatis, classicum canere iussit. Moschouitæ quoque ex aduerso signa tollere, patrioque more tubas inflare, & timpanulas, quas paruas singuli præfectorum habere solent, pulsare coeperunt. Magister Teutonicus, globos tormentarios, sclopetariosque, velut crebra, continuaque tonitrua, in Tartaros contorquet. Tandem maximo clamore, strepitu, armorumque corruscatione, vtrinque concurrunt, Tartari, & Moschouitæ arcubus, & sagittis assueti, densissimo, creberrimoque telorum ictu, æthera obumbrant, quæ tamen emissa aërem irrita verberabant. Tartari vbi prælio a Teutonicis fusi, fugatique fuere, duodecim Moschorum acies, centum millia conficientes, viribus, animisque recentes, succedunt. Teutones cæsis Tartaris, vbi bellum recrudescere sentiunt, quanto maiorem hostium vim prioribus succedere vident, tanto maioribus animis in hostes irruere, & velut ab integro noua virtute resumpta, ingenti cum fremitu cæsim, punctimque, vergente iam ad vesperam die, confligunt. Ex Moschouitis, qui superant, fuga sibi consulentes in Pscouiam se recipiunt: prælio itaque dirempto, compertum est ex Teutonicis, vnum dumtaxat desideratum, complutesque, sed non lethaliter vulneratos: Moschouitarum vero, & Tartarorum, circiter centena millia trucidata, ita vt duobus milliaribus, cadauera passim prostrata iacerent: triginta vero millia fuga elapsi sunt. Memorabilis sane triumphus, & sempiterna memoria dignum, singularis virtutis, & fortitudinis exemplum. Hac igitur clade suorum Moschorum Dux BASILIUS IOANNIS audiens, cum summo stupore admiratus, tantum exercitum, tam exiguo, turpiter cæsum, & prostratum, ad quinquaginta annos cum Teutonicis inducias, confestim firmauit, Ruthenique, & Moschouitæ ab eo tempore, Teutonicos ferreos viros appellabant.

Conflictus Moschorum cum Teutonicis acerrimus.

Moschouitarum centum millia, Teutonicorum dumtaxat vnus occubuit.

Memorabilis victoria.

Moschus petit foedus a Liuonibus.

Ex his igitur felicissimis, et victoriosissimis duobus, Liuonum cum Moschouitis præliis, (quantumuis multa varii euentus prælia, inter eos vtrinque eueniebant) apparet, quod Liuonienses, ordoque Teutonicus, priusquam a catholicismo desciscerent, manu diuina, contra quosuis incursus hostium propugnabantur, omnibusque rebus ex terra nascentibus, et ceteris fortunis, copiose affluebant. Vbi vero Lutherana dogmata amplecti anno Domini MDXXVII. coeperunt, pietatem, et religionem auitam cum omnibus virtutibus vna excusserunt. Postea variis et diuersis plagis, omnes passim grauissime afflicti sunt, adeo vt vniuersa elementa, in vindictam eorum conspirasse viderentur. Terra enim regionis, quæ omnium frugum, et fructuum, leguminumque feracissima erat, victum (nihil proferens) illis denegabat. Aqua etiam, lacusque olim piscosi nullos pisces dabant: aër quondam saluberrimus hominum saluti a Deo concessus, in venenum, et contagium conuersus erat. Igne etiam, et ferro Moschouitæ vniuersam Derptensem prouinciam crudeliter vastabant. Sed Teutonici fratres nobiles, et ciues, huius afflictionis culpam, et numinis offensam, Catholicis imputabant.

Liuones ferrei vocati a Moschis.

Mutatio religionis in Liuonia.

Plagæ diuinæ in Liuonia, fames, pestis, ignis, gladius.

Moschouitæ Liuoniam vastant.

DE INTESTINO, ET CIVILI LIVONIENSIVM bello, et causa expeditionis Regis Poloniæ contra Magistrum Liuoniensem.

Magister Liuoniæ cum omnibus Teutonici ordinis fratribus, et equestri ordine, post Lutheranismum susceptum, Archiepiscopo Rigensi collegæ suo, ob non susceptum dogma Lutheri aduersabatur. Hic autem Archiepiscopus ex illustri prosapia, Marchionum Brandenburgensium genus ducebat, frater ALBERTI Marchionis Brandenburgensis, olim Magistri Teutonici ordinis, et postea Ducis in Prussia, nepo sque Regis Poloniæ.

Magister itaque comitiis generalibus celebratis, conclusit, et constituit Archiepiscopum bello appetendum esse, in quod totus ordo, et nobiles cum omnium suffra-

ıffragiis consenserunt. Episcopus Terpatensis Hermannus, vt erat inconstantis nimi, facile ad oppugnandum archiepiscopum indutus est. Reualiensis etiam, & Habselensis episcopi, magistrum metuentes, facile in castra eius concesserunt, ita vniuersa Liuonia in Rigensem archiepiscopum, hostiliter conspirauit. Anno taque MDLVII. paulo post natalem diui Ioannis Baptistæ, ordinis Teutonici magiter, VILHELMUS FURSTEMBERG, exercitum cum commendatoribus conscribit, es quoque episcopi prædicti, copias suas eidem coniungunt. Sicque instructismo exercitu, & magno cum apparatu, Rigensem prouinciam hostiliter inuadunt. rchiepiscopus Rigensis tametsi defensionem meditaretur, & magnam nobilium parem sibi adiunctam haberet, infirmior tamen erat, & viribus impar, vt tanti exercitus ım sustinere, & propulsare neutiquam posset. In arcem itaque Kokenhusen natra loci munitissimam, in edita rupe constructam, cum suis profugit. Magister ero eum cum vniuerso exercitu ibidem, graui obsidione oppugnabat, tormentis, nachinisque bellicis muros fatigans. Sed neque tormentorum crebra tonitrua, ieque validi hostium impetus muros labefacere poterant, sola fames, & inedia bsessos ad deditionem compulit: octauo itaque obsidionis die, portis adapertis, arhiepiscopo iubente, hostibus sese dederunt. Ordinis Teutonici magister archiepiscopum, non vt vnius prouinciæ, & vrbis Rigensis consortem, non vt claræ rosapiæ Brandeburgensium Marchionum principem, non vt præsulem, & primaem, sed veluti barbarum hostem tractat, contumeliis, & probris ludificatur, omnipusque oppidis, arcibus, & pagis mulctatum, carceri mancipauit, totoque anno inctum detinuit.

Conspiratio aduersus Archiepiscopum.

Archiepiscopus cedit Kokenhausen cum Archiepiscopo capitur.

Rex Poloniæ SIGISMUNDUS AUGUSTUS, vbi id ab ordinis Marschalco (quem nagister bonis omnibus spoliatum, eo quod bellum contra archiepiscopum suscipiendum dissuadebat, expulerat) resciisset, tanti principis nepotis sui, seruilem captiuitatem ægre tulit, reique indignitate commotus, episcopum quendam in Lioniam ad magistrum ordinis, hac in causa destinauit. Qui, cum multis rationipus, de liberando archiepiscopo nomine Regis, coram magistro ageret, magister neque excarcerandi archiepiscopi, nec componendorum dissidiorum spem præbuit. Itaque legatus re infecta ad Regem reuertitur. Rex Poloniæ, vt operam ıam irritam cognouit, ordinis magistro, omnibusque eius auxiliariis, bellum lenunciat, quo nuncio accepto, confestim magister ingentem thesaurum, in Gernaniam ad exercitum ibidem conscribendum mittit, adductaque sunt aliquot nillia equitum, & sex vexilla peditum Germanorum in Liuoniam. Rex Poloniæ aud diu moram trahens, infestis signis in Liuoniam contendit, equitum simul, & peditum armatorum, virorumque electissimorum centena millia, cum tormenis, amplissimaque bellica supellectili procedunt, ordinis magister vniuersos, quos abebat præfectos, & commendatores Regi opponit. Episcopi quoque tres, Derptensis, Reualiensis, & Habselensis, copias suas eidem coniungunt. Itaque ordinis magister tunc temporis habebat Germanorum equitum septem millia, & ex peditum vexilla bene armata. Præterea etiam agrestium aliquot millia Liuonum. Sed magister, Polonorum validissima, lectissimaque manu conspecta, victoriæ spem prorsus abiecit, legatumque ad Regem, qui præsens in armis erat, ocius destinauit, prælium deprecando, & pacem humillime efflagitando. Rex lementer, et benigne respondit, nisi viduas, pupillos, orphanos, et inopes, inocentesque colonos misereretur, nullo pacto pacem se cum magistro initurum, sed t magister ordinis agnoscat (inquit) me sanguinis, aut belli sitientem non esse, ose si pacem expetit, huc ad nos intra octodecim horarum spatium accedat, prinipemque, et archiepiscopum Rigensem vna adducat: dein pacis, et concordiæ ationem inibimus. Teutonicus magister hoc responso, confestim archiepisco-

Legatus Regis Poloniæ in Liuoniam.

Causa belli Liuonici.

Rex Poloniæ armata manu in Liuoniam contendit.

Magister Liuoniæ pacem efflagitat.

 pum,

pum, qui non longe aberat, custodia liberari, et e vinculis educi iubet, ambo itaque trecentis equitibus inermibus, stipati, ad Regem veniunt. Ibi cum vltro, citroque de pace ageretur, tandem concluditur, vt magister ordinis archiepiscopum in pristinum statum restitueret, omneque damnum, et detrimentum eidem illatum resarciret. Præter ea Regi Poloniæ stipendia in milites erogata persolueret. Graues hæ erant ordini Teutonico pacis conditiones: attamen magister metu grauioris periculi vrgente, consensit et secundum pacta omnia præstitit. Postea archiepiscopo prædicto, e viuis decedente, Rex omnes arces, ciuitatesque, pagos, et curias, ad archiepiscopatum pertinentes, iure propinquitatis in Liuonia occupauit. Magistro quoque prædicto, a Moschouitis in arce Felin per proditionem militum suorum capto, et in Moschouia in vinculis mortuo, tota Liuonia cum suis prouinciis in ius Regis Poloniæ cessit. Atque hic vltimus magister ordinis, Wilhelmus Furstemberg, magisterium, Teutonicorumque fratrum Crucigerorum in Liuonia, ordinem terminauit, absoluit, finemque extremum imposuit. (112)

Pax cum conditionibus magistro Liuoniæ conceditur.

Magister Liuoniæ capitur.

Finis ordinis Liuoniæ.

TABVLA ET SVMMA ARCIVM, CASTRORUMQUE LIVONIÆ, CVIVS DOMINIO SINGULÆ SUBSINT, EXCEPTIS CURIIS, PRÆDIIS, PRÆFECTURIS.

Regis Poloniæ arces in Liuonia, et ciuitates.				
	1 Dunamunt	14 Kircholm	26 Lewborg	38 Cremon
	2 Blokhaus	15 Vxul	27 Soffiten	39 Sancel
	3 Riga	16 Lenuard	28 Ludsen	40 Dalen
	4 Karxhaus	17 Ascherad	29 Luden	41 Wansel
	5 Helmet	18 Kokenhaus	30 Landon	42 Salis
	6 Rugen	19 Zelborg	31 Schanzborg	43 Nochrosen
	7 Pernaua	20 Kreczborg	32 Filac vel Maienhausen	44 Roffenbek
	8 Ermes	21 Dunenborg	33 Serben	45 Maian
	9 Burtnich	22 Rodenpeus	34 Konnenburg	46 Pierkiel
	10 Wolmer	23 Nitaw	35 Smilten	47 Roppe
	11 Aries	24 Sesuegen	36 Lemzel	48 Nabbe
	12 Segenuol	25 Georgenborg	37 Treiden	49 Erle
	13 Neuenhul			50 Bersen

Ducis Curlandiæ feudalis et vasalli Regis Poloniæ arces.				
	1 Seleborg	5 Neuburg	9 Durbin	13 Goldingen
	2 Baffenburg	6 Frauenburg	10 Hrubrin	14 Sabel
	3 Doblin	7 Schroden	11 Alsangen	15 Candaw
	4 Mittaw	8 Hasenpot	12 Vuinda	16 Tuczkum

Ducis Moschouiæ castra.				
	1 Derpt	8 Holsen	14 Tarnest	20 Tolsburg
	2 Falkenaw	9 Kanelicht	15 Talckofen	21 Vuessenburg
	3 Werpech	10 Raden	16 Fegfeur	22 Bercholm
	4 Kirempe	11 Lais	17 Nerua	23 Ass
	5 Ollentorn	12 Operpal	18 Iwanogorod	24 Est
	6 Neuhaus	13 Felin	19 Neuburg	25 Cunktal
	7 Odenpel			

Regis Sueciæ arces			Magni fratris Regis Dan: arces		
	1 Reuel	5 Leal		1 Arnsburg	6 Hasempot
	2 Vuitenstein	6 Ficzkel		2 Sonenburg	7 Angermunde
	3 Badis	7 Verder		3 Lode	8 Dendangen
	4 Hapsel	8 Foelix		4 Pilten	9 Neuhaus
				5 Edualen	10 Samboten.

POLO-

(112) Prussiam, Liuoniam & Curlandiam quod attinet, quanta, nostris temporibus earum facies mutata! Longum esset, omnia, vt nunc se habent, enumerare. Sufficit antiquam harum regionum historiam, & quomodo illis temporibus se res habuerunt, ex *Striykovio* aliquo modo cognoscere.

V.

POLONIA, SIVE DE SITV, POPVLIS, MORIBVS, MAGISTRATIBVS, ET REPUBLICA REGNI POLONICI

LIBRI II.

AUCTORE MARTINO CROMERO, COADIUTORE, AC DESIGNATO EPISCOPO VARMIENSI. (113.)

ANte complures annos, post editum ante opus id, quod de origine & rebus gestis Polonorum conscripsi, cum essem in aula & ministerio D. Sigismundi Augusti Regis, operæ precium me facturum esse existimaui, si de situ quoque & natura terræ Poloniæ, & de mo-

(113) MARTINUS CROMERUS, ex parentibus quidem ignobilibus, honestis tamen, maxime ad dignitatem & gloriam Poloniæ, in oppido BIECZ, in submontana minoris Poloniæ regione, anno circiter 1512. natus. Hoc & STAROVOLSCIUS in elogiis C. Poloniæ scriptorum his verbis innuit: *Tantam ciuibus suis splendore proprio claritatem attulit, quantam ante se Biecensibus, & post, vsque in hodiernum nemo. Qui eo magis suspiciendus est, quod nullo maiorum splendore commendatus, suis dumtaxat meritis, ad supremum in Polonia senatoriæ dignitatis culmen peruenerit, quo, nemini de legibus nostris aditus patet, nisi equestri ordine natis, oppidanis vero, & mercatoribus ditissimis quamuis, omnino est occlusus, quod hi tales pro plebe reputentur omnes. Vnde si qui, quam eorum ita inclaruerit virtute, vt ipsam propter ipsam, non commodum aliquod, aut spem amet, dignusque ex eo, altiore loco in republica videatur, primum balteo equestri donatum inscribunt albo nobilitatis, tandem ad munia reipublicæ & honores sensim admittunt.* Dicit quidem ipse Cromerus infra in hoc libro, se a patre nobili, ex domo PIERZCHALA & OSMOROG, & matre ex familia IASTRZEMBIECIORUM natum esse, sed hoc a veritate aberrare, historia testatur. Tota enim Prussia, viuo Cromero, nobilitatem innatam ei negauit, quam documentis, si fuissent, refutare potuisset. Deinde in hoc libro dixit: Sigismundum Augustum regem se suosque fratres stemmate donasse, quo haud opus nobili nato fuisset. Idem dicunt STANISLAI STOSLAVII versus, in elogiis Staruolscii adiecti.

Natus in obscura Biecensi plebe Cromerus,
Cur proprium vincat quæris honore genus &c.

Ipse demum Cromerus in epistola noncupatoria ad STEPHANUM BATOREUM regem, his verbis affirmare videtur: *cum me vniuerso respublica, te fautore & auctore, legibus & moribus, quæ ad summas honores capessendos & senatoriam dignitatem obstare videbantur, saluit.* Nescio igitur, cur magnus Cromerus nobilitatem maiorum suorum simularit, cum longe maior pro eo sit gloria, quod propria virtute primus familiæ suæ nobilis fuerit, quam si ex antiquissima oriundus fuisset prosapia. Iactis primum litterarum in schola priuata fundamentis, in academia Cracouiensi altioribus disciplinis operam dedit, in disciplinam a parentibus, IO. de CASIMIRIA, viro studio eloquentiæ sapientiæque noto traditus, & in illius sinu indulgentiaque educatus, qui secundo, postquam auditor eius esse, coepit, anno, prima philosophiæ laurea a. 1530. donatus, auctore Starovolscio in dictis elogiis. In Italia etiam Bononiæ litteras excoluit, redux autem in Poloniam PETRO GAMRATO, tunc episcopo Cracouiensi, ab epistolis fuit. Mortuo Gamrato, regius Secretarius & canonicus Cracouiensis factus. Ob magnas ingenii dotes, Augusto atque Henrico, Pol. regibus, gratus, & ad varia reipublicæ negotia admotus. Gedani enim & Elbingæ anno 1549. regis Augusti nomine, cum ciuea sacramenta dicerent, præsens fuit, cuius negotia, in aulam Ferdinandi ablegatus, per septem annos curauit. Cumque de pace Rostochii a. 1565, & Stetini a. 1570, tractaretur, Cromero Rex etiam vsus fuit. Stanislaus Hosius, S. R. E. Cardinalis & episcopus Varmiensis, intimus fuit Cromeri amicus, & dignitatis fortunarumque amplificator, simul & præceptor, vt Cromerus in epistola nuncupatoria ad regem Sigismundum Augustum dicit, qui primum eum cantorem Varmiensem, deinde coadiutorem, cum Romam proficisci meditaretur, creauit. Collegium quidem canonicorum templi cathedralis, nec non consiliarii statuum Prussiæ acriter contradixerunt, sed, Cardinali Hosio, a. 1579. die 5. Aug. mortuo, Cromerus a rege Poloniæ episcopus Varmiensis nominatus, & a summo Pontifice confirmatus, Varsaviæ vero anno eodem die 6. Dec. durantibus comitiis, ab episcopo Cuiauiensi consecratus fuit. Inter scriptores historiarum Poloniæ, Cromerus est facile princeps, qui, cum post Dlugossum historia & rerum Polonarum memoria iacuisset, egregie eam de nuuo illustrauit, vt sunt Starovolscii in elogiis verba. Litteris apprime deditus fuit, cumque diem sacris aut ciuilibus occupationibus daret, noctem iis seposuit. Tandem omnis generis honoribus florens ex viuis excessit a. 1589. d. 23. Martii. Scripta eius præcipua, quæque & apud exteros ei gloriam compararunt, sunt:

I. De origine & rebus gestis Polonorum libri XXX. Coloniæ Agrippinæ, in officina Birckmannica a. 1589. fol. Alphab. 5. II. De situ Poloniæ & gente Polona Libri II. ibid. Præter hæc varis minora & adolescens & vir edidit scripta, quæ sequentia sunt. III, Oratio in funere optimi principis Sigismundi I. Crac. 1548. apud viduam Vietoris 8. plag. 7. IV. Phocylida philosophi poema, Græce cum interpretatione Latina Martini Cromeri, cuius aliquot epigrammata ad finem adiuncta. Cracouiæ apud Vietorem, A. 1537. in 4 plag. 3. V. D. Ioan. Chrysostomi orationes octo, ex antiquo exemplari Græco in Latinum versæ, & aliis eius homeliis & operibus non adiunctæ, Martino Cromero, canonico Cracouiensi, interprete. Moguntiæ apud S. Victorem a. 1550. 8. plag. 10. VI. Epistola ad regem, proceres, equitesque Polonos, in comitiis Varsouiensibus congregatos. Præter hæc a Starovolscio in elogiis sequentia, sed more suo, sine die & consule, memorantur. VII. De Christi resurgentis triumpho poema. VIII. De aduersa Vilnæ valetudine regis Sigismundi, poema. IX. Dubitationes de vera via salutis. X. De poenis sacrilegorum. XI. De celibatu Sacerdotum. XII. De dogmatibus Ecclesiæ catholicæ, quem librum *Monachum* appellauit. XIII. De vera et falsa religione. XIV. De Sacramentis cathechises. XV. De concentibus musicis. XVI. Sermones synodales. XVII. Vita Stanislai Orechovii. XVIII. *Theognis* e Græco Latinus. De his duobus vltimis libris valde dubitatur, an vnquam exstiterint. XIX. Epistolæ Cromeri familiares, editore archiepiscopo Karnkovio.

ribus, magistratibus, atque omni Republ. gentis aliquid conscriberem, quod quasi clauis foret ad annales illos nostrates facilius intelligendos. Et orsus quidem sum opus, multis nominibus perdifficile: Sed abstractus ob eo eiusdem regis iussis ad obeundas subinde peregre legationes: & in aula optimi Imperatoris Ferdinandi in septimum annum commoratus, intermisi, ad finem quidem d. ductum, sed rude & impolitum, nec satis fortassis exquisite conscriptum: Cum amicis tamen aliquot, quale tunc erat, communicaui. Quamuis autem postea plus a publicis functionibus otii nactus essem, non resumpsi tamen id in manus, siue tædio ac desidia quadam senili, siue aliis curis ac muneribus ecclesiasticis impeditus: cogitabamque id quasi abortiuum foetum intra domesticos parietes sepelire. Sed aliter Stanisloo Carncouio Episcopo Viadislauiensi, viro non solum iuris prudentio, verum etiam elegantiore litteratura, theologia, pietate, & omni virtute ornotissimo meique amantissimo visum est. Nam ante annum tertium cum Henricus Valesius (quem non sine præfatione honoris nomino) Francisci Francorum regis filius, tunc Andegauiensium dux, nunc autem post obitum Caroli fratris Rex Francorum, magno ordinum Regni Polonici & annexarum ei prouinciarum consensu, liberisque suffragiis rex creatus esset, & ad suscipiendum id regnum aduenire, suasit & persuasit mihi CARNCOVIUS *(cuius ego iudicio plurimum tribuo) vt opus id ipsi offerrem. Fore enim ei gratissimum, & venienti ad oras & gentes sibi incognitas, apud eos populos, quibus præfuturus esset, in eorumque republica peregrinaretur. Obsecundaui: resuscitaui opus abortiuum: resumpsi in manus. Recognoui, quoad breuitas temporis, quo rex aduentabat, & negotia muneris mei ecclesiastici patiebantur. Et eum enim ipse Regi obuiam prodire commode non possem, obtulit ei munusculum meum ipse Carncouius, qui tunc eum in finibus regni nomine vniuersæ Poloniæ publice salutabat, & faustum aduentum ipsi gratulabatur. Ex illo autem exemplari castigatissimo descriptum est postea, nescio a quo (nec scio an a pluribus deinceps) opusculum. Quod nactus Vechelus, typographus Francofurtensis, vt erot descriptum, ita excudit: nempe mendosissime, non solum propriis & vernaculis hominum, locorum, & magistratuum nominibus, ab imperito quopiam Polonicæ linguæ, sed etiam Latinis verbis ab illiterato prorsus scriptore deprauatis atque corruptis, ita vt a nemine intelligi, a me vero vix agnosci posset. Præfatio tamen loquebatur quasi per coniecturam, a me id conscriptum esse. Cuius ita excusi exemplum cum mihi fuisset exhibitum, puduit me mognopere, non tam meo, quam patriæ meæ nomine, cui tam mala opera nauata esset: & quo opere illustrari ea deberet, non sine infamia quasi traduceretur. Misertum est etiam eorum, qui id lecturi essent non sine iactura temporis & molestia, & pro thesauro, vt est in prouerbio, corbones reperturi. Et cupiebant id Vechelus, & aliquot alii typographi castigatius recudere. Proinde non existimaui mihi committendum esse, quin existimationi cum meæ, tum patriæ meæ consulerem, ac tibi, optime lector, iuxta, gratificarer. Edidi itaque de nouo exemplar, ita, vt tunc Regi oblatum est, castigatum. Admonendus autem mihi es, candide lector: ne requiras in tali opere puritatem & elegantiam sermonis Latini: Neque enim in eo ab vsitatis vulgo verbis, & nominibus vernaculis temere discedendum fuit, si non quasi per somnium, sed hypar, vt græco verbo vtar, id intelligendum, d que eo conferendum est. Nonnulla quidem alia, sat scio, requires, nimirum de principe prouincia Lithuania & Lituanis: de Prussis etiam & Prussia, ducali præsertim: itemque de Liuonia, Volynia, Polessia, & magna parte Podoliæ, cuius metropolis est Kiouia: quae prouinciae cum quodam tempore (Liuonia excepta) a Polonia fere abalienatae fuissent, quemadmodum suo loco a nobis memoratum est, nuper adeo post conscriptum hoc opus in ditionem Polonorum reuenere. Requires & ea fortassis, quae proximis aliquot superioribus annis publice in comitiis Polonicis acta & constituta sunt. Sed ea partim non huius fuat operis: partim huius quidem modo sunt, tunc autem non fuerunt, cum id a nobis elaboraretur, vel certis de causis a me omissa, & aliis scriptoribus, qui exactius ea nossent, & conscribere possent, relicta sunt. Supplere autem nunc ea, quae non iniuste desiderari possunt, aetas, & munus mihi impositum prohibent. Non deerunt, spero, qui florentes annis et ingeniis, emunctioribus iudiciis, et stylo elegantiori proediti, maiore cura ac diligentia non solum illa residua perquirent, persequentur, et attexent, verum etiam haec nostra ornabunt. Tu lector amice, quae dantur, et qualia dantur, boni consules. Vale. Ex arce nostra Heilsbergensi, prid. Non. Ianuarii. MDLXXVI.*

POLO-

MARTINI CROMERI POLONIAE

LIBER PRIOR.

DE SITV POLONIÆ, ET GENTE POLONA.

IN iis libris, quos triginta de origine & rebus gestis Polonorum conscripsimus, ostendimus, Polonos gentem esse Slauicam, & Sarmaticam: Quæ quodam tempore e Sarmatia progressa, transmisso Vistula flumine, in iis Germaniæ locis, quæ prius Venedi & Vandali tenuerant, consederit, finesque domicilii & imperii sui versus occasum & septentrionem longe, lateque protulerit, ita vt a Sarmaticis montibus in septentrionem quidem secundum vtramque fere eius fluminis ripam, in occasum vero secundum dorsum Herciniæ siluæ, quo Bohemia clauditur, atque inde porro secundum Albim fluuium, ad eius ipsius, atque adeo vsque ad Visurgis seu Veseræ ostia, & sinum Venedicum siue Baltheum, quicquid terrarum est, eius gentis ditione teneretur. Ac vniuerse quidem eos populos Slauos, seu Slauinos sese dixisse: Afinitimis vero cum Venedos seu Vinidas, tum Vandalos etiam, eorum, qui prius ea loca incoluerant, populorum nominibus appellatos esse: peculiariter vero, eos, qui versus occasum Germanis erant viciniores, partim Sorabos, partim Obotritos, Lutitios, siue Lutzitios, Vinulos, Ranos, Vilzos, Rugios, Vetalabos, Retareos, Licicauicos, Heueldos, Vuloinos etiam: quod nomen cum Polonorum nomine cognationem habet, dictos esse. Quos omnes Slauicæ nationis atque linguæ fuisse, & partim domesticis satraparum ac ducum defectionibus & pactionibus, partim armis in finitimorum Saxonum, & Germanorum ditionem, nomenque postea transisse, memoriæ proditum est. Polonorum autem nomen vernaculum, an commune fuerit horum omnium, an peculiare vnius cuiusdam populi: & vetustumne, an recentius, non liquet. Ante septingentos quidem annos, nusquam in annalibus vllis externis id inuenio. Nec vnum eius etymon memoratur, quemadmodum alibi ostendimus. Nonnulli enim a Lecho, seu Lacho duce, Polachos, quasi posteritatem Lachi, dictos esse: Alii vero a campestri planitie, quam incolunt, vel a venationibus, quibus impensius delectantur, Polacos & Polanos, mutataque vna litrera Polonos, & ab iis regionem Poloniam appellari volunt. Eius autem non iidem semper fines fuere Nam Russiæ permagnam partem cum Podolia subactam, & Prussiæ nonnullam, & Polessensem tractum barbaris Iazigibus siue Iazuingis ademptum quodam tempore, Poloni suo adiecerunt imperio. Præter illa autem dudum memoratorum a me populorum occidentalium detrimenta, posteriori tempore Silesia fere omnis Polonis

Polonorum origo.

Poloniæ prisci fines.

Populorum nomina.

Polonorum nomen.

Poloniæ fines accisi & prolati.

sese subduxit, & Pomeraniæ, Cassubiæque reliquæ magna pars detracta est. Decesserat & Russia Podoliæque pars magna, & Volynia, & Polessensis tractus. Culmensis quoque ac Dobrinum, & Masouia fere. Sed hæ prouinciæ his duobus, non amplius, seculis recuperatæ sunt: Recuperata est etiam nonnulla pars Silesiæ & Cassubiæ, Pomeraniæque, ea, quæ nunc Prussiam continet. Rursus tamen Lithuani, securis foedere & societate ipsorum Polonis, Polessensem tractum fere omnem, & Volyniam, & magnam partem finitimæ ei Russiæ & Podoliæ, auorum nostrorum memoria, regibus vel fauentibus, vel conniuentibus, ad se reuocarunt, quemadmodum suo loco exposuimus. Sed ii populi nuper adeo extremo regni SIGISMVNDI AVGVSTI tempore, cum hoc opus nos ad finem perduxissemus, relictis Lithuanis, vltro in ius & ditionem Polonorum æquo foedere prorsus venerunt. Quin & Lithuani ipsi, exemplum secuti, sese cum Polonis, renouato et ampliato antiquo foedere, coniunxere. Instituta tamen sua, & magistratus, et iurisdictionem peculiarem retinuere. Ceterum nos quemadmodum illa superius recensita Poloniæ detrimenta in hac descriptione præteriuimus, ita modo commemoratas accessiones cuiuspiam alius operi reseruamus, aliis iam distenti studiis, et occupationibus. Nec Liuoniam attingimus, cuius a vicinis principibus misere discerptæ maxima pars ante pauculos annos in ditionem eiusdem regis venit. Ne Prussiam quidem ducalem exactius describemus. Licet enim ea iustis armis repressa ac domita, ex foedere maiestatem regis Poloni a centum amplius annis comiter agnoscat, neque linguam tamen, neque instituta et leges Polonorum accepit. Sed deletis pene priscis Prussis, a Germanici sanguinis hominibus habitatur et regitur, ea parte excepta, quæ finitima est Masouiæ, quæ a Polonis colitur antiquitus, et Polonici fere iuris olim fuit. Nec citerioris autem Pomeraniæ partem eam, in qua est oppidum Lemburgum, et arx Bythouia, complectemur, propterea, quod ea beneficio regum superiorum in ius ducum vlterioris Pomeraniæ transiit. Quo nomine sunt tamen et ipsi beneficiarii regis Poloni, iurantque ritu solenni in verba eius, quemadmodum et dux in Prussia, et ante eum, nostra memoria creatum, Magistri cum primoribus ordinis Crucigerorum, seu Teutonicorum S. Mariæ militum, cum eius prouinciæ dominarentur, iurabant. Valachiam quoque prætermittemus: quæ fuit et ipsa intra hos ducentos annos in clientela regum Polonorum, sed suis legibus, sua lingua, suisque ducibus vtens, qui VOIEVODAE seu palatini dicuntur. Qui duo primum fuere, Transalpinensis et Moldauicus, quorum hic a nostratibus peculiariter Valachiæ Palatinus dicitur: ille vero Multanicus. Verum extitit postea tertius Bessarabicus ad Pontum Euxinum, diuiso inter fratres principatu Moldauico. Ac Bessarabia quidem iam pridem subacta est a Turcis: Reliquarum autem duarum palatini & ipsi iam dedititii sunt eiusdem gentis, patrum, auorum, et proauorum nostrorum memoria in verba regum Polonorum, nonnumquam Vngaricorum quoque, et ipsi iurare soliti. Nunc igitur Polonia, quæ quidem vno regno et iure continetur, quatenus a nobis describitur, secundum longitudinem terræ habitabilis, e sententia geographorum, et in primis secundum delineationem amici mei, VENCESLAI GRODECII, a tricesimo octauo gradu ad quinquagesimum secundum, vel tertium (incerti sunt enim in illa solitudine Scythica fines eius) ab occasu æstiuo versus ortum hibernum obliqua protenditur, amplius quam per ducenta milliaria Polonica: quorum vnumquodque quatuor Italica in se continet. Tametsi Russica et Podolica sunt aliquanto longiora. Quin certis litterarum monumentis doceri potest, Ociacouiam arcem ad ostium Boristhenis LIV. gradu longitudinis sitam, aliquando in ditione Polonorum regum fuisse. Latitudo autem Poloniæ, qua maxime orientalis, et qua occidentalis est, centum & triginta plus minus milliariorum est. Et occidentalis quidem habet imam poli eleuationem quinquaginta duorum, summam LIV. graduum. et XL fere minu-

Marginalia: Lithuani se cum Polonis coniunxere. — Quatenus describitur hic Polonia. — Prussia ducalis Hist. lib. 27. — Lemburgum & Bythouia. — Pomeraniæ duces Vasalli regis Poloniæ. — Pruss. dux & magistri Vasalli Polonorum. — Valachia & partes eius. Hist. lib. 15. — Bessarabia. Hist. lib. 3. — Valachia in clientela Polonorum. — Poloniæ situs geographicus — Longitudo. — Milliaria Polonica & Russica. — Latitudo Poloniæ.

minutorum: orientalis vero summam quidem LI. ferme, imam autem XLIX. graduum. Pocucensis tamen Russiæ tractus a quadragesimo octauo incipit. Ceterum in medio, qua latissime centum amplius milliariis patet Polonia, et cum in meridiem paululum recuruatur, tum in septentrionem magis ad mare Baltheum seu Venedicum, et secundum extremam oram Masouiæ dorso prominet, imam quidem poli eleuationem habet in ora Scepusii quadraginta nouem gradus, summam vero in litore maris, et in Puscensi ora quinque ferme, et quinquaginta: vt figura eius intensi arcus speciem præ se ferat: cuius neruus paululum reductus, ad meridiem et occasum hibernum quadantenus spectet, exterior vero curuatura in septentrionem, et ortum æstiuum obuersa sit. Quod si quis nouas accessiones Polesiæ, & ei confinis Russiæ, Volyniæ, Podoliæ, et Liuoniæ, Prussiamque ducalem, et Lithuaniam cum sua Samogitia, et Russia alba Moschis finitima (quæ omnia iam vno regno continentur) annumeret, multo longius et latius versus orientem solem, & septentrionem ea patebit. Ad Nieprum enim sitæ sunt arces & oppida, Kiouia, Caniouia, et Circasi, vltra LIV. gradum longitudinis. Prusiæ vero ducalis et Samogitiæ latus septentrionale quinquagesimum sextum, finitimæ autem Rusiæ albæ LVII. gradum latitudinis attingit. Porto continens his Liuonia, quatenus cum duce nouo Curoniensi, siue Curlandico (qui partem eius nonnullam obtinet) regis Poloni Maiestatem agnoscit, LXI. gradum excedit. Atque ita longitudo regni Polonici a finibus Marchiæ Brandenburgensis ad Nieprum ducta recta linea non minus CCXL. milliaria complectitur, si XV. milliaria vni gradui respondent: Latitudo vero ab ora Pocucensi ad Pernauiam Liuoniæ ducenta plus minus. Cingitur autem Polonia, sicut eam nunc circumscribimus, ab occidente sole incipientibus, Marchia Brandenburgensi, et Pomerania vlteriore: A septentrione mari Venedico et Sarmatico: Cuius aduersa littora tenent Suecones siue Sueci. Inde Prussia ducali, eique continente Lithuania in ortum æstiuum fere vergente. Hinc porro campestribus Scytharum siue Tartarorum solitudinibus prorsus orientalibus, et flexa in Euronothum Bialogrodensi Turcarum ora. Inde vero plane australi Valachia siue Moldauia: Deinceps Vngaria, et in Africum et occasum hibernum obuersi Silesia Boëmicae ditionis, ad Marchiam pertinente. Et a Silesia quidem, et Marchia, et Pomerania vlteriore, et Lithuania paluftres densaeque siluae eam fere dirimunt: mare a Suecia: ab Vngaria vero siluestrium montium cacumina: itemque ab occidentali parte Moldauiae. Nam a reliqua Moldauia, quae, in ortum et ad Pontum vergit, Niester fluuius eam et finitimam ei Podoliam diuidit: Idemque, nisi fallor, limes est eius ipsius Podoliae cum Bialogrodensi Turcarum ora, vt Nieper et Ponti Euxini sinus cum Tartaris Ociacouiensibus: Aut certe cum vtrisque incertus is est, vt diximus, propter vastitatem, et solitudinem. E qua solitudine pensitant tamen opiliones Turcici regi Polono vectigal pascuorum nomine. Prussia vero ducalis sic est implicata regiæ (hoc enim nomine a ducali seiungenda est) difficulter vt queant distingui. A Masouia siluae eam dirimunt.

Figura.

Poloniæ regni amplitudo.

Curoniensis dux.

Finitimi Poloniæ populi.

Limites.

Partes insigniores Poloniae sunt, maior et minor Polonia, Rusia, et Prussia regia, Podolia, Masouia, et Cuiauia. Quae et ipsae deinde satrapiis, vel, vt vulgo loquuntur, palatinatibus, ac territoriis fere distinctae sunt. Maior Polonia duas satrapias, nimirum Posnaniensem, et Calissiensem complexa, occidentalis est, Silesiam, Marchiam, Pomeraniamque vlteriorem meridionali, occiduo, et Arctoo latere attingens. Magis autem ad occidentem vergit Posnaniensis satrapia, Calissiensis contra ad ortum et septentrionem: qua parte sunt Paluci, Craina, et Cassubia, tractus terrae non contemnendi. Minor Polonia orientalis est, Cracouiensi, Sendomiriensi, et quae huius pars quondam fuit, Lublinensi satrapiis definita, hoc ipso ordine, quo nunc sunt enumeratæ, versus aquilonem et ortum æstiuum

Poloniæ partes & satrapiæ

Maior Polonia, Posnaniens. & Calissiens. satrapiæ. Paluci. Craina, Cassubia. Minor Polonia.

Cracouiensis. Sendomiriensis & Lublinensis satrapiæ. Sciricius & submontanus tractus. Polesse seu Podlasse.

Silesia Polonicæ ditionis

Scepusium.

Hist. li. 5. & 17

sitis. Quæ a septentrione Masouiae et Polessensi tractui, qui dudum Lithuanicæ ditionis erat, ab ortu Russiæ, a meridie vero Vngariæ, & Silesiæ finitima est. Sunt autem satrapiæ Cracouiensis partes, tractus Sciricius, & submontanus, vterque Scepusio & Vngariæ finitimus. Ac Sciricius quidem ad occidentem vergens, Cracouiæ vicinior est: Submontanus vero Russiæ & Sendomiriensi satrapiæ iungitur. Lublinensis item satrapiæ pars est Polesse reliquum, quod a Lithuanis detractum non fuit, vtrunque a siluis ita dictum verius, quam Podlasse dialecto Russica, quasi Poloniæ finitimum. Nisi quis forte Podlasse Polonis subiectum interpretari malit. Silesiæ pars, ea, quæ adhuc est Polonicæ ditionis, sic implicata est Cracouiensi satrapiæ, vt ab ea magna ex parte ambiatur. Satrapiam ea nullam habet, sed in Cracouiensi fere censetur. Habet autem tria territoria, Osuencimense, Zatoriense, & Seueriense, quorum duo priora superiori tempore suos habuerunt duces: Nunc præfecturæ regiæ sunt: Seueriense est in ditione episcopi Cracouiensis. Meridionale & occidentale latus eius ipsius Silesiæ: cetera tenet Silesia Boëmicæ ditionis, nempe Cessinensis, & huius pars quondam Pelcinensis, Ratiboriensis, item & Opoliensis principatus, sive ducatus, vt vocant. Ab ortu vero hiberno Scepusiensem tractum vix et modice ea attingit. Est autem Scepusium non exiguus tractus, olim cum Polonici iuris esset, ad Vngaricum traductus, de quo alibi suis locis attigimus. Deinde vero nonnulla pars eius, cum tredecim oppidis & arce Liblio, siue Lubowlia, rursus Polono regi certo pacto ab Vngaricis regibus addicta est, atque etiam nunc ab eius præfecto, & eius nomine administratur, Cracouiensi satrapiæ, tractuique Scricio versus meridiem adiacens.

Siradiensis, Lenciciensis, & Rauensis satrapiæ & Maioris & minoris Poloniæ appellatione quæ continentur.

Cuiauia.

Brestensis, & Inowladislauien. satrapiæ

Dobrinum.

Masouia.

Inter minorem vero & maiorem Poloniam, primarias totius Poloniæ partes, intermediæ sunt satrapiæ, Siradiensis, Lenciciensis, & Rauensis, nullum commune nomen habentes. Quarum prima ad meridiem et Silesiam, Lenciciensis & Rauensis ad septentrionem vergunt, Masouiamque attingunt. Harum autem occidentalior est Lenciciensis. Nonnunquam eæ tres vna cum Cuiauia, imo & Masouia, maiori Poloniæ, sicut Rusia & Podolia minori, accensentur. Cuiauia vero ab ortu Masouiæ & Rauensi satrapiæ, a meridie Lanciciensi & Calissiensi iungitur. Continet autem in se duas satrapias, Brestensem, quæ magis ad ortum, & meridiem vergit, atque Inuuladislauiensem, siue Iuniuuladislauiensem, quæ magis est occidua et septentrionalis. Cuius non exigua pars est Dobrinum, vltra Vistulam, ab oppido sic dictum, latere orientali confine Masouiæ: septentrionali vero Prussiæ. Masouia quoque eodem latere Prussiam, orientali Lithuaniam & Polessensem tractum, & versus ortum hibernum Poloniam minorem, eiusque satrapiam Sendomiriensem, meridionali vero Rauensem attingit. Duabus satrapiis distincta, Plocensi nimirum, quæ occidentalis est, et ea quæ peculiariter Masouiæ nomen retinet, propterea quod diutius ducum suorum (de Polonorum principum stirpe oriundorum) dominatu segregata, postrema omnium nostra memoria defecta ducibus, ex pactis, & iure feudi, vt vocant, Poloniæ redintegrata est. Quæ quidem orientalis est. Rauensis quoque satrapia quondam pars Masouiæ fuit, suosque duces habuit, sicut & Plocensis, et pleræque omnes. Prussia regia præter meridionale latus, quod iam est expositum, ab occasu vlteriorem Pomeraniam confinem habet. A septentrione sinu Baltheo, seu Venedico, siue Codano: ab ortu Prussia ducali cingitur. Tribus autem satrapiis distincta est, Culmensi, Marieburgensi, & Pomeranica, quarum hæc occidentalis est. Reliquæ duæ Vistula flumine ab illa diremptæ, orientales. Ex his autem Culmensis ad meridiem spectat, Marieburgensis vero ad septentrionem. Varmia & ipsa pars est Prussiæ regiæ, ad aquilonem, seu Euroaquilonem vergens, ducali fere vndique cincta, et ab ea quodam tempore maiorem in modum accisa: Marieburgensem quoque

Prussia regia.

Culmensis, Marieburgens. & Pomeraniæ satrapiæ.

Varmia.

satra-

satrapiam contingit: Nec in vlla satrapia censetur subiecta episcopo suo, & sacro ecclesiæ eius collegio, Regis Poloni Maiestatem agnoscentibus. Michalouiense autem territorium est in satrapia Culmensi,Masouiæ ac Dobrino finitimum, olim pars Masouiæ. Ducalis Prussiæ (vt eam quoque, quo magis perspicua sit hæc Poloniæ descriptio, hic obiter attingamus) præter regiam Prussiam, limes est a septentrione mare Sarmaticum cum lacu Curoniensi, & ora Liuoniæ: Ab ortu Samogitia, ceteraque Lithuania: A meridie vero Masouia. Satrapiam ea nullam habet: præfecturas permultas. Olim Prussia, priusquam sub iugum Christi missa est, alios fines habuit, & aliter diuisa fuit. Fuit autem ea decem regionibus siue tractibus descripta: videlicet Pomesaniensi, in quo est Marieburgum, Christiburgum, Quidinum sive Marieuerderum: Pogesaniensi, in quo est Elbinga & Hollandia: Erminio siue Varmiensi, qui retinet etiam nunc in lingua Germanica vetus nomen, & Ermeland vocatur: Natangino, vbi est Balga, Brandemburgum, Cruciburgum: Sambiensi, in quo sunt mons regius siue Koenigsberga & Lochstete: Nadrauensi, quo Tapelauuca, Insterburgum, & Vonsdorfia continentur: Salauensi, in quo est Ragneta & Labia: Sudino, qui & ipse nomen suum retinet, et ad aquilonem, ortumque æstiuum inter vtrumque Habum et mare longe prominet: Bartheno, quo Rastenburgum, Barthesteinum, et Resla sive Reselia continentur: & Salindo, qui nescio an is sit, in quo Galindas populos ponit Ptolemæus. In his Sudinus tractus fuit primarius, opibus & viribus maxime pollens, ita vt sex millia equitum, peditum etiam ingentem numerum conficeret. Ceterorum quilibet minimum ter mille equites, peditum vero decem millia conficere potuit, si vera sunt ea, quæ nos in vetusto quodam libro, Germanica lingua scripto, legimus. Ceterum Culmensis tractus et Pomerania, Poloniæ, non Prussiæ, partes fuere. Sed nos cetera prosequamur. Russia, quam rubram nonnulli vocant, latere occidentali minori Poloniæ iungitur. A septentrione, Russiam albam, et Volyniam habet: Ab Austro Vngariam, eiusque populum Ceculos, et nonnullam Moldauiæ partem attingit, eo tractu terræ, qui Pocuce appellatur. Nam cetera Moldauia siue Valachia, qua Podoliæ quoque iungitur, magis est orientalis Russiæ. Continet Russia duas satrapias, nempe Belsensem, quæ ad Volyniam et Lithuaniam vergit, et eam, quæ peculiariter Russica et Leopoliensis dicitur, australem magis et orientalem: Nisi quod Chelmensis tractus eius non exiguus ad septentrionem, etiam vltra Belsensem prominet, et Polessiæ finitimus est. Reliquum autem orientale latus eiusdem Russiæ, ac totius Polonici regni claudit Podolia, ab aquilone et euro albæ Russiæ, a cetero ortu vastis campis Tartaricis atque Turcicis, vt diximus, a meridie vero Moldauiæ continens: Totaque vna satrapia censetur, quam Podolicam vocant. Olim Podolia & Russia, tam ea, quæ nunc Poloniæ pars est, quam ea, quæ est in ditione Lithuanorum et Moschorum, suos habuit duces, quemadmodum luculentius ostendimus in historia, quorum stirps cum late propagata esset, partim ipsa sese intestinis dissidiis atque ciuilibus bellis confecit, partim a Polovuciis, qui Gothi fuisse videntur, ac Tartaris extirpata, partim Polonorum et Lithuanorum adiuncta est imperio, partim in nomen et ius de se ortorum Moschorum transiit. Extant etiam nunc permulti, ducale nomen, sed plerique nudum propemodum et inane, retinentes: Inter Polonos vero nulla ducum superest memoria. Hi nunc sunt Poloniæ, quatenus hic eam descripsimus, fines: hæ partes. Est autem regio tota fere plana et aprica, maxime qua ad occidentem solem et septentrionem vergit, et quæ penitus orientalis est Podolia, ac vel nomine ipso decliuitatem præ se fert, vicinorum Moldauiæ, Russiæ et Vngariæ montanorum intuitu. Minor Polonia itidem atque Russia, quo propius accedit ad fines Vngariæ, hoc magis montana est, et siluestris. Quo longius autem inde recedit, eo lenius decliuis est, magisque culta et meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque Sendomiriensis

Michalouiensis tractus. Prussia ducalis Prussiæ vetus diuisio.

Russia Regia, siue rubra.

Podolia.

Russi duces. Hist. Pol. lib. 3. Polouucii Gothi.

Solum Polonicum quale. Polonia vnde dicta.

satrapia aliqua ex parte leniter montosa seu verius cliuosa est. Prussia pleraque omnis, excepta Marieburgensi satrapia, qua ad Habum et mare vergit, collibus molliter et ad fertilitatem, amoenitatemque commode distincta est. Itemque pars nonnulla Cuiauiæ. Montes Sarmatici, qui Poloniam et Rusiam ab Vngaria dirimunt, ardui et siluestres, non ignoti sunt etiam veteribus geographis et historicis: et in his celebris est in primis Carpathus, quem nos Crempacum, ni fallor, vocamus: Alij Biesciadi, Modra, Turza, Vapienna, vernacula lingua appellari, externis ignoti sunt. In meditullio vero minoris Poloniæ Lysecius est, quasi tu dicas caluum, siue caluastrum, in quo monasterium est S. Crucis nomine, lignoque celebre: et Vauelus, arce Cracouiensi, quam suo ipsius nomine nobilior, et is, in quo situm est Censtochouiense monasterium, quem clarum montem Latine monachi, ni fallor, appellauere. Siluestris sane fuit superioribus temporibus pleraque omnis Polonia: Ex eone autem tempore, ex quo habitari coepit, an postea pestium, bellorumque incommodis eo redacta, non liquet. Sed Sigismundi senioris, filiique eius Sigismundi Augusti, optimorum et mitissimorum, sapientiumque regum studio, diuturnam pacem nacta, nunc vbique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, et pratis abundans. Nec tamen deest etiam nunc siluarum copia Neque enim eæ penitus exciduntur et extirpantur, partim propter pascua et mellificia, partim propter ædificiorum materiam, et ligna mitigando frigori vtilia ac necessaria, partim etiam propter saxosi, vel arenosi soli sterilitatem. Sunt autem siluæ pleræque piceæ, quernæ, faginæ, & abiegnæ: Ac piceæ quidem fere in planis & arenosis locis, abiegnæ & faginæ in montanis, quernæ in vtrisque, sed vberiore gleba præditis. Multæ sunt etiam in planis iuxta ac montanis locis mixtim omni genere arborum refertæ, & pascuis opimæ. Ex his abietes, tiliæ, piceæ, quercus, apum alueariis grauidæ fiunt, materiamque ædificiis nauium ac domorum, malis, tabulis, & vasis aptam, vt & taxi, & terebinthi, suppeditant. Quercus & fagi etiam pastum vberem porcis, ferisque præbent: Omnes autem focorum, & fornacum, furnorumque ignibus alimenta subministrant. Tanta est enim vis frigoris in his regionibus interdum, vt radicitus arescant arbores, & aqua ex editiori loco effusa, priusquam terram contigerit, in glaciem concrescat. Lacus quidem & paludes, & flumina duobus, tribusue mensibus hibernis, nonnumquam autem vel in quintum, ac sextum vsque glacie concreta, non modo peditibus, verum etiam equitibus & curribus ac plaustris, quamuis oneratis, multis simul, longo spacio peruia & secura præbent itinera. Equidem quodam tempore vltima die mensis Martii Vistulam in Masouia per firmam adhuc glaciem cum curru & quadrigis, & aliquot equitum comitatu transiui. Hac etiam præterita hieme in Prussia glacialis piscatio in lacubus post initium Nouembris coepta, durauit per totum Martium: gelu autem per totum Aprilem. In tanta autem coeli intemperie pomaria tamen sunt non infrequentia, & fructuosa, ad Vistulam præsertim, & in suburbanis Cracouiensibus, Sendomiriensibus, Varsauiensibus, Torunensibus, Elbingensibus item, Frauenburgensibus, Velicensibus & Bochnensibus, licet remotioribus a Vistula, totoque tractu submontano atque Sciriciensi. In quibus pirorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas, & varietas certat cum Vngaricis & Italicis. Sunt & vites, quarum vuæ in minore Polonia esui quidem non insuaues sunt, præsertim si æstas et autumnus temperiem suam seruent: sed vinum inde expressum acerbius, vbi defecatum est. Aliquanto suauius et copiosius exprimitur apud Crosnam, Silesiæ in finibus maioris Poloniæ. Apud Toruniam quoque in Prussia vineæ coli coepere non infeliciter, vt audio. Neque negat solum Polonicum castaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, pepones, melopepones, herbas et flores omnis generis, et alias hortenses Italiæ delitias, palatorumque lenocinia

Montes Poloniæ.

Vbertas.

Siluæ.

Frigoris et gelu vis.

Pomaria.

Vineæ.

cinia

rinia, si adhibeatur cultura diligentior, et a gelu custodia. Nec metalla, fossilia- Metalla.
que desunt in montanis: plumbi quidem intermixto argento apud Ilcussum, Slawkouiam, Chranouiam et Nouagoram, oppida satrapiæ Cracouiensis, et in finibus Silesiæ: Argenti uiui apud Tustanum in Russia: Aeris et lazurii, et plumbi item apud Chencinos: Ferri plurimis in locis siluestribus: Nitri apud Visliciam et alibi: Salis apud Bochnam et Veliscam in satrapia Cracouiensi, et apud Haliciam, Colomeiam, Solum (quod quidem a sale nomen habet) et aliis compluribus in Salinæ. locis Russiæ. Ac in Russia quidem id ex aqua, ex profundis puteis hausta, decoquitur, et partim in modum farinæ, vel niuis minutum relinquitur, partim in frustula conformatur. In tractu vero Cracouiensi, partim lapidea duritie solidum instar ingentium saxorum, et rupium in subterraneis specubus, alte lateque excauatis, et villas, templa, oppidaque superædificata sustinentibus, ferro exscinditur, comminutumque deinde, et mola tritum, ad vsus hominum accommodatur, partim et ipsum ex aqua iniectis lapidei salis frustulis et quisquiliis, quæ a secantibus abraduntur, decoquitur. Color lapidei in massa liuidus est fere, ac luto respersus. Candidum, et in modum crystalli pellucidum, rarius est. Tritum candet aliud alio magis. Coctum vero despumatis sordibus candidissimum redditur, nisi non dissimile. Fertur in salinis Bochnensibus reperiri quiddam pici concretæ simile, quod vocant carbunculum, quod tritum & epotum soluat aluum. Ibidem exaudiuntur nonnunquam canum, gallorum, & aliorum animalium assimulatæ voces in profundissimis specubus: idque mali & incommodi alicuius imminentis portentum vulgo habetur. In maiore quoque Polonia apud Pincum salinæ sunt, verum tenuiores. Sunt etiam in confinio Osuencimensis territorii & Scepusii aquæ salsæ, vnde salem coctum vidimus regi exhibitum. Salinæ tamen nullæ sunt. Porro in desertis Podoliæ, et Boristheni vicinis locis lacus est, cuius aqua, sereno et ardente sole, in solidum salem concrescit, ita vt homines cum iumentis et curribus in eo, tanquam in glacie, versentur, sectumque in frusta arbitratu suo auehant. Quam primum autem pluit, soluitur illa glacies non sine periculo insistentium. Apud Biezzum vero siue Beciam oppidum in submontana regione, vitreolum effodi, ac in viridem, lapideamque duritiem decoqui nuper coepit: *copperwasser*, hoc est, æris aquam Germani, et nostrates item appellant. Antiquitus autem id conficitur ad æris metalla in Scepusio. Marmor quoque et alabaster quibusdam locis effodiuntur. Est in maiore Polonia prope Sremum oppidum collis, vbi (res incredibilis, sed a multis confirmatur) ollæ, amphoræ, cacabi, et aliarum figurarum vasa fictilia sponte nascuntur, et sub terra effodiuntur mollia, in aërem autem prolata durescunt. Vidi vnum atque alterum, quod inde erutum esse dicebatur, rude, nec satis bene conformatum. Porro in mari Sarmatico Prussiam alluente colligitur succinum, (ambram etiam externi vocant) quod fluctibus appulsum ad litora, homines nudi obuiam euntes paruis retibus excipiunt et extrahunt, molle primum, sed mox in aëre durescit, tornoque ac scalpro varie conformatur. In lacubus quoque nonnullis a mari remotioribus id reperitur: vt in Pissia episcopi Varmiensis, modicum tamen. Quin et in editioribus locis fossa altius humo fertur inueniri. Spumane maris concreta id sit, an succus et gummi arboris, an quidpiam aliud, non est huius loci disputare. Est sane leue et pellucidum, estque fuluum et candidum: candido maius pretium. Ferunt, si incendatur, odor eius venenata necari. Visuntur in nonnullis frustulis formicæ, culices et alia insecta, non arte, sed vel opificio naturæ, vel fortuitis casibus inclusa.

Lacus salis in Podolia

Vitreolum.

Ollæ sponte nascentes.

Succinum.

Aquis irrigua est pleraque omnis Polonia, sed fluuios nauigabiles non multos habet: Præcipui sunt Vistula, Donaiecius, Sanus, Vieper, quasi quis dicat porcum, Varta, Notessius, Nester, Prutus, Bugus, Bohus siue Bogus, Pripetius, Narua, Dreuancia. Nam Odra, in confinio Morauiæ et Silesiæ existens, et per hanc

Fluuii.

Odra.

secundum Poloniæ limitem, perque Marchiam ac Pomeraniam vlteriorem permeans, infra Stetinum in Venedicum sinum decurrit. Olim intra fines Poloniæ tum oriebatur, tum decurrebat. Nieper Russiam albam, eique confinem Podoliam alluens, longo tractu in pontum Euxinum apud Ociacouiam, munitionem Tartaricam, sese exonerat, ortus in Moschouia. Boristhenes is est veteribus Græcis et Latinis, omnium scriptorum consensu, præter Bernardum Vapouium. Qui similitudine nominis, vt credibile est, adductus, Boristhenem vult esse Berezinam: qui in Nieprum ab æstiuo occasu influit, minor eo et ignobilior. Vistula in Cessinensi ora e Sarmaticis montibus exoriens, versus æstiuum occasum et septentrionem primum, mox versus orientem aliquantisper, deinde a Sendomiria versus septentrionem rursus per minorem Poloniam decurrit. A Varsauia vero rursus ad occasum æquinoctialem, et mox æstiuum flexus, Masouiam interluit: Dobrinumque a reliqua Cuiauia dirimit. Vbi autem Prussiæ fines attigit, in septentrionem reflexus, deinceps mediam eam diuidit. Supra Marieburgum autem in duos alueos præaltis aggeribus obiectis sectus, insulam insignem et fertilem, quam Zulauam maiorem vocant nostri, efficit, et nomen amittit. Ac sinister quidem alueus, qui maior est, Leniuuca, dexter vero Nogatus vocatur, quorum hic in Habum, partim in mare infra Gedanum sese exonerat, longitudinis quidem gradu XLI. latitudinis vero LIV. Fontes autem Vistulæ sunt longitudinis iridem XLI. gradu, latitudinis XLIX. minutor. XX. Fluens autem amplius centum milliarium Polonicorum spacio Vistula, Solam, Premsam, Scauam, Rabam, Donaiecium, Vislocam Ropa auctam, Nidam, Sanum, Vieprum, Pilciam receptis Dreuicia et Volboria, Bsuram, Naruam cum Bugo, Drenanciam, Berdam, Ossam & Motlauiam, minora flumina, excipit, & Osuencimum, Zatoriam, Cracouiam, Cazimiriam, Sendomiriam, Varsauiam, Wyssegrodum, Ploscum, Vladislauiam, Toruniam, Culmam, Grudentum, Quizinum, Nouum, Gneuum siue Meuam, Marieburgum, Dersauiam, et Gedanum, vrbes & oppida non ignobilia, præterfluit. Arces item Lipoueciam, Tineciam et Mogilam, monasteria, Nepolomice, Corcinum, Zauichostum, Soleciam, Secechouiam & Ceruenscum, monasteria, Zacrocimum, Vissegradum, Sochaciouiam, Dobrinum, Bobrownicos, Racianzum, Slезooiam, Dybouiam, Niessouiam, Starigradum, siue Althausum, & Suece, & adhærentes eis vicos alluit. Donaiecius (quod nomen paruum Danubium significat) ex eisdem Sarmaticis iugis, non longe a Vistulæ fontibus paulo orientalior exortus, per Scepusium & submontanum tractum decurrit, Sorstenumque & Mussinam et Melstinum arces & Sandeciam oppidum, vbi Popruto augetur, præterlapsus, non longe ab Opatouecio vico Vistulæ miscetur. Sanus e Biesciadis iugis longitudinis gradu XLIV. latitudinis XLVIII. minut. XXX. nascens, et versus septentrionem et occasum æstiuum profluens, posteaquam Liescum, Sobenum, Sanocum, Brozouiam, Præmisliam, Radimnum, Iaroslauiam, Lezeistum, Russiæ arces & oppida prætergressus est, Vislocumque, alium a Visloca, et varios minores fluuios in se recepit, apud Sendomiriam oppidum longitud. gradu XLIV. fere, latitudine L. minut. XXX Vistulam et ipse subit. Varta apud Cromolouiam, satrapiæ Cracouiensis oppidum, ortus, longitudinis gradu XL. minut. L. latitudinis gradu L. minut. XX. per Siradiensem satrapiam, & maiorem Poloniam versus occasum æstiuum fere decurrit, Olstinum, Censtochouiam, Mestouiam Siradiam, Vartam, Vneouiam, Colum, Coninum, Pysdros, Sremum, Curnicum, Posnaniam vrbem, Obornicos, Stobniciam, Vuroncos, Siracouiam, Mezichodum, oppida et vicos cum adiunctis arcibus, et Landisbergam veteris Marchiæ præterfluens, Nyrumque, Vuresniam, Velinam, Prosniam, Obram, & Notessium minores fluuios excipiens. Et apud Costrinum oppidum in Odram, e Silesia occurrentem, influit, longitud. gradu XXXVII. latitud. LII. minut. L. Notessius vero apud Crusuiciam Cuiauiæ oppidum e Goplo lacu existens, et ipse

[Margin notes: Nieper. — Berezina. — Vistula. — Zulaua. — Flumina Vistulam influentia. Vrbes oppida et arces ad Vistulam sitæ. — Donaiecius. — Poprutus. — Sanus. — Varta. — Notessius.]

ıſe per maiorem Poloniam verſus occaſum hibernum means, Pacoſſum ambit, Labiſſinum, Naclum, Pilam, Vſce, Drenumque arces & oppida præterlabitur. Neſter, quem Tyram veteribus vocari volunt, in Ruſſia e Sarmaticis iugis non longe e Tybiſci & Sani fontibus ortus, initio verſus aquilonem profluit, deinde d ortum conuerſus, Biſtriciam, Lipam, Seretum Ruſſicum, alium a Valachico, brucium, Smotricium, Vſciam, & Moraquam ignobiliora flumina abſorbet, & Zidacioujam, Haliciam, Ceſſibieſos, Ceruonum, Chocimum Valachiæ & alia quæam oppida præterlapſus, infra Pocuce Podoliam a Valachia longo ſpacio diuiit: ad extremum deflexo nonnihil in meridiem alueo, ſuper Bialogrodum vrbem cythicam, ſiue Turcicam, quæ & Moncaſtrum dicitur, in Pontum Euxinum, ſiue ontinentem ei Obidovum lacum influit, longitud. grad. LIII. latitud. XLVII. minut. XXX. Bugus in Ruſſia & ipſe non longe ab Oleſco oppido, longitud. grad. XLVI latitud. XLIX. exoriens, & primum in occaſum, mox in ſeptentrionem ſecundum occidentale latus Volyniæ tendens, poſtremo ad occaſum reflexus, vbi Poleſſenſem tractum (receptis Rata, et Muchauecio fluuiis) emenſus eſt, & Buſcum, Grodecum, Grodlum, Lubomliam Ruſſica, Breſteque, Ianouiam, Melnicum, Droicinum, Poleſſenſia, & Cameneciam Maſouiticam oppida prætergreſſus eſt, apud crocium vicum longitud. grad. XLIII. latitud. LII. minut. XL. Naruæ a ſeptentrione & ortu æſtiuo e Lithuania profluenti ægre miſcetur, nigrorem ſuum retiriens aliquamiu: Nec multo inferius victor Narua apud Nouidvorum oppidum Viſtulam ſubit. Eſt autem peculiaris Naruæ natura, ſicut & Dlugoſſus annotauit, quod non fert venenoſa animalia, vſque adeo, vt ſerpentes, qui nauibus Bugo delatis adhæſerint, diro ſibilo refugiant, cum primum aquam eius fluminis attigerint. Pripetius in Chelmenſi tractu e palude non longe a Lubomlia exiſtens longitud. gradu XLVII. latitud. L. præter occiduum & ſeptentrionale latus Volyniæ diuerſus a Bugo per Ruſſiam albam longo ſpacio verſus orientem ſolem progreditur, et cum nonnullis aliis, tum Styro, Turo, Slucio, Suisločio, grandibus fluviis auctus, Nieprum ſiue Boriſthenem ſupra Kiouiam ſubit, longitud. grad. LI. latitud. LIII. fere. Bohus autem, ſiue Bogus e palude ortus in finibus Podoliæ long. grad. XLIX. latitud. XLIX. minut. XXX. itidem per Ruſſiam albam meridionalior longo terrarum tractu ad ortum tendit: ad extremum deflexo in meridiem curſu, & ipſe in Boriſthenem non longe ab oſtiis eius long. grad. LV. lat. XLVIII. ſeſe exonerat. Prutus e iugo montium Sarmaticorum long. grad. XLVI. minut. L. latitud. XLVII. minut. XXX. verus aquilonem in Pocuce delapſus, et Colomeiam, Sniatinumque præterlapſus, inde per Valachiam ſiue Moldauiam primum orientalis, deinde auſtralis verſus Bulgariam in Danubium decurrit, long. grad. LII. lat. XLV. In Pruſſia vero Alla ſiue Alna, & Paſſaria, non longis inter ſe ſpatiis orti, verſus ſeptentrionem fluunt: Et Paſſaria quidem infra Olſtinetium, ſiue Hochſteinum (vt vocanr Germani) ducale oppidum exiſtens, Morango, Libſtadia, Brunsberga, & Heligebeila oppidis præteritis, Habum lacum ſubit, long. gradu XLII. minut. XXX. latitud. LIV. Alla vero ſupra Alleſteinum S. Collegii Varmienſis arcem et oppidum, cui etiam nomen dedit, oriens, præteritis Vartemberga, Guteſtadia, Heilsberga, ſiue Alesberga Varmienſibus, & Bartheſteino, Sipelbeino, Fridelandia, Allemburgo ducalibus oppidis, apud Velam Prægolæ, ab ortu hiberno per ducalam Pruſſiam decurrenti, miſcetur, & cum eo infra Koenigsbergam, hoc eſt, Regium montem, vrbem longitud. grad. XLIII. latitud. LIV. Habo lacu recipitur. Dreuantia veo non ita longo ab iis interuallo oriens, diuerſoque meatu verſus auſtrum fluens ſupra Toruniam a Viſtula excipitur. Atque hæc de fluminibus, nunc ſufficianr. Lacubus piſcoſis in primis abuodat Pruſſia. In his nominatiſſimus eſt Habus, cuius modo mentionem fecimus: quem etiam recens mare vulgo vocant. Ad quindecim milliaria in longitudinem inter Gedanum et Regium montem vrbes

[Margin notes: Neſter ſiue Tyras. — Bugus. — Narua veneno ſis carens. — Pripetius. — Bogus. — Prutus. — Paſſaria. — Alla. — Prægola. — Dreuantia.]

 ſecun-

Neringa insula. secundum mare patens, & ab eo angusta insula, quæ Neringa appellatur, disiunctus, in latitudinem vero duo milliaria plus minus. Ac Elbingam quidem vrbem non longo spacio adspicit, eique portum efficit, eiusdem nominis flumine nauigabili influente. Tolkemitam vero, Frauenbergam, cui basilica Varmiensis in modum arcis munita impendet, Balgum, Brandeburgum, & Fishausum oppida & arces alluit, receptisque, vt dixi, Vistula et Prægola, & aliis minoribus fluminibus, apud Lochstete arcem mari miscetur. Hoc aliquanto amplior lacus alter est **Habus Curoniensis.** eodem nomine, cognomento Curoniensis, in Prussia ducali, in quo sunt ostia Nemenis fluuii (Memelam vocant Germani) per Lithuaniam defluentis. Inter hos duos Habos et mare peninsula est, quæ et ipsa Neringa, sed Curoniensis appellatur, arces & oppida continens. Secundum hos est Drusnus siue Drausenus la- **Drausen lacus Elbinga flumen.** cus in Marieburgensi satrapia, vnde Elbinga fluuius profluit: Partecinus, Lubnus, Reusinus, & Viecininus in Culmensi: in Pomeranica vero Stuorzonagaci, quasi quis stratum vel factum aggerem dicat, inter Choiniciam, Slochouiam, ac Tucholiam **Berda fluuius.** oppida, septem milliarium spacio longus, quinque latus: Vnde Berda fluuius per Crempscum, Lubonum, et Charsicouum, minores lacus, in Vistulam influit infra Bydgostiam. Nec ignobiliores his sunt Vsdice, Lubscus, & Ossiecinus in eo- **Varmiensis lacus.** dem tractu: Alii minores. Sunt et in Varmiensi ditione non pauci. Præcipui vero Dadaius, Zainus, Vadangus, Pissia, Blanke, quasi albus, Sinser, Lingenaus, Lemanglus, Ellingus, Plaucicus, Vulpingus, Clebergus, Cosnicus, Obelus, Marangus, & alii complures. Sunt et in ducali Prussia multi & grandes, quos omittimus. Ha- **Goplus.** bet & maior Polonia & Cuiauia nonnullos, piscosos que, in quibus Goplus princeps est, quinque milliaria patens in longum, semis in latum: Secundum hunc sunt Blendnus, Pouizus, Slesinus, Sinus, Piednicia, Niezamyslus, Voniesca, Lomunice, Pcieuus, Labstrouus Drauascus, Noblun, Tulangus, Ielen, et Lednicia, in cuius insula Gnesnensis basilica initio condita fuisse, indeque propter difficilem aditum, in eum, in quo nunc est, locum translata esse putatur, quemadmodum Dlugossus memorat. In Cuiauia vero Tur, Lanscus, Bielscus, Luboinus, Orlie, Berdouus, Borimouus, Creuianta: Et in Dobrinensi tractu Gorznus, Mocouus, & Scampscus, minores aliquanto superioribus. Pro lacubus minor Polonia, **Piscinæ.** Silesia, Russia, ac Podolia piscinas habent arte manuque factas permultas & grandes. Non carent tamen & lacubus, Lublinensis maxime & Chelmensis tractus. **Biale lacus.** E quibus Biale, hoc est, albus, per antiphrasim sic dictus, prætereundus non est, cuius aqua Aprili & Maio mensibus fuscos reddit lauantes: Pisces autem pinguissimos profert, qui brasmi, a nostratibus autem Clescii vocantur. Est et in **Crinice lacus.** Belensi lacus Crinice, non amplus, verum profundus. De quo illud memorabile annotauit item Duglossus, quod certis temporibus, altero vel tertio quoque anno, cum mugitu fluctus attollens exhauritur prope ad fundum vsque, aquis vicini montis cauernas subeuntibus: atque ibi tunc facile prehenduntur pisces in **Piscationes hibernæ.** aqua vadabili. Post dies aliquot ea refluit. In ceteris lacubus, atque etiam in maioribus piscinis & fluminibus hiberno tempore commodiores fere sunt piscationes, quam æstate, pertusa certis interuallis glacie, retique per maius foramen in aquam immisso: quod longis funibus ad perticas alligatis hominum equorumue opera longo spacio in diuersum tractum, coeuntibus rursus piscatoribus alio foramine piscibus refertum extrahitur. Sunt autem eadem genera piscium in **Piscium genera.** lacubus & piscinis. Vtrobique enim sunt lupi, siue lucei, prasini, percæ, rhombi (si modo sic appellandi sunt ii, quos nos Carassios dicimus) sumi, sendacii, cirtæ, a deliciis, ni fallor, apud Germanos nomen sortitæ, tineæ, anguillæ, rubeculi, carpiones, quos reginas vocant Itali, Latini cyprinos, quemadmodum vult IOANNES DVBRAVIVS, Olomucensis episcopus. Tametsi minus frequentes, hi sunt in lacubus, quam in piscinis: In quas paruuli tanquam in viuaria studiose inclu-

includuntur. Ferunt etiam lacus nonnulli eos, quos suluizas & sielauas nostrates, Germani Marenas vocant. Piscis est dulcis & sapidus, haleci similis: Fluuiatiles vero sunt cum iisdem fere omnes, tum delicati in primis, truta, barbo siue mullus (paruenam vocant) fundulus, occulata, quæ lampreda quoque dicitur, alosa, siue borbocha, cuius iecur potissimum est in deliciis, a nostratibus mientus vocatur: Itemque Lipien, sliz, berzana, vcleia, iasdez, et quæ bialariba, hoc est, albus piscis a nostratibus appellatur: quibus Latina nomina dare non habemus. Quanquam quid vetat Alberti Magni, & aliorum scriptorum, qui einsmodi res persecuti sunt,exemplo, eos vernaculis nominibus ad Latinum sonum conformatis appellare? Quod in superioribus quoque nonnullis factum est. Cancris et anguillis abundans in primis Nida fluuius, Pinciouiam, Visliciam, & nouam ciuitatem præterfluens. Anguillis etiam et stincis Habus, et alii nonnulli lacus Prussici. Marinis piscibus non admodum abundat ea regio. Nobiles autem præcipue sunt haleces, quos haringas Germani vocant, quorum sale conditorum maximus est vulgo vsus in tota Polonia, atque adeo in Lithuania quoque Boëmia, Silesia, Morauia et Vngaria. Tanta eorum copia est. Sed in Prussia pauci prehenduntur: A Cymbrica autem Chersoneso et Scandia, et ex oceano Germanico plurimi et optimi nauibus eo importantur. Pomuchlæ non desunt, neque passeres. Salmonem siue esocem, et sturionem inter marinosne, an fluuiatiles numerem, nescio, vtrobique quidem prehenduntur: Sed e mari sursum fluminum certis temporibus enatant, transilientes obstacula. In quibus etiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Tanto sunt autem suauiores, quanto longius a mari et Habo recesserint. Quin vniuerse pisces ii, qui in fluuiis iuxta ac lacubus et mari victitant, sapidiores sunt in fluuiis, quam in mari, vel lacubus capti. Non est hic prætereunda aquarum non vulgaris natura. Est in Scepusio riuus ex arduis montibus profluens, cuius guttæ in lapideam duritiem concrescunt, ita vt ex iis sponte existant fulcra sustentantia canales, quibus riuus ille ad moletrinas deducitur. Est & fons siue lacus pestilentem aquam & vaporem emittens; cuius non modo gustu, sed etiam afflatu animalia & aues necantur. Sunt etiam nonnullis in locis Poloniæ scaturigines tepidarum aquarum, sulphuris & aluminis odorem redolentium, quibus scabies et vlcera hominum et iumentorum curantur. Sed nos ab aquis et aquatilibus ad terrestres animantes transeamus. E ferarum animantium genere fert hæc regio copiam leporum, dorcarum, sciurorum: cuniculorum quoque alicubi: Ceruorum etiam, et aprorum, et vrsorum, et luporum nonnullis in locis. In primis autem Nepolomicensis et Radomiensis saltus nobiles sunt ceruorum venationibus. Et horum autem, et onagrorum atque bisontium Prussia ducalis, eique finitima Masouia ferax est, et in primis Podolia: vbi agminatim in campis non modo hæ feræ, verum etiam feri equi pascuntur. Est autem bisons prægrandis, verum perniciissima fera, magnis et introrsus leniter incuruis cornibus nigris armata, quibus equum cum sessore correptum in sublime identidem iactat, & arbores mediocri crassitudine euertit. Magnitudinis eius illud quoque est argumentum, quod in capite eius inter cornua, duo imo tres etiam homines possunt considere. Habet villosum et hispidum corium, et sub mento palearia. Caro eius sale condita in delitiis est magnatibus et principibus, cornu sonorum, & ob id venatoribus in vsu est: Zubrum seu Zambrum vocant nostrates: Imo et Græci recentiores: Onager vero Los appellatur. Alcem hanc esse volunt, de qua scribunt Plinius, et nonnulli alii ex veteribus. Fera est longis cruribus, et auribus, aliquanto maior equo, colore cæsio et fusco, mas capite cornuto, cuius vngula posteriorum crurum, si autumni initio, spiranti adhuc desecentur, experitur, comitiali præsertim morbo laborantibus salutaris. Ferunt etiam capreas montana loca Vngariæ finitima. Ceterum Vri, hoc est, boues siluestres, quos nos Thuros dici-

Pisces fluuiatiles.

Halecum copia.

Salmones & Sturiones.

Aquarum mira natura.

Thermæ.

Feræ.

Bisons siue Zubr.

Onager et Alce, Los.

Capreæ.

Vrus siue Thur.

dicimus, in solis Masouiticis siluis apud Vyskitcus extant. Et harum quidem ferarum carnes aptæ sunt humano esui: Cultui vero pelles subministrat panthera, siue is est lupus ceruarius (Ris appellatur a nostratibus) maculosus ventre et pedibus: quæ partes maxime in precio sunt. Martes, siue Mardures, quas cunas dicimus, vulpes, lupi, Rosomaci, Lutræ, item et castores amphibia. Atque horum, castorum, inquam, caudæ etiam inter delicatos cibos, et pro piscibus habentur, reliqua carne inutili propemodum. Extruit autem sibi hoc animal cubile ligneum in marginibus fluminum et lacuum, cameris compluribus aliis super alias distinctum, ac fecundum incrementum aquæ domicilium mutat, ita vt cauda natante reliquum corpus in sicco maneat. Pellem habet in dorso hispidam, sed mollem: vnde fimbriæ fiunt exornandis vestibus hibernis et pileis. Vrsorum quoque volæ cum digitis esitantur: pelles etiam stragulæ vestis vsum præbent. Quin & amicire his famulos coeperunt ii, qui feroculi videri volunt. Cuniculi, lepores, et sciuri cultui iuxta ac esui apti sunt. Sunt etiam in Podolia animalia sciurorum, vel cuniculorum magnitudine, in cauernis degentia, varias et maculosas pelles habentia, quæ et ipsæ ad vestitum, et pallia feminarum expetuntur. Crzecicos vulgo vocant. Omni autem genere ferarum magis abundat Lithuania propter vastitatem siluestrem. De bisontium venatione scire operæ precium est, quod in campis Podolicis segregati ex agmine singuli ab equitibus sagittariis ordine in gyrum dispositis conficiuntur. Vnus enim post alium feræ adequitantes, iaculantur, citatisque equis refugiunt. Efferata autem illa ictu et vulnere, refugientem insequitur. Interim ferit eam alius. Quem illa rursus priore dimisso insequitur, donec defatigata labore et vulneribus concidat. In siluis vero ii deprehensi opportuno aliquo loco deiectu arborum a rusticanis hominibus ad id coactis, quasi intra sepes includuntur, plures etiam quam singuli, ita vt effugere inde non possint. Deinde extructa ex tempore principi & magnatibus ac feminis cauea siue tabulato editiori, ex quo tuto spectare possint, venatores cum venabulis ad suam quisque arborem disponuntur. Mox ab equitibus strepitu et clamore, admissaque canum fera excitata e vepretis in medium propellitur. Quæ a venatore post arborem latente, vt cuique maxime appropinquarit, venabulo petitur efferataque ictu, arborem, cuius obiectu ille se tegit, cornibus petit, & cum arbor sit gracilior, quam vt ambobus cornibus in eam possit impingere, fronte ac toto corporis nisu in eam incumbit, cornibus vtrinque prominentibus. Vrget interim semel adactum in præcordia ferrum venator, sensim cedens appetenti se feræ, ac circum arborem gyranti: nec desunt canes grandiores morsibus adiuuantes, donec ea exanimata, vel defatigata prorsus concidat. Quod si venator ictum frustra fit, aut minus opportune intulerit, aut a fera etiam correptus, & proculcatus fuerit, aliquis e vicinioribus rubrum pannum feræ obiectat. Hoc enim colore maxime efferatur. Ibi ea dimisso priori, hunc petit recipientem se ad suam arborem, & ab eo feritur, & conficitur. Linguæ eius contactus vitatur, qua longius exerta attrahit ad se hominem, si vel extremam vestis eius oram contingat. Est enim ea scabra. Vrsi vero, quamuis prægrandes, & iam viui capiuntur, reti implicati, venatoribus compluribus simul accurrentibus, & ligneis furcis caput, pedesque feræ ad terram deprimentibus, donec ea fune constringatur, Constricta in arcam ligneam concluditur, ita, vt se commouere nequeat, & auehitur. Vnde post, vbi libitum est, ad spectaculum, & vrbanam, vel campestrem venationem emittitur. Sic autem colligatur, vt vno tractu funis ex arca prominentis soluatur. Vidimus aliquando in spectaculo equulum, & quidem castratum, cum vrso prægrandi commissum, qui ex interuallo accurrens obuerso tergo calcibus vrsum petebat, et refugiebat, vrso ad stipitem, laxiore tamen fune alligato. Sed alia persequamur. De iumentorum genere bobus, & equis abundat Polonia: camelis, a-

sinis

Panthera. Martes. Castoris natura. Vrsorum volæ. Bisontium venatio. Vrsorum venatio.

finis, & mulis caret. Aliunde ii nonnunquam adducuntur, sed non durant. Ouium item, et caprarum ferax est: auium quoque magnam habet copiam. Præter altiles autem, nempe gallos gallinaceos, domesticos iuxta ac Indicos (qui nuper adeo inuecti sunt) anseres, anates, & columbas, in delitiis hæ sunt: Pygargus, quem quidam Bistardam vocant, eo quod tardior sit propter molem corporis, & vix a terra euolet, pauo, grus cygnus, perdix, bonosa, coturnix, sturus siue starnus, & quæ Cietrzew, & Cieciorca, et Glussetz, quasi surdaster, a nostratibus vocantur. Et vt rapaces aquilas, falcones, accipitres, miluios, vultures, nisos, ardeas, & multas alias mittamus, minorum quoque auicularum apiarum esui ingens est copia. In his nobilis inprimis ea, quæ in solis fere Louicienfibus campis cum niue existit ac disparet auicula, passere non multo maior: quam a niue Sniegulam vocamus. Turdus rarior est, itemque Pardua, quam ita vocamus nomine vernaculo, quando Latinum non habemus. Auis est siluestris, gallina non multo minor, in campis Russicis et Podolicis. In iisdem reperiuntur coturnices virentibus pedibus, quarum esus spasmum inducit. Ex auibus maiores atque teneriores sub hiemis initium gregatim auolant, vereque nouo redeunt: nonnullæ minores, velut hirundines, et Cypseli, implicitis inter se pedibus et alis, conglobatæ in lacus, paludes, et piscinas sese immergunt, ac vere nouo emergunt, et explicantes sese euolant. Hiberno quidem tempore retibus extractæ a piscantibus fine vllo sensu, et motu, et ad ignem admotæ, vel in hypocaustis calidis positæ, reuiuiscunt, et euolant, sed statim læsæ frigore, vel ignis calore, atque vapore insolito emoriuntur. Ceteræ hiemis tolerantiores in siluis, vel circum domos, et villas vitam degunt. Nec plura nunc de situ, vbertate, et omni descriptione Poloniæ.

Animalia domestica. Aues.

Sniegula. Pardua. Coturnices Russicæ. Auicula diuina.

Genti Polonæ sicut originem, ita & linguam communem esse cum Boëmis, Russis, Moschis, Croatis, Morauis, Silesiis, Cassubiis, Bulgaris, Rasciis, Serbis, Illyris, & vniuerso nomine Slauico, seu Venedico, alibi exposuimus. Tametsi dialectis ea tam varia est, vt nonnulli ex his populis ægre, & vix se inuicem intelligant. Ceterum ab aliis omnibus linguis ea prorsus diuersa est. Nisi quod multa instrumentorum, operum, & aliarum rerum ad opificia, & communem vitam pertinentium vocabula, a finitimis, & priscis, ni fallor, incolis Germanis mutuata est. Sunt hodieque non modo mercatores, & opifices Germani multi sparsim in vrbibus habitantes, verum oppida pene tota, & pagi pleni vtentium lingua Germanica in submontana regione, eique finitimis Russia, & Scepusio, itemque in extrema ora maioris Poloniæ, deductis eo, sicut & in Silesiam, & in Prussiam, quodam tempore Germanorum coloniis, & multis de plebe compendii sui causa subinde immigrantibus. Quin & equestres quædam familiæ antiquitus e Germania ducunt originem, cuius rei argumento sunt stemmata, siue insignia, & eorum nomina. Sed iam ii, atque etiam oppidani, & pagani diuturnitate temporis ac domicilii, et connubiis magna ex parte in Polonos transierunt. Libenter autem et Poloni propter multum vsum, et commercia cum Germanis condiscunt linguam Germanicam. Libentius etiam Latinam, propter sacrorum ritus, et sacerdotia, scribendique vsum, qui vulgatissimus fuit antiquitus hac lingua, cum in priuatis scripturis, et epistolis, tum in actis publicis, ac diplomatibus, mandatis, edictis, decretisque principum, & omnium iudicum, et magistratuum. Estque etiam nunc, aliquando tamen minus in vsu. Nostras enim lingua neque tam copiosa est, quam aliæ, neque scriptu, lectuque facilis. Sed Prussiæ incolæ, cum maxima ex parte Germani, aut e Germanis oriundi sint, in conscribendis actis iudiciorum Germanica lingua magis vtuntur vulgo, mixtim Polonica, et Germanica loquentes. Prisci Prussi, quorum pertenues adhuc extant reliquiæ, peculiarem habuerunt, habentque ab vtraque penitus diuersam. In Russia, meridionali præsertim, iam fere vsitatior est Polonica dialectus, quam vernacula, ex quo gens ea Polonorum cessit imperio, Polonis

Lingua Polonica.

Hist. Pol. lib. 1.

Germanicæ linguæ vsus.

Latinæ linguæ vsus.

propter vbertatem soli, et militiam aduersus Tartaros libenter ibi figentibus domicilia. Sunt etiam in Russia, Podoliaque Armeni, mercaturam exercentes: Hebræi vero longe frequentiores, etiam in cetera Polonia, præter Prussiam, sparsim oppida, et vicos incolentes. Vtrique sua lingua vtuntur: sed et Polonica, vel Russica: Hebræi vero passim et Germanica. Penetrarunt et Itali mercatores atque opifices in vrbes primarias, nostra fere memoria. Estque nonnullus eius linguæ vsus etiam apud Polonos elegantiores. Libenter enim ii peregrinantur in Italia.

Armeni. Hebræi.

Pagis autem, et vicis potissimum, atque etiam oppidis gens Polona antiquitus habitat: quibus fere castella, et arces adiunctæ sunt, dominorum, et præfectorum domicilia. Vrbes munitas atque cultas non multas habet. Princeps est Cracouia in minore Polonia, regum et regni domicilium: quæ cum ædificiorum priuatorum iuxta ac publicorum splendore atque munitione, tum rerum omnium ad victum, cultumque corporis pertinentium, et mercium exoticarum copia, emporio, magnis ad vitam degendam commoditatibus, hominumque frequentia, ciuitate, et elegantia facile primum locum obtinet, et cum claris Germaniæ, Italiæque vrbibus certat. Germanis autem mercatoribus abundat antiquitus, neque caret Italis. Habet opportunitatem Vistulæ fluuii, quo pisces, ligna, et omnis ædificiorum materia, et alia quædam e vicina Silesia importantur. Nonnulla etiam cum alio, tum in Prussiam deportantur, et inde merces exoticæ reportantur. Habet item suburbana ampla, et frequentia, et cum hortis atque pomariis delicatis, tum viuariis piscium, et prædiis culta, ac temperie coeli amoena. Adiuncta sunt ei duo oppida: a meridie quidem Cazimiria, ponte ligneo iuncta interlabente Vistula. Est tamen intermedius vrbi, et ponti continens viculus, cui nomen est Stradomia. Quem flexus Vistulæ tria latera ambientis, et influentis eum Rudauæ occursus facit insulam. A septentrione vero pomariis vrbis continens est Cleparia, non tamen cincta moenibus, vt est Cazimiria. Habet et arcem peramplam Cracouia, a latere australi in colle seu rupe, Vistulæ, et Stradomiæ imminentem, moenibus, turribusque munitam, et magnificis regiæ ac basilicæ, in qua sedes est episcopi, duorumque præter ea delubrorum, et aliarum priuatarum domuum ædificiis exornatam. Regiam quidem Sigismundus rex senior, nostra memoria in eam, quæ nunc visitur, formam, amplitudinem, et splendorem, redegit. Habet Academiam quoque omnium disciplinarum atque doctrinæ studiis, et professione florentem. Olim tamen, quam nunc honestis disciplinis, et frequentia præceptorum iuxta ac studiosorum, florentiorem, cum principes viri ornamentis patriæ magis fauerent, ac studerent, necdum vel Lutheranismo infectæ, vel ferro Turcico diuexatæ, et ferme subactæ essent gentes finitimæ. Sita est autem vrbs ea non procul a finibus Silesiæ, Vngariæ, et Russiæ, longitudinis quidem gradu XLII. latitudinis vero L. Secundum hanc sunt haud ignobilia oppida in eadem minore Polonia ac dioecesi Cracouiensi, Lublinum, tricesimo sexto milliario versus ortum æstiuum, longitudinis XLV. fere, latitud. amplius LI. gradu: non spaciosum quidem, sed bene exædificatum, & externarum gentium Christianarum iuxta ac barbararum, emporio nobile: deinde Sendomiria, Sandecia, Tarnouia, Biezzum, siue Becia, Vislicia Ilcussum, & Osuencimum in Silesia. In maiore Polonia Posnania vrbs est, æmula Cracouiæ, quinquaginta milliariis ab ea distans, longitudinis quidem gradu XXXIX. lat. vero LII. min. XXX. iisdem commerciis, & emporio Germanorum exculta, quæ & ipsa Academiam, opera, & sumptibus Ioannis Lubrantii episcopi nostra ætate fundatam, sed a successoribus eius neglectam, habet. Nunc tamen ea, cura & munificentia episcopi Adami Conarii, instauratur. Habet & arcem, & basilicam, sedemque episcopi cum oppidis Srodca, & Valisseuo, interlabente Varta flumine disiunctam. Secundum hanc sunt oppida Calissia, Gnesna, vetustate, & Archiepiscopi sede basilicaque nobilis, Vschouua, quam Frauenstadiam Germani vocant

Polonorum habitandi ratio. Vrbs Cracouia

Cazimiria. Stradomia. Rudaua. Cleparia.

Academia Cracouiensis.

Lublinum.

Adam. Conarius episc. Posnaniensis.

vocant, Costenum, & Slupcia episcopi. In Russia Leopolis longitud. grad. fere XLVI. latitud. XLIX. sita, quinquagesimo a Cracouia milliario. Vrbs est satis munita, duas arces adiunctas habens, emporio, ciuiumque elegantia, & humanitate florens, ac sede alterius Archiepiscopi, & duorum episcoporum, nempe Armenici atque Russici, non ignobilis. Sunt etiam oppida Præmislia, & Crosna: quorum Præmislia arce munita, & duobus episcopis, Latino, siue Catholico, & Russico cohonestata est. Chelma quoque itidem duos habet episcopos: sed propter oppidi, seu vici immuniti infrequentiam, Tartaricasque excursiones, catholici episcopi cathedra Crasnostauiam translata est. In Podolia Camenecia est, vrbs cum arce, natura loci, manuque permunita, triginta milliariis bene longis distans a Leopoli versus ortum hibernum, longitudinis gradu XLIX. ferme, latitudinis vero XLVIII. minut. XXX. Habetque & ipsa suum episcopum. In Masouia Varsauia est, longitud. XLIII. lat. LII. grad. & minut. XX. pari fere spacio, hoc est, quadraginta milliariis, a Cracouia, & Posnania. Deinde Plocum basilica nobile, & episcopo, eiusque episcopi oppidum Pultouia cum arce, & Lomza. In Cuiauia sunt, Breste, & Vladislauia, sedes, & oppidum episcopi, cum arce, quam STANISLAVS CARNCOVIVS episcopus nuper splendidiorem, & magis habitabilem reddidit. In Prussia vero Gedanum, siue Dantiscum, octogesimo ferme a Cracouia milliario, a Posnania vero quadragesimo, a mari vno ferme: longitud. quidem gradu XLI. minut. XXX. lat. vero LIV. minut. XX. vrbs est a tribus oppidis coagmentata, portu, naualibus, & horreis nobilis: copia, & varietate mercimoniorum partim maritimorum, ex toto occidente, & septentrione, partim terrestrium ex diuersis mundi partibus, & fluuiatilium, maxime Vistulæ præterlabentis opportunitate abundans: munitione firma, ciuium, & conuenarum industria ac diligentia culta. Quæ anno superiori, dum opus hoc primum editur, rebellis facta, virtute, & dexteritate fortissimi regis Stephani post insignem cladem, & diuturnam obsidionem clementer in deditionem redacta est. Gedano proxima dignitate nunc est Torunia, viginti quatuor milliariis introrsum versus Posnaniam, & Cracouiam ab eo distans, & in ripa Vistulæ sita, longit. grad. XLI. lat. XXXII. duobusque oppidis distincta. Olim emporio, et omnibus rebus florentior. Sed Gedani incrementa eam non paruis detrimentis affecere, et infrequentem reddidere. Quod ipsa iidem Culmæ prius vsu venerat: quæ ciuitas ea dignatione fuit antiquitus, vt ab ea cetera omnis Prussia atque etiam Masouia pleraque ius peteret: quod inde etiamnum Culmense dicitur. Viguerunt in ea non ita pridem etiam bonarum litterarum studia. Nunc ea pro amplitudine sua infrequens est admodum: cumque superiori tempore in ditione regia fuisset, nunc paret episcopo, qui inde nomen habet. Tametsi cathedra eius est in oppido Culmensea, vno milliario inde distante. Elbinga etiam Prussiæ est gemina, permunita, et copiosa: nisi, quod eius quoque luminibus, vt ita dicam, officiunt, ab altera parte Gedanum, ab altera Regius mons, siue Koenigsberga, vicinæ, et maiore commoditate portuum copiosæ vrbes. Est autem Regius mons, ducalis Prussiæ caput, tribus oppidis, et arce magnifica, nostraque memoria etiam basilica, et sede episcopi Sambiensis insignis: terrestri quidem itinere decem octo milliarium, per Habum vero aliquanto minore interuallo, a Gedano distans, long. gradu XLIII. latitud. LIV. minut. L. Prægola flumen oppida interfecat, et vno ferme milliario infra ea in Habum influit. Minoribus item oppidis frequens est admodum vtraque Prussia, et quidem nec incultis, nec immunitis. In regia, primarium est Marieburgum, cum ipsum per se moenibus, turribusque permunitum, tum arce amplissima, et munitissima nobile, situm ad Negatum brachium Vistulæ, sexto ab vrbe Gedano milliario. Propter adiacentis autem insulæ, cuius mentionem supra fecimus, vbertatem glebæ, pagorumque frequentiam, et cultum, copiosum, et frequens. Ea vero insula in palustri olim restagnantis Vistulæ solo

Leopolis. Præmislia. Chelma. Camenecia. Varsauia. Plocum. Vladislauia. Gedanum, siue Dantiscum. Torunia. Culma. Ius Culmense. Elbinga. Regius mons, siue Koenigsberga. Marieburgum.

operibus, et prælati ac firmi aggeris obiecta, ad vtrunque fluminis brachium effecta, magno hominum labore non fine periculo ab inundatione defensatur. Maior ea vocatur. Minor autem appellatur, continens ei ad occidentale Lenivucæ latus, et ad Motlauiam, Gedanumque pertinens planicies: et ipsa paluſtris olim. Nunc autem foſſarum ductibus exculta, et facta compaſcua. Marieburgo non multum vlla recedit Allesberga, ſiue Heilsberga, epiſcopi Varmienſis domicilium. Cathedra enim ſupra Fraumbergam eſt, quemadmocum ſuperius attigimus. Initio vero, Brunsbergæ ea fuit collocata. Quod ipſum quoque oppidum geminum, permunitum, frequens & copioſum eſt, ita vt inter primarias vrbes Pruſſiæ numerari queat. Quam nuper vir ampliſſimus STANISLAVS HOSIVS, S. R. E. Cardinalis et Varmienſis Epiſcopus, vna cum ſacro eius ipſius eccleſiæ collegio ſtudiis litterarum atque doctrinæ nobiliorem reddidit, nobis adiutoribus, & in religione catholica conſeruat, collegio religioſo eorum hominum, qui de ſocietate Ieſu vocantur, in ea collocato. His oppidis non multum cedunt Guteſtadia, Alleſteinum, Reſla, ſiue Reſelia, Vornnita, Melſacum, Vartemberga, Seburgum in eodem tractu ac dioeceſi Varmienſi. In Pomerania, Tucholia, Choinicia, Stargarda, ſiue Starigrodum, Nouum, Gneuum, Derſauia. In reliqua Pruſſia, Neimarcum, Brodnicia, Stuma, Grudentum, Lubauia, Razinum, & inter hæc interiectum ducale, Quizinum, quod Germani Marieuerder vocant, non ita pridem ſedes Pomeſanienſis epiſcopi: cuius dioeceſis inſulam quoque maiorem, & Stumenſe territorium complectebatur: nunc ea caret epiſcopo. Hæc omnia oppida, & ipſa per ſe moenibus cincta ſunt, & fere arces validas, & bene exædificatas, ſed vetuſtas adiunctas habent. In cetera quoque Polonia non infrequentia ſunt oppida (aut ſi vicos appellare malumus) pleraque ſine vllis moenibus, nec niſi ligneis ædificiis, præter templa, & caſtella, ſiue arces adiunctas. Sunt item arces in editioribus locis, & rupibus extructæ, nullis adiunctis oppidis: Melſtinum, Tencinum, Landiſcorona, Ogrodenecia, Lipouecia, Olſtinum, Pilcia, Sorſtenum, Soben, Ocecium, Viſnice. Sunt & monaſteria ad munitionem pariter, et commoditatem habitatorum exædificata, & vicis, pagiſue non longe diſtantibus frequentata: Tinecenſe, Mogilenſe, Miechouienſe, Andreouienſe, Breſcenſe, Sciricienſe, Stananticenſe, Coprivunicenſe, ſiue Pocrivunicenſe, Lyſſecenſe, Cienſtochouienſe, Vitouienſe, Suleouienſe, Landenſe, Lubinenſe, Ceruenſcenſe, Paradiſenſe, Mogilnenſe, Tremeſnenſe, Secechouienſe, Vangrouecenſe: & Sarnouicenſe, Pelplinenſe, Oliuenſe, Zucouienſe in Pruſſia. Pagi plerique omnes ad lacus, riuos, & flumina ſiti ſunt, ſparſim duplici, vt plurimum, ordine, diſiectis agreſtium domiciliis. In his caſæ ſunt ligneæ, vel luteæ, humiles, pleræque omnes ſtramentis, nonnullæ aſſerculis intectæ, præter prædia, domosque dominorum, quæ ampliores ſunt, & cultiores. In Pruſſicis tamen pagis agreſtes Germani minus inculte habitant: oppidani vero cultius etiam lateritiis fere domibus, interiectu trabium firmatis, & ad omnem commoditatem inſtructis: quæ tamen pleræque ſtramentis tectæ ſunt: nonnullæ lateritiis tegulis. Vrbes longe ſunt cultiores, niſi quod habent domos anguſtiores. Ceteræ vero Poloniæ vrbes primariæ laxioribus domibus, nec minus cultis habitantur. In quibus cum Germani mercatores ſuperiori ætate lateribus, & lapidibus elegantius ædificare coepiſſent, nunc Poloni quoque eodem ſtudio tenentur, illosque ſuperare contendunt: nec in vrbibus modo, ſed etiam villis lautius habitare ſtudent, Italorum fere opificum opera, & induſtria. Hypocauſtorum permagnus eſt vſus maiore parte anni in tota Polonia, præter Caſſubiam, & Pruſſiæ partem quandam: vbi agreſtes per hibernum tempus accenſo in medio domicilii foco, cum pecudibus, iumentis, ac ceteris animalibus, et auibus domeſticis in ſordibus, foetore, atque fumo (licet non deſint ampla fumaria) vitam degunt, ſicut et in Samogitia, et aliis ad ſeptentrionem vergentibus regionibus. Quanquam hypocauſta quoque, agreſtium dumtaxat, pleraque

fumoſa

Heilsberga. Fraumberga. Brunsberga. Stanislaus, [illegible], Cardinalis. Oppida Pruſſiæ.

Pomeſanienſis Epiſcopatus.

Arces Poloniæ

Monaſteria.

Pagi

Vrbes quales.

Hypocauſta.

imosa sunt, (vt quæ furnis ad coquendos cibos et panes intus extructis calorem excipiant, & fumariis magna ex parte careant.) Et anserum, anatum, gallinarumque tum pullis suis, ac ouicularum quoque, capellarum, vitellorum, ac fucularum, propter hibernum gelu, admissu, et receptu sordida. Balnearum item excalfactarum frequens est Polonis vsus, æstate iuxta ac hieme, ad abluenda, & leuanda sudore corpora. In quibus mares seorsum lauant a feminis. Vestium genus neque vnum est, neque certum, aut suum cuique ordini, conditioni, ætati, et generi hominum. Exoticis delectantur plurimi. Feminæ passim cum alio cultu vario, tum virorum amiculis vtuntur. Quanquam id nouum est. Reticulis tamen, aut lineis velis que flammeis eæ capita integunt. Puellæ antiquitus nuda capita sertis aureis, gemmatis, vel sericeis vel floreis, vel herbaceis redimitæ progrediuntur in propatulum. Sed nunc eæ, atque etiam matronæ pileis sericeis, pellibus suffultis, itidem ac mares fere tectæ incedunt. Victus genti antiquitus vulgo, et in plebe, agresti præsertim et vicana, succidia, lactariis, pisciculis, oleribusque potissimum constat. Nunc multi vernecina quoque, et vitulina, et bubula carne victitant: quarum carnium fora in pagis quoque apud templa, et paroecias festis diebus instituuntur. Vrbanis, atque nobilitati victus est dapsilior: et iam lautior etiam, mensæque cum altilibus, tum feris animalibus, auibusque, et piscibus lautis instructæ: in quibus permagnus est aromatum, neque exiguus sacchari et aliorum exoticorum condimentorum vsus: nec oleribus exquisitis eæ carent. Nec desunt bellaria, aliæque lautitiæ tum domi natæ, tum exoticæ. Triticei panis, vinique vsus non ita pridem inoleuit apud elegantiores. Nunc quidem vtroque multum vtitur etiam vulgus in conuiuiis: vino quoque præsertim in minore Polonia, vicina Vngariæ, et Morauiæ. Nec obstat pretium. Ceterum siliginei panis, et cereuisiæ promiscuus est vsus in tota Polonia. Fit autem cereuisia in Prussia quidem ex hordeo, in cetera vero Polonia etiam e tritico minutatim molito, seu confracto, et aqua decocto cum lupulo. Admiscetur nonnunquam tritico siligo, vel spelta, vel auena. Mel quoque itidem cum lupulo aqua decoctum in frequenti vsu est: Russis præsertim, et Podolis, apud quos permagna est apum, et mellis optimi ex dictamo, et aliis bene olentibus herbis ac floribus collecti copia. Nec Prussis, et Masouiis mel deest: qui et ipsi itidem id decoquunt. Medonem vulgo vocant. Solet autem is condiri Varsauiæ peculiariter succo e cerasis, rubine malis expresso, aut aromatibus: et pro ratione condimentorum, Kerstrangi, Malinici, ac Troinici nomen accipit. Color hominum fere candidus est: capillus flauus, vel magis albicans: statura mediocris, aut mediocrem paulo excedens, habitudo corporum succulenta. Nisi quod feminis, et maxime puellis nobilioribus, vrbanisque studium est, vt se reddant curatura iunceas, quemadmodum inquit ille. Alioqui formæ atque teneritudinis non magna ab iis adhibetur cura. Fucare autem faciem, et capillos tingere, indecorum habetur. Sed est in viris iuxta ac feminis naturalis quædam formæ bonitas, ingenuo rubore tincta. Ingenia Polonorum sunt aperta, et candida, et falli, quam fallere, magis apta: non tam irritabilia, quam placabilia: minime proterua aut pertinacia: imo valde tractabilia, si commode ac placide tractentur. Exemplis autem in primis ii commouentur: et sunt principibus, et magistratibus suis satis morigeri. Ad comitatem, ciuilitatem, benignitatem, et hospitalitatem prompti, ita vt ignotos, et externos non modo libenter suscipiant hospitio, sed etiam inuitent, et omni officio prosequantur: et non modo ad conuictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verum etiam ad mores, et imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præsertim, flexibiles. Iuuentutis laxior est paulo et neglectior educatio. Sed ea naturæ bonitate compensatur. Ad scholas quidem, et magistros mittere mares liberos, et Latinis litteris teneram ætatulam imbuere, omnibus pauperibus, nobilitati ac plebi, oppidanæ præsertim, studium est. Multi

Marginalia: Balnea. — Vestitus. — Victus ratio. — Cereuisia. — Medo, siue aqua mulsa. — Corporum habitudo. Terentius. — Ingenia, et mores Pol. — Hospitalitas, & ciuilitas.

pædagogos domi alunt. Itaque ne in medio quidem Latio quis reperiat tam multos vulgo, cum quibus Latine tamen loqui possit. Puellæ quoque nobiles, et vrbanæ, vel domi, vel in monasteriis vernacula, imo et Latina lingua legere, et scribere discunt: adultiores puellæ quidem rei familiaris, culinariæ præsertim et pecuariæ curandæ, lanificioque seu linificio potius, atque textrinæ, et acu pingendi arti manus admouent: mares vero agriculturæ, vel opificio cuipiam, vel mercaturæ, vel magistratuum, et procerum, sacerdotumue opulentiorum ministeriis, et affectationi sese addicunt. Multi domi cum parentibus vitam degunt, eosque in re familiari curanda subleuant, ac decedentibus eis, patresfamilias facti, rem suam agunt. Complures libenter peregrinantur, dispendiorum reifamilias negligentes, egestatisque, et omnium, quæ peregrinantes consequuntur, incommodorum tolerantes. Externa enim magis, quam domestica admirantur. Itaque linguas earum gentium, ad quas peruenerint, cupide, et facile discunt. Quin etiam in victu, cultuque corporis, & moribus noui aliquid peregre afferre student, indeque elegantiæ laudem quærunt. Quod iam ad opiniones quoque de religione proserpsit. Sunt autem docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: sed alienis inuentis perdiscendis ea magis accommodant, quam vt noui aliquid ipsi excogitent, et excellere magnopere vila re studeant. Id adeo fit, siue quod vni alicui arti, & studio non libenter sese addicunt, multa sed nosse cupiunt: siue incuria, segnitie, laborisque fugitatione, quæ plerisque in rebus peculiaris est huic genti: præsertim quod homines, ad quorum vsum fere liberalia iuxta ac mechanica studia referuntur, mediocritate contenti, exquisitam artificum, et operum præstantiam non magnopere requirunt: seu denique quod ditiores otio, delitiisque sese dedunt, relicta tenuioribus ingenii, & industriæ exercitatione: hos vero, cum sit difficile, vt ait Philosophus, egentem bene operari, præsidiis vitæ comparandis distineri, et alienis non nunquam ab ingenio suo studiis et negotiis implicari necesse est. Atque vbi, quod satis est, compararint, & ipsi ferme superiorum similes euadunt, vel rei familiaris tuendæ cura, litiumque anfractibus, vel potentiorum consectatione distrahuntur, idque siue ambitionis stimulis incitati, siue quo se, suosque certo aliquo præsidio ab aliorum iniuriis, & contumeliis vindicent. Nescio enim quomodo fit, vt ad vitæ commoda, & ornamenta non modo comparanda, sed etiam tuenda non satis præsidii sit, hac nostra præsertim ætate, in solis animi, & ingenii bonis, & in legibus ac iure communi. Non tam autem ad artes mechanicas tractandas Poloni apti esse videntur, quam ad studia doctrinæ. Nisi forte illas contempsere potius, quam assequi nequiuere. Externis quidem plerisque opificibus antiquitus vsi sunt, & vtuntur etiam nunc non paucis. Bonarum litterarum atque doctrinæ studia accuratius consectantur, in primis ii, qui his præsidiis ex humilitate, sordibusque domesticis emergere cupiunt, aut qui sua vel parentum voluntate ad sacerdotium animos adiiciunt. Seueriores autem disciplinas ad nostra vsque tempora potissimum consectati sunt Poloni. Non defuere nobis sane superioribus temporibus insignes mathematici, astrologi, dialectici, & philosophi, atque etiam theologi, ii præsertim, qui vocantur scholastici, cum instituta Cracouiæ ante centum septuaginta annos Academia, magistri eius generis Lutetia, Pragaque acciti, admirationi essent vulgo, & primoribus, atque ipsis etiam regibus. Humanitatis, & linguarum eruditarum studia diu neglecta iacuere: nec solum apud maiores nostros, verum & alibi, fatali quadam temporum conditione. Proinde non erat, vnde nostrates ea discerent post acceptas cum religione Christiana literas, & cultum vitæ mitioris. Quo factum est, vt illi quoque, qui tunc docti habebantur, & erant, nihil propemodum literis mandarent, nec in publicum sibi edendum esse ducerent, si quid forte exercitandi sui, aliorumue docendorum causa conscripsissent.

Peregrinationes Polonorum.

Studia Polonorum.

Aristoteles.

Doctrinæ studia.

Academia Cracouiensis.

Neque

Neque sane expedita erat edendi ratio, cum careret Polonia typographis. Ita doctorum virorum memoria cum ipsis pariter extincta est. Nunc certe posteaquam animaduersum est, in pretio esse linguarum, eloquentiæ, humanitatisque studia, cupide ea quoque nostrates amplexi sunt, sed ad vsum ciuilem, & vulgarem magis, quam ad gloriam. Non defuere tamen nostra hac ætate, neque nunc desunt in studiis humanitatis, & eloquentiæ, tum in omni genere doctrinæ magni quidam, & excellentes viri, qui cum commoda vitæ honestissimis discipli-nis, & gloriæ, siue vtilitati publicæ posthabuissent, eo euaserunt, vt admirationi sint, si non suis, certe externis, incorruptius iudicantibus. Sed eos recensere nunc necesse non est. Nec medicinam posthabent, posteaquam ea, vulgatis, delicatiore & laxiore victus ratione, morbis, in pretio esse coepit. In aliis minus elaborant, propterea quod minus ea conducere videntur ad commoda, & ornamenta vitæ comparanda. Non est enim nouum, plurimos mortales hunc finem studiis laboribusque suis statuere, patresque similes illius habere, de quo canit Poëta quidam: *sæpe pater dixit, studium quid inutile tentas?* Rem porro familiarem diligentius curare non ita pridem, & eodem prope tempore, quo bellorum incommodis vacui, luxum, splendoremque consectari coepimus. Sed in ea minor est vulgo parta tuendi ac dispensandi, quam acquirendi diligentia. Maiores quidem nostri comparandis diuitiis non magnopere incubuere, satis habentes, sine magna cura, & labore, vnde in diem propemodum, si non laute, non dure quidem certe, nec parce cum suis viuerent. Itaque tranquilliores tunc res domi erant. Minus appetebatur alienum, minus erat litium: minus iurgiorum atque cædium: minus fraudium, & periuriorum. Maior autem erat fratrum, & agnatorum, cognatorum, affiniumque inter ipsos concordia, & beneuolentia. Maior non modo parentum, sed etiam quorumuis natu grandiorum reuerentia. Perrara finium regundorum iudicia, herciscundæ vero familiæ nulla propemodum. Ceterorum enim cognatorum, ut vicinorum natu maiorum interuentu, et intercessione componebatur, si quid illa de re exortum erat controuersiæ, quod ipsi inter se vicini, vel necessarii transigere familiariter nequiuissent. Res militaris quoniam cum instituto gentis, tum temporum quadam conditione in honore fuit superioribus atque adeo omnibus ... re seculis, extitere multi virtute bellica præstantes viri, maxime nostra memoria, non ita pridem extincti. Et quamuis in diuturna pace, et otio, extant etiam nunc nonnulli. Nec emarcuit vulgo in Polonis vigor ille animorum, laudisque bellicæ studium, si qua se vsquam offerat idonea virtutis exercendæ occasio. Meditationem ... exercitationem, viri sapientes requirunt. Idque ideo fortasse, quia desunt virtuti ... a præmia et quod ignauo otio, et conuiuiis plusculum indulgetur. Ad hæc autem, ... festas epulas conueniunt plerumque vicini, et necessarii inter se ad vnum aliquem, ...ri soli, vel pariter cum feminis. Nec turpe habetur, puellas quoque interesse, et ...rum colloquia, conuiuia choreasque a iuuenibus frequentari, parentibus earum, ...gnatisue natu maioribus præsentibus. Atque ita plurima conciliantur matrimonia. ...ec raro in eiusmodi conuiuiis simultates, et inimicitiæ abolentur, et vel dissolu-..., vel nutantes amicitiæ redintegrantur. Quanquam intemperantioribus compota-...nibus interdum cruentæ quoque pugnæ inter conuiuas amicos, et necessarios ac-...nduntur, iurgiis plerunque inter viliora seruitia coortis. Potantibus enim domi-...s, nec illa a poculis arcentur. Quin illiberalis conuiuator habetur, cui curæ non ..., vt seruitia conuiuarum bene pasta ac pota sint. Quo fertiliores enim sunt ...e regiones, eo magis indulgent homines vulgo crapulæ, prolixioribusque con-...uiis, et compotationibus, ita vt multi eum solum ducant fructum laborum at-...e diuitiarum suarum. Vigent autem passim inter mares compotationes ad æqua-... haustus non solum in conuiuiis, verum etiam in cauponis, ad quas vulgus ...mpotandi causa conuenire solet: eoque prouecta est hæc licentia, vt quod pro-

Eruditio.

Ouidius.

Rei familiaris cura.

Temporum diuersa ratio.

Controuersiarum transactiones.

Rei militaris studium.

Compotationum commoda, & incommoda.

Luxus Polonorum.

 festis

festis diebus partum est, festo die potando fere prodigatur. Atque inde fit, proserpente potandi etiam profestis diebus, & otii consuetudine, et inertia, vt anguſtiore re familiari vtantur multi: præsertim cum nemini curæ sit, quid priuatus quisque gerat negotii, vnde et quomodo sese sustenet: et fructuosa sit autem dominis, et magistratibus illa potandi licentia. Etenim non exigua, et tributorum, et vectigalium publicorum iuxta, ac priuatorum portio e cauponis corrogatur. Exolescit tamen sensim apud honoratiores illa ad æquales haustus potandi consuetudo, eorum studio, qui apud eas gentes, quæ humanitatem studiosius colunt, peregrinati sunt. Sed lautitia in victu, potuque magis ac magis indies inolescit. In cultu quoque corporis, vestiumque numero, varietate, ac pretio maior luxus existit. Nec solum exoticis pannis, et pellibus, verum etiam serico, et purpura vestiri, et argento, auro, margaritis, gemmis exornari mos inoleuit, inferioribus quibusque, præstantium genere, honore, vel facultatibus exempla, cupide amplectentibus, nullis autem legibus sumptuariis modum in victu, cultuque corporis cuiquam ordini, aut homini præscribentibus. Quo planiora autem, et absolutiora sint omnia, quæ de gente Polona persequimur, ordines, et genera hominum describamus: quæ descriptio reipublicæ quoque fundamenta continebit.

Ordines, & status hominum. Distinguitur populus Polonus partim ex religione sumpto vitæ instituto. Ac genere quidem in equestrem ordinem, siue nobilitatem, atque plebem distribuitur: religionis autem instituto in sacrum, et profanum ordinem. Liceat autem nobis eum, qui fanorum atque sacrorum administrationem non habet, profanum appellare, vulgo ecclesiasticum et laicum, vel spiritualem et secularem, statum, & ordinem vocitant. De his posterius: nunc de nobilitate, et plebe. Nobilitas

Nobilitas Milites, & equites. Polona ad regimen atque defensionem ceteræ multitudinis, regionisque segregata est. Atque inde qui sunt huius ordinis, antiquitus milites, nunc equites fere ab equestri militia, cui sunt obnoxii, a Latine loquentibus, et scribentibus appellantur: vernacula autem lingua, Schlachta, a generis nobilitate, mutuato, nisi fallor, a Germanis vocabulo, (quasi *Geschlechter*) vocantur, et Ziemianie, quasi agrarii, vel, vt vulgo interpretantur, terrigenæ, a terra, et agris, quos fere colunt, et habitant antiquitus, hæreditarios, pretioue, seu principis beneficio partos. Habet

Ziemianie.

Nobilitatis prærogatiuæ. autem nobilitas, multas et magnas prærogatiuas, quæ partim regum, et principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus, et institutis inualuere: quæ magna ex parte sparsim, opportunis locis, huic, et historico operi a nobis insertæ sunt. Regi quidem ea soli fere subiecta est. Iudicatúr tamen ad præscriptum legum, et a magistratibus regni, et regiis, quemadmodum posteriore libro ostendemus. E ceteris, priuatis præsertim, nemo nobilitatem cum agris, et pagis, subiectam habet, nisi forte in Russia antiquitus, et prisco ducum gentis iure. Habet etiam Cracouiensis episcopus in Seueriensi ditione: habet et Varmiensis, eiusque ipsius ecclesiæ collegium: quin et Plocensis præpositus: et alii fortasse. Licet tamen homini nobili, siue equiti scultetiam, vt vulgo vocant, siue aduocatiam, in bonis alienis pagánis iuxta ac oppidanis voluntate domini obtinere: (de sculteтiis autem, et aduocatiis posteriore libro dicemus) Licet etiam priuati condirione in vrbem, vel oppidum cuiuslibet commigrare, saluis personæ suæ prærogatiuis, nisi is decus nobilitatis amittat. Nobilitas porro genere censetur, et meritis, adiuncto vitæ in-

Nobiles qui. stituto. Habentur enim nobiles, quorum maiores, aut parentes virtutis ergo in eum ordinem allecti, militiæque adscripti, et gentilitio signo donati sunt, quiue ipsi hæc meruere virtute sua. Sed præstabilius habetur, nobilem natum esse, quam factum. Nasci autem nobilem patre simul, et matre nobilibus oportet legitimo coniunctis matrimonio. Quanquam nec plebeia mater liberorum nobilitatem minuit, dummodo pater sit nobilis. Nothi quamuis nobilibus, et illustri-

Nothi. bus orti, non censentur in familiis, neque nobilitatis prærogatiuis fruuntur. Conferen-

ferendi porro huius decoris, hoc est, nobilitatis, potestatem solus habet princeps, idque vel suo ipsius iudicio, et beneficio facit, vel interueniente testimonio, et quasi adoptione clarorum, et principum alicuius familiæ virorum, stemma, et gentem suam cum eo, qui ita creatur nobilis, communicantium. (114.) Eiusmodi tamen creatis nobilibus obtinere, et possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet. Sed posteritas eorum pari cum aliis natis equitibus iure esse incipit. Amittitur porro nobilitas decreto principis, ob admissum dedecus, et atrox aliquod facinus. Contaminatur etiam, et abdicatur quodammodo, si quis desertis militiæ et agriculturæ studiis, sordidum quæstum faciat arte mechanica, vel tenuiore, et minutioribus mensuris ac ponderibus vtente mercatura, et cauponaria. Est autem pari dignatione Polonica omnis nobilitas: nec est vllum in ea patritiorum, comitumue discrimen, exæquata quodam tempore omnium conditione. Nuper adeo paucis quibusdam, parentum vel ipsorummet amplitudine atque meritis, et principum beneficio, comitum decus denuo partum est. Ducum, qui peculiares haberent dominatus, vel territoria, nunquam aliud genus fuit apud Polonos, quam id, quod a BOLESLAO KRIVOVSTO principe propagatum fuit, cum is principatum inter liberos diuisisset. Verum id iam defecit. Russi habuerunt antiquitus suos duces, habentque etiamnum ii, qui ducum Lithuanicæ ditionis fuere, aut sunt etiamnum, et Volynii. Neque enim subactis, vel in deditionem acceptis ea prærogatiua adempta fuit. De Prussorum, et Curoniensium ducibus post attingemus. Multæ sunt nobilitatis Polonæ gentes, et quasi tribus, non locis, et regionibus, verum signis quibusdam gentilitiis, quæ arma, et insignia vocant, eorumque appellationibus distinctæ, quæ singulæ rursus multas stirpes, et familias cognominibus, et agnationibus distinctas complectuntur. Verbi gratia, LELIVIORVM gens, cuius signum est, noua luna superne stellam inter cornua continens in cælestino scuto, TARNOVIAM, PILECIAM, MELSTINIAM et alias nonnullas honestas, et amplas familias comprehendit. Signa vero gentilitia, siue insignia, partim a rebus, quarum sunt notæ, quemadmodum TOPOROVM ab ascia, partim ab euentu, VT IELITIORVM a visceribus transfixis, appellationem habent: plurimorum ratio obscura est. Nisi forte a primis conditoribus gentium ea sumpta sunt. Neque enim olim, vt nunc, ab arcibus, villis, et pagis, quibus dominabantur, equites: sed vndelibet sumpta, aut indita nomina, ad longam posteritatem, amisso etiam, vel commutato patrimonio, recte transmittebant. Qualia supersunt etiamnunc multa cum alibi, tum in submontano, Sciriciensi tractu, et in Russia. Vt sunt HERBORTH, DVNIN, IORDAN, GLADIS, PIENIANSCVS, PIRSCHALA, OMITA, FARVREIVS, et alia eiusdem generis. Nunc malunt plerique de arcium, oppidorum, et pagorum nominibus deflexa paululum per denominationem in ski, siue ki voce appellari. Ea vero deflexio, vel adiectio syllabæ a Latine loquentibus et scribentibus in *ius* commutatur, ita, vt a Choina Choinski, et pro eo Latine Choinius, a Crasne Crasinski, et pro eo Crasinius, a Lasco Laski appelletur. Ceterum pro eo non Lascius, sed Lascus dicitur. Quod nos in historia secuti sumus, perspicuitati orationis, et externorum auribus inseruientes. Idem veteres historicos Græcos, et Latinos in barbaris nominibus factitasse animaduertimus. Interdum autem sine hac deflexione vel adiectione, arcis, vel oppidi vel pagi nomen, vnde quisque ortus, vel cuius dominus est, cum præpositione de, vel a, vel ab, vel in, cognominis loco vsurpatur,

Nobilitas a quo, & quomodo conferatur.

Nobilitatis amissio.

Nobilitas æqualis.

Comites. Duces.

Gentes & familiæ nobiles vnde appellatæ sunt.

Cognomina nobilitatis vnde, et qualia.

Mm

(114) Vi legom, seu constitutionom sequentium, hæc regum Poloniarum prærogatiua, qua adhuc SIGISMVNDVS AVGVSTVS fruebatur, abolita fuit Et respublica sola in comitiis congregata, vna cum serenissimo rege plebeiis iura nobilitatis, vel extraneis nobilibus ius nobile Poloni, quod *indigenatum* vocant, ob merita in rempublicam, nunc distribuit. Serenissimos quidem rex Polonos, tanquam monarcha, & Marchiones, comites, nobilesque creat, sed illi non iuribus nobilium Polonorum gaudent, neque bona nobilia iure hæreditario possidere, neque publicis in republica officiis fungi possunt.

tur, a magnatibus præſertim et clarioribus: ita, vt verbi gratia, in Tencin, vel a Gorca, vel de Felſtin, quis appelletur: Obſeruaturque in his vulgo diſcrimen quoddam, non magis a Polonis, quam a Germanis, et Boëmis, qui itidem vtuntur huiuſcemodi appellationibus. *In* enim præpoſitionem iis fere attribuunt, qui domini ſunt locorum: ceteras, etiam iis, qui inde dumtaxat orti vel oriundi ſunt, etiamſi ibi non habeant, vbi pedem figant. Gentilitiorum autem ſignorm, quæ, quidem quærendo inueſtigare potuimus, appellationes hæ ſunt: In quibus enumerandis ordinem primarum litterarum, et vernaculæ linguæ ſonum ſeruabimus. ABRAM, ſiue VALDORFF: AMADEI: BIALINA: BIBERSTEIN: BODVLIA: BOGORIA: BOITZA: BROG: BOZESTADO: BUINCIA, ſiue BUINCZA: BYLINY: CIOLEKE: COPACZINA COVMIA: CIELANTCOVIA: CORVITZ, ſiue BIES: CHOLLVA: COTFITZ: CORAB: CORCIAK, ſiue CORCZAK: OAMBROVA: DAMBROVA altera: DEMBNO: DOLIVA: DOLENGA: DRZEVICZA: DRUZINA: DRIIA: DZIALOSSA: GODZCIEMBA: GOSDOVA: GRABIA: GRIPH, quod et SVIEBODA: GRYZIMA: GRZIMALA: HABDANC: HERBVRTHOVA: HELM: IANINA: IASTRZEMBIEC: IELITA, ſiue KOSLAROGI: IEDNOROZEC: IVNOSSA: KORSBOC: KERDEI: LABENTZ: LARISSA: LELIVA: LIADA: LEVART ſiue LEOPARDVS: LODZIA: LZAVIA: LIS, quod & MVRZA: MOZELA: MORSKICOT: MANDROSTCA: NALENCZ: NIESOBIA: NIECZVIA: NOVINA OLIVA: OSMAROG: OOROVVANZ: OSTOIA: ORLIA: OLOBOG: OVADA: OXA: PILAVA: PIRZCHALA: POVALIA, ſiue OGON: POBOŻE: POGONIA, POLVCOSIA, PRAVVDA, POMIAN, PRZEGINIA: PRVS, PRVS alterum: quod & NAVIEKI: PROSNIA: RAVA: RADVAN: ROZA: ROGALA: RVCHABA: ROLIA: SCHELIOA: SLEPOVVRON: SOCOLIA: SERVICAPTVR: SCHILDE: STARICON, STARZA, quod & OSSORIA: STRZEMIEN: STRZEGOMIA, STERNBERG, SRENAVA, SVLIMA, SVVIRCZEK, SIROCOMLIA: SCHVMBERG, ſiue COTFITZA, SVVINCA, TARNAVA, TOPOR, TOPACZ, TRZASKI, TRAMBY, VARNIA, VIENIAVA, VVCZELIE, VIERVSSOVA, VENZIK, VADVVA, VIERZINKOVA ZABAVA: ZADORA, ſiue PLOMIEN, ZAGROBIA. Duorum nomina non tenemus, ea ſunt albæ aquilæ anterior pars dimidia a capite cauda tenus, erecta, cum duabus ſtellis a tergo: & quinque roſæ albæ in quincuncem collocatæ. Vnde ſimul & ex gente Iaſtrzembecia ego maternum genus duco, pater vero meus e Pirzchalia, et Oſmarogia. Nihil autem vetat his noſtrum quoque adiungere, quo me vna cum fratribus meis, & omni poſteritate noſtra optimus Rex Sigismundus Auguſtus ornauit, dimidiam aquilam pectore tenus, naturali colore, extenſis alis, laurea corolla circum collum redimitam in rubro ſcuto impartitus. Cui Ferdinandus Rom. Imperator electus, immortali memoria digniſſimus, cum legatione apud eum eiusdem regis nomine in ſeptimum annum fungerer, gentilitium Auſtriacæ familiæ ſuæ ſtemma, rubram in albo ſcuto teniam per tranſuerſum ductam ſubdidit, & duo nigræ Imperialis aquilæ capita galeæ coronatæ ſuperpoſuit. Cur autem minus liceat cuipiam a ſe parto, quam ab aliis relicto decore gaudere? Et hactenus quidem de nominibus gentium Polonæ nobilitatis nobis dictum ſit. Signa, origines, familiaſque deſcribere, longum, & operoſum eſſet, ne dicam infinitum.

Signa, ſiue in ſigna nobilitatis Polonæ.

(115) Antiquitus ſparſim nobilitas in agris habitat, in ſua quisque villa, vel caſtello, vel arce, rem familiarem operis, & laboribus adſcriptitiorum ſuorum, vel mercenariorum curans, & agricultura, gregum, armentorum, & apiariorum fructu, itemque venatione, & aucupio non modo ſuſtentans ſeſe cum domeſticis ſuis familiis, verum etiam honeſtas diuitias comparans vendendis iis, qui ſuperſunt vſui domeſtico, quæque deſunt inde viciſſim comparandis. Matres autem familias, & puellæ nobiles lanificium, & linum, cannabimque, & rem pecuariam tractantes non

Nobilitatis habitandi, et viuendi ratio.

Feminarum ſtudia.

(115) Hac de re ſcripſerunt OKOLSKI, PAPROCKI, et NIESIECKI, nuper etiam celſiſſimus princeps IABLONOVIVS, palatinus Novogrodenſis, qui, cognitionem genealogiæ et heraldicæ Polonorum quod attinet, haud parem habet in regno. Cumulum ad Nieſieccii opus addidit celebris in academia Zamoſcenſi profeſſor DUNCZEWSKI.

non dedecet vendere ea, quæ ex huiusmodi re familiari, & fructibus eius super-
sunt vsui domestico. Quin & culinæ curam eæ gerunt, exceptis illustrioribus, et
senatoriis, quæ hæc pleraque dedignantur, aut pedissequarum opera peragunt.
Iter facientes, feminæ quidem carpentis, vehiculis, aut curribus vehuntur: mares
vero vel iisdem, vel equis potius: pedestrem incedere per viam, longiorem præ-
sertim, minus honorificum vulgo habetur: nisi paupertas necessitatem imponat.
Iam autem lautiores, & elegantiores de nobilitate in vrbibus domicilia figere, vil-
lis, & rusticis prædiis relictis, incipiunt. Prodeuntem in publicum nobilem virum
iuxta ac feminam assedis maribus, feminam vero etiam puellis pedissequis stipari,
honorificum habetur. Et in eum vsum alit quisque domi suæ famulitium pro
modo facultatum: idque simili figura, et colore vestium, non sine sumptu, et lu-
xu vestiri vsitatum est. Aluntur et equi complures. Equitantem enim aut vehen-
tem herum famuli honoratiores, non nisi per vrbem, vel ad suburbana pedestres
assectantur. Ac senatores quidem primarii, pedestres iuxta ac equestres, medii se-
re inter asseclas mares incedunt, honoratioribus antecedentibus: cetera vero tur-
ba cum pueris subsequente. In cetera nobilitate asseclæ omnes heros sequun-
tur. Matronas autem, et puellas nobiles mares quidem antecedunt, feminæ sub-
sequuntur, præter filias, et quæ in filiarum loco habentur, et sorores puellas, quæ
secundum anteambulones proxime matrem, vel sororem præcedunt. Spectatur
autem in famulis, et pedissequis, cum vsus ad ministeria, tum statura, forma, ele-
gantia, et genus. Nec deest copia equestrium, ac nobilium iuuenum, qui vel
studio ciuilitatis, prudentiæque vsu rerum comparandæ incitati, vel tenuitate for-
tunarum adducti, vel præsidii contra vim potentiorum sibi, suisque comparandi
causa, non modo in magnatum, et episcoporum, sacerdotumque ac doctorum cli-
entelas, verum etiam in parium ac tenuiorum, inferiorumque nonnunquam, eo-
rum præsertim, qui magistratus gerunt, aut aliquo sunt numero in aula principis,
aut opibus, industria, eruditione, gratiaue populari valent, affectationem, et mi-
nisterium, parua, vel nulla mercede, a parentibus, et propinquis traduntur, vel ip-
si sese addicunt. Duratque ea seruitus, quoad vtrique, hero, inquam, et seruo,
siue clienti placet. Multi etiam de ditioribus necessariorum, et amicorum liberos
pio quodam, et honesto iuuentutis educandæ studio vltro sibi in familiaritatem, &
ministerium adsciscunt. Ad eundem modum, et feminæ feminis famulantur.
Nec pudendum aut dedecori affine est genus hoc seruitutis, sed liberale, et socia-
bile: nec rara est in eo vicissitudo, ita vt eum quis habeat in ministerio, cuius pa-
rentibus ipse seruiuerit: honestaque habetur hæc iuuentutis equestris educandæ
ratio, æquabilitatem quandam etiam inæqualibus fortunis continens: Et multos
ex humili loco ac tenui fortuna non modo ad mediocres, verum etiam ad sum-
mos nonnunquam honores, amplissimasque facultates, et opes, ipsorum virtus,
herorumque beneficentia prouehit: idque maxime conciliandis luculentis coniu-
giis vel sacerdotiis. Honestatis magna semper a nobilitate ratio habita est. Frau-
dem facere, promissum fallere, peierare, mentiri, probrosum et infame semper
habitum est, atque etiam nunc habetur, quamuis in maiore, quam olim, habendi
studio et licentia. Quod si quid eiuscemodi in probri loco cuiquam obiiciatur, præ-
sertim ab eiusdem ordinis viro, non tam legibus et magistratuum iudicio, et auctoritate,
quam ferro, manuque vindicatur. Dissimulare quidem probrosum habetur. Lo-
ci tamen ratio ducitur. Plebeiis minor est cura dignitatis, atque pomposæ ambi-
tionis, exceptis vrbanis feminis, quæ et ipsæ bene cultæ, et vna aut altera pedisse-
qua comitatæ incedere student: vita autem laboriosior, et solicitior, tam mulierum
quam virorum, nullo fere sexus discrimine, nisi quod feminæ opificia non exer-
cent, neque vecturam, neque negotiandi gratia peregrinantur. Vicina tamen op-
pida intra fines regni adeunt, domique negotiantur. In iudicio standi ius non ha-

Comitatus.

Famuli et Pedissequæ.

Nobilitatis studia.

Plebs.

Plebeii qui.

bent. In plebe autem numerantur, quicunque nobiles, siue equites, non sunt, siue sint agricolæ, olitores, apiarii, et pecuarii, siue opifices, et operarii, siue caupones, propolæ, vectores, et mercatores, et siue in agris, quemadmodum superius attigimus, pagis atque vicis vitam degant, siue in oppidis, et vrbibus. Ac vrbes quidem, et oppida a mercatoribus, opificibus, er propolis habitantur. Vici autem, et pagi, et suburbana prædia ab aratoribus, olitoribus, pecuariis, et apiariis. Caupones vero, molitores, operarii, vectores, iumentorumque locatores, vtrobique sunt. Sunt autem aliquanto meliore, et liberiore conditione vrbani, et oppidani, quam agrestes. Ac censum quidem annuum vtrique dominis suis pensitant, verum agrestes, et vicani plerique omnes, operas præter ea gratuitas ad colendos eorum agros, et alios vsus domesticos, non solum manuarias, verum etiam cum iumentis ipsi, per se, vel per mercenarios, et operarios suos præstant. Nec alio cuiquam commigrare, inconsulto domino, licet: ita vt videantur esse glebæ adscriptitii, nec multum a seruis differant, præsertim vt nunc sunt tempora. Cmiecie, seu Cmetones vulgo vocantur. His autem deteriore conditione sunt hortulani, qui hortos colunt. Vtrique CHLOPI appellantur, quam appellationem, velut probrosam, non fert nobilitas. Habent sane in eos domini, vitæ necisque potestatem: præter eos, qui ab ineunte ætate litterarum studiis, sacrorumque ministerio sese addixerunt. In plebe vrbana non desunt, qui rem lautiorem per famulos, et vicarios administrantes, ipsi otio, honestioribus studiis, vel delitiis vacant. Multi lautius, et sumptuosius victitant: atque inde crescunt rerum pretia, et non pauci ex iis ad egestatem rediguntur. Et hactenus quidem de nobilitate, et plebe. Iam de sacro, siue ecclesiastico ordine. Quod vt planius fiat, de religionibus prius pauca attingamus. Christianam religionem Polona gens, abiecto semel impio dæmonum cultu, sexcentis amplius annis constanter retinet, religioseque colit, hæreticarum nouationum insolens, et impatiens ante nostram ætatem. Nuper nostra memoria Lutherana primum, mox etiam Berengariana seu Caluiniana labes a mercatoribus, et bonarum litterarum studiosis iuuenibus, leuitate animorum, et curioso studio nouitatis inductis, peregre inuecta, multorum animos infecit. Quod olim etiam de Hussitica, et Viclefica, extremis Vladislai Iagiellonis Regis, et primis filiorum eius Vladislai, et Casimiri temporibus (cum horum iuxta ac illius ætas contemneretur) vsu venire coeperat. Sed principum, et episcoporum virtute, auctoritate, studio, ac diligentia, ceterorumque procerum pietate, grauitate, et constantia malum altius radices agere permissum non est. Itaque retinuerunt ii tunc cum prisca religione etiam dignitatem, auctoritatemque suam, et rempublicam. Quæ, qui nunc viuunt, vtinam posteris etiam suis relinquant. Iam autem non solum ille, quas dudum memoraui, verum etiam Picardorum, Anabaptistarum, Arianorum, Pneumatomachorum, Trideitarum, Photinianorum, Ebionitarum, Recutitorum, et nescio quæ non pestes, proh nefas, Poloniam, laxatis semel licentiæ habenis, agminatim inuadunt, et prætextu, seu verius ab vsu libertatis, præeuntibus nonnullis de nobilitate, sibi quisque religionis magister, atque adeo rex, et lex esse incipit. Sed hæc alibi prolixius deplorauimus. Prussi aliquanto posterius Christo nomina dedere: citius autem, et cupidius Lutheranum dogma amplexi sunt, vrbani præsertim, et qui sunt Germanici sanguinis, propter mercatorum, et opificum Germanorum frequentiam, et commercia, et lectionem librorum importatorum e Germania. Quum enim ea colluuies hominum quasi ad pileum vocata, semel ecclesiasticæ disciplinæ iugum excussisset, a magistratibus, siue timore, siue peruersa animi inductione, et ob iusiurandum præceptoribus suis in Germania datum, eodem inclinatis, imo redemptis etiam, non modo non repressa est, sed magis etiam confirmatur, et incitatur. Multi tamen adhuc pia maiorum instituta retinent, præsertim vbi magistratus

Vrbanorum et agrestium discrimen.

Religio, et pietas Polonorum.

Hæreses in Polonia.

Prussorum religio.

Masouiorum religio.

tus

tus officium suum faciunt, alienum non vsurpant. Masouii tenaciores antiquæ religionis, & pietatis, a profanis nouationibus ferme abhorrent. Abhorrent etiam Russi. Græcos autem hi sequuntur, quos ab initio religionis magistros habuere, & cum iis a nobis, hoc est, a Romanæ, & catholicæ ecclesiæ consensu sese per sacrilegum schisma præcidunt tanta pertinacia, vt nihil commune habere velint cum Latinis. Sic enim nos appellant, qui in cultu diuino publice Latina lingua vtimur, & cum sapientissimis, & sanctissimis, maioribus ipsorum Græcorum iuxta ac nostris summam Romani Pontificis dignitatem, & auctoritatem in vniuerso christianorum populorum coetu agnoscimus. Nec in multis præter ea a nobis ii dissentiunt: & quidem ritibus, & institutis ecclesiasticis magis, quam dogmatibus religionis. Vulgant autem diuortia, quamuis leui de causa. Plurimi tamen ex iis, ex quo tempore Polonorum ditione tenentur, ad nos, & Romanæ ecclesiæ societatem, & instituta transierunt, eodemque cum ceteris Polonis iure sunt. Armeni oppida quædam Russiæ, Podoliæque incolentes, suis & ipsi ritibus, suaque lingua in sacris vtuntur. Non abhorrent ii tamen, sicut accepimus, a Romana ecclesia, et Romano Pontifice, quin principatum eius in vniuersa Christi ecclesia agnoscunt. Hebræi vero, quibus aliunde pulsis, Russiæ, & Lithuaniæ, ac totius fere Poloniæ oppida referta sunt, suam retinent religionem, nisi forte superstitio, vel impietas ea potius dici debet. Feruntur etiam Tartari Ceremissi in vno aut altero oppido Podoliæ suis vti ritibus, & impietate Mahometana, quemadmodum & in Lithuania, quorum in delubro apud Trocos nihil præter pileum turbinatum, quibus vulgo ea gens vtitur, in suggesto editiore positum ante multos annos aspeximus. Sed mittamus barbaros incolas, cum falsis suis religionibus, & ad institutum nostrum reuertamur. Tam apud Russos igitur, & Armenos, quam apud Polonos, qui Christi Dei, ac magistri institutis conuenienter pietatem colunt antiquitus, certus est ordo eorum hominum, qui religioni, sacrisque peculiariter moderantur, & inseruiunt, non genere, sed eorum, penes quos eius rei potestas est antiquitus, & iam inde ab temporibus Apostolicis (episcoporum inquam) auctoritate, segregatione, & initiatione, siue consecratione a cetera omni multitudine distinctus: quem sacrum, & ecclesiasticum, & spiritualem dici supra memorauimus. In quo non modo episcopi, & sacerdotes, verum etiam ceteri sacrorum administri, monachi, monachæque censentur, a plebeio iuxta ac equestri ordine allecti. Vtrisque enim antiquitus iam inde ab initio patuit aditus ad hunc ordinem. Patrum demum, aut auorum nostrorum memoria ab episcopalibus non tam functionibus, quam sedibus, & primariis quarundam opulentiorum basilicarum, siue ecclesiarum, vt vulgo vocant, cathedralium honoribus, quæ prælaturæ, & canonicatus dicuntur, plebeii (theologis, iureconsultis, & Medicis aliquot exceptis) excludi coepere. Quod iam ad abbatias quoque & monasteria (vbi ex professo mundana omnia abdicantur) inducitur. Secernitur etiam sacer ordo vestitu, & cultu corporis a cetera multitudine. Sed & inter se non modo a ceteris sacerdotibus episcopi, & ab vtrisque monachi, verum etiam ipsæ inter se monachorum, & monacharum sectæ, partim figura, partim colore vestium, partim toto vitæ instituto distinguuntur. Quæ, quoniam communia sunt Polonis cum ceteris Christianis populis, persequi hic prolixius necesse non est. Proinde distinctis ordinibus, reliquam rei familiaris Polonicæ rationem paucis concludamus. In magna rerum omnium copia, vt fit, maior aliquanto fuit superioribus temporibus, quam nunc est, argenti, & auri, reique numariæ penuria, præsertim cum auri, & argenti metalla nulla extarent, & minus nota essent nostris maioribus transmarina mercimonia. Neque proprium habebant numum Poloni, sed externis, & maxime Boëmicis vsi sunt aliquandiu. Coepit deinde ante ducentos, ni fallor, annos, a Casimiro magno rege, æs, & ar-

Russorum religio, & schisma. Latini.

Armeni.

Iudæi.

Sacer ecclesiasticus ordo.

Plebeii arcentur a nonnullis honoribus ecclesiasticis.

Sacri ordinis distinctio.

Res numaria.

Moneta.

Aureus.

argentum ſignari ad exemplum Boëmorum. Aureos vero numos primus omnium Sigismundi Auguſti pater, noſtra memoria ſignauit, bonitate, & pondere Vngaricorum. Tametſi Alexandri quoque, fratris eius, aureum numum vidimus. Sic autem creuit iam auri pretium, vt prope duplo carior nunc ſit aureus numus, quam fuit auorum noſtrorum memoria. Id adeo, partim propter luxum & crebriorem auri vſum, exportationemque ad exteros, partim quia deterior nunc eſſe fertur reliqua moneta, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Eſt autem ea multiplex.

Groſſus. Copa. Marca. Florenus. Ferto. Scotus. Medians. Solidus. Ternarius. Obulus.

Ac groſſus quidem argenteum numisma eſt cum admixto ære, olim viceſima octaua, nunc quinquageſima ſecunda, vel tertia, imo iam quarta, & quinta pars aurei Vngarici, ſexagenæ, ſiue copæ ſexageſima, marcæ quadrageſima octaua, floreni triceſima, fertonis duodecima, ſcoti vero dimidia. Sic vulgo dicuntur pondera, ſiue genera, quibus pecuniam numeramus, & computamus. Sunt & minores groſſo numi. Medians quidem groſſi dimidium, nona fere parte ſuperans cruciatum Germanicum, ſed iam exæquatus. Solidus tertia pars groſſi, ternarius ſexta, obulus vero decima octaua. Atque hi quidem nunc ærei ſunt inalbati: ſuperiori tempore habuerunt admixtum argentum, vt etiam nunc habent groſſi, & mediantes. Argentei vero ſunt trigroſſus, ac ſegroſſus hic quidem ſex; ille vero tribus groſſis æſtimatione par. Vtrumque primus ſignauit Rex Sigismundus ſenior: ſed iam pauci extant. Exportantur enim, & conflantur ab auaris Iudæis, mercatoribus, & argentariis apud gentes finitimas. Permagnus eſt autem etiam nunc apud nos vſus externæ monetæ, quæ pro mercibus vndelibet importatur. (116)

Mercimonia.

Magna ſunt enim nunc, ſi vnquam alias, Polonis variarum rerum cum ceteris gentibus commercia: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur

Quæ exportantur.

Exportantur autem in primis, ſiligo, triticum, hordeum, auena, & alia legumina, linum, lupulus, coria boum, ſeuum, alutæ, mel, cera, ſuccinum, pix, cinis, mali, aſſeres, ceteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta. Cereuiſia quoque & herba quædam tingendis lanæ, & ſerico idonea. Iam vero & boum, verueeum, & equorum permagna vis non modo finitimis, verum etiam remotioribus populis ſuppeditatur. Ac equi partim propter pernicitatem, & laboris, incommodorumque tolerantiam, partim propter molliorem inceſſum a remotioribus etiam populis expetuntur.

Quæ aliunde importantur.

Importantur autem viciſſim aliunde panni non modo ſericei, & aurei, ſed etiam lanei, lineique ſubtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquiſita ſunt apud Polonos licet non deſit materia, & aliis gentibus ſuppeditetur. Margaritæ item, & gemmæ, & pelles, ſabellinæ, pantherinæ ſiue lupicervariæ, hermelinæ, madurinæ, murium pnticorum, vulpinæ, lupinæ, vrſinæ, & aliarum ferarum, quarum maiorem copiam producunt interiores ſeptentrionis, orientisque ſiluæ. Huſiones quoque ſiue Mariani, & haleces, & alia ſalſamenta, & vento, vel ſole durati piſces marini. Ad hæc argentum, æs, orichalcum, & chalybs, cum facta, tum infecta. Boum etiam copiam auget vber paſcuis Valachia, ſiue Moldauia, & Beſſarabia: ſicut equorum Vngaria. Vina plurima ex eadem Vngaria et Morauia. Ex Auſtria, Rhetia, Slauonia, Italia, Creta, et Græcia importantur etiam, ſed pauciora. Gedanum autem Renenſe, et Gallicum, et Hiſpa-

(116.) Longe alia noſtris temporibos in Polonis rei numariæ facies eſt, alii numi, aliusque eorum valor. Nunc in vſu maxime ſont aorei numi, quos *ducatos* dicunt, & omnes alii, vt Lodovici, Friderici aurei, non niſi inter mercatores raro obueniunt. Valet autem Vngaricus numus, octodecim florenos Polonos, ſeu quatuordecim tynfones, & octo groſſos. Argenteam monetam quod attinet, tynfones, ſextarii, ſemiſextarii, groſſi & ſolidi nunc ſunt circumforanei. Præter hæc & Germanici & Ruſſici, imperiales, floreni Germanici, illorumque duas, quatuor & octo partes efficientes numi videntur. Tres ſolidi, faciunt groſſum, ambo ex cupro conflati. Tynſones, ſextarii & ſemiſextarii, ſunt argentei, admixto ære, tynſo valet triginta octo groſſos Polonicos, & ſextarius eſt tertia tynſonis pars, qui valet duodecim groſſos & duos ſolidos, florenus vero triginta groſſos Polonos. Florenos & groſſus igitur Polonicus Cromeri tempore, ad eos, qoibus nunc vtimur, ſe habent vt 4. ad 1, vel quater ſuperabant noſtros.

ſpanienſe, Canarienſe quoque, et Creticum nauibus aduehitur. Porro aromata et varia eduliorum condimenta atque cupediæ, quæ vna cum vino, et pannis aureis ac ſericeis gentem hanc atque regnum vehementer exhauriunt, de longe ab oriente, et occidente importantur. Harum autem rerum atque mercium exportandarum, et importandarum commercia ſunt Polonis, maritima quidem cum accolis ſinus Venedici, et oceani Germanici, Pomeranis, Mechelburgenſibus, Holſaciis, Danis, Friſiis, Hollandis, Brabantis, et aliis Belgis, Gallis, Liuonibus, Moſchis, Sueonibus, ſiue Suecis, Noruegiis, Anglis, Scotis, Hiſpanis etiam et Luſitanis: itemque per Pontum Euxinum cum gentibus Turcicæ ditionis: terreſtria vero cum Germanis, Morauis, Sileſiis, Boëmis, Vngaris, Italis, Moldauis, Moschis, Armenis, atque Turcis. Sed iam hunc librum claudamus, altero reipublicæ Polonæ rationem deſcripturi. Ac primum quidem de magiſtratibus, et muneribus publicis perſequemur: deinde vero iudiciorum, comitiorum, et belli rationem explicabimus, ſic tamen, vtrobique vt Pruſſos ad calcem operis, vitandæ perplexitatis cauſa, reſeruemus.

Populi cum quibus commercia ſunt Polonis.

POLONIÆ MARTINI CROMERI LIBER ALTER.

DE REPVBLICA ET MAGISTRATIBVS POLONORVM.

De tribus primis, & ſimplicibus rerum publicarum formis, quæ vel vnius, vel paucorum imperio, vel multorum, omniumue quadam æquabilitate iuris continentur, vnius principatum Poloni ſemper, præter duo quædam tempora, de quibus in hiſtoria memorauimus, amplexi ſunt, bonis plerumque, & moderatis, & a tyrannide alienis vſi principibus. Fuitque contenta Polonia principis, ſiue ducis nomine & imperio, donec OTTO III. eius nominis Imperator Rom. BOLESLAUM cognomento CHOBRUM (Chabrum vulgo vocant) paulo poſt ſuſceptam religionem Chriſtianam: hoc eſt, anno poſt Chriſtum natum milleſimo, & primo, regio diademate, & honore dignatus eſt. Nec tamen vltra quartum Regem tunc is honos manſit apud hanc gentem. Nam poſt alterum Boleslaum, prioris illius pronepotem, ducentis amplius annis, principes Polonorum regio nomine abſtinuerunt. Deinde vero anno Chriſti MCCLXXXXV. reuocatum, & renouatum id in Præmislo, manet in hanc diem: Et quidem ad externos plerumque liberis liberi populi ſuffragiis delatum, cum antea Poloni externum principem non habuiſſent. Ac neque ex alia familia per quadringentos amplius annos, quam ex ea, quæ a Piaſto duxit originem. A centum & amplius octoginta annis regnauit perpetua ſucceſſione IAGELLONIA magnorum ducum Lithuaniæ progenies. Non hæreditario tamen, ſed electionis iure. Fuit autem initio liberior dominatus principis: & nulla propemodum legibus adſtrictus infinitam non modo omnium rerum, ſed etiam vitæ, necisque omnium poteſtatem habens. Poſt ſuſceptam vero publice religionem Chriſtianam, temperari ea coepit primum piis monitis, atque doctrina epiſcoporum, & ſacerdotum (quibus nunc præclara ſcilicet refertur gratia, tunc permagna erat eorum dignatio, & auctoritas) ac ceterorum Chriſtianorum populorum imitatione, & moribus. Deinde vero bellatricis nobilitatis meritis,

Monarchiam Poloni amplectuntur.

Hiſt. Pol. lib. 2.

Regni Poloniæ origo.

Hiſt. lib. 3.

Hiſt. lib. 5.

Regni reſumptio.

Hiſt. lib. 11.

Hiſt. lib. 14. & 15.

Principis poteſtas.

Regiæ potestatis fines. ritis, & obsequiis, fortassis autem & contentionibus multa de suo iure remittentibus, & indulgentibus equestri ordini regibus, & principibus. Nunc sane angustis finibus regia potestas in sacrum, & equestrem ordinem, & vtrique subiectos homines atque bona, circumscripta est: ac in sacerdotes quidem iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ rex nihil prorsus iuris habet. De equitis vero capite, & fama, non nisi in comitiis cum senatu iudicat, certis aliquot causis exceptis. Senatu autem inconsulto neque bellum cuiquam facit, neque foedus publice cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia, ac telonia noua instituit, neque alienat quicquam de bonis regni, neque rem vllam maiorem ad rempublicam pertinentem statuit, aut facit. Porro leges nouas condere, pecuniam extra ordinem publice imperare, monetam signare, successorem sibi designare, ne cum senatu quidem potest absque consensu ceteræ nobilitatis, siue equestris, & militaris ordinis. De quo fere magistratus etiam publici, et senatores leguntur: ita vt penes eum ordinem nunc sit propemodum summa reipublicæ. Itaque nunc regnum, et respublica Polonorum a veteri Lacedemoniorum, vel huius temporis Venetorum reipublicæ ratione non multum differt. Ius creandi Regis penes senatum est, de quo paulo post dicemus. Atque id etiam equester ordo sibi vendicare coepit, ita vt tum demum in eo ratum sit senatus iudicium, si assentiatur cetera nobilitas. Non temere tamen disceditur a stirpe regia mascula, si qua extat. A nouo rege iusiurandum exigitur in hanc sententiam: Quod secundum leges, et instituta maiorum regnaturus sit, et suum cuique ordini, et homini ius, priuilegiumque, et beneficium, a prioribus collatum, saluum conseruaturus, neque de regni finibus, et bonis quicquam diminuturus, quin amissa etiam ab aliis pro virili sua recuperaturus. Vicissim autem senatus omnis in verba eius iurat. Inauguratur autem (si tamen hoc verbo vti fas est) olim quidem in Gnesnensi, nunc vero in Cracouiensi basili a ritu solenni Christianorum ab archiepiscopo Gnesnensi sacris operante, ac duobus proximis episcopis: vnctusque inter scapulas sacro oleo ante aram maximam, vbi etiam sacrosanctam eucharistiam venerabundus accipit, et corona aurea redimitus, accepto in dextram sceptro, et in leuam pomo aureis, in editiore solio ex tempore præparato collocatur, omnibusque rite peractis coronatus in regiam reducitur. Postridie pompa itidem solenni coronatus in forum vrbis equo vehitur, senatoribus equestribus, episcopis quidem pone sequentibus: profanis vero antecedentibus longo ordine. E quibus tres primores pomum, et sceptrum, et strictum gladium proxime ei præferunt. Ibi erectum ex tempore tabulatum sublime cum iis pedester conscendit, et in editiori solio collocatur. Sedentem senatus paulo inferior ordine circumsidet. Deinde assurgens ille, versus quatuor mundi partes gladium vibrat, rursumque residens, eius contactu sine leni ictu inter scapulas cuiusque, nobiles et equites auratos creat: quod perinde est, ac si baltheo militari donet. Vrbani autem et oppidani magistratus in verba noui regis iurant. Inde rite peractis omnibus, in arcem cum eadem pompa reditur, et festis epulis indulgetur. Nec multo diuersa est reginæ inauguratio: quæ fit præsente, deducente, et postulante pro ea rege. Deducit autem eam coronatam etiam ad forum rex ipse quoque coronatus cum simili pompa. Sed non iuratur in verba reginæ, nec ei defertur vlla potestas aut iurisdictio. Vectigalia principis aliquanto luculentiora et ampliora olim fuere, quam nunc sunt. Pensitabant enim ei omnes agrestes et adscriptitii quotannis tributum *poradline*, quod nos *rastrale* dicere possumus (regale etiam vocatur) in iugerum, seu laneum et mansum, vt vulgo vocant, duodenos grossos, et quidem latos siue Pragenses: qui dimidio eos, qui nunc sunt in vsu, grossos vernaculos excedunt. Quin si bonitatem et pondus argenti spectes, quadruplo, quemadmodum earum rerum periti affirmant, melior tunc erat grossus, quam nunc est. Pensitabant et alias quasdam

Margin notes: Regis electio. — Iusiurandum Regis. — Coronatio. — Reginæ coronatio. — Vectigalia principis. — Poradline siue rastrale tributum. — Grossi Pragenses siue lati.

cum numarias, tum pecuarias, frumentarias, auenarias, et aliarum rerum pensiones: nec modo agricolæ, sed et oppidani: Quin et equites siue milites non penitus immunes erant. Et iumenta autem hi ei, quacunque iter faciebat, alii secundum alios suppeditabant, et canes cum venatoribus eius alere necesse habebant. Ne monastica quidem et alia ecclesiastica bona initio prorsus erant libera ab huiusmodi oneribus ac tributis, quorum appellationes videre licet in vetustis principum diplomatis: Nempe *przewod*, *powos*, *stroza*, *stan*, *powolowe*, *targowe*, *Croua*, *podwody*, *Voginia*, *Narzas*; *sep*, *podworowe*, *Opoliæ*. Liberæ autem principi erant vbique piscationes atque venationes: Aliis non erant, ne in suo quidem cuiquam fundo, absque peculiari principis indulgentia. Mulctæ quoque maleficiorum principi dependebantur. Quæ cum ita essent, cumque permagna esset rerum omnium ad victum pertinentium vtilitas, & necdum maritima cum externis populis commercia extitissent, aut vulgata essent, non distrahebantur fruges, & alii fructus prædiorum principis, quæque ex pensionibus in cellam eius comportata erant, neque ad vnum aliquem totius regni locum (quod non sine grani agrestium pressura futurum erat) conuehebantur: sed in præfecturis asseruabantur. Cumque ad officium principis pertinere existimaretur, non desidem & vni alicui loco affixum hærere, sed obire omne regnum, & fines eius tueri, & omnium vsibus sese exponere, querimonias afflictorum audire, ius dicere, tenuiores a potentiorum iniuriis vindicare, quoquo is venerat cum equitatu & comitatu suo aulico, eius præfecturæ fructibus & prouentibus alebatur, quoad ei manere ibi libuisset, opusue esset, siue quoad horrea, cellæque sufficerent, seu denique descriptis, cuique præfecto pro ratione præfecturæ, & prouentuum, certis temporum spatiis. Atque hoc illud est, quod scriptores quidam externi rerum Polonicarum imperiti ante nostram memoriam in eam partem acceperunt, & literis mandarunt, quasi rex Polonus egestatis causa regnum suum obire perpetuo necesse habeat, quo a suis hominibus quasi precario sustentetur. Ceterum postea cum principes vel certo se loco continere, vel bellis distenti peregre diutius abesse coepissent, distrahi coepere fructus prædiorum, qui præfectorum cum sua cuiusque familia moderatis vsibus superessent. Remissæ sunt deinde principum beneficentia sacro & equestri ordini, & vtriusque adscriptitiis & subditis pleræque omnes pensiones & onera. Nunc sane equestris & ecclesiastici ordinis homines nihil regi pensitare necesse habent. Ac ne oppidani quidem eorum, aut agrestes adscriptitii, præter binos grossos vernaculos de manso, siue lanco (quæ idem sunt) pagano, & eo quidem solo, quem adscriptitius ipse sibi colit. Nam qui sacerdotibus & equitibus coluntur, itemque suburbani & scultetorum (de quibus post attingemus) agri, ab ea quoque pensione immunes sunt. Nec subseruiunt quidem principi sacerdotum & equitum homines agrestes & oppidani, præterquam ad arces tempore belli reficiendas, atque etiam nouas, si id e senatusconsulto fiat, condendas. Non ita pridem abbates & præpositi monasteriorum certas pensiones, quæ stationes vulgo dicuntur, regi denuo pensitare coeperunt. Adscriptitii quoque ipsorum ad colendos principis agros, subuectiones, & pensiones quasdam frumentarias reuocantur, quo præfectorum regiorum præsidio tutiores sint ab iniuriis improborum. His autem exceptis, soli præfecturarum adscriptitii in suis quique præfecturis agros colendo, & vectigalia pensitando rem familiarem principis sustinent: quæ nunc tamen aliquanto exquisitius curatur, quam olim. Habet is etiam e metallis mediocre vectigal. In iis autem conductitiarum operarum vsus est: quarum impensa deducta, reliquum cedit principi. Omnium vero metallorum in Polonia fructuosissimæ sunt salinæ. Sed habet in iis equester ordo hanc prærogatiuam, vt in vsum suum domesticum statis anni temporibus aliquanto minoris emat salem, quam ceteri homines. E teloniis quoque mercium

Pensionum priscarum nomina.

Princeps Poloniam obibat

Error quorundam scriptorum.

Vectigalium imminutio.

Cmetones.

Rastrale siue regale tributum.

Operæ subditorum sacerdotalium, equestrium.

Stationes.

Metalla.

Nobilitatis prærogatiua in salinis.

& vectorum prouenit vectigal principi. Ceterorum hominum nemo ius vllum habet instituendi & exigendi telonii, præter peculiarem regis indulgentiam: idque ob necessariam extra ordinem refectionem viarum, pontium, & aggerum. Ceterum naulum a traiectu fluminum in suo cuique solo instituere licet. Duplex autem est telonium: vetus & nouum. Ac vetus quidem exile est, quod ab iis penditur, qui intra fines regni negotiantur. Nouum vero maius aliquanto, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, sebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras exportantur, & earum, quæ aliunde importantur nomine pensitatur. Vtriusque immunitatem habent ecclesiasticus et equester ordo, modo ne mercaturam quis exerceat, hoc est, venum ea exportet, quæ ipse aliunde emerit, ac non de suo pararit. Si quis tamen boues emptos suo pabulo et frumento per hiemem aluerit, perinde habetur, ac si domi eius nati sint. Publice quoque ciuitates nonnullæ habent immunitatem veteris telonii. De nouo fuit superiori tempore controuersia inter equestrem ordinem atque regem. Hæc igitur nunc sunt perpetua principis vectigalia: quæ distrahere, aut addicere cuipiam iure hæreditario rex, Alexandri regis lege, prohibetur. Atque ea lex neglecta post, et ante paucos annos acerbius reuocata, multos conturbauit, & non exiguos motus excitauit: qui nondum prorsus sopiti sunt. Extra ordinem nihil a quoquam, nisi forte a Iudæis, regi pensitatur. Ex his autem vectigalibus is cum domestica familia sua sese sustentat: inde comitatui suo aulico stipendia præbet: inde in legationes, dotes, et elocationes filiarum, arcium præsidia, et sarta tecta, viarum publicarum refectiones, machinas, et apparatum bellorum, præmia bene merentium de se ac de republica et in alios vsus impendit: inde et senatoribus fere, ac magistratibus publicis, et nonnullis sacerdotiis certi ac perpetui reditus antiquitus constituti sunt, partim pietate et beneficentia principum attributi, partim, accepto in vsus necessarios pretio, venditi. Et hactenus quidem de principe siue rege, ac vectigalibus eius. Iam de legibus. Legum scriptarum nullus fuit vsus apud Polonos vetustioribus temporibus: nec vllæ extant antiquiores iis, quas Casimirus magnus rex condidit: quæ sane panculæ sunt: nec multæ iis a successoribus eius adiectæ sunt. Extremis demum fere temporibus Sigismundi senioris, et regnante filio eius, Sigismundo Augusto, magis ac magis exarsit, et longius progressus est pruritus et libido nouarum legum condendarum, et antiquiorum mutandarum. Quo fit, vt propemodum exolescant: nouæ autem vix, aut ne vix quidem inolescant: sed vtræque, hæ quidem nouitate, illæ vero vetustate sua, in contemptum vulgo veniant, maxima reipublicæ pernicie. Earum autem condendarum potestas est simul penes regem, senatum, et nuntios nobilitatis, nec nisi in comitiis. Statuta regni vocantur. Priscis temporibus viua lex erat Rex, siue princeps: qui cum vnus in tam amplo regno omnia neque præstare, neque prouidere, ac ne iudiciorum quidem difficultates recte explicare posse videretur, et lubricus autem, procliuisque ad tyrannidem gradus in summa potestate esse soleat, adhibiti sunt ei senatores siue consiliarii, qui et consilia actionesque eius ad salutem reipublicæ, et iudicia ad iustitiæ et æquitatis trutinam dirigerent, et monitis, consiliisque salubribus, quasi viuis quibusdam legibus pro re nata cum animum eius informarent, tum potestatem modificarentur. Hic est senatus regius, multo amplior modo, quam olim, certo hominum numero constans, quos senatores et consiliarios regni appellamus. Qui non nisi iurati ad hoc collegium, et ad consilium admittuntur. Et perpetuum est hoc munus, quoad viuit quisque, certis annexum honoribus et magistratibus, partim ecclesiasticis, partim profanis. Sunt autem in senatu antiquitus, archiepiscopi duo, septem episcopi, palatini quindecim, castellani quinque et sexaginta. Archiepiscopi sunt, Gnesnensis in maiore Polonia, Leopoliensis in Russia. Episcopi vero, Cracouiensis in minore, Posnaniensis in maiore

Telonia. Telonium vetus & nouum

Alienationes regi interdictæ. Alexandri R. statutum.

Impensæ Principis

Leges Polonorum.

Consiliarii siue Senatores regni.

Senatorum genera & numerus. Archiepiscopi Episcopi. Senatorum numerus &

iore Polonia. Vladislauienfis in Cuiauia et Pomerania, qui tamen iam a certo tempore Pofnanienfem loco anteit: Plocenfis in Mafouia. In Ruffia Præmislienfis, et Chelmenfis: Camenecenfis in Podolia. Qui omnes, quo ordine nunc a nobis enumerati funt, eum perpetuo feruant in fenatu, dicendaque fententia, et in publicis celebritatibus. De Prufficis fuo loco dicemus. Sunt quidem præterea tres Ruffici et Græci fchismatis epifcopi in Ruffia, quos ipfi Ruffi Vladicas vocant, nimirum Leopolienfis, Præmislienfis, et Chelmenfis: qui vna cum fectatoribus fuis, et aliis Rufficis itidem epifcopis, qui funt in ditione Lithuanica, a Kiouienfi metropolita, et a Patriarcha Conftantinopolitano, quod ad religionem et initiationes attinet, dependent. Habent et Armeni fuum epifcopum. Sed neque hic, neque Ruffici, pertinent ad regium confilium. Superioribus fæculis, cum latius paterent verfus occidentem folem fines Poloniæ, Vratislauienfis quoque et Lubusfenfis epifcopi, et Camenenfis, in fenatu fua loca habebant, atque etiam nunc duo priores in prouincia Gnefnenfi cenfentur. Et noftra memoria habuit vterque certa bona in Polonia. NuncCamenenfis epifcopatus in ducum Pomeraniæ,Lubuffenfis in Marchionum Brandeburgenfium f. ucibus, Vratislauienfis in regum Boëmiæ ditione eft. Secundum epifcopos in fenatu funt palatini hoc ordine: Cracouienfis & Pofnanienfis, alternis vicibus inter fe priora & pofteriora habentes loca & fuffragia: Deinde Sendomirienfis, Califfienfis, Siradienfis, Lencicienfis, Breftenfis, Vladislauienfis, fiue Iunivuladislauienfis, Leopolienfis fiue Ruffiæ, Podoliæ, Lublinenfis, Belfcenfis, Plocenfis, Mafouiæ,& Rauenfis: Caftellani, Cracouienfis, Voinicenfis, Sandecenfis, & Biecenfis in fatrapia fiue Palatinatu Cracouienfi, Pofnanienfis, Medirecenfis, Rogofnenfis, Sremenfis, Præmentenfis, Criuinenfis, & Santocenfis in Pofnanienfi, Sendomirienfis, Vislicienfis, Radomienfis, Zauichoftenfis, Zarnouienfis, Malogoftenfis, Polanecenfis, Cechouienfis in Sendomirienfi: Califfienfis, Gnefnenfis, Landenfis, Naclenfis, Biechouienfis, Camenenfis, in Califfienfi, Siradienfis, Rofpirenfis, Spicimirienfis, Velunenfis et Conarienfis in Siradienfi: Lencicienfis, Brezinenfis, Inovulodenfis, & Conarienfis alius in Lencicienfi: In Breftenfi, Breftenfis, Crufuicienfis, et Coualienfis: In Iunivuladislauienfi, Iunivuladislauienfis, Bydgoftienfis, et Conarienfis item alius, itemque Dobrinenfis, Ripinenfis, et Slonenfis in terra Dobrinenfi: In Ruffia, Leopolienfis, Præmislienfis, Halicienfis, Sanocenfis, et Chelmenfis: In Podolia vnicus Camenecenfis: In Lublinenfi item Lublinenfis: In Belfenfi Belfenfis: In Plocenfi Plocenfis, Racianzenfis et Siepercenfis: In Mafouia Cyrnenfis, Viznenfis, Varfauienfis, Viffegrodenfis, Zacrocimenfis, Ciechanouienfis, et Liuenfis: In Rauenfi Rauenfis, Sochaciouienfis, et Goftinenfis. In Silefia vnus Ofuencimenfis, Palatinum ea non habet. Ex his caftellanis, qui primi in vnaquaque fatrapia modo a nobis enumerati funt, eum inter fe feruant ordinem, quo palatinos recenfuimus, excepto Cracouienfi, qui ex quodam tempore palatinos omnes loco fuffragioque anteit. Voinicienfis item et huic proximus Gnefnenfis prærogatiua quadam inter Califfienfem et Siradienfem caftellanos interiecti funt. Ceterorum hic effe legitimus ordo exiftimatur, vt Rauenfi, qui fuperiorum extremus eft, proximus fit Sandecenfis: deinde Medirecenfis, Vislicienfis, Biecenfis, Rogofnenfis, Radomienfis, Zauichoftenfis, Landenfis, Sremenfis, Zarnouienfis, Malogoftenfis, Velunenfis, Præmislienfis, Halicienfis, Sanocenfis, Chelmenfis, Dobrinenfis, Polanecenfis, Præmentenfis, Criuinenfis, Cechouienfis, Naclenfis, Rofpirenfis, Biechouienfis, Ofuencimenfis, Brezinenfis, Crufuicienfis, Bydgoftienfis, Camenenfis, Spicimirienfis, Inovulodenfis, Coualienfis, Santocenfis, Sochaciouienfis, Goftinenfis, Viznenfis, Varfauienfis, Racianzenfis, Siepercenfis, Viffegrodenfis, Ripinenfis, Zacrocimenfis, Ciechanouienfis, Liuenfis, Slonenfis: extremi tres Conarienfes: in quibus primum locum is, qui eft in Siradienfi fatrapia, medium qui in Lencicienfi, vltimum qui in Inovuladislauienfi, obtinet. Sunt item

ordo recentior ad calcem operis adfcriptus eft.

Rufforum epifcopi.

Palatini.

Caftellanorum ordo. Voiniciens. & Gnefnenf. Caftellanorum loca.

Magiſtratus pertinentes ad conſilium publicum.

in ſenatu magiſtratus quidam et adminiſtri principis, quos officiales regni vocant, nempe Mareſcallus, ſiue Mareſcalcus, qui magnus dicitur, Cancellarius, Procancellarius, ſiue Vicecancellarius, ac Theſaurarius. Eſt etiam vnus de magiſtratibus aulicis, ſeu curiæ: putantur etiam duo præfecti ſeu capitanei, nempe maioris Poloniæ, et Cracouienſis, ad conſilium pertinere. Sed perraro vſu venit, vt ii non aliquo alio honore ſenatorio præditi ſint. Horum autem omnium magiſtratuum loca et ſuffragia in conſilio ſunt ſecundum caſtellanos, eo, quo hic a nobis conſcripti ſunt ordine. Nisi si quo alio eminentiori honore ii cohoneſtentur: quod fit plerumque. Hoc igitur eſt conſilium publicum apud Polonos, et ſenatus regius ſiue regni, ſex et nonaginta conſiliariis conſtans: quorum alii vocantur maiores, alii minores conſiliarii. Sunt autem maiores, archiepiſcopi, epiſcopi, palatini, primarii aliquot ſatrapiarum caſtellani vsque ad Siradienſem fortaſſis, ceteri omnes minores: qui poſterius in conſilium adhiberi coeperunt: et excluduntur nonnunquam a conſiliis ſecretioribus. In hoc ſenatu cenſentur etiam Pruſſici conſiliarii. Verum de his et omni republica Pruſſica ſeparatim poſterius perſequemur. Acceſſere nuper (poſtea quam hæc nos conſcripſimus) et Lithuanici cum antiqui, tum quos Sigismundus Auguſtus Rex ad numerum eorum adiecit. Eos quoque alii loco reſeruabimus.

Conſiliariorum numerus, Diuiſio.

Secretarii.

Porro Secretarii admittuntur quidem et ipsi iurati in ſenatum, ſed vt auditores modo, et quaſi ſeminarium quoddam ſenatus: neque locum habent in conſeſſu conſiliariorum, neque dictionem ſententiæ. Ex his autem vnus primi ſiue maioris Secretarii nomen et honorem obtinet, de quo plura paulo poſt. Duo referendarii, ſiue ſupplicum libellorum magiſtri ſunt. Putantur et ſuccamerarii aditum habere ad locum habendi ſenatus, claudendi et aperiendi oſtii cauſa, idque in ſuo tantum quiſque territorio. Iam et ſenatorum, primariorum præſertim, filios adoleſcentes admitti in ſenatum non inusitatum eſt. Quanquam ſolent et ii ſacramento adigi in numero ſecretariorum, quo liberius interſint conſiliis.

Referendarii.

Conſilii conuocandi ratio.

Conuocantur autem ſenatores a principe ad conſilium, præſentes quidem quoties opus eſt: qui vero longius abſunt, non nisi arduis de cauſis, vtpote ad comitia, vel celebritatis alicuius gratia nimirum ad nuptias principis, ſeu liberorum eius, aut si quis ſocius et obnoxius regno dux in verba principis iuraturus sit. Cum iis vero, qui adſunt, princeps pro re nata conſultat. Nisi forte res grauior ac difficilior incidat, quæ plurium conſilio et conſenſu ſit explicanda, velut de indicendis comitiis. Tunc enim abſentes singuli per epiſtolas regias conſuluntur, maiores præſertim. Atque hæc de genere, numero, ordine et officio ſenatorum, ſiue conſiliariorum regni ſuffecerint, si vnum illud addiderimus, quod ſubſeruiunt ii quoque principi et reipublicæ quoties opus eſt, domi quidem in iudiciis cum aliis, tum recuperatoriis, quas commiſſiones vulgo vocamus, foris autem in legationibus obeundis, aut si quid aliud publice cum dignitate peragendum eſt. Cum autem ii certis magiſtratibus et honoribus præditi ſint, habent etiam præter commune ſenatorium munus, curamque totius reipublicæ peculiaria officia pro diuerſitate magiſtratuum ſiue honorum attributa. Ac archiepiſcopi quidem et epiſcopi officia quæ ſint, nemini Chriſtiano incognitum eſt, nec vllum ii peculiare habent in Polonia, præ ceteris nationibus: nisi quod Archiepiſcopus Gneſnenſis perpetua quadam Pontificis Max. legatione fungitur, et legatus natus ſedis apoſtolicæ appellatur. Quo nomine ampliorem habet iurisdictionem: de qua ſuo loco attingemus. Habet etiam primatis honorem ab eadem ſede apoſtolica, abſque eo, quod eſt antiquo gentis inſtituto, et prærogatiua primas regni, et princeps ſenatus. Proinde penes eum eſt poteſtas indicendi comitia, conuocandi ſenatum, ſenatusque conſulta definiendi et edicendi, abſente rege, et regno vacante. Palatini munera ſunt, eſſe ductorem copiarum ſuæ ſatrapiæ in expeditionibus bellicis indeque nomen habet

Senatorum communia officia.

Archiepiſcopus Gneſnenſis legatus natus.

Primas.

Palatini officium.

habet lingua vernacula, vt Voieuoda dicatur, quasi dux belli, siue copiarum. Palatinus autem dicitur Romanorum imitatione, apud quos sub imperatoribus non obscurum erat nomen, honosque comitum palatinorum. Porro in pace palatini est, in sua cuiusque satrapia conuentus nobilitatis instituere, iisque, & iudiciis præsidere: pretia rebus venalibus præter tempus comitiorum & belli imponere: ponderum & mensurarum curam gerere. Iudæorum quoque patrocinium & iudicia ad palatinum pertinent. Castellani quasi legati sunt palatinorum, ductoresque & præsides nobilitatis sub suo quisque palatino. Appellantur autem Castellani etiam vernacula lingua, mutuato a Latinis vocabulo, a castellis siue oppidis, eorumque territoriis, quæ singuli singula habent attributa: non quod dominatum, iurisdictionem, aut curationem in eis habent, sed legationem tantum bellicam, cuius modo fecimus mentionem: plerique etiam certos reditus anniuersarios: indeque suam quisque denominationem sumit, videlicet, vt Voinicienfis, vel Sremensis, vel alius cuiuspiam loci Castellanus vocetur. Vocantur etiam persæpe nomine vernaculo domini, loci appellatione in ki vel ski syllabam deflexa, verbi gratia, pan Posnanski, pan Ploski. Solus autem Cracouiensis Castellanus, præter nomen & reditus, nihil habet commune cum aliis: Sed liberum is honorem habet, absque vllo prorsus munere, præter commune senatorium. Tam palatinum autem, quam Castellanum, lege esse non licet quenquam in ea satrapia, in qua nullum proprium habet fundum, seu bona terrestria. Vocanturque ii vtrique vulgo communi vocabulo dignitarii, quasi dignitate & honore præditi, addito fere satrapiæ, seu terræ nomine. Magistratus vero siue officiales regni ab officiis & functionibus quibusdam publicis, quibus funguntur ad vniuersam rempublicam pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Nam peculiaria eorum nomina superius iam indicauimus: quibus singulis regni nomen adiungitur, vt, verbi gratia, Maresalcus, & Cancellarius regni dicatur, eodemque modo ceteri. Officia vero singulorum hæc sunt. Maresalcus quidem magister aulæ regiæ, & administer consilii publici, penes quem ius est conuocandi senatum iussu regis, vel primatis, præstandi silentium & audientiam, faciendi potestatem dicendæ sententiæ, legatos externos introducendi, eiiciendi e consilio eos, qui ad id non pertinent, pronuntiandi decreta regia in caussis infamiæ capitalibus, promulgandi ad populum senatus consulta, moderandi pompis publicis, hospites illustres suscipiendi, compescendi motus inquietorum atque turbulentorum, non modo circum senatum & in publico, sed etiam in priuatis principis coenaculis & habitaculis, animaduertendi in delicta, quæ in loco & oppido domicilii siue hospitii regii, vel comitiorum admittuntur, denique in comitiis & in comitatu regio diuersoria distribuendi, & imponendi rebus venalibus pretia: vnde etiam vectigal seu tributum forale ipsi prouenit. Maresalci etiam in aulicum regis comitatum & administros mensæ regiæ, aliorumque munerum aulicorum (profanos præsertim) iurisdictio, censura, et animaduersio: eoque gestat is in publicis conuentibus, et regi in propatulum prodeunti præfert erectum sceptrum ligneum, siue baculum. Cancellarius et Vicecancellarius, nominibus et loco distincti, sed potestate et munere exæquati, diplomatibus, edictis, mandatis, epistolis, et aliis scripturis regiis conscribendis atque signandis, quæque ad eum mittuntur accipiendis, et legendis præsunt. Itaque in potestate sua habent signa regia, Cancellarius quidem maius, Vicecancellarius vero minus. Auctoritas eorum eo vsque patet, vt multa inconsulto principe signare: quæ vero contra leges esse videntur, iubenti illi negare possint. Dant etiam responsa regio nomine, et, quibus de rebus consilium haberi debet, in senatu proponunt: denique senatus consulta, regiaque & comitialia placita ac decreta litteris mandant, & in publicum edunt. Sunt etiam ii cognitores priuatarum querimoniarum, & prouocationum ab vrbanis et oppidanis, præfectorumque iudiciis,

Voieuoda.

Castellani officium & nomen.

Castellani Cracouiensis prærogatiua.

De palatinis & castellanis lex.

Dignitarii.

Officiales siue magistratus regni.

Maresalci regni officia.

Cancellarii & Vicecancellarii officia.

diciis, ad regium tribunal deuolutorum: Secretariis, scribis, sacerdotibus, concionatoribus, & cantoribus aulicis, cerimoniisque ecclesiasticis moderantur: is præsertim, qui est de sacro ordine. Lege enim, quamuis non antiqua, alterutrum ex iis sacri, alterum profani ordinis esse oportet, eum antiquitus soli fere sacerdotes eo muuere fungerentur. Sunt autem ii proxima expectatione honorum sui vtrque ordinis. Sed neque sacerdoti cum episcopatu, exceptis Præmisliensi, Culmensi, Chelmensi, & Camenecensi, neque profano, siue sæculari, eum vllo palatinatu vel Castellania, retinere munus hoc licet, præter peculiarem indulgentiam, aut conniuentiam: Est autem vsitatum, vt de Vicecancellario fiat Cancellarius propter loci & sententiæ dicendæ prærogatiuam. Thesaurarius ipso nomine indicat munus

Thesaurarii officium

suum. Est enim promus & condus thesauri regii, symbolorum siue insignium re-

Regni symbola.

gni, quæ sunt, corona, pomum, sceptrum, & gladius, supellectilis & redituum regiorum, scripturarumque et monumentorum publicorum: auctor et moderator quorumuis quæstorum, curatorum, atque dispensatorum principis, & rationum reddendarum exactor, monetariæ officinæ magister, stipendiorum tam militarium, quam aulicorum solutor: reddendæ principi rationi obnoxius. De Maresalco

Duces exercitus siue capitanei.

curiæ, et præfectis, referendariis, & secretariis dicemus postea. Numerantur etiam inter magistratus et officiales regni, duo duces exercitus: quorum alter generalis et supremus exercituum regni capitaneus, alter campi ductor, seu campestris capitaneus dicitur. Ac ille quidem dux est & moderator belli secundum principem, & vicarius principis. Ducit exercitum, capit locum castris, acies instruit, dat signum pugnæ & receptus, commeatus & annonæ curam in bello gerit, prætia rebus venalibus imponit, ponderibusque et mensuris earum modum statuit, & in delinquentes animaduertit. Campestris vero, huius est quasi vicarius, a principe datus, excubiarum potissimum explorationumque curam gerit, et mercenariis militibus, illo

Magistratus quidam alii.

præsertim altero absente, præest. Neuter tamen in senatu locum habet: quin temporarii esse perhibentur, neque inter magistratus regni habiti superioribus temporibus. Longe minus autem alii quidam, qui et ipsi nostra fere memoria pro magistratibus regni haberi & appellari coepere. Neque tamen in senatu locum habent, neque functionem vllam ad vniuersum regnum pertinentem. Ii vero sunt, gladifer, pocillator siue pincerna, structor mensæ, quem incisorem vocant, dapifer, subdapifer, magister culinæ, qui dapibus apparandis et cocis regiis præest. Et certe aut iidem sunt terrestres Cracouiensis satrapiæ, aut ea sola de omnibus nullos habet. [1] Itaque nos quoque de sententia peritiorum inter terrestres honores

Officiales seu magistratus terrestres.

et magistratus eorum officia exponemus. Dicuntur autem terrestres honores & magistratus, qui non vniuersi regni, sed terrarum atque satrapiarum sunt peculiares. Officia terrestria vulgo appellantur: & his qui præditi sunt, officiales terrestres. Sunt autem ii, succamerarius, capitaneus, gladifer, vexillifer, pincerna, subpincerna, incisor, subdapifer, dapifer, tribunus, iudex, subiudex, notarius, thesaurarius, venator, agaso, siue equorum curator. Habentque certas suas functiones, siue curationes antiquitus in sua quisque satrapia siue tractu, ac terra, vt vulgo loquuntur: quarum quælibet olim, discerpto in multos dominatus regno, suum ducem habuit. Eius autem hi fuerunt administri peculiares. Nunc magna pars solum nomen nudumque honorem retinent. Quales sunt gladiferi, pincernæ, incisores, dapiferi, subdapiferi, ac thesaurarii: nisi quod in extraordinariis iudiciis, quas commissiones vocant, regiis mandatis subseruiunt, et in colloquiis assident. Tametsi etiam nunc in peculiaribus suis muneribus fungi recte posse existimantur in suo quisque tractu, a quo denominationem habet, quoties eum princeps adit: nempe vt gladifer Posnaniensis, in Posnaniensi satrapia, gladium ipsi præferat in solenni pompa: pincerna poculum administret: incisor siue structor mensam apponat: dapifer dapes inferat: subdapifer dapiferum eum sceptro seu baculo præ-

Gladifer. Pincerna. Incisor, siue structor. Dapifer. Subdapifer.

eedat.

cedat, subpincerna potus curam gerat, thesaurarius condus ac promus pecuniæ sit ac suppellectilis eius. Ceteri sane funguntur etiam nunc fere suis muneribus. Ac vexillifer quidem in bello vexillum præfert exercitui suæ satrapiæ: tribunus custos est arcis in suo quisque tractu, durante bello: itaque vacationem habet militiæ: venator venationibus et siluis præest: agaso, equitio siue armento equorum, iudex causis et controuersiis priuatis nobilitatis disceptandis et iudicandis præsidet, vna cum subiudice: qui eius est socius, non vicarius, loco tantum inferior. Notarius scriba est et actuarius iudicii: sed habet ipse quoque in iudiciis ius dicendæ sententiæ, consuetudine magis, quam legum præscripto. Ceterum succamerarius (vt eius partes postremo loco explicemus, licet honore omnibus his anteeat) olim fortassis præfuit cubiculo et cubiculariis principis in sua quisque terra: nunc regendis modo finibus agrorum ac bonorum terrestrium præest: quem itidem atque iudicem, subiudicem, et notarium iuratum esse oportet. Habetque is ad id munus obeundum vicarios, et ipsos iuratos in singulis territoriis singulos, qui camerarii vocantur, siue cubicularii, propter ea fortassis, quod antiquitus ministri cubiculi principis ad id munus legabantur a succamerario. Nunc is eos sibi legit arbitratu suo ex equestri ordine eiusdem territorii, et iureiurando adigit, mutatque quoties vult. Cracouiensis succamerarius præ ceteris ea prærogatiua præditus est, vt salinarum eius ipsius tractus arbiter sit et inspector. Capitaneorum officia statim exponemus. Ceterum hi, de quibus modo egimus, non omnes in omnibus satrapiis sunt, neque in singulis singuli. Et Cracouiensis quidem satrapia succamerarium, gladiferum, dapiferum, tribunum, iudicem, subiudicem et notarium habet singulos: Posnaniensis ceteros quidem habet itidem singulos: succamerarios vero, iudices, subiudices et notarios binos. Habet enim hosce terra Vuschouensis peculiares, quæ a Polonia quodam tempore seiuncta fuit. Sendomiriensis satrapia ceteros quidem et ipsa singulos habet, præter tribunum, quem etiam Prissouiense territorium, non ita pridem, suum habere coepit. Calissiensis item eosdem omnes habet singulos. Siradiensis structore et subdapifero caret: gladiferum, pincernam, dapiferum, habet singulos: succamerarios, vexilliferos, iudices, et notarios binos. Habet enim hos Velunense territorium suos, ex quo tempore auulsum fuit a Polonia, sicut arbitror. Tribuni item duo sunt in eadem satrapia, maior et minor. Lenciciensis gladiferum, structorem, et subdapiferum non habet, ceteros habet singulos. Itemque Brestensis. Inovuladislauiensis vero gladiferum vnum habet, structorem et subdapiferum nullum : reliquos omnes binos. Habet enim Dobrinensis terra peculiarem succamerarium, vexilliferum, pincernam, dapiferum, tribunum, iudicem, subiudicem et notarium. Russia quinos habet succamerarios, vexilliferos, pincernas, dapiferos, tribunos, iudices, subiudices, et notarios: nempe Leopoliensem, Præmisliensem, Sanocensem Haliciensem, & Chelmensem: gladiferum, structorem, subdapiferum nullum. Podolia itidem nullum de his tribus: reliquos vero singulos, exceptis tribunis, quos duos habet, Camenecensem atque Trebovuliensem, Lublinensis satrapia gladiferum, structorem, & subdapiferum nec ipsa habet: vexilliferum, pincernam, ac dapiferum singulos, ceteros binos. Lucouiense enim territorium peculiares habet succamerarium, tribunum, iudicem, subiudicem, & notarium. Belsensis succamerarium, vexilliferum, pincernam, dapiferum, iudicem , subiudicem, & notarium habet singulos, ceteros non habet. Plocensis succamerarium , pincernam , dapiferum , ac tribunum singulos , iudicem vero et subiudicem, notarios binos (habet enim hos Zavucrense territorium suos) structore ac subdapifero ea satrapia caret : Rauensis vero structore item & gladifero: subdapiferum vnum habet : reliquos autem ternos, territoriis distinstos, videlicet Rauensem, Gostinensem , & Sochaciouiensem. Masouia iudices habet vndecim, totidem quot territoria : nimirum Cyrnensem, Viznensem, Varsauiensem, Nurensem, Vyssogrodensem, Zacro-

Subpincerna. Thesaurarius. Vexillifer. Tribunus. Venator. Agaso. Iudex. Subiudex. Notarius siue scriba. Succamerarius. Camerarii. Succamerarius Cracouiensis. Officiales Cracouiensis satrapiæ. Posnaniensis. Sendomiriensis. Calissiensis. Siradiensis. Lenciciensis. Brestensis, Inovuladislauiensis. Russicæ. Podolicæ. Lublinensis. Belsensis. Plocensis. Rauensis.

cimensem, Ciechanouiensem, Lomzensem, Ostrolencensem siue Zembrouiensem, Rozanensem, & Liuensem: subiudices & notarios totidem: succamerarios vno minus: Zembrouiense enim territorium eo caret: Pincernas atque dapiferos octonos. Rozanense enim et Liuense, atque idem Zembrouiense territoria hos non habent: vexilliferum ne Lomzense quidem: subdapiferum autem neque hæc ipsa, neque Nurense, neque Wissegrodense: Porro subpincernas et thesaurarios totidem, quot subdapiferos habet Masouia, nempe quinque:subpincernam item Rauensis satrapia habet: Brestensis vero thesaurarium: ceteræ omnes neutrum: magistrum culinæ nulla præter Craconiensem, si modo non regni is est. Agasonem nulla, præter Russiam: venatores, solæ Cracouiensis, Posnaniensis, Siradiensis atque Lenciciensis, singulos: Sendomiriensis vero & Masouitica binos. Hæc quidem Viznensem & Lomzensem: Illa vero Sendomiriensem & Radomiensem. Habent & Osuiecimensis et Zatoriensis terræ suos iudices singulos: habet etiam Seueriensis ab episcopo. Ceterorum terrestrium magistratuum nullum habet Silesia, præfectis siue capitaneis exceptis, de quibus iam dicendum est. Capitaneus, quem præfectum recte dixerimus, addito nomine arcis, cui præest, custos ac defensor non solum arcis regiæ, verum etiam pacis atque tranquillitatis publicæ in sua quisque præfectura, quam a vi tutam debet præstare & vindicare, & furibus, latronibusque repurgare. Itaque iurisdictionem, coercitionemque habet late patentem, non modo in agrestes et oppidanos, verum etiam in equestris ordinis homines: qua de re accuratius suo loco tractabimus. Adhæc omnium aliorum iudicum, ecclesiasticorum iuxta ac profanorum sententias ad extremum executioni mandat, si executores alii nolint, vel non proficiant. Gerit etiam curam commodorum et redituum principis, qui ex re familiari, ac censibus & censionibus oppidanorum & agrestium proueniunt. Et omnino arces, et villæ, seu rustica prædia cum suis fartis tectis, et oppida, pagique principis, in ditione præfectorum sunt. Solus omnium Cracouiensis præfectus licet amplissimam iurisdictionem habeat, tamen fartorum tectorum arcis, et redituum principis curam non habet. Est enim magnus procurator eius arcis, qui vtrumque hoc onus sustinet. Nam Posnaniensis præfectus licet maiores etiam prærogatiuas et iurisdictionem in tota maiore Polonia obtineat, atque ob id generalis maioris Poloniæ capitaneus vocitetur: curat tamen farta tecta arcis Posnaniensis dumtaxat, et reditus regios eiusdem territorii. Cetera enim territoria iurisdictioni eius subiecta, habent fere suos curatores, quos etiam minus proprie præfectos appellamus: de quibus post agemus. Oportet autem præfectum esse equestris ordinis, agros et fundos proprios in ea ipsa præfectura, cui præficitur, habentem. Neque externo autem, neque regio, vel ducali genere orto, conferri præfecturam fas est. Nec duas cuiquam habere licet: ac ne vnam quidem, primariam dumtaxat et iurisdictione præditam, cum primaria castellania vel palatinatu eiusdem satrapiæ, Posnaniensi et Cracouiensi exceptis: in quibus non idem ius est. Ne Silesicæ quidem cadunt sub hanc legem. Habet præfectus quilibet suum vicarium, quem Vicecapitaneum vel Burgrabium vulgo vocant. Nos subpræfectum fortassis non inepte dixerimus, penes quem est vicaria præfecturæ totius potestas, et rerum iudicatarum executio. Habet et alterum administrum statorum, ac certis temporibus peragi solitorum iudiciorum, quem iudicem castrensem dicunt. Vtrumque arbitratu suo creat et abdicat: sed vtrumque iuratum itidem, atque ipsum præfectum, et ex equestri ordine esse, certaque bona terrestria in ea ipsa præfectura habere oportet. Nec eundem iudicem et subpræfectum, terrestremue et castrensem esse fas est. Habet item præfectura quæque actuarium iuratum, quem notarium castrensem nominat. Non sunt autem satrapiis, verum arcibus ac territoriis fere, quæ districtus vocantur, distinctæ præfecturæ: nonnullæ etiam complura territoria in se complectuntur. Sunt vero hæ totius Poloniæ præfecturæ: in maiore quidem Polonia vnica generalis,

[Marginal notes: Capitanei siue præfecti. — Cracouiensis præfecti priuilegium. — Magnus procurator arcis Cracouiensis. — Maioris Poloniæ generalis Capitaneus. — De præfecturis leges — Vicecapitaneus. — Iudex castrensis. — Notarius castrensis. — Præfecturæ totius Poloniæ]

lis, Posnanienſe, Coſtenſe, Vuſchouenſe Caliſſienſe, Gneſnenſe, Pysdrenſe, Coninenſe, Kcinenſe, et Naclenſe territoria complexa: in minore autem Cracouienſis, quæ præter primarium, alia tria territoria, videlicet Proſſouienſe, Xianzenſe, et Lelouienſe in ſe continet. Præter eam ſunt, Sandecenſis et Biecenſis præfecturæ cum iurisdictione. In Sendomirienſi vero ſatrapia ſunt: Sendomirienſis, Radomienſis (Stenzicenſe quoque territorium dudum complexa) quod iam peculiarem præfectum habet. Corcinenſis, quæ et nouæ ciuitatis dicitur, Chencinenſis, Opocinenſis, Pilſnenſis. In Lublinenſi eiusdem nominis præfectura eſt, et Lucouienſis. In Siradienſi Siradienſis, quæ et Schadcouienſe quoque et Radomſcenſe et Petricouienſe territoria annexa habet: Velunenſis item et Oſtreſſouienſis. In Lencicienſi vnica eſt, tria habens territoria, nimirum Lencicienſe, Brezinenſe, et Orlouienſe. In Cuiauia Breſtenſis, Cruſuicienſe item et Coualienſe, et Prædecenſe territoria adiuncta habens. Iunivuladislauienſis cum annexo Bydgoſtienſi territorio: et Bobrovunicenſis, Dobrinenſe, Ripinenſe et Lipnenſe territoria complexa. In Ruſſia Leopolienſis, Præmislienſis, Sanocenſis, Halicienſis, Chelmenſis, et Craſnoſtauienſis. In Podolia Camenecenſis atque Trebovulienſis. In Belſenſi ſatrapia, Belſenſis, Buſcensis, Grodlensis, et Grabenecensis. In Plocensi vnica cum tribus aliis territoriis, Zavucrensi, Mlauensi, Srenensi siue Srenſcensi. In Maſouia Cyrnensis, Virnensis, Varſauienſis, cui Nurenſe quoque territorium paret, Viſſegrodensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Lomzensis, Rozanensis (in qua eſt et Macouienſe territorium) et Liuensis. In Rauensi vero ſatrapia tres præfecturæ ſunt, Rauensis, Goſtinensis, et Sochaciouiensis. In Sileſia ſunt Oſuiencimensis et Zatoriensis. Præter has præfecturas ſunt et aliæ de ſuperioribus fere detractæ, quæ peculiariter, quamuis minus Latine, tenutæ, earumque præfecti tenutarii vulgo vocantur: qui partim non habent ſua territoria, partim habent, verum sine vlla iurisdictione in nobilitatem. Nam ea eſt penes veros præfectos, quibus eæ tenutæ, voluntate regia, propter vtilitatem, vel aliqua alia de cauſa, detractæ ſunt. Sunt autem ii tenutarii curatores modo regiorum prædiorum atque redituum, et caſtellorum, plebisque ſubiectæ, non diſſimili conditione magni procuratoris arcis Cracouienſis. In iis leges eæ, quæ de præfecturis dudum commemoratæ ſunt, locum non habent. Omnium autem præfecturarum reditus partim ex agricultura, & re pecuaria, partim e molis frumentareis & ſiluis, partim e cenſibus, et penſionibus agreſtium et oppidanorum prouentunt, et vel certo pacto præfectis locantur a principe, vel eorum fidei committuntur, ita vt rationibus reddendis obnoxii ſint. Condonantur etiam interdum ob eximia merita. Oppignorari quoque præfecturas non inuſitatum eſt, eas præſertim, quæ iurisdictione carent, quæque non ſunt primariæ cuiusque ſatrapiæ. Sed ita demum id legitimum eſt, ſi rata redituum portio quotannis de capite deducatur. Quod cum in deſuetudinem abiiſſet ſuperiori tempore, comitiorum decreto nunc reuocatum eſt. In iis vero præfecturis, quæ iurisdictionem habent, ſi vſus reipublicæ oppignorationem requirat, etiam aſſenſu ſenatus comitiali opus eſt. Sola Sendomirienſis priuilegio quodam neque oppignorari, neque locari perpetua locatione poteſt. (117) Habent et epiſcopi, et proceres, atque

Præfecturæ ſine iurisdictione ſiue tenutæ

Præfecturarum reditus & adminiſtratio.

Sendomirienſis præfecturæ priuilegium.

(117) Qui notionem de præfecturis cum iurisdictione & ſine iurisdictione, exactam habere velit, legat libellum de præfecturis Poloniæ & M. D. Lit. celebris D. *Dunczewski*, in academia Zamoſcenſi Aſtronomiæ profeſſoris, quem lingua Polona edidit, cuius inſcriptio: *Traktat o Staroſtwach*, nuper iterum typis exſcriptum Varſauiæ litteris Mizlerianis. In hoc ſcripto omnia, quæ de præfecturis ſcire conuenit, ex regni legibus accurate enarrantur, addita hiſtoria, iuribusque ſingularibus vnius cuiusque præfecturæ. Ibi inuenitur etiam accuratus ſyllabus omnium præfecturarum in regno & Lithuania, ordine alphabetico. Quæ Cromerus dixit, ad hoc faciunt, vt ſciamus, qualis illius temporibus, regni Poloniæ fuerit ſtatus, quod quidem vtile ac neceſſarium eſt, ſed nobis iam ad diſcendum hodiernum ſtatum omni ex parte haud ſufficit. Sed quæ deſiderari poſſint, ea iam in *Staryicovii* Sarmatia ſupra addidi, numerum & ordinem, ſenatorum regni & Lithuaniæ, ſtatus & belli miniſtrorum, præfectorum & officialium terreſtrium quod attinet. Ideo in Cromero eandem repetere rem, ſuperuacaneum mihi videbatur.

atque equites locupletiores nonnulli arces et præfectos suos: sed hoc nomine principi nequaquam obnoxios. Habet arx Cracouienfis peculiariter decem custodes, qui Burgrabii, sumpto a Germanis vocabulo, appellantur, sine vlla potestate, præfecti auctoritati obnoxios: qui pacis iuxta ac belli tempore nocturnas, atque etiam diurnas, quando opus est, excubias per se, vel per administros suos seruant: habentque militiæ vacationem: et eo nomine ambitur id munus a multis, et a rege confertur. Salinæ et alia metalla habent suos curatores & administros iuratos, & rationibus reddendis obnoxios. Præest autem salinis Bochnensibus & Velifcensibus, earumque administris & operis vnus salinator, quem Zupparium Cracouiensem vocant. Rusticis item vnus, quem Rusticum appellant. Est & honorata hæc vtraque curatio. Sed neque in regni, neque in curiæ, neque in terrestribus magistratibus numeratur: quemadmodum neque telonæ, siue quæstores teloniorum, neque tributorum atque exactionum publicarum exactores. Et ii vero vtrique rationibus reddendis obnoxii sunt. Telonæ quidem, si non redemerint telonia: quod faciunt plerunque. Hos omnes in hunc locum terrestrium magistratuum conicere libuit, propterea quod eorum curationes ad præfectorum officia nonnihil accedunt. Scribam quoque siue notarium thesauri regii nihil vetat his adiicere, quem rex ipse edit, ac thesaurario vicarium adiungit. Est & scriba castrensis, quem etiam notatium campestrem vocant, mercenariorum militum conscriptor, & solutor stipendiorum. Sunt etiam a terrestribus magistratibus non multum diuersa ministeria quædam in aula principis, quæ officia curiæ dicuntur. Quorum administri terrestrium plerorumque & regni officialium (quorum sunt cognominis) quotidianis ministeriis in aula principis funguntur, fidemque suam principi ad suum quisque ministerium iureiurando obstringunt. Sunt autem ii: marefalcus, thesaurarius, seu vicethesaurarius, succamerarius, referendarii duo, pincerna, structor mensæ, subdapifer, dapifer, magister culinæ, & præfectus curruum. Nuper etiam his accessere, vexillifer, ac ductor aulicæ militiæ. Qui omnes addito nomine curiæ, a superioribus magistratibus & officialibus cognominibus suis distinguuntur: nempe vt marefalcus curiæ, thesaurarius curiæ, atque eodem modo alii dicantur. Nec scio an & secretarii in hunc ordinem referri debeant, licet nullum peculiare certumque munus attributum habeant, sed ad nutum principis præsto sint, in obeundis eius nomine legationibus, in scriptionibus & lectionibus publicarum & regiarum scripturarum, in acciendis ac deducendis ad regem, vel in senatum illustribus hospitibus & legatis principum, in exquirendis & referendis sententiis ægrotorum, & a consilio absentium primariorum senatorum, in recognoscendis pro principe locis, factis, & causis controuersis, regiorum præsertim hominum & administrorum inter ipsos, vel cum magistratibus suis, & si qua sunt alia honesta, & cum dignitate coniuncta ministeria. Numerus eorum certus non est. In his eminet vnus, qui appellatur primus seu maior secretarius. Is absentium cancellariæ præsidum vicem supplet in aula & comitatu principis: Nec tamen, vt illi, gestat signum regium, sed quoties opus est, petito ab ipso annulo signatorio, tam diplomata publica, quam epistolas, ipso præsente signat. Quod si is quoque absit, peragit ea quispiam de ceteris secretariis, quem princeps iusserit. Habet autem primus quoque secretarius secundnm Cancellarium & Vicecancellarium prærogatiuam capessendi honores publicos & magistratus, qui vacauerint, in arbitrio tamen regio positam. Habet & locum honoratum supra omnes officiales terrestres et aulicos, excepto Marefalco. Marefalcus curiæ, absente marefalco regni, agit omnia, quæ illius muneris sunt: a præsente etiam socius adhiberi solet ac debet ad ea, quæ sunt maioris momenti peragenda, præfertque cum eo pariter principi erectum sceptrum. Thesaurarius item thesaurarii regni absentis vicem gerit, adhibeturque et ipse a præsente ad pleraque omnia. Succamerarius, est magister

Præfecti alii præter regios.
Burgrabii Cracouienses.
Zupparii siue salinatores.
Telonæ.
Exactores tributorum.
Notarius thesauri.
Scriba castrensis.
Officia curiæ.
Secretariorum officia.
Primi secretarii officium.
Marefalci curiæ.
Thesaurarii curiæ.
Succamerarii.

gister cubiculi atque cubiculariorum, puerorum, aliorumque domesticorum principis administrorum, sub cuius potestate est suppellex ad lectum et cubiculum principis cultumque corporis pertinens. Ianitoribus quoque idem præest. Referendarii, supplicum libellorum magistri sunt, et querimoniis hominum audiendis, cancellariæque, vt verbo legis vtamur, referendis præsunt. Quin etiam in litibus vrbanis disceptandis præsto sunt eidem cancellariæ, eiusque permissu exponunt regi cum consilio causas et controuersias litigantium. Nuper adeo sententias quoque rogare coeperunt in regiis iudiciis. Sunt autem duo pari potestate, alter ecclesiastici, alter profani ordinis. Ductores copiarum, magistri stabuli, magistri culinæ, et præfecti curruum, quæ sint officia, ipsa eorum nomina satis ostendunt. Ceterorum munera iam sunt explicata in terrestribus officiis et curationibus. Eadem enim sunt horum, atque illorum: sed cedunt hi illis præsentibus in sua cuique satrapia siue terra. Hæc autem omnia honorata sunt ministeria: minus illa, interioris cubiculi seruatoris, curatoris lecti, atque dispensatoris. Ceterum stipendiarii & aulici principis equites, concionatores, & sacrifici, quamuis honorato sint loco, tamen inter officiales non censentur: multo minus stipatores, siue satellites, cubiculariique, & pueri: sed perpetui sunt administri principis, & præsto sunt ipsi iter facienti, & quouis loco manenti. Ac sacrifici quidem per vices operantur sacris quotidie præsente rege. Canunt etiam festis diebus, benedictionesque & gratiarum actiones ritu Christiano ad mensam eius peragunt. Concionator sacris concionibus fungitur. Aulici vero (sic enim vocantur) equites, equis stipendia merent, præsidii, honorisque regii causa, & equestrem eum, vel currulem, equestres fere comitantur. Qui equitatus numerosus est atque splendidus, nobili iuuentute constans. In qua sunt complures magistratibus & officiis non modo aulicis, verum etiam terrestribus prædıti. Ei vero Maresalci moderantur Ceteri ministri non habent necesse equos alere. Itaque pedestres prodeuntem in publicum principem deducunt. In solennibus tamen pompis non insolitatum est, vt equites quoque aulici pedestres equestrem principem antecedant. In longioribus autem itineribus ii, qui equis non merent, vel regiis, vel oppidatim suppeditatis, vel conductitiis equis aut curribus vehuntur. Ex his stipatores, præsidii causa sunt circum principem: quod tamen recens est in Polonia: sed auget maiestatem principis. Cubicularii & pueri præsto sunt ad quæuis domestica ministeria. Sed cubiculariorum peculiaris vsus est in acciendis in senatum & ad regem consiliariis, & perferendis quoquo versus, litteris, mandatis, edictisque regiis. Quam ad rem oppidatim & vicatim eis, mandato principis, equi subministrantur: quæ subuectiones, & lingua vernacula *podwodæ* vocantur. Cursum publicum Latini vocant. Incedentem in publico principem, aulici quidem antecedunt, stipatores prælongis securibus, more peditum Germanorum armati latera eius cingunt: cubicularii vero cum pueris subsequuntur: sed ita, vt & aulici proceribus atque senatoribus profani ordinis, & cubicularii, puerique, episcopis ac secretariis, ecclesiastici ordinis, proxima principi loca, honoris causa, concedant: nisi forte regem regina sequatur. Tunc enim episcopi quoque & secretarii cum proceribus antecedunt: Reginam vero longus ordo sequitur nobilium matronarum & puellarum. Hæc igitur est ratio vniuersa aulæ & comitatus regii. Mitto enim cantores, abaci custodem, mapparium, canum venaticorum curatores, dimensorum distributores, ianitores, tibicines, tubicines opifices, & alia viliora ministeria: quæ magna est turba, & sumptibus principis alitur. Et quoniam omnia persequimur, volumus quidem certe, habet etiam regina suum comitatum, nec modo puellarum & matronarum, quæ in gynæceo sunt, sed etiam puerorum, cubiculariorum, & aulicorum, in his peculiares administros, siue officiales. In primis magistrum curiæ, qui omnibus præest, Reginamque prodeuntem cum sceptro antecedit: & magistram curiæ matronam gynæceo moderantem

Referendariorum.

Alia ministeria aulica.

Aulici equites

Stipatores siue satellites.

Cubicularii et pueri.

Cursus publicus seu podwodæ.

Viliora ministeria.

Reginæ comitatus.

rantem: Deinde cancellarium, vel secretarium: cuius sunt munera, litteras nomine reginæ conscribere, & signare, legere, & compellantibus eam responsa dare. Quod quidem nescio, an cum magistro curiæ commune habeat. Est autem & hic discrimen inter cancellarium & secretarium, quod hic non gestat signum reginæ, sicut ille: sed ab ea, quoties opus est, vtendum accipit. Habet regina etiam thesaurarium suum, & pincernam siue pocillatorem, & structorem mensæ, & subdapiferum, & dapiferum, & culinæ ac stabuli magistros singulos: itemque dispensatorem, abaci custodem, mapparium, & ianitores eodem, quo regii sunt, honoris discrimine: quibus omnibus victus, vestitus, & mercedes a rege præbentur. Indidem ipsius quoque reginæ mensa instruitur, res vestiaria, mundus muliebris, & iumenta comparantur. Quod si ea regi superstes sit, vidua de suo, ac de fructibus & reditibus eorum bonorum, quæ rex ipsi dotis ac donationis, propter nuptias, nomine, de amplissimi consilii sententia attribuerit, sese cum vniuerso comitatu suo deinceps sustentat. Atque hæc de magistratibus regni, terrestribus, & aulicis nobis decursa sunto. De ecclesiasticis magistratibus, honoribus, ministeriis & curationibus, quales sunt secundum archiepiscopos & episcopos, suffraganeorum, abbatum, præpositorum, decanorum, archidiaconorum, scholasticorum, cantorum, custodum, cancellariorum, vicariorum in spiritualibus, officialium, commissariorum, ministrorum, priorum, custodum siue guardianorum, poenitentiariorum, parochorum, quos etiam plebanos vocant, non est operæ pretium hic nos persequi: ne de collegiis quidem, canonicorum, monachorum, & monacharum, fratrum conuentualium, vicariorum, psaltarum, mansionariorum, & si qua sunt alia. Neque enim peculiare quicquam habent apud Polonos præ ceteris gentibus & nationibus Christianis, neque ad rempublicam pertinent, archiepiscopis et episcopis exceptis, & si quibus forte præterea peculiariter quædam reipublicæ munera, quorum superius mentionem fecimus, mandantur. Magnus tamen, vt par est, honor eis & omnibus sacerdotibus habetur, solo sacerdotii nomine: maior etiam olim habebatur, id quod e vetustioribus litterarum monumentis deprehenditur. Omnes autem ii episcoporum & archiepiscoporum potestati & iurisdictioni subiecti sunt, præter, si qui pontificis maximi, cuius eximia potestas est, auctoritate exempti sunt. Plebes vrbanæ, & agrestes, partim principi parent, partim proceribus & equitibus: partim certis sacerdotiis attributæ sunt. Reguntur autem a suis quæque dominis, eorumque præfectis ac procuratoribus, ex æquo & bono, siue ex arbitrio magis, quam certis legibus. Quanquam non carent tamen suo quæque iure: quod non est vnius modi, quemadmodum posterius ostendemus. Præter dominos autem, eorumque præfectos & procuratores, habet plebs quæque oppidatim, vicatim, & pagatim suos magistratus. Ac in pagis quidem scultetum, siue aduocatum hæreditarium vocant, qui est quasi deductor ac defensor coloniæ: qui vel ipse per se, vel per vicarium suum, quem & ipsum aduocatum, seu iudicialem, vocant, cum adiunctis aliquot ex aratorum numero scabinis (sic appellantur iudices, siue assessores iudicii) ius dicit. In ciuitatibus autem et oppidis & vicis præter hos, sunt etiam consules. Ita vocamus eos, qui et veteribus decuriones appellantur: pene quos est ciuitatis cuiusque gubernatio et custodia: in delinquentes animaduersio: publicorum commodorum administratio, curaque ædificiorum et sartorum tectorum publicorum. Inter eos autem vnus præsidet magister ciuium, quem vulgo proconsulem vocitant, qui eos, quoties opus est, conuocat, et in consilium adhibet. Nam leuiora sine illis ipse gerit. Consulum non idem est vbique numerus. Habent item singulæ opificum societates et contubernia in qualibet ciuitate et oppido suos magistros, et his adiunctos aliquot seniores. In maioribus vrbibus sunt etiam ædiles vnus et alter de numero decurionum delecti, pecuniæ publicæ quæstores, et sartorum tectorum curatores. In oppidis vero et vicis communiter hæc a decurionibus curantur.

Magister curiæ.
Cancellarius siue secretarius.
Administri reginæ.
Ecclesiastici honores & magistratus.
Ecclesiastici ordinis dignatio.
Plebs Polona
Plebeii magistratus.
Sculretus siue aduocatus hæreditarius.
Aduocatus iudicialis.
Scabini.
Consules, siue decuriones.
Magister ciuium.
Magistri contuberniorum.
Aediles.

Hos

Hos magistratus in oppidis præsertim, iuratos esse oportet, præter aduocatos hæreditarios. Nullos autem communes magistratus pagi inter se, neque ciuitates habent. Hæc de plebeiis magistratibus. Creandorum magistratuum, et honorum mandandorum in Polonia non vna est ratio. Olim episcopi ex præscripto sacrorum canonum a collegiis primariorum sacerdotum, quæ capitula cathedralium ecclesiarum vulgo nominant, legebantur: nunc princeps, vmbratili quadam electione illis relicta, aut ne relicta quidem, solus arbitratu suo edit episcopum, et pontifici maximo commendat, (quod fiebat etiam a collegiis) vt eius auctoritate approbetur, præficiatur, et ab aliis episcopis consecretur. Coeperunt autem sic editi siue nominati indulgentia, vel conniuentia quadam, admitti ad consilia publica, priusquam approbentur a pontifice: non item ad functiones sacras, et iurisdictionem ecclesiasticam, et administrationem bonorum. Sed a morte episcopi collegium sacrum, distributis inter se curationibus, bona vacantia administrat: excepta Gnesnensi dioecesi, quæ peculiarem habet oeconomum, etiam viuente archiepiscopo. Ius autem dicit in ea, iuxta ac in aliis dioecesibus vacante sede, vnus aliquis, quem collegium administratorem temporarium renunciauerit. Abbatum et præpositorum eligendorum ius collegia monachorum hactenus retinuere: sed iam vix retinent, ab episcopis primum, deinde a regibus etiam labefactatum et violatum. Ad electionem quidem certe regius assensus, et episcopi auctoritas accedat oportet. Ceterum in sodalitiis et conuentibus fratrum mendicantium neutrum horum requiritur. Ne in inferioribus quidem et quasi vicariis locupletiorum monasteriorum curationibus, quas fere præposituras vel prioratus vocant. Prælati et canonici ecclesiarum cathedralium, partim a pontifice maxime, partim ab ipsarum episcopis alternis mensibus creantur. Primariorum tamen secundum episcopos in vnaquaque ecclesia prælatorum, et nonnullorum canonicorum edendorum, siue commendandorum, et, vt vulgo loquuntur, præsentandorum ius regi concessum est, pontificum superiorum indulgentia. Indultum est idem ius etiam priuatis quibusdam, præsertim episcoporum curatoribus, in aliis quibusdam sacerdotiis. In paroeciis vero & aliis minoribus sacerdotiis vsitatum et legitimum est, vt ius edendi sit penes eos, vnde profecta est dotatio cuiusque sacerdotii, vel in quorum bonis id, prouentusque eius siti sunt, sic tamen, vt penes episcopum sit approbatio editi, et reprobatio, si non sit idoneus: aut si plures pariter edantur, diiudicatio. Quod de illis quoque, qui a rege, vel alio quopiam profano commendantur, siue præsentantur, intelligendum est. Vocantur autem patroni vsitato iuri pontificio nomine, collatores etiam vulgo, qui ius hoc edendi, siue præsentandi habent: quibus inuitis obtrudi sacerdotem siue beneficiarium per legem non licet, ne pontificis quidem maximi auctoritate: nisi ii sese indignos eo iure reddiderint, aut intra tempus legitimum vti eo neglexerint. Obtruso poena est proscriptio. Quæ sic obiter, et præter institutum propemodum hic nobis perstricta sunto. Ad proprios reipublicæ Polonæ magistratus reuertamur. Palatinos et castellanos, et reliquum omnem senatum regni, princeps legit, et iureiurando obstringit sibi et regno siue reipublicæ. Idem confert præfecturas, ceterosque omnes magistratus, honores et ministeria publica. Sed in magistratibus regni illud receptum est, vt non nisi in comitiis renuncientur. In iudice vero & subiudice, & scriba siue notario terrestribus, ita est adstricta legibus potestas principis, vt nobilitas eius satrapiæ siue territorii, cuius iudex, vel scriba decessit, conuentu instituto, auctore & præside palatino, quatuor patresfamilias equites eligat: de quibus princeps vnum, quem vult, in locum vacantem surrogat. Abrogari vero magistratus, aut honor vllus nemini potest, nisi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc est, libertatis, ciuitatisue, siue nobilitatis & bonæ famæ amissionem: aut si quis alium magistratum, honoremue adeptus sit, quem cum priori retinere iure non possit. Ipse se quisque abdicare ar-

Magistratuum creandorum ratio

Episcoporum electio

Nominatio.

Oeconomus Gnesnensis.

Administrator.

Abbatum electio.

Sacerdotiorum collatio.

Senatus & magistratuum equestrium creandorum ratio.

Iudicis, subiudicis, & notarii electio.

Magistratus & honores perpetui.

bitratu suo potest. Præfectura, & metallorum, teloniorumque curatione princeps amouere quemlibet, quando vult, potest, nisi cui ipse promiserit, ac diplomate cauerit, vt ad certum tempus, vel quoad vixerit, amoueri nequeat. Aulico item magistratu & ministerio amouere quemque regi licet. Non temere tamen id facit, nec fere sine nota ignominiæ: nisi lex iubeat. Exactores tributorum annui fere creantur a rege, vel comitiali placito. Plebeios magistratus partim domini, vel præfecti creant, partim ipsi sibi ciues & oppidani legunt, præter Cracouiam, vbi palatinus ius legendi senatus habet, abrogandi non habet: nec nisi morte, aut maxima mediaue capitis diminutione honorisque, amittitur: ex omni etiam numero viginti quatuor consulum, quotannis octo, quos vult, palatinus rebus gerendis præficit, quos præsidentes vocant: de quibus certo ordine singuli fiunt magistri ciuium in sex hebdomadas. Nec multum diuersa est ratio consulum in aliis quibusdam ciuitatibus et oppidis: nisi quod præfecti in suæ quisque ditionis oppido vnum aut alterum legendi facultatem habent. Cazimiriæ, Clepariæ, et Prossouiæ, magnus procurator arcis Cracouiensis, cum in legendis consulibus, tum in aliis rebus præfecti vicem obtinet. Idem aduocatum et scabinos iuris supremi Theutonici, siue Magdeburgensis legit. Ceteteros autem scabinos, ipsi consules siue decuriones in sua quique ciuitate et oppido legunt, et sacramento adigunt. Cracouiæ aduocatum quoque iudicialem. Ceterum scultetus siue aduocatus hæreditarius in quouis oppido, vico atque pago, semel a domino constitutus magistratum hunc, obnoxium ipsi domino ad equestre ministerium, reique publicæ ad expeditionem bellicam, etiam ad hæredes transmittit. Quin et in externum transferre assentiente domino potest. Est tamen ius fasque domino amouere scultetum, et aduocatum hæreditarium contumacem aut inutilem, persoluto ipsi pretio, quod habet inscriptum in diplomate, vel secundum æstimationem emolumentorum atque ædificiorum. Nisi quid enorme et priuatione dignum is commiserit. Quo quidem iure multi sic abuti coepere ad augenda commoda sua, vt scultetis et aduocatis hæreditariis sine vlla culpa eiectis prorsus, vel in ordinem redactis, agros eorum prædiis suis adiunxerint, iudiciis vero iudiciales aduocatos arbitratu suo præficiant. Reditus magistratuum regni exigui, terrestrium vero et aulicorum nulli fere sunt. Ne vrbanorum quidem & oppidanorum, & agrestium vlli fere certi sunt. Honorem Poloni satis amplum et luculentum virtutis et honestorum laborum præmium esse duxerunt, etiam sine compendio: quod minus generosi animi magis plerumque consectantur. Sunt tamen certæ mercedes, et quasi sportulæ, quæ iudicibus iudiciorumque administris penduntur a litigantibus. Primores aliquot palatini et castellani, mediocres tamen habent reditus, partim ex agris et prædiis, partim e salinis, vel teloniis, siue aliis quibusdam pensionibus a principe antiquitus in omne tempus attributis. Episcopi nonnulli peramplos habent, vnde non modo ipsi commode et cum dignitate viuere, et senatoria munera laute sustinere, verum etiam inferioris ordinis sacerdotes, socios et administros suos recte alere ac tueri, et omnem cultum diuinum cum dignitate administrare, et egenis denique liberaliter subuenire queant. Habent etiam decimas omnium segetum publico principum ac totius Poloniæ consensu, iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ attributas, et aliis quibusdam pensionibus, postea vel cumulatas, vel commutatas: indeque cum aliis quibuslibet sacrorum administris, tum paroecis, prælatis, et canonicis certas portiones antiquitus segregarunt. Habent et luculentos fundos, prædia, pagos, oppida, arces, et territoria, partim priscorum itidem principum et regum, partim priuatorum munificentia adiecta. Ne abbatum quidem, ac ceterorum sacerdotum, primariorum præsertim, quos prælatos vocant, et monasteriorum, atque etiam paroecorum piis et honestis vsibus male prospexit similis pietas et beneficentia. Ipsi etiam superiorum temporum episcopi, abbates,

Plebeiorum magistratuum creatio.

Cracouiensis consulum creatio.

Iudicum iuris supremi creatio.

Scultetus siue aduocatus hæreditarius.

Reditus magistratuum.

Episcoporum, & aliorum sacerdotum reditus.

Priscorum Polonor. diuini cultus augendi studium.

tes, et facerdotes fuccefforibus et pofteris fuis permultum addiderunt, patrimonia fua, vel empta aliunde bona, cenfusue facerdotiis adiungendo, templorumque fplendorem, ædificiorum atque donariorum omnis generis magnificentia augendo, quo auguftiorem cultum diuinum redderent. Atque hæc omnia cum ipfis adeo perfonis ecclefiafticis maiorum legibus ac principum benignitate immunia funt a plerisque omnibus muneribus & oneribus publicis. Quo prolixior autem fuit hominum in ordinem facrum munificentia fuperioribus temporibus, hoc erant abundantiores & ipfi, qui de fuo liberales erant, licet minus curæ laborisque rei familiari impenderent. Nunc paffim in alienas donationes ac decimas inuaditur longe maiore auaritiæ, rapacitatisque infamia, quam egeftatis releuatione. Atque id tentatur etiam (proh nefas) placito & auctoritate comitiorum publica, qua refrenari potius talis priuatorum hominum temeritas & iniuftitia deberet: vt fuit refrenata antiquioribus conftitutionibus & magiftratuum feueritate laudabiliter iuxta ac vtiliter. O tempora: o mores. Nos ad inftitutum noftrum reuertamur. Multi tamen e facro ordine nullos habent certos reditus: fed partim epifcoporum & opulentiorum non modo facerdotum, verum etiam profanorum ftipendiis, partim ceteræ multitudinis quotidiana beneficentia, & quafi ftipe, vitam fuftentant. Quales fere funt etiam ii, qui vocantur mendicantium conuentus, fiue collegia. Sed nos honorum & magiftratuum omni ferme ratione explicata, ad iudicia tranfeamus. Eorum autem ratio varia & perplexa eft in Polonia. Habet ordo ecclefiafticus, quemadmodum & apud alios Chriftianos populos, fua, quibus ceteri quoque homines, nobiles pariter ac plebeii obnoxii funt aliquatenus, in iis præfertim caufis, quæ cum religionis, aut perfonarum, rerumue facrarum ratione aliqua ex parte connexæ funt: quales funt, de inftitutis & ritibus religionis, quæque his aduerfantur de impietate, hærefi, fchismate, magia, incantationibus, foenore, facerdotiorum cauponatione, quam fimoniam vulgo vocant: itemque de decimis, & fundis, & quibusuis cenfibus ac reditibus ecclefiafticis, de cæde, vi, & iniuria facris initiato homini, reiue, aut loco facro, feu facerdotii fundo illata. Ad hæc de iure patrocinii fiue patronatus, quod vocant, & de facerdotiorum iure quæuis controuerfiæ, item quæ de iure matrimonii et natalium, et de miferabilium, egentiumque perfonarum iniuriis, quæque ex obligatione in foro ecclefiaftico facta, oriuntur. Teftamentariæ caufæ profanorum hominum in hoc æque ac profanis foris difceptantur, dummodo extra iudicium teftamenta fint condita. Aliter enim in eo foro difceptantur, in quo funt condita. Nifi quid forte legatum fit pietatis ergo, et ad piam caufam, vt vulgo loquuntur, hoc eft, templis, ecclefiarumue miniftris, aut egenis: quæ caufa propria eft ecclefiaftici iudicii. Eft autem iudiciorum ecclefiafticorum fumma penes epifcopos: quorum vices gerunt ii, quos vocant vicarios in fpiritualibus, cancellarii, et officiales: inter quos vnus, qui eft primarius, generalis appellatur: ceteri foranei. Ab epifcopis, eorumque vices gerentibus prouocatio eft ad archiepifcopos: et ad Gnefnenfem quidem ab ipfo etiam Leopolienfi archiepifcopo. Idque eo nomine, quod ille eft legatus perpetuus, fiue, vt vulgo loquuntur, natus fedis apoftolicæ. Pertinent autem ad eius prouinciam hi epifcopi: Cracouienfis, Vuladislauienfis, Pofnanienfis, et Plocenfis in Polonia: Vratislauienfis in Silefia Boëmicæ ditionis: Lubuffenfis in Marchia Brandeburgenfi, Vilnenfis in Lithuania: et Mednicienfis in Samogitia: olim Culmenfis quoque in Pruffia, et Camenenfis in Pomerania fub eo fuere. Sed auulfi funt poftea. Ad Leopolienfem vero, Præmislienfis, Chelmenfis, Camenecenfis, Lucenfis, fiue Luceorienfis, atque Kiouienfis. Extrema tandem prouocatio eft ad pontificem maximum, antiquiffimo Chriftianæ religionis inftituto. Omnes autem iudices ecclesiaftici iudicant, fiue adeo iudicare debent, e præfcripto ecclesiafticorum et pontificiorum canonum: et præter diras fiue cenfuras, et interdicta ecclesiaftica, habent

Benignitas dei in pios.

Iudicia. Ecclefiaftica iudicia.

Ecclefiaftici fori caufæ.

Iudices ecclefiaftici.

Archiepifcopi Gnefnenfis iurisdictio.

Executio rerum iudicatarum ab ecclefiafticis iudicibus.

bent ius quoddam coercendi fontes, in fui quidem ordinis homines laxius, in profanos autem reftrictius, ita vt contra hos ad executionem rerum iudicatarum, vrbanorum, ac terreftrium magiftratuum opem ad extremum implorare neceffe habeant. Nec ii iure eis deeffe poffunt, aut debent. Habent,& profani inter fe nobiles iuxta ac plebeii fua iudicia: quibus facris initiatum aut facerdotio præditum præeffe non licet. Ac nobilitas quidem terreftribus iudiciis peculiariter fubeft: quæ a iudice, fubiudice et notario terreftribus exercentur, alibi quidem quater, alibi fexies quotannis, alibi vero fingulis menfibus: nisi forte iudex, fubiudex, aut notarius desit: aut bellica expeditio, vel comitia, colloquiaue (de quibus paulo poft dicemus) interueniant. Tunc enim silent iudicia nobilitatis, non terreftria modo, fed et alia. Sunt autem in qualibet fatrapia, siue palatinatu, certa oppida, in quibus ius hoc dicitur nobilitati, in eo ipfo territorio bona, agrosque habenti. Nec euocari quemquam e fuo territorio licet, nisi ipfe certa obligatione nominatim ab hac prærogatiua recefferit. Ceterum qui nulla habet bona terreftria, conueniri hoc iure non poteft. Ne facerdos quidem, exceptis caufis finium regundorum, et adfcriptitii alieni profugi, cæsi, vel vulnerati: aut si vllo alio, quam facerdotii nomine, bona terreftria poffideat: oppida vero ac territoria iudiciaria hæc funt: in Cracouiensi quidem fatrapia Cracouiensis arx, Proffouia, Xianzum, Lelouia, Biezzum, Cichouia, in quo oppido et Sandecenfe territorium iudicatur: in Pofnaniensi, Pofnania, Coftenum, et Vufchouia: in Sendomiriensi, Sendomiria, Radomia, Opocinum, Chencini, Vislicia, Pilsna: in Califfiensi, Califfia, Gnezna, Pyfdri, Coninum, Keina, Naclum. In Siradienfi, Siradia, Schadcouia, Petricouia, Radomfci. Item Velunia, et Oftreffouia: in Lencicienfi, Lencicia, Brezini, et Orlouia: in Breftenfi, Brefte, Crufuicia, Couale, et Prædecia: in Inovuladislauenfi, eiusdem nominis oppidum, et Bydgoftia. Itemque Dobrinum, Ripinum, et Lipnum: in Ruffica, Leopolis, Præmislia, Sanocum, Halitia, et Chelma: in Podolica, Camenecia, ac Trebovulia: in Lublinenfi, Lublinum, et Lucouia: in Belfenfi, Belfum, Bufcum, Grodlum: in Plocenfi, Plofcum, Plonfcum, Bielfcum, Razianzum, Zavucrze, Mlavua ac Srenfcum: in Mafouia, Cyrfcum, Vizna, Varfauia, Nur, Viffegradum Zacrocimum, Ciechanouia, Lomza, Zembrouia, Rozanum, et Liua: in Rauenfi, Raua, Goftinum, et Sochaciouia. In Silefia vero Ofuiencimenfe, et Zatorienfe territoria fuos vtrunque peculiares habet iudices, qui cum delectis de nobilitate, ius dicunt, præfecto præfidente. Ad eundem modum, et Seuerienfis epifcopi Cracouienfis ditio fuum habet. Olim in Silefia ipfi duces in fua quisque ditione iudiciis præfidebant. His iudiciis difceptantur pleræque omnes caufæ nobilitatis priuatæ ac ciuiles, quemadmodum loquuntur iureconfulti, ac ciuiliter inftitutæ. Regundorum finium controuerfia hoc ipfo quidem iudicio primum difceptatur inter equites, vel, inter equitem et facerdotem. Sed ad extremum ad fuccamerarium terreftrem remittitur: qui in rem præfentem veniens, ipfe per fe, vel per vicarium fuum camerarium illius territorii eam definit, certisque metis atque fignis fines controuerfos defignat. Atque hæc eft vnica fuccamerariorum iurisdictio. Ceterum fi cum regiis bonis equiti fit controuerfia, non apud terreftre, et fuccamerarii iudicium ea difceptatur. Sed princeps equite poftulante edit recuperatores aliquot de fenatu ac terreftribus magiftratibus, fiue officialibus eius fatrapiæ, in qua eft controuerfia: quos commiffarios appellamus. Inter quos etiam fuccamerarius effe folet: qui in rem præfentem venientes iudicium id peragunt. Idem fit, fi facerdotalis fundus, et ager cum regio controuerfos fines habeat: nifi quod epifcopus quoque eius dioecefeos editis a principe recuperatoribus vnum, aut alterum de fuis adiungit. Eademque ratio eft petendi recuperatores a principe in caufa hercifcundæ familiæ, fiue diuidundæ hæreditatis inter fratres, et propinquos. Quanquam hoc iudicium etiam præfectus exercere poteft. Criminales

Terreftria iudicia.

Iudiciorum terreftrium loca.

Terreftris iudicii caufæ.

Succamerarii iudicium.

Commiffarialia iudicia.

vero

vero causæ de stupro, incendio, latrocinio, & vi armata, alienis ædibus illata, ad præfectorum, siue capitaneorum in sua cuiusque præfectura iudicium pertinent. Ciuiles item, quæcunque aduersus eos equites instituuntur, qui certos agros, et bona terrestria nulla habent, et qui, licet habeant, obligatione tamen sua ei foro obnoxios sese fecerunt, aut merent publica stipendia, aut sacris initiato homini damnum, vel iniuriam intulerunt, aut alienum adscriptitium detinent, aut, obstaculis denique liberam fluuii nauigationem impediuerunt; aut si quis executionem rei iudicatæ prohibeat. Dicit autem ius præfectus in arce, aut alio loco publico suæ quisque præfecturæ sexta quaque septimana per se ipse, vel per vicarium suum iudicem castrensem. Atque hæ sunt iudicii castrensis causæ. Officii vero sunt, rerum iudicatarum executio: viduarum de bonis dotalibus eiectarum, et aliorum spoliatorum restitutio: itemque in deprehensos in scelere, et recenti, vt dicunt, crimine, aut si quis rem alienam apud se deprehensam non reddat domino repetenti. Ad hæc in turbatores conuentuum, et iudiciorum, et qui vetitis armis vtuntur: in tolerantes censuras ecclesiasticas vltra annum: in iniustos teloniorum exactores, et in sacerdotes, qui iuri patronatus profanorum hominum derogant, aut profanos præter ius ad forum ecclesiasticum euocant, animaduersio. In quibus causis quouis tempore cuiuis quærenti præsto esse debet præfecti auctoritas per se ipsum, vel per subpræfectum suum: cuius iurisdictio ad causas officii pertinet, si præfectus ipse ius non dicat. Denique furti suspectos prehendendi, reosque iudicandi, et supplicio afficiendi ius habet præfectus, et subpræfectus eius. Equestres tamen non nisi eos, qui ter ab eodem crimine damnatis editi, & in album furum relati sunt. Porro status controuersiæ, hoc est, cum de genere cuiusquam ambigitur, et eæ causæ, quæ infamiæ, confiscationis bonorum, vel capitis poenam (præter eas, quas dudum præfectis attributas esse exposuimus) annexam habent, atque etiam de cæde equitis, ad solius principis iudicium pertinent. De quibus is in comitiis demum cum senatu cognoscit. Præter, si maleficium in loco domicilii principis ipsius, et sub aspectu eius patratum sit: tunc enim, si auctor recenti, et calenti, quod aiunt, facinore comprehendatur, absque citatione princeps eum ipse per se, vel per mareschalcum iudicat. De personalibus vero causis ciuilibus, aut ciuiliter institutis, quæ alioqui ad forum terrestre, vel castrense pertinent, princeps itidem quouis loco ac tempore cum iis, quos ad manum habet, consiliariis citatum iudicat. Quæ citatio curialis, et post curiam vocatur. Sed eius vsus ita restrictus est, vt ea in minore Polonia contra eum, qui in maiore tantum agros ac domicilium habet, non valeat: neque contra. Id autem iudicium regiorum terminorum nomen habet. Vbi etiam in præfectos, & administros suorum bonorum, et redituum, quod ad munera eorum attinet, quicunque, & vndecunque ii sint, princeps ipse sibi, instigatore, vt vocant, officii petente, & cuiuis postulanti ius dicit: ac de prouocationibus quoque ab officio castrensi ad se delatis cognoscit. Iniustus tributi publici exactor etiam apud episcopum, palatinum, vel castellanum loci recte conuenitur. Belli autem, & expeditionis publicæ tempore, cum silent omnia supra memorata fora, penes principem est ius omne, & iudicium eorum, quæ in castris, & in ipsa expeditione flagitiose aut scelerate admittuntur. De iniuriis quidem, damnisque datis in expeditione bellica palatini, vel castellani cuiuis quærenti contra suæ quisque satrapiæ, vel territorii homines, ius dicunt. Si quis autem non pareat, principi deferunt. Ab omnibus porro iudiciis nobilitatis prouocatio est ad principem: nisi quod eæ, quæ fiunt a terrestribus iudiciis, in colloquiis fere prius disceptantur. Appellatur autem colloquium, peculiare palatini cum dignitariis, vt vocant, ac terrestribus magistratibus iudicium, quod semel quotannis autumni tempore in qualibet satrapia, siue palatinatu exerceri debet, prouocationem a terrestribus, & castren-

Capitaneorum, seu præfectorum iurisdictio.

Castrense iudicium & officium.

Regii iudicii causæ.

Citatio post curiam. Regii termini.

Exactores iniusti vbi conueniantur. Iurisdictio bellica.

Appellationes seu prouocationes.

Colloquia, & generales termini.

castrensibus eiusdem satrapiæ iudiciis disceptandarum causa. Quod etiam terminos generales vocant. Vbi & alienationes, & obligationes bonorum terrestrium recte fiunt. Ab hoc itidem ad regem est prouocatio. Silesii soli colloquiorum vsum non habent, neque principem, sed vicinorum duorum, triumue principatuum iudicia appellant, in eisque acquiescunt. Verum id quoque iam exolescit, pleraque omni nobilitate in ius terrestre Polonicum sese transferente. Fuit aliquando in comitiis facta mentio instituendæ in Polonia nouæ iudicum decuriæ, quæ de omnibus prouocationibus absque prouocatione cognosceret, quale est in Gallia, quod parlamentum vocant. Sed non placuit, summam iudiciorum cuiquam, præter principem, concredere. Quo fit, vt, principe plurimis, & variis iudiciis distento, et aliis multis, et grauibus tam ampli regni negotiis distracto, lites in multos annos comperendinentur, non sine dolore, et querimonia multorum, præsertim augescente indies cupiditate hominum, nullaque aut exigua certe temere litiganti, et prouocanti, et iniusto iudici, poena imminente. Vnde capitales existunt inter necessarios quoque, et cognatos inimicitiæ, cædes innumerabiles patrantur, coactisque hominibus, et iustis prope exercitibus nonnunquam confligitur, dum offensus longa iudicii comperendinatione, armis ius suum quisque persequi ac tueri contendit. Sed ad prouocationes redeamus, earum duplex est ratio. Est enim appellatio, qua inter litigantes solos disceptatur, iustene, an iniuste iudicatum sit. Motio vero est, in qua iudex a quo prouocatum est, necesse habet tueri sententiam suam, vt si iniqua, et legibus aduersa fuerit, ipse pudefiat, mulcteturque. Quod tamen iam ferme exoleuit. Vtrobique autem regio, vel colloquiorum iudicio iniustum decretum rescinditur, vel corrigitur, vniuersaque causa disceptatur ac diiudicatur, etiamsi ab interlocutoria prouocatum sit. Tametsi non temere admittitur eiusmodi prouocatio. Cognitionum quoque principis de prouocationibus non vna est ratio. Nam de iis, quæ fiunt a colloquiis, non nisi in comitiis cum frequenti senatu cognoscit. Ad eundem modum de iis etiam, quæ fiunt a terrestribus iudiciis. Nam de iis quoque recte a rege cognoscitur in comitiis, si prius ea instituantur, quam colloquia. Itaque indiscriminatim prouocari solet ad colloquia, vel ad comitia. De ceteris vero prouocationibus, quæ fiunt ab aliis iudiciis, etiam extra comitia cognoscit is cum iis consiliariis, quos ad manum habet, quouis tempore et loco: sed tamen intra fines regni modo. Foris enim nemo equitum sistere se principi necesse habet vlla ex causa, exceptis fiscalibus. Tam in comitiis autem, quam extra ea in iudiciis regiis abhibentur in consilium etiam supplicum libellorum magistri, siue Referendarii: itemque iudex, subiudex, et notarius eius satrapiæ siue territorii, in quo iudicium exercetur, præter, cum de prouocatione ab ipsorum iudicio facta cognoscitur. Habentque ii postremi omnium dictionem sententiæ. Atque his fere foris atque rationibus nobilitatis iudicia peraguntur. Nam barbaricus ille mos, et a religionis Christianæ institutis alienus, prouocandi aduersarium ad singulare certamen, et ferro vsque ad necem, vel deditionem de iure, et iniuria, veroque & falso decernendi, nihil habet commune cum iudicio. Quod tamen nostra memoria semel tantum a Sigismundo rege seniore admissum est. Cum autem liberrimus sit nobilitati Polonæ armorum vsus, ad iudicium tamen terrestre, & castrense, & ad comitia nemini armato venire licuit antiquitus: nunc ea lex propemodum obsoleuit. Ecce autem, dum nos hoc opus, typographo alteram editionem parante, recognoscimus, prodiit in lucem noua forma supremorum iudiciorum, in proxime præteritis comitiis Varsauiensibus promulgata, et edita. Iudicatur autem nobilitas suis legibus, quæ paucæ sunt, & constitutiones, vel statuta regni vocantur (tametsi Masouii peculiaria habent) vel moribus, vel ex æquo, & bono, siue adeo iudicum opinione. Magnam autem in iis iudiciis vim habet exemplum, & res

in

Silesiorum prouocationes.

Iudiciorum comperendinatio.

Appellatio. Motio.

De prouocationibus vbi cognoscatur.

Referendarii, iudex, subiudex, & notarii terrestres in iudiciis regiis.

Duellum siue singulare certamen.

Statuta regni, & Masouiorum.

in simili causa a principe iudicata. Permagnam item, ne dicam nimiam, iusiurandum. Magnus est etiam vsus præconum, quos ministeriales terrestres appellant, magnaque eis fides habetur, iisdem ac tabellionibus in iure ciuili Romano, & pontificio. Sed sunt ii fere illiterati, plebeii, & rustici homines, palatini, vel delegati cuiuspiam regii arbitrio, nec semper exquisito delectu creati. Verum in omni fere functione sua vnum, aut alterum equitem testem adhibeant oportet. Actori nulla est poena, si causa cadat, vel eam non prosequatur: ac ne litis quidem impensas reus soluit. Reus condemnatus, si iudicatum non soluat, mulctatur, & pignoratur. Condemnatur autem actori in ciuili causa, quanticunque is litem iureiurando interposito æstimauerit. Licet tamen iudici ante iusiurandum eius æstimationem moderari. Si non paruerit rei iudicatæ, reus condemnatur in duplum: quod perlucrum appellant: prior enim condemnatio lucrum dicitur. Si duplum ad certam diem non exsoluerit, præfecti regii eius territorii, in quo reus bona, vel domicilium habet, opem actor implorat. Ex decreto autem præfecti bona rei possidenda ei traduntur, adiecta certa multa, quod vadium vocant, si is prohibuerit. Sin iterum id fecerit, duplicatur multa: sin tertium, triplicatur, quæ vadia duplicata, & triplicata appellantur. Quæ tamen sublata iam sunt. Et post interpositum vnum vadium, reus si pergat esse contumax, proscribitur. Proscriptus vero, si vi sese nihilominus, suaque tueatur, cuncta illius præfecturæ nobilitas contra eum armatur. Ac ipse quidem prehenditur: bona vero eius a præfecto possidentur, donec de reditibus eorum, non modo iudicatum, sed multæ etiam, & vadia soluantur. Indicta vero causa, hoc est, non citatum, neque conuictum equitem, qui modo agri aliquid habeat, prehendere nulli magistratui, ac ne principi quidem licet, præter furem a seruis poenæ inter conscios, & complices ter editum, aut in maleficio quouis deprehensum, aut qui satis dare nolit, vel non possit. Præfecto remissiori in executione rei iudicatæ poena est, abrogatio præfecturæ: nisi forte eam oppignoratam teneat. Tunc enim centum marcarum multa ipsi a principe irrogatur, detrahenda de summa eius capitali, quoties officium suum non fecerit. Oppidanis vero, & plebeiis magistratibus equitem etiam, in scelere deprehensum, sine præfecti auctoritate iudicare omnino fas non est. Sed sufficiant haec nunc de iudiciis nobilitatis. Neque enim omnem iudiciorum rationem, & formam persequi hic nobis propositum est. Habet plebs peculiaria iudicia, in pagis quidem simplicissima, quae vel ab aduocatis iudiciariis, & scabinis, vel a scultetis, vel a praefectis, siue dominis, eorumue procuratoribus, & administris, sine strepitu, & figura iudicii exercentur. In vrbibus vero, & oppidis exactiora sunt: quibus equites quoque, qui in iis domicilia, & ius ciuitatis habent, sunt obnoxii in causis ciuilibus dumtaxat. Ea vero partim penes aduocatum, & scabinos, & partim penes decuriones, siue consules, & magistratum ciuium sunt, partim etiam penes magistros contuberniorum. Consules ac magistri contuberniorum sine strepitu, & figura iudicii iudicant, hi quidem singuli cum adiunctis sibi primoribus, siue senioribus de leuioribus causis, sui quisque generis opificum. Consules vero de quibusuis proprietatis modo, & possessionis rerum soli, & hæreditatis, itemque capitalibus atque sanguinariis exceptis: quæ ad scabinorum & aduocati iudicium peculiariter pertinent. Parui momenti causas etiam magister ciuium solus cognoscit. A quo itidem, atque a magistris contuberniorum, ad consessum consulum est prouocatio. Ab his porro ad Regem. Inoleuit tamen multis in locis mos, vt prius præfectus, vel qui præfecti loco est, appelletur, atque inde demum ad Regem prouocetur. Idque de regiis modo oppidis intelligendum est. Nam quæ alii cuipiam subsunt, in iis prouocationes fiunt ad eorum dominos. Ab iisque sine prouocatione iudicantur. Sed si quis aduersus eum, qui ipsi non subest, iniuste iudicauerit, siue per vicarium, & procuratorem suum, vocari potest eo nomine

Res iudicata.

Præco siue ministerialis terrestris.

Executio rerum iudicatarum.

Nobilium prehensio.

Capitanei negligentis poena.

Plebis iudicia.
Rusticana.
Vrbana.

Magistrorum contuberniorum iudicia.
Consulum iurisdictio.
Scabinorum iudicia.
Nobilitatis, & sacerdotum oppida non subsunt iurisdictioni regiæ

in ius, cui est obnoxius. Porro episcoporum, & aliorum ecclesiasticorum hominum subditis opem superioris (nempe episcopi, vel archiepiscopi, vel pontificis maximi) contra vim, & iniuriam dominorum suorum implorare licet. In iurato autem iudicio (sic enim vocatur id, cui scabini cum aduocato iurati præsident) accuratior seruatur processus iudiciarius. Exerceturque id fere inter conciues quinto decimo quoque die, nisi is festus sit. Externis vero, & hospitibus postulantibus, quoties opus est, exponitur. Atque hoc quidem emptum dicitur, illud expositum. Est & tertium genus iudicii huius, quod magnum vocant, ac ter statis anni temporibus, ob grauiores causas, magistro ciuium præsidente, exercetur. A iurato autem iudicio legitima est prouocatio ad aliud quoddam iudicium primarium vrbium. Quod quidem duplex est, itidem ac leges, quibus oppidani, & agrestes fere vtuntur. Neque enim iisdem ii cum nobilitate legibus tenentur. Ac in Masouia quidem, vbi ius Culmense viget, ad Varsauiensem, vel Plocensem, hinc porro olim quidem ad Culmensem, nunc autem ad Torunensem in Prussia magistratum, atque inde demum ad Regem prouocatur. In ceteris vero partibus Poloniæ, vbi iuris Teutonici Magdeburgensis vsus est, olim ad Magdeburgensem ciuitatem prouocabatur. Sed Casimirus magnus rex aliud quoddam iudicium in arce Cracouiensi instituit, quod iuris supremi Teutonici, siue Magdeburgensis appellauit. In quo aduocatus cum septem scabinis, magno procuratore eiusdem arcis præsidente, non tamen iudicante, iudicant de prouocationibus, quæ fiunt a iuratis quarumuis ciuitatum, & oppidorum iudiciis. Inde vero prouocatio est ad aliud iudicium, quod sex ciuitatum dicitur. In quo eiusdem Casimiri instituto bini certorum oppidorum decuriones, siue consules, Cracouiam conuenientes, in arce ius dicunt sine prouocatione. De quo in historia fusius persecuti sumus. Cognoscit autem princeps de prouocationibus iis, quæ ab vrbanis, & rusticis iudiciis veniunt, & omnino de controuersiis plebeiorum suæ ditionis, atque etiam de querimoniis aduersus præfectos suos, vbi libet, etiam extra regnum, & cum quibus vult consiliariis. Sæpe etiam consiliariis, & referendariis, aut secretariis earum cognitionem delegat, sed ita, vt ipse tamen ad extremum iis referentibus statum controuersiæ, decernat: præsertim si causa ad equitem pertineat. Soli Cracouienses ciues hoc prædití sunt priuilegio, quod a senatu vrbano nonnisi ad principem est prouocatio, & quod eius, itemque Cazimiriensis, & Cleparienśis ciuitatum causæ ab eo non nisi Cracouiæ iudicantur. De quo disceptare non est huius loci. Habent & sculteti, siue aduocati hæreditarii pagorum, & oppidorum nonnullis in locis inter se peculiaria iudicia. A quibus item ad ius supremum Teuthonicum, & inde ad sex ciuitates, vel ad principem prouocatur. Iure autem suo quisque iudicatur, præter quod causæ cædis, & vulnerum Polonico tantum iure iudicantur: quo reus actoris iureiurando peragitur. Ac in recenti quidem crimine comprehensus, cædem capitis luit supplicio. Post interpositam vero viginti quatuor horarum moram, ad certam, & lege constitutam capitis æstimationem damnatur: quæ diuersa est equitis ac plebeii. Pro plebeio capite partim domino eius, partim liberis, & hæredibus cæsi cedit multa: pro equestri vero, solis liberis, & hæredibus exoluitur. Equiti tamen pro equitis cæde vltra multam, poena est etiam carcer annuus. Sed Masouiorum legibus carceris poena soluitur is, qui profugus annum totum exulauerit. Ceterum plebeio equitem interfecisse capitale est, nisi transigat cum actore. Vulnerum certæ sunt æstimationes. Fit autem contemptu harum poenarum, & capiendæ ex mulcta pecuniæ, vt crebrescant magis indies iurgia, cædesque. Executio rerum iudicatarum contra oppidanos, & vrbanos penes magistratum est in sua quemque ciuitate, aut si is negligat, domini, vel præfecti auxilium imploratur. Et hactenus quidem de iudiciis. Comitiorum ratio nobis deinceps exponenda est. Duabus autem de causis ea habentur: propter con-

Prouocationum & legum ratio, quibus oppidani vtuntur.

Culmense ius.

Magdeburgense.
Iudicium iuris supremi Teutonici

Sex ciuitatum iudicium.
Hist. lib. 12.
de prouocationibus ab vrbanis iudiciis vbi princeps cognoscat.
Cracouiensis priuilegium.
Sculteterorum iudicia.
Homicidii iudicium & poena.

Executio vrbanorum iudiciorum.

Comitiorum ratio.

consultationes de republica & propter iudicia. Cum enim Polonis, quemadmodum supra memorauimus, ea potissimum forma reipublicæ placuisset, in qua penes vnum quidem esset iudiciorum, & rerum omnium in bello, & in pace, summa, sed vt is rerum agendarum, & iudicandarum consilia cum compluribus consiliariis communicaret: hi porro cum propter alias functiones publicas, tum etiam propter curam rei suæ familiaris, ad latus principis assidui esse non possent, placuit, vt ii ad certum locum, & diem conuocarentur a principe, ad exercenda cum ipso iudicia, consiliaque de republica capienda. Hæc sunt comitia publica: quæ etiam generales regni conuentus vocant. Qui olim, simplicioribus, & melioribus sæculis, bidui, vel tridui spatio peragebantur. Augescentibus deinde iudiciis, & rebus agendis, extrahi coepere in longius tempus comitia: sic tamen, vt pro re noua, & insolita annotarit Ioannes Dlugossus, in nonum diem ea extracta esse. Atque hæc fuit vetustorum comitiorum ratio. Posteriori tempore, hoc est, auorum fere nostrorum memoria, cum vniuersa nobilitate, & vna de omnibus ciuitate Cracouiensi communicata sunt comitia: coeperuntque adhiberi legati nobilitatis, siue, vt vulgo loquuntur, nuntii terrarum, hoc est, satrapiarum atque territoriorum, & ciuitatis Cracouiensis, principio quidem vnam ob rem, quemadmodum in historia ex Dlugosso retulimus. Nempe sciscendi in bellum tributi causa. Deinde vero, cum siue incuria principum, siue consiliariorum conniuentia, multa, quæ ad salutem, & amplitudinem reipublicæ pertinebant, negligi, & nobilitatis prærogatiuæ minui viderentur, ad alias etiam consultationes de republica accedere coeperunt, non vt consiliarii, sed vt monitores principis atque consiliariorum, & custodes libertatis, & prærogatiuarum nobilitatis, ac legum publicarum. Laudabile sane, & salutare in primis genti Polonæ (si eo recte vtatur) institutum, & ad optime constitutarum olim rerum publicarum Romanæ, & Lacedæmoniæ mores accedens. Quarum in altera ephori, in altera tribuni plebis principum, et potentium libidini, inertique, et inutili administrationi reipublicæ obiecti erant. Nunc igitur sine nuntiis terrarum non habentur legitima comitia. Atque eam ob rem quoties ea debent institui, indicuntur prius a rege nobilitati conuentus, quos vocant particulares, ad certos dies, certaque oppida. Maioribus quidem Polonis, hoc est, Posnaniensis, et Calissiensis satrapiarum equitibus Srodam: Cracouiensi vero satrapiæ Prossouiam: Sendomiriensi Radomiam: Siradiensi Schadcouiam, excepto Velunensi tractu, qui suum peculiarem conuentum Veluni habet: Lenciciensi Lenciciam: Cuiauiis Radeouiam: Dobrinenses tamen separatim Ripini conueniunt: Russis Visnam, præter Chelmenses, qui et ipsi Chelmæ suum habent: Podoliis Cameneciam: Lublinensi satrapiæ Lublinum: Belsensi Belsum: Plocensi Raziansum in eodem tractu: Masouiis Varsauiam, Rauensi nobilitati Rauam: Sochacouiensi Sochacouiam: Gostinensi Gambinum. His igitur locis (nisi iusta causa obstet) nobilitas cum consiliariis, & magistratibus terrestribus, siue vt vulgo loquuntur, cum dignitariis, & officialibus eiusdem satrapiæ, vel tractus ad templum conuenit, & implorata sacro publico ope diuini numinis, legationem regiam audit, vbi, quando, et quibus de causis opus sit haberi comitia: deinde præeuntibus consiliariis legatos suos, siue nuncios deligit, eisque vel peculiaria dat mandata ad comitia, vel vniuersæ potestatem facit curandi ea, quæcunque in commune a republica fore videbuntur. Lege autem ab hoc munere legationis excluditur, qui priuatum habet negotium, et litem in comitiis. Finitur nunciorum potestas vnicis comitiis. Nec idem sane est in omnibus satrapiis eorum numerus: verum pro numero territoriorum esse debere existimatur. Nunciis ita creatis in particularibus conuentibus, mox instituuntur alii conuentus, quos generales vocant. In maiore quidem Polonia Coli, in minore autem Corcini, quæ etiam noua ciuitas nuncupatur. Et ad hunc quidem Cracouiensis, Sendomiriensis,

Comitia vetusta.

Nuntii terrestres.

Conuentus particulares.

Conuentus generales.

ensis, Russicæ, Podolicæ, Belsensis, et Lublinensis satrapiarum, ad illum vero reliquarum proceres, et nuncii recens creari, ac de nobilitate, qui volunt, constituta itidem a principe die, conueniunt, auditisque iterum mandatis regiis, mandata nobilitatis, & quæ postulat vsus reipublicæ inter se conferunt. Atque inde itur ad maiora comitia. Quo vbi conuentum est, re sacra solenni itidem in templo publice peracta, itur ad aulam. Ibi principe, & consiliariis in corona considentibus, adstantibusque pene secretariis, & nunciis, Cancellarius, vel Procancellarius principis nomine proponit in medium, quibus de rebus in commune consuli operæ precium sit. Deinde consiliarii, ab archiepiscopis, et episcopis orsi, ordine dicunt sententias. Hinc nuncii, petita a rege venia, secedunt in aliud conclaue, iisdem de rebus inter se consultaturi. Reuersique siue eadem, siue alia die, per vnum aliquem exponunt id, quod ipsis in commune visum est, quid probent, quidue requirant. Nonnunquam pluribus mandant, si plura sint negocia proponenda, vt sua quisque edisserat. Non modo enim iis de rebus, quæ principis nomine propositæ fuere, sed etiam, si quid aliud ipsis in mentem venit, de republica postulant, vel admonent. Id vero si est eiusmodi, vt consultationem requirat, & ab eorum functione non alienum esse videatur, dicuntur etiam de eo sententiæ a senatoribus, exclusis nunciis: interdum etiam non exclusis. In omnibus autem consiliis postremus omnium dicit princeps. Et quod ei placuit, decreti comitialis, & legis habet vigorem, dummodo prioribus legibus, nobilitatisque, aut sacri ordinis prærogatiuis ne aduersetur. Tunc enim refragari placito principis non solum senatui, sed etiam nunciis fas est. Itaque in eiusmodi consultationibus suspendit fere sententiam suam Rex, donec inter nuncios, & senatores, maioremue eorum partem conueniat. Sed hoc iam aliter modificatum est. Cetera autem consilia de republica, quæ legibus diserte excepta non sunt, nec prærogatiuis nobilitatis præiudicant, cum senatu solo princeps communicat. Quemadmodum iudicia quoque cum eo solo exercet, minimum biduo, vel triduo singulis hebdomadis per tempus comitiorum. Sed interdum ea delectis aliquot e senatu delegat. Atque ii quotidie fere, festis diebus exceptis, iudicant. Verum ab his quoque assessoribus (sic enim vocantur ii iudices) ad regem prouocatur. Atque ii statum controuersiæ cuiusque, decretumque suum in consessu reliqui senatus exponunt. Sententias tamen denuo non dicunt. Publicarum inter sacrum, & militarem, siue equestrem ordinem controuersiarum arbitrium atque transactio penes Regem est. Comitia quotannis, nisi quid forte impediat, institui vsitatum est. Nihil tamen prohibet, quo minus vel rarius, vel crebrius, instituantur. Crebrius quidem vt id fiat, requirit iudiciorum, & prouocationum disceptandarum multitudo. Tametsi extrahuntur ea nonnunquam in quartum, & quintum, ac sextum fere mensem. Locus certus comitiis habendis olim nullus erat. Sed vbi principi collibuerat, etiam sub dio, & in territoriis, ea peragebantur. Postea lege in vnum conclusa sunt oppidum, in vmbilico fere, & meditullio totius Poloniæ situm Petricouiam. Sed iam ea inde noua lege in gratiam Lithuanorum Varsauiam translata sunt. Potest tamen Rex assentiente senatu, iusta aliqua de causa alibi quoque ea instituere. Nec illud prætermittendum est: quod initio comitiorum nunciis nobilitatis singulis certa pecunia in victum de publico numeratur. Senatoribus non item. Ceterum non venienti ad comitia senatori sine iusta causa, lege mulcta irrogatur: sed ea vix vnquam a rege exigitur. Habet ecclesiasticus quoque ordo in Polonia sua comitia: quæ synodi Græco, sed Latinis non inusitato nomine, appellantur. Quarum causas & vniuersam rationem e iure pontificio petat, qui volet. Hic illud modo annotandum est, quod licet archiepiscopus Leopoliensis suam habeat prouinciam a Gnesnensi distinctam, tamen & ipse, & socii, vel (vt vocant) suffraganei eius episcopi, Gnesnensis

Comitia regni.

Iudicia comitialia.

Controuersiarum inter ecclesiasticum, & equestrem ordinem arbiter Rex.

Comitiorum locus.

Synodi sacerdotum. Gnesnensis archiepiscopi prærogatiua.

ſnenſis archiepiſcopi auctoritatem agnoſcunt, cum in prouocationibus, & iudiciis, tum in ſynodis, ad quas ab illo euocantur. Eſt autem ius, moſque, Petricouiæ, Lenciciæ aut Louiciæ prouincialem ſynodum tertio quoque anno, niſi res maiorem celeritatem, aliumue locum epiſcoporum conſenſu poſtulet, inſtitui, & adhiberi in conſilium abbates, & præpoſitos monaſteriorum, et collegiorum ſacrorum primariorum (quæ capitula cathedralia vocantur) legatos binos, vel ſingulos dumtaxat. Sed nos a ſynodis, et comitiis ad bellum tranſeamus. Id autem in hac gente a nobilitate geri viſitatum, & legitimum eſt antiquitus: quæ cuncta equeſtris militat, quemadmodum antea diximus, idque pro modo bonorum, & redituum facere debet. Sed cum nulla publice inſtituta ſit bonorum æſtimatio, modus hic fidei cuiuſque creditus, labente in deterius diſciplina, & fide, arbitrarius factus eſt, non ſine reipublicæ totius incommodo, & iniuria. Arbitrarium eſt, et genus armorum. Tenuiores, & qui equum alere non poſſunt, pedeſtres militant. Sculteti quoque, ſiue aduocati hæreditarii, & quicunque fundos terreſtres hæreditarios habent, non ſunt immunes a militia. Mulctatur autem agris, & bonis omnibus, ſi quis paterfamilias a bello abſuerit, aut filium adultum, fratremue, qui ipſe ſeparata bona, & militandi neceſſitatem non habeat, pro ſe non miſerit. Ceterum pupillis impuberibus, ægrotis, ſenio confectis, & viduis per neceſſarios, & famulos militiam obire licet Habent autem vacationem militiæ tribuni terreſtres, præfecti arcium in finibus regni ſitarum, vicarii ceterorum præfectorum iuriſdictionem habentium, Vicecapitanei, & Burggrauii, et qui reipublicæ cauſa abſunt. Habet item ordo cunctus eccleſiaſticus, præter eos ſacerdotes, qui bona terreſtria hæreditario, ſeu alio quouis, quam ſacerdotiorum iure, et nomine obtinent. Euocatur ad bellum nobilitas antiquo more, dimiſſis quoquouerſus per præfecturas litteris ſigno regio conſignatis: quæ deinde in pertica reſti alligatæ (vnde reſtium nomen acceperunt) a præconibus, ſiue miniſterialibus terreſtribus ad dignitarios, et officiales, ſiue magiſtratus, primoreſque nobilitatis cuiuſque præfecturæ, ſublimes, et conſpicuæ circumferuntur, et in foris vrbium, et oppidorum alta voce publicantur. Ter autem id fieri oportet interpoſitis quaternis ſeptimanis: niſi decreto comitiali tempus id accidatur, binæque reſtes coniunguntur. Poſt tertias demum reſtes domo ſe quiſque mouet ad ſuæ ſatrapiæ conuentum ad certum locum, certamque diem indictum. Inde porro auctore ac ductore palatino, cum ſui quiſque territorii caſtellano, ad conſtitutum a principe prope fines regni locum pacati procifiſcuntur. Verum hoc quoque, vt alia nonnulla recte a maioribus inſtituta, augeſcente indies equitum licentia, conniuentiaque magiſtratuum, in deſuetudinem abiit, magno non modo ſacerdotalium, verum etiam regiorum, et ipſius nobilitatis prædiorum, et adſcriptitiorum, incommodo, damnoque. Neceſſe autem habet princeps equeſtris ordinis homines ab hoſtibus in bello captos redimere, ac damna amiſſorum equorum, quæ ii extra fines regni acceperint, exoluere. Captum vero hoſtem, nobilem præſertim, is qui cepit, principi tradere debet, acceptis pro eo duobus florenis. Vſu venit nonnunquam, vt hæ copiæ diuidantur a principe de ſententia ampliſſimi conſilii, ac ceteris quidem aduerſus hoſtem proficiſcentibus, vnius aut alterius ſatrapiæ nobilitas, vel plurium, ſi opus ſit, ad præſidium eius oræ, vnde item belli aliqua eſt ſuſpicio, relinquatur. Hæc eſt apud Polonos belli gerendi ratio: hoc robur militiæ, in equitatu ſitum. Hæ ſunt opes, et vires gentis: hæ copiæ, externis pene incredibiles, et cum quibuſuis maximarum gentium opibus ac diuitiis comparandæ: quibus olim principes Poloni res magnas, et præclaras geſſerunt, non domi modo illata bella propulſando, ſed foris etiam hoſtes vlciſcendo, fines imperii longe, lateque proferendo, et amicis atque ſociis ſuccurrendo. Sed cum abuterentur ii nonnunquam obſequio nobilitatis, eamque crebrorum ac diuturnorum, mi-

Belli gerendi ratio.

Poena non militantium.

Militiæ immunitatem qui habeat.

Reſtes, ſeu reſtium literæ.

Bellicæ leges.

Bellica expeditio non indicitur sine comitiis. Nobilitatis officium. Oppidanorum munia in bello

nimeque necessariorum bellorum incommodis exercerent, lege cautum est, intra hos ducentos annos, vt ne liceat regi bellum facere sine comitiis, et assensu amplissimi consilii: et vt nobilitas fines quidem regni quoties, et vbi opus est, absque vllo stipendio tueri necesse habeat, non sine principe tamen, præterquam in interregno. Ceterum extra fines ne ad vllam militiam educi possit inuita, nisi acceptis a rege in quemlibet hastatum equitem quinque marcis, quod perinde est hoc tempore, ac quinque coronati Gallici, vel Italici. Peditatus nullus est fere apud Polonos præter mercenarium, si quem princeps conduxerit. Mittunt quidem ei oppidani currus commeatu onustos cum peditibus. Verum is peditatus non multus est, sternendis, muniendisque viis, quam armis tractandis, accommodatior. In extrema tamen necessitate, & grauiori bello, euocata ad expeditionem nobilitate, oppidani quoque, & agrestes decimum quenque peditem decreto comitiali armant & expediunt. Cum autem lentior sit expeditio hæc vniuersa, & nonnunquam ciuibus, & amicis magis, quam hostibus incommodare soleat, excogitata est ratio conducendi militis mercenarii pedestris, & equestris ad subitarias Tartarorum, & aliorum hostium excursiones reprimendas, expugnandas munitiones, & alios militares labores subeundos aptior, & promptior. Quæ copiæ pariter cum decanis, centurionibus, turmarum & cohortium ductoribus, tribunisque militaribus ab alterutro duce exercitus longe laxiori potestate, & seueriore disciplina, quam in expeditione publica reguntur. Est autem stipendium trimestre in equitem quidem senum, in peditem vero quaternorum florenorum antiquitus constitutum. Perexiguum id sane est, nisi in magna alioqui rerum omnium ad victum, pastumque pertinentium copia, & vilitate, longe leuius etiam precium rebus venalibus bellica lex imponeret, & charitas patriæ, studiumque bellicæ virtutis, & gloriæ, & spes adipiscendorum publicorum honorum magis, quam vlla merces iuuentutem, multitudine & otio abundantem, ad facienda stipendia excitaret. In hoc vero stipendium publice confertur pecunia, tributo, quam exactionem vulgo vocant, agrestibus ac oppidanis, regi iuxta ac nobilitati subiectis, imperato, quo illi non inuiti agrorum, domorumque suarum vexationem redimunt: si modo redimunt, mercenariorum etiam militum, non contentorum stipendiis suis, licentia, & rapacitate indies magis ac magis progrediente, & nec sacerdotum, nec nobilitatis, atque adeo neque regis ipsius bonis abstinente. Id autem tributum ex agris quidem in laneum seu mansum (certus agri modus is est) ex oppidis vero ostiatim penditur. Quin etiam venalis cuiuslibet potus nomine in oppidis iuxta ac in pagis pensitatur. Pendunt & molitores de moletrinis quiddam: & sculteti siue aduocati de suis agris, itemque equites ii, qui nullos habent adscriptitios, & plebeii, qui neque domos, neque agros habent, et arte aliqua, vel opera sua, victitant. Doctores, magistri, et scholastici, et qui litterarum, doctrinæque studiis vacant, immunes sunt. Est et aliud quoddam tributum, in magna necessitate aliquando plebi vniuersæ, exceptis scholasticis, imperatum. Quod, quia de singulis capitibus, pendebatur, capitale dictum est. Imponit nonnunquam et ipsa sibi nobilitas cum rege, et proceribus tributum de agris, vel de censibus suis pensitandum, si vsus et necessitas postulet. Non nisi in comitiis autem hæc tributa sciscuntur ac decernuntur, et quidem consentientibus consiliariis pariter, et nunciis terrestribus. Ceterum ecclesiasticus ordo vna cum bonis, et hominibus suis iam inde ab initio susceptæ religionis Christianæ, non modo militiæ perpetuam, sicuti superius attigimus, vacationem, sed tributorum etiam publicorum immunitatem habet in Polonia. Verum ipse superiori tempore oppidanos, et agrestes suos tributis, quæ ceteris imperantur, vltro reipublicæ gratia subiecit. Nunc iam pro lege habetur, vt, quoties regiis et equitum subditis tributum imperatur, nec hi exortes sint. Pensitant ipsi etiam nonnunquam sacerdotes cum episcopis

Mercenarii milites.

Stipendia equitum, & peditum.

Tributa, siue exactiones.

Capitale.

Ecclesiastici ordinis immunitas.

rogati,

rogati, vrgente necessitate, & charitate patriæ suadente, de suis sacerdotiis certam redituum suorum portionem. Quam pensionem contributionem appellant. Eius vero decernendæ ius est penes synodum prouincialem, exigendæ vero penes eos, quibus episcopi cum primario suo collegio in sua quisque dioecesi mandauerit. Superiorum autem illorum tributorum, quæ plebi atque etiam nobilitati imperantur, exactio plerumque regis arbitratu, nonnunquam de senatus atque nunciorum sententia, per satrapias compluribus imponitur. Nec diutius id munus durat, quam ipsum tributum. Dispensatio penes regem fere, & thesaurarium regni manet. Nonnunquam tamen et ipsa aliis comitiorum decreto mandatur. Nuper adeo excogitata est noua ratio comparandæ in defensionem regni, militemque mercenarium pecuniæ. Rex enim benignissimus Sigismundus Augustus quartam partem redituum regiorum in eum vsum perpetuo reipublicæ concessit. Quæ pacis tempore in fiscum, in arce Rauensi constitutum, deponitur. Atque hæc habuimus in præsens, quæ de ratione belli, de vniuersa republica Polonica in medium afferremus. Si quid præter ea requiritur, e recentioribus comitialibus constitutionibus petatur. Prussia Regia nobis reliqua est, quæ, quamuis eodem cum Polonis regno contineatur, tamen quia peculiare consilium publicum, peculiares leges, peculiaria iudicia, et comitia, ærariumque, et belli gerendi rationem a reliqua Polonia diuersam habet antiquitus, de his nunc separatim persequamur. Nec abs re fortasse fuerit, si de ducali quoque obiter attingamus. Igitur ea pars Prussiæ, quæ nunc ducalis dicitur, ex eo tempore, ex quo deuictis barbaris populis sub iugum Christi missa est, simul cum episcopis suis Sambiensi, et Pomesaniensi ad nostra vsque tempora ordini Teuthonicorum Crucigerorum, qui se de hospitali S. Mariæ militiæ Hierosolymitanæ dixere, paruit. Cuius ordinis præses magister generalis, socii vero administrationis, et præfecti territoriorum præceptores, et commendatores appellati sunt. Qui cum pro amicis, et sociis, Polonorum hostes facti essent, armis eorum adacti quodam tempore, vna cum episcopis in verba regis Poloni iurarunt, et aliquandiu maiestatem eius coluere conseruarunt. Sed cum id deinde aliquoties, et ad extremum nostra memoria, Alberto Marchione Brandeburgensi magistro, viro excelsi animi, et rei militaris perito, auctore, detrectassent, Sigismundus rex senior, vt se et posteros suos illa perpetua defectionum, bellorumque molestia liberaret, et Poloniæ, Lithuaniæque tranquillitatem maiorem præstaret, fractis iis bello, et ad necessitatem deditionis redactis, & partim decedentibus e Prussia, partim habitu, & religione abiecta manentibus, illum ipsum Albertum, sororis suæ filium, singulari clementia pro magistro Ducem in Prussia iussit esse, hæreditariumque principatum ipsi cum fratribus, et posteris eorum maribus attribuit, ea lege, vt ii in verba regis Poloni, ritu solenni iurarent: cum centum equitibus hastatis, quoties et vbi vsus postularet, ei militarent: & in senatu regni locum haberent iidem, ac magister habuisset. Extant pacta conuenta. Ex eo igitur tempore pars illa Prussiæ ampla, et copiosa, duarumque episcoparum suppressione auctior, sub duce esse coepit, summam omnium rerum potestatem, regi tamen Polono obnoxiam, habente, et arbitratu suo consiliarios sibi legente, et præfecturas, magistratusque mandante. Vtinam quidem is sacra intacta reliquisset. Nec plura nunc de ducali Prussia. Regia vero, ex quo a Crucigerorum imperio ad Polonum nomen (vnde fere detracta erat) ante centum annos sese recepit, recepta ea quidem est a Polonis in societatem iuris, & reipublicæ, sed leges tamen suas, et instituta a Teuthonibus fere hausta, vel post subactos, & ferme extirpatos priscos, & barbaros Prussos, deductione coloniarum e Germania importata, retinuit. Consilium quoque a senatu regni seiunctum obtinuit. Habuit etiam initio suum gubernatorem, a rege datum. Sed postea suppressus est hic magistratus. Regiam autem appel-

Quarta regiorum redituum.

De Prussia.

Ducalis Prussia.

Albertus Marcho Dux in Prussia.

Prussia feudalis facta.

Regiæ Prussiæ respublica.

Hist. lib. 27.

Leges Prussorum.

appellamus, quæ Regi Polonorum immediate (vt vulgari verbo vtar) subiecta est. Cuius partes primariæ sunt, Culmensis, Marieburgensis, & Pomerania citerior. His annumeratur etiam Varmiensis episcopa. Quæ licet episcopo suo, et collegio sacro, siue capitulo, prorsus immediate subiecta sit, nec omnia cum superioribus eius patribus habeat communia, quemadmodum paulo post explicabimus, non segregat tamen sese a regia, priuilegiis suis viens, fruens. Vtitur autem omnis ferme Prussia, ducalis iuxta ac regia, iure municipali,

Culmense ius.

quod Culmense vocatur. Quod tamen non satis certum est in hanc vsque diem. Eruitur quidem e tenebris, et colligitur, sed nondum in lucem prodit. Solæ Elbingensis, Brunsbergensis, et Fraumburgensis ciuitates, Lubecense amplexæ sunt, vel secum fortassis attulere. Et quoniam vtrumque id paucis capitibus continetur, in ceteris recurritur ad Saxonicum, et Magdeburgense: indeque etiam ad Romanum, quibus de rebus neque Culmensi, aut Lubecensi, neque Magdeburgensi, et Saxonico iure, neque plebiscitis ciuitatum, aut constitutionibus regiis, cautum est. Dedit enim constitutiones, et leges quasdam sapientissimus rex Sigismundus senior, partim toti Prussiæ regiæ, partim Gedanensi ciuitati peculiariter. Easque auxit optimus eius filius Sigismundus Augustus, cum in ea vrbe esset, anno post Christum natum MDLII. Quibus conscribendis nos adfuimus. Non ita pridem etiam cum idem rex comitiali decreto clarissimos, et prudentissimos aliquot senatores ad Elbingensem, et Gedanensem ciuitates, corrigendorum quorundam erratorum, & abusuum causa, cum summa potestate delegasset, condiderunt ii leges nonnullas, rebus, locis atque temporibus accommodatas.

Lubecense. Magdeburgense, & Saxonicum. Regiæ constitutiones.

Qvas nuper is, qui fuit princeps eius legationis, vir amplissimus, Stanislaus Carncouius, Vladislauiensis episcopus, in lucem edidit. Vectigalia regia non ampla sunt in Prussia: eaque proueniunt potissimum e ciuitatum pensionibus, agris, et prædiis insulanis, et præfecturis: quarum tamen pleræque donationibus, venditionibus et hypothecis in impendia bellorum superioribus temporibus accisæ, aut prorsus alienatæ sunt. Quod itidem aliis quoque vectigalibus, in ciuitatum ius translatis, factum est. Verum ea detrimenta crebris tributis, populariter in gratiam regis scitis, vel decretis, superiori tempore compensabantur. Metallorum ea regio ferax non est: fruges non maligne profert, et linum, et lupulum: easque merces trans mare mittit. Mittit et materiam fabricandis nauibus, et vasis, exornandisque domibus aptam, et ceram, et cinerem, et bubula coria, imo et carnes. Sed hæc ei fere suppeditat Russia, Samogitia, et Lithuania: quin et frugum, et aliarum rerum ad victum pertinentium maiorem copiam eædem regiones, et Masouia, ceteraque Polonia ratibus, et nauibus fluuiatilibus, subministrant. Accipit autem ea vicissim transmarinis commerciis vina, oleum, aromata, saccharum, sal, et alia condimenta mensarum, telam item et pannos, laneos iuxta ac sericeos, et quas præter ea mittit Lusitania, et India diues, cupedias: eaque omnia Polonis, et Lithuanis Prussia transmittit.

Stanislaus Carncouius episcopus Vladislauiensis. Vectigalia regia Prussica. Nascentia in Prussia. Prussorum commercia.

Prussorum viuendi ratio.

Hinc est vulgo simul, et nobilitati res lautior, vestitusque et habitatio cultior. In victu quidem frugalitas prisca adhuc ferme retinetur. Vtinam compotationes essent moderatiores. Sed est id commune vitium septentrionalium populorum. Eæ tamen compotationes Prussis hordeacea cereuisia crassiore ferme peraguntur. Vini non magnus est vsus. Distinguuntur Prussi, itidem ac Poloni, sacro, et profano ordine: nobilitate ac plebe. Sed paulo meliore est conditione plebs in Prussia, quam in reliqua Polonia. Eodem quidem cum nobilitate iure, et iisdem legibus vtitur, prærogatiuis modo quibusdam inferior: per quas tamen plebeii neque a bonis terrestribus, neque ab honoribus, et magistratibus, neque a sacerdotiis, neque a consilio publico arcentur. Nec nobilitas modesta, et frugalis eos dedignatur. Quin decedit ea quoque vna cum sacro odine nonnihil de immunitate sua reipublicæ et concordiæ gratia. Sacerdotibus iustus honos habetur, a catholi-

Nobilitas, & plebs Prussica.

a catholicis præsertim. Monachi, et monachæ, cum nostra memoria præsultore Luthero domicilia sua reliquissent, manent ea etiamnunc propemodum vacua, et ruinosa, aliquot exceptis: quæ sane infrequentia sunt, et incolentes ea contemptibiles. Regis potestas in Prussia minus est restricta, quam alibi. Senatus constat duobus episcopis, tribus palatinis, totidem castellanis, totidem succamerariis, et tribus primariis ciuitatibus: quarum non mediocris est potentia. Earum vero bini consules, legati siue nuncii, pro singulis habentur, et alternis dicunt sententias. Episcopi sunt, princeps senatus, et moderator, Varmiensis, in qua episcopa me Pius, eius nominis quintus, Pontifex max. vltro petente D. Sigismundo Augusto Rege, amplissimo Cardinali Stanislao Hosio (ipso libentissime assentiente) ante sex annos coadiutorem (vt vocant) dedit, successoremque designauit, et collegium sacrum acceptauit. Sed reuertamur ad institutum. Est ergo princeps senatus Prussici Varmiensis episcopus: huic proximus Culmensis, qui olim eum anteibat. Quorum hic, Teuthonum Crucigerorum opera, quodam tempore de Gnesnensi prouincia detractus, Rigensi addictus fuit, vehementer accisus reditibus, et episcopa, ecclesiaque in ditionem ordinis ipsius redacta: ille vero, Varmiensis inquam, initio quidem Rigensis archiepiscopi metropoliticam auctoritatem agnouit. Nunc vero multis annis in nulla prouincia censetur, & soli subest in rebus ecclesiasticis Romano pontifici: magistri, et ordinis dominatum nunquam agnouit, amicitiam, et societatem, cum et ipse plerumque Germanici esset sanguinis, libenter coluit: nec sine malo ac detrimento suo, et ecclesiæ suæ. Ad regnum vero Poloniæ post reliquam Prussiam peculiaribus pactis, cum rege Casimiro initis, sese adiunxit. Vladislauiensis episcopus habet non contemnendas possessiones in Pomerania. Atque ea tota ferme in dioecesi ipsius est, indeque Pomeraniæ quoque episcopi titulum is vsurpat, sed ad Prussicum consilium non pertinet. Palatini sunt, Culmensis, Marieburgensis, qui ante hac Elbingensis dictus fuit, et Pomeranicus: castellani, Culmensis, Elbingensis, & Gedanensis: Succamerarii itidem atque palatini. Ciuitates, Torunensis, Elbingensis, et Gedanensis, in singulis satrapiis, siue palatinatibus singulæ, eundem ordinem seruantes inter se in consilio, quem sui palatini. Hoc est concilium Prussicum. Consiliarios terrarum Prussiæ vocant, quos et ipsos more aliorum iuratos esse oportet. Varmiensis tamen episcopus diuersam ab aliis iusiurandi rationem, & formulam pacto præscriptam habet. Nam is, si Rex est in Prussia, ipso præsente: sin minus, nonnullis magistratibus Prussicis, ad id delegatis, in arce Marieburgensi, præeunte verba aliquo episcopo, iurat. Ciuitatum delegati iniurati ad consilium admittuntur, aliquone priuilegio, an per abusum, nescio. Habent autem consiliarii Prussici sua loca, et ius dicendæ sententiæ in amplissimo totius regni Polonici consilio. Verum ea loca ante aliquot annos, post auctum Lithuanorum accessione senatum, aliqua ex parte variata sunt, ita tamen, vt nihilominus episcopi inter episcopos, palatini inter palatinos, castellani inter castellanos, consideant. Ad calcem operis huius ea singula secundum nouam constitutionem comitialem inter alios notata sunt. Palatinorum iurisdictio, & auctoritas in Prussia maior est, quam in cetera Polonia. Penes eos sunt multæ, et supplicia delinquentium, rerumque iudicatarum executio. Tranquillitatem quoque publicam in agris, & extra vrbes ii præstant. Castellani, et succamerarii eodem sunt iure, quo in Polonia. De episcopis paulo post dicemus. Præter hos autem magistratus, habent Prussi thesaurarium, præfectos arcium, capitaneos, gladiferos, iudices, & scabinos: verum ii non pertinent ad consilium. Thesaurarius est, qui pecuniam omnem, et rationes a præfectis, & administris regiorum bonorum, et prouentuum, atque etiam tributorum publicorum exigit, vel ipse administrat, vel thesaurario regni tradit. Olim is oeconomus fuit, seu procurator Marieburgensis.

Ordo ecclesiasticus in Prussia.

Senatus, siue consilium Prussiæ.

Varmiensis, & Culmensis episcopi.

Vladislauiensis etiam Pomeraniæ episcopus.

Varmiensis episcopi iuramentum.

Consiliarii Prussiæ ad senatum Regni pertinent.

Palatinorum potest. s. Magistratus Prussici.

Thesaurarius.

Gladiferi. Iudices. Pomeraniæ territoria. Præfecti.

Gladiferos ſingulos habent Culmenſis, et Pomeranicæ ſatrapiæ. Iudices nouem ſunt. In Culmenſi quidem, & Marieburgenſi ſatrapiis ſinguli: in Pomeranica vero ſeptem, nempe totidem, quod territoria. Sunt autem ea, Slochouienſe, Tucholienſe, Suecenſe, Derſauienſe, Zucouienſe, Puſcenſe, et Mirachouienſe. Habentque ſinguli indices in conſilio ſcabinos iuratos aliquot. Præfecti arcium, et redituum regiorum in ſua quisque præfectura curam, et adminiſtrationem habent. Iurisdictionem nullam ferme habent, præſertim in nobilitatem, neque in oppidanos amplam: in agreſtes ampliorem. Solus Marieburgenſis, neque redituum regiorum curam gerit, neque in agreſtes iurisdictionem habet: arci modo præeſt, eiusque præſidio: quod perpetuum eſt. Ceterum conſtitutione quadam, ampliores is ceteris præfectis, et magiſtratibus prærogatiuas habet, velut generalis locum tenens regis in Pruſſia. Redituum vero, et ſubditorum, et ſartorum tectorum eius ipſius arcis curationem habet theſaurarius. Igitur primaria totius Pruſſiæ præfectura Marieburgenſis eſt: cui Polonus antiquitus præficitur. Nunc primus de Pruſſis, e Polonia tamen oriundus, ei præeſt vir vigilantiſſimus, & omni genere virtutum ornatiſſimus, mihique amiciſſimus, Ioannes Coſtka, nuper palatinus Sendomirienſis a rege Henrico creatus. Secundum hanc in eadem ſatrapia ſunt hæ præfecturæ, Stumenſis, Gneuenſis Nouenſis, & Stargardenſis, ſiue Starigrodenſis. In Culmenſi Brodnicenſis, Grudentina, Radinenſis, Golubenſis, Rogoznenſis, Brathianenſis, Coualienſis, Coprivuenſis: in Pomeranica, Slochouienſis, Suecenſis, Tucholienſis, Derſauienſis, & Puſcenſis. Torunenſem vero, Elbingenſem, & Gedanenſem præfecturas, ciuitates ipſæ ſibi regia indulgentia et ex pacto vendicarunt, et per magiſtratus vrbanos adminiſtrant. Epiſcopi cum collegiis ſuis ſuos, & ipſi habent arcium atque territoriorum præfectos, & burggrauios, ſuosque iudices, & aduocatos, & oppidanos magiſtratus. Habent & cancellarios, & officiales ſuos in cauſis eccleſiaſticis vterque epiſcopus. Habent enim vtramque iurisdictionem, & ampliſſimam poteſtatem in ſuos. Varmienſis quidem epiſcopa in nulla cenſetur ſatrapia: vno autem, & non interpolato ambitu, in modum principatus, bona certis finibus peculiariter circumſcripta, & arcibus atque oppidis exculta habet: eaque ſic diuiſa, vt duas partes epiſcopus, tertiam collegium ſiue capitulum obtineat. In his vtrique ſubiectam nobilitatem habent, & liberam iurisdictionem, ab omni regiorum magiſtratuum iurisdictione exemptam. Præter ea pertinet etiam Elbingenſis ciuitas cum ſuo territorio ad Varmienſem dioeceſim: quamuis iam aliquandiu hæretica labe infecta conniuentibus regibus, & ſuffragantibus nonnullis magiſtratibus, ab eccleſiaſtica epiſcopi iurisdictione ſeſe ſubtrahere nitatur. Bartena quoque terra, & Natangia ante CC. annos eiusdem epiſcopi iurisdictioni ſubiectæ fuiſſe, & ſupra ſex millia manſorum tunc epiſcopo Varmienſi per fraudem, & iniuriam Cruciferorum detracta eſſe memorantur. Subditi epiſcopi, & collegii Varmienſis eodem, quo ceteri Pruſſi iure municipali vtuntur. Sed habent etiam peculiaria, inter ſe autem communia, inſtituta: quæ *Landsordnung*, hoc eſt, terræ conſtitutiones, vocant. Conuentus etiam communes habent. Ad eos autem nobilitas, ciuitates, & ſculteti cum liberis (de quibus poſtea dicemus) euocati, pro ſe quique binos, vel plures etiam e ſingulis territoriis procuratores, ſiue legatos mittunt, iis de rebus, quæ in conſultationem veniunt, cum epiſcopo, & legatis collegii conſtituturos. Ceterum ea nobilitas omnis, & aduocatus, & ciuitates, præter iuſiurandum, quo partim in epiſcopi, partim in ſacri collegii verba iurant, nouo quoque regi, ac deinde decimo quoque anno ei ipſi ex pacto ſidem ſuam obſtringunt. Tametſi de X. anno in deſuetudinem abiit, ſublata cauſa, hoc eſt, pacatis prorſus rebus Pruſſicis, & extirpato ordine Teuthonicæ militiæ. Iurant etiam ſacerdotes quando certum aliquod ſacerdotium adipiſcuntur:

Marieburgenſis præfectus.

Ioannes Coſtka palatinus Sendomirienſis.

Præfecturæ Pruſſicæ.

Varmienſis dioeceſeos ius & prærogatiua

pri-

Canonicorum & Prælatorum Varmiensium creatio.

primarii tamen, qui prælati, & Canonici cathedrales appellantur, intra mensem, posteaquam in id collegium cooptati sunt. Eos autem pontifex quidem maximus creat, collegium vero vna cum Episcopo eligit alternis mensibus: excepto Præposito, qui a Rege editur, siue præsentatur, ab Episcopo præficitur. Sed neque is, neque cæteri tres prælati locum & suffragium habent in collegio, siue capitulo, nisi sint etiam canonici. Culmensis Ecclesiæ collegium ad quatuor canonicos redactum est. Qui singuli a cæteris vna cum episcopo cooptantur. Ipse autem episcopus a solo rege designatur, a pontifice maximo creatur. Cæterum Varmiensis ex pacto recentior e quatuor canonicis indigenis a rege propositis, vnus ab eius ipsius Ecclesiæ collegio deligitur: deinde hic quoque a pontifice renunciatur, & confirmatur. Ac tum demum sacris pontificalibus ad præscriptum ecclesiasticorum canonum initiatur.

Episcoporum Prussiæ designatio.

Magistratus terrestres in Prussia quoque, itidem ac in Polonia, a Rege creantur: iudex tamen ex aliquot a Palatino cum dignitariis, & cætera nobilitate de consessu scabinorum delectis, ab eo editur: Scabini soli a palatino cum ceteris dignitariis illius loci creantur. Sunt autem & Prussici magistratus omnes perpetui, præter præfectos: qui regis arbitratu mutari possunt, nisi beneficio ac diplomate regio sibi prospexerint.

Magistratuum Prussicorum conferendorum ius.

Ciuitates a decurionibus, seu consulibus, & quidem Germanicæ linguæ, & sanguinis (Polonos enim pro externis habent, & neque ad artes mechanicas perdiscendas admittunt) reguntur: quorum non idem vbique certus tamen est numerus. Et ipsi ius habent cooptandi, quos volunt, in sua collegia, quoties vacat locus, eoque maiore sunt dignatione, & authoritate, quando volunt, & obsequentiorem habent plebem.

Ciuitatum Prussicarum magistratus & administratio.

His præsident magistri ciuium a decurionibus, ac de numero ipsorum delecti, & ipsi, itidem atque decuriones perpetui, in primariis quidem vrbibus quaterni, in cæteris vero oppidis bini, per vices annuum gerentes magistratum. Habent item singulæ ciuitates iuratos iudices, siue scabinos, qui a decurionibus, siue consulibus leguntur: & ipsi autem perpetui sunt, nisi forte in numerum consulum cooptentur. Neque enim eundem consulem, & scabinum esse licet, præter Elbingam, & Brunsbergam: vbi pars consulum loco scabinorum iudicia exercet. Cæterum vnus e consulibus eis præficitur, quem scultetum, vel iudicem vocant.

Magistri ciuium. Scabini.

Scultetus. Burggrauii ciuitatum.

Primariæ tres ciuitates etiam præfectos habent singulos, vt dudum memorauimus, quos vocant Burggrauios, & eos quidem annuos fere. Qui tranquillitatis vrbanæ, ac totius territorii curam gerunt, causasque priuatarum iniuriarum, & sanguinarias iudicant, & pro iis multas irrogant. Hunc solum Magistratum rex in ciuitatibus creat, sed nonnisi vnum e sex, vel octo e numero consulum eiusdem ciuitatis ab ipso collegio delectis, iidem autem consules ex omni ciuium numero, Gdani quidem centum viros, alibi vero pauciores deligunt, qui sint capita multitudinis, & quasi tribuni plebis: cum quibus communicant nonnunquam consilia de republica, & ex iis cognoscunt postulata plebis. Vitantur enim coitiones multitudinis, propter externorum omnis generis hominum frequentiam, ne quando in seditionem erumpant, vt nonnunquam factum est.

Capita multitudinis.

Iudiciorum ratio.

Iudicia nobilitatis iudices terrestres cum suis scabinis, præsidente palatino, bis quotannis exercent in certis oppidis. Infamiæ tamen causa, & status controuersia, itidem ac in Polonia, ad regis iudicium pertinet. A terrestribus iudiciis prouocatio est ad consiliarios Prussiæ: inde vero ad Regem. In oppidis vero iudiciaria potestas fere omnis est penes consules, exceptis paucis causis, quarum mentionem dudum fecimus, & si quæ sunt aliæ ad Burggrauios, vel palatinos pertinentes: sed eam ipsi consules, quod ad priuatorum hominum inter ipsos controuersias attinet, cum iurato iudicio, cuius mentionem dudum fecimus, communicarunt. Ab eo vero iudicio in primariis quidem ciuitatibus ad consules ciuitatis cuiusque in cæteris autem oppidis ad consilium totius Prussiæ: inde porro vtrinque ad regem prouocatur. Rex vero de quibusuis prouocationibus vbilibet, & cum quibus vult, cognoscit. Plerumque

Iudicia vrbana

Prouocationum ratio.

etiam cognitionem delegat Cancellariis, & iureconſultis. Alioqui priuatum neminem e Pruſſia regi euocare licet, exceptis iis cauſis, quæ ſunt fiſci, & iudicii regii propriæ. Magiſtratus terreſtres iuxta ac vrbanos euocat de iis dumtaxat, quæ in magiſtratu perperam & præter officium ſuum egerint: vel, ſi mavult, conſiliariis Pruſſicis eas delegat, in comitiis cognoſcendas. Delegat etiam vel iisdem, vel quibus vult, cauſas fiſci ſui, finium regundorum cum ſuis bonis, ac diuidundæ inter fratres, & cognatos hæreditatis. Quaſuis item alias ab aliis ordinariis iudicibus per prouocationem ad ſe deuolutas. Comitia bis quotannis habentur in Pruſſia ſtatis temporibus, Maio quidem Menſe Marieburgi, Septembri autem extremo Grudenti. Ex iuſtis tamen cauſis ea quoque loca mutari poſſunt. In iis comitiis a conſiliariis de Republica in commune conſultatur, ſiue vltro, ſiue ex præſcripto regio: de prouocationibus terreſtrium, & oppidanorum iudiciorum cognoſcitur: & omnino iudicia vel a rege delegata, vel ſi qua ſunt alia, exercentur. Cum ducalibus quoque Pruſſis, ſeu ducis ipſius legatis nonnunquam Elbingæ ex fœdere, vel Marieburgi, conſtituta certa die, conuentus habentur, & conſultationes de legibus, & aliis rebus communibus, & controuerſis. Non ita pridem in Pruſſia quoque nuncii nobilitatis, & minorum ciuitatum in comitiis adhiberi cœperunt, tributi ſciſcendi cauſa: cuius decernendi poteſtatem neque rex, neque conſiliarii ſoli vſurpant. Ad regni quoque comitia nuncii nuper adeo mitti cœperunt. Sciſcitur autem cereuiſiarium tributum plerunque in vſus publicos, vel in gratiam regis: vocaturque id vulgo ciſa, vel acciſa. Nonnunquam etiam de cenſibus, agris, domibus, bonis, & facultatibus, æſtimatione facta, certa portio penſitanda decernitur. Varmienſis Epiſcopi ſubditi nihil habent negocii cum comitiis. Solus iis intereſt, & præeſt Epiſcopus, ac deinde de iis, quæ ibi conſtituta ſunt, ad peculiarem conuentum ſuorum refert: de tributo præſertim. Nec temere ii diſſentire ſolent ab Epiſcopi ſui, & conuentus Pruſſici ſententia. Nihil tamen vetat, ipſos quoque arbitratu ſuo, authoritate Epiſcopi, & Capituli præeunte, peculiares leges, &, vt vocant, ordinationes ſibi condere, tributumque ſciſcere. Quin etiam magiſtratus primariarum ciuitatum non raro imperant ciuibus ſuis tributum peculiare, & operas, aliaque onera in vſus publicos vrbium ſuarum, adhibitis capitibus plebis. Portus maris tres habet Pruſſia, Regia quidem Gdanenſem, & Elbingenſem: quorum hic in Habum lacum, ille recta in mare procurrit: ducalis vero Regiomontanum, ſiue Kœnixbergenſem, qua Prægola fluuius in Habum influit. Atque hic quidem cum portoriis, & omni iuriſdictione, & impendiis in ducis, duo vero reliqui in ipſarum ciuitatum, quibus adiacent, & magiſtratus poteſtate ſunt. Verum is tamen, magiſtratus inquam, ſine permiſſu, vel mandato regio claudendi, & aperiendi portus poteſtatem non habet. Quod de tributo quoque decernendo itidem nuper conſtitutum eſt. Quod ad bellum attinet, ſi qua vis hoſtilis ingruat, Pruſſiæ domeſticis, communibusque plebis cum nobilitate viribus depellitur. Ac nobilitas quidem cum proceribus equeſtribus militat, Sculteti item & liberi: (quos ita vocant, propterea quod & ipſi ab operis, & laboribus, quos ruſticani dominis ſuis præſtant, gratuitam immunitatem habent, medii quodammodo inter nobiles, & ruſticanos agricolas: ferunt tamen nonnulla onera extra ordinem) ciuitates equitatum atque peditatum ſuppeditant: ruſticani peditatum tantum. Hæc ante inſtitutam coadunationem (quæ nec dum maturuiſſe videtur) de Pruſſia, & in vniuerſum de Polonia nobis σαφέστερον quod aiunt, καὶ ἀμαθέστερον ſunt expoſita. Quæ cum ciuibus noſtris, tum externis, non ingrata fore ſperamus. Sic autem fiet, vt minus peregrinentur in hiſtoria noſtra. (118)

Commiſſaria iudicia.

Comitia Pruſſica.

Nuncii.

Tributum apud Pruſſos acciſa.

Varmienſium libertas.

Portus Pruſſiæ.

Belli ratio apud Pruſſos.

Liberi in Pruſſia.

Operæ

(118) Neminem, qui hiſtoria Polona doctus, fugit, Cromerum ſcriptorum, quod geographiam attinet, principem putari, neque a veritate abhorret, eum ſuo tempore præ ceteris bene ſcripſiſſe, ſed noſtris temporibus multa, quæ illius temporibus vera fuere, ſunt obſoleta, quædam etiam falſa. Dixit Cromerus: *conferendi nobilitatis poteſtatem ſolus habet princeps*, ſed vi legum, ſeu conſtitutionum ſequentium, hæc regum Poloniarum prærogatiua, qua adhuc SIGISMVNDVS AVGVSTVS fruebatur, abolita fuit, & reſpublica ſola, in comitiis congregata, vna cum sereniſſimo rege plebeiis

OPeræ precium nobis visum est, coronidis loco hic adiicere nomenclaturas, & ordinem amplissimi Senatus Regii, quemadmodum in comitiis Lublinensibus ante quatuor annos constitutus est, & nonnihil ab antiquo (quem priori libro recensuimus) mutatus, posteaquam Lithuani sese cum Polonis penitus coniunxere, & in vnum Reipublicæ corpus coaluere. Qui tamen ordo non tam accurate in consessu, quam in dicendis sententiis, & ferendis suffragiis seruatur.

SENATORVM REGNI POLONIÆ CVM CONIVNCTIS EI DITIONIBVS DIGNITATES, ET ORDO, SECVNDVM CONSTITVTIONEM COMITIALEM LVBLINENSEM, ANNO M. D. LXIX. EDITAM.

Archiepiscopi duo.	Vladislauiensis.	Culmensis.
	Vilnensis. } alternatim.	Chelmensis.
Gnesnensis.	Posnaniensis. }	Kiouiensis.
Leopoliensis.	Plocensis.	Camenecensis.
	Varmiensis } alternatim.	
Episcopi 13.	Luceoriensis. }	*Nunc Liuoniæ.*
	Præmisliensis.	*Smolensciae.*
Cracouiensis.	Samogitiæ, siue Mednicensis.	

iura nobilitatis, vel extraneis nobilibus ius nobilis Poloni, quod *indigenatum* vocant, ob merita in rempublicam, nunc distribuit.. Serenissimus quidem Rex Polonus, tanquam Monarcha, & marchiones, comites, nobilesque creat, sed illi non iuribus Polonorum gaudent, neque bona oobilia iure hæreditario possidere, neque publicis in republica officiis, fungi possunt.

Insuper sequentia sunt adnotanda: pag. 137. *nouis creatis nobilibus obtinere & possidere bona terrestria statuto quodam nouo non licet.* Vbi autem statutum illud inueniatur, minime meminit. Hæc quidem scimus ex legibus publicis, nouis creatis nobilibus non licere officiis publicis fungi, ad tertiam vsque generationem, vt pacta, sic dicta, conuenta, serenissimi Regis nostri, patriæ patris, AVGVSTI III. loquuntur, sed si bona terrestria etiam possidere non possent, in qoo ius nobilitatis in Polonia consistit principale, tunc ignobilibus haud essent meliores. Sed hac de re in Polonia nemo nunc dubitat, & nescio qoo casu, vel qua ratione, litteratissimo Cromero hæc verba exciderunt.

Pag: 140. hæc verba: *habent nobiles Poloni in subditos suos vitæ necisque potestatem*, omnino etiam sunt sub incudem reuocanda, si ius clarum cum abusu iuris haud confundi debeat. Nobilis, qui subditum suum, vel ira incensus, vel alia ex causa, interimit, non quidem capite plectitur, sed pecuniam, poenæ loco, soluere debet, si interemti consanguinei dicam ei scribant, id quod plerumque ex inopia intermittitur, & sic eiusmodi homicida immunis. Hoc neminem iuris Poloni ignarum fugit. Quod si vero subditus cuiusdam nobilis tale crimen commiserit, vt vita priuari debeat, dominus nullo modo sua auctoritate id iubere potest, sed ad castrum, seu præfecturæ iudicium, vel aliud forum ius gladii exercens, eiusmodi maleficum extradere debet, vt secundum leges damnetur ac puniatur. si vero secus faciat, lege & iure Polono poenam soluere debet. Hoc idem nemo negat. Inde igitur infero: quod si nobilis Polonus, subditum suum interimens, qui capite plecti vel meruit, vel non meruit, semper tamen secundum ius Polonum poena pecuniæ afficitur, tunc certe nobiles domini in subditos, vitæ necisque potestatem non habent, & optimus CROMERVS allucinatus est.

P. 150. loquitur CROMERVS de officialibus regni, qui sunt: gladifer, pocillator, siue Pincerna, mensæ structor, quem incisorem vocant, dapifer, subdapifer, magister culinæ, & hoc dilemma adiicit: *aut iidem sunt terrestres Cracouiensis satrapiæ, aut ea sola de omnibus nullos habet.* Sed facile respondetur, non esse eosdem terrestres Cracouiensis satrapiæ officiales regni, quia hi soli in coronatione regum, & vasallorum solenni in feodum inauguratione, officiis suis publice funguntur, Cracouiensis vero palatinatus, seu satrapia, suos habet officiales terrestres. Si enim Rex in palatinatu Cracouiensi commoraretur, tunc officiales terrestres satrapiæ Cracouiensis idem, iubente Rege, facerent, exceptis actibus solennibus, quod alii officiales terrestres in palatinatu Masouiæ, vel alio. Claræ igitur sunt officiales regni ab officialibus Cracouiensibus distincti, clarius autem a rege distinguuntur, illi enim plerumque ordine aquilæ albæ insigniuntur, honoris signo, quo tantum senatores regni affici solent.

Iudicium sex ciuitatum, de quo auctor p. 164. differit, nostris temporibus obsoletum est, & supremus regni cancellarius in omnibus ciuitatum causis, si ad eum prouocetur, iudicat sine vlteriore prouocatione, excepta vnica vrbe Culma, quæ in causis suis non ad cancellarium, sed episcopum, prouocat.

P. 170. tandem auctor dicit: *in Prussia neque a bonis terrestribus plebeii arcentur.* Hæc non nunc ita se habet. Plebeii enim & rustici in Prussia Polona, bona nobilium emere & possidere non possunt. Sed notandum, vocem *plebeii* in Polonia ambiguam esse. Multi enim sibi persuadent, omnes eos, qui non sint nobiles, esse rusticos, & ordo ciuilis in Polonia, non re vera, sed vsu loquendi, quasi exoleuit. Cum igitur magistratus ciuitatum, qui bona terrestria possident, maxime sint ex ordine ciuili desumti, male illi plebeii appellantur. Quidam enim, vt Torunensis, Gedanensis, Elbingensis, ad status reipublicæ pertinent. Et hoc in causa fuisse videtur, quod Cromerus, alioquin acutissimus, minus accurate scripserit.

Palatini cum quibusdam aliis eximiis inter eos interjectis 35.

Castellanus Cracouiensis.
Palat. Cracouiensis.
Posnaniensis.
Vilnensis.
Sendomiriensis.
Cast. Vilnensis.
Palat. Calissiensis.
Trocensis.
Siradiensis.
Cast. Trocensis.
Palat. Lenciciensis.
Capitaneus Samogitiæ.
Palat. Brestensis.
Kiouiensis.
Iuniwladislauiensis.
Russiæ.
Volynensis.
Podoliæ.
Smolenscensis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belsensis.
Nouogrodensis.
Palat. Plocensis.
Vitepscensis.
Masouiæ.
Polesensis, siue Podlassensis.
Rauensis
Palat. Brescienfis.
Culmensis.
Mscislauiensis.
Marieburgensis.
Braslauiensis.
Pomeraniæ.
Minscensis.

Castellani maiores 30.

Posnaniensis.
Sendomiriensis.
Calissiensis.
Voinicienfis.
Siradiensis.
Lenciciensis.
Samogitiæ.
Brestensis.
Kiouiensis.
Iuniwladislauiensis.
Leopoliensis.
Volynensis.
Camenecensis.
Smolenscensis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belsensis.
Nouogrodensis.
Plocensis.
Vitepscensis.
Czernensis.
Polesensis, siue Podlassensis.
Rauensis.
Brescienfis.
Culmensis.
Mscislauiensis.
Elbigensis.
Braslauiensis.
Gdanensis.
Minscensis.

Castellani minores 49.

Sandecensis.
Medirecensis.
Vislicensis.
Biecensis.
Rogoznensis.
Radomiensis.
Zauichostensis.
Landensis.
Sremensis.
Zarnouiensis.
Malogostensis.
Velunensis.
Præmisliensis.
Calissiensis.
Sanocensis.
Chelmensis.
Dobrinensis.
Polanecensis.
Præmentensis
Criuinensis.
Czechouiensis.
Naclensis.
Rospirensis.
Biechouiensis.
Bydgostiensis.
Brezinensis.
Crusuiciensis.
Osuienzimensis.
Camienensis.
Spicimiriensis.
Inowlodensis.
Coualiensis.
Santocensis.
Sohaciouiensis.
Varsauiensis.
Gostinensis.
Visnensis.
Raciaznensis.
Sieprcensis.
Vissogrodensis.
Ripinensis
Sakroczimensis.
Ciechanouiensis.
Liuensis.
Slonensis.
Lubaciouiensis.
Conariensis in Siradiensi Palatinatu
Conariensis in Lenciciensi.
Conariensis in Iuniwladislauiensi.

Officiales Curiæ 10.

Marescalcus Regni Poloniæ
Marescalcus Lithuaniæ.
Cancellarius Poloniæ.
Cancellarius Lithuaniæ.
Vicecancellarius Poloniæ.
Vicecancellarius Lithuaniæ.
Thesaurarius Poloniæ.
Thesaurarius Lithuaniæ.
Marescalcus Curiæ Polonicæ.
Marescalcus Curiæ Lithuanicæ.

Finis librorum II. Martini Cromeri, de Situ, populis, moribus, Magistratibus, & Republica regni Polonici.

MATHIÆ

V.

DESCRIPTIO SARMATIARVM

ASIANÆ & EUROPIANÆ

ET EORVM, QUÆ IN EIS CONTINENTUR.

AUCTORE

MATTHIA a MIECHOW

ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORE, CANONICO CRACOVIENSI.

Sola sub accidua virtus manet orbe perennis,
Omnia mortali cetera sorte cadunt.

Reuerendiſſimo Patri Domino Domino
STANISLAO TVRSONI,

Antiſtiti Olomucenſi, Matthias de Miechow, artium & medicinæ Doctor, canonicus Cracouienſis ſalutem plurimam dicit.

D*Igniſſime præſul, plures ſcriptorum orbem terrarum lucubrationibus ſuis & elucidatianibus exararunt. Sarmatias vera tanquam incagnitas præterue-cti dimiſerunt. Qui autem aliquidpiam de ipſius poſteris ſcriptis carminibus relinquere curarunt, indiſtincte, &, antiquitate premente, tanquam in media nacte obſcure dixerunt. Et quad intalerabilius eſt, multa ficta & fabulas, nunquam adaptan-*

(119) MATTHIAS de MIECHOW, medicus illis temporibus & doctiſſimus & clariſſimos. Natus circiter an. 1456. honeſtis parentibus in oppido religioſorum militum ſepulcri Domini, MIECHOW. Puer liberaliter inſtitutus, & Cracouiæ publico in gymnaſio peripatetica philoſophia imbutus, phyſicis potiſſimum delectabatur. Primum gradum in artibus a. 1476. promeruit, & triennio poſt magiſterii dignitatem. Naturæ genio obſecutus, ad medicinæ ſeſe artem ſic applicuit, vt in omnibus pæne Italiæ & Germaniæ academiis publice in diſputationibus ingenii acumen exhiberet, domumque reuerſus parem ſibi ea in profeſſione vix vllum in tota Polonia, ſuperiorem certe neminem repererit. Igitur ob nominis celebritatem a SIGISMUNDO I. rege Pol. medicus adſcitus. Aulicæ tandem vitæ pertæſus, ſacris ſeſe deuouit, atque canonica dignitate ab eodem rege auctus. Cumque & aſtrologus inſignis eſſet, & regia liberalitate rem ſatis lautam poſſideret, cenſum, pro aſtrologo atque medico, in academia fouendis, pignus gratitudinis pro egregia inſtitutione, pepetuum fundauit, erexitque ſcholas pro erudienda iuuentute priuatas, cum ad ædes S. Annæ, S. Floriani S. Stephani, SS. omnium, in vrbe, tum etiam in patria ſua, municipio Miechouienſi. Item domus hoſpitales aliquot & Xenodochia refecit, bibliothecam in Rupella apud fratres Pauli primi eremitæ, ſumtu ingenti excitauit, & domui profeſſorum maiori in academia Cracouienſi, quos inter ipſe olim manſit, pro libraria atque horologio inſtaurando, plurima tabulis teſtamenti legauit. Obiit a. MDXXIII. vid. *Starovolſcii* elogia edit. Venet. p. 106. Scripta eius ſunt

I. De ſanitate conſeruanda libellus.

II. Deſcriptio Sarmatiarum. Cracouiæ a. 1521. apud Ioan. Haller. in 4.

III. Chronica Polonorum, a prima propagatione & ortu Polonorum, vſque ad annum Chriſti M.D. IIII.

das superaddiderunt. Quemadmodum est: quod vltra Sarmatias, ad oceanum septentrionalem essent campi Elysii, aura temperatissima, vita placidissima & perpetua, omni amoenitate plena. At vbi multorum saeculorum decursu senium taediosum incolis displiceret, ex ripis in oceanum sese deiicerent, sponte submersuri, taedium confectae senectutis sic euasuri. Praeter ea posuerunt illic terrae nascentia ambrosia, praedulci & odore suaui, incolas tanquam in paradiso consartantia: & aurum, quod laetificat cor hominis, sine numera & mensura innuentum iri. Gryphes aues horridas & rapaces, homines, cum equis exacerbantes atque in aëra leuantes & deferentes, aurum effodi atque asportari prohibentes. Et amplius, aiunt illic astra, solem, lunam, & ceteras stellas perpetua girantes & lucentes, dies temperatissimas ac voluptuosissimas conficere. Quod in toto confictum est, & in rei veritate illic aut alibi nequaquam repertum. Ponunt & hodierni scriptores Tartarorum gentem terribilem, in campis Sarmatiae Asianae degentem esse aeuiternam, a saeculis in hanc diem in Scythia persistentem, cum tamen sit gens noua & aduentitia, a partibus orientis sedibus mutatis, paulo plus trecentis annis in Sarmatiam Asiae ingressa, & antea non cognita, prout in initio huius opusculi dicitur. Sed & nobis Hyperboreos & Ripheos in orbe terrarum nominatissimos, in illis regionibus septentrionis affirmauerunt, & ex eius non minus famosa erupisse flumina, per cosmographos & vates celebres scripta atque decantata, Tanaim, Boristhenem maiorem & minorem, Volhamque maximum fluminum declararunt. Quod cum alienum sit a vero, non abs re (experientia docente, quae est magistra dicibilium) confutandum & reiiciendum est, tanquam profanum & sine experientia promulgatum. Scimus quidem & visu cognoscimus, praefata flumina tria, magna siquidem, Boristhenem, Tanaim et Volham, ex Moschouia oriri et defluere: minorem vero Boristhenem (quem Aristoteles HIPANIS, *alias minorem Boristhenem) appellat, ex Russia superiori cepisse, et in maiorem Boristhenem decurrere et ei commisceri. Montes autem Hyperboreos, Ripheos et Alanos nuncupatos, illic non existere, certo certius scimus et videmus: et iam praedictos fluuios, ex terra plana consurrexisse ac emersisse conspicimus. Quare vt haec, et complura alia in Sarmatiis contenta, tuae, doctissime praesul, amplitudini vera veraciter enarrarem, subsequent opusculum de duabus Sarmatiis, ab antiquioribus minus cognitis nominibus, quibus temporibus nostris nominantur, tibi domino et patrono meo semper colendissimo, scribere breuiuscule, vt res postulabit, ad incitandum alios, qui maiora nouerunt, et elegantiori stila scribere facile poterunt, curabo. Vtque sicut plaga meridionalis cum gentibus adiacentibus oceano vsque ad Indiam, per regem Portugalliae patefacta est: sic plaga septentrionalis cum gentibus oceano septentrionis imminentibus et versus orientem spectantibus, per militiam et bella regis Poloniae aperta, munda pateat et clarescat. Vale, decus meum, praesul dignissime.*

CAPVT

LIBER PRIMVS DE SARMATIA ASIANA

CAPVT I.

De duabus Sarmatiis in genere.

Antiquiores duas Sarmatias posuerunt, vnam in Europa, alteram in Asia, sibi inuicem cohærentes & contiguas. In Europiana sunt regiones Russorum, seu Rutenorum, Lithuanorum, Moschorum et eis adiacentes, ab occidente flumine Vislæ, et ab oriente Tanai, inclusæ: harum regionum gentes olim Getæ nuncupabantur. In Asiatica vero Sarmatia, nunc commorantur et degunt plura genera Tartarorum, a flumine Don, seu Tanai, ab occidente, vsque ad mare Caspium ab oriente contenta. Horum imperia, genealogiæ, ritus et mores, latitudoque terrarum, flumina et circumcirca adiacentia in subscribendis explanabuntur.

Sarmatia Europæ.

Sarmatia Asiatica.

CAPVT II.

De ortu & aduentu Tartarorum.

Anno Domini M. CCXI. apparuit grandis cometes in diebus mensis Maii, octodecim diebus durans, et supra Poloucos, Tanaim ac Russiam gyrans, caudamque in occasum porrigens, et aduentum Tartarorum significans: vnde sequenti anno gens Tartarorum, in illam diem ignota, occiso, vt fertur, proprio rege Dauid, de submontibus Indiæ, conflictisque pluribus nationibus septentrionis ad Poloucos venit. Polouci siquidem fuerunt gentes secundum latus septentrionale Euxini maris commanentes, vltra paludes Mæotidis, alii Gothos appellant. Polouci autem lingua Rutenorum sonant et interpretantur venatici seu rapaces, quia sæpenumero inuadentes eos spoliabant, et bona ipsorum rapiebant atque abducebant, quemadmodum et Tartari hisce temporibus faciunt. Itaque Tartaris ingredientibus, terras Poloucorum, postularunt hi per legatum ipsos principes Rutenorum, vt vniuersis copiis & potentiis se adiuuarent, quoniam par exitium et discrimen eos, sicut et Poloucos expectaret. Superuenerunt autem et Tartarorum nuntii, denuntiantes ducibus Russiæ, ne immiscerent sese bello et adiutorio Poloucorum, sed potius exterminium eorum, tanquam aduersariorum, procurarent. Russitæ vero immaturo vsi consilio, nuntiis Tartarorum comprehensis et occisis, perrexerunt cum exercitu Poloucis in adiutorium, terra marique. Videlicet Mscislaus Romanowicz cum militia Kiouiensi, Mscislaus Mscislawicz cum militia Haliciensi. Item ceteri duces Russiæ Vlodimir Rurikowicz: duces Cirneouienses et duces Smolnenses. Iunctique exercitui omnium Poloucorum peruenerunt in Protolce, et abinde singuli ascensis equis, venerunt duodecim statiuis ad fluuium Kalcza, vbi iam Tartari castra metati fuerunt, et illico, respirandi spatio non dato, Tartari in eos irruerunt, et contritis ac diffugientibus Poloucis acies Rutenorum diiiciuntur, plurimaque cæde peracta, bini duces Mscislaus Kiouiensis et Cirneouiensis captiuantur. Reliqui fugientes (abominabile dictu) a Poloucis sociis, per quorum terram fugam maturabant, trucidabantur. Equites quoque propter equos, pedites propter vestes, occidebantur, et in aqnis suffocabantur. In illa ergo die Ruteni in pessimum, horrendumque inciderunt periculum, quale in terris Russiæ nunquam auditum est, eaque prima clades extitit, quam Ruteni a Tartaris pertulerunt. Mscislaus autem Mscislawicz Haliciensis dux, dum ad naues fugiendo peruenisset, superatis fluuiis persecutionem Tartarorum veritus, naues abrumpi præcepit, abindeque fugax in Halicz pauore & trepidatione plenus peruenit. Vlodimirus autem Rurikowicz fuga & ipse saluatus in Kiow perueniens, sedem accepit Kiouiensem. Alia vero omnis multitudo Rutenorum, dum ad naues fugiendo peruenisset, et eas abruptas offendisset, in

Cometes.

Polouci seu Polowczi

Russiæ duces in auxilium veniunt Poloucis contra Tartaros & fugantur.

moerorem versa, dum vndas tranare non posset, fame contabescens illic consumpta est, præter paucos duces et aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerunt. Præter ea anno domini millesimo, ducentesimo, vigesimo octauo, in maxima multitudine Tartari Russiam ingredientes, vniuersam terram Rzessensem vastauerunt, ducem occiderunt, senes et impuberes necauerunt, reliquam multitudinem in captiuitatem abduxerunt, castra incenderunt. Iterum hieme eiusdem anni venerunt Tartari in terram Susdalorum, et, ea vniuersa vastata, ducem Georgium et filios eius, pluresque alios Susdalorum principes, interfecerunt, castrum Rostow incenderunt, captiuos et prædam pro libito abduxerunt. Sequenti quoque anno in Smolnensem et Cirneouiensem regiones venientes, eas crudelissima cæde, nulli ætati parcentes, peruastauerunt, castra et fortalitia, ex quibus duces et milites præ timore fugerant, incenderunt, et onusti captiuorum multitudine in terras suas redierunt.

Tartari terram Susdalorum, Smolnensem & Cirneouiensem regiones deuastant.

CAPVT III.

De crudeli vastatione Poloniæ & Hungariæ per Tartaros.

POst prædicta, Tartarorum horrenda vastatio ex ordine narrationis subnectenda est. Anno domini millesimo, ducentesimo, quadragesimo primo, Tartari in Russiam venerunt, et Kiow amplissimam vrbem et metropolim Rutenorum magnifice constructam funditus deleuerunt. Habuit siquidem præfata vrbs portas et turres firmiter ædificatas, et aliquarum portarum tecta deaurata et splendentia, habuit et vsque nunc habet, metropolitanum de ritu Rutenorum seu Græcorum, plurimis Vladicis et episcopis a Danubio per Moldauiam, Valachiam, Russiam, & Moskouiam præsidentem, in Kiouia iam post destructionem non residentem. Habuit insuper ecclesias supra trecentas ornatissimas, quarum aliquæ in campis inter vepres et arbusta in hanc diem permanent, et stant desolatæ, pro latibulis ferarum: ex quibus binæ ecclesiæ, videlicet sanctæ Mariæ et sancti Michaëlis, aliquas laminas tecti adhuc tenent deauratas, quas Tartari prædatum venientes, et inspicientes *altim bassina* vocant: id est, aureum caput habentes, quia partem tecti deaurati habent. Hac vero tempestate in monte, vbi olim castrum Kiouiense stabat; Lithuani domini illius loci, fortalitium amplum de roboribus et lignis extruxerunt et tenent. Itaque tota Russia cum sua metropoli et Podolia omniquaque peffundata, Bathus, Tartarorum imperator, volens Hungariam ingredi, misit ducem, Petam nomine, cum magno exercitu vastatum Poloniam. Aiunt Poloni, Bathum regem Tartarorum, Poloniam, Silesiam, Morauiam vastasse: verior tamen historia eorum, sicut et chronica Hungarorum referunt, Bathum non fuisse in Polonia, sed duces ipsius, qui trucidatis tyrannis et principibus Rutenorum, receptaque præda, in oppidis Lublin et Zavichost, viciniisque eorum, reduxerunt eam in Russiam, festinanterque redeuntes, expugnauerunt Sandomiriam cum castro. Illicque occiderunt abbatem Pokrziwnicensem cum fratribus eius, et magnum numerum vtriusque sexus nobilium et ignobilium virorum ac matronarum, ad conseruandum vitam Sandomiriæ collectorum. Inde exeuntes per Visliciam, in Skarbimiriam venerunt, et reuertebantur prædam deducturi in Russiam. Dumque statiua tenerent ad fluuium Czarna, apud villam, quæ maior Thursko vocatur, irruit in eos Vlodimirus, Cracouiensis palatinus, cum militibus Cracouiensibus. Vbi inter pugnandum omnis captiuorum multitudo diffugiens, in propinquas siluas se recepit: superati tamen sunt pauci a multis, Vlodimirus palatinus Cracouiensis cum suis a Tartaris. Verum strage suorum perculsi Tartari, per siluam Stremech in Russiam recesserunt, et in supplementum accersitis plurimis Tartaris cum fremitu et ira in Poloniam redierunt. Et quia

Kiow metropolis Russiæ, a Tartaris funditus deletur.

Peta dux Tartarorum.

Vlodimirus palatinus Cracouiensis in Tartaros irruit

maximum exercitum habuerunt, ad Sandomiriam peruenientes, bifariam diuiserunt eum, minoremque exercitum in Lanciciam, Siradiam & Kuiauiam destinarunt cum principe Cadano, quem Poloni Kaydanum nuncupant, qui nullo obice apparente vastauerunt crudelissime illos tractus cædibus atque igne. Maior autem exercitus Tartarorum, cuius ductor fuit Peta, Tartarorum princeps, versus Cracouiam iuit, omnem oram transitui propinquam, cæde et incendio peruastans. Occurrunt ergo ei in villa Chmelik, prope oppidum Szydlow, Vlodimirus, palatinus, Clemens, castellanus Cracouiensis, Pacoslaus palatinus, Iacobus Raciborowicz, castellanus Sandomiriensis, cum nobilibus et militibus Cracouiensibus et Sandomiriensibus. Et facto conflictu cum vna turma Tartarorum, ipsaque attrita pedem referente, et ad alteram præstantiorem turmam sese diuertente, Poloni certamine priori fessi, pauci a plurimis aduerso pectore confossi cediderunt: reliqui vero in fugam conuersi, per itinera nota euaserunt. Ceciderunt in eo conflictu desiderati Christinus Sulkowicz de Niedwiedz, Nicolaus Vitowicz, Albertus Stampoticz, Zementa, Grambina, Sulislaus, milites strenui, et alii plures validi. Ex quorum strage tantus pauor irrepsit, vt alii in alias regiones fugerent: agrestes vero cum pignoribus et pecoribus in paludes et siluas et in inuia se conderent. Sed et Boleslaus Pudicus, dux Cracouiæ et Sandomiriæ, cum Grzimislawa matre, et Kinga, coniuge sua, primum versus Hungariam in castrum Pieninide, prope oppidum Sandecz, postea vero in Morauiam ad monasterium Cisterciense effugit. Tartari autem post cladem apud Chmelik peractam, Cracouiam in die cinerum peruenerunt, et eam vacuam hominibus inuenientes (omnes siquidem in abdita diffugerant) in ecclesias et domus incendio sæuierunt. Ecclesiam vero sancti Andreæ tunc extra muros Cracouienses extantem, vallantes oppugnabant, expugnare tamen non valuerunt, quoniam pluribus Polonis magna vi et fortitudine se et sua illic defendentibus, irrito coepto recesserunt, et in Vratislauiam perrexerunt, quam similiter, vt Cracouiam, non solum desertam habitatoribus, sed et conflagratam habitationibus reperientes. Ciues enim Vratislauienses pauore consternati, fere omnibus relictis, pretiosioribus duntaxat festine raptis, fugam inierunt: quod gentes ducis Henrici de arce videntes descenderunt, et opes cum victualibus in arcem inducentes, vrbem cum tectis eius flammis exusserunt, et Tartari in vrbe nil reperientes, castrum vallarunt, et post aliquot dies obsidionem soluentes (vt aiunt, orationibus et lacrimis Ceslai prioris ordinis Prædicatorum et fratrum eius in castrum admissorum depulsi,) recesserunt. Interimque feria secunda paschæ Tartaris, qui Cuiauiam vastauerunt, superuenientibus, simul iuncti in Legniciam profecti sunt. Dux etenim Henricus secundus, sanctæ Heduigis filius, per illud tempus ibi collegerat gentes et armigeros, tam nobiles quam agrestes maioris Poloniæ et Silesiæ. Aduenerant et principes cum suis militibus Mieczislaus Kasimirides dux Opoliensis, Boleslaus filius Depoldi, marchionis Morauiæ expulsi, qui Sepiolka cognominatus est, et Pompo de Hosterno, magister cruciferorum de Prussia cum fratribus sui ordinis, insuper & cruce signati plures. Cumque ex oppido Legnicensi duceret agmina, & ea obequitaret, lapis de summitate ecclesiæ beatæ Mariæ decidit, parumque abfuit, quin caput ducis Henrici diripuerit, quod re vera infaustum omen fuit. Suburbana itaque oppidi Legnicensis prætergressus, quatuor acies instruxit & ordinauit. Primam de cruce signatis voluntariis, et de auri fossoribus oppidi Goltberg, aliisque peregrinis militibus: hanc Boleslaus Siepiolka, filius marchionis Morauiæ, ducebat. Altera acies fuit militum Cracouiensium & maioris Poloniæ, hanc Sulislaus frater Vlodimiri, olim palatini Cracouiensis, circa Chmielik occisi, ductitauit. Tertiam aciem gubernauit Miecislaus dux Opoliensis, in qua erant milites Opolienses, & Pompo magister Prussiæ cum fratribus & militia sua. Quartam aciem ipsemet dux Hen-

Polonorum clades.

Boleslaus Pudicus in Morauiam fugit.

Tartari Vratislauiam veniunt

Henricus, Mieczislaus, Boleslaus, Pompo de Hosterno, contra Tartaros dimicant.

Henricus, ex præstantioribus militibus Silesiæ, & maioris Poloniæ, ac pretio conductis militibus, rexit. Totidem erant Tartarorum agmina, sed robore & frequentia pugnatorum præstantiora, ita, vt vnum agmen eorum omnia Polonorum agmina excederet. In campo igitur qui bonus campus dicitur, porrecto, & in omnes partes lato, vterque exercitus, quinto idus Aprilis, alias feria secunda post octauas paschæ, conuenit. Primumque cruce signatorum & aurifossorum exercitus cum Tartaris magno impetu congressus, velut teneræ aristæ a grandine percussæ, a sagittis Tartaricis obtritus est. Deinde duo agmina sub gubernatione Sulislai militis, & Miecislai ducis Opoliensis, consistentia, pugnare cum tribus Tartarorum agminibus ingressi, validam in Tartaris stragem ediderunt, ita vt pedem referrent, & fugam inirent. Quidam autem celerrimo cursu circa vtrumque exercitum discurrens, terribili voce clamauit: Biegaycie, biegaycie, quod sonat, fugite, fugite, Polonis terrorem incutiens. Quam vocem Miecislaus dux Opoliensis audiens, deserto prælio fugit, & secum magnam partem militum traxit. Quod videns dux Henricus, ingemiscens dixit: Gorzey się nam stalo, id est, peius & moleste nobis accidit: inducensque suam quartam aciem fortissimorum militum, tres Tartarorum a duabus aciebus Polonorum disiectas, prostrauit, & in fugam conuertit. Quarta autem acies Tartarorum, & maior omnium, cum suo duce Peta superueniens, horribili impetu bellum intulit, & bellum acerrimum inter vtrosque durauit, magnaque ex parte Tartaris cæsis, & in fugam spectantibus, quidam Tartarorum vexillifer valde magnum ferens vexillum, in quo chi, littera Græca, depicta erat, talis X, & in summitate hastilis imago teterrimi & nigerrimi coloris cum barba prolixa, coepit incantando fortiter caput imaginis quatere, ex quo illico fumus & nebula horrendi & intolerabilis foetoris in Polonos diffusa est, vt pæne exanimati, & inualidi ad bellum redderentur. (120) Clamore itaque horrendo eleuato, in Polonos Tartaricus exercitus conuersus, acies eorum, quæ interim integræ erant, dirupit, & eas magna strage affecit. In qua dux Boleslaus filius marchionis Morauiæ, dictus Siepiolka, & Pompo magister cruciferorum de Prussia, cum multis insignibus militibus, necati sunt. Dux vero Henricus corona a Tartaris circumfusus est, vt a tergo & fronte cæderetur, iamque suis omnibus vna pugnantibus prostratis, ad extremum circa eum non nisi quatuor milites versabantur. SULISLAUS, frater olim VLODIMIRI, palatini Cracouiensis, CLEMENS palatinus Glogouiensis, CONRADUS KONRATOWICZ, & IOANNES IWANOWICZ, qui, quanta potuerunt vi & conatu, principem Henricum ex prælio educentes, ad fugiendum disponebant: sed ducis equus sauciatus subsistebat. Tartari igitur, ne HENRICUS euaderet, veloci cursu consecutum cum tribus præfatis militibus, quarto Ioanne Iwanowicz ab eis segregato, vallauerunt, cum quibus aliquanto tempore decertabat: Ioannes vero Iwanowicz equum recentem a ROCISLAO aulico ducali receptum, penetratis hostium cuneis, duci administrauit. Quo ascenso dux sequebatur Ioannem Iwanowicz, viam per medios hostes ei parantem. Ipsoque in cursu vulnerato, & euadente, dux HENRICUS intercipitur, & tertio circumuallatur: dumque audacissime contra Tartaros dimicaret, & manu sinistra eleuata, Tartarum sibi obuium feriret, ab altero Tartaro lancea sub ascella transfixus, ex equo, demisso brachio, moribundus defluxit: quem Tartari ingenti strepitu inconditarum vocum facto capiunt, & extra locum certaminis, quantum esset geminatus balistæ iactus, protractum, framea caput absciderunt, corpusque insignibus omnibus despoliatum nudum reliquerunt. Occisa est in eo prælio multitudo nobilium Poloniæ, inter quos clari & insignes fuerunt SULISLAUS, frater Vlodimiri,

Miecislaus dux Opoliensis fugit.

Siepiolka & Pompo in prælio contra Tartaros cadunt.

Henricus dux transfigitur a Tartaro.

Nobilium Polonorum strages.

palatini

(120) Eiusmodi fabulæ, ex physica superstitiosorum atque ignorantum depromptæ, ad quas pertinet & cometa supra dictus, qui Tartarorum aduentum significare debuerit, minime quidem historias inquinare deberent: sed in historia, antiqua præsertim Polona, persæpe obueniunt.

palatini Cracouienſis, CLEMENS, palatinus Glogouienſis, CONRADUS KONRATOWICZ, STEPHANUS de VIRBNA, & ANDREAS filius eius, CLEMENS, filius ANDREAE de Pelcznica, THOMAS PIORTKOWICZ, PETRUS KUSSA & ceteri. Corpus ducis Henrici poſt cladem in ſexto digito ſiniſtri pedis vix cognitum, & repertum per Annam coniugem eius, in medio chori eccleſiæ ſancti Iacobi apud fratres minores Vratislauiæ ſepultum eſt. Pomponis vero magiſtri Pruſſiæ, & militum inſigniorum ſupra expreſſorum, in eodem monaſterio ſancti Iacobi Vratislauiæ corpora tumulata ſunt. Boleslai autem filii Marchionis Morauiæ funus in Lubens, in choro conuerſorum humatum eſt, ſuper cetera corpora fidelium in loco prælii ſepulta, eccleſia in hanc diem durans conſtructa eſt. Maxima victoria de duce Henrico & Polonis Tartari potiti, lectis ſpoliis vnicuique interemptorum vnam auriculam abſciderunt, & nouem ſaccos grandes, ad ſciendum numerum occiſorum, repleuerunt. Ducis autem Henrici capite in longiori haſta erecto ad caſtrum Legnicenſe (oppidum enim metu Tartarorum exuſtum fuerat) applicuerunt, mandantes, vt duce eorum occiſo, caſtrum eis aperirent. Caſtrenſibus conuenienter reſpondentibus, quod pro vno duce occiſo plures duces filios occiſi haberent. Illi vero circa Legnicz, vaſtatis & incenſis villis, in Othmuchow ſe receperunt, vbi quindecim diebus ſtatiua continuando omnem regionem vaſtauerunt. Exinde Ratiborienſem oram adeuntes, in BOLESISKO octo diebus commorati, in Morauiam ſeceſſerunt, & Venceslao rege Bohemiæ in caſtris ſe continente, eam plus quam vno menſe incendiis & cædibus vaſtauerunt. Tandem ab OLOMUNC ſeptem caſtris in Hungariam peruenerunt, & maiori hordæ ipſius BATHI, quæ Hungariam intrauerat, ſeſe conſociauerunt.

Henricus & Pompo Vratislauiæ tumulantur.

Tartari nouem ſaccos auriculis cæſorum replent.

Tartari in Morauiam & tandem in Hungariam perueniunt.

CAPVT IV.

De cruenta vaſtatione Hungariae per Bathi Imperatorem Tartarorum.

BATHI, vaſtata & ad nihilum redacta Ruſſia, Hungariam cum quinquies centum millibus ingredi contendebat. Reſiſtentem ergo inter montes Sarmaticos, & in clauſa dicta Ruſſiæ introitum prohibentem, comitem palatinum Hungariæ, a BELA, quarto rege Hungariæ, cum gentibus miſſum, præfatus Bathi obruit & expugnauit, feſtinanterque exurendo & villas, ad Ticiam fluuium qui vulgariter CISA appellatur, ex montibus Sarmaticis verſus meridiem in Danubium fluentem, peruenit. Et exinde gentes Tartarorum excurrentes, Vatiam cum ſua cathedrali eccleſia vaſtauerunt & incenderunt. Ad Peſt quoque, vbi rex Bela quartus exercitum contra Tartaros colligebat, ibant & redibant, aliquando appropinquando, nonnunquam vero fugiendo, prout eſt mos pugnandi Tartaris. Quumque copioſum exercitum, tam ex nobilibus, quam ſpiritualibus rex Bela coadunauerat, aduerſus Tartaros procedens ad fluuium Titiam applicuit, & caſtra metatus eſt, adhibitaque cuſtodia mille armatorum ad pontem, putabat Tartaros non tranſire fluuium, quoniam altus eſt, limoſus multum, & inpermeabilis. Tartari autem qui multo maiores fluuios tranſierant, inuento vado Titiam noctu transnatarunt, & in aurora exercitum Hungarorum cum Bela rege eorum vndique circumdederunt, miſſisque denſis, & quaſi infinitis ſagittis, velut quum grando nebuloſus ac denſus cum fragore deſcendit, Hungaros perturbarunt, multos occidendo, plurimos vero vulnerando. Hungari ergo veluti imparati, & abſque ordine conuenientes cadebant. Quod alii videntes, meticuloſi clam diſcedebant & fugiebant. Tartari vero tanquam aſtuti, ſinebant eos per medium ſui tranſire. Vnde COLOMANNUS frater regis, ſic & rex BELA quartus, tanquam ignoti, euaſerunt. Reliquos vero concluſos Tartari crudeliſſime ad vnum necauerunt. Inter quos ſpirituales maiores ceciderunt, Matthias Strigonienſis archiepiſcopus, Vgolinus Colocenſis archiepiſco-

Bathi Hungariam ingreditur.

Tartari Titiam fluuium transnatant & Belam regem fugant.

episcopus, Georgius, episcopus Lauriensis, Reynaldus, episcopus Transsiluaniensis & ecclesiæ Nitriensis episcopus, Nicolaus Scibiniensis præpositus, Vicecancellarius regis, Eradius archidiaconus Bachiensis, magister Albertus, Strigoniensis archidiaconus. De aliis autem sæcularibus nobilibus & ignobilibus fere infiniti occisi sunt: & qui fugerant consecuti in viis necati iacuerunt. In Pest etiam multi plebeii collecti in ore gladii superuenientibus Tartaris perierunt. Rex autem Bela quartus propere fugit ad metas Austriæ, vbi captus & detentus fuit per ducem Austriæ, tandem dimissus ad reginam coniugem suam perueniens, secessit in Sclauoniam, illic vsque ad persequutionem Cadani commoratus. Vastata itaque Hungaria ex vna parte Danubii, in hieme proxima, gelato Danubio, in partem alteram penetrauerunt, et sedes inter Iaurinum et Strigonium fixerunt, vbi in hanc diem fossæ et tumuli habitationis eorum cernuntur. Ex quo loco præfatam trans Danubium regionem spoliis, incendiis et occisionibus crudelissime afflixerunt. Quumque in Tartariam secedere proponerent, diuiso exercitu princeps Cadan aduersus regem Belam in Sclauoniam diuertit. A cuius facie territus rex, ad mare, tandem ad Polam ciuitatem fugit. Cadan autem, quemadmodum cum Bathi constituerat, pertransitis et vastatis Bosna, Seruia et Bulgaria, substitit circa Danubium, donec horda Imperatoris Bathi superueniret. At Bathi post discessum Cadani vallauit et expugnauit Strigonium vrbem, illa tempestate nobilem, cuius incolæ erant varii mercatores, Almani, Gallici et Italici: et quia thesauros, quos Tartari expetebant, in terra suffoderant et occuluerant, idcirco omnes necauerunt, nulli sexui, nullique ætati parcentes: destructaque Strigonio, secus Danubium transeuntes ad exercitum principis Cadani operientem et expectantem peruenerunt. Tandem iuxta paludes Mæotidis, via priori, in Tartariam abierunt. Tempus autem quo Tartari Hungariam afflixerunt, et multimode vastauerunt, erat fere biennium.

Rex Bela fugit in Austriam.

Cadan persequitur Belam in Sclauonia.

Bathi expugnat Strigonium.

Tartari abeunt in Tartariam.

CAPVT V.

Quomodo Innocentius papa quartus misit ad Cham Tartarorum, ne Christianos persequeretur, & quomodo Cham fidem Mahometi susceperit.

DIscedentibus Tartaris tota Europa contremuit, et principes Christianorum timore perculsi, ne redirent, consulebant inuicem. Innocentius quoque papa quartus ex consilio Lugdunensi, fratrem Ascelinum ordinis prædicatorum cum pluribus fratribus, eiusdem et aliorum ordinum, ad eos misit, anno domini MCCXLVI, qui per Almaniam & Bohemiam in Vratislauiam venit, exceptusque & veneratus est a Boleslao, Silesiæ & Vratislauiæ duce. Exinde transiens ad Lanciciam peruenit, a Conrado duce Masouiæ, cum suis recollectus & hospitatus. Dehinc ad Cracouiam deductus, a Boleslao pudico, genitriceque eius Grzimislaua, & a Prandotha, ordinario loci, benigne suscepti & habiti sunt, pluribus pelliibus subtilibus prouisi, supra id quod proprio ære potuerunt emere, quoniam principes Tartarorum sine munere adire nefas est. Tulit autem fortuna, vt esset apud Boleslaum pudicum principem Cracouiæ atque Sandomiriæ, Vasilko, princeps Russiæ, nepos matris suæ: huic itaque commendati, in Russiam per ipsum deducti sunt: ad Kiouiam vero venientes, equos acquisiuerunt pro conditione terrarum Tartarorum valentes, qui pedibus aquam & pabulum sub niuibus sibi quærerent. Tandem ex Kiow procedentes, plures duces Tartarorum pertransierunt, donec ad Cham seu imperatorem Tartarorum applicuerunt. A quo, legatione domini Papæ Innocentii quarti exposita, postulauerunt, vt deum vniuersorum agnosceret, atque coleret, & eum quem misit Iesum Christum, vtque gentem Christianam crudeli nece, quemadmodum fecit in Polonia, Hungaria & Morauia, non perderet. Et accepto responso, quod Cham per quinquennium gentem Christianam

Ascelinus legatus Innocentii IV. ad Tartaros.

postulatum legati a Chano Tartarorum. Chani responsum.

nam

nam non inuaderet, per eandem viam ad dominum apostolicum cum litteris imperatoris Tartarorum redierunt. Habes in speculo historiali Vincentii libro XXXII. hanc historiam, quam caute legas necesse est, quoniam in aliquibus superstitiosa est. Post discessum legatorum Christianorum superuenerunt legati Saracenorum, persuadentes Tartaris, vt sectam & fidem Mahumeti acceptarent, tanquam faciliorem & tolerabiliorem, voluptatibus plenam, virisque belligeris competentiorem, Christianorum autem religionem confutando dicebant esse otiosorum, imbecillium, & idololatrarum imagines colentium: Saracenorum vero legem multis vtilitatibus atque voluptatibus refertam, & ceterarum religionum vi & armis expugnatricem, vt superbos debellaret, humiliatis vero tributum constitueret. Placuit barbaris & ipsi primum imperatori Bathi, & omnibus Tartaris, tanquam viris cordatis, audacibus & sensualibus, persuasio Saracenorum, ideo illam & non alteram susceperunt. Et quum dicant: Lissa Rocholla, id est, Iesus est spiritus domini: Mahumet vero Rossola, id est, Mahumet est iustitia dei, noluerunt spiritum dei Iesum benedictum, spiritualiter viuere docentem, acceptare: sed iustitiam dei, hoc est, Mahumet carnaliter & tanquam bestiam sensualem in spurciiis volutantem, ab omnipotenti deo iuste in lacu pœnarum die ac nocte cruciandam, amplexati sunt. Itaque ex tunc velut & nunc Mahumetum venerantes sequuntur. Pentateucho Moysis obediunt, circumciduntur, & legalia obseruant, campanis carent: sed quotidie: lahi illo illoloh, quod in Latino sonat: non est DEVS nisi vnus DEVS, clamant. Ingenue se profitentur Ismaëlitas, quia de Ismaël ortos: Christianos vero dzincis, id est, paganos, & gaur, id est, infideles, & sine religione appellant. Celebrant velut alii Saraceni, tria in anno festa, primum *kuiram*, id est, oblationis pascha, in memoriam oblationis Isaac, quando Abraam multarum gentium pater præcepto dei ipsum necare & offerre proposuerat. In isto festo offerunt arietes, aues, alites &c. Aliud festum colunt pro animabus, tunc visitant sepulchra suorum maiorum, operibus misericordiæ insistunt, & alunt pauperes. Tertium festum agunt pro se suaque salute. Pro primo festo rite peragendo triginta diebus ieiunant, pro altero vno mense, pro tertio duodecim diebus.

Vincentii historia fabulosa.

Tartari sectam Mahometanam susceperunt.

CAPVT VI.

De moribus Tartarorum, & de contentis in terra eorum.

Tartari sunt homines, vt frequenter, staturæ mediæ, pectore, & scapulis ampli, facie lati, naso simi, colore tetri & deformes, robusti viribus & fortes, famem, frigus & æstum facile patientes: equitatu ab ineunte ætate & arte sagittandi gaudentes. Omnia sua secum ducunt, vagi & instabiles loco, cum vxoribus pueris atque pecoribus in campis degunt. Ciuitates, villas & domos non habent, illudentesque Christianis adinuicem dicunt: non moreris in vno loco, ne tanquam Christianus foeteres, & sub te cacares. Pro hieme ad releuandum a frigore, ad mare Caspium diuertunt, quoniam illic ratione maris temperiem aëris inueniunt. Ad æstatem in suam regionem redeunt. Aliqui eorum vnam porcam, duas, tresue in longum, per iugera tria, quatuor & vltra, sulcant, arant, & milio seminant, inde cibos & bairam, id est, pastas faciunt. Non habent frumentum, nec aliquod aliud legumen, pecora & pecudes plurimas tenent, præcipue caballos & caballas pro equitatu & victu valentes. Incidunt & vulnerant equos, cruoremque & per se, & cum milio vorant: carnes pecudum, pecorum & equorum comedunt etiam semicrudas. Caballos pridie, tum sponte, tum morbo mortuos, excisos, loco remoto, perlibenter comedunt. Bibunt aquam, lac, & cereuisiam ex milio coctam. Aquam Turci & Tartari vocant *Su*: interdum Tartari dicunt *Suha*, id est, aqua. Cereuisiam autem miliarem seu ex milio factam, *buzam* nominant, eandem Ruteni

Tartarorum mos viuendi.

Bracha vocant. Laudant lac, præsertim *komiz*, id est acetosum, eo quod stomachum eorum consortet, & medicinam purgatiuam faciat. In conniuiis & cum hospitibus aduenisque bibunt Araka, quod est, lac sublimatum, quod mirabiliter & cito inebriat. Non furantur, neque fures inter se patiuntur, rapto tamen viuere, vicinos spoliando, periucundum & desificum est apud eos. Non sunt artificia inter eos, nec pecuniæ, sed res pro rebus commutant. Verum in horda Zauolhensi, inceperunt aspros, id est, argenteos obolos Turcorum, accipere & tenere. In horda vero Precopensi ducatos acceptant. In horda Nohaiska res pro rebus dant, vafri & perfidi sunt exteris, sibi inuicem vero & suis omnibus fidelissimi. Indumenta sæpenumero ex filtro & lana alba grosse & plane facta gerunt. Oponcze plurimum diligunt, in expressione huius nominis præponunt literam, i, ioponcze, & non oponcze nuncupantes, & est, pallium album spissum inconsutile pro imbribus & fluuiis bene vtile. Terra eorum plana & absque montibus, absque lignis & arboribus, graminibus dumtaxat abundans. Vias non habent, neque nauigia, sed per dies iter suum computant, vt terra Zauolhensium Tartarorum citissimæ equitationis, a flumine Volha ad mare Caspium est quasi triginta dierum. Equitant vna die viginti milliaria magna Germanica, pedibus non gradiuntur, nec itinerant. Feræ apud eos reperiuntur, cerui, damæ, dorcades & swak, quod est animal quantitatis ouis, in terris aliis non visum, lana griseum, duo parua cornua habens, cursu velocissimum, & esus carnium eius suauissimus. Et dum grex swak in aliquo campo inter gramina conspicitur, Cham seu imperator Tartarorum cum suorum multitudine equestres vadunt, & omniquaque circumdant in altissimis graminibus delitescentes. Dumque tympanis incipiunt sonare, tunc swak tanquam metu perculsæ, rapidissime hinc atque illinc ab vna parte circumstantium ad alteram procurrunt, & iterum atque iterum decursando vadunt, vsque quo fatigati deficiant, tunc irruentibus Tartaris cum clamore occiduntur.

Araka lac sublimatum.

Feræ in Tartaria.

CAPVT VII.

De finibus & metis Tartarorum Zauolhensium.

CLauditur terra Cham & Tartarorum Zauolhensium ab ortu solis mari Caspio, seu Hircano. A septentrione campis longissime, latissimeque protensis. Ab occasu fluminibus Tanai & Volha. A meridie partim mari Euxino seu Ponto, partim altissimis montibus Iberiæ & Albaniæ. Mare Caspium vocant Ruteni Chwalenskie morie: & est mare non ab oceano, sed a fluminibus illic defluentibus congestum. Fluunt multa ac magna flumina in aluearium illius maris, de ripis altis impetuose & quasi per saltum ex alto in medium decidentibus, & iuxta ripas sub ipsas transeuntibus iter præbentibus. Vnde fit, vt ibi in æstate a Persis & Medis refrigerium quæratur: & in hieme ratione euaporationum temperies conflatur. Iuxta illud mare & post ad orientem, vt Ruteni proferunt, sunt Tartari criniti, quos Tartari Calmuchos & paganos nuncupant, quoniam ritum Mahumeticum non colunt, nec crines capitis abradunt, quemadmodum Tartari omnes radunt, præter adolescentes, qui rasa coma binos radios crinium ab aure dextra, & alium a sinistra vsque in brachia prominentes, in signum innubilitatis aut virginitatis relinquunt. Ab occasu sunt flumina Tanais & Volha. Tanaim Tartari Don appellant, qui secundum fontes suos ex ducatu Resensi a duce Moschouiæ occupato, versus septentrionem fluit. Post flectitur in meridiem, & tribus ostiis paludes Mæotidis ingreditur: imo ipse paludes Mæotidis causat. Sunt iam circa Tanaim arbores, pomaque & alii fructus: sunt & mellificia quercina nonnulla, & pauciora de pino. Inde est quod Tartari sanctum Don dicunt: quia iuxta illum, victum ex fructibus, melle & piscibus reperiunt. Volha fluuius, Tartarice

Tartari criniti.

Don fluuius.

tarice Fdel nuncupatus, ex Moschouia profluit, ex fontibus septentrionalioribus et occidentalioribus, quam Tanais: qui, quum ad septentrionem fluat, longo Tanaim circumiens interuallo, deflectitur in orientem & meridiem, & viginti quinque ostiis, seu fluminibus, in mare Euxinum delabitur. Distat Tanais a Volhâ quinque hebdomadarum itinere, ad minus veloci cursu trium hebdomadarum equitatione, vel plus. Et est Volhâ triplo maior, quam Don. Viginti quinque autem partitiones, seu particularia flumina ipsius Volhæ sunt magna: minora autem ex eis sunt tanta, quantus Tyberis Romæ, aut Visla post Cracouiam. Sunt multum piscosi præfati fluuii, ita vt framea Tartari, ceterique transeuntes, in ripa stando pisces cum aqua decurrentes secent & tollant. Est iuxta hos fluuios Tanaim & Volham *air*, id est, calamus aromaticus, qui & *broslu orce* dicitur. In maxima copia ibidem rhaponticum, quod Tartari nominant *czymirewent*, crescit: & czmirewent nomen est Persicum. Item kuczylabuka, vel vt alii exprimunt kilczabuha: & in Latino sonat oculus cornicis: & est multæ calefactionis. De ortu horum fluminum Don & Edel, quum de Moschouia tractauero, clarius dicam. Quoties autem Tartari Zauolhenses in terras nostras spoliatum vadunt, et per hæc et alia flumina absque nauigio, alligatis sarcinis desuper, coniugibusque et pueris in dorsis equorum sedentibus, ipsimet caudas caballorum tenentes, transnatant, et rapinas, crudelitatesque plurimas inferunt. Ad meridiem versus mare Caspium sunt montes Iberiæ et Albaniæ, quos Rutheni a gente Piecihorsci Czircaczý, quasi quinquemontani Circassi, vocant. Inter illos siquidem montes sunt Gazarorum gentes, quas, vt vestra Morauica legenda depromit, sanctus Cirullus et Metudius fratres, per Michaëlem imperatorem Constantinopolitanum missi, ad fidem Christi conuerterent, et vsque nunc fidem & ritum Græcorum profitentur: sunt homines bellicosi, in tota Asia et Aegypto acceptabiles. Apud hos Tartari Zauolhenses tela comparant. Verum hac ætate Græci illas gentes Abgazari et Abgazeli nominant, et vicinæ iuxta illos sunt gentes Circassi et Mengrelli, omnes de ritu Græco per beatum Cirullum in fidem Christi reductæ. Inde sanctus Cirullus rediens ex mari Euxino seu Pontico (in quo omnipotens DEVS mirabilis et gloriosus in sanctis suis, dederat habitaculum et ecclesiam marmoream per manus angelorum, sancto Clementi structam, quam singulis annis in festo sancti Clementis et septem diebus, mari recedente et siccato, secure circumsiti incolæ aggrediebantur, sanctum dei venerando, colendo et extollendo) sustulit corpus sancti Clementis, & in Morauiam prædicaturus Christum dominum, secum tulit et asportauit. Deinde Romam euocatus, et per papam Nicolaum citatus, prædictum corpus sancti Clementis Romam detulit, et in ecclesia sancti Clementis honorifice deposuit. Ipse Cirullus cum Metudio fratre in eadem basilica beati Clementis Romæ sepulti: sed non reperta ossa illorum, quantum libet summe desiderata in eadem basilica quæsita. Ex montibus Circassorum (Piecihorski,) seu quinque montium fluit magnus fluuius *Tyrk* in Tartarico nuncupatus, rapidissimo cursu lapides secum voluens, & multos pisces, in mare Caspium defluit. Post hunc ex eisdem montibus fluuius Coban, minor quam Tyrk, in prænominatum mare Caspium descendit.

Edel fluuius

Rhaponticum.

Gazarorum gentes ritus Græci.

Nunc Abgazari & Abgazeli dicuntur.

Sanctus Cirullus.

Tyrk & Coban fluuii.

CAPVT VIII.

De genealogia imperatorum trans Volham incolentium.

Quatuor sunt hordæ Tartarorum, totidem imperatores eorumdem, scilicet horda Zauolhensium, horda Precopensium, horda Cosanensium, & quarta horda Nohacensium, quintamque addunt, quæ imperatorem non tenet, & nuncupant eam Kozackam: de his inferius dicetur. Horda in Tartarico multitudinem significat. Principalis ergo horda est Czahadaiorum siue Zauolhensium, quæ

Tartarorum hordæ.

Horda Zauolhensium.

Tak Xi, id eſt, capitalem hordam, vel homines principales & liberos, ſeſe nominat, tum quia nulli ſubiicitur, tum quia ab ipſa ceteræ hordæ propagatæ ſunt. Ob hoc et Moſcouitæ magnum hordam Zauolhenſium hordam appellant. Inde etiam imperator eorum IR TLI XI lingua ipſorum, hoc eſt, liber homo dicitur. Dicitur et VLUCHAM, quod ſonat magnus dominus, ſiue magnus imperator: VLU enim magnus, CHAM vero dominus et imperator eſt. Eundem aliqui magnum canem dixerunt, et male interpretati ſunt: quia *Vlucham* non ſignificat magnum canem: cham etenim cum aſpiratione dominum et imperatorem: et cam ſine aſpiratione cruorem, et nunquam canem, ſermone Tartarorum deſignat. Produnt itaque et referunt Tartari, quod quædam vidua concepit et peperit filium nomine CINGKIS, et quum filii ipſius tanquam adulteram necare voluerunt, finxit et excuſauit ſe non ab homine, ſed a radiis ſolis concepiſſe. Cui figmento filii credentes matrem liberam dimiſerunt. Natus ergo Cingos vel Cingkis, homo ſortis humilis, creuit in virum magnum et fortem: et is fuit primus propagator et ſator imperatorum Czahadaiorum ſeu Zauolhenſium. Huius filius fuit IOKUCHAM, gentilis et paganus. Iokucham genuit ZAINCHAM tertium imperatorem, qui in orbe terrarum, et maxime in Polonia, Hungaria et Ruſſia dicitur BATHI. Iſte deſtruxit Gothiam et Ruſſiam, et vaſtauit Poloniam, Sileſiam, Morauiam et Hungariam, prout a principio dictum eſt. Idem Bathi fuit gentilis primum: tandem ſectam Mahumeti perſuaſus cum Tartaris ſuſcepit, quam in hanc diem tenent et ſequuntur. Quartus imperator ex Bathi genitus fuit TEMIR KUTLU, et interpretatur ex Tartarico, felix ferrum: TEMIR felix, et KUTLU ferrum: erat ſiquidem felix et bellicoſus. Iſte eſt ille Tamerlanes, in hiſtoriis celebratus, qui totam Aſiam vaſtauit, et vſque ad Aegyptum pertranſiit. Iſte imperatorem Turcorum Peſaitem primum conflixit, et captiuarum catenis aureis alligauit, et poſt in breui dimiſit. Iſte habuit exercitum duodecies centena millia. Fuit et alius princeps Tartarorum eo tempore. Akſak Kutlu, quod in Latino ſonat claudus, vel claudum ferrum: quoniam claudus erat, ſed ferox. Is multa bella feliciter geſſit, et ciuitatem magnam in terra Czahadai, id eſt Tartarorum Zauolhenſium, nomine Kumumedczar expugnando deſertauit, et in ſolitudinem redegit. Stant domus illius ciuitatis muratæ vacuæ, et eccleſiæ olim Gothorum trecentæ in ritum Mahumeticum et Meſquitas abſque habitatoribus redactæ. In caſtro illius ciuitatis fit ſepultura imperatorum Zauolhenſium. Quintus imperator ex Temir Kutlu progenitus fuit TEMIR CZAR. Iſte dicitur, per Vitoldum ducem Lithuaniæ et Vladislaum regem Poloniæ in auxilium contra cruciferos Pruſſiæ euocatus fortiter pugnans ferro occubuiſſe. Sextus imperator ex Temirczar genitus fuit MACHMETCZAR. Ex iſto genitus eſt ACHMETCZAR ſeptimus imperator, et ACHMET ſermone Tartarorum exponitur componibilis. Achmet genuit SZIACHMET octauum imperatorem. Sziachmet ſonat quaſi religioſus achmet: et Tartari cognominant ipſum Szachmet, quod eſt martyriſatus Achmet: quia per Lithuanos captus detinetur, in Kowno incarceratus. Iſte euocatus per Albertum regem Poloniæ, et per Alexandrum magnum ducem Lithuaniæ in ſolatium contra Mendligeri imperatorem Precopenſium Tartarorum. Anno domini milleſimo quingenteſimo, venit ſub hiemem cum ſexaginta millibus pugnatorum: mulieres vero et pueri fuerunt ſupra centum millia: et quia hiems fuit horrida, intenſique frigoris, coniunx eius per imperatorem Precopenſem clam vocata, frigus et inediam non ferens, in Przekop a Sziachmet marito ſuo cum magna parte exercitus fugit. Itaque Sziachmet militibus diminutus, et intenſiſſimo frigore preſſus, per Mendligeri Precopenſem oppugnatus, disiecto eius exercitu conflictus eſt, et cum trecentis equis verſus Baiazetem Turcorum imperatorem fugit. Quumque in Bialigrod, quod ſonat, album caſtrum, iuxta mare Ponticum perueniſſet, intellexit ſe captiuandum mandato imperatoris Baiazet: idcirco præpeti curſu retro cum

quin-

Vlucham

Tartarorum Catalogus imperatorum.
Cingkis
Ioku Cham.
Zaincham, vel Bathi.

Temir Kutlu.

Temir czar.

Machmet czar
Achmet czar.
Sziachmet.

quinquaginta equis fugit, et in tempo prope Kiouiam euasit. Capitaneus vero Kiouiensis per exploratores de ipso certior redditus, circumdedit eum cum suis et captiuauit, in Vilnamque Lithuaniis misit, vnde aliquoties fugerat, et consequutus, comprehensus et reductus est. Alexandro autem rege Poloniæ et magno duce Lithuaniæ conuentionem generalem in Brzesc. ie Rutenorum agente, aduenit mandato eius Sziachmet ex Vilna, et magnifice per regem Alexandrum ad vnum milliare obuiam sibi euntem susceptus est: deinceps in Radom per Polonos, vt reduceretur in Tartariam trans Volham, conductis aliquot millibus armatorum leuis armaturæ, decretum est: et vt competentior reductio, et a suis laudabilior susceptio fieret, præmiserunt Kazak Soltan fratrem germanum Sziachmet: qui trans Volham peruenit, et cum Albugerim czar, patruo Sziachmet, in Czahadai, terra eorum connata, moratur. Sziachmet vero pro expeditione armatorum in Lithuaniam transiens, ad suggestionem Mendligeri Precopensis imperatoris captiuatus est denuo per Lithuanos, et in Cowno, quod est castrum iuxta mare Balteum, detrusus ac incarceratus est, vere Szachmet, id est martyrisatus, a suis nuncupatus.

Sziachmet liberatur a Polonis & denuo captiuatur a Lithuanis.

CAPVT IX.

Quod gentes Scythiæ inquietæ sint & semper rapaces.

NOn possunt Tartari in quiete viuere, quin semper vicinos impetant ac inuadant, prædamque ex spoliis hominum ac pecorum abigant et reportent, et hoc commune est omnibus hordis Tartarorum, ab exordio et ingressu eorum in hanc diem: vnde pauca pro multis annotabo. Anno domini millesimo, ducentesimo, quinquagesimo quarto, ingens Tartarorum exercitus ex multis legionibus conflatus, et per gentes Rutenorum atque Lithuanorum adauctus, cum ducibus Tartarorum Nogay et Thelebuga, post festum sancti Andreæ in terram Sandomiriensem aduenit, transiensque per glacies induratas fluuii Vislæ, tam ciuitatem, quam ecclesias eius incendit, castrumque, in quod vniuersa Sandomiriensium regio cum vxoribus, pignoribus, ac fortunis confugerat, cinxit, et illud nocte et interdiu expugnauit: sed quum non præualuisset, duces Russiæ VASILKO et LEO, filii Danielis regis Russiæ, dolose suaserunt homagium et subiectionem præstituros propter securitatem, quod Sandomirienses fecerunt. Tartari autem fide violata clamore valido et concursu inuecti in castrum, omnes crudelibus suppliciis truculentissime enecauerunt, fluxitque sanguis occisorum de colle arcis, tanquam quidam riuus in Vislam. Alios vero homines occidere fastidientes, tanquam gregem cumulatos in Vislam impulerunt et submerserunt, effusique e Sandomiria Tartari, ducatum præbentibus Rutenis, in Cracouiam venientes, et eam vacuam habitatoribus reperientes, in tecta et valetudinarios sæuierunt, tribusque mensibus grassati, nullam resistentiam passi, onusti præda in Tartariam reuersi sunt. Præter ea apud Cracouiam puer natus vix semestris (mirabile dictu) articulata voce Tartaros venturos et Polonorum capita præcisuros prædixit. Cunctis trementibus interrogatus, an ipse etiam Tartarorum aduentum timeret, respondit, plurimum sese timere, quum inter alios suum caput essent præcisuri Et ecce sub intensissimis frigoribus et densissimis niuibus ferocissima gens Tartarorum famem sedatura, ducibus Nogay et Thelebuga, primum in Lublinenses et Masouiæ, et post in Sandomiriensium, Siradiensium et Cracouiensium oras, in numero locustarum venit. A castro et ciuitate Sandomiriensium, cum ignominia et strage, militibus, qui in præsidio erant, strenue tutantibus repulsi, plures ecclesias, monasteria et munitiones obtinuerunt et incenderunt. Ad Cracouiam autem in vigilia natiuitatis Christi applicantes, et eam expugnare adorsi aliquot insignes eorum amiserunt, vlulatuque edito ab ea discesserunt, et depopulationem cum spoliis longius extenderunt. Dux LESCO niger de viribus suorum militum diffidens, in Hungariam cum Griffina sua coniuge secessit.

Tartarorum perfidia sæuitia.

Prodigium.

Dux Lefco in Hungariam fugit.

cessit. Et Tartari grassantes ad alpes Pannonias et ad Silesiam peruenerunt. Terris itaque prædictis spoliatis, sacerdotibus, lactantibus, et senibus trucidatis, cum ingenti præda hominum ac pecorum abscesserunt, quam apud Vladimiriam Russiæ partientes, viginti vnum millia de virginibus dumtaxat nondum nuptis computauerunt: ex quo multitudo ceterorum virorum et feminarum poterit æstimari. Eodem fere tempore Tartari per Cumanos inducti, Hungariam cædibus, et spoliis vsque ad Pest vastauerunt: et in ea ab octaua epiphaniarum vsque ad festum paschæ commorati sunt. Item eo anno Tartari imperium Constantinopolitanum inuaserunt, et pluribus hominibus trucidatis, multa loca desertauerunt. Vnde ex his liquet, quod Tartari nunquam sine spoliis viuunt, et quod vicinas gentes turbant et inuadunt, veluti istis annis Tartari Precopenses sæpenumero Valachiam, Russiam, Lithuaniam et Moschouiam affligunt. Tartari vero Nohaienses et Cosanenses Moschouiam inuadunt, et spoliis atque cædibus implent.

Deuastationes Tartarorum.

CAPVT X.

Quae gens, quaeque natio habitat in Scythia, quæ nunc Tartaria vocatur.

Quum sint trecenti et sex anni, quod Tartari ingressi occupauerunt Sarmatiam Asiaticam seu Scythiam, pulsaret forsan quempiam dubitatio, quænam gentes inhabitarint præfatam Sarmatiam Asiaticam, et nunc, et priscis temporibus Scythiam appellatam. Ad hoc ex præcedentibus facile est secundum historias respondere, quoniam Gothi illas terras tempore aduentus et ingressionis Tartarorum incoluerunt, a vicinis Polowci nuncupati, quod sermone Slauorum, Rutenorum et Moscouitarum rapaces et spoliatores sonat: quia tunc Gothi, quemadmodum nunc Tartari, tanquam canes venatici, vicinas inuadentes nationes molestabant ac spoliabant. Sed altius exordiendo dicamus, quod secundum Ptolemæum Pheludianum in secundo quadripartiti, angulus aquilonis septentrionalis, vbi nunc resident Tartari, est de partitione trianguli signorum septentrionalium aëreorum: dominaturque in eo Saturnus cum signo aquarii, qui reddit præfatum angulum ferocem et horrendum, secundum incolas eius: sic enim inquit idem Ptolemæus: qui in confinibus terrarum Sarmatiæ et terræ Ascardæ conuersantur, Aquario et Saturno assimilantur: vnde maioris sunt crudelitatis, qualitatesque animarum suarum ferocissimæ. Hæc ille. Malignæ siquidem est influentiæ ille falcifer Saturnus, et humano generi infestissimus, suis contrariis qualitatibus frigiditatis et siccitatis semper contrarius. Ex illo ergo angulo consurrexerunt et vsque in hanc diem insurgunt nationes rigidæ et crudeles, humanum genus perturbantes, secundum quod Ieremias primo capitulo dixit: ab Aquilone pandetur omne malum, super omnes habitatores terræ. Quod si cui placeret examinare, manifestissimum et verum, quia diuinum oraculum, apparebit. Ibi enim historiæ, et Ptolemæus in loco præallegato, tradunt, mulieres, quæ Amazones dicuntur, habitasse, illis temporibus terror mundi: nam fragilitate sexus abiecta, plures terras vexauerunt, Asiamque minorem occupauerunt, et Ephesum famosam vrbem construxerunt. His deletis et exterminatis successerunt aliæ nationes, Scythæ communiter nuncupatæ, orbi terrarum vt plurimum molestæ. Tandem superuenerunt Gothi, qui et Getæ vocantur, quorum captiui, a Græcis, et comicis eorum Getæ, a Dacia Davi et Daci, tanquam sclaui et serui, tenti et nuncupati fuerunt. (121) Hi longo tempore possederunt illas terras, ciuitatesque et

Polowci significat rapaces.

Stellarum influxus in Tartaros.

castra

(121) Suspicio est, Miechouium, vt multi exteri, credidisse, vocem SCLAVUM, seruum denotare, quod omnino falsum est. Male enim dicitur, quamuis vsu iam probatum, SCLAVUS, SCLAVONIA, pro quibus, vt antiquitus scripserunt, recte dicitur: SLAVUS, SLAVONIA. Significat autem SLAVUS in lingua Slauonica non seruum, sed virum celebrem. SLAWA, enim idem est, ac gloria, fama. Astrologicam vero Miechouii credulitatem, quasi vires, e Saturno in Tartaros influentes, illorum ferociam nutrirent, hic refutare vix operæ pretium esse videtur. Quis enim haud intelligit, ignorantiam agriculturæ, commercii defectum, vitam desidem & vagabundam, egestatem, & malam a maioribus seruatam consuetudinem, rapiendi in Tartaris cupiditatem & crudelitatem, minime demissas e coelo vires, excitare. Sed qui persuadere sibi potest, puerum semestrem articulata voce Tartaros venturos prædixisse, ille facillius stellarum in corpora hæc inferiora influxum credet.

castra mutauerunt: præda tamen,vt semper,vixerunt, donec ex Iuhra a finibus septentrionalis Scythiæ superuenerunt Iuhri, qui postea Hugui, deinde Hungari sunt dicti. Hi Gothos sui multitudine presserunt & expulerunt. Ciuitates tamen & quædam castra non obtinuerunt. Gothi pulsi alienas sedes intrauerunt: primumque Alanos, Roxolanos, Rutenos et Vandalos eiecerunt: tandem iuxta mare Ponti commorati, Bulgariam, Thraciam, et imperium Constantinopolitanum inuaserunt, quos Zeno imperator perhorrescens ei suspectos habens, ad Italiam liberandam de manibus Odoacri Eruli misit, prout infra dicetur. Vandali vero & Alani vagi, a Constantino Magno sedem petierunt, et pro mansione Pannonias acceperunt. De his specialiter inferius tangetur. Iuhri autem multiplicati per flumina magna transeuntes, vt fertur, per venatores ceruam sequentes ducti et animati, terras Russorum intrauerunt, et Pannoniam propere aggressi sunt: præficientesque eis Attilam in ducem, fere toti Europæ molesti fuerunt. Deinceps Gothi qui super remanserant, pace oblata multiplicati sunt, et Tartaros inuasores, imo et exterminatores, prout in principio huius operis diximus, acceperunt. Hæc summarie de habitatoribus Sarmatiæ Asiaticæ dicta sunt. In sequentibus autem amplius et particularius dicetur.

Gothi alienas sedes intrant.

Vandali & Alani in Pannoniam veniunt.

CAPVT XI.
De Gothis.

GOthi de Scythia pulsi partim in Taurica insula, et iuxta eam, iuxtaque mare Ponti commorati sunt: partim vero cum Ragaso rege eorum plus quam ducenta millia Italiam inuaserunt, et quum Roma tremeret, et tantam potentiam expauesceret, multitudo eorum in aspero montis Fesulani iugo, inedia consumpta est, captusque et in vincula coniectus est Ragasus rex, exercitus vero eius tanquam pecudes disiectus, trucidatus, et venundatus est. Hi autem, qui circa Tauricam et Pontum sederunt, bifariam diuisi sunt, et qui cum duce Alarico ad occasum in Italiam et Galliam profecti sunt, Visigothi, id est, occidentales Gothi, vocati sunt. Qui vero cum principe Frigiderno in locis suis ad mare Ponti permanserunt, Ostrogothi, hoc est, orientales Gothi, sunt appellati. Exinde apertum et manifestum est, vnde Ostrogothi et Visigothi dicti sunt. Patet etiam, quod Gothi sub rege Daciæ in Gothia degentes, friuole et inepte eis nomina Ostrogothorum et Visigothorum appropriant, quum non de ipsis, sed de his, quos diximus, circa Pontum et Mysiam commorantibus, et illis ad Gallias transeuntibus, orientales et occidentales Gothi primum et vere dictum sit. Illi autem in Gothia in septentrione ad oceanum in terra algidissima, haud in oriente, degunt, maleque et absurde aliena nomina eis vsurpant. De hoc vide *Paulum Diaconum* libro decimo sexto, capite secundo. Orientales quoque Gothi Mysiam et Thraciam, ceterasque Constantinopolitani imperii prouincias ingressi sunt, quos imperator expauescens, et ab imperio Constantinopolitano semouere cupiens, cum Theodorico rege eorum ad liberandam Italiam contra Odoacrum misit. Hi per Seremium et Pannoniam gradientes, quum prope Aquilegiam circa fluuium Sontium se suaque iumenta reficerent et pabularent, Odoacrum, cum grandi exercitu venientem, et eis oppugnationem inferentem, fuderunt. Qui fugiens Romam peruenit, et quia clausas ei portas reperit, retrocedendo ad Rauennam cucurrit, quem Theodoricus obsidione cinxit, et post triennium, cum eo compositione facta, dolo occidit, totique Italiæ dominatus est. Qui autem reges Gothorum in Italia, Gallia, et Hispania fuerunt, facile ex historicis colliges: quoniam de his non est mihi intentio principalis scribendi. Iuhris autem siue Hungaris, de Sarmatia Asiana in Pannoniam abeuntibus, reliquiæ Gothorum auctæ et multiplicatæ sunt, quas Tartari ab oriente superuenientes in toto deleuerunt: sed et ciuitates, castraque

Gothorum rex Ragasus in vincula coniicitur.

Qui Ostrogothi qui Visigothi dicti sunt.

Paulus Diaconus. lib. XVI. cap. 2.

Theodoricus Odoacrum dolo occidit.

castraque demoliti sunt, vt solum in Taurica insula residui reperirentur. Verum Ianuenses ex Italia Theodosiam seu Caffam vrbem famosam in Taurica insula sub ipsis obtinuerunt, et coloniam fecerunt. Tandem Tartari de familia Vlanorum, de quibus infra dicetur, per portam septentrionalem insulam ingressi, totam cum oppidis, pagis et campis occupauerunt, ducibus de Mankup, qui generis et linguæ Gothorum fuerunt, dumtaxat castrum Mankup retinentibus. Postremo Mahomet octauus imperator Turcorum, auus moderni Selambeci imperatoris, Tauricam insulam comprehendit, Caffam expugnauit, Tartaros Precopenses, seu Vlanos, cum tota Cherroneso homagiales sibi fecit, et vltra insulam ad septentrionem, castrum Azow in ripa Tanais incastellauit, et in hunc diem Turci tenent. Binos quoque duces et fratres de Mankup, vnicos Gothici generis ac linguagii superstites, ad spem gregis Gothorum prolificandorum, gladio percussit et castrum Mankup possedit. Sicque Gothi penitus, tam circa Sarmatias, quam in Italia, Hispania, & Gallia extincti sunt, nec eorum genealogia amplius comparet.

Gothi exterminantur.

CAPVT XII.

De Alanis, Vandalis & Sueuis.

Alani fuere gentes in Alania, regione Sarmatiæ Europianæ, flumini Tanai contiguæ et conterminæ: et est regio plana, sine montibus, paucas sinuositates et colles habens: caret colonis et habitatoribus, quoniam ab inuasoribus eiecti et dispersi, in alienis prouinciis consumpti et extincti sunt. Stant campi Alaniæ late profusi, tam Alanis quam aduenis possessoribus orbati ac deserti: dumtaxat interdum Kazaci eam perransteunt, quærentes, vt moris eorum est, quem deuorent. Kazak Tartaricum nomen est, Kozak vero Rutenicum, valens in lingua Latina seruilem, stipendiarium, grassatorem seu reyteronem: spoliis enim viuunt, nulli subiecti, gregatim latissimos et vacuos campos, tres, sex, decem, viginti, sexaginta &c. numero percurrentes. Crescit in illa terra calamus aromaticus vberrime, tatarskie ziele a Polonis, nomine a Tartaris mutuato, nuncupatus: quoniam non longe a Tartarorum regione crescit et multiplicatur. Ast Vandali sunt et fuerunt populi Germaniæ, vt suis traditionibus celebrant Plinius, Suetonius Tranquillus, et Cornelius Tacitus, secus flumen Vandalum, a regina eorum, in libamen et sacrificium diis suis pro victoria ex inimicis adepta, sponte in ipso submersa, appellatum. Hoc flumen Istula et Visla vocatur. Vt autem de Vandalis completior historia referatur, accipiendum est, quod Slaui ex Iauan, filio Iaphet, per Helisam procreati sunt. Noë siquidem genuit Sem, Cham, et Iaphet, Iaphet vero Iauan, quarto genitum et fratres eius. Iauan iuxta mare Ionium et Aegæum Græcos edidit et multiplicauit, simul et Helladicos seu Aeolios, Slauosque per filium suum Helisam propagauit: a Iauan enim Ionium mare dictum est: Hebræi quoque Ionios et Græcos lingua eorum Iauan vocitant. Hæc est sententia Iosephi de filiis Noë. Slaui itaque mox post Græcos ad occidentem terras possederunt, Scruiam, Russiam, Dalmatiam, Mysiam, Bulgariam, Bosniam, Croaciam, Pannoniam, et Slauoniam. Fuerunt autem principes Lech et Czech bini fratres, Iauan nepotes, de semore Helisæ descendentes, Croaciam ac Slauoniam per Crupam fluuium rapidum et velocem disterminatas, forte cum cognatione et familiis eorum inhabitantes, regiam, locumque principalem suæ residentiæ in Psaro castro ac villagio eius nominis tenentes: villa vsque in hodiernum diem cum suo nomine Psari permanet, ad fluenta Crupæ, plures inhabitatores et colonos, nostro æuo etiam linguagii Slauonici habens. Castrum vero demolitum solas ruinas et fundamenta arcis demonstrat. Quum autem ex multiplicatione hominum et genealogiarum, Dalmatia, Croatia et Slauonia eas non comprehenderet, sæpenumero iurgia et cædes inter fratres, principes et cognatos pullulabant. Quapropter præfati duces Lech et Czech vitando pessima facinora, parricidia et mortes hominum,

Quid Kozak significet.

Vandalorum origo.

Fratrum principum Lech & Czech habitationes.

animo

animo concordi et consilio salubri, collectis rebus et gentibus eorum, per familias et colonias cum tota suppellectile, quantulacunque tunc habebatur, relictis sedibus natiuis, ad occidentales diuerterunt regiones exploratum ire et percontari nouas sedes. Sciebant namque orientales meridionalesque regiones colonis et habitatoribus occupatas atque refertas: et idcirco frustra eas aggrediendas et quaerendas. Profecti itaque peruenere in Morauiam et Bohemiam, et lustrata vniuersa illa regione, vasta quidem et nondum culta, perspecta et aura eius salubri, et gleba fertili, fixerant tentoria in monte, qui Rzip dicitur: coepitque Czech frater minor, loci amoenitate delectatus, a maiori natu germano suo Lech plurimis instantiis petere terras Morauiae et Bohemiae in haereditatem suam, posterorumque suorum perpetuandas et populandas: Lech autem ad obeundam et nutriendam beneuolentiam fraternam, consensit votis, petitionibusque Czech, et valedicens processit cum suis versus orientem et septentrionem, deueniensque in terras incultas, a nemine vnquam habitatas, Silesiae et maioris Poloniae, suos suaque omnia exposuit et firmauit: multiplicatique Lechitae, qui et Poloni, in his locis maioris Poloniae et Silesiae, creuerunt, Deo volente, in maximo numero, et impleuerunt Vandaliam, id est, Poloniam, iuxta flumen Vandalum, qui nunc Visla nominatur. Impleuerunt Pomeraniam, Cassubiam, et totam regionem secus mare Germanicum, vbi nunc est Marchia, Lubek et Rostok vsque ad Vestphaliam, sortitique sunt varias nominationes secundum varietatem locorum quae inhabitarunt: & hi, qui penes fluuium Sueuum, nunc in Teuthonico Spre, seu Sprewa dictum, commorati sunt, Sueui nuncupati: & alii iuxta eos Burgundi, a casis, & aceruis, quos lingua sua Polonica Brogi vocant, appellati sunt: sicque de reliquis, Drzewianie, & Trawianie, a copia lignorum, & graminum nomina perceperunt. Tempore autem imperatoris Augusti, vt refert Bergomensis in supplemento, Burgundorum octuaginta millia ex septentrione venientes, ripas Rheni insederunt, quos Drusus, & Tiberius, nepotes Octauiani, vt refert Paulus Orosius, expulerunt, & repedare in connatas sedes compulerunt. Tandem Drusus Rhenum, & Albim fluuios transeundo pugnauit, (Albis fluuius est per Bohemiam, & Misniam vsque in mare Germanicum decurrens, Labya in Bohemico nuncupatus) & in Sueuos, & Burgundos incidit, quibuscum cruentissimam pugnam egit cum victoria. Sed victor Drusus in eodem praelio per ferocissimam Sueuorum gentem necatus occubuit, & in Moguntiam relatus sepultus quieuit. Exinde Caesar Octauianus, vt mitescerent sub mitiori caelo, Sueuos, vt inquit Suetonius Tranquillus, traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit: vbi vrbs Augusta in honorem imperatoris Augusti structa est: qui translati in hanc diem Sueui a priori patria, & Vindelici a linguagio Vindelicorum atque Slauorum, nominantur, ipsaque vrbs Augusta, Vindelicorum Augusta dicitur. Haec referunt praefatus Suetonius Tranquillus, & Martinus in sua Martiniana parte secunda, sub descriptione Caesaris Augusti: tametsi Sueui de prouincia eorum cis mare Germanicum sita educti fuerunt, alii tamen Poloni, Vindelici, & Slaui subintrauerunt, & illam regionem repleuerunt. Vnde tempore Valentiniani imperatoris, vt dicit Orosius, & Bergomensis in supplemento, Burgundi iterum ex septentrione de terra Vindelicorum surgentes, ad Rhodanum fluuium pertransierunt, & quia pacifice illas terras coluerunt, a vicinis eorum intacti, Burgundiam ex suo nomine vocatam constituerunt. Sed Vindelicos circa Lubek, Rostok, Mekelsburg, & fluuium Sueuum, imperatores Henrici, tanquam gentiles, Christum colere nolentes, expugnauerunt: sicque ad extremum Henricus tertius, deuictis praedictis gentibus, Teuthonicos in eorum loca induxit, & locauit. Refert quoque historia Henrici tertii, quod quatuor reges Vindelicorum, capti, diebus festis, & diebus coronationis suae, lebetes, & caldaria in ignominiam eorum ad coquinam eius ferebant. Et verum quidem est, quod

Lech & Czech nouas sedes quaerunt.

Czech in Bohemia manet.

Lech in maiori Polonia sedem figit.

Paulus Orosius.

Vindelici & Sueui translati.

vſque in hodiernam diem perdurant Vindelici, ſeu Slaui in illis locis circa Lubek Roſtok, Miſnam, & Marchiam, non in vrbibus, ſed in pagis, et villagiis, præcipue hi, qui Sarbi, et Vindæ vocantur. Permanent, et nomina Polonorum atque Vindelicorum priſca in nominatione locorum, caſtrorum, et ciuitatum. Nam, Lubek, Roſtok, Mekelsburg, etc. nomina ſunt Polonica.

CAPVT XIII.

Continuatio, de Vandalis, Alanis, & Sueuis.

Alani Pannoniam intrauerunt.

EXpulſi Alani e ſuis ſedibus ad Vandalos declinauerunt, et ſimul Pannoniam intrauerunt, ipſamque quaſi ſexaginta annis inhabitarunt: poſtea rempublicam Romanorum inuadentes Gallias afflixerunt: et exinde, vt referunt hiſtorici, ad Vandaliam ſeu Poloniam redierunt, et vſque ad tempora Stilicunis commorati ſunt: intuleruntque, vt ex quibusdam ſignis conicio, immenſam multitudinem argenteorum, cum figura, et effigie Adriani imperatoris, prout titulus, et ſuperſcriptio oſtendit. Quam monetam in hanc diem eſt reperire apud Polonos ſecus decurſus aquarum, et alluuia pluuiarum, et in campis in cultura agrorum, vocantque eam ruricolæ denarios ſancti Ioannis Baptiſtæ, propter expreſſam imaginem capitis, et colli ad ſimilitudinem capitis ſancti Ioannis in diſco. Tempore autem Honorii imperatoris, Stilicon comes Romanus, cupiens filio ſuo Eucherio apicem, et culmen imperii conquirere, Vandalos, Sueuos, Alanos, et Quados concitauit ad arma, et ad perturbandum dominium Romanorum. Qui in Galliis debacchantes, diuina, et humana peſſundederunt, atque deſtruxerunt. Deinde Gothis cedentes Hiſpanias penetrauerunt, et nunc has, nunc illas terribili mente afflixerunt. Deinceps ad Africam occupandam per Bonifacium principem Romanum euocati tranſierunt, et illam ferro, et igni vaſtantes conquiſiuerunt. Primo itaque anno Gratiani, puta anno Domini tricenteſimo, octuageſimo primo, et deinceps ſuper Vandalos de regno Poloniæ exeuntes regnauit Modigiſilus annis triginta. Poſt hunc filius eius Gundericus in Hiſpaniis annis ſedecim: hic capta Hiſpali, quum manus in eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, a dæmone correptus interiit: cui Genſericus frater ſucceſſit, vt refert Paulus Diaconus, ab Hiſpaniis ad Africam transiens, cunctam pene Africam ferro, flamma, rapinis crudeliſſime deuaſtauit, fidem catholicam impietate Ariana infectus ſubuertit, epiſcopus profligauit. Sub huc turbine, teſte eodem Paulo diacono, et Poſſidonio, beatus Auguſtinus epiſcopus Hipponenſis, ne ſuæ ciuitatis ruinam cerneret, expletis annis vitæ ſuæ ſeptuaginta ſex, migrauit ad Chriſtum. Deinde Genſericus Carthaginem invadit, atque capit cum validiſſimo exercitu: ex Africa aduectus Romam ſpoliat, multa millia captiuorum cum regina Euduxia, et duabus filiabus in Carthaginem duxit, quam Traſamundo filio ſuo in matrimonium copulauit: Campaniam et Appuliam flammis conſumpſit, Capuam, et Nolam pari ruina ſtrauit. Inter has procellas vir piiſſimus Paulinus Nolanæ vrbis epiſcopus, pro cuiusdam viduæ filio ſeſe in ſeruitutem tradidit. Regnauit Genſericus annis quadraginta octo. Eo mortuo ſucceſſit Honoricus filius eius, qui effugatis amplius quam CCC. XXXIV. catholicis epiſcopis, & eccleſiis eorum clauſis, plebem variis ſuppliciis affecit, & quidem innumeris manus & linguas abſcidit: illis tamen expeditiſſime loquentibus, vt refert beatus Gregorius, in tertio libro dialogorum, & Paulus Diacunus in geſtis Romanorum. Tandem iudicio Dei percuſſus, ſcatens vermibus miſerabiliter expirauit. Poſt hunc Guntamundus nouem annis regnauit. Poſt quem Traſamundus, qui ducentos, & viginti epiſcopos in Sardinia exilio relegauit. Deinde anno Domini quingenteſimo vigeſimo, regnauit Hildericus filius eius ex Eudoxia, filia Valentiniani Imperatoris a Genſerico captiuata, genitus. Hunc pater Traſamundus ad mortem veniens, ſacramenti nodis aſtrinxit, ne vnquam

Moneta cum effigie Adriani imperatoris in Polonia inuenitur.

Modigiſilus. Gundericus. Genſericus.

Genſericus Carthaginem capit.

Honorici crudelitas.

Guntamundus.

Hildericus.

quam in regno suo catholicis consuleret. Qui mox patre mortuo, antequam regnum susciperet, omnes catholicos ab exiliis iussit reuocare, & episcopis ecclesias reformare. Regnauit annis octo. Hunc Gilimer perimens, annis quinque post eum regnauit, qui tantæ crudelitatis fuit, vt nec parentibus parceret. Tandem Belisarius patritius a Iustiniano Imperatore missus est ad Africam, qui magnas copias Vandalorum fudit, regemque eorum Gilimerum viuum capiens catena argentea vinctum Iustiniano Constantinopolim misit. Sic Vandalorum regnum in Africa destructum est. Habes ex prædictis, quod Vandali, Sueui, & Burgundi fuerunt de regno Poloniæ, a locis Poloniæ, quæ inhabitarunt, appellationem et nomina sortiti, linguam et sermonem Polonicum profitentes et loquentes. Habes secundo, quod præfati populi Vandali, Sueui et Burgundi, Germani, & non Sarmatæ, neque Scythæ fuerunt. Ideo Sigisbertus Vincentius in speculo historiali, & ceteri antiquiores, inconcinne, & iniuste Scythas fuisse scripserunt. Collige tertio, quod prædictæ gentes non de Scandia insula, sed de Polonia oriundi, partem Europæ occidentalem, & Africam perturbauerunt. Vnde non recte antiquiores dixerunt eos Scythas ex Scandinauia insula, quum Scythia proprie sit post Tanaim in Asia ad orientem: Scandia vero, siue Scandinauia fuit, & est, ad occasum solis, post mare Germanicum in septentrione, Daniæ cohærens, quam rex Daniæ possidet multis millibus passuum a Scythia distans. Valde ergo indistincte ac impertinenter, iam dictæ gentes, Alanique, Gothi, & Hugni ab inexpertis de Scandia dicuntur exiisse, quum in ea nunquam fuerint, nec eam penetrauerunt, aut contigerunt. Collige quarto, quod Poloni, & Bohemi, Sueui, & omnia genera Slauorum, post diluuium in hanc ætatem, in suis sedibus, & connatis regnis permanent, & non aliunde superuenerunt, vt refert chronica Polonorum et chronica Bohemorum. Et Tacitus Cornelius affirmat in libello de situ et populis Germaniæ, inquiens; *ipsos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium aduentibus & hospitiis mixtos.* Nec est verum, quod fassus est Blondus (salua venia tanti historici, in aliis doctissime scribentis, & modernorum, sequacium que eorum) quod Slaui, a Tanai, & Bosphoro ascenderunt in Illyricum, Dalmatiam, & Croatiam. Lech quoque, & Czech, principes Polonorum, & Bohemorum ad occidentem diuerterunt, & terras Vandalorum, post egressum ipsorum in Gallias, intrauerunt, quum Slaui in ipsorum prouinciis, & principes Lech, & Czech in Polonia, & Bohemia, a diluuio in nostram ætatem permanserunt, permanent, &, Deo fauente, permanebunt. Verum tamen Ruteni cum suis principibus ascenderunt eo tempore, & aliis, de Russia, & Bosphoro in Illyricum, & Croatiam, & spolia referebant pinguia, nec illic permanserunt. Etiam exeunt de Vandalia, seu Polonia armigeri sexaginta millia, nonnunquam centum millia ad oppugnandum hostes, nec per hoc desertatur regnum Polonorum, quum ciues, mercatores, & coloni agrorum in oppidis, & villagiis intacti permanent, absque desolatione, & sic quod non sint loca ingrediendi, & occupandi exteris: sicut fuit, & tempore Honorii Cæsaris, quando Vandali, pugnatores dumtaxat, exiuerant in Gallias. Et adhuc inquiunt historici, quod regressi Vandali, (qui primum Gallias affligebant) sedes eorum in Vandalia inhabitauerunt: ergo alii ipsas non occupauerunt. Collige quinto, quod linguagium Slauorum amplissimum est, & diffusum, plurimas terras, & prouincias possidens, veluti sunt Serui, Mysii, Rascii, seu Bulgari, Bosnenses, Turco hac tempestate subiugati, deinde velut sunt Dalmatæ, Croatæ Pannonii, Slaui, Carni, Bohemi, Moraui, Silesitæ, Poloni maiores, & minores, Masouitæ, Pomerani, Cassubitæ, Sarbi; Ruteni, Moscouitæ: hi omnes Slaui, et Vindelici sunt, per ampla regna inhabitantes. Sed et Lithuani iam slauonisant: Nugardi quoque et Plescouienses, Smolenses, et Ohulci. Vide chronicas eorum, et cosmographias.

Gilimer.

Vandalorum regnum in Africa deletur.

Blondus refutatur.

Lingua Slauorum latissima.

Collige sexto, quod cis mare Germanicum Poloni, Sueui, et Burgundi, consumpti, et exterminati sunt, per Henricos imperatores, dumtaxat Sarbis, et Vindis, seu Vindelicis, adhuc manentibus, vt expressum est supra.

CAPVT XIIII.
De Iuhris.

IUhris de Iuhra, terra Scythiæ septentrionalissima, et frigidissima, iuxta oceanum septentrionis, a Moschouia, ciuitate Moschorum ad orientem, et septentrionem quingentis milliaribus magnis Germanicis distante, ascenderunt, et venerunt per terram planam ad meridiem in regionem Gothorum in Scythia, vbi nunc Tartari Zahadaienses, seu Zauolhenses degunt, presseruntque sui multitudine, et eiecerunt Gothos de Gothia in Sarmatiam. Quunque coaluissent, et pæne in infinitum multiplicati fuissent, audientes a venatoribus, qui ceruam sequentes transierant flumina Volhæ, et Tanais, quod esset terra Sarmatarum Europæ fertilior, et auræ minoris, coaceruatim præfata flumina transnatantes, Sarmatas, et Rutenos conflixerunt, Gothosque insequentes cum eis in Mysia, et Thracia bellarunt, et eos superarunt: intrantesque Pannoniam, solo, vino, et regionis vbertate delectati, mansionem in ea fixerunt: Maternum, et Detricum, capitaneos Romanorum, cum eorum gentibus aggressi conflixerunt, et Materno occiso Detricum in fugam verterunt: præter ea regem elegerunt, et supra se constituerunt virum vafrum, animosum, et strenuum, Attilam nuncupatum, quem Hungari suo idiomate Ethele vocant. Is aduocatis, et recensitis multis regibus, et gentibus, Gallias ingressus, eas tyranniter, et crudeliter, vastauit. Et quum ad campos Catalaunicos, longe lateque patentes deuenisset, Aetius patricius cum Romanorum cohortibus, cum Theodorico rege Gothorum, multisque aliis gentibus aduersus eum accelerabat. Quo comperto Attila aruspices de victoria consuluit, qui inspectis extis superatum iri, inferioremque ipsum in illo bello fore dixerunt, adiicientes, quod maior de inimicis occideretur: putabatque Attila, quod Aetius supremus dux partis aduersæ caderet, aliquo modo de morte ipsius gaudens (terribilis enim visa est ei potentia Aetii) acies ordinauit, et instruxit, cauteque ad vesperum, non in meridie, tubas canere iussit, et congredi. Vbi numerosissimus populus cæsus est, et Theodoricus rex Gothorum, non Aetius, quod Attila optabat, cecidit, et occubuit. Attila videns se victum, se et suos inter currus in medium castrorum recepit, nox enim aderat, præcepitque e sellis equitum in struem congestis focum accendere, vt si impeteretur, præcipitaret sese in ignem, et arderet potius, quam in manus hostium deueniret. Altera autem die Thorismundus filius Theodorici Regis Gothorum, vltum iri cupiens necem genitoris, contra Attilam acies instruebat. Aetius vero suspectam habens potentiam Gothorum, tanquam et Huguorum, persuasit Thorismundo, vt omissa pugna ad possidendum solium paternum properaret, ne frater eius regnum præoccuparet: quo permotus discessit, Aetiusque et omnis exercitus ipsius solutus recessit. Tunc Attila exhilaratus, spes iniquas vltionis coquebat, et e loco secedens, vrbem Remensem obsedit, et expugnauit, sanctumque Nicasium, eiusdem vrbis præsulem, cum sorore eius Eutropia et omnibus ciuibus trucidauit. Ad Trecas autem quum accessisset, occurrit ei pontifex sanctus Lupus, et percontando dixit: Tu quis es? cui ille: Attila sum (inquit) flagellum iræ Dei. Et Lupus, arrepto freno equi eius, introduxit eum cum suo exercitu in ciuitatem, dicens: Bene veneris, flagellum iræ Dei. Ille autem cum suis cæcitate percussus, vt aiunt, pertransiit vrbem in partem alteram pacificus. Mulier autem pauperrima habens decem filias, timore perculsa de suburbio fugiebat, filiam postremo editam, et in bimatu natam, in sindone

Iuhri Pannoniam intrant.

Attila Gallias ingreditur.

Theodoricus rex Gothorum in pugna contra Attilam occumbit.

Attila S. Nicasium trucidat.

ad collum ligatam gestabat, duasque minorennes puellulas in iumento, quod ante se pellebat, portabat: reliquæ filiæ circumcirca matrem gradiebantur, et ambulabant. Hanc quum bellatores Attilæ consequuti sunt, filiæ eius territæ, ad matrem concurrerunt. Mater autem stupida, et sui incompos, viso fluuio properanter currebat, volens se præcipitare, et in fluuio submergere. Sed milites eam insequuti in ripa fluuii rapuerunt, et cum filiabus ad Attilam perduxerunt, quæ supplex ad terram procidens gratiam precabatur. Cui Attila misertus, datis pluribus nummis, et vestibus, liberam cum prole sua dimisit, et aliis, qui cum ea adducti fuerunt, propter ipsam pepercit. Deinceps Attila in Germaniam descendit, castraque, oppida, et villas eius vastabat, donec audiret, quod Aetius, et Gothi denuo nouum militem contra eum pararent, quo permotus ad Pannoniam abscessit, et renouato exercitu vir vltiuus in Italiam per Stiriam, et Carinthiam properabat. Ab exploratoribus autem certior redditus, quod Aetius, et innumeræ gentes in radicibus alpium opperirentur eum, declinauit, et diuertit ad Dalmatiam, et Histriam, euersisque notabilibus vrbibus, iuxta mare Adriaticum ad Aquilegiam venit, et eam per triennium obsedit. Et cum victualia obsessoribus etiam in longinquo defecissent, militesque præ inedia contra eum murmurarent, coepit iterum obequitare vrbem, prospiciens qua parte impeteret eam, et dirumperet: viditque auem, quæ ciconia vocatur, pullum suum e summitate arcis rostro in propinquum arundinetum portare, sic consequenter et alium: et exclamans dixit, auem præsciam futurorum, nosse vrbem perditum iri, ideo fugere, et inualescens contra ciuitatem cepit eam, et more tyrannico omnes, quos in ea reperit, in ore gladii trucidauit. Eo tempore vrbs magnifica, et præpotens Venetiarum, ob metum Attilæ, extructa est. Progrediens autem ad Lombardiam Attila, crudeliter afflixit, et vastauit eam. Quumque ad Rauennam venisset, aduolauit Leo Papa, obnixe, et humiliter supplicans, vt a vastatione vrbis Romæ, et totius Italiæ supersederet, et cessaret, quod et fecit. Et dum pugnatores eius admirantes ad inuicem replicarent, quod Attila neminem timeret, nisi bina animalia, lupum, et leonem, de pontificibus, propter quos genti eorum pepercit, parabolam sumentes: respondit Attila: maturum virum clericali habitu indutum iuxta leonem cum gladio bis acuto stetisse, et vibrato gladio mortem ei comminasse, nisi pacem redderet, petitorem exaudiendo. Abscessit itaque, et in Pannoniam rediit. Celebransque nuptias cum vna pulcherrima virgine, multum vini hausit, et in nocte inter cubandum apoplexia suffocatus, centum et viginti quatuor annis ætatis expletis interiit, et sanguis per nares, et os ipsius fluxit. Illa nocte Marcianus imperator in Constantinopoli per somnium vidit Attilæ arcum fractum: arcubus enim gens Iuhrorum potissime vtebatur. Defuncto autem Attila, insurrexerunt inter Hungaros dissensiones, digladiationes, et strages, ita vt plures eorum occisi perirent, reliquos cum Chaba, filio Attilæ, rex Gepedarum, et alii, olim Attilæ subiecti, de Pannonia expulerunt, qui in Gothiam per paludes Mæotidas transierunt, tria vero millia ex eis inter eundum de Pannonia segregauerunt se ab eis, et in Transsyluania manserunt, et, ne a vicinis impeterentur, Siculos, in vulgari eorum Czakle, se nominauerunt. Qui autem trans Mæotidas, et mare Euxinum penetrauerunt, sæpenumero reminiscentes fertilitatis, abundantiæque panis, et vini ipsius Pannoniæ, suis posteris disserebant, et narrabant, vtque in Pannoniam redirent, hortabantur. Factumque est, vt post mortem Attilæ anno tricentesimo primo, recensitis pugnatoribus ducentis, et sedecim millibus, viam patrum eorum ingressi, iuxta paludes Mæotidis per Sarmatiam, in Pannoniam peruenerint, temporibus Constantini imperatoris quinti, et Zachariæ Papæ, videlicet anno Domini septingentesimo quadragesimo quarto. Primumque in Iazyges ascenderunt, et illic septem capitaneos elegerunt, vnicuique eorum, propter insultum inimicorum, triginta millia pugna-

Attila in Germaniam descendit, deinde in Italiam properat.

Attila Aquilegiam deuastat.

Leo papa Attilam precatur, ne Romam deuastaret.

Attila in Pannoniam redit.

Attilæ mors.

Chaba, filius Attilæ, ex Pannonia eiicitur.

pugnatorum consignantes: et vt melius ab hostibus tuerentur, septem castra, cuique capitaneo vnum assignando, rude et grosse de terra fecerunt, et erexerunt, a quibus septem castris in hanc diem septemcastrensis dicitur. Præter ea miserunt exploratum ire Pannoniam quendam e suis militibus *Cusid* appellatum. Is offenso, & reperto Rege Pannoniæ Swyatoplug nomine: (Slauus hic erat: nam & tota Pannonia terra Slauorum fuit, licet Romani eis capitaneos, & armigeros extraneos præficiebant,) ipsum nomine Iuhrorum aduenarum præsalutando, equum album cum sella, & freno deauratis obtulit, & parum terræ, aquæ, & herbæ ab eo postulauit: quod rex Swyatoplug concessit: æstimabat enim agricolas fore, tanquam hospites aliquidpiam terræ pro cultura exposcere: ideo subridens, ait: habeant, quantum volunt. Cusid ergo lagenam terræ, alteram aquæ Danubii, tertiam graminis reportauit, & quæ egit, suis exposuit. Iuhri cognoscentes Pannoniam terram feracem, & optimam esse, nomine primi præfecti Arpad nuncupati, Swyatoplug intimauerunt, vt peramplius in terra eorum, pro equo albo, sella, et freno deauratis empta, non maneret. Is fero intelligens bellum ei imminere, exercitum coadunabat. Iuhri autem festine accelerantes ad regem prope Danubium venerunt, & facta pugna Pannonios cum rege eorum profligauerunt. Rex quoque Swyatoplug a facie eorum fugiens in Danubium incidit, & aquis vehementibus absorptus periit. At Iuhri Slauos incolas Pannoniæ trucidarunt, terramque eorum in hanc horam possiderunt, Slauis vndique in finibus Pannoniæ remanentibus, & inhabitantibus. Accipe primo, quod Iuhri a Iuhra, regione Scythiæ, de qua oriundi exiuerunt, vocati sunt, & vsque in nostra tempora a Bohemis, Polonis, & Slauis, Iuhri appellantur, ab aliis autem Hugui, tandem & Hungari dicti sunt. Accipe secundo, quod idem linguagium, & loquela pronunciatioque acuta, sunt Iuhrorum in Hungaria, & illorum, qui in Scythia in Iuhra degunt. Verum Hungari in Pannonia Christicolæ sunt, & politiores, abundantioresque in omnibus. Iuhri autem in Scythia vsque adhuc idololatræ sunt, & agrestes. Accipe tertio, quod Iuhra septentrionalissima est absque altissimis & inaccessibilibus montibus, nec tantis, vt sunt alpes iuxta Italiam, neque sicut montes Sarmatici. Non recte ergo quidam historici tradiderunt, dicentes: Huguos exisse de prouincia eorum, de montibus maximis, & inaccessibilibus. Enim vero sunt montes in Iuhra cum densis siluis patentes, & bene permeabiles, quantitatis mediæ, & altitudinis, petrosi, & saxosi, quales sunt per totum septentrionem in fine terræ, iuxta oceanum septentrionis. Et scias, quod ex oceano septentrionis quidam pisces, idiomate Moscouitarum *Morss* nuncupati, in summitate montis, mari adiacentis, scandunt, & dentem fricando se in ascendendo appendunt, de culmine montis deorsum in partem alteram prolabuntur, & cadunt, quos Iuhri, & ceteri incolæ septentrionis capiunt, dentes eorum, qui ponderosissimæ sunt grauitatis, in Moschouiam mittunt, & post ad Turcos, & Tartaros, de quibus manubria, & tenacula ensium, framearum, & cultellorum faciunt, vt impetuosiores ictus grauitate adiuuante impellant. Accipe quarto, quod montes Riphæi, & Hyperborei non sunt in rerum natura, non in Scythia, non in Moschouia, nec vsquam locorum: & quum fere omnes Cosmographi asserant, Tanaim, Edel seu Volham, Dzwina, & magnos fluuios ex prædictis montibus effluere, confista conficte, & potius fabulosa inexperti scripsere. Fluit Tanais, Volha, & maxima flumina, ex Moschouia, de terra plana, coenosa, & nemorosa, nullis montibus obsita, prout de Moschouia, quum peruentum fuerit, dicam. Reuerendissime domine præsul, hic est baratrum profundissimum propter clarissimos scriptores, montes Riphæos & Hyperboreos ponentes. A quorum contradictione veritas ipsa me tueatur, & defendat, pro omnibus argutis rationibus experientiam rerum opponendo, vt, qui non credit, videat, et experiatur, quod ita

Iuhri parum terræ, aquæ & herbæ a rege Swyatoplug petunt.

Iuhri Pannonios profligant, & rex eorum Swyatoplug in Danubio perit.

Morss piscis.

De montibus Riphæis & Hiperboreis fabulosis.
Origo Tanais & Volhæ.

ita est, quemadmodum dixi. Accipe quinto, quod Iuhri, in Iuhra Scythiæ, non colunt, agros non seminant, non habent panem, vinum aut cereuisiam, degunt miserrime in siluis, et foueis subterraneis, piscibus vescendo, & ferarum, quarum copiam habent, & aquam bibunt, pellibus induuntur ex diuersis animalibus, in vnum consuendo, pellem lupi, cerui, vulpis, martis, &c. Misera ergo regio est sub polo arctico, vt dixit Hippocrates in lib. de regionibus, aëre, & aqua. Subiecti sunt duci Moschouiæ, & pendunt pro tributo pelles sabellorum, scismorum, & similium, quoniam aliis donatiuis carent. Accipe sexto, quod aliqui famosi cosmographi, & historici in illo angulo ad mare septentrionis temperatissimas regiones confinxerunt, in quibus propter temperiem, & auram placidissimam beate, & diutissime viuant, donec tædio affecti, de montibus sese in oceanum præcipitent. Hoc totum fabulosum est: qualis etenim beatitudo sit, non habere panem, merum, & cetera delectabilia? qualis temperies est, continuum frigus, quo illic est pati? In solstitio hiemali perpetuam, & continuam noctem sentire? In solstitio vero æstiuo, permanentes & parum tepentes soles videre? sed hæc omitto. Accipe septimo, quod in Iuhra, & locis septentrionis non effoditur aurum, argentum, nec aliæ mineræ. Nec correspondent fabulæ, quod illinc essent gryphes, & magnæ aues prohibentes fodere, & efferre aurum. Vnde secundum hoc dico, contrarium auctoribus antiquis, quod gryphes non sunt in rei veritate, in illa parte septentrionis, nec in aliis partibus orbis. Affertur autem ad nos auis quædam rapina viuens, quantitatis aquilæ, sed alis, & cauda prolixioribus, quam aquila, in similitudinem accipitris, & vocant eam Moschouitæ Krzeczot, nostri vero homines vocant ipsam Bialozor, quasi albicans splendor, quia subalba est secundum ventrem. Hanc omnes rapaces aues, accipitres, falcones, & ceteræ rapto viuentes in tantum metuunt, quod inspecta ea tremunt, & cadunt, & extinguuntur. Accipe octauo, quod in septentrione post Gothiam, Sueciam, Finlandiam, Iuhram, & post mare Caspium, non sunt monstrosi homines, scilicet monoculi, bicipites, canina capita habentes, &c. sunt nobis similes, rare, sparsim, & ab inuicem distantes, pauci numero habitantes, colore, vt frequenter, liuidi, propter frigus liuiditatem corporibus eorum imprimens. Hæc vera sunt, & qui scripsit, verum scripsit, & scimus, quia verum est testimonium eius.

Iuhrorum in Scythia misera vita.

Error Cosmographorum.

CAPVT XV.
De Turcis.

HActenus diximus de quibusdam nationibus ante aduentum Tartarorum, Sarmatiam Asianam, seu Scythiam, per tempora et tempora inhabitantibus, scilicet de Amazonibus, de Scythis, de Gothis, & Iuhris, seu Huguis. Consequenter dicemus de validis gentibus ex Tartaris Czahadaiensibus originaliter disseminatis, quales sunt Turci, Vlani, seu Tartari Precopenses, & Tartari Cosanenses: item Tartari Nohaienses. Et primo de Turcis pauca dicamus. Post aduentum Tartarorum ex oriente, in terram Gothorum, quam ipsi Czahadaienses vocant, anno quasi nonagesimo, quidam miles magni Cham, nomine Otumannus, fortis humilis, & fortuna tunc obscurus, viribus tamen corporis robustus, & audax, propter certas, vt ei videbatur iniurias, e Tartaris in quadraginta equis secedens, coepit occulte in Cappadocia montes, & aditus opportunos occupare, & ex opportunitate loci & temporis prædas agere: ad quem plurimi grassatores, vt fit in huiuscemodi genere hominum, confluxerunt, & coaluerunt vehementer, ita vt, quod prius occultis insidiis egit, palam et pari Marte tunc coeperit oppida, ciuitates, & gentes inuadere, & occupare. Et quia non reperit resistentes, ipse celer, manu audax, & dexteritate fortunatus, per terrores, comminationes, & per aliqua-

Otomannus a quo Turci imperatores Otumanni.

rum ciuitatum direptiones, occupauit, & possedit Cappadociam, Pontum, Bythiniam, Asiam minorem, Pamphiliam, & Ciliciam. Itaque ex ipsa familia Otumannorum, siue Turcorum, originem duxit, quia ab aquilone panditur omne malum super vniuersam terram. Quod autem Turci propago et soboles sint Tartarorum, identitas morum, loquelæ, & pugnandi demonstrat. Nam habitum, modumque equitandi, & curte insedendi, sagittis quoque, & arcubus pugnandi eundem habuerunt, & nunc vt plures habent cum Tartaris. Sermonem etiam & linguagium Tartarorum connatum habent: non differt loquela Tartarus, et Turcus, nisi modice, velut exemplariter diceretur, sicut Italus, & Hispanus, vel Polonus, & Bohemus. Otumanno ex humanis rapto, filius eius Archanes, secundus rex Turcorum, successit, audacia, & ambitione patri haud absimilis, sed disciplina rei familiaris longe peritior: quo factum est, vt dominium, & imperium a patre coeptum, suapte industria auxerit, & conseruauerit. Deinde tertius rex subsecutus est filius Archanis, nomine Ammurates, hic Græcis dissentientibus, & imperatore Trapesuntino, & Constantino, de imperio certantibus, in adiutorium per Trapesuntinum imperatorem pretio euocatus, & in Thraciam per Hellespontum traiectus, vafer & astutus euentum belli prorogauit, atque protraxit, donec Græcis, viribus & diuitiis, fractis, & eneruatis, occasione habita, in eos arma vertit, & Thraciam occupauit. Eo defuncto Pesaites quartus rex filius surrexit, qui rerum maximarum cupidus, Macedoniam, Thessaliam, Phocidem, Boeotiam, Atticam sui iuris effecit. Bulgarosque, et Illyricos assiduis excursionibus debilitauit, et suburbia egregiæ vrbis Constantinopolitanæ spoliauit, et ciuitatem obsidione atque fame in tantum excruciauit, vt imperator Constantinopolitanus In Italiam, et Galliam auxilia mendicaturus profectus sit. Sed Deo disponente, Temir Kutlu magnus Cham Tartarorum, quem historici Tamerlanem dixerunt, affligendo, et tanquam fulgur Asiam petranseundo, incidit in Pesaitem præparatum, et occurentem ei, quem profligauit, et captiuatum catenis aureis alligauit, et abduxit, breuique dimisit, qui paulo post obiit. Post hunc quintus rex Alpinus appellatus regnauit. Aduersus istum Sigismundus Hungariæ, et Bohemiæ rex ac Romanorum imperator copiosum duxit exercitum. Collatisque signis, tumultuose fusus castra reliquit, et paruo nauigio vix per Danubium turpem sibi inuenit salutem. Amplius sextus in ordine rex Turcorum Mahumetes tributa grauia imposuit, excursionibusque fines sui imperii dilatauit: præter ea sublato Mahumete morte, filius eius Ammurates secundus regnauit, hic Thessalonicam vrbem illustrem euertit, Cyprum, et Aetoliam subegit, Tribalos, Illyricos, et Hungaros vastauit: Vladislaum, Poloniæ et Hungariæ regem, in primis feliciter pugnantem, vltimo congressu ad lacum Varnensem, Ioanne Huniad cum Hungaris e prælio secedentibus, superauit, et misere cum suis occidit, elatusque victoria, Peloponnesum vi cepit, et muros Isthmi Corinthiaci funditus deiecit: vita denique functus, Mahumetem filium octauum regem reliquit, qui Constantinopolim anno M. CCCC. LIII. die vltimo Maii, post obsidionis quartum, et quinquagesimum diem, summa vi, et extrema oppugnatione cepit. Peram subinde, opulentissimum oppidum, per deditionem demolitis muris accepit, Bulgariaque, et Rascia potitus, Smyderow magnificum castrum Rasciæ, supra Danubium situm, adeptus est, et ex eo Dalmatiam, et Croatiam in solitudinem redegit, Stiriam quoque, et Austriam penetrauit. Deinde Nigropontum sub Venetis expugnauit, Theodosiam, nunc Caffam nuncupatam, in Taurica insula, Ianuensium coloniam, vna cum præfata insula expugnauit, et comprehendit, binosque principes de castro Mankup, (vt fertur) postremas Gothorum reliquias, gladio percussit, et Mendligeri imperatorem Tartarorum in predicta Chersonneso Taurica, sui iuris fecit: Moldauiam, et Valachiam vastauit, et cum Venetis sede-

cim

Turci originem ducunt e Tartaris.

Archanes.

Ammurates.

Pesaites.

Alpinus.

Mahumetes.

Ammurates secundus,

Mahumetes Constantinopolim capit.

cim annis continuis pugnauit, cum Husakassan, rege Persarum, similiter continuum bellum gessit, sæpe victus, nonnunquam et ipse victor fuit. Obiit prima die Maii, anno Domini millesimo, quadringentesimo, octuagesimo primo, in Constantinopoli sepultus. Pro ipso Turci Baissetum filium eius ad imperium assumpserunt. Zeliabus vero, minor natu filius Mahumeti, indignatus ad Soldanum Aegypti recurrens, & exercitum comparans, cum Baisseto infeliciter pugnauit, et ad Rhodienses fugit, quem magister ordinis Rhodiensis captiuum in Franciam misit, et postea Alexandro Papæ sexto obtulit. Ludouicus autem rex Galliarum ad Apuliam consequendam per Romam transiens, Zeliabum a Domino Papa per contractum accepit, et inter eundum, veneno, an fatigatione itineris, incertum est, extinxit. Expugnauit autem Baissetus nonus rex Turcorum, Ciliam, et Album castrum in Moldauia. Modon quoque insulam, et vrbem eiusdem nominis, sub Venetis, vi et obsidione conquisiuit. Cum Sophi rege Persarum sæpe pugnauit, et quasi semper succubuit. Dum autem senuisset, filius ipsius Selimbasseg, quem nostri homines Selembeg vocant, imperium sub eo arripuit, et Baissetus ad insulam, in qua nutritus erat, deductus breui occubuit. Decimus rex Turcorum Selembeg modernus surrepto imperio, fratres suos necauit, et extinxit: deinde minax Christianis, præcipue Pannoniæ, bellum inferre proposuit. DEVS autem omnipotens excelso suo iudicio aduersus eum Sophi, regem Persarum, concitauit, et aliquot præliis conflictum superare concessit. Postea Selinus, qui & Selemberg, Syriam expugnauit, & Aegyptum ingressus, Alkair maximam vrbem apprehendit, & Soldanum dominum Aegypti occidit. Tribus autem imperatoribus postremo dictis, Constantinopolis, sedes imperii, quondam secunda Roma dicta, domicilium assiduum factum est, ita vt a circumsitis incolis, præsertim a Slauis, non Bysantium, nec Constantinopolis, sed Czarow dom, id est, domus Cæsarum diceretur, & est Constantinopolis triquetræ figuræ, duobus angulis mari adiacens, tertio campos prospectans: eius ambitus decem et octo milliaria Italica continet, non habet grandia palatia, nisi thermas, & scholas philosophantium magnifice nouiter structas: templum vero sanctæ Sophiæ, hoc est, sapientiæ Dei, qui est Christus, vera sophia patris, egregie olim ædificatum, per Mahumetem imperatorem secundum Turcorum deiectum est, & stabulum ferarum factum. Roma vero Italiæ rotundæ figuræ, ambitu murorum triginta duo milliaria contines, fere duplo ambitu Constantinopolis excedens, et habet septem colles, et palatia prætiosa.

Baissetus.

Zeliabus captiuatur.

Selembeg.

Comparatio Constantinopolis cum Roma.

CAPVT XVI.

De familia Tartarorum Vlanorum, siue Precopensium.

Altera soboles, et genealogia, ex Tartaris Zauolhensibus deriuata, est Tartarorum Vlanorum, ab Vlano, inuasore insulæ Tauricæ cognominata. Vlan puella est, et virgo, et quia Vlanus de virgine, et puella genitus est, sine legitimo thoro, Vlanus nuncupatus est, suisque posteris in Chersoneso Taurica nomen indidit. Etiam virgines impræguari, et concipere absque viro apud Mahumetistas nullum miraculum est, quum apud ipsos hoc sæpius contingat, et prædicetur. Est autem Tauricana insula inter paludes Mæotidas, longitudinis viginti quatuor milliarium: latitudinis vero quindecim milliarium, habet tres ciuitates, Solat, Kirkel, Caffam: et duo castra, Mankup, et Azow. Solat Tartari appellant Chrim, et Cæsarem Precopensem, exinde Chrimensem imperatorem vocant: et ciuitas illa domus exiles habet, et est deserta pro maiori parte. Alia ciuitas minor est Kirkel, et supra eam in rupe alta est castrum ex lignis, et argilla factum. In hac rupe (vt fertur) draco commorabatur, et trucidabat homines, et iumenta, propter quem incolæ fugientes, habitationes propinquas vacuas reliquerunt, et

Quid sit Vlanus.

Descriptio Chersonesi Tauricæ.

Solat seu Chrim & Kirkel ciuitates.

quia Græci, et Itali insulam inhabitantes, gloriosam Dei genitricem Mariam precati sunt, vt eos a dracone liberaret, viderunt successu temporis candelam ardentem intra rupem: inciderunt ergo, et secuerunt gradus ascendendi in rupe: et peruenientes ad candelam ardentem, imaginem sanctissimæ Mariæ conspexerunt, coram qua lumen arsit, draconemque desubtus per medium ruptum iacentem. Egerunt itaque gratias de tam miranda liberatione, et draconem, in frusta sectum, proiecerunt extra rupem, et quia incolæ glorificantes beatam virginem ad imaginem eius ascendebant veneratum, Acigeri, Cæsar Precopensis, contra fratres suos pugnans, exemplo eorum motus, supplicauit beatæ virgini Mariæ, vt eum adiuuaret, votum vouens, quod virginem benedictam remuneraret. Nam Mahumetici venerantur beatam Mariam, profitentes eam virginem absque thoro virili, magnum prophetam Iesum benedictum concepisse, et peperisse. Quumque adiutus superaret suos æmulos, binos equos, quos habuit meliores, vendidit, et exinde cera empta, maxima duo lumina, siue candelas fecit, et ante imaginem coram ardere quotannis iussit, quod in hanc vsque diem per subsequentes imperatores continuatur. Tertia ciuitas est vrbs Theodosia, nunc Caffa dicta, quam expugnauit sub Ianuensibus Mahumetes secundus, imperator Turcorum: castrum vero Mankup, quod est versus occasum a Caffa, præfatus Turcus Mahumetes vi accipiens, binos fratres principes, et dominos castri Mankup, vt dicitur, reliquias vltimas Gothorum, gladio occidit. Azow quoque castrum circa ostia fluuii Tanais situm incastellauit, et Turci vsque nunc tenent. Tartari vero Vlani ab ingressu insulæ in campestribus eius, vt est innata consuetudo Tartarorum, degunt, et extra insulam iidem campestria Sarmatiæ Europianæ iuxta paludes Mæotidas ad mare Ponti vsque ad Album castrum occupando possident. Ingressumque in insulam, seu introitum, ad occasum solis fecerunt aggerem de terra longitudinis vnius milliaris, in modum pontis sternentes, rudem tamen, et semiplenum, ita vt aquæ maris in aliquibus locis aggerem pertranseant. Insula ergo antiquitus Taurica dicebatur, nunc vero Przekop, quod sonat fossatum, quoniam aquæ circumdederunt eam, et protegunt, tanquam fossata aquis plena, ciuitates: sed hæc hactenus. Videamus deinceps genealogiam. Post Vlanum in Taurica regnauit Tachtamis Czar, qui vna cum Vitoldo duce Lithuaniæ, contra fratrem suum Temir Kutlu Czar imperatorem Zauolhensem pugauit, et superatus est. Ex Tachtamis Czar filius eius Szydachmet Czar regnare voluit: sed Adzikerei Czar expulit eum, et ipsemet pro eo regnauit. Szydachmet autem pro auxilio in Lithuaniam perrexit, et captiuatus per Lithuanos cum vxore, et filiis, in castro Kowno incarceratus est, ibi cum coniuge, et filiis mortuus in diebus Casimiri tertii Regis Poloniæ, et magni ducis Lithuaniæ. Defuncto Adzikerei Czar, quia septem filios reliquerat, senior filius Haider nominatus obtinuit imperium. Mendligeri vero vnus ex præfatis filiis ad imperatorem Turcorum confugit, et accepto subsidio, et vxore a Turco, dispersit et eiecit Haider, et Iamurci cum aliis fratribus. Hi ad Iwan Vasilowicz Moschouiæ ducem fugerunt, qui suscepit eos, et ducatum Cosanensem eis donauit. Ex Mendligeri Czar nouem filii nati sunt, primus Machmet Kerei, alter Achmet Kerei, tertius Machmet Kerei, quartus Bethi Kerei, et est submersus, dum prædam ageret per fluuium in Valachia, anno Domini M. D. X. Quintus Burnas Kerei, sextus Mubarek Kerei, septimus Sadech Kerei, octaui, et noni nomina non teneo. Nunc pro patre suo regnat Machmet Kerei Czar. Et scias quod, licet Tartari Precopenses magis ciuiles, mitioresque ratione auræ sexti climatis, quod inhabitant, deberent esse, tamen non deseruerunt priscam suam lupinam rapacitatem, et ferinam crudelitatem, sicut bestiales, qui campos, et siluas inhabitant, et non ciuitates, nec villas. Inuadunt enim singulis annis, vastant, et deprædantur Russiam, Lithuaniam, Valachiam, Poloniam, & quandoque Moschouiam.

Theodosia nunc Caffa.

Azow.

Insula Taurica, nunc Przekop.

Mendligeri filii.

CAPVT

CAPVT XVII.

De Tartaris Kosanensibus, & Tartaris Nohaiensibus.

Tertia horda Tartarorum Kosanensium nuncupata est sic, a castro Kosan supra flumen Volhæ circa metas Moschouiæ situm, penes quod commorantur. Et exiuerunt de principali horda omnium Tartarorum, videlicet de Tartaris Czahadaiensibus siue Zauolhensibus, sicut et ceteri Tartari omnes. Habet autem prædicta Cosanensis horda quasi duodecim millia pugnatorum: in necessitate autem, quando aduocant alios Tartaros, ad triginta millia bellatorum constituunt. Istorum principes, et facta eorum, genealogiaque non scribuntur, quoniam homagiales sunt ducis Moschouiæ, et pendent ex arbitrio eius in viuendo, in bellando, & duces sibi eligendo: Idcirco quod de Moschorum principe dicetur, de ipsis poterit accipi, et adaptari. Quarta horda recens, et noua, vltimo ex Tartaris Zauolhensibus orta, est Occasorum, siue Tartarorum Nohaiensium. Nam postquam Occass insignis seruus, et miles magni Cham, habens triginta filios, occisus est, filii secesserunt a capitali horda Zauolhensium, et iuxta castrum Sarai degere coeperunt, ante hunc annum Christi, millesimum, quingentesimum, decimum septimum, circiter septuaginta annos, vel paulo minus, subitoque in immensum creuerunt, in tantum, vt hac tempestate numerosissima, et maxima surrexerit horda ipsorum. Isti sunt septentrionaliores, et frigidiores omnium Tartarorum, Moschouiæ a parte orientali adiacentes, et sæpenumero eam inuadentes atque spoliantes. Dominantur inter eos filii, et nepotes Occass. Non habent pecuniam, nec monetam, sed res pro rebus vendunt, puta pro seruis, pro filiis, pro pecoribus, et iumentis.

MATTHIÆ A MIECHOW DE SARMATIA EVROPEA

LIBER II.

CAPVT I.

De Russia, de tractibus eius, de abundantia & contentis in ea.

Postquam diximus de Sarmatia Asiæ, quæ Scythia vocitatur, restat dicere de Sarmatia Europea, et in ea primum occurrit Russia, olim Roxolania dicta. Latus eius orientale adiacet flumini Tanai, & paludibus Mæotidis, secernentibus Asiam ab Europa. Priscis autim sæculis Alani habitarunt ad flumen Tanais: deinde iuxta illos ad meridiem Roxolani. Hæ autem gentes in toto deletæ perierunt, campique latissime patentes spectantur deserti, solis feris, et Cosacis, seu prædonibus peruii, prout supra dictum est. Post hos supersunt reliquiæ Circassorum versus meridiem, et sunt gentes ferocissimæ, et bellicosissimæ, genere, et lingua Ruteni. Deinde est castrum Oczarcow nuncupatum, quod imperator Tartarorum Precopensium extruxit, in dominio Lithuanorum, et post, quasi duobus milliariis ab Oczarçow in meridiem sequitur, Dzassow, et fuit castrum, quod ante tempora nostra demolitum est. A Dzassow in Byaligrod, quod Turci occuparunt, sunt sex milliaria. Sequitur Podolia ad occasum, Moldauiæ & Valachiæ contermina ad meridiem: ad

Fertilitas terræ.

orientem vero campis Tartarorum, & Tauricæ insulæ. Hæc est terrarum fertilissima, Cererisque, & mellis feracissima. Nam agro rude culto, & parum inuerso atque exarato, frumentoque superseminato, tribus annis sponte frumentum germinat, ita tamen, quod colligendo tempore messis segetem, aliquidpiam granorum permittatur, in terram decidere, ad surgendum ex eis frumentum in anno sequenti, sine cultura, & sine agri aratura. Gramen quoque, & pascua tam cito ac vberrime fundit, & prodit, vt perticam in tribus diebus supercrescendo contegat, & aratrum in locis graminosis derelictum in paulo pluribus diebus, graminibus sepiat, & cooperiat. Examina vero apum non solum in mellificiis, & arboribus cauatis mellificant, verum in ripis, & terra sponte mella reponunt. Contingitque sæpe numero, vt examina apum superuenientia, & priores apes exterminantia, ruricolæ aduolantia agmina apum trucident, aut in aquis mergant, vt quæ præfuerunt, hæreditarie mellificarent, & manerent. Postea ad montes Sarmaticos habitat genus Rutenorum, quibus præsident nobiles Polonorum. In Kolomia, in Zydazow, in Sniatin, in Rohatin, in Busco, &c. Sub eisdem montibus sunt tractus Haliciensis, olim Gallicia dictus, & Premisliensis, et inter montes Sarmaticos tractus Sanocensis. In medium Russiæ tendendo, est Leopoliensis terra, et vrbs in ea bene munita eodem nomine nuncupata: habens duo castra, superum, & inferum, & est metropolis Russiæ. In septentrionem sunt tractus Chelmensis, Luceoriensis & Belzensis, terraque in medio iacens. Clauditur autem Russia a meridie Sarmaticis montibus, et flumine Tyras, quem incolæ Niestr appellant. Ab oriente finitur Tanai, & Mæotidibus, Tauricaque insula. A septentrione Lithuania, ab occasu vero Polonia. Ex Moschouia autem aduenit Borysthenes, ab incolis Dniepr nuncupatus, famosus fluuius, per Lithuaniam, & Russiam currens, & sub Smolensco, & sub Kiow labens, in hunc ab occasu circa Chmielnik oppidum consurgens, Bog non exiguus fluuius illabitur: & quum emensus esset Borysthenes, quasi trecenta milliaria Germanica, in mare Ponti cadit. Amplius terra Russiæ quum sit fertilis, abundat melle, et medone, potu ex melle facto, adducitur et vinum ex Pannonia, et vinum ex Moldauia atque Valachia, quibus adiacet: sed et vinum ex Græcia, et est forte: etiam cereuisiam ad nutum habet. Abundat equis, bobus, et ouium gregibus, abundat cera in maxima copia, abundat pellibus martium, scismorum, vulpium, et boum. Abundat fluminibus, quibus irrigatur, et aquis piscosis, ita vt, vbi aqua inuenitur, et pisces in ipsa reperiantur: non impiscantur stagna, et piscinæ Russorum, sed vbicunque aquæ reperiuntur, illic et pisces de rore cæli (vt aiunt) demittuntur, absque hominum cura, et impiscatione: suntque in tractu Leopoliensi lucii magni, et laudabiles, et in partes tanquam in laminas diuisibiles. Abundat Russia calamo aromatico in terris versus Tanaim, et paludes Mæotidas. Item rhapontico in eisdem terris, et in Lithuania, sic et pluribus herbis, ac radicibus alibi non visis. Abundat tota terra Russiæ granis tinctorum, quæ copiosissime excrescunt: et quum priscis temporibus ad Genuam, et Florentiam, vrbes Italicas, importarentur, nunc vix aliquid de eisdem colligitur, fereque in toto frustrata, et non collecta pereunt. In tractu Chelmensi rami pini arboris defecti, et in terra iacentes, in anno aut in duobus in saxa, et silices vertuntur: estque ibi creta, seu terra alba, in copia, quæ ad nos ducitur. Est et sal, quod in lacu Kaczibeio temporibus siccis colligitur, et quia prope est Oczarkow castrum Tartarorum, intercipiuntur, et captiuantur interdum per Tartaros ductores salis vna cum plaustris ducentis, quandoque et trecentis. In terra quoque Premisliensi, et in Drohobicz sal coctum, et in bolos ac portiones collectum reponitur. Præter ea in Russia sunt plures sectæ: est enim religio Christiana, Romano pontifici subiecta, et illa regit, et præualet, quanquam sit exigua numero. Est altera secta Ruthenorum amplior, quæ ritum

Mellificia.

Ruteni sub potestate Polonorum.

Leopolis.

Tyras seu Niestr.

Fertilitas Russiæ.

Ligna lapidescentia.

Sal in lacu Kaczibeio.

tum Græcorum insectatur, totam Russiam adimplens. Est tertia secta Iudæorum non vsurariorum, velut fit in terris Christianorum, sed laboratorum, agricolaum, et magnorum mercatorum, præsidentque, vt sæpe teloneis, et exactionibus publicis. Est quarta secta Armenorum, præcipue in ciuitate Camenecensi, et Leopoliensi. Hi sunt mercatores peritissimi, ad Caffam, Constantinopolim, ad Alexandriam Aegypti, ad Alkairam, et partes Indiæ penetrantes, et merces afferentes. Ruteni habitu, et ecclesiasticis officiis Græcos insequuntur, habentque proprias litteras, et abecedarium, instar et proximum Græcis. Hebræi similiter Hebræorum litteris vtuntur, et disciplinis, verum etiam artes liberales, Astronomiam, et medicinam perscrutantur. Armeni suo ritu gaudent, et litteris. Inter sanctos colunt plus Thaddæum apostolum, asserentes, quod eos conuerterit, et fidem Christi docuerit. Deinde et Bartholomæum sanctum Dei apostolum venerantur, per quem multos articulos, vt asserunt, de fide acceperunt: habent magnifica, et plurimum decora ecclesiastica apparamenta, planetas, et ornatus non scissos, sed omniquaque rotundos, libros, calices, et ceteram Christianorum veteranorum splendidam suppellectilem. Quod autem ad spirituales præsides, et pastores Christianorum, archipræsul est Leopoliensis, metropolitanus Russorum, et Lithuanorum, habens sub sua ditione Kiowiensem, Camenecensem, Præmisliensem, Chelmensem, Luceriensem, et Mednicensem episcopos. Rutenorum metropolitanus est Kiowiensis, quæ olim metropolis Russiæ fuit: habet subiectos Vladicas, et episcopos de ritu Græco in Moldauia, et Valachia vsque ad flumen Histri, seu Danubii, vnum in Russia Chelmensem, alterum in dominio Lithuanorum Vladimiriensem, siue Brestensem, tertium Pinsci seu Mrowsci, quartum Polocensem, quintum Lucensem, sextum Smolnensem, et passim omnes alios Vladicas ac episcopos in terris Moschorum, et in septentrionem sub iurisdictione Moschorum protensorum. Isidorus, metropolitanus olim Kiouiensium, lingua et doctrina Græcus peritissimus, tempore Eugenii Papæ quarti ad concilium Florentinum, in centum equis iuerat, et vnione ecclesiæ Romanæ percepta, in Russiam redierat: hunc Moschouitæ obedientiam Romanam eis prædicantem spoliauerunt, et in necem extremam impulerunt. Sequuntur Ruteni doctores et theologos Græcorum, præcipue Basilium magnum, Gregorium Nazianzenum, et Ioannem Chrysostomum. Gregorium Nazian enum eorum sermone Bogoslaw nuncupant, quod in Latino sonat, laudans deum. Acceptant, et nostrum sanctum Gregorium Papam Romanum, præcipue in libris moralium, quem translatum legunt, et lingua eorum Biesiednik, quod valet concionantem, persuadentem, vel prædicantem, vocant. In ecclesiis Rutenorum lingua Seruiorum, quæ est Slauonica, diuina celebrant, legunt, et cantant, in ecclesiis Armenorum, Armeno sermone, in synagogis Iudæorum lingua Hebræa orant. Christiani autem, ritu Romano, Latino sermone cantant, orant, et legunt. Et scias quod in fluminibus Russiæ, et Lithuaniæ, præcipue in Boristhene, et Bog, qui dicitur Hypanis, tempore æstatis multiplicantur ephimeræ, et sunt vermes, et volatilia alata, quaternis, interdum senis alis oriuntur, et generantur mane, currunt super aquas, et volant super ripas circa meridiem: in occasu autem solis extinguuntur. De his loquitur Aristoteles primo de historiis animalium, et in problematibus, et medici de febre ephimera.

Russitarum religio. Mercatores Armeni. Ritus Armenorum. Rutenorum metropolitanus. Isidorus. Ritus Rutenorum. Ephimeræ.

CAPVT II.
De Lithuania, & Samagithia.

MAgnus ducatus Lithuaniæ est regio latissima, in ea sunt plures duces Lithuaniæ, et Russiæ: vnus autem præses, et monarcha, cui ceteri omnes subsunt, magnus dux Lithuaniæ vulgo nuncupatus. Aiunt autem vetustiores, et antiquitatum relatores, quod quidam Italici propter Romanorum dissensiones de-

ferentes Italiam ingressi sunt terras Lithuaniæ, et nomen patriæ, Italia, genti vero Itali indiderunt: quæ per posteros terra Litalia, et gens Litali, littera præposita, coepit nuncupari. Ruteni autem, et Poloni, eorum vicini, maiorem immutationem facientes, vsque in hodiernam diem terram Lithuaniam, gentes vero Lithuanos appellant. Hi primum condiderunt oppidum Vilno, eleuationis poli quinquaginta septem graduum, et ex nomine ducis Vilii, quo cum illas regiones ingressi sunt, Vilno vocauerunt, fluminibus quoque circa ipsum fluentibus Vilia, et Vilna, ex eiusdem ducis nomine, indiderunt nomina. Samagithiam autem de suo sermone sic nominarunt, quod lingua eorum, terra inferior sonat. Aliqui autem ignari historiæ, a lituo, quod est cornu, et tuba venatorum, eo quod regio illa plures venationes exerceat, Lithuaniam appellari voluerunt, quod ad effectum, non ad historiæ originem spectat. Hæc gens Lithuanorum annis superioribus adeo obscura, contempta, et vilis apud Rutenos fuit, vt principes Kiouienses ab ea sola perizomata, et subera ob egestatem, et soli natiui sterilitatem in signum tantummodo subiectionis exigerent: donec Vithenen, dux Lithuanorum, rebellionem primam contra Rutenos inducens, et seipsum ducem inter populares constituens, astu principes Russiæ aggressus conflixit, sensimque adeo creuit viribus, vt iugo principibus Russiæ iniecto, etiam in tributa eos redigeret sibi pendenda, quæ per plures ætates Rutenis ipse penderat. Posterique Vithenen succedentes furtiuis, lupinis, et subitis incursionibus finitimas gentes Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, et Poloniæ inuadebant, et diripiebant: donec fratres cruciferi Teuthonici ordinis beatæ Mariæ per Conradum ducem Masouiæ aduocati, & in auxilium assumpti, Prussia vi, & continuis armis conquisita, Samagithas, & Lithuanos aggressi, debellare, et opprimere pluribus oppugnationibus coeperunt, tamdiu, donec ad Olgerdum, & Keystutum duces Lithuaniæ successiue peruenerunt. Fuit autem Olgerdus magnus dux Lithuaniæ, cuius filius erat Iagiello, postea baptizatus, & Vladislaus nominatus, in regem Poloniæ coronatus. Frater autem ipsius Olgerdi fuit Keystut, maximus expugnator, & persequutor Christianorum, qui inter pugnandum cum cruciferis Teuthonicis in Prussia ter captus, terque astu, & mira euasione contra voluntatem cruciferorum liberatus e vinculis fugerat. Huius Keystut filius fuerat Vitawdus, seu Vitoldus, mactæ virtutis princeps: Iagello autem, qui postea, & Vladislaus, sub treugis pacis captiuando Keystut, & filium eius Vitawdum, Keystut in carcere occidit: Vitawdum vero in vincula coniecit. Tandem a cruciferis, & Christianorum exercitibus sæpenumero Iagello pressus, deo miserante ad Polonos declinauit, fideque Christiana cum fratribus suis, quos octo in numero habuit, vnda baptismatis ablutus, & in Regem Poloniæ coronatus, Heduigim, filiam Ludouici, Hungariæ & Poloniæ regis, illustrissimam, ac speciosissimam in consortem accepit, anno Christi millesimo tricentesimo, octuagesimo sexto, die Iouis, quarta decima mensis Februarii, quæ fuit sancti Valentini. Cœpitque præfatus rex Vladislans secundum promissa vigilare, & instare, vt gentem Lithuanicam a tenebris erroris ac idololatria expurgaret, assumptis quoque secum, Bodzanta archiepiscopo Gnezn ensi, & pluribus viris ecclesiasticis atque religiosis, item regina Heduigi, Semouito, et Ioanne Masouiæ, Conrado Olesnicensi ducibus, et complurimis baronibus, anno Domini millesimo, trecentesimo, octuagesimo septimo, in Lithuaniam intrauit, & baptisma suscipere Lithuanos procurauit. Colebant autem ab origine Lithuani numina, ignem, siluas, aspides, & serpentes: ignem, qui per sacerdotem lingua eorum zincz nuncupatum, subiectis lignis adolebatur: siluas autem, et lucos sacrosanctos, & habitacula deorum putabant: aspides vero atque serpentes in singulis domibus, velut deos penates, nutriebant, & venerabantur. Rex itaque Vladislaus ignem sacrum putatum in ciuitate Vilnensi, barbaris inspecta-

Itali veniunt in Lithuaniam.

Vilna a duce Vilio conditur.

Vithenen dux Lithuanorum Russiæ principes sibi subiicit.

Olgerdus magnus dux Lithuaniæ, pater Iagiellonis.

Keystut pater Vitoldi, in carcere a Iagiellone occiditur.

Lithuani fidem Christianam suscipiunt.

ſpectantibus, extingui, templum, & aram in quibus fiebat hoſtiarum immolatio, dirumpi, ſiluas vero ſuccidi, & confringi, ſerpentes quoque necari præcepit, barbaris flentibus deorum ſuorum falſorum exterminium, contra regem autem nec muſſitare audentibus, mirantibus quoque, quod Poloni ſacrorum violatores ignis ſiluarum & ſerpentum intacti, illæſique a diis eorum, ſecus quam ipſimet quoties violabant, fuerunt. Exterminatis itaque idolis, gens Lithuanorum per aliquot dies de articulis fidei, & oratione dominica per ſacerdotes Polonos, magis tamen per regem Vladislaum, qui linguam gentis nouerat, edocebatur, & ſacra baptiſmatis vnda renaſcebatur: largiente pio rege Vladislao ſingulis ex popularium numero poſt ſuſceptum baptiſma, ex panno, de Polonia adducto, nouas veſtes: qua prouida liberalitate effecit, vt natio illa rudis, & pannoſa, lineis in eam diem contenta, fama huiusmodi liberalitatis vulgata, pro conſequendis laneis, cateruatim ad ſuſcipiendum baptiſma ex omni regione accurreret: & quoniam labor erat immenſus vnumquemque credentium baptizare ſingillatim, mandante rege multitudo ſequeſtrabatur in turmas, & cuneos, & vniuerſis de qualibet turmarum benedicta aqua ſufficienter conſperſis, cuilibet turmæ, & vniuerſis, qui in ea conſtiterant, nomen vſitatum Petrus, ſecundæ Paulus, tertiæ Ioannes, &c. feminis per turmas diuiſis, Catherina, Margareta, &c. iuxta numerum turmarum imponebatur, militaribus tamen ſpecialis impendebatur baptiſmus. Fundauit inſuper rex Vladislaus in Vilna eccleſiam cathedralem, ſub titulo ſancti Stanislai patroni Polonorum, principalemque aram in loco, vbi ignis, qui falſo perpetuus credebatur, conſtituit, vt error gentilis fieret cunctis patentior. Conſtituit etiam in eadem eccleſia Vilnenſi epiſcopum virum ſpectatæ virtutis, Andream Vaſilo, natione Polonum, genere nobilem, de domo accipitrum, profeſſione fratrem ordinis minorum, olim Elizabethæ reginæ Hungariæ confeſſorem, et prædicatorem inſignem, epiſcopum Cretenſem. Eodem quoque Vladislao rege inſtante, Samagithia fidem Chriſti, & baptiſma ſuſcepit. Ad cognoſcendam autem naturam prouinciæ, & gentis illius, animaduerte, quod regio Samagithia eſt ſeptentrionalis, & gelida, Lithuaniæ, Liuoniæ, & Pruſſiæ conterminа, ſiluis, collibus, & fluminibus circumſepta, in hos tractus diſtincta, ſcilicet, Iragola, Miedniki, Chroſſe, Roſena, Viduki, Vielunia, Kelthini, Czethra. Gentes regionis proceræ, & altæ ſtaturæ, agreſtes, & incultæ, pauco & caſtigato victu viuentes, ſitim aqua ſedare ſolitæ, raro cereuiſia, aut medone: auri, argenti, æris, ferri, vini, illa tempeſtate expertes, & ignaræ: apud quos licitum erat vni viro plures habere vxores, & patre mortuo nouercam, fratreque, glorem in vxorem accipere. Nullus illic ædificiorum nobilium, ſed tantummodo tugurii vnius vſus: ventrem diſtentum & porrectum: extrema vero habens coarctata, ex ligno, & culmo ſtructura, largius ab imo ſenſim operis incremento ædificium in arctius cogitur, in carinæ, ſeu galeæ maximæ ſimilitudinem elaborata, in cacumine feneſtra vna ſuperne lumen reddens, ſubter quam focus, & cibos parabiles coquens, & frigus, quo regio pro maiori anni parte conſtricta eſt, repellens. In ea domo ſe, vxores, pignora, ſeruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem ſupellectilem condunt: gens ad diuinationes, & auguria procliuis. Præcipuum numen Samagithicum erat ignis, quem ſacroſanctum, & perpetuum putabant, qui in montis altiſſimi iugo ſuper fluuium Newiaſza ſito, aſſidua lignorum appoſitione, a ſacrorum ſacerdote alebatur. Accedens itaque Vladislaus rex turrim, in qua conſiſtebat, incendit, & ignem diſiecit, & extinxit. Succidit deinde per milites ſuos Polonicos ſiluas, quas non ſecus, quam ſanctas, & deorum habitacula Samagitæ (iuxta illud poëticum: habitarunt dii quoque ſiluas) venerabantur, in eam caliginem mentis prolapſi, quod & ſiluæ præfatæ, & aues, færæque in illis conſiſtentes, ſanctæ forent, & quicquid in illas ingrederetur, vt ſanctum deberet cenſeri, violanti quoque nemus, feras, vel alites, manus aut pedes, dæmonum arte,

Lithuani baptiſantur turmatim.

Iagello eccleſiam cathedralem Vilnæ fundat.

Samagithia ſeu Samagitia religionem Chriſtianam ſuſcepit.

Vladislaus rex ipſe ignem ſacrum extinguit

curuabantur. Maxima itaque barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites nemus ritu eorum ſanctum excidentes, nulla læſio, qualem ipſi in ſe frequentius experti erant, ſequeretur. Habebant præter ea in ſiluis præfatis focos, in familias, & domos diſtinctos, in quibus omnibus charorum, & familiarium cadauera cum equis, ſellis, et veſtimentis potioribus incendebant. Locabant etiam ad focos huiuſmodi ex ſubere facta ſedilia, in quibus eſcas ex paſta in caſei modum præparatas deponebant, medonemque focis infundebant, ea credulitate illuſi, quod mortuorum ſuorum animæ, quorum illic combuſta fuerant corpora, nocte venirent, eſcaque ſe exſatiarent. Inſuper prima Octobris die, maxima per Samagittas in ſiluis præfatis celebritas agebatur, et ex omni regione vniuerſus vtriuſque ſexus conueniens illuc populus, cibos, et potus quilibet iuxta ſuæ conditionis qualificationem deferebat, quibus aliquot diebus epulati diis ſuis falſis præcipue Deo, lingua eorum appellato Perkuno, id eſt, tonitru, ad focos quisque ſuos offerebat libamina. Rex itaque Vladislaus primum eos pater noſter, deinde ſymbolum docuit, quoniam nullus ſacerdotum linguam Samagitricam nouerat, et vnda baptiſmatis ablui iuſſit. Vnus autem ex maioribus Samagittarum pro omnibus reſpondit: Ex quo, inquit, sereniſſime Rex, dii noſtri veluti inertes, et languidi a Deo Polonorum deleti ſunt, deos noſtros, ſacra eorum deſcrimus, et Deo tuo atque Polonorum fortiori adhæremus: ſicque baptiſati ſunt. Rex autem in Miednicki cathedralem eccefiam ſub honore, et titulo ſanctorum martyrum Alexandri Theodori, et Euantii, in aliis autem locis eccleſias parochiales fundauit, et illis dotem ſufficientem conſignauit, et inſcripſit. Mednicenſis eccleſiæ primus epiſcopus Matthias origine Almanus, in Vilna tamen natus, eo quod linguam Lithuanicam, et Samagitticam norat, præfectus eſt, et conſecratus. Contigit autem in prima plantatione, dum Samagittæ per magiſtrum Nicolaum Vezik, fratrem ordinis prædicatorum regium prædicatorem per interpretem inſtruerentur de fide, creatione mundi, et lapſu primi hominis Adæ, vnus Samagittarum ſufferre ſermonem prædicantis non valens, in hæc verba prorumpit: Mentitur, inquit, illuſtriſſime Rex, iſte ſacerdos, aſſerit mundum creatum eſſe, quum ſit homo non longæuæ ætatis: ſunt etenim inter nos plures annorum numero ſeniores eo, centenarium ſupergreſſi, qui creationem nullam recordantur: ſed ſolem, et lunam, ceteraque ſydera ſemper eisdem motibus luxiſſe, referunt. Rex autem Vladislaus iubens eum ſilere, declarauit, magiſtrum Vezik creationem mundi non aſſeruiſſe, in diebus ſuis incepiſſe, ſed longe ante, puta ante ſex millia annorum, et paulo plus, ordinatione diuina prouenisſe. Contulit autem rex Vladislaus magnum ducatum Lithuaniæ, et Samagitthiæ Alexandro Vitoldo fratri ſuo patrueli: is quia acer, et animoſus erat pugnando, adiecit Lithuaniæ ducatum Pſkow, quem Pleſcouiam appellant. Deinde alterum ducatum Nouogrodienſem, qui Nugardia agnominatur. Tertium ducatum Smolnenſem ſuo dominio appoſuit. Factaque in circuitu pace, in orientem penetrauit, et incidens in hordam Tartarorum, multitudinem eorum in Lithuaniam appulit, ac in certo territorio Lithuaniæ locauit, vſque in hac diem permanentem. Congeſtoque fortiori exercitu, iterum in Tartariam perexit, et ſuperatis fluminibus, in planitiem diffuſe porrectam circa flumen Vorſkla, quarta decima die Auguſti peruenit. Ibi occurrente ei imperatore Zauolhenſi Temir Kutlu, quem ſcriptores Tamerlanem nuncupant, cum infinita ac innumerabili Tartarorum multitudine, de treugis, et pace vtrinque tractabant: concordia tamen nequaquam a Tartaris accepiabatur. Vitoldus igitur a ſuis perſuaſus cum cuſtodibus corporis ſui retrorſum abiit, et in Lithuaniam ſugitiue rediit: exercitus vero ipſius ab infinita multitudine Tartarorum obrutus, in toto deletus eſt. Præter ea Sigiſmundus rex Romanorum iaciendo inter Vitoldum, et Vladislaum, fratrem eius regem Poloniæ, fomitem diſcordiarum, coronam

Mortuorum parentationes.

Primus Mednicenſis epiſcopus Matthias natione Germanus.

Vladislaus cedit Lithuaniam & Samogitiam Vitoldo, fratri patrueli.

Exercitus Vitoldi a Tartaris deletur.

ronam Vitoldo promisit, et in regem Lithuanorum sublimari persuasit: verum quum afferretur cornna per loca tutiora Marchiæ, et Prussiæ, nobiles maioris Poloniæ sese opposuerunt, et cum exploratoribus in custodia permanendo, in loco, qui Turzagora vocatur, legatos imperatoris Romanorum opperiebantur.

Imperator mittit Vitoldo coronam.

Illi vero rem infectam cognoscentes, terrore perculsi retrocesserunt. Vitoldus autem de hoc certior factus præ tristitia, ab anthrace inter scapulos orto, vitam cum principatu finiuit, anno Domini millesimo, quadringentesimo, trigesimo. Post mortem Vitoldi Vladislaus Iagello rex Poloniæ, Switrigellum fratrem suum, in ducem Lithuaniæ, annulo suo inuestiuit, et substituit: qui immemor beneficii, contra Vladislaum Iagellonem tumultuauit, et bella gessit, propter quod rex Vladislaus Principi Sigismundo de Starodup suggessit, commisitque, vt ducatum Lithuaniæ sub Switrigello surriperet. Apparente igitur comete exili supra illum ducatum, dux Sigismundus de Starodup Switrigellum expulit, et ducatum magnum Lithaniæ possedit. Hunc Sigismundum, Iwan dux Czartoriensis, genere, et secta Rutenus, post aliquot dies occidit. Ingrediebatur siquidem ex consuetudine vrsa ad tabernaculum ducis Sigismundi. Ruteni itaque, more vrsæ ostium tabernaculi fricabant, et mouebant: quo audito dux Sigismundus vrsam aduenisse putando, ostia aperuit, & a Rutenis vulneribus concisus occubuit. Aeneas de Picolomini scripsit, non hunc Sigismundum, sed Vitoldum, sicut præmissum est, per suos in forma vrsæ delusum, fuisse interfectum. Sed insciis relatoribus credidit, & erronee scripsit, quemadmodum simili errore ductus, plurima de Lithuanis, plurima & de Polonis conficta litteris tradidit. Posterique historiographi errantem erronee sequentes, ipsius Aeneæ absurditates & loca, atque mores illarum nationum, nunquam visa, aliter quam fuerunt, & quam sunt, tanquam vere litteris demandare non erubuerunt: quum experientia præteritorum atque præsentium ipsum & ipsos inexpertos, & aliter, quam res habeat, scribentes, redarguat. Successit duci Sigismundo de Starodup, Casimirus, Vladislai Iagellonis tertius natus, in magno ducatu Lithuaniæ, quem fere quinquaginta annis gubernauit, sub cuius extremis & vltimis annis, Iwan dux Moschorum, aufulit, & sibi appropriauit ducatum Nouogrodiensem, alias Nugardiam seu Nouogrodiam nuncupatum. Post Casimirum in Lithuania dominatus est Alexander, filius eius quarto genitus, cuius temporibus præfatus Iwan, dux Moschorum, principatum Mozaisensem, longitudinis septuaginta, latitudinis totidem milliarium, & castra quadraginta subripuit. Alexandro vita functo, Sigismundus modernus in magno ducatu Lithuaniæ suffectus est, sub cuius dominio Vassilo, Moschouiæ dux, & principatum Pleskow, quem Plescouiam appellant, & ducatum Smolensem, expugnauit & possedit.

Vitoldus moritur.

Switrigellus dux Lithuaniæ.

Expellitur a Sigismundo de Starodup, qui occiditur.

Errores Aeneæ de Picolomini.

Casimirus succedit Sigismundo de Starodup.

Alexander dux Lithuaniæ

CAPVT III.

De amplitudine & contentis magni ducatus Lithuaniæ.

AMplitudo magni ducatus Lithuaniæ est talis: a mari Balteo, seu Prutenico, ad Vilnam, capitalem ciuitatem Lithuaniæ, sexaginta milliaria, a Riga vero ad Vilnam recto itinere septuaginta milliaria: eundo vero super Poloczko, vt communiter vadunt, erunt a Riga in Vilnam centum milliaria. Deinde a Vilna in Kiow sunt centum milliaria. A Kiow vsque ad confluentiam, vbi iunguntur fluuii Dniepr & Bog, quos Græci Boristenem, maiorem & minorem appellant, sunt decem dietæ, quæ faciunt septuaginta milliaria. Ibi steterat castrum Dzassow, quod destructum est, & ibi est finis dominii Lithuanorum, quum prius protendebatur ad Byaligrod, quod Latini Album castrum nuncupant, & ipsum Turci expugnarunt & possident: circumcirca vero Tartari in campis degunt. Ista est computatio versus meridiem, quinimo verius dicam inter orientem & meridiem. Iterum

Longitudines inter Vilnam, Kiow, Rigam.

ex transuerso computando, a Parczow & metis Lithuaniæ in Vilnam sunt octuaginta milliaria: sed a Cracouia per eandem viam, vsque in Vilnam, sunt centum & viginti milliaria. A Vilna in Smolensco centum milliaria, a Smolensco in Moschouiam, ciuitatem Moschorum, centum milliaria, & sunt milliaria Germanica magna. Prima autem & capitalis ciuitas in Lithuania est Vilna, et est tanta, quanta Cracouia, cum Casimiria, Clepardia, & omnibus suburbiis: verum domus non sunt cohærentes, sicut in nostris ciuitatibus, sed vt sæpe mediant horti & pomaria: habet Vilna bina castra murata, superum in monte, & inferum in basso. Nouogrod vero, quam Latini Nugardiam vel Nouogardiam vocant, fuit de possessione magni ducatus Lithuaniæ, per ducem Vitoldum armis conquisita, & est Nouogrod in amplitudine paulo maior, quam Roma, in ambitu continet triginta duo milliaria Italica, quæ faciunt sex milliaria Germanica, & duo milliaria Italica supersunt. Nouogrod autem continet integra septem milliaria, alias triginta quinque milliaria Italica. Item Nouogrod lignea habet ædificia, Roma vero murata. Distat Nouogrod a mari Balteo duobus, vel quasi tribus milliariis. Et fuerunt, adhucque sunt, in ea ditissimi mercatores: in tantum, quod apud quemlibet mercatorem iuxta refectorium est Krancz, id est, reseruaculum loco testudinis, in quod argentum, aurum & res pretiosæ conquisitæ proiiciebantur absque numero. Vnde Iwan, quod sonat Ioannes, princeps Moschorum, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, surripiendo Nouogrod, de manibus Casimiri, magni ducis Lithuaniæ, huiuscemodi thesauros Nouogrodiensium exhausit, & trecentos currus ad summum implendo, dumtaxat de auro, argento & vnionibus pretiosis, in Moschouiam abduxit. Et quia in eadem Nouogrod perniciosa consuetudo inoleuerat sicariorum & raptorum, sæpeque, aliquo reo inuento vel designato, pulsabatur campana prætorii, vbi centum senatores, tanquam iudices, sedebant, omnes more illius patriæ barbam protensam nutrientes: vulgus autem audito sono campanæ, concurrebat de tota ciuitate, ita quod quilibet hospes duos acciperet lapides sub brachio, & filii hospitum similiter. Quumque reus per senatores condemnaretur, lapidibus adstantes obruebant, & intersiciebant eum, tumultuoseque ad domum condemnati currentes, diripiebant omnia bona occisi, & area domus postea vendebatur, & pecunia exinde pro republica confiscabatur. Idcirco Iwan, dux Moschorum præfatus, apprehensa & possessa Nouogrod, in quinque famosioribus plateis quinque capitaneos cum armigeris constituit, ad sedandum & prohibendum solitos tumultus, inuasiones & spolia. Est in Nouogrod castrum Deczen nuncupatum, in eo principalis ecclesia est sanctæ Sophiæ, id est, saluatoris, & est tecta aureis laminis splendescentibus, suntque in eadem Nouogrod septem monasteria Czyrnkorum, id est, nigrorum monachorum de regula sancti Basilii, & distant a se inuicem fere vel prope per medium milliare. In primo monasterio b. Mariæ virginis sunt mille monachi, in altero sancti Georgii septingenti, in tertio sexcenti, in quarto quadringenti: sic consequenter in aliis monasteriis. Sunt & ecclesiæ sanctorum plurimæ, & solius sancti Nicolai, quem Rutheni inter alios sanctos plus colunt: ecclesiæ sunt tot, quot sunt dies in anno. Habet eleuationem poli Nouogrod sexaginta sex graduum, & in æstate, circa solstitium æstiuale, post occasum solis apparet lux cœli vsque in ortum solis, vt artifices, sartores, sutores, & ceteri mechanici suere & laborare possint. Post Nugardiam ad septentrionem est Suecia & Finlandia, vsque in oceanum septentrionis. Pskow vrbs notabilis murata & magna, minor tamen quam Nouogrod, adiacet Moschouiæ & Lithuaniæ, hanc Latini, Plescouiam appellant. Inhabitatores ipsius omnes sunt lingua & ritu Ruteni, barbam non radunt, & crines capitis non tondunt, habitum vero in toto deferunt Alemannicum. Habet terra Plescouiæ triginta castra murata, & sunt versus Liuoniam, & non sunt tam bona castra in Moschouia,

Vilnæ ciuitatis descriptio.

Commercium Nouogrodensium.

Iwan Nouogrodensium thesauros in Moschouiam abducit.

Mos Nouogrodensium condemnandi sicarios.

Descriptio ciuitatis Nouogrod.

Descriptio Plescouiæ.

uia, neque in Lithuania. Tota autem terra Plescouiæ sexaginta milliaria in longitudine, & quadraginta in latitudine continet. VASSILO modernus princeps Moschouiæ per compositionem & traditionem seniorum adeptus est, & possidet Pskow, deposuitque campanam, ad cuius pulsum tota ciuitas confluebat, & iniuriantes opprimebat. Contra pactum quoque & promissa sua abegit Vladicam, id est, episcopum loci, & plures nobiles ac ciues Plescouiæ, & locauit in ciuitate Moskwa, et in aliis locis Moschouiæ. Deinde versus orientem est Poloczko, castrum & ciuitas magna, & pertinet ad ducatum Smolensem, possidet eam magnus dux Lithuaniæ. Post hanc ad orientem est Smolensco, castrum & ciuitas ex roboribus structa, & fossis profundis munita, ipsa autem terra, seu ducatus Smolensco, continet in longum sexaginta aut septuaginta milliaria Germanica. Præter ea linguagium Lithuanicum est quadripartitum, primum linguagium est Iaczwingorum, vt horum, qui circa castrum Drohiczin inhabitarunt, & pauci supersunt. Alterum est Lithuanorum & Samagitharum. Tertium Prutenicum. Quartum in Lothwa, seu Lothihola, id est, Liuonia, circa fluuium Dzwina, & Rigam ciuitatem. Et horum quanquam eadem sit lingua, vnus tamen non plene alterum intelligit, nisi currens & qui vagus est per illas terras. Habuit hoc linguagium quadripartitum tempore idololatriæ pontificem maximum vnum, quem Criue appellabant, morantem in ciuitate Romoua, a Roma dicta, quoniam hoc linguagium de Italia iactat sese aduenisse, & habet nonnulla vocabula Italica in suo sermone. De isto Criue, & ciuitate Romouæ in legenda sancti Adalberti pontificis & martyris legitur. Et scias, quod in Prussia iam pauci proferunt Prutenicum, subintrauit siquidem lingua Polonorum & Alemannorum: sic & in Lothwa pauci villani profitentur hanc linguam, quia subintrauit Alemannicum. In Samagithia autem, quæ est longitudinis quinquaginta milliariorum, & in Lithuania, quæ in longum triginta milliaria continet, in villis Lithuanicum loquuntur, & in magna parte Polonicum profitentur: nam & sermone Polonico sacerdotes eis prædicant in ecclesiis. Insuper scito, quod hoc linguagium quadripartitum totum est de obedientia et fide Romanæ ecclesiæ, in aliis autem prouinciis circumiacentibus, vt in Nouogrod, in Plescouia, in Poloczko, in Smolensco, et in meridiem, vsque pnst Kiow, Ruteni sunt omnes, et Ruthenicum seu Slauonicum loquuntur, ritumque Græcorum obseruant, et obedientiam Constantinopolitano patriarchæ præstant. Amplius sunt in ducatu Lithuaniæ Tartari circum Vilnam, habent proprias villas: colunt agros more nostro, laborant et vehunt merces, ad mandatumque magni ducis Lithuaniæ omnes ad bellum assurgunt, loquuntur Tartaricum et colunt Mahumetum, quia Saracenorum sectam profitentur. Insuper sunt Hebræi in Lithuania, præsertim in ciuitate Troki, hi laborant et mercantur, telonea et officia publica tenent, de vsurisque non viuunt. Post hoc de fluminibus dicamus. A parte orientali dominium Lithuanorum terminant fluuii, Oskol, Iugra, Doniecz, id est, paruus Don, et est paruus Tanais, hi et plurimi alii in Tanaim decurrunt. Item ex dominio Lithuanorum post castrum Vesnya, quod dux Moschouiæ modernus Vassilo occupauit, ortus est Dniepr, seu Borysthenes, ex terra plana lutosa, ex stagnis in densis siluis, et fluit sub Smolensco et sub Kiow, tandem emensis quasi trecentis milliaris Germanicis in mare Ponti incidit. Vilia alius fluuius triginta milliariis ad orientem Vilnæ ciuitatis ortum cepit, et sub castro Vilnensi cum alio fluuio minori, Vilna dicto, (et initium eius duobus milliariis a præfata ciuitate Vilna computatur,) commiscetur, vnaque ad magnum fluuium Niemen influunt. Niemen autem fluuius valde flexuose decurrit, naues defert et merces: post castrum Kowno in mare Prutenicum cadit. Item Dzwina magnus fluuius fontes habet in Moschouia, et in dominio Lithuanorum, fluit sub castro Vitepsk, deinde sub Poloczko: ostia eius circa Rigam ciuitatem Liuoniæ, vbi in mare cadit, et scias quod quemadmodum in superioribus

Poloczko

Smolensco

Dialecti in Lithuania.

Tartari circa Vilnam Mahumetani.

Fluuii Lithuaniæ.

perioribus præmisi, tria magna flumina prope se inuicem oriuntur, Dniepr, Dzwina, et Volha: oriuntur, inquam, in locis planis, nemorosis, paluſtribus, non ex montibus Hyperboreis, non Ripheis, nec aliquibus montibus, qui in natura minime ſunt, dumtaxat figmento olim Græcorum, tanquam in rei veritate exiſterent, glorioſe & ampulloſe prædicati ſunt, et quod præfata flumina ex ipſis erumperent ac orirentur, per ſequaces hiſtoricos, coſmographos et poëtas, inexperte deſcripti, decantatique ſunt, quum nuſquam compareant: plana ſiquidem eſt terra per totum, vnde illa ortum ducunt. Et Dniepr, qui eſt Boriſthenes, ad meridiem fluit vſque in mare Ponti incidens. Dzwina grande flumen ex Moſchouia erumpens, ad occaſum ſolis per dominia Lithuanorum, et per Liuoniam labens, iuxta ciuitatem Rigam, in mare Balteum deſcendit. Volha maximus fluminum etiam ex Moſchouia oriens, in ſeptentrionem tendit, reuerſusque in orientem, longinque circuit Tanaim: tandem conuerſus in meridiem per Scythiam, ſeu Sarmatiam Aſianam, et campos planiſſimos Tartarorum peruagatus, in viginti quinque flumina magna partitus, mare Euxinum ingreditur. Diſtat Tanais a Volha in Tartaria itinere ſex hebdomadarum, ad minus tribus aut quatuor velociſſime currentibus. Sunt et alia in Lithuania et Moſchouia multa flumina et ſtagna magna: parua vero flumina et riui, ſine numero, in maiora defluunt, omnia piſcoſa abundanter, ita quod in illis terris vbi aqua, ibi et piſces: et ſunt piſces ſapidiores et delectabilioris guſtus, quam in regionibus noſtris, piſcinæ et fodinæ pro aquis et impiſcationibus, tanquam inutiles, illic non fiunt. Amplius in ducatu Lithuaniæ panis ruſticorum nigerrimus eſt, non cribratus, ex ſiligine aut hordeo vna cum furfuribus: dominorum vero et potentum panis delectabilis, de pura ſimilagine tritici albiſſimus pinſitur et habetur. Vino carent, niſi quod aliunde ducitur, præcipue vinum Rhenenſe, et ex occidentalibus regionibus per mare Germanicum et Balteum adductum, alicubi reperitur, medone et ſpiſſo, et tenui, & vario modo cocto abundant, et illo reficiuntur et inebriantur. Cereuiſias coquunt diuerſimode et ex variis granis, puta frumento, ſiligine, hordeo, auena, millio, &c. et non ſunt ſapidæ: vulgus autem, vt ſemper, aquam bibit: oliuæ et fructus dulces ac delicati illic non creſcunt, algida etenim et frigida eſt prouincia. Armenta habent omnis generis et feras ſiluarum, plus quam in orbe Chriſtianorum reperiantur: ſaltus, deſerta, et ſiluæ ſunt magnæ, decem, aliquando quindecim milliariorum, nonnunquam et viginti quinque milliariorum: ad latera deſertorum et ſiluarum villæ et habitatores inueniuntur, et idcirco, quia magna nemora ſunt, magnæ feræ et multæ abundantiſſime viſuntur et capiuntur, vri et boues ſilueſtres, quos lingua ipſorum thuros et zumbrones vocant, onagri, et equi ſilueſtres, cerui, damæ, dorcæ, capreæ, apri, vrſi, martes, ſciſmi, et cetera genera ferarum. Inſuper aues abundant, et ficedulæ, quamuis illic vineæ non ſunt, aduolant et impinguantur, atque cum ſuauitate eduntur. Eſtque in Lithuania et Moſchouia animal voraciſſimum et inutile, quod alibi non comparet, Roſſomaka nominatum. Quantitatis canis, faciei cati, corporis et caudæ vulpis, colore nigrum, cadaueribus veſcitur, inuentoque cadauere, in tantum vorat, vt extendatur et inſletur tanquam tympanum, repertaque anguſtia ſtricta, inter arbores intrat et intrudit ſe cum violentia premendo, vt violenter comeſta violentius egerat, ſicque extenuatum denuo cadaueri accurrit, et ad ſummum impletur, cum viciſſitudine expreſſionis, et ad morticinium reuerſionis, donec totum abſumat et deuoret. Et forſan natura tam inſatiabile animal in illis regionibus producit, vt homines ſimili voracitate laborantes redarguat. Quoniam potentes, quum conuiuari coeperint, ſedent a meridie in medium noctis, continuo cibo et potu ſeſe opplendo, et a menſa, quoties natura propellit, aſſurgendo, iterum et iterum vorant vſque ad vomitum et amiſſionem diſcretionis et ſenſus, tuncque inguinis et capitis, quæ ſunt diſcrimina, neſciunt: eſtque illa conſuetudo pernicioſa in Lithuania

Fluuii Dniepr, Dzwina, Volha.

Abundantia piſcium in Lithuania.

Potus Lithuanorum.

Feræ.

Aues.

&

et Moschouia, magis vero et absque rubore in Tartaria. Est etiam in illis terris Lithuaniæ, Moschouiæ et Tartariæ, ab origine consuetudo venditionis hominum: serui namque venduntur à dominis suis tanquam pecora, puerique eorum et vxores: quinimo pauperes homines, libero ventre nati, victu carentes, vendunt filios & filias suas, interdum et semetipsos, vt apud patronos siliquis et grossis cibis saturentur.

Venditio hominum olim in Lithuania.

CAPVT IV.

De Moschouia.

MOschouia est regio longissima, latissimaque: nam a Smolensco vsque ad Moschouiam ciuitatem sunt centum milliaria, a Moschouia ad Volochda centum milliaria. Et Volochda est prouincia, et fluuius per ipsam labens eodem nomine vocatur, a Volochda ad Vsczuga centum milliaria, ab Vsczuga ad Viatka centum milliaria: et ista quadringenta milliaria sunt de regione Moschouiæ, et sermo per totum est Rutenicus seu Slauonicus. Vltra prædicta a Viatka ad regionem Permska centum milliaria, inde ad terram Vahulczka triginta milliaria, et hæc Scythiæ confinis est. Et istæ prouinciæ subiectæ sunt duci Moschouiæ, additisque terris ad septentrionem et orientem, ab eodem duce Moschouiæ possessis; Iuhra et Corela; quæ sunt in Scythia, erunt quingenta milliaria Germanica magna. Verum Moschouitæ non per milliaria nostra computant, sed per werst: et werst est quinta pars milliaris Germanici. Numerant itaque a ciuitate Moschouia ad Vlodomiriam ciuitatem decem et septem milliaria Germanica: abinde ad Vsczuch quingenta werst: iterum ab Vsczuch ad Iuhram quingenta werst. Intra Moschouiam autem sunt multi ducatus. Est ducatus seu terra Moschouiæ, de qua triginta millia pugnatorum nobilium ad bellum egrediuntur, agrestium vero sexaginta millia. Est et ducatus seu terra Twerczka, de qua quadraginta millia armatorum nobilium dumtaxat ad bellum prodeunt. In hoc ducatu capitalis ciuitas Twerd nuncupatur, et est ciuitas grandis, de lignis ædificata: in ea sunt ecclesiæ ligneæ centum et sexaginta: castrum etiam ligneum est, et sunt in ipso nouem oracula seu ecclesiæ: principalis est sancti saluatoris, et illa dumtaxat est murata: sub hac ciuitate et castro amplissimus fluuius Volha labitur. Ducatus Chelmsci, de quo septem millia pugnatorum exeunt. Ducatus Zubczowski, de quo quatuor millia armatorum, & ducatus Klinski, de quo duo millia bellatorum prodeunt, ad terram Twerdensem annumerantur. Item ducatus Cubensis triginta milliaria in longum continens. Ducatus Iaroslauiensis quadraginta milliaria de terra habens. Ducatus Szuhersiensis viginti milliaria terræ habens. Ducatus Szachouiensis triginta milliaria in longum continens: omnes sunt in milliariis Moschouiæ in longum computatis. Insuper ducatus Rzezensis, de quo quindecim millia boiarorum, seu nobilium armatorum, euadunt, et fluuius nominatissimus Tanais de ipso oritur. Item ducatus Susdalorum, et plures ei adiacentes desolati et destructi sunt per Tartaros. Est et terra Tartarorum, Kozanska horda nominata, triginta millia pugnatorum producens, principi Moschorum subiecta, in campis iuxta castrum Kozan, (quod dux Moschouiæ possidet, et alluitur magno fluminie Volha,) degens. Moschouia est ciuitas principalis satis magna, bis maior, quam Florentia Thusciæ, aut bis maior, quam Praga, Bohemiæ vrbs. Praga dico, quæ extat, et quam tu vidisti: non Praga, quam quidam nouus historicus ficte astruit longissimam trium dierum itinere ciuitatem, quod fabula est: verum Moschouia lignea est, non murata, plurimas habens plateas, et vbi vna platea finitur, altera non statim incipit, sed campus mediat. Inter domos quoque sepes mediant, ita vt domus sibi inuicem non cohæreant. Nobilium domus sunt maiores, plebeiorum vero humiles. Fluit per

Ducatus Moschouiæ

Ducatus Twerczka.

Ducatus Chelmski, Zubczowski, Klinski, Cubensis, Iaroslauiensis, Szuhersiensis, Szachouiensis, Rzezensis, Susdalorum.

Moschouiæ ciuitatis descriptio.

medium ciuitatis, et ſub caſtro ipſius fluuius, eiuſdem nominis cum ciuitate, Moſkwa appellatus, et eſt tantus, quantus Multaua in Praga, aut Arnus in Florentia. Caſtrum autem, quod eſt in medio ciuitatis, in plano, eſt caſtrum bonum muratum, tantæ amplitudinis, vt Buda in Hungaria, habet tria propugnacula: et cum his turres magnæ ſimul computatæ ſunt, decem et ſeptem, tegulis latericiis tectæ, ſed vnus murus: in eo caſtro eccleſiæ ſunt ſedecim, tres muratæ, ſcilicet ſanctæ Mariæ, ſancti Michaëlis, ſancti Nicolai, reliquæ ſunt de ligno. Palatium ducis in præfato caſtro eſt muratum, ad inſtar Italicum, nouum, non amplum nec magnum: tres curiæ nobilium ſunt muratæ, aliæ domus ligno conſtructæ, ſtubæ omnes nigræ. Aliæ ciuitates Moſchorum ſunt minores, et caſtra minora, omnia de lignis fabrefacta. Præter ea terra Moſchouiæ plena eſt boſcis ac ſiluis, aquis quoque, fluminibus, piſcibus et feris, quemadmodum Lithuania referta, ſed frigidior et ſeptentrionalior, vnde pecudes et pecora parua ſunt, et mutila, abſque cornibus quaſi ſemper, propter frigus: homines vero proceræ, altæ, et robuſtæ ſtaturæ ſunt. Bibunt aquam, medonem, et kwaſſecz, id eſt, fermentatos liquores. Arant et ſulcant ligno ſine ferramento, et arpicant frondibus arborum ſupra ſeminata equis tractis, raroque propter intenſa et longa gelua ſegetes matureſcunt, ideo meſſis & ſectis frugibus in ſtubis deſiccant, maturant et triturant. Sæpenumero autem vtuntur calefacientibus aromatibus, ſæpe et ſublimatis, de aromatibus, de melle, vel alio calefactorio, ita vt et de auena aquam ardentem ſiue ſublimatum faciant et bibant, ad effugandum et repellendum algorem et frigus, alioquin ex frigore congelarent. Carent vino et oleo, et ne inebrientur, princeps terræ prohibet, ne medo aut liquor inebrians in aliqua domo reperiatur, ſub priuatione vitæ, niſi bis aut ter in anno ex admiſſione principis. Monetam habent argenteam puri argenti, *dzingis* nominatam, maiorem et minorem, formæ oblongæ, quadrangularem, non orbicularem, non politam, nec bene planam. Eſtque terra diues argento, et cuſtodia vndique clauſa, vt, nedum ſerui et captiui, ſed et liberi, indigenæ et aduenæ exire abſque litteris ducis nequeant, et hæc hactenus. Flumina in Moſchouia ſunt plurima, aliqua autem maiora ſcitu digna enumerabo. Tanais nominatiſſimus fluuius, a Tartaris et Moſchouitis Don nuncupatus, fontes et originem habet in Moſchouia proprie in ducatu Rzezenſi. Conſurgit de terra plana, ſterili, limoſa, paludinoſa et nemoroſa. Quumque ad orientem ſolis proceſſiſſet, vſque ad metas Scythiæ et Tartariæ, declinat ad meridiem, et perueniens ad paludes Mæotidas, illic oſtia tenet et ingreditur. Eſt tantus Tanais, quantum dicerem triplicem Tyberim, poſt Romam in mare Tyrrhenum decurrentem, aut quantum Danubium in duplo circa Budam. Et doctrina aſtrologorum tenet, quod Tanais ſit eius longitudinis, cuius et Nilus fluuius Aegypti, puta circa ſexaginta gradus longitudinis. Et ſicut Nilus a meridie ad mare Alexandriæ deſcendit, ſic Tanais a ſeptentrione in Mæotidas et mare Ponti defluit. Nec piget repetere, quod ſupra dixi, alia magna flumina, ex Moſchouia eſſe orta, videlicet Dzwina, Volha, et Dniepr ſeu Boryſthenem. Et cum Moſchouia ſit regio plana, non montoſa, prædicta flumina, in diſtantia non valde longinqua a ſe inuicem, ex terra plana, nemoroſa et paludinoſa oriuntur, maximusque fluminum ille Volha, in Tartarico dictus Edel, tendens in ſeptentrionem, procedit ducentis milliariis vſque ad Nizni Nouigrod, quod ſonat inferius nouum caſtrum, et eſt in terra Moſchouiæ: et illic accurrit, et ei coniungitur, magnus fluuius ex media Moſchouia procedens, Occa cognominatus. Deinde octuaginta milliariis Germanicis Volha ſub caſtrum Koſan, quod dux Moſchouiæ poſſidet, tandem ſub caſtrum Sarai, quod Tartari tenent, fluit deinceps verſus meridiem, viginti quinque fluminibus tantis, vt eſt Tyberis Romæ, et aliis multo maioribus, influit in mare Euxinum. Accipiat itaque R. P. tua et contra omnes aduerſantes

tueatur,

Moneta olim in Moſchouia.

FluuiiMoſchouiæ.

Tanais.

Dzwina.
Volha.
Dniepr.

Occa.

tueatur, et dicat, quod prælibata flumina non de montibus, nec de radicibus montium, quoniam ibi montes sunt nulli, oriuntur et fluunt. Accipiat secundo, quod montes Hyperborei et Riphæi, de quibus emanasse illa flumina ab aliquibus fabulose scriptum est, nec in Moschouia, neque in aliis partibus septentrionis sunt: recteque dicetur confictos esse, et nusquam existere, nisi forte in libro scripti aut picti, et non in terra reperiri, affirmarent. Accipiat tertio, quod in dominio Moschorum, quemadmodum et in terris Turcarum, homines de loco in locum, et de territorio in territorium ad incolendum transferuntur, et alii pro his commutati mittuntur et locantur. Accipiat quarto, in Moschouia vnam linguam er vnum sermonem esse, scilicet Rutenicum, seu Slauonicum, in omnibus satrapiis et principatibus, sic quod etiam Ohulci, et qui in Viatka degunt, Ruteni sunt, et Rutenicum loquuntur, vnamque sectam et religionem instar Græcorum tenent, omnesque Vladicæ, id est, episcopi, qui plurimi sunt, patriarchæ Constantinopolitano subsunt, et confirmationem ab ipso postulantes obedientiam promittunt, præter Tartaros Cosanenses, qui ducem Moschorum recognoscentes, Mahumetum vna cum Saracenis venerantur, et linguagium Tartarorum loquuntur: etiam præter alienigenas ad septentrionem in Scythia commorantes, qui sermone et linguis propriis loquuntur, et idola colunt, prout in sequenti capitulo dicetur. Accipiat quinto, quod post terram Viatka nuncupatam, in Scythiam penetrando, iacet magnum idolum Zlota baba, quod interpretatum sonat, aurea anus seu vetula, quod gentes vicinæ colunt et venerantur, nec aliquis in proximo gradiens, aut feras agitando, et in venatione sectando, vacuus et sine oblatione pertransit: quinimo, si munus nobile deest, pellem, aut saltem de veste extractum pilum in offertorium idolo proiicit, et inclinando se cum reuerentia pertransit.

Zlota baba idolum.

CAPVT V.

De regionibus Scythiæ Perm, Baskird, Iuhra & Corela, per ducem Moschouiæ subiugatis.

POst Moschouiam sunt gentes et regiones, inter septentrionem et orientem in fine Asiæ septentrionalis, quæ proprie Scythia dicitur, principi Moschoniæ subiectæ, per Iwan ducem Moschouiæ principaliter subiugatæ, scilicet Perin, Baskird, Cziremissa, Iuhra, Corela. Perm monosyllabum est, inde terra Permsce, bisyllabum Permsca pronunciando: et fuit regio idola colens, quam Iwan dux Moschorum circa annos viginti baptisma percipere coëgit, more Rutenorum seu Græcorum: et posuit eis Vladicam, id est, episcopum, nomine Stephanum, quem barbari, post discessum ducis, viuum excoriauerunt et necauerunt, reuersusque dux afflixit eos, et alium denuo præsulem constituit, sub quo tanquam noui Christicolæ, Rutenorum schisma et ritum profitentes permanent. Aliæ vero regiones præexpressæ in infidelitate et idololatria persistunt. Colunt solem, lunam, stellas, bestias siluarum, et quod eis occurrit: habent propria linguagia et idiomata. In terra Permsca proprium idioma, in terra Paskirdorum proprium, in Iuhra proprium, et in Corela etiam proprium. In his regionibus non arant, non seminant, panes non habent, nec pecunias: feris siluarum, quæ apud eos abundant, vescuntur, et non nisi aquam bibunt: morantur in densis siluis, in tuguriis ex virgultis factis. Et quia siluæ illas terras contexerunt, homines siluestres et ferinos effecerunt. Sunt velut bestiæ ratione non vtentes, vestimenta de lana non habent: pellibus teguntur, rude et grosse consuentes varias pelles insimul, ex lupo, ceruo, vrso, sabellis et scismis, et ceteris, prout sors obtulerit. Et quia ipsorum terræ mineras non nouerunt, pro homagio duci Moschouiæ mineras non pendunt, sed pelles animalium siluestrium, quibus abundant. Proximiores oceano

Incolæ terræ Permscæ baptisantur.

Homines sine pane viuunt.

Canis marinus seu *Vor vol.*

septentrionis, vt Iuhri et Coreli, piscantur et capiunt balænas, et vitulos seu canes marinos, quos ipsi *vor vol* appellant, et ex cute eorum parant rhedas, bursas et cætas, axungiam autem pro impinguatione seruant et vendunt. In Iuhra et Corela sunt aliqui montes mediocris tumoris, non altissimæ eleuationis, prout quidam putauerunt et scripserunt. Supra montes autem oceani, qui mediocres sunt, per totum septentrionem oceano adiacentes, scandunt ex mari pisces *morss* nuncupati, dente sese supra montem continendo, fricando, et ascensum promouendo: dumque ad summitatem montis peruenerint, ad vlteriora gressum promouendo, ad alteram partem montium volutando decidunt. Hos illæ gentes colligendo dentes eorum satis magnos, latos et albos, pondere grauissimos, capiunt, et Moschouitis pendunt atque vendunt: Moschouitæ vero his vtuntur, ad Tartariam quoque et Turciam mittunt, ad parandum manubria gladiorum, framearum & cultrorum, quoniam grauitate sui maiorem ac fortiorem impressionem impingunt et præbent impellentibus, laborantibus, præliantibus, et occidentibus. Et memineris, quod supra dixi, hanc esse illam Iuhram regionem Scythiæ, de qua egressi sunt Iuhri, a posterioribus Hugui et Hungari dicti, qui ad mare Euxinum ascendentes vehementer multiplicati transierunt maxima flumina circa paludes Mæotidas, intrauerunt que in Pannoniam, et secundo regressu eam occupauerunt, possederunt, et in hanc diem tenuerunt, suntque eiusdem sermonis et loquelæ præcisæ, nisi quod addiderunt nostri Hungari aliqua vocabula ex Slauonico idiomate, earum rerum, quæ in Scythia et Iuhra non reperiuntur. Verum in Pannonia Iuhri sunt Christicolæ: in Iuhra vero patres eorum idololatræ, politioresque et cultiores sunt Hungari in Pannonia, omnibus delitiis pleni, (quamuis in toto ferocitatem nondum deposuerunt) quam Iuhri septentrionalissimi in Iuhra, qui in toto siluestres sunt, bestiales, et in frigidissima regione miserrime degentes. Insuper memineris in his regionibus Scythiæ, ad oceanum septentrionis, non esse magna flumina, sed esse quasdam rupes et montes mediocris molis, & non excellentissimæ celsitudinis, inaccessibilesque, velut aliqui historici antiquiores protulerunt et scripserunt. Potius itaque secundum experientiam dixissent, de nemoribus et densis siluis eos exiuisse, quam de inaccessibilibus montibus. (122)

Differentia Iuhrorum in Pannonia & Scythia.

(122) Hæc sunt, quæ MIECHOVIUS memoriæ prodidit stilo minus Latino, varios intermiscens barbarismos ac soloecismos. Historia tamen, si superstitionem tollas, minime contemnenda, quamuis haud recte semper digesta. Sæpius enim sine necessitate de montibus Hyperboreis & Ripheis, nec non de piscibus ex mari scandentibus, *Morss* dictis, & aliis de rebus quibusdam, loquitur, quasi oblitus esset ea, quæ antea dixit. Errores typographicos in exemplari, apud Hallerum Cracouiæ, anno 1521. viuente auctore, impresso, sedulo correxi, ne, non illos, qui in editione Pistoriana, ex ignorantia Poloni idiomatis, sæpius obueniunt, & longum esset. omnes illos enumerare, cum eorum satis magnus sit numerus. Sufficit mihi, vt lector habeat hic editionem, præ ceteris omnibus correctam.

SIGIS-

VI.

SIGISMUNDUS
LIBER BARO IN HERBERSTEIN, NEYPERG, ET GUETTENHAG &c. (123)

DE LITHUANIA.

Lithuania Moscouiæ proxima est, non autem de sola prouincia, sed regionibus illi adiacentibus, quæ sub Lithuaniæ nomine comprehenduntur, nunc loquor. Hæc longo tractu ab oppido Circas, quod ad Borysthenem situm est, in Liuoniam vsque protenditur. Porro Circassi, Borysthenis accolæ, Rutheni sunt, alii ab his, quos supra ad Pontum in montibus habitare dixi. His nostra tempestate præficiebatur Eustachius Tascowitz, (quem cum Machmetgirei

Eustschios Taskowicz,

Iii rege

(123) SIGISMUNDUS liber baro in HERBERSTEIN, cæsaris minister statos, Vippachii in Stiria natus d. XXIII Aug. anni 1486. A poero litteris operam dedit, & Viennæ a. 1502. artium Baccalaoreus creatus foit. Deinde strenue in Hungaria contra Turcas militare coepit a. 1506, tribus annis post legionis moderator factus, eques creatus, & consiliarius imperii aulicus declaratus fuit ab imperatore, simol & catena aurea donatus. Legationibus variis, nempe a. 1516. in Dania & Helvetia, a. 1517. in Polonia & Moscouuia, a. 1519 in Hispania functus, iterum in Moschouiam a. 1526 profectus, tandem consiliarius intimus & præses ærarii Austriaci a. 1532 fuit constitutus. Cumque quatuor imperatoribus summo cum honore & fructu inseruiisset, mortuus anno 1566. Vitam suam ipse descripsit *in commentariane actianum suarum a puero, ad LXXIV. annum.* Viennæ apud Raphaelem Hússhalter. 1560. Edidit præter eam *commentarios rerum Moscouiticarum*, in quibus continentur *Russiæ descriptio, varia de religione, charographia tatius imperii Moscici, modus excipiendi & tractandi aratores, itineraria dua in Moscouiam.* Basileæ per Ioan. Oporinum. anno 1549. in fol. in fine hoius libri adiectus est, *Pauli* IOVII, Nooocomensis, de legatione Basilii Magni principis Moscouiæ, ad Clementem VII. pont. max. liber.

Descriptio Lithoaniæ ex his commentariis excerpta est, qoæ pag. 109, huius editionis, inuenitur. Hos commentarius iterum typis exscripsit Iuannes Oporinus Basileæ, mense Augusto a. 1556. in fol. ad quam editionem, præter varias in lignum incisas tabolas, accessit: *de admirandis Hungariæ aquis hypomnemation, Geargio Wernhero* auctore. Hæc omnia iterum, excepto Wernheri de aquis Hungariæ scripto, typis denuo exarauit officina hæredum Andreæ Wecheli, Francofurti a. 1600. sub inscriptione: *rerum Mascouiticarum auctores varii, vnum in carpus nunc primum congesti,* in fol. quo in libro, præter Herbersteinium, *Io. Fabri, Alexandri Guagnini, non Gwanini,* vt ibi scriptom est, sed verios *Matthiæ Striycouii ex* Sarmatia, *Matthiæ a Miechouia, Tilmanni Bredenbachii, Pauli Oderbornii, Reinoldi Heidensteinii* de rebus Moscouiticis scripta, & Anglorum nauigatio ad Moscuoitas, reperiuntur.

Hi commentarii in Italicam linguam translati fuere, & sequenti anno, cum primum Latine prodieront, Venetiis impressi, anno 1550. sub inscriptione: *Commentarii di Moscouia e Russia, Descrizione del Imperio Moscouitico e de Tartari, Lithuani,* &c. interprete anonymo. Extant aliqua horum commentariorum, non omnia, vt in lexico eruditorum Ioecheriano dicitur, in Io. Bapt. Ramusii collectione *delle Nauigationi & Viaggi* Tom. II. part. II. p. 137.

Iidem commentarii, Germanorum idiomate, interprete Henrico Pantaleone, impressi fuerunt Basileæ apud hæredes Nicolai Brillinger a. 1567. in fol. vna cum PAULI IOVII descriptione Muschouiæ, HENRICI PANTALEONIS descriptione Lithuaniæ, Poloniæ, Sueciæ, Liuoniæ, Noruegiæ, Hongariæ, Turcici imperii & Tartariæ, & GEORGII WERNHERI descriptione aquarum Hungariæ. Iterum Germanice cum historia Cromeri Francufurti a. 1576. in fol. In eodem lexico Ioecheri dictum est, *commentationem actionum suarum a puero*, commentariis de rebus Moscouiticis adiectam esse, id quod fieri non potuit, cum tres editiones commentariorum in lucem editæ fuerunt, nempe Basileæ a. 1549. ibid. 1556. & Antwerpiæ etiam apud Io. Steelsium a. 1557, commentatione nondum impressa, quarta autem editio, eodem anno, quo commentatio dicta, apud hæredes Wecheli prodiit. Preter has autem quatuor editiones, nolla forte recentior typis exscripta fuit. Præter hoc dictum in lexico Ioecheriano: *has commentarias reperiri etiam in Pistorii scriptaribus rerum Polonicarum*, sed in his nil prætar descriptionem Lithuaniæ Tom. I. p. 151, & fragmentum de bello Poloni & Muschi, Tom. III. p. 13, inoenitur. Notandum tandem, Polonos Herbersteinium accusasse, quod primus Moschouiæ duci, legatus in aula eius, regium titulum dedisset, eumque contra regem Polonum excitasset, sed in scripto ad Henr. Glareanum se defendit, & integritatem domos Austriacæ erga Poloniam monstraoit. Vide BOECLERUM de rebus XVI. sæculi p. 518. & FREHERI theatrum eruditorum.

rege in Mosconiam vna profectum fuisse, supra dixi) vir belli peritissimus, astutia singulari: qui, cum crebra cum Tartaris commercia haberet, sæpius tamen eos fudit, quin & ipsum Moscum, cuius aliquando captiuus fuerat, in magna sæpe pericula adduxit. Eo anno, quo nos Moscouiæ eramus, miro astu Moscos profligauit: dignaque mihi res visa est, quæ hoc loco adscriberetur, Tartaros quosdam habitu Lithuanico in Moscouiam deduxit, in quos, ceu Lithuanos, nullo metu Moscos irruituros sciebat. Ipse dispositis loco opportuno insidiis, Moscos vlciscentes præstolatur. Tartari depopulata parte Seweræ prouinciæ, Lithuaniam versus iter arripiunt: indeque mutato itinere, cum Lithuaniam tenuisse cognouissent, Mosci Lithuanos esse rati, mox vindictæ cupiditate magno impetu in Lithuaniam irruunt: qua vastata, cum præda onusti redirent, ab Eustachio ex insidiis circumuenti, ad vnum omnes cæduntur. Qua re cognita, Moscus oratores ad Poloniæ regem, qui de illata sibi iniuria conquererentur, misit. Quibus rex: suos non intulisse, sed iniuriam vltos esse, respondit. Ita Moscus vtrinque delusus, damnum cum ignominia ferre coactus est.

Illius stratagema

Infra Circassos nullæ habitationes Christianorum sunt. Ad Borysthenis ostia, Oczakow, castrum & ciuitas, quadraginta milliaribus a Circass, quam Tauricæ rex, non ita diu Poloniæ regi ademptam, possidebat. Hanc nunc Turcus tenet. Ab Oczakow ad Albam, circa ostia Thiræ, quæ veteri nomine dicitur Moncastro, quatuordecim milliaribus, ab Oczakow in Præcop quatuordecim milliaribus. A Circass circa Borysthenem ad Præcop quadraginta milliaribus. Supra Circassos septem milliaria per Borysthenem ascendendo, Cainow oppidum occurrit: a quo decem & octo milliaribus est Chiouia, vetus Russiæ metropolis: quam magnificam & plane regiam fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, monumentaque, quæ in ruderibus visuntur, declarant. Apparent adhuc in vicinis montibus ecclesiarum, monasteriorumque desolatorum vestigia, præter ea cauernæ multæ, in quibus vetustissima sepulcra, corporaque in his nondum absumpta, visuntur. Ab hominibus fide dignis accepi, puellas ibi vltra septimum annum raro castitatem seruare. Rationes varias audiui, quarum nulla mihi satisfacit: quibus, mercatoribus abuti quidem, sed abducere minime licet. Nam si quis, abducta puella, deprehensus fuerit, & vita, & bonis, nisi principis clementia seruatus fuerit, priuatur. Lex etiam ibidem est, qua externorum mercatorum (si qui ibi forte decesserint) bona, aut regi cedunt, aut eius præfecto: id quod apud Tartaros & Turcas, in Chiouiensibus apud se mortuis, obseruatur. Ad Chiuouiam monticulus quidam est, per quem mercatoribus via aliquanto difficiliore transeundum est: in cuius ascensu, si forte currus aliqua pars frangatur, res quæ in curru portabantur, fisco vindicantur. Hæc omnia D. Albertus Gastol, Palatinus Vilnensis, regis in Lithuania vice gerens, mihi retulit. Porro a Chiouia ascendendo per Borysthenem triginta milliaribus, Mosier ad fluuium Prepetz, qui duodecim milliaribus super Chiow Borysthenem influit, occurrit. Thur fluuius piscosus influit Prepetz, a Mosier autem ad Bobranzko, triginta. Inde ascendendo viginti quinque milliaribus, peruenitur in Mogielew, a qua Orsa sex milliaribus abest. Hæc iam enumerata secundum Borysthenem oppida, quæ omnia in occidentali littore sita sunt, regi Poloniæ, orientali vero, Moscouiæ principi, subiiciuntur: præter Dobrownam, & Mscislaw, quæ Lithuaniæ ditionis sunt. Traiecto Borysthene quatuor milliaribus Dobrownam, indeque viginti, Smolensko deuenitur. Ex Orsa nobis iter fuit in Smolensko, & tum Moscouiam vsque.

Kiow Russiæ metropolis.

Ius Albinagii.

Mosier ciuitas. Bobranzko. Mogielew Orsa.

Borisowo oppidum viginti duobus ab Orsa in occidentem milliaribus abest, quod Beresina fluuius, qui infra Bobranzko Borysthenem influit, præterlabitur. Est autem Beresina, vt oculis conspexi, amplior aliquanto Borysthene, ad Smolensko. Plane puto hunc Beresinam, id quod etiam vocabuli sonus indicare videtur

Borisowo. Beresina fluuius.

detur, ab antiquis Borysthenem habitum fuisse. Nam si Ptolemæi descriptionem conspexerimus, Beresina fontibus magis, quam Borysthenes, quem Nieper appellant, conueniet.

Lithuania porro, quos principes habuerit, quando Christianismo initiata fuerit, ab initio satis dictum est. Huius gentis res ad Vitoldi vsque tempora, semper florebant. Si bellum aliunde ipsis immineat, suaque aduersus hostium vim defendere debeant, vocati quidem, ad ostentationem magis, quam ad bellum instructi, magno apparatu veniunt: verum delectu habito, cito dilabuntur. Quod si qui remanserint, hi equis, vestibusque melioribus, quibus instructi nomina dederunt; domum remissis, cum paucis quasi coacti, ducem sequuntur. Cæterum magnates, qui certum militum numerum suis sumptibus in bellum mittere coguntur, data duci pecunia, se redimentes, domi remanent: eaque res adeo dedecori non est, vt militiæ præfecti, ducesque publice in conuentibus, castrisque proclamari faciant, si qui velint, numerata pecunia exautoratos domum redire posse. Tanta autem inter hos quidlibet agendi est licentia, vt immodica libertate non vti, sed abuti videantur, principumque bona impignorata possideant: adeo, vt principes in Lithuaniam venientes, suis, ni prouincialium ope subleuentur, vectigalibus ibi viuere non potuerint. Gentis habitus oblongus, arcumque Tartarorum, hastam vero & scutum Hungarico more gerunt, equis bonis, iisdem castratis, sine soleis ferreis, quos mollibus coërcent lupatis, vtuntur.

Vilnæ descriptio.

Vilna est caput gentis, ciuitas ampla, intra colles sita, ad confluxum fluuiorum Veliæ & Vilnæ. Velia autem fluuius aliquot infra Vilnam milliaribus, Crononem influit. Cronon autem, oppidum Grodno, nomine haud ita dissimili, præterlabitur, Prutenosque populos, quondam ordini Teutonicorum subiectos (quibus nunc Albertus Marchio Brandenburgensis, postea quam se regi Poloniæ subdidit, eruceque & ordine deposito, hæreditarius præest) a Samagitis, eo loci, quo Germanicum mare illabitur, dirimit: vbi est oppidum Mumel. Nam Germani Crononem Mumel, patrio vero vocabulo Nemen appellant. Vilna porro nunc est muro cincta, multa templa, ædesque lapideæ in ea exædificantur, in qua episcopalis sedes est, quam tunc Ioannes, regis Sigismundi filius naturalis, vir singulari humanitate præditus, tenebat, nosque in reditu nostro humaniter excepit. Præter ea parochialis ecclesia, & aliquot monasteria, & præcipuum Franciscanorum de obseruantia coenobium, maximis sumptibus extructum, excellit. Multo plura tamen sunt Ruthenorum templa in ea, quam Romanæ obedientiæ. In Lithuaniæ principatu sunt tres Romanæ obedientiæ episcopatus: Vilnensis scilicet, Samagithiæ, & Chiouiensis. Rutheni vero episcopatus in regno Poloniae & Lithuaniæ, aut suis incorporatis principatibus, sunt, archiepiscopus Vilnae nunc degens, Polocensis, Volodimiriensis, Lucensis, Pinski, Chomensis, Praemissiensis. Lithuani melle, cera, cinere, quibus potissimum abundant, quaestum faciunt, quae magna ab eis copia Gedanum, deinde in Holandiam deferuntur. Picem quoque & asseres ad fabricandas naues, frumentum quoque Lithuania abunde praebet. Sale caret, quod venale ex Britannia habet. Quo tempore Christiernus Daniae regno eiectus, mareque piratis infestum esset, sal non ex Britannia, sed ex Russia portabatur: quo etiamnum vtuntur apud Lithuanos. Nostra tempestate apud Lithuanos duo potissimum viri bellica laude clari fuere: Constantinus Knes Ostroski, & Knes Michael Linzki. Constantinus vt plurimum Tartaros fudit: non occurrendo multitudini praedantium, sed praeda onustos sequebatur: cumque redirent ad eum vsque locum, in quo se omni metu solutos, respirandi & quiescendi commodum spatium habere putabant (is locus erat illi notus) cumque eos inuadere constituisset, monuit suos, vt sibi ea nocte cibaria pararent, nam se eis nullam ignis copiam in noctem futuram, esse facturum. Itaque sequenti die

Lithuaniæ episcopatus.

Constantinus Ostroski. Michaël Linski.

e pectore Sigismundi regis memoria, huius gratiam opera amicorum, quos in eius aula tum haberet, se facile consequi posse sperabat, ex suis quendam sibi fidum ad regem mittit, seque, si, quæ grauius in se commisisset, condonaret, rediturum, pollicetur. Grata hæc legatio regi fuit: nuncioque continuo publicæ fidei, quas petebat, litteras dari mandauit. Verum cum Michaël litteris regiis non prorsus fideret, quo tutius redire posset, a Georgio Pisbeck, & Ioanne de Rechenberg, equitibus Germanis, quos ea auctoritate apud regem, eiusque consiliarios esse sciebat, vt regem, vel inuitum, possent ad seruandam fidem cogere, similes litteras efflagitauit, impetrauitque. Sed cum eius rei nuncius in Moschi custodias incidisset, captusque esset, re patefacta, principique celeriter significata, Michaël principis iussu capitur. Eodem tempore nobilis quidam, ex Trepkonum familia, adolescens Polonus, a Sigismundo rege ad Michaëlem Moschouiam missus erat: qui, vt mandata regis commodius exequi posset, perfugam se simulabat. Is quoque haud meliore fortuna vsus, a Moscis capitur: et cum perfugam se diceret, neque sibi fides adhiberetur, adeo arcani continens fuit, vt etiam grauiter tortus, id non reuelaret. Porro cum Michaël captus, in conspectum principis in Smolensko adductus fuisset: perfide, inquit, digna te pro meritis poena afficiam: ad quæ ille: perfidiæ crimen, quod mihi impingis, non agnosco, nam si tu mihi fidem, promissaque seruasses, fidelissimum me in omnibus seruitorem habuisses. Sed cum te eam flocci facere, meque a te insuper eludi viderem, graue mihi in primis est, ea, quæ animo in te conceperam, me exequi non potuisse. Mortem ego semper contemsi, quam vel ea causa libenter subibo, ne vultum tuum, Tyranne, amplius conspiciam. Deinde principis iussu in magnam populi frequentiam in Wiesma abductus, vbi supremus belli præfectus, proiectis in medium grauibus, quibus vinciendus erat, catenis: princeps te, inquit, Michaël, maxima (vt scis) dum fideliter seruires, gratia prosequebatur. Postquam autem proditione fortis esse voluisti, hoc te secundum merita tua munere donat. Simulque cum dicto catenas illi iniici iubet. Qui, dum ita spectante multitudine catenis constringeretur, ad populum conuersus: ne captiuitatis, inquit, meæ falsa apud vos fama spargatur, quid fecerim, curque captus sim, paucis aperiam: vt vel meo exemp'o, qualem Principem habeatis, quidque quisque vestrum de eo sperare debeat aut possit, intelligatis. Ita orsus, totius sui in Moschouiam itineris rationem, quæque Princeps scriptis litteris, addito iuramento, sibi promisisset, neque vlla ex parte promissis stetisset, referebat. Cumque sua de principe expectatione falsus esset, voluisse denuo in patriam redire: ideo se captum esse. Qua iniuria cum præter meritum afficeretur, mortem se non magnopere refugere, præsertim cum sciret, communi lege naturæ omnibus æque moriendum esse. Et cum corpore valido, ingenioque ad omnia versatili esset, multum etiam valebat consilio, seriis, iocosisque rebus æque idoneus, planeque (vt aiunt) omnium horarum vir: qua animi dexteritate multum sibi gratiæ, auctoritatisque apud omnes, Germanos præsertim, vbi educatus fuerat, conciliauerat. Tartaros, Alexandro rege imperante, insigni clade profligauerat: neque a Vitoldi morte, Lithuani tam præclaram a Tartaris victoriam vnquam reportarunt. Hunc Germani, voce Bohemica, Pan Michal vocabant: qui, cum, vt homo Ruthenus, Græcorum in fide ritum ab initio, eoque post obmisso, Romanum sequutus fuisset, quo principis in se iram, indignationemque leniret, mitigaretque, in vinculis denuo Ruthenicum assumpsit. De eius liberatione, nobis in Moschouia existentibus, multi præclari viri, in primis autem principis coniunx, quæ sibi ex fratre neptis erat, apud principem laborabat. Intercedebat pro eo etiam Cæsar Maximilianus, litterasque speciales in priore mea legatione ad principem nomine suo dederat: quibus tamen vsqueadeo nihil effectum est, vt mihi tum nec aditus ad se pateret: imo ne videndi

Vana spe lactatur a principe Moschorum.

Vult redire in Poloniam.

In carcerem conijcitur a principe Moschorum.

Sermo Michaëlis Linski ad principem Moschorum.

Catenis vincitur.

Imperator Maximilianus intercedit pro Michaele Linski.

fui copia dabatur. In altera vero legatione, cum forte de liberatione eius tractaretur, sæpius a Moscis interrogabar, an hominem nouissem? quibus equidem, quod in rem suam fore putabam, nomen me dumtaxat eius aliquando audiuisse, respondi. Atque Michaël tum liberatus ac dimissus fuit: cuius neptim Princeps, viuente adhuc priore vxore, cum duxisset, tantam spem in eo ponebat, vt filios suos, illius virtute, a fratribus in regno tutos fore crederet: tutorem denique filiorum suorum testamento instituerat. Mortuo dein Principe, viduam lasciuientem cum identidem increparet, proditionis crimine ab ea insimulatus, captusque infelix moritur. Qua re patrata, non longe post, ipsam quoque ita sæuientem, veneno sublatam: adulterum vero Owtzina dictum, in partes laniatum ac dissectum aiunt.

Michaël Linski liberatur, & fit tutor principum. Infelix in carcere moritur.

Volinia, inter Lithuaniæ principatus, gentem bellicosiorem habet. Lithuania admodum siluosa est. Paludes ingentes, & multos fluuios habet: quorum alii, vt Bog, Prepetz, Thur & Beresina, orientem versus, Borysthenem illabuntur. Alii vero, vt Bug, Cronon, & Narew, septentrionem versus decurrunt. Cœlum inclemens, animalia omnis generis parua habet: frumento quidem abundat, sed seges raro ad maturitatem peruenit. Gens misera & graui seruitute oppressa. Nam vt quisque famulorum caterua stipatus, domum coloni alicuius ingreditur, impune quiduis facere, res ad vitæ vsum necessarias rapere, absumere, crudeliter etiam colonum verberare licet. Colonis quauis de causa ad dominos suos absque muneribus aditus non patet, quod si etiam admittantur, ad officiales et præfectos relegantur: qui nisi munera accipiant, nihil boni decernunt, constituuntue. Neque vero hæc solum tenuium ratio est, sed etiam nobilium, si a proceribus impetrare quidpiam volunt. Audiui a quodam primario officiale apud Regem iuniorem, qui dixit, vnumquodque verbum in Lithuania aurum esse. (124) Regi quotannis imperatam pecuniam pro defendendis regni finibus pendunt. Dominis, præter censum, hebdomadarim sex dies laborare: parocho denique, ducta, vel mortua vxore, liberis similiter natis, aut vita defunctis, eo, quo confitentur tempore, certam numerare pecuniam coguntur. Tam dura porro seruitute a Vitoldi tempore in hunc vsque diem detinentur, vt si quis forte capite damnatus fuerit, de se ipso, iubente Domino, supplicium sumere, suisque manibus se suspendere cogatur. Quod si forte facere recusauerit, tum crudeliter cæsus, atque immaniter excarnificatus, nihilominus suspenditur. Hac sæueritate effectum est, vt si iudex aut præfectus in re præsenti constitutus, reo moram forte nectenti, minatus fuerit, aut solummodo dixerit, festina, dominus irascitur: tum miser grauissima verbera extimescens, laqueo vitam finit.

Misera conditio populi in Lithuania.

DE FERIS.

Feras habet Lithuania, præter eas, quæ in Germania reperiuntur, bisontes, vros, alces, quos alii onagros vocant, equos siluestres. Bisontem Lithuani lingua patria vocant Suber: Germani improprie Auerox, vel Vrox: quod nominis vro conuenit, qui plane bouinam formam habet, cum bisontes specie sint dissimillima. Iubati enim sunt bisontes, & villosi, secundum collum & armos, barba quadam a mento propendente, pilis muscum redolentibus, capite breui, oculis grandioribus, & toruis, quasi ardentibus, fronte lata: cornibus plerumque sic diductis & porrectis, vt interuallum eorum tres homines bene corpulentos insidentes capere possit: cuius rei periculum factum perhibetur a rege Poloniæ Sigismundo, huius, qui nunc regnat, Sigismundi Augusti, patre, quem bene habito & firmo cor-

Descriptio bisontis.

pore

(124) Sex versus, incipiens a verbis: *gens misera*, vsque ad verba *nil boni decernunt*, Stryicouius in Sarmatia Europæa, vt supra p. 81. videre licet, ex Herbersteinio, non laudato auctore, exscripsit verbo tenus, qui & varia alia ex eo hausit. Priori quidem loco Herbersteinius, deinde Stryicouius, recentior auctor, ponendus fuisset, sed, capitibus nonnullis Sarmatiæ Europææ iam impressis, res non fuit integra.

pore fuiſſe ſcimus, duobus aliis ſe non minoribus ſibi adiunctis. Tergum ipſum ceu gibbo quodam attollitur, & priore, & poſteriore corporis parte demiſſiore. Qui venantur biſontes, eos magna vi, agilitate & ſolertia præditos eſſe oportet. Deligitur locus venatui idoneus, in quo ſint arbores iuſtis diremptæ ſpatiis, truncis nec craſſis nimis, vt facile circumiri poſſint: nec paruis, vt ad tegendum hominem ſufficiant. Ad has arbores ſinguli venatores diſponuntur, atque vbi canibus perſequentibus exagitatus biſons eum in locum propellitur, qui primus ex venatoribus ſeſe profert, in eum magno impetu fertur. At is obiectu arboris ſeſe tuetur, & qua poteſt percutit venabulo feram: quæ, ne ſæpius quidem icta cadit, ſed incenſa magis ac magis rabie, non tantum cornua, ſed etiam linguam vibrat: quam ita ſcabram & aſperam habet, vt venatorem ſolo veſtis eius attactu comprehendat & attrahat: nec ante relinquat, quam occidat. Quod ſi quis forte circumcurſitando & feriendo delaſſatus reſpirare cupit, is feræ obiicit pileum rubrum, in quem & pedibus, & cornibus ſæuit. Si vero alteri in idem certamen, non confecta fera, deſcendere libet, vt fieri neceſſe eſt, ſi ſalui illinc abire velint: is eam facile in ſe prouocat, ſi vel ſemel ſono barbaro Lululu ſucclamarit.

Venatio biſontis.

Vros ſola Maſouia Lithuaniæ contermina habet: quos ibi patrio nomine Thur vocant, nos Germani proprie Vrox, dicimus. Sunt enim vere boues ſilueſtres, nihil a domeſticis bobus diſtantes, niſi quod omnes nigri ſunt, & ductum quendam inſtar lineæ ex albo mixtum per dorſum habent. Non eſt magna horum copia: ſuntque pagi certi, quibus cura & cuſtodia eorum incumbit: nec fere aliter, quam in viuariis quibusdam ſeruantur. Miſcentur vaccis domeſticis, ſed non ſine nota. Nam in armentum poſtea, perinde atque infames, a ceteris vris non admittuntur: & qui ex eiusmodi mixtione naſcuntur vituli, non ſunt vitales. Sigismundus Auguſtus rex mihi apud ſe oratori donauit exenteratum vnum, quem venatores eiectum de armento ſemiuiuum confecerant: reciſa tamen pelle, quæ frontem tegit, quod non temere factum eſſe credidi: quanquam cur fieri ſoleret, per incogitantiam quandam non ſum percontatus. Hoc certum eſt, in pretio haberi cingulos ex vri corio factos, & perſuaſum eſt vulgo, horum præcinctu partum promoueri. Atque hoc nomine regina Bona, Sigismundi Auguſti mater, duos hoc genus cingulos mihi dono dedit: quorum alterum sereniſſima Domina mea, Romanorum regina, ſibi a me donatum, clementi animo accepit.

Vri.

Quæ fera Lithuanis ſua lingua Loſs eſt, eam Germani Elend, quidam Latine alcen vocant: Poloni volunt onagrum, hoc eſt, aſinum agreſtem, eſſe, non reſpondente forma. Sectas enim vngulas habet: quanquam, & quæ ſolidas haberent, repertæ ſint, ſed id perrarum eſt. Animal eſt altius ceruo, auribus & naribus prominulis, cornibus a ceruo non nihil diuerſis, colore item magis ad albedinem tendente. Curſus eſt velociſſimi: non quo cetera animalia modo, ſed gradarii inſtar. Vngulæ, tanquam amuletum, contra morbum caducum geſtari ſolent.

Alce.

In deſertis campis circa Boryſthenem, Tanaim & Rha, eſt ouis ſilueſtris, quam Poloni Solhak, Moſci Seigack appellant, magnitudinis capreolæ, breuioribus tamen pedibus: cornua in altum porrecta, quibusdam circulis notata, ex quibus Moſci manubria cultellorum tranſparentia faciunt: velociſſimi curſus, & altiſſimorum ſaltuum.

Ouis ſilueſtris ſeu Solhak.

Samagithia proxima Lithuaniæ eſt prouincia, in ſeptentrionem ad mare Baltheum, quæ Pruſſiam, quatuor milliarium Germanicorum ſpatio, a Liuonia diuidit: nullo oppido, aut caſtro munito inſignis. Huic ex Lithuania a principe præfectus, quem ſua lingua Staroſta, quaſi ſeniorem, appellant, præficitur, neque temere is, niſi grauiſſimas ob cauſas, officio mouetur: ſed quoad viuit, perpetuo manet. Epiſcopum habet Romano Pontifici ſubiectum. In Samagithia hoc in primis admirandum occurrit, quod, cum eius regionis homines procera, vt plurimum,

De Samogithia.

Mos viuendi in Lithuania.

ftatura fint, filios tamen, alios corporis magnitudine excellentes, alios perpufillos, ac plane nanos, veluti viciffitudine quadam, procreare folent. Samogithæ veftitu vili, eoque vt plurimum cinericio vtuntur. In humilibus cafis, iisque oblongioribus vitam ducunt, in quibus ignis in medio conferuatur: ad quem cum paterfamilias fedet, iumenta, totamque domus fuæ fuppellectilem cernit. Solent enim fub eodem, quo ipfi habitant, tecto, fine vllo interftitio pecora habere. Maiores vrorum cornibus pro poculis etiam vtuntur. Audaces funt homines, & ad bellum prompti: loricis, aliisque plurimis armis, præcipue autem cufpide, & eo breuiore, venatorum more, in bello vtuntur. Equos adeo paruos habent, vt vix credibile fit, ad tantos labores eos fufficere poffe: quibus foris in bello, domique in colendis agris vtuntur. Terram non ferro, fed ligno profcindunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax, & non arenofa fit, quaque pinus nunquam crefcit. Araturi ligna complura, quibus terram fubigunt, locoque vomeris vtuntur, fecum portare folent: fcilicet, vt vno fracto, aliud atque aliud, ne quid in mora fit, in promptu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis, quo prouinciales grauiore labore leuaret, multos ferreos vomeres adferri fecerat. Cum autem eo, fequentibusque aliquot annis, fegetes, aliqua cæli intemperie, expectationi agricolarum non refponderent, vulgusque agrorum fuorum fterilitatem ferreo vomeri adfcriberet, nec aliud quicquam in caufa effe putaret, præfectus veritus feditionem, amoto ferro, fuo eos more agros colere permifit. Prouincia hæc nemoribus, filuisque abundat, in quibus horrendæ quandoque vifiones fieri folent. Sunt etiamnum illic idololatræ complures, qui ferpentes quosdam quatuor breuibus, lacertarum inftar, pedibus, nigro obæfoque corpore, trium palmarum longitudinem non excedentes, Giwoites dictos, tanquam penates domi fuæ nutriunt: eosque luftrata domo ftatis diebus ad appofitum cibum prorepentes, cum tota familia, quoad faturati in locum fuum reuertantur, timore quodam venerantur. Quod fi aduerfi quid illis accideret, ferpentem, Deum domefticum, male acceptum ac faturatum effe credunt. Cum, priori ex Mofchouia itinere rediens, in Troki veniffem, referebat hofpes meus, ad quem forte diuerteram, fe eodem, quo ibi eram, anno, ab eiusmodi quodam ferpentis cultore aliquot alvearia apum emiffe: quem cum oratione fua ad verum Chrifti cultum adduxiffet, vtque ferpentem, quem colebat, occideret, perfuafiffet, aliquando poft, cum ad vifendas apes fuas eo reuerfus fuiffet, hominem facie deformatum, ore aurium tenus miferabilem in modum diducto, offendit. Tanti mali caufam interrogatus, refpondit, fe, quod ferpenti Deo fuo manus nefarias inieciffet, ad piaculum expiandum, luendamque poenam, hac calamitate puniri: multaque grauiora, fi ad priores ritus fuos non rediret, eum pati oportere. Hæc quamuis non in Samogithia, fed in Lithuania funt acta, pro exemplo tamen adduxi. Mel nufquam melius, nobiliusue, quodque minus ceræ habeat, albumque fit, quam in Samogithia, reperiri aiunt.

Mos arandi.

Cultus ferpentum olim in Lithuania.

Abundantia mellis in Samogithia.

Mare quod Samogithiam alluit, quodque Baltheum, quidam Germanicum, alii Prutenicum, nonnulli Venericum, Germani vero alludentes Baltheo, Pelts appellant: finus proprie dicitur, interluit namque Cimbricam Cherfonefum, quam hodie Iuchtland, & Sunder Iuchtand Germani: Latini vero, nomine inde pariter fumpto, Iuciam vocant. Alluit & Germaniam, quam Baffam dicunt, incipiendo ab Holfatia, quæ Cimbricam contingit: dein Lubicenfem, item Vifmariam, & Roftok, Magnopolenfium Ducum ciuitates, totumque Pomeraniæ tractum, id quod nomen eius loci indicat. Pomoria enim Slauonica lingua idem eft, ac fi diceres, iuxta mare, feu maritimum. Inde Pruffiam, cuius metropolis eft Gdanum, quod & Gedanum & Dantifcum apellatur, alluit. Porro Ducis Pruffiæ fedes eft, quam Germani regium montem appellant. Eo loci certo anni tempore, fuccinum

mari

mari innatans, magno hominum periculo, propter subitum maris accessum & recessum aliquando, piscatur. Samogithiam vix IV. milliaribus contingit, atque longo tandem tractu Liuoniam, & eam partem, quam vulgo Churland, Curetos absque dubio vocant, & regiones, quæ Mosco subsunt: Vinlandiam denique, quæ Swetensium ditionis est, vnde etiam Venedicum nomen originem duxisse arbitrantur, circumluit. Ab altera autem parte Swetiam contingit. Totum autem Daniæ regnum, quod insulis maxime constat, in hoc sinu continetur: exceptis Iucia & Scandia, quæ continenti adhærent. Gotlandia quoque insula regno Daniæ subiecta, in hoc sinu est: ex qua plerique, Gothos prodiisse, putabant: cum tamen longe angustior sit, quam quæ tantam hominum multitudinem capere potuisset. Præter ea si Gothi ex Scandia progressi fuissent, ex Gotlandia in Swetiam, & iterum reflexo per Scandiam itinere (quod rationi minime consentaneum est) oportuisset eos reuerti. In Gothia insula adhuc Vuisby ciuitatis ruinæ extant, in qua omnium illac prætetnauigantium lites ac controuersiæ cognoscebantur, ac constituebantur: eo etiam ex longinquis illis maritimis locis causæ ac negotia deferebantur, prouocabanturque.

Liuoniæ descriptio.

Liuonia prouincia in longitudine secundum mare protenditur. Huius metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister præest. In ea, præter Rigensium archiepiscopum, Riualiensis & Ossiliensis episcopi sunt. Oppida habet complura: præcipue autem ciuitatem Rigam ad fluuium Dwina, non longe ab ostiis: item Reualiam & Derbtensem ciuitates. Reualiam Rutheni Roliwan: Derbt vero Iuryowgorod appellant. Riga nomen suum vtraque lingua retinet. Fluuios nauigabiles, Rubonem & Neruam habet. Huius prouinciæ princeps, fratres ordinis, quorum primi Commendatores vocantur, item proceres & ciues, Germani fere omnes sunt. Plebs, vt tribus fere linguis vtitur, ita in tres ordines, seu tribus, est diuisa. In Liuoniam ex Germaniæ principatibus, Iuliacensi, Geldrensi, & Monasteriensi, quotannis noui & seruitores & milites deducuntur: quorum pars inde mortuorum, alii in eorum locum qui defuncti annuo officio, quasi manumissi in patriam redeunt, succedunt. Insigni equorum copia adeo abundant, firmique sunt, vt hactenus tam regis Poloniæ, quam magni Ducis Moschouiæ hostiles & frequentes in agros eorum incursiones fortiter sustinuerint, strenue defenderint.

Fluuii Rubon & Nerua.

Bellum & pugna inter Moschos & Waltherum a Pletenberg.

Anno Domini MDII, mense Septembri, Alexander Poloniæ rex, magnusque Lithuaniæ Dux, magistrum Liuoniensem Waltherum a Pletenberg, pactionibus quibusdam induxit, vt ipse instructo exercitu Moschouiæ Ducis prouincias aggrederetur: pollicitus, vbi is hostilem terram attigisset, cum magno se exercitu affuturum. Sed enim rex eum ad constitutum tempus, sicuti receperat, non venisset, Moscique cognito hostium aduentu, ingenti multitudine magistro occurrissent, isque cum se desertum videret, neque sine summa turpitudine periculoque retrocedere posset, suos primum pro tempore paucis adhortatus, mox exoneratis tormentis, strenue hostem aggreditur: primoque impetu Ruthenos dissipat, atque in fugam conuertit. Cum autem pro numero hostium pauciores essent victores, grauioreque armatura præpediti, hostem longius persequi non possent: Mosci re cognita, recuperatis animis, denuo in ordines redeunt, atque Pletenbergii peditatum, qui circiter mille quingenti instructa phalange hosti se opposuerunt, aggressi strenue cædunt. In ea pugna præfectus Matthæus Pernauer, cum fratre Henrico, & vexillifero Conrado Schwartz, periere. Huius vexilliferi egregium facinus memoratur, nam cum hostium telis obrutus, confectusque diutius stare non posset, priusquam occumberet, alta voce virum aliquem fortem, qui vexillum a se reciperet, inclamabat, ad cuius vocem Lucas Hamersteter, qui se ex Braunsuicensibus ducibus, illegitimo tamen thoro, oriundum gloriaretur, illico accurrens, ve-

Factum vexilliferi Conradi Schwarz.

xillum ex moribundi manibus capere nitebatur, quem Conradus, siue quod suspectam haberet illius fidem, siue quod tanto honore indignum esse arbitraretur, tradere recusauit. Cuius iniuriæ Lucas impatiens, educto gladio manum Conradi cum vexillo amputat. Conradus nihilominus vexillum altera manu & dentibus mordicus apprehendens, tenet, laceratque. Lucas vexilli fragmentis arreptis, proditisque peditum copiis, ad Ruthenos deficit. Huius defectione factum est, vt quadringenti fere pedites ab hostibus misere trucidarentur: reliqua turba cum equitatu seruatis ordinibus, ad suos incolumes rediere. Huius cladis auctor Lucas, postea a Moscis captus, atque in Moschouiam missus, in aula principis aliquandiu honesto loco fuit. Verum is acceptæ a Moscis iniuriæ impatiens, ex Moschouia clam ad Christiernum Daniæ regem postea profugit, a quo tormentis præficitur. Cum autem pedites aliqui, qui ex ea clade euaserant, in Daniam elapsi, illius proditionem Regi indicassent, nec cum eo vna militare vellent, rex Christiernus eum in Stockholm misit: mutatoque post regni statu, Iostericus, alias Gustavus, Sueciæ rex, recuperata Stockholm, Lucam ibi inuentum, numero familiarium suorum adscribit, & Viburg oppido præficit: vbi cum, nescio cuius criminis se insimulari cerneret, veritus grauiora, denuo in Moschouiam se recepit: vbi ego illum honorifice vestitum, inter principis stipendiarios vidi.

VIII.
DE SARMATIA COMMENTARIOLUS
HARTMANNI SCHEDEL, (125)
ARTIS MEDICÆ DOCTORIS.

Fines Sarmatiæ

SArmatia est nimis vasta & ampla regio, sed inculta & in solitudine posita, & sub rigidissimo æthere iacet. Hæc ex ortu Moschos & Tanain fluuium habet: A meridie Dacos & Pannonas: ab occidente Bohemos, Morauos, Slesios, & Teutones: a septentrione mare Germanicum & sinum Codanum. Id vero quod regni nomen sortitur, Poloniam vocant. Hæc duo nomina habet. Nam eam partem terræ, vbi sita est Cracouia, minorem Poloniam nominant: at vbi Posnania & Gneszna surgit, maiorem nuncupant. A Craco autem primo duce vsque ad ætatem primi Boleslai, non nisi duces illic imperitabant. Temporibus autem primi Othonis Cæsaris Boleslaus clarissimus dux fuerat. Non is, de quo in vita diui Stanislai dicemus. Nam ille nepos eius fuit, qui ex monacho, huius Boleslai filio, natus fuerat. Iste igitur Boleslaus, regem Franciæ & Germanas gentes, victrici manu infestabat. Tandem sub Othone Cæsare tali bello finem dedit, & foedus cum Germanis & Gallis contraxit. Otho autem Cæsar videns tanti principis animi magnitudinem, quam toti Germaniæ & Sarmatiæ notam fecerat, se cum Boleslao duce in Sarmatiam contulit, vt & imperium, & potestatem eius planius perspiceret. Quem illustris dux summis honoribus in Posnan suscepit. Nam tribus ante vrbem millibus passuum, aut longius, sericas lanas, muriceasque vestes, auro, argentoque decoratas, per viam, qua Cæsar iturus erat, prosterni iussit. Et, post ingressionem Cæsaris in vrbem Posnan, cuicunque

Magnificentia Boleslai.

licitum

(125) HARTMANNUS SCHEDEL, fuit medicus & historicus Norimbergæ viuens. Vbi, & quo anno sit natus, ignoratur, mortuus vero dicta in ciuitate d. IV. Dec. anni 1485. De peste, aliosque de medicina libellos scripsit. Præter ea, *librum Chronicorum*, hunc commentariolum continentium, reliquit, qui Norimbergæ a. 1443. prodiit, in fol. quem librum, *Chronica Norimbergensia* dicta, deinde GEORGIUS ALTENS, Germanorum idiomate donauit. Scripsit & CHRONICON, siue *epitomen dierumde mundi fabrica.*

licitum fuerat illa deferre & deportare. Illic magnificis, ſpendidiſſimisque conuiuiis & theatris, ceterisque cærimoniis Cæſarem venerabatur, vt nulla, quam aurea, illic forent ſupellectilia: quæ poſt quoslibet cibos in puteos, quorum fundi nemo certus erat, deiici ac deperdi iubebat. (126) Multas alias pompas ac munificentias Cæſari Othoni inſtaurabat, quæ ſatis ample Sarmatica hiſtoria enarrat. Iamque videns Cæſar tanti principis liberalitatem, & mentis ſublimitatem, diuitiarumque abundantiam, non ab re animo duxit, tantum clariſſimum ducem corona regia dignum fore. Eum itaque regali ſceptro ac diademate exornauit, ac ceteris dignitatibus, ſedem regiam requirentibus, celebrauit. Ne autem Boleslaus, iam illuſtris rex, tanti erga Cæſarem beneficii ingratus videretur, brachium diui Adalberti antiſtitis, quem Pruteni nefanda morte trucidarunt, pro munere Cæſari obtulit. Iamque aucto regni imperio vſque ad annos ſalutis noſtræ, M. CCCC. aut paulo antea, rex Poloniæ, dum abſque prole diſceſſiſſet, tandem dux, qui Lithuanis ac Ruſſiæ præſidebat, in regem electus fuit, qui idola antea coluit. Sed eo tempore, quo illi regium ſceptrum deferebatur, Chriſtianam religionem cum omni terra, cui præerat, ſuſcepit. Itaque Lithuanos ac Ruſſitas ad regnum Sarmatiæ ſic adiunxit, vt non, niſi abſque certa conditione, diſſolui poſſint. Is ergo illuſtriſſimus princeps Prutenos, maritimas Germaniæ gentes, ſæuiſſimo bello ſub iugum duxit, ac imperium amplius extendit: Vbi inſignes vrbes extant Dantiſcum & Thuronia. Eſt & clariſſima arx Mariæburgum, cui ſimilis nemo mortalium vidiſſe fertur, multis variis ſtructuris, moenibus, turribus ac foſſis munita, vt nulli inimicorum tutus ſit ad arcem acceſſus. Amplius imperium ante aliquot annos fuerat: infeſtante tamen Tartarorum & Turcarum perfidiſſima gente, magnum toti Sarmatiæ damnum illatum eſt. Nam terra, quæ poſt Ruſſiam vadit, quam gens Podoliam vocat, tota exuſta & in ſolitudine poſita eſt: vt & neceſſitatem peregrinantibus ferre non poſſit, quamuis fertiliſſima ſit: ita vt gramina in altitudinem vnius celſi viri excreſcant: & apibus, & melle tota redolens, vt non ſatis illis locus ſit, vbi mella deferant. Sub arboribus namque aut virgultis & ſiluis fauos ſic educunt. Hercynium autem celebratiſſimum nemus, quo in tota Europa nihil præſtantius, Sarmatiam totam percurrit, & circa Craeouiam ſaltus ſuos extendit: per quos ire poteſt vnusquisque vſque in Lithuaniam & Scythiam. Tantis brachiis regionem illam totam peruagatur, ferarum maximos educens greges. In ea vero ſiluæ parte, quæ ſeptentrionalior eſt, biſontes fert: quæ ferox ac immanis bellua eſt, humanum genus maxime peroſa: ad veſcendum quidem maxime conueniens: Formam autem gerit citrini coloris: frontem latam & cornua fert, vt nec venationi ſatis aptum ſit, niſi maximis, variisque laboribus. Metallum vero nullum, quam plumbum, Sarmatia fert: non alia, quam Saturni cauſa: qui terram rigido infeſtat frigore. (127) Salis autem maxima copia eſt, qua ceteræ longinquæ gentes vtuntur. Quod maximum præſtat toti regioni emolumentum: qua nulla regi ipſi maior in toto regno gaza extat. Nam ſub terra exciduntur ingentia ſalis ſaxa. Extra terram autem aliud ſal ex aqua decoquitur. Eſt & Sarmatia ferax & vberrima tellus omni genere fructuum, & quicquid ad paſcendum humanum corpus expetit. Nunc addenda eſt clariſſima proles illuſtriſſimi principis Vladislai, de quo antea diximus. Is tres (vt quidam ferunt) vxores habuit, ex quibus quos ſuſceperat filios, quorum vnus natu maior Vladislaus vocabatur, alter Caſimirus. Vladislaus autem poſt mortem patris regio inſignitus fuerat imperio. Itaque Hungariæ & Bohemiæ, & Poloniæ regnis præſidebat, vbi clariſſima geſta militari

Donatur corona ab imperatore Ottone I.

Fertilitas Podoliæ.

Hercynium nemus.

Biſons.

Vladislai proles.

Lll 2 manu

(126) Sit fides penes auctorem. Difficile enim eſt, credere, Boleslaum tam malum fuiſſe oeconomum, & tam barbare magnificum, prodigumque, vt tot vaſa aurea in puteum deiicere & perdere iuſſerit.

(127) Meliorem certe cauſam medicus, phyſicis in rebus, afferre debuiſſet. Gaudet Sarmatia & auro & argento in montibus Carpathis, ſed non effoditur.

manu faciebat, ac imperium & Christianam religionem amplificabat. Nam regi Turcarum tantum terrarum depopulatus fuerat, vt & ante Constantinopolim castra metaretur: vbi dum sæuissima bella erga Turcas gereret, ac vtraque pars crudelissimo conflictu decertaret, Pannones, versis tergis, fugam dabant, ac regem cum paucis Sarmatiæ copiis in tanta hostium multitudine reliquerunt. Casimirus vero dux, Lithuanis & Russiæ præerat. Inde, dum casus regius genti notus fuerat, Casimirus per Sarmatias in regem declaratur, qui filiam ducis Austriæ, sororem Ladislai, qui regno Bohemiæ & Hungariæ præsidebat, in vxorem duxit. Ex ea sex suscepit filios & quinque filias. Primogenitus vero Vladislaus vocatur. Hic adhuc iuuenis existens in imperium regni Bohemiæ electus fuit, mira quadam animi magnitudine ac optimis consiliis pollens. Ob quod, dum Matthias rex Hungariæ decessisset, & regnum Pannoniæ adeptus est. Huic erat proximus frater, cui Casimirus, nomen paternum datum fuerat, qui summo ingenio ac prudentia claruit, tandem morbo inualescente periit. At huic successit illustrissimus princeps Iohannes Albertus, iam futurum toti orbi spectaculum. Is plurima illustria gesta militaria bello apud Tartaros ac ceteras gentes edidit. Post patris autem obitum regno successit, vbi, fauente illi prospera fortuna, regnum virtute sua & optimorum, doctissimorumque virorum consiliis, gubernat. Inclitus vero dux Alexander quartus natus regius est, cui fortitudine & mentis sublimitate parem tota Sarmatia vix tulit. Hunc ob eius constantiam Lithuani post mortem patris in ducem susceperunt, qui & maximum toti Sarmatiæ decus esse existimatur. Post hunc sequitur Sigismundus celebris princeps, qui paterna sequitur vestigia. Is multis egregiis gestis clareret, si illi aliquid felix fatum aspiraret. Celeberrimus autem Fridericus princeps vltimum natorum locum obtinuit, qui, innata animi ingenua virtute, relinquens vanos principum tumultus & inquietam vitam, ad sedem tranquilliorem sese contulit. Vnde episcopus Cracouiensis electus ad archiepiscopatum Gnesnensem postea deuenit. Hi omnes, clarissimi quinque principes, hanc vsque in ætatem, magnifice ac celeberrime vitam ducunt. Inter filias vero quinque, prima nupsit Georgio duci Bauariæ: secunda Friderico Marchioni Brandenburgensi. Tertia duci Pomeraniæ. At duæ reliquæ innuptæ apud matrem vitam ducunt.

Casimiri proles. — *Vladislaus.* — *Casimirus.* — *Ioan. Albertus* — *Alexander.* — *Sigismundus.* — *Fridericus.*

DE SANCTO STANISLAO EPISCOPO
Cracouiensi, Patrono Sarmatiæ.

Diuus Stanislaus, vir magnæ apud Deum auctoritatis, totus Sarmatiæ patronus & signifer, natus anno salutis nostræ M. VIII. in rure quod Sczeppanowo vocant, nobilibus ac claris parentibus, quorum cura fuit in templis diuino seruitio incumbere, & Deum piis placare precibus. Is dum in iuuentutem deuenisset, patris monitu in celebre gymnasium, Lutetiam, deuenit, vbi optimarum litterarum studiis summam operam dabat: vnde multis virtutibus floruit, sacro autem, diuinoque iuri præcipue insistebat: non ea, quæ huius ætatis iurisperiti quæstus causa solent, vt maiorum dignitatum honorem adipisceretur: sed vt, si quando locus, statusue, aut conditio sua ferre posset, vt tantum miseris, quantum potentibus, orphano, pupilloue iustitiam administraret, & vnicuique æquo pondere, quod suum esset, iubente id lege, redderet. Tandem paternas sedes rediens, Cracouiam, inclitam Sarmatiæ vrbem, deuenit. Illic ob virtutem & scientiam suam canonicali dignitate fungitur. Mortuoque antistite, coelestis numinis prouidentia in præsulis sedem declaratus fuit. Hunc dum semper optimo ordine statum deferret, curabat sacram religionem ac diuinum cultum amplificare. Empto tandem rure a quodam milite, eoque mortuo, amici illius villam

Virtutes diui Stanislai.

villam eandem iure hæreditario a diuo præsule repetere conabantur. At ille testimonium huius stipulationis, emtionisque proferre non potuit. Nam hi, qui huius rei satis edocti fuerant, propter illorum potentiam latebant. Vir ergo sanctus orationibus ac ieiuniis incubuit, confisusque summi Dei potentia, qua se iam diu munitum cognouerat, accedens ad tumulum defuncti militis, a quo rus illud emerat, & euoluto lapide & arena, pia & deuota oratione Deum obtestabatur, & mortuum illum per quatuor annos in vitam reduxit. Eumque coram tyranno Boleslao, apud quem tale ius agebatur, constituit: adstantibus illic suis aduersariis, ceterisqne regni optimatibus: quo se emisse villam aperte demonstrauit: iamque sæuus Boleslaus foedo, turpique luxui insistebat, ac omnem in suas gentes perfidiam & tyrannidem exercebat: ac illustres viros, egregiosque ciues nefandis, dirisque suppliciis, excruciabat. Stanislaus vero Christi vates haud longius id ferendum existimabat. Itaque regem intrepidus adiens, vt talibus coeptis desineret, illum obiurgabat. At ille magis in dies facinus exercebat. Tandem a præsule in sententiam excommunicationis ponitur, quare tyrannus Boleslaus, ignarus præ furore, quid ageret, dimisit satellites suos, vt præsulem, quocunque esset loco, trucidarent. Eo tempore diuus Stanislaus in sacellum diui Michaëlis, quod super rupellam in Casimiri vrbem conditum est, deuenerat, gratissimum illic Deo offerens sacrificium: hunc in locum dum ministri regii deuenissent, iamque ter ingredi templum conarentur, ter iterum pulsi, diuina potentia in tergum cadebant. Id postquam ad regias aures deuentum fuisset, magno fremitu rex Boleslaus in sacellum properat: vbi sanctum præsulem iam sacrificia offerentem immani verbere ac sæuissimis ictibus trucidat. Tandem per ministros in frusta partitus, extra vrbem deiicitur, vt volucres illud vncis, rostris, diuellerent: sed, diuina sic agente prouidentia, aquilæ illic aderant, quæ pretiosum corpus in vnum collegerunt, summaque diligentia id seruabant, quousque ciues ipsum maximo, venerandoque ritu in rupella honorifice sepelirent. Tandem in numerum sanctorum relatus, vt præmissum est, in arcem regiam ad templum diui Venceslai deductus, in aurea tumba, multis miraculis coruscat, quem populus multo thure ac precibus indies veneratur.

Diuus Stanislaus obiurgat regem Boleslaum.

Trucidatur a Boleslao.

DE CRACOVIA VRBE REGIA SARMATIÆ.

CRacouiam vrbem regiam, inserendam, haud absurdum esse duxi. Nam celebris Germaniæ ciuitas est, teste Ptolemæo optimo, lucidiorique Cosmographo, qui eam Corrodunum appellat. Strabo autem Germaniam definit, quantum Rhenus & Albis in se clauserint. Nos ea causa sane non indignam vrbem Sarmatiæ fore censemus. Hanc a prima eius origine repetendam satis dignam esse putaui. Sed ne prolixiori, ambiguaue oratione narrando fabulari videar, breuiter de eius situ quippiam narrare constitui. Cracouia igitur illustris vrbs Sarmatiæ, quam Poloniam vocant, ad ripam Istulæ, non longe ab eius fontibus sita est. Hæc a Craco, primo duce, condita fuisse, & ipsius nomine celebrata esse a multis dicitur. Hæc altis primum moenibus cingitur & propugnaculis & celsis turribus: post paruo muro & ob vetustatem ruituro simili. Tandem vallis ac fossis: vt imminentibus hostibus facilior aditus prohibeatur. Hæ quædam piscinarüs aquis repletæ: quædam virgultis, frutice, ac graminibus virent. Post aggerem vero, qui valli imminet, amnis non late fluens Rudiis dictus, totam ciuitatem circumluit. Hic rotarum orbes agitat, qui cererem saxis conterunt & emolliunt. Deductus tandem per subterraneos cuniculos & cannas toti vrbi satis vndarum præbet. Portæ vrbis septem. In ea vero plurimæ ac egregiæ ciuium domus ac plurima ingentia templa. Præcipuum diuæ virginis Mariæ in medio

vrbis extat cum duabus arduis, celsisque turribus. Sunt & illic multa monasteria, vbi multus deuotorum, religiosorumue patrum coetus fulget. Ad ædem namque gloriosissimæ Trinitatis, sic vocatam, est celebris ordo prædicatorum. In ea vero sacra æde multæ sanctitatis vir beatus Iacinthus, nondum in numerum sanctorum relatus, magnis miraculis redolet, diui Dominici comes: qui adhuc viuens tres mortuos in vitam reduxit. Ad templum vero sancti Francisci est ordo fratrum minorum non reformatus, ac cetera multa monasteria. Est & templum non longe a porta Istulæ, quod ad sanctam Annam vocant: vbi beatus Cantus, celebris huius vrbis gymnasii doctor, multis miraculis & prodigiis fulget, quamuis nondum in catalogum sanctorum adscriptus sit. Hanc iuxta sacram ædem situatum est ingens celebre gymnasium, multis clarissimisque viris pollens, vbi plurimæ ingenuæ artes recitantur, studium eloquentiæ, poëtices, philosophiæ, ac physices: Astronomicæ tamen studium maxime viret, nec in tota Germania (vt ex multorum relatione satis mihi cognitum est) illo clarior reperitur. Illic iam maxime Phoebus colitur, qui & eorum cruda elimat ingenia ac polita reddit. Has ædes diuus Vladislaus, illustris Sarmatiæ rex, dum ex Prutenorum littorali Sarmatiæ gente sæuissimo conflictu victoriam duxisset (cuius quidem belli plurima clarissima monumenta hanc vsque in ætatem in arce regia, de qua paulo post dicemus superstant) magnis opulentiis extruxit, libertatibus & stipendiis summis celebrauit, nec incolæ vrbis Sarmatico more viuunt, quos crudos & ignauos Sarmatas prisci dixerunt. Sunt namque illic clarissimi ciues, virtutibus, prudentia, & comitate insignes, humanitatem & hospitalitatem liberaliter & familiariter erga quosque peregrinos offerentes. Victus illis splendidior, quam ceteris Sarmatis. Ex omni delicato genere cibi, potus illis frequentior est, aqua hordeo & humulo decocta. Is, quantum necessitas ferre potest, si sumitur, profecto nihil naturæ humanæ & ad corpus ipsum alendum conuenientius quicquam reperiri potest. Sub arce vero intra ciuitatem extat & aliud insigne collegium, vbi Academia iuris ac legum pollet. Ad vrbis vero septentrionale latus adiacet paruum oppidum, nullis quidem moenibus cinctum, quod Clepardium vocant. Nihil digni scriptum in ea, quam egregia sacra sedes diui Floriani, strenui Christianæ fidei militis: quam diuus Vladislaus, de quo antea meminimus, canonicatu, ceterisque dignitatibus ac muneribus refecit, & doctoribus, gymnasium artium regentibus, colendam reddidit. Rupes autem ac crepidines nimia altitudine erectæ, sic vt iam coelum sustentare videantur: tandem arenis, congestaque terra obductæ, ingentem collem efficiunt, qui ea parte, quæ in Boream tendit, vrbi imminet, & ex alio latere niuosum Carpathum alte tumentem respicit. Quam collis partem insignis Europæ fluuius, Istula, quondam Germaniæ terminus, alluit: qui ex Carpathi radice, paruo quidem fonte, prosiliens, longius magis magisque tumet, ita vt iam vndarum auctus mole, quæ ex Pannonicis montibus sese in eum præcipitant, trabes & ingentia robora, variasque lignorum structuras deferat. Tandem, vbi imbribus ac ceteris fluminibus magis tumuerit, rates ac onerarias naues secum ad Germanicum oceanum in sinum Codanum deducit, vbi trino vasto ore spumosus sese euoluens nomina deperdit. In eo autem colle primum est ingens templum in decus diui Venceslai, ducis Bohemiæ, conditum: vbi omnium illustrissimorum virorum monumenta ac sepulturæ extant, multis opibus, variisque artibus exstructæ, marmoreo, alabastroque lapide exsculptæ, quas maximo ritu ac pompa celebrari consuetum est. In medio autem templi extat celebre monumentum, in quo clarissimus Christi miles, diuus Florianus, requiescit. Sunt & in eodem colle duæ sacræ ædes, diui Michaëlis & sancti Georgii. Post egregiæ nobilium curiæ ac sedes sacerdotum, qui noctu, dieque templa venerantur. Post primum ingens regia sedes maximis ac variis structuris condita, quæ

totius

Marginalia: S. Hyacinthus — S Cantius. — Laus academiæ Cracouiensis. — Incolarum Cracouiensium. — S. Florianus

totius regni Capitolium est, vbi tota regni gaza congeritur. Hinc principibus declaratur imperium, nam regalis corona hic maxim.is custodibus obseruatur. Extra collem autem est monasterium fratrum minorum religiosius ordinem seruans. Nec longe ab eo monasterio extat coenobium sacrarum virginum. Huic ex opposito ad pontem ipsum est insigne hospitale & sacra ædes sanctæ Hedwigis. Ad aliam vero Istulæ ripam extat clara ciuitas (quam Casimirum vocant) iam rege sic vocato condita, quam Istula, vbi sub arce regia se diuiserit, totam circumluit ac pene insulam reddit. Est in ea insigne fanum diuæ virginis Catharinæ, vbi ordo Augustinensium floret. Tum & templum quod ad sacrosanctum corpus Christi vocant, vbi canonici regulares inhabitant. Ac ceteræ aliæ sacræ aedes. Extant & clarissima monumenta vetusti collegii iam insolita, quod illustris regina Hedwigis construxerat Plurima praeclara præter ea in his vrbibus a vetustissimis temporibus gesta sunt per illustrissimos reges ac principes. Sed breuitatem imitati finem his imposuisse dignum statuimus.

IX.

STANISLAI SARNICII (128) DESCRIPTIO VETERIS & NOVÆ POLONIÆ CUM DIVISIONE EIUSDEM VETERI ET NOVA.

Adiecta est vera & exquisita Russiæ inferioris descriptio, iuxta reuisionem Commissariorum Regiorum. Et Liuoniæ iuxta hodoeporicon exercitus Polonici redeuntis ex Moschouia.

AVCTOR ad LECTORES.

Lechia quiduam sit modo, quæue potentia sceptri,
Lit. Liu. Rus. & Prus. littora quæue tenet:
Scribunt iam multi, quo mente reuoluere possis,
At modo, quo cernas, dat tibi Sarnicius.

SACRA AC SERENISSIMA REGIA MAIESTAS

DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME.

QUmadmodum a Maiestate vestra Regia delectus ac destinatus fui, vt situm inferioris Russiæ eiusque campestria desolata perlustrarem & reuiderem, id sedulo præstiti & feci. De qua re complura cum Maiestate vestra & verbis & scriptis egi, monstrauique omnia, quæ videbantur ad hoc propositum pertinere. Nunc vero vt

magis

(128) STANISLAUS SARNICIUS, eques Polonus, celebris fuit scriptor historiarum, circa finem sæculi XVI, natus Lypsii in Russia rubra, ex familia CORVINORUM oriondus, quæ stemmate, SLEPOWRON dicto, vtebatur. Scientiis operam dedit Regiomonti, aliisque in locis, vir suo tempore litteratissimus, de qoo STAROVOLSCIUS in centum illustr. Pol. script. elogus, hæc memoriæ prodidit: *Fuit illi varium fecundumque ingenium, quod nullis inclusum spaciis, per omnes fere disciplinas liberius euagaretur, essetque non vulgare æui nostri decus, si intra professionis litterariæ terminos subsistisset, seque totum hisce studiis, quibus inprimis natus erat, missis sacris litteris, dedisset.* Sectæ Caluinianæ fuit addictus, & sacro inter eos officio functus, Russiæ superintendens fuisse dicitur, qoo se deinde munere abdicauit, & vt eques vixit

magis promererer nouis obsequiis gratiam Maiestatis vestræ Regiæ, curaui (sumptibus non parcens) vt haec in planiore forma luculentius artificiosiusque traderentur, adhibita arte geographica, & præceptis, quæ a litteratis hac in parte obseruari solent, vt etiam ab eruditis in aliis regnis, cum celebritate & laude Maiestatis vestræ, legi possint. Cumque ipse occupatus essem aliis negotiis arduis, vsus sum ea in re opera eruditi & de litteris bene meriti viri, generosi domini Stanislai Sarnicii, amici mei non vulgaris, qui etiam notus est Maiestati vestræ. Nam cum aliquot vicibus, libris in lucem editis, nomen & victorias Maiestatis vestræ, vt par erat, celebrasset, Maiestas vestra Regia eum pro cliente suo accepit, eique se benignissimum fore patronum declarauit, promissa ei gratia Regia, vt ex diplomate ei tradito liquet. Hic ergo, lustrationis meæ typo accepto, effecit, vt non modo Russiæ, sed etiam totius regni Maiestatis vestræ situs, hoc est Poloniæ, Lituaniæ, Prussiæ, Liuoniæ, & quæ paucis ante annis de Moscho Maiestas vestra recuperauit, exacte describeretur: vt vno quasi intuitu, veluti in tabella, a legentibus cerni possit: quam operam spero gratam futuram Maiestati vestræ & Reipublicæ non inutilem, præsertim cum a nemine hactenus istud argumentum hoc pacto tractatum sit. Certe præcipuos olim Reges & Imperatores eiusmodi studiis mirifice delectatos fuisse, ac sumptus ad ea promouenda liberalissime suppeditasse, ex historiis constat. Cumque Regia Maiestas tua, haud postremum inter laudatos Reges locum obtineat, non dubium est, eam quoque pro sua ingenita clementia declaraturam, sibi hunc honestum conatum non displicere, neque in liberalibus studiis promouendis sumptibus parcere.

Datum Warsauiæ primo Kalendas Mar. 1585.

Sacræ ac Serenissimæ Regiæ Maiestatis vestræ
Fidelis subditus

Ioannes Sienienius C. L.

vixit, tribunus Crasnostauiensis factus. Rem familiarem eius quod attinet, non adeo bene, quam forte meruit, se habuit, id quod ex dedicatione ad inclitum regni senatum apparet, annalibus suis præfixa, huiusque tenoris: *merces detenta laborum & oppressio pauperum, vtrumque istorum est detestabile apud Deum, & vtrumque in peccatis mortalibus & clamantibus ad coelum a theologis reponitur. Si nunc terræ funiculum mihi non præbetis, postea non nisi vna in latum, & tribus in longum indigebo. Beroso, Iosepho, historicis, pro merito erga rempublicam, simili quem ego Poloniæ præstiti, statua aurea a suis donata fuit, vos mihi cespite terræ non respondebitis? Sed & apud nos Cadlubco, Dlugosso, episcopatus opulentissimi donati sunt pro historico opere, & vos me exhaustum seruitio, quod reipublicæ impendi per annos decem, ita consenescere patiemini?* Starouolscius refert, maximam ei intercessisse cum LEONARDO GORECIO necessitudinem, qui scripsit de bellis Valachicis libellum, & de bello Gedanensium alium, qui vna secum & domestica studia pertractauerat, & præcipuas quasuis Europæ nationes, velut Achates fidus, peragrauerat. Quo anno SARNICIUS mortuus ignoramus, sed id circa finem ipsum sæculi XVI. accidisse, veri simile suspicamur. Non adeo apud suos fuit accepus, ex odio, sine dubio, religionis. Scripta eius sunt sequentia.

I. *Oratio pro lege electionis ad tres ordines regni: addita est deliberatio de bello Turcico & ratio creandi Papam* in 4. Cracouiæ typis Matthiæ Wierzbientz. 1575. Dedicauit STEPHANO, Regi Polono.

II. *Synopsis breuissima annalium Polonicorum, qui propediem edentur, ab ASARMOTH, conditore populorum Sarmaticorum, ad LECHUM.* in 4. Cracouiæ, typis Mat. Wierzbientz. 1582. Dedicauit Stephano Regi.

III. *Annales, vel de origine & gestis Polonorum & Lithuanorum libri VIII. ab ASARMOTH, conditore populorum Sarmaticorum, ad LECHUM, & tandem a Lecho ad nostra tempora.* in fol. anno 1587. sine mentione loci, sed sine dubio Cracouiæ, sumptibus auctoris excusi. Dedicauit regni senatui.

IV. *Descriptio veteris & nouæ Poloniæ &c.* quam hic suppeditamus, editore Ioan. SIENIENIO, seu SIENINSKI, castellano Leopoliensi. in fol. Cracouiæ. a. 1585.

V. *Metrica Statutow* &c. hoc est: *Tabularium*, seu Archivum statutorum & priuilegiorum regni Poloniæ. Tom. I. II. in fol. Cracouiæ. a. 1594. Dedicauit SIGISMUNDO III. regi Pol. & plurimis aliis proceribus.

VI. *Campiductoriæ libellus.* Mentionem facit huius libri auctor in sua hist. p. 345. Nondum typis exscriptus putatur, sed, ni fallor, Venetiis splendide impressus, liber rarissimus.

VII. *Topographia locorum, a Stephano rege, Moschis ademptorum.*

VIII. *Triumphus regis eiusdem carmine heroico.* Hos libros & Starouolscius in elogiis laudat, sed iam vel non extant, vel non impressi fuere.

IX. *Historia ecclesiastica*, quam citat auctor Lib. VI. cap. VI. suæ historiæ, similiter nondum impressa, & forte perdita est.

De SARNICIO sermo est in præfat. DLUGOSSI hist. Pol. edit. 1711. Tom. II. p. 32. in Braunii iudicio & catalog. script. Polon. p. 12. & 40. in cataf. Bibl. Ludewigianæ Tom. III. p. 1126. in SCHERER hist. geogr. Polit. IV. 498. in Niesiecki de stemmatibus Polonis. IV. 40.

PROOEMIUM AD LECTOREM.

SIcuti theologiæ fundamentum sunt scripta prophetica & apostolica, medicinæ, Galeni philosophia, ita senatoriæ facultatis subiectum, vt vocant, circa quod versatur, est historiæ cognitio, & reipublicæ bene gerendæ scientia, quam complexus est Plato & Aristoteles. Fatentur autem viri togati, se plurimum iuuari in gubernandis rebuspublicis cognitione historiarum, militares etiam viri non possunt dissimulare, eiusdem summam vim esse in castris totaque militia. Denique, vt præclare Cicero dicebat: ipsa est testis temporum, lux veritatis, magistra vitæ, vita memoriæ, adderem ego, parens immortalitatis. Nam ipsa efficit, vt morientibus nobis potior nostri pars in terris superuiuat, hoc est, fama bona, immortalitate tincta. Cum igitur vndique sese vtilitates huius diuinæ exercitationis offerant, merito apud Reges & Principes in pretio habetur. Iam si historia grata est cunctis, etiam ea, quæ ancillantur historiæ, hoc est, chorographia & chronologia, merito gratæ esse debent. Et omnino, sicuti Plato neminem admittebat ad suam scholam, qui prius non esset versatus in geometria & arithmetica: ita merito illotis manibus dicitur ad historias accedere, cui prius situs locorum, vbi illæ sunt gestæ, & ratio temporum, quando nimirum hæ acciderunt, non fuerint cognita. Ideo, sicuti commentariis Cæsaris, descriptio Germaniæ & Galliarum est præfixa, ita ego descripturus res Sarmaticas, eiusdem Sarmatiæ typum præmitto, adiuncta supputatione temporum, vt ita lector locorum & temporum cognitione suffultus, ad cognoscendam hanc historiam, rectius præparatus reddatur, instructiorque ad eam legendam accedat.

Laus & necessitas historiæ.

DE SITU ET AMBITU
VETERIS SARMATIÆ, EIUSQUE DIVISIONE, IUXTA VETERUM SENTENTIAM.

DIuidebant veteres potissimum regiones suas iuxta decursus fluminum, ad quorum ripas degere consueuissent, a quibus congregationes & societates hominum, tanquam prouincias quasdam, appellare iam dudum consuetudo obtinuerat. Hinc pagorum cognominis origo deducitur. Nam pagus Græcis πηγη, fons dicitur. Et qui ex vno fonte bibere & iumenta sua adaquare solebant, pagani cognominabantur, hoc est, societates hominum iustæ magnitudinis, quæ ad flumen aliquod & valles cum seruis liberisque, pecoribus & adscriptitiis, adeoque tota suppellectili domestica, inhabitatum consederant, & non aliter ac corriuales necessitudine quadam deuincti, felicia & aduersa perpeti paratissimi erant. Hinc Cæsar in commentariis vniuersam Heluetiam in quatuor pagos diuidit, cuius appellationis vsus etiamnum ab eis retinetur, aucto tamen numero pagorum. In duodecim enim pagos posterius seculum, siue regiones, totam illam rempublicam diuidit. Communi igitur mori & consuetudini illius antiqui sæculi innitendo, veteres quoque Sarmatæ & Sueui, a fluminibus potioribus & littoribus maris, regionibus suis & prouinciis nomina imponere solebant. Vnde Ostrogotthorum, Tirangitarum, Tissigetarum, & Sueuorum nomina prodierunt. Nam Ostrogotthi populi dicebantur, qui ad Istrum inhabitarunt. Tirangitæ, qui ad Tiram, Tissigetæ ad Tibiscum, Sueui ad Sueuum, & sic de ceteris, sicuti mox ex declaratione inferiori patebit. Notitia autem huius historiæ mihi poterit iuuare lectorem, non modo ad intelligendam hanc, quam tradimus modo, historiam, sed etiam ad exponendos aliarum gentium rerum gestarum commentarios.

Pagorum & paganorum origo.

Vandali a fluuio Vandalo. Dicuntur & Vinidæ, Venedi, Veneti & Heneti.

VANDALI dicebantur populi, qui habitabant ad flumen Vandalum seu Vistulam. De his dicit Ptolemæus, quod maximam partem Sarmatiarum occuparint. Et Procopius similiter eos maxima spatia ad Istulam occupasse affirmat. Vnde & Venedicus sinus a Ptolemæo, & aliis auctoribus, mare ad littus Prutenicum vocitatur, eo quod gentes eius linguæ illas regiones etiam tum incolebant. Hi vero populi ab aliis Vinidæ, ab aliis Venedi, Veneti & Heneti nuncupantur, voce quidem nonnihil deflexa, sed reipsa, vt liquido monstrabimus, vna & eadem gens, Vandalica designatur, modo lector iudicium suum paululum suspendat, vsque dum ad finem legendo decurrerit.

Marcomani a flumine Morauа.

MARCOMANI. Etsi autem varie se torquent auctores, nomen Marcomanorum exponentes, tamen liquet hac voce populos illos intelligi, qui ad flumen Morauam habitarunt, a quo etiam nomen sibi acquisiuisse, sonus ipse indicat. Huius gentis Rex Marobudus celebratur a scriptoribus. Floruit vero iste Cæsaris Augusti temporibus, æmulus Harminii Ducis, quorum vterque ab initio illorum bellorum pro strenuis defensoribus Germaniæ sese gerebant. Et certe, nisi fata obstitissent, terribiles formidabilesque potentiæ Romanorum fuissent.

Sueui a fluuio Sueuo nunc Sprea.

SVEVI populi, qui ad Sueuum, quem hodie Sprea nominant, habitarunt. Flumen hoc oritur ex montibus Sudeti, duobus milliaribus a Budisino vrbe Venedorum Germanicorum. Hi populi etsi Germanis adnumerantur, tamen cum Sarmatiæ populis, ob quandam necessitudinem, sese coniungebant, & commilitabant Sarmatis in pugna Carnutana, contra Romanorum Imperatorem, Antonium Pium in finibus Boemicis, quo Marobudus, illo tempore Augusti, sedes suas ex Morauia transtulerat: attestante Suetonio in vita Augusti. Et eo tempore, eaque occasione linguæ nostræ vsum volunt plerique, vsque ad Albis ripas, translatum fuisse, de qua re vide plura in historia nostra.

Gotthi a fluuio Gutalo nunc Odra.

GOTTHI vel Guthones, pagus & prouincia Sarmatica habitantium ad Gutalum flumen (sic enim id Plinius vocat.) Ideo Guthones & Gotthi a Gutalo vocantur. Nunc Odra dicitur. Extendebantur coloniæ eorum Codanum sinum versus ad occidentem & septentrionem, vbi est Gedanum, quem, inquam, sinum etiam a Gotthis nominatum esse, doctiores & eruditi viri tradunt: sicuti ipsa vox indicat. Sed & Bidgostiam, & Gedanum ipsum, a Gotthis etymon suum trahere syllabarum ipsa compositio indicat. Nam Bidgostia, habitationem Gotthorum significat. Ad orientem vero progrediendo, habitatio eorum extendebatur per montes Sarmaticos vsque ad orientales Gotthos, qui Getæ etiam & Ostrogothi dicebantur. De his tradit Cornelius Tacitus inquiens: trans Ligios Guthones regnant. Parebant enim Sarmatis & tributum eis pendebant, vt aperte idem Cornelius tradit. De iis latius lib. 4. historiæ nostræ.

Varini a fluuio Varta.

VARINI pagus & populi Sarmatiæ, qui ad flumen Vartam, citra & vltra Posnaniam, habitabant. Quam autem nomen Varinorum cum nomine Varta, sicut Guthonum cum Gutalo conforme sit, nemo non videt. Sic descriptio situs locorum vtriusque gentis, cum descriptionibus veterum, ne pilo disconuenit. Meminit Varinorum Cornelius Tacitus, lib. de moribus Germaniæ: Reudigni, inquit, Varini, & Eudoses, fluminibus aut siluis muniuntur. Et secundum Chronicon Germanorum, Pomeraniam tenuere Rugii, Auiones, & Varini: sed Varinos expresse dicit Cornelius flumine muniri. Nam Varta flumen cum Prosna speciem insulæ efficit, sic Odra cum eadem Varta.

Avarini ad Naruam fluuium habitantes.

AVARINI populi ad Naruam flumen, quod Istulæ copulatur infra Varsauiam, habitabant. Expositores Cornelii Varmiriam in Prussia, a Varmis esse dictam, existimant. Differunt ab iis Auares, Vngarorum progenitores.

Cistoboci ad Bogum flumen

CISTOBOCI. Cistobocos aliquoties Ptolemæus meminit. Et Cornelii Taciti expositores ad Bogum flumen eos collocant, & ab eo denominatos esse scribunt.

scribunt. Nec remota est compositio a Bug Cistoboci: & *cisto* significat mere vel sincere Boci, id est, ipsissimi. Nec procul eos ab Iglionibus Vilnensibus habitasse tabulæ Ptolemæi monstrant. Plinius autem agnoscit Sarmatas ad Bugi ripas habitasse. Qua de causa eosdem inter Sarmaticas prouincias, seu pagos, collocamus.

TIRANGITÆ pagus vel prouincia Sarmatica. Nam Ptolemæus expresse Tirangitas Sarmatas vocat, qui ad Tiram, sen Nestrum flumen, habitabant. Quod autem a tirare, id est, trahere arcum, voce Italica, dictum esse putant quidam, non possum assentiri. Nam ab Ouidio flumen hoc Tiras vocatur, et sæculo illo nondum lingua Latina in Italicam degenerauerat.

Tirangitæ, ad Tiram fluuium seu Nestrum.

TISSIGETAS Ptolemæus populos vocat, qui ad flumen hoc habitarunt, quem nostri hactenus Tissam similiter appellant. Euincitur igitur inde, nostram linguam in vsu fuisse illis in locis, illo adhuc sæculo: Neque enim nostrates eam appellationem a Græcis Latinisue hauserunt, sed Latini a nostris.

Tissigetæ ad Tissam fluuium.

OSTROGOTTHI prouincia Sarmatica, seu pagus habitantium ad Istrum & ostia eius, quem hactenus Vistrum Slaui vocant. Expresse autem Ouidius se exulasse dicit apud Sarmatas. Ergo Thomos, vrbs nobilis exilio poetæ, ad ripam Istri, Sarmatarum colonia fuit, vbi nunc Kilia, Achillis nomen resonans. Et Plinius aperte ostium Istri, quod Calostomum vocant, Sarmatis tribuit. De hac re latius in historia nostra.

Ostrogothi ad Istrum fluuium.

VISOGOTTOS quos Ptolemæus Gythones vocat, Cornelius etiam, eosdem electrum, quod Glassium vocant, colligere ad Balticum mare, tradit. Proinde commentator præcipuus Cornelii Taciti inquit: Gothini, Gottones, partes sunt Gotthicæ gentis, quæ late compleuit latus Balticum, vtramque ripam Istulæ. Et prorsus recte mihi videntur exponere, & proprie Visogothos, id est Vistulæ Gotthos, sicuti Ostrogotthos, Gotthos, qui ad Istrum habitarunt. Nam expositio illa, Vest & Goth, iam confutata, locum non habet. Quanquam et Vistulæ Gotthi septentrionales quoque sunt, & septentrionales, vel Vestgotthi, possent dici.

Visogotti ad Vistulam fluuium.

TANAITÆ, qui ad Thanaim flumen Sarmatæ incolebant, sic vocabantur. Sicuti et Renisarmatæ a Beroso, qui viciniores erant Reno; vide historiam Babylonicam.

Tanaitæ ad Tanaim fluuium.

CYMBRI celebratissimi et antiquissimi erant Sarmatæ, qui ad Cymerium Bosphorum, vbi nunc est Capha Oczakouia, inhabitarunt. Horum volunt esse posteritatem illos nostros Cyrkasios. Homerus de Cymeriis subinde meminit. Meminerunt tandem historici Cymbrorum, qui ante Christi aduentum maxima bella in Italia excitarunt. Vnde nomen Cymbricæ Chersonesi: sed vtrum isti ab illis, an illi ab istis orti sunt, dubium hoc discutitur in hac historia.

Cymbri ad cymerium Bosphorum.

PEVCINI veteres proprie, vbi nunc est Smolensko, sedes suas habnerunt. Nam Ptolemæus Borysthenem ex Peucinis montibus deriuat. Borysthenes autem oritur non procul a Smolensko, quam sententiam adiuuat et etymon vocis. Nam πεύχη pinum Græcis significat, præpinguem resinam. Porro loca illa vbi est Smolensko et Polocko sunt admodum referta pinetis. Quin et Pinsko ad eandem viri denominationis Peucinorum deuenit. Quod autem insula illa, quæ in ostiis Danubii, Peucen quoque dicta est, inde reor factum esse, quod incolas Smolensko, Pinsko, et Przypiecz prono flumine Nepr credibile est delatos fuisse vsque ad illa loca, ibique colonis deductis sedes suas fixisse. Bernhardus Vapouius existimat eam gentem, quam hodie Pieczíniegos vocamus, non remote ab illis locis, esse reliquias veterum Peucinorum. Alii eos, qui vocantur Pokucie, intelligunt, vtramque autem sententiam et situs loci vicinus, et vis cognominis comprobat. Syrmus rex Peucinorum, qui Alexandri magni temporibus floruit, iis in locis, vbi nunc Besarabia, quos Polountios vocant, imperitabat. Nam quia Syrmium, vbi illud concilium postea celebratum fuit, adiacet Danubio, itaque haud difficile ei fuit,

Peucini ad Smolensko.

prono flumine prouincias illas, quæcunque spectant ad Danubium et ostia eius, imperio suo adiicere. Complura ea de re, digna consideratione, libro secundo attulimus.

Bastarnæ vbi nunc Podgorii.

BASTARNÆ Sarmatica prouincia, vel pagus, in ea parte Poloniæ, vbi nunc sunt, qui vocantur Podgorii: sed porrigebantur secundum fines Daciæ. Ideo Procopius et alii veteres eos ponunt ad latus Daciæ septentrionale. Dacia autem proprie fuit, vbi nunc est Transyluania. Cui rei et Iouius in sua historia astipulatur.

Ligii inter Viadrum & Bohemicos montes.

LIGII prouincia Sarmatica inter Viadrum et Boemicos montes, quos Vandalicos Dion vocat. Ea nimirum Silesiæ pars, vbi est Legnicium oppidum. Ideo Legnicii etymon a denominatione Ligiorum scriptores Germanici deriuant.

Quadi prope Nissam.

QVADI. Positis terminis Marcomanorum ad flumen Morauam, et Ligiis populis, infra montes Vandalicos seu Boemicos, vt modo dictum est, quicquid in medio est, Quadis est tribuendum, vbi est Nissa et Ducatus Opoliensis. Non assentior quibusdam expositoribus Cornelii Taciti, qui etiam locum, vbi est Petricouia, quo heroes Polonorum ad comitia veteri instituto confluere solebant, in ipso vmbilico Poloniæ, Quadis tribuunt. Ita enim Marsignis, Gotthis, Ossis, et Buriis, qui Cornelio attestante, terga Marcomanorum et Quadorum claudere debebant, nihil retro spatii relinqueretur. Affirmant autem, Quados cum Iulio Cæsare aliquando conflixisse, quod forsan contigit tempore Heluetici belli, quibus sese certo foedere copulauerant.

Marsigni sub montibus Sarmaticis.

MARSIGNI populi Sarmatici sub montibus Sarmaticis.

Sidonii vbi est Szidlouiec.

SIDONII, hos Ptolemæus ponit, vbi est Szidlouia et Szidlouiec. Nec sono vocis admodum discrepat Szidlouia a Sidoniis. Isti cum Desiderio, Rege Longobardorum, in Italiam ingressi Asidonem vrbem, quæ postea Cosle dicta est, fundauerunt. Deleta hæc fuit successu temporis a Carolo magno, cum eam a Saracenis vindicaret, vt Anius Viterbiensis, scriptor Italicus, memoriæ prodidit, vbi expresse hoc Polonis tribuit in commentariis in Berosum.

Ossii ad flumen Olsam.

OSSII populi Sarmatici, quos Cornelius Tacitus penes Gotthinos ponit, propemodum ad flumen Olsam, quod cum flumine Morauа miscetur. Nec remota est vox Olsa, & Ossa, littera l saltem in s mutata. Est & in finibus Prussiæ Ossa flumen sed forsan, posterioribus temporibus, bellis detrusi erant ad istum angulum Prussiæ.

Burii extremi Silesiorum.

BVRII penes Ossios prouincia Sarmatica. Descriptiones situs loci plane conueniunt cum Varka oppido & Varsauia. Et vox Burii & Varka non variant, nisi litera b, in u, vsitato more, conuersa. Ptolemæus sane, in suis tabulis, eodem loco eos reponit. Et Cornelii Taciti præcipuus commentator hoc idem iis verbis innuit: Burii, inquit, extremi sunt Silesiorum, versus Istulam, & porriguntur Toruniam. Meminit etiam Dion historicus Buriorum in historia Traiani: contra quem vna cum Dziurpaneo, Rege Dacorum arma sustulerant. Latius hæc in historia nostra reperies.

Rugii, vbi nunc Pomerania.

RVGII populi: hos inter Viadri & Vistulæ ostia Ptolemæus collocat, vbi est modo Pomerania. Ostensum est autem Gutalum, seu Viadrum, a Guthonibus seu Gotthis esse dictum, eo quod domini & possessores eius ripæ erant. Cum Rugiani inter vtramque gentem Sarmaticam in medio habitarint, crediderim eos ad supplementum eorum pertinere. Affirmant autem commentatores Cornelii Taciti, Rigenses in Liuonia, ad ostia Rubonis, vel Dunæ, a Rugiis originem suam ducere, esseque eorum colonias. Odoacer princeps bellicosus, vastator Italiæ, sub tempora Gotthorum, ante mille annos dicitur prodiisse ex ea gente. Ideo Dlugosius, historiographus Polonorum, Odoacrum Polonum facit. Siquidem & nunc illæ regiones Pomeranicæ obnoxiæ sunt Polonis, antea vero prorsus ditionis regum Poloniæ erant. Commemoratur tamen in historiis, Rugianos vna

cum

cum Gothis militasse, & Gothis excedentibus ex Italia, etiam Rugii in eorum castris connumerantur. Grammaticus autem historicus eadem de causa, Cassubios etiam ante aduentum Christi eodem in loco, id est, ad littus maris illius Baltici, habitasse affirmat. Sunt autem Cassubii gens stirpis Polonicæ.

SCYRI etiam prouincia Sarmatica. Nomen credo hæsit in Scyriciis, qui sub montibus Carpati vltra Cracouiam habitant. Plinius lib. 4. cap. 13. Scyrorum meminit, quidam, inquit, hæc habitari ad Vistulam vsque fluuium a Sarmatis, Venedis, Scyris, Hirris, tradunt. Scyros vna cum Gothis, etiam ex Italia emigrasse memoriæ proditum est.

Scyri sub montibus Carpathi.

HIRROS Siradienses crediderim esse.

Hirri Siradienses creduntur.

CAUCHI iidem forsan, quos Cassubios nostri vocant, aut Cuiauienses.

Cauchi Cuiauienses.

PACINACES ad Borysthenem statuunt. Auctor supplementi Carionis cum Bossinis eosdem esse putat.

Pacinaces ad Boristhenem.

ERULLI: Isti quoque ad Istrum habitabant. Primi ii religionem Christianam publice amplexi sunt inter eas gentes, vt tradit historia ecclesiastica. De horum leui armatura quædam Iornandes tradit, libro de rebus Geticis. Hi Corales ab Ouidio forsan vocantur.

Erulli ad Istrum

GEPIDES pagus Sarmaticus ex stirpe Gotthorum, qui habitarunt ad Vistulam flumen, & cognominati sunt hoc nomine a tarditate ingenii & pigritia, vt Procopius tradit. Habitarunt olim ad Syrmum in Pannonia. Celebratur Rex Gepidarum Ardarichus, cuius opera Athilla, rex Hunnorum, in multis præliis vsus est feliciter, sed postea reliquias exercitus Athillæ deleuit. Vbi Scepusium est, ibi sedes eorum statuunt. Sed quod Gepidarum nomen Lituanis quidam recentiorum tribuunt, non video, quo pacto id cum sententia veterum quadret. De his latius in ipsa historia. Vbi etiam illa opinio discutitur: an Germani Scepusienses sint reliquiæ stirpis Gepidarum. Et Germani, qui degunt in Transyluania, vtrum sint reliquiæ Gotthicæ stirpis, quemadmodum vult auctor supplementi Carionis.

Gepides ad Vislam flumen.

BESSI, Bessorum pars hæsit, vbi sunt montes Biesczady a Bessis cognominati.

Bessi ad montes Biesczady.

DUCLEOTÆ adhuc oppidum est ad radices montium Sarmaticorum de nomine illorum Ducla dictum.

Ducleotæ ad montes Sarmaticos.

BICEN ipsissimi Sarmatæ erant ad Mæotiden, sed colonias eorum transportatas esse, metu bellorum, in illud territorium, vbi est Biecz. Et nomina Bicen & Biecz sunt sibi cognata.

Bicen ad Biecz.

IAZYGES: Ptolemæus triplices gentes in Sarmatia ponit: maximas, minores & mediocres. Inter medias autem Iazygas recenset. Expresse autem Sarmatas vocat Iazyges illos, qui Euxinum versus porrigebantur. Nomen Iazygum significat iugum vel par boum, ab ἴος ζυγὸ id est, tantum par boum. Videmus enim hactenus, Podlasios, vbi eorum præcipuæ sedes erant, tam facilem agriculturam habere, vt colonus vnico iugo boum contentus sit, ad exercendum commode agellum suum. Fuerunt alii Iazyges, Metanastæ dicti, eo quod vna cum familiis superatis montibus Carpatiis ad Tibiscum, vbi nunc Vngaria est, commigrarant, ibique sedes suas fixerant. Horum reliquias adhuc extare audio, & loquuntur corrupto sermone Slauonico seu Sarmatico. Et vocantur etiam ab accolis lazuinges.

Iazyges in Podlasia.

ASCAVLES hic alicubi, vbi est Sochaczouium, Louicium ad flumen Bzura reponuntur. Dicuntur autem Ascaulistæ illi agrestes, qui tibias cum sacco inflare solent. Musicorum genus Vile. Forsan quod locus ille multos tales alebat, quod etiamnum non insolens est in illa prouincia. Et Ptolemæus sæpe agnomina & prænomina loco propriorum nominum ponit, vt Iazyges, Agatyrsi, Ichtiophagi & Anartophracti &c.

Ascaules vbi est Sochaczouium.

ANARTOPHRACTI, id est, inopia panis laborantes. Nam α est priuatiua particula

Anartophracti ob inopiam panis ita dicti.

particula & ἄρτος panem denotat. Et verisimile est. Nam inhabitabant illud solum lapidosum arenosumque, quod est inter Podlasios, Iazyges, & Istulam. Admodum sterilis est illa prouincia.

Lutii ad Lutomirsko.

LVTII reponuntur, vbi oppidum non ignobile Lutomirsko. Et sonus vocis cognatus est cognomini oppidi.

Burgiones ad Lublinum.

BVRGIONES fere reponuntur vbi est Lublinum, ab iis Burgundiones ortos esse volunt, gentem bellicosam, qui copulati Vandalis, Gallis, superioribusque Germanis mouerunt bella atrocia.

Antæ cum Romanis sentientes

ANTÆ natione Slauones erant, sed cum Romanis contra suos sentiebant, ideo Antæ, id est contrarii vocabantur.

Borusci ad sinum Balticum.

BORVSCI qui & Carbones, primo septentrionem incoluerunt, vicini Moschis, tandem ad sinum Balticum progressi consederunt, vbi est ab eis dicta Borussia. Non desunt, qui eos ex Asia huc commigrasse dicant. Notum est in historiis nomen Prussiæ, Regis Bytiniæ.

Hermunduri ad montes Boëmicos.

RVSSI & ROXOLANI vicini erant Boruscis.

HERMVNDVRI ad montes Boemicos, ex quibus Albis oritur. Sed Dubrauius, scriptor Boemorum, lib. 1. conuincit errati Cornelium Tacitum ea in re.

SVDINI in Prussia reponuntur. Ferunt autem eam regionem opulentissimam fuisse, sed iam deletam propemodum ad internecionem a Cruciferis ordinis Theutonici. Iamque maximas siluas enatas, vbi olim degebant.

SCANDIA, de hac insula multa a multis inter veteres auctores referuntur. Ideo malo de ea aliorum sententias referre, quam meum iudicium aliis obtrudere. Iosephus Meletius in Venetorum editione Ptolemæi, in tabula nona Europæ: hæ, inquit, regiones: id est, Prussia, Liuonia, Lithuania, &c. in tabula Sarmatiæ Europeæ ab antiquis (id est historicis & geographis) numerabantur: Et videtur hæc narratio firmo niti fundamento. Nam si in mari Sarmatico innatant & ab eo cinguntur, necessario & ipsæ ad Sarmatias pertinent. Glareanus vero in geographicis: Dothlandia insula, Scania insula, quam hodie Solandiam vocant, at Plinius, inquit, lib. 4 cap. 14. Scandinauiam vocasse videtur, aut saltem vicinam Daniam. Ait enim, ab incolis nominari alterum mundum. De Dania autem sic idem auctor: Daciam Transyluaniam vocant. Est autem longe alia ab ea, quam non recte hodie Daciam vocant, cum sit Dania appellanda, vulgo Dan marckt ad Cymbricam Chersonesum. Meletius vero: Dania sic dicta a Dano Rege, Gotthlandia quasi bona terra, Scholandia, id est, amoena terra, Northuegia, id est, septentrionalis terra, Findlandia, id est, pulcherrima terra, Glorandia, id est virens terra, Istlandia, id est glacialis terra. Hæc habentur in charta hydrographica. Tile, Scandiæ insularum vltima, septentrionem eundo, a veteribus poëtis & scriptoribus vocatur. Et Polonico sermone Tile significat vltimum, vel eatenus, quia vltima terrarum credebatur.

ROMANI sicuti de regionibus orientis, ita de istis septentrionalibus insulis mirabiles fabulas sparserunt in vulgus. Inter quos Cornelius Tacitus ita propinquas dicit coelo, vt ibi iam possint solis labores exaudiri, & stridores rotarum eius. Formas Deorum istic videri, homines monstrosi aspectus, & lapides gemmasque preciosas. Hoc vero eo consilio faciebant, vt inde gloriolam apud suum vulgus aucuparentur, se nimirum deuicta ac debellata Germania, adeptos tales terras, quæ iam veluti suburbium coeli viderentur, ob talia et tanta miracula.

DE

DE LIMITIBUS VETERIS SARMATIÆ

Addam hic descriptionem finium Sarmatiæ, iuxta seriem temporum, incipiens a temporibus Augusti Cæsaris.

FLorus lib. 4. cap. 12. scribit, Augustum cum legatis Sarmatarum Getarumque pacem sanxisse, fœdusque percussisse iis conditionibus, ne ripam Danubii transcenderent. Ideo ad Lucullum litteras scripsit, vt aduersus Sarmatas ripam tantum Istri tueretur. Huic sententiæ suffragatur Ouidius. Nam Lucullum laudans inquit, hoc duce ripa Istri tuta fuit. Porro occidentalis limes fuit Albis flumen. Nam Strabo & Suetonius aperte dicunt, Romanos, occupata Germania, Albim noluisse transcendere. Imo Sueuos, qui illa loca ocuparant, Cæsares transtulerunt ex iis regionibus, ne præberent ansam cum Sarmatis. — 10. Sub aduentum saluatoris.

Traiani & Adriani temporibus, pontis in Danubio ad Nicopolim erectio, indicat Romanos Danubio imperium suum in Europa finire voluisse, sicuti Euphrate ab ortu, & Nilo a meridie. — 110.

Bellum Sarmatarum, Aurelii Antonii cum Sarmatis & Squadis, ad fines Boemiæ, & stationes legionum Romanarum, auctorum scriptis concelebratæ, indicant, qui fuerint tunc fines eorum, pro quibus dimicatum est. — 163.

Dion, Seueri temporibus historiam suam scribens, dicit Albim flumen oriri ex montibus Vandalicis, siue Boemicis, qui & Sudeti vocantur. Vandalos autem fuisse populos natione Slauos, viginti argumentis probatur a nobis lib. 4. annalium. — 247.

Temporibus Theodosii, cum lites non paruæ motæ fuissent de finibus inter nostras gentes & Germaniæ Duces, exercitus Saxonici & Turyngici collocati erant inter Albim et Viadrum, ad tuendos limites et arcendas gentes Sarmaticas. — 383.

Caroli Magni temporibus, affirmante Blondo, Crantio, Bonifinio, Einhardo, ad Albim flumen præsidia contra Sorabienses collocata fuere. Et hactenus Sorabi et Vandali incolunt illas regiones ad Albim, qui nostra lingua vtuntur. — 810.

Otthonis tertii temporibus Boleslaus Chrobri, Rex Poloniæ, Herculem imitatus, pro gadibus iniecerat tres columnas ad confluentem Albis et Salæ. Adhæc institutio Marchionatus Saxoniæ indicat, metas limitum istic tunc fuisse. Nam Brandeburgensis postea, prolatis in septentrionem Germaniæ finibus, institutus fuit. — 1000.

Henrici tertii temporibus inceptum fuit a Criuousto Rege bellum ad fines Boemicos, et finitum in campo Canino ad Vratislauiam. Cum Boemis enim Poloni tum limites habuerunt ab illa parte, non cum imperio. — 1103.

Circa tempora Henrici Septimi diuulsæ Poloniæ vires ob dissidia Ducum Boleslaidarum, ansam præbuerunt vicinis Regibus et principibus attrectandi fines eorum. Vnde consequutum est, vt, vndique accisis finibus, limites Poloniæ intra octo cruces hæserint, quas scriptores nostri ita consignant. Prima ad Pakosc, quæ nos a Pomerania diuidit. 2. ad Pys a Prussia. 3. ad Zebrow a Lithuania. 4. ad Podhaice ab orientali Russia. 5. ad Chocim a Valachia. 6. ad Scepusium a vicina ei Vngaria. 7. a Sicow a Silesia. 8. a Zbasin a Marchia. Hæ cruces a nobis in typo Sarmatiarum apertius rubro expressæ sunt. — 1300.

Hæc ita iam admitti possent de vetustioribus limitibus, nisi dissidium illud Ptolemæistarum et Cornelistarum obstaret. Nam sequaces Ptolemæi adducunt auctoritatem ex eo scriptore, vbi dicit: Germaniam terminari ab ortu Istula tenus. Vnde Glareanus non postremus geographorum deceptus, ante triginta annos scribens, Germaniam veterem hic statuit, ad eaque absurda deuenit, vt diceret:

Diffidium inter sequaces Ptolemæi & Cornelii.

Germaniæ, inquit, non postrema pars sub victoriosissimo principe Sigismundo Rege Poloniæ degit, Poloniam ipsam intelligens. Hunc sequutus D. Cromerus adhuc clarius eadem absurda amplificat, affirmans, hic, vbi est minor maiorque Polonia, ante Constantinum Magnum, Germanos habitasse, qui error a me lib. 3. est abunde confutatus.

Nam Cornelius Tacitus, homo Italus, cui melius, quam Ptolemæo Alexandrino, res Sarmaticæ notæ erant, vicinior enim istis regionibus fuit: hic, inquam, auctor, ex professo Germaniæ statum describens, non ausus est dicere Germaniam a Sarmatia Istula diuidi, vt Ptolemæus dixit, sed inquit: Germaniam diuidunt montes Sarmatici et mutuus metus. Forsan enim tum ab vtraque gente ita infestis animis de limitibus decertabatur, vt neutra pars libera a metu et formidine, semper hostem sibi collo imminere cum ferro et igne putaret. Et aperte addit, quod illo ipso tempore Sarmatæ tributum imponebant Gotthinis populis, quo eis liceret in regionibus Sarmaticis, quæ ad Boemiam vergunt, vbi est Opaua, montes Tarnouienses, metalla fodicare & conficere. Vocanturque illa loca a Ptolemæo Sydirorichiæ.

Ouidius Ponticum mare Sarmaticum vocat. Mare autem quod Daniam & Vifimiriam alluit, Sarmaticus Oceanus a Ptolemeo nominatur. Sarmatæ autem populi erant, quicunque lingua nostra vtuntur Slauonica, licet Veneti interdum eis admiscebantur.

Nec difficile obseruatu, vndenam Ptolemæo hic error obrepserit. Nam iuxta dictum: Dato vno inconuenienti cetera incouenientia sequuntur. Quia in tabula descriptionis Germaniæ Istulam vsque ex montibus Boemicis deducit, ideo in limitibus sanciendis errorem commisit. Et regiones quidem a Sarmatis possessas eis non adimit, sed profluenta Istulæ aliunde et aliorsum deriuans posteritati materiam erroris grauissimi reliquit. Non desunt enim etiam ex nostris, qui populos nostros in suspicionem apud vicinas gentes adducant, ac si has terras, non vt patriam, tanquam legitimi possessores, inhabitarent, sed quod aliunde venientes in alienas possessiones inuolarint. Cum pro fundamento geographico inconuulsibili semper accipiendum sit illud a me toties repetitum pronunciatum: quicquid est inter duo maria Sarmatica, Euxinum, inquam, Balticumque mare, et montes Sarmaticos, id Sarmatiæ nomine censeri debere. Sic Sarmatia Asiatica cum Europea contigua et confinis semper fuit, etiam Glareano attestante, flumine Tanai tantum eos distinguente. Nota sunt etiam vetusta nomina vrbium in vicina Germania: Lubecum, Rostokium, Starogardum, Zgorelecium, seu Brandeburgum, quæ prorsus sonum reddunt linguæ Polonicæ. Sic montium Sarmaticorum parte ab altera: Kossice, Liska, Sklane, Tarnaua, Tokai, Igniecz, quæ in memoriam reuocant, qui olim possessores fuerint priscis temporibus illarum regionum. Sed de istis latius in ipso opere annalium.

INDEX

INDEX TABULÆ
SARMATIARUM SIMULQUE VRBIUM, MONTIUM, FLUUIORUM, SYLVARUM, SOLITUDINVM
ET ALIORUM NOBILIUM LOCORUM, QUORUM SITUM ET DISTANTIAM, SUMPTO NUMERO LONGITUDINIS ET LATITUDINIS FILO A NUMERO AD NUMERUM INSTAR CRUCIS AD LATERA TABULÆ DUCTO, ET RITE APPLICATO, INTERSECTIO INDICABIT.

A

	Latitudo		*Longitudo*	
	gradus.	*minuta.*	*gradus.*	*minuta.*
ALLA fluuius	51.	1.	43.	4.
ANGEBURG	55.	5.	44.	1.
ALLENBURG	55.	5.	44.	4.
ALLENSTEIN	54.	11.	58.	8.

B.

Latitudo. Longitudo.

BALICE 50. 10. 41. 16. quarto lapide a Cracouia, ſeu vno milliari Polonico. Villa, in qua ſuperbo ſumptu aula extructa, e longinquo cernitur. Opus inter miracula reponendum. Eſtque locus natalis Bonerorum gentis ſpectatæ nobilitatis, & optime meritæ de republica Polonorum. Inſigne gentis, eſt liliorum flos, vulgo Hiberida dictum. Sunt enim veluti des armes (permitte me ſic loqui) regni Galliarum. . Nunc eſt poſſeſſor pagi Magnificus D. Nicolaus Firley, Caſtellanus Biecenſis, paternarum & maternarum virtutum ipſiſſima imago.

BETIGOLA	56.	10.	47.	6.
BERSABI	56.	8.	44.	4.
BELDE	55.		40.	4.
BUTAV	55.	2.	43.	3.

BRUNSBERG 55. 6. 43. 3. quæ & Varmia dicitur, ſita eſt fluuium Pruſſia.

BRODNICA 54. 43. hæc Germanice Strasborg dicitur.

BIDGOSTIA 54. 2. 53. 10. Ad confluentem flumen Brda cum Iſtula. A Vladislauia ſex milliaribus diſtat.

BRZEG 51. 12. 39. 10. Vrbs ducalis & colonia Polonorum: ſed & ii, qui nunc ſuperſunt principes, de ſtirpe Piaſtonum Polonicorum Regum deſcendere dicuntur.

BRDA fluuius	54.	2.	41.	5.
BRESBURG	54.	5.	41.	5.
BRANDEBUG	55.	8.	53.	6.
BOLO fluuium	54.	2.	41.	
BRATIM	54.	4.	43.	3.
BEREZIN	55.		51.	1.

BORISSOVO 56. 55. Ad flumen Boryſtenem oppidum eſt. Exiſtimant autem quidam ab hoc oppido flumen etiam Boryſtenem nuncupari. Oppidum autem conditum fuit a Boriſſo quodam duce Ruſſorum. Nec raro contingit flumina ab oppidorum nominibus dici: vt Odra fluuius ab oppidi denominatione dictum eſſe tradunt. Ad hoc oppidum vſque Boriſſouo Moſchus fines ſuos extendi affirmat, contra Lituania Olgerum ducem fines magni ducatus protelaſſe vſque ad Mozaiſko, conſtanter aſſeuerat.

BZURA fluuius 53. 6 42. 8. infra Lonicium, vbi ſunt nobiles biſontum venationes, locus ille & ſilua vocatur Viſkitki.

BRZEZINY 53. 42. Oppidum ampliſſimum egregiis artificibus refertum. Et eſt domicilium ſpectatæ nobilitatis Laſſociorum.

BVG fluuius 53. 6. 43. 8. Commentatores Cornelii Taciti populos veteres Ciſtobocas, ab hoc flumine Bug dictos eſſe, tradunt, eo quod iſthic ſedes patrias habuiſſe feruntur. Et vox cognominis Ciſtobocorum non diſſonat a denominatione Bug.

BRZESCIE 53. 8. 47. 7. Ciuitas populoſa, ad confluentem Bug & Muchauiec in ipſo triangulo, triquetram figuram efficiens.

BUCZAC 49. 10. 48. 6. vetuſtæ & claræ gentis colonia Buczaciorum. In ditione horum ferunt inueniri venas auri, quæ veluti ramenta ſcintillant in aqua riui ex rupe altius ſcaturientis. Hæc poſtea ab agreſtibus excipiebantur percolabanturque, ac ita maſſa conficiendo auro apta reddebatur, ſed multa ignauia quadam negliguntur. Laudatur etiam ab equis generoſis, quos magna vbertate greges numeroſi quotannis producunt ipſis: vnde in prouerbium abiit: equus Buczaciorum gregis.

BIELSKO	53.	6.	47.	8.
BARYCZ	52.	8.	39.	10.
BOLESLAWICEZ	52.	2.	40.	12.
BRETNICZA	52.	9.	40.	2.

BOCHOTNICA 52. 9. 40. 12. domicilium claræ gentis Samboreciorum.

BOCHOTNICA 52. 9. 40. 12. eſt arx murata. Hæc poteſt vocari antiquitas. Nam muri eius vetuſtate conquaſſati ruinam minantur: propediem collapſura videtur.

BOROVIEC	52.	6.	45.	11.
BIELANY	52.	7.	44.	7.
BODZECIN	51.		44.	8.
BELZYCE	51.	12.	46.	2.
BYCHAVA	51.	10.	48.	3.
BOBOVA	50.	6.	44.	1.

BIECZ 50. 6. 44. 1. Meminit Ptolemæus & alii vetuſtiores prouinciæ Sarmaticæ, quæ dicebatur Bicen. Sita fuit ad Euxinum pontum: ſed credibile eſt colonias inde ad eum locum translatas fuiſſe. Hanc præterfluit flumen dictum Ropa ex cuius ſpuma ſulfur conficitur.

BESKIDIM 49. 44. Beſkit vel Bieſchadi ab incolis vocatur. Mons eſt nobilis, vltra Humienno, ex quo flumen Tiras oritur. Memineruntque veteres eo loci Beſſorum populorum.

BRACLAW 50. 10. 52, 8. Arx in qua ſemper præſidium firmiſſimum expeditum aſſeruatur. Vocatur vrbs illa ſancti Petri, eo quod imagine diui Petri Apoſtoli pro inſignibus vtitur.

BALAKLEI 50. 2. 52. Arcis veſtigia in loco procommodo. Czapczaklei vero eſt fluminis nomen.

BOCHNA 50. 11. 43. 5. Saliſfodinæ præſtantiſſimæ, quarum ſal ideo ſali Ruſſico præfertur & marino, quod plus terreſtreitatis in ſe habet, ac propterea magis ſolidum & magis ſalſum eſt. Multi autem ex viris litteratis & etiam illuſtribus admiratione ducti, demittebant ſe in illum abyſſum ſaliſfodinarum. Et re vera eſt res ſtuporis plena, videre illas profunditates & veluti centrum terræ. Inuentum ſalem eo locorum, acceptum referunt Kunegundæ, Boleslai Pudici Regis coniugi, fœminæ ſanctæ. Anno ſalutis 1251. Et quia Vngara fuit, vulgo creditum eſt, & paſſim iactatum, reginam illam ſal illud minerale ex Vngaria in Poloniam tranſtuliſſe, ſecumque aduexiſſe.

BIALOGROD 48. 10. 52. 8. Theodoſia dicta veteribus. Hanc ad oſtia

Boryſtenis

Boryſtenis IOVIUS ponit, ſed erroneam eius opinionem D. Cromerus confutat. Præterit vero Bialogrodum via trita & celebris, quæ ducit Oczakouiam. Hac Turcici & Scythici negotiatores potiſſimum commeant, quos illi lingua ſua Carabanos vocant. Quando igitur noſtri aliqua mancipia intercipere conantur, vt ex eis diſcant, quidnam hoſtis machinetur modo, quidue in Turcia Scythiaue geratur, tunc ad eam vſque viam genus quoddam militum leuiſſimæ armaturæ velitationibus aptum, quos Kozakios vocant, progreditur, ac ita ex prætereuntibus rapiunt quos poſſunt, & ad præfectos ſuos citato & feſtinanti curſu reducunt, faepius tamen retro, ceruice inflexa, proſpectantes, ne quis eorum veſtigia ſignet, & vrgendo capiti eorum inuehat. Nam non raro alea ſecus cadit quam optaſſent, & ſaepe ex captiuante fit captiuus. Et interrogati, cur ita temere dubio Marti ſe exponant, reſponſare ſolent: bene eſt, ſi, inquit, nihil inde vtilitatis percepero, niſi quod iuuenilem aetatem meam eo pacto conſolabor contentaueroque, ſatis eſt, iuuat. At contentatio illa qualis futura ſit, ſi interim ad manus Scythicas deueneris, nemo eſt qui ignorat. Fuit quondam Bialogrodum emporium celebre, & obuium noſtris hominibus. Nam temporibus Caſimiri Cyprum vſque demeabant naues onerarias tritico Podolico plenas. Nunc tantum ſcandulae, prono flumine ad barbaros demeare Bialogrodum ſolent; idque non ſine graui diſcrimine vitae.

BALNEUM VITOLDI 50. 55. 6. Nunc fons tantum amoenus, vbi miles ſtatiua habere & corpus reficere ſolet. Adeſt & oratorium ibi gentile dirutum.

PONS VITOLDI 50. 55. non procul a Balneo.

BRZOSTEK	50.	6.	44.	4.	
BRZOZOW	50.	3.	45.	2.	
BELZ	50.	3.	45.	2.	Praefectura Regia
BUSKO	50.	11.	47.	6.	Praefectura Regia
BUKACZ	49.	7.	44.	2.	
BEBEK	40.	11.	47.	3.	
BADEN	45.	3.	44.	1.	
BERSTANI	45.	3.	47.	8.	

BARDENLAND 51. 43. Crux picta confinium ſignificat, lapideam eſſe audio crucem, et eminet ex aqua.

BROZYLOW 52. 54. ad Boryſtenem inter Coroſzczycow et Kiow.

BAR 50. 50. Arx munitiſſima ob memoriam Barii, patriae dulcis a regina Poloniae Sforcia Bona, in ipſo aditu Scythiae excitata. Semper ibi praeſidium forte imponitur, et praefectus datur vir exploratae virtutis. Nunc praefecturam illam adminiſtrat ſumma cum laude Nicolaus Bucacius.

BASILEA RUSSIÆ 50. 40. a Baſilio Duce Oſtroueciorum fundata. Floruit is noſtra aetate. Fuitque filius illius Conſtantini bellatoris.

BACOTA 50. 6. 50. 6.

BUH fluuius 50. 52. Axiacum veteres dixere, quidam Hyppanim eſſe volunt, innixi, vt aiunt, Herodoti ſententiae, ſed refragante Ptolemaeo, qui Hyppanim collocat cis Boryſtenem, Tauricam et Mæotiden verſus. Oritur paulo ſupra Miedziboz et paulo infra collem dictum Zbornamogila. Alluit Chmielnik Vinnicam Braclaw, et poſtea incitatus curſu per campos Vroczifka decurrit: Kuczman pontem Vitoldi, tandem citatus per vaſtam camporum ſolitudinem ad Euxinum pontum amplo gurgite deuoluitur. Et recte reprehenditur a magnifico viro, Ioanne Sienienio, Caſtellano Leopolienſi, error quorundam noſtrae aetatis chorographorum, qui Bohum hunc incidere in Boryſtenem finxerunt. Cum quatuor milliaribus ab oſtio Boryſtenis in Limenium ſinum Euxini ſeſe abſcondat. Quod autem flumina iſta Buh, & Bozek, veteres vocarunt, forſan quia pro diis amnes priſci homines coluerunt, quum gentes eſſent.

BIALACERKIEW

BIALACERKIEW 51. 53. ad flumen Ros, a Kiouia XV. milliaribus, vel paulo vlterius. Sæpe huc Scythæ visuntur, vt canes spectantes in culinam. Russica milliaria sunt longe maiora quam Polonica. Ideo non mirere, si quantitas circino hic non respondet vbique.

BROD BAZARABSKI, vide Ostrokol.

BOCEK fluuius. 50. 6. 49. 6. Inter confluentem Buch & Bozek, veluti Mesopotamia sedet Miedzyboz, vt etymon ipsum vrbis indicat.

C

Latitudo. Longitudo.

CRACOUIA 50. 10. 42. 9. olim Carodunum iuxta Ptolemæum dicta. Regia est Polonæ ad confluentem Istulæ & Rudanæ. Et vere Regia. Nam siue loci spectes situm, siue hominum frequentiam diuersarum gentium, siue omnium rerum affluentiam, siue ædificiorum magnificentiam, tanta reperiuntur omnia, vt merito naturam totam vim suam in eum locum effudisse putes. Ibi est sedes episcopalis, ibi Academia celeberrima, argenti fodinæ, salis fodinæ, plumbaria, territoria fertilissima, arces in vicinia muratæ frequentes patent. Superius Zatorinm lacubus & copia piscium affluens, inferius Nepolomicium abundans pingui ferina, ex montibus etiam Sarmaticis, qui vrbi impendere videntur, varia genera auium afferunt aucupes. Demeationes quoque nauium mercenariarum sursum deorsumque cum sale, ære, plumbo, frumento, vino, cera, vsque ad mare vsitatæ sunt Cracouiensibus. Adhærent etiam vrbi alia oppida: Clepardia a septentrione, Casimiria ab orientali plaga. Ac, vt breuius dicam, nullam iam vrbem pergendo septentrionem & orientem Borealem reperies tam augustam, quæ eius splendori & magnificentiæ conferri queat. Huius figuram alii testudini musicali, alii aquilæ expansarum alarum, quod est insigne regni, comparant, ad eum nempe modum: vt arx caput alitis referat, suburbia autem vtrinque adhærentia alis depansis & caudæ discuneatæ, conferantur.

CZARNKOW 53. 11. 39. 11. antiquissimum & spectabile domicilium & sedes quondam ducalis gentis Czarnkouiorum. Hi primi inter heroes Polonorum erant, qui Christo nomina sua dederunt. Cuius rei insigne vittam baptismalem hactenus gerunt. De qua re complura leguntur in historia nostra. Vide & infra titulo: Ostrorog

CAMENUM	1.		55.	2.
COSZELIN	39.	4.	53.	2.
CINTERI	53.	6.	43.	6.
CREUESB	55.	7.	43.	9.
CURISCHAFE	55.		45.	
CORNAND	54.	5.	43.	

Locus nobilitatus pugna celebri quadam, in qua ita obstinate a Polonis pugnatum est contra Cruciferos, vt fessis ter spatium respirandi daretur, quod frid Germanice vocatur, & ter ad manus redirent, donec hostis armis oppressus victum se fateretur. Nostri bellum illud Coronouiense vocant. Vide D. Cromerum lib. 17.

CULSMER	54.	4.	42.	5.
CIECHANOW	54.	2.	44.	5.
CULTRI	54.	7.	49.	7.
CROVE	55.	8.	50.	
CROSNE	50.		44.	
CAMIENIEC	49.	6.	49.	4.

Arx munitissima Valachiam versus, quæ ob id, quod natura loci mirabiliter sit munita rupibus prææltis & flumine Smetricz, solius Dei manu ædificata esse ab incolis prædicatur. De hac tamen ita scriptum est:

Quamuis

Quamuis altis cincta est Camenecia muris,
Si tamen inspicias, huic multa deesse videbis.

CZIZOW 51. 1. 44. 10. Arx murata, elegans, specta- profapiæ Czizouiorum.

CHODECZ 55. 40. 7.

CAMIENSKO 52. 4. 41. 2.

CAMIENIEC, alia arx murata firma & pulchra, medio milliari a Crosno.

CZESTOCHOVIA 53. 8. 41. 8. Locus celebris frequen- hominum concursu religionis ergo. Simile aliquid Compostellæ Hispaniæ.

CRASNIK 51. 6. 45. 2.

CHECINY 51. 9. 43. 6. Præfectura nobilis & arx murata in arduo colle. Ibidem æris fodinæ vetustate neglectæ, lapis tamen Lasu- us vel color conficitur.

CUROW 55. 5. 45. 2.

CZESSIN 50. 7. 41. 6.

CACZIBEI 48. 55. arx vetustate destructa, ad littus Ouidii lacus. Eratque Polonorum emporium celebre, vbi sal deponebatur marinum. Veteres meminere huius portus ad Euxinum. Plinius vocat Cathizos pomiliones. Vetustas enim cre- didit homunciones breui statura eo loci belligerare cum gruibus, eaque scri- ptis mandarunt.

CHELMA 54 8. 42. 8. In Prussia est ciuitas, creditur esse omni- um antiquissima. Vnde ius Chelmense seu Culmense. Laudatur dimensio vrbis illius, quod plateas fere ad perpendiculum gnomonis rectissimas habeat, & turres ita concinne dispositas, vt turris turri, porta portæ, fere diametraliter opponatur vt e regione vir virum ex fenestra vnius in fenestram alterius prospicere queat.

CASSOVIA 49. 11. 46. 6. Vrbs Vngariæ munitissima & paries fortissimus, quo sustinetur impetus & inundatio Turcorum. Sed appa- ret fuisse coloniam Slauorum. Quia sita est inter montes, qui ad Sarmatiam per- tinebant & Sarmatici vocantur. Denique & nomen Cassouiæ Slauonicæ linguæ olet sonum.

CALISZ 52. 8. 41 3. Ptolemæus expresse meminit eodem in loco Calis. Est ergo hæc vrbs numeranda inter antiquissima municipia Sarma- tarum. Nam Ptolemæus vixit fere centum annis ab aduentu Christi domini, post tempora Traiani Imperatoris.

COMARNO 49. 11. 46. 6.

COZIBELE 49 5. 47. 7.

CZERVONE 40. 5. 46. 6.

CLEVAN 51. 10. 48. 5.

CHMIELNIK 51. 2? 50. 6. Propngnaculum contra Scythas Bohum versus. Administrat nunc præfecturam illam summa cum laude Iacobus Strus, robore animi & corporis cunctis iamdudum conspicuus, patrisque & auo- rum memoria celebris.

CZARTORISKO 51. 9. 48. 5 ad ostia Styr fluminis.

CZARNOBILUM 52. 53. Significat nomen czarno & bie- lo, id est, album nigrum, albæ & nigræ Russiæ confinium indicans. Sita est pro- pemodum ad Przypiecz, Kiiouiam versus.

CRASILOW 50. 50. ad fontem fluminis Horin.

CONSTANTINOW 50. 50. sunt ciuitates Ducis Ostrouecii: Constantinow, Ba- silea, Krasylow, Kuczmin in finibus Volhiniæ, qua itur Miedzibozum versus, qua- si in vno tractu.

CZERNYOSTROW 50. 50.

CATARACTÆ 51. 55. quindecim milliaribus a Caniow, vide titulo Prohi & Boryſthenes.

CAROWGAI 50. 49. Eſt nobile nemus, & puto illud eſſe, quod Ptolemæus vocat nemus Dianæ. Non procul a Sieniaua, non remote hinc oritur flumen Ikawa.

CERKIEW 50. 46. milliaria ſeptem a Leopoli.

COMIENCZA fluuius 49. 56. Flumen ex aduerſa ripa Tehinia, in Tiram illabitur.

CZERNICHOW 59. 12. 48. non procul a Tarnopole ditionis Ducis Oſtrouienſis.

CZECHOWCE 49. 12. 48. 12. non procul a fontibus fluminis Zbrocz. Fateor autem nonnihil anguſtiora hic ſpatia eſſe, quam vt illam amplitudinem camporum in latum capere queant.

COLOMIA 48. 2. 48. 1. Colomiam dictam eſſe putant, quaſi coloniam, quod credunt olim Romanorum colonias eo deductas fuiſſe. De qua re conſule hiſtoriam libro 3. Niſi forte a Colomano rege Halicienſium nuncupata ſit. Conficitur ibi ſal, cuius nidor ouorum odorem plus ſatis frixorum & aduſtorum ſuauiter redolet. Quod die Veneris ieiunantibus, diſputationis occaſionem de ciborum delectu præbere ſolet, dum veſperi ad lumen hilarius conuiuari ſolent.

CUDNIKOW 51. 4. 45. 12.

CRUPA 51. 9. 50. 6. ibidem flumen Crupa, ſynonimum illi, quod in Slauonia eſt, a quo Lechus in Poloniam veniſſe, vna cum fratre Czecho, dicitur. Et forſitan incolæ loci in Slauoniam penetrantes ex Ruſſia, patriæ dulcis memoria ducti, amni nomen in patria Lechi impoſuerunt.

CZERKASY 51. 4. 54. 12. Czirkaſy tradunt, reliquias eſſe veterum Cymbrorum, quos Homerus Cymerios vocat. Nomen certe affine eſt. Religio apud eos magna ex parte Machometana. Mulieres fere ac viri belli munia apud eos obeunt. Diſtat a Kiouia iuxta Guagninum XXVII. milliaribus, iuxta vero regios luſtratores XXXI.

CUDNIOW 51. 12. 53. 1. ad læuam eundo Kiouia: a Leopoli XVII. milliaribus.

CHORCYCA 50. 54. Inſula eſt in alueo Boryſtenis, clara Viſniouecii herois oeconomia militari. Ibi enim ſedem & firmamentum ſui roboris ſtabiliuerat. Sita eſt a Kiouia XLIV. milliaribus, paulo infra oſtia fluminis Tiſmienca.

CZERNIECHOW 51. 55. flumen cis Boryſtenem Diſna, e regione Kiouiæ, ad quod ſita eſt arx Moſchorum, firmata præſidio: XXX. milliaribus a Kiouia, vt Guagninus refert, luſtratores XXIV. ponunt.

CHOCIM 49. 8. 49. 8. Arx fortiſſima in ipſo aditu Valachiæ, æmula Camenecii, quæ eſt ditionis Polonorum. Ideo Petrum Valachiæ Palatinum ferunt ſolitum dictitaſſe: aut tu Camieniec Chocimum noſtrum, aut Chocimum Cameneciam deglutiet.

CZAPCZAKLEI 50. 2. 52. Flumen eſt, notius habetur propter viua veſtigia munitiſſimæ arcis Balaklei, quæ, ſi iuſto præſidio muniretur, firmiſſimum propugnaculum ad impediendos Præcopienſium tranſitus per Hyppanim eſſet. Et præſertim, ſi viciſſim ad flumen Ruſſaua in loco illo, excitandæ arci peridoneo, & a multis celebrato, propugnaculum nouum inædificaretur. Hæ, inquam, duæ arces non plus quam XX. milliaribus a ſe diſtantes, alia ad Tiram ex oppoſito Thehinia, alia, oſtia verſus Hyppanis ſi bene munirentur, totum tractum illum triangularem ab Oczakouia, tanquam duo paraſtatæ, id eſt columnæ ex æquo a ſe diſtantes, mirifice tutum redderent, vt conſilium luſtratorum adſcriptum prudentiſſime ſuadet. De qua re vide titulo Ruſſaua, Balaklei & Grodziſko. Diſtat Czapczaklei ab Oczakouia octo milliaribus, aut nouem, vt luſtratores idem annotarunt.

CZARNYLAS

CZARNYLAS 49. 12. 50. Alias filua Pieczymegi vocatur. Eſt etiam Czarnylas pagus Kochanouii, Poëtæ eximii, in Sendomirienſi prouincia.

CHORBOP 51. 3. 48. 5. Ad fontem fluminis Wſtecz, non procul a Lucko.

D

DĄBROVICA 51. 12. 45. 3. Domicilium natale illuſtrium & magnificorum Firleiorum, Baronum a Dąbrouica. Ex ea gente complures palatini, præfecti copiarum, campiductores, caſtellani & prouinciarum dignitarii prodierunt, quorum fama vbique etiamnum coruſcat. Arma Leopardus. Animal hoc ferunt eſſe robuſtiſſimum, vincit hunc tamen viribus Leo, ſed rurſus ingenio a Leopardo vincitur. Nam vt eum in diſcrimen adducat, ferunt cuniculum ſubterraneum parare ſolitum, quem, quoniam in veſtibulo diductiorem latioremque, in exitu vero anguſtiorem præparare ſolet: ideo cum a Leone inuaditur ipſemet, vt qui minor, celeri curſu rapaces vngues Leonis elapſus euadit. Leo vero ira exagitatus cauernam, latius oſtium habentem, facile ingreditur, poſtea vero in exitu ſtrictiore, eluctando hæret, & captiuus retinetur. Hanc ferunt eſſe naturam Leopardi. Hoc eodem ſtratagemate eius gentis homines, hoſtes patriæ debellare ſolebant, hoc eſt, viribus & ingenio. Nam fere omnes litterati ſunt, ideo etiam litteratis hominibus fauent, & ſunt patroni Muſarum munificentiſſimi.

DZIALIN 53. 43. Domicilium & colonia magnificorum & ſpectatæ nobilitatis Dzialinſiorum, quorum aliquot mea ætate in ſenatu regio cum laude tuebantur ſuum locum.

DRUZEK	55.	7.	44.	8.	
DREZEN	53.	8.	46.	10.	
DUBRAVICA	52.	6.	50.	6.	
DISLA	58.	7.		10.	
DRISMET	56.	11.	51.	1.	Grodecius in ſua tabula, in

Diſna & Driſna lapſus eſt, & fluminis Dunæ ſitum ignorauit. Quare eo modo, vt hic vides, error hic eſt corrigendus.

DRUSNO	55.	1.	42.	1.	Lacus nobilis ad Elbingam.
DUBKACZ	55.	5.	44.		
DRANBORG	54.	3.	39.	7.	
DRZWIACA fluuius	54.	3.	42.		
DZIALDOW	54.	4.	34.	8.	Significat noſtra lingua

Dzialdow diuiſorem. Nam Pruteni limitem hic eſſe volunt ſuum, qui a Maſouiis eos ſeparet.

DĄBROWNO 54. 4. 43. 8. locus pernobilis pugna illa, quando Poloni de ſumma rerum duce Moſchouio Vimbramo, cuius ſol inſigne fuit cum cruce ſignatus, Marte iudice ferro decernebant, ante annos 150. Et tum de Cruciferis octoginta millia profligata ſunt. Locus pugnæ, ad eam vſque diem ab accolis monſtratur. Vocatur hæc ab aliis pugna bellum Grinualdenſe. Sed pagus iam ille vaſtatus iacet. In prælio hoc aderat Rex ipſe Iagello Vladiſlaus, aderat & Vitoudus frater Regis. Ex cruce ſignatis occubuit ipſe magiſter ordinis in conflictu, cum toto ſuo robore militiæ & multis commendatoribus. Duces Germaniæ aliquot capti & ad Regem perducti culpam deprecantes veniam impetrarunt. Signa cohortum cruciferarum deſcripta habes ſigillatim apud Dlugoſum hiſtoricum.

DZWICH	52.	12.	51.	6.
DLUGOSSOVICE	51.	1.	42.	2.

DUNAIEC fluuius 55. 43 Hunc amnem alii Danaſtrum, alii Viſclam vocant cum Procopio. Nam ex iis locis demanat, id eſt Scepuſio, vbi Gepidæ veteres, Gothica natio, ſedes ſuas habuere præcipuas, teſte eodem Procopio.

DUCLA 50. 3. 43. 5. Ptolemæus eo quoque loci ponit Ducleotas populos, voce neutiquam dissona.

DEBICA 50. 2. 44. 6.

DINOW 50. 5. 43. 2.

DUBIECKO 50. 6. 43. 2. Colonia vetustæ gentis spectatæ nobilitatis STADNICIORUM, dominorum ab Osmigrod. Horum insigne est amnis Sreniaua. Nam ad hoc flumen ab eorum protauo fusi fugatique erant hostes patriæ. Ideo recte a quodam erudito hæc victoria celebrata fuit hoc distycho:

Strenuus immanes princeps qui vicerat hostes,
Præsens ad flumen talia signa tulit.

DEBNO 50. 43. Magnificus Franciscus Veselinus, Camerarius regius illa ditione potitur. Vir heroicis virtutibus conspicuus, & omnibus bonis merito charus. Est aliud Debno in prouincia Sendomiriensi, Sienieniorum colonia vetus. Est & tertium nouiter locatum oppidum a magnifico Castellano Leopoliensi, ad Szidlow.

DUBINKI 58. 4. 50. 5. Domicilium natale Illustrium Ducum Radiuilonum, quorum pater principem locum tenuit inter Senatores magni Ducatus Lituaniæ. Huius duo filii ambo palatini. Nam & Christophorus, Castellanus Trocensis successit, nunc audio, in locum patris, effectusque est palatinus Vilnensis. Huius virtus enituit ante biennium in expeditione Plescouiana contra Moschouiæ ducem: vir est acer in armis.

DOBROVODA	50.	9.	40.	6.
DROHOBICZ	59.	8.	47.	8.

DOLINA 49. 4. 47. 9. Affine est vocabulum cognomini Podoliæ. Nam tractus hic ad illam vallem est situs, a qua denominatur Podolia. Vites hic possent plantari, & vinum proferrent, quale Cassouia profert. Est enim cum illa ex æquo meridionalis.

DABLIACZ	45.	7.	45.	2.
DOBRZIN	51.	7.	45.	2.
DURISKO	51.	7.	48.	
DROHOBUSZ	51.	8.	36.	6.
DUNAIOW	50.	4.	48.	3.
DWIEKLICZUIECZ	49.	10.	49.	10.
DASCHOW	49.	6.	34.	

DROMUS ACHILLIS 54. Hic se heros clarissimus exercere solebat.

DUNIAIOW 49. 11. 47 6. Ad confluentem Kropiecz & fluminis Lipal.

DZWAN fluuius 49. 51. in Tiram incidit. Est castellum desertum Dubno, 50. 5. 58. Ducis Ostrouiensis habitaculum.

DUBROVICA 52 51. Supra confluentem Slucza et Mochor fluminum.

DSLNA fluuius 50. 54. Flumen cis Borysthenem e regione Chorcycæ insulæ.

DAVIDOW 52. 50. in ipso confluente fluminum Przypiecz & Slucza oppidum.

DISNA fluuius e regione Kiouiæ 51. 55. ad quod duæ arces Moschorum, Czernieiow & Patiuol, tantummodo 24. milliaribus a Kiow distant.

E.

ELBINGA 52. 4. 42. 5. Vrbs nobilissima in Prussia, commendatur, quod sit munita natura loci & altitudine murorum: sed magis a fide & obsequiis, voluntate denique propensa erga Reges Poloniæ, etiam

in aduersis

in aduerſis caſibus. Ideo eis, vt ſigillum aſſeruent reipublicæ Pruthenicæ concreditum eſt, a Gedano ſex milliaribus in altera Iſtulæ ripa.

F.

FULSTINUM 59. 45. Cognomen eſt Germanicum. Multa autem nomina Germanica non ſolum vrbium, ſed etiam præcipuorum nobilium, in illa ſubmontana regione reperiuntur. Cuius rei cauſam alio in loco explicauimus. Eſt autem Fulſtinum domicilium natale antiquæ ſtirpis Herbortonum, ex quibus noſtra ætate tres in ſenatu regni reſidebant. Arma gentis ſunt tres gladii pomo cuſpidibus infixi.

FRIDLAND 55. 5. 43.

FALKENBURG 54. 7. 46. Ex media Germania huc nomina tranſlata veteribus abolitis.

FILEK 48. 48. Arx Turcicæ ditionis: credo tantum ſex, aut nouem milliaribus, a Scepuſio, finibus Polonicis, diſtat: tua res agitur, paries cum proximus ardet.

G.

GEDANUM 55. 41. 41. 9. Vrbs nominatiſſima & ornamentum non poſtremum regnorum Europæ, ad oſtia Iſtulæ, quæ triginta hauſtis fluminibus miſcetur Baltico freto, ſua amplitudine ſpeciem maris efficiens. Per hanc quicquid habet Polonia, Lituania, Maſouia, tanquam in oeſophagum, Gedanum intrat, & in transmarinas regiones auehitur. Et rurſus, quicquid affertur ex Germania, Anglia, Gallia, Hiſpania, Dania, Suecia, per vniuerſam Sarmatiam digitis Gedanenſium ciuium diſpenſatur. Laudatur in ea, quod bene munita ſit, populoſa, diues, commemorantur horologia affabre facta: ſed me in eius admirationem magis rapit gubernatio eorum reipublicæ, qua prudentiſſimus ſenatus, tanquam habenis, vniuerſam multitudinem regit & in officio retinet. Nec video vrbem in regionibus iſtis, cuius gubernatio ſit ſimilior Venetorum reipublicæ. De nomine Gedani & eius etymon probatur doctioribus ſententia Celtis, quam hoc diſtycho expreſſit:

Sed quondam Gedanum Gotthorum nomine dictum:
Hincque ſinus Codanus nomina clarus habet.

GOLBERGA 55. 1. 38. 8.

GUTHSTAT 55. 3. 43. 6.

GERMA

GRANDE FILZ 45. 9. 43. 4.

GWDA fluuius 54. 39.

GRANDCZ 54. 6. 42, 4. Locus celebris ob quandam victoriam Polonorum. Grudziac a noſtris vocatur.

GESTEN 54. 10. 42. 5.

GONIĄDZ 54. 7. 46. 11. Venationes iſtic Regum præſtantiſſimæ.

GOSTOMIA 52. 42. ampliſſima & viris fortibus referta domus & locuples. Refert autem non obſcure ſuo cognomine veterum Gotthorum appellationem & ſonum, qui nequaquam remote olim abhinc habitabant. Sed de origine Gotthorum accuratam inueſtigationem habes lib. 3. annalium noſtrorum.

GRIMKI	54.	5.	46.	4.
GRODNO	54.	6.	58.	9.
GRODZISKO	54.	4.	40.	9.
GEŚICA	53.	7.	41.	9.
GLIVICE	51.	4.	45.	8.
GRODEK	50.	2.	46.	10.

GORAI 51. 4. 48. 8. Memorabilis facti Demetrii de Goray ſit

fit mentio in historia Iagellonis, a domino Cromero, & aliis, circa desponsationem Eduigis reginæ nuptæ Iagelloni.

GRABOW 51. 5. 46. 10.

GOLOGURI 50. 2. 47. 4. Oppidum inter montes, situm sicut & nominis etymon indicat. Puto autem hos montes, qui a Leopoli Volhiniam vsque protenduntur, Peucinos vocari a Ptolemæo.

GLINIANI 50. 3. 47. 1. quinque milliaribus a Leopoli.

GNIEVVM 54. 6. 42. 6. Præfectura est Cemorum. Est autem Cemorum familia, genere & rebus gestis admodum clara & spectabilis. Mea ætate quatuor ex ea gente in senatu regio palatini erant: Achatius, palatinus Pomeraniæ, Fabianus alter, palatinus Marienburgensis. Tertius N. Quartus N. Seniorem Cemam ita amauit Albertus, Marchio Brandeburgensis, Dux Prussiæ, vt cum renuntiaret professioni Crucifericæ, exueretque vestem ritualem, qua ipse magister vtebatur, ipsi soli, tanquam amico confoederato, eam tradiderit, quam hactenus successores mnemosyni loco asseruant.

GRODEK aliud 49. 7. 48. 3. Ad flumen Hnieziola & Tiram domicilium Herbort de Dziedzilow, viri clarissimi, Succamerarii Kamenecensis.

GRODEK tertium 50. 49. In summitate fluminis Smetricz, & vnum ex istis vocatur Slony Grodek.

GORKA 52. 6. 40. 6. Illustrium Comitum a Gorka domicilium, quorum insigne est nauis argonautica. Ex ea gente prodierunt complures palatini, campiductores, episcopi, castellani, oratores ad exteras nationes. Viri toga pariter & armis illustres. Horum nomen in Germania & in aliis exteris nationibus ita clarum est, vt putes istic natos esse. Linea, vt vocant, istorum, quantum ego scire possum, ex senatoribus, hoc ordine potest recenseri. Lucas primus de Gorka, palatinus Posnaniensis 1340. Lucas secundus de Gorka, palatinus Posnaniensis 1466. Vriel, episcopus Posnaniensis & cancellarius regni 1479. Lucas de Gorka & idem postea episcopus Cuiauiensis, quem ego probe noueram. Nam fui tum alumnus & condiscipulus nepotum huius, filiorum Andreæ. Vsque fumus præceptore Ioanne Cosmio, viro erudito, qui postea theologus, & a concionibus fuit apud Sigismundum Augustum Regem Poloniæ 1542. Tandem Andreas de Gorka, castellanus & capitaneus Posnaniensis generalis. Huius tres filii: Lucas de Gorka palatinus Posnaniensis, frater denique eius Andreas, Castellanus Miedziricensis, qui nunc fatis concessit. Et Stanislaus, palatinus Posnaniensis, vir absque omni exceptione, omnium ordinum, omniumque statuum iudicio incomparabilis, amator reipublicæ ardentissimus, & delicium Polonorum.

GNESNA 53 7. 41. 5. Prima & antiquissima sedes & regia Poloniæ, olim Lemisaletum dicta, vt placet doctioribus. Meo æuo ad eos honores euectus fuit Iacobus Vchanius, cui successit STANISLAUS CARNCOVIUS, præsul diuini pariter & humani iuris peritissimus. Idem locus nobilitatus est sepulchro diui Alberti, & aduentu Otthonis tertii Imperatoris Romanorum. Et quod maximum, est: eo loci primo honores regii cum diademate delati sunt Boleslao Chrobri, sacratæ memoriæ Regi Poloniæ, & coronatio istic prima consummata fuit. Quapropter hoc nomine vicissim honos summus habitus fuit eidem Imperatori.

GLUBSININUM 53. 42. Tempore Regis Locticonis eo loci bellum acerrimum gestum fuit cum Cruciferis, ductaque fuit istic fossa septem milliarium cuius adminiculo aliquot millia Polonorum strenue sese aduersus Cruciferos, Iulii Cæsaris aduersus Pompeium exemplo, durante Pharsalico bello, defenderunt. Hoc ergo opus merito inter antiquitates referri potest.

H

HALICZ 49. 5. 47. 6. Halicios Galatas alii eſſe volunt, ad quos beatus Apoſtolus ſcripſit, ſed hoc non videtur veriſimile: niſi forte pars illorum auulſa in iis locis hæſerit. Sed videtur veriſimilius, Gallorum reliquias loco nomen dediſſe. Neque enim procul ab illis oris Scordiſci conſederant, qui Gallica gens erant. Balduinus etiam Gallus, ante ducentos annos imperium orientale occupauerat. Et fieri poteſt, vt aliqua portio exercitus illius ad eum locum, compendium calamitatum ſuarum quarendo, confugerit. Sed Haliciorum nomen ante Balduinum inclaruerat, vt liquet ex ſerie hiſtoriæ Polonicæ. Reges Haliciorum coronati hoc ordine enumerantur: Colomanus nimirum, Daniel, deinde rurſus Romani filius, qui ad Zaichoſtum male pugnauit. Leo tandem tertius, conditor vrbis Leopolitanæ. Ad augendam vero celebritatem loci Ludouicus, quem noſtri Loiſſum vocant, Rex Poloniæ & Vngariæ, ſedem archiepiſcopalem in eadem Halicz erexerat, quæ poſtea Leopolim prudentiſſimo conſilio tranſlata fuit. Prælia etiam complura, ad Halicium geſta, locum celebriorem reddiderunt, maxime vero Criuouſtii Regis victorioſiſſimi clades memorabilis, cuius poſtea ignominiam Caſimirus ſecundus, victoria de Ruſſis parta, aboleuit. Reperitur ibidem lapis Alabaſtrinus, pulcher admodum, ita vt nitore ſuo etiam Phrygium ſuperare videatur. Auehitur inde in Germaniam & alias remotas regiones.

HEILIGAW	56.	5.	45	4.	
HEILAND	55.	7.	41.		
HEILSPURG	55.	4.	43.	7.	
HAMOSTEIN	59.	10.	40.	5.	
HUMIENNO	49.	8.	44.	11.	
HYPPANIS fluuius	50		52.		Vide titulo Boch.
HODOROW	49.		44.		Lacus ibi laudatur.
HNIEZOLA	49.		48.		Oritur ad Bauorow & ad Grodek, incidit in Tiram. Trebowla ad hoc flumen ſita.
HOLOWNIA villa					

I

IGNIECZ	50.	5.	44.	5.	
IASLISKA	49.	6.	45.	6.	Emporium vini Vngarici. Differuntque Iaslilka & Iasle.
IUR fluuius	34.		38.		
IAGIEL	49.	5.	44.		

IAZLOVIEC 49. 45. Arx bene murata, Valachiam verſus inter flumina Stripa & Hniezola. Et eſt domicilium natale antiquæ ſtirpis Iazloueciorum, quorum pater noſtra ætate palatinus Ruſſiæ fuit, oratoremque egit ad Imperatorem Turcorum cum magna laude ſua & reipublicæ, gentis ſuæ claritatem auxit Iaslouecius, præfectus Sniatinenſis, profligato & capto palatino Valachiæ. Acciderunt hæc anno ſalutis 1582.

IARMOLNICE villa	50.	50.	
ISKAVA fluuius	50.	48.	Vbi & Dubno.
IKAVA fluuius	50.	50.	Vbi Sieniaua Sieniauiorum.
IUGEA fluuius	54.	43.	In Maſouia

K

KINSBERG 55. 9. 43. Regium montem Latine vocare ſolent. Eſt vrbs laudatiſſima, vel tres ſimul, ita vt tripolis dici poſſit. Scribit autem Plinius lib. 4. cap. 1. & meminit inſulæ Balthiæ, quam, inquit, Pytheas nominauit Baſyliam. Et Baſyliæ nomen cum Regiomonte quadrat. Tripolim autem ideo vocare placuit, quia ex tribus oppidis propriis, moenibus, & interlabentibus flumi-

Recentius Kinsbergæ etymon vide Miechouii hiſtoriam vbi dicit occaſionem dediſſe huic

cognomini arcis, aduentum Otthocari Regis Boemorum

nibus distinctis constat & coaugmentatur, quibus arx impendet amplissima in editiore colle, domicilium haud dubie illustrium virorum indicans. Ibidem est maris portus minime ignobilis, & Academia celebris, vbi quoque ego tyrocinium studiorum meorum ieci, sumptus mihi & mensam in arce suppeditante illustrissimo duce Prussiæ, Alberto Marchione seniore. Nunc prouinciæ illius & dux & tutor scriptus est a regno Poloniæ Georgius ab Ansbach, soboles dignissima Regum Polonicorum. Quod factum esse reor, cum ob alias causas, tum VI testatum facerent Poloni, quanti faciant amicitiam principum Germaniæ.

KIELMI	56.	8.	47.	7.	
KAPURN	53.	10.	43.	8.	
KURISCHFERUNK	56.	44.			
KAW	55.	5.	47.	10.	
KLANSTEIN	54.	11.	41.	10.	
KYSSOW	54.	11.	41.	10.	lacus ibi commendatur.
KORSBORG	54.	11.	43.	2.	
KNISZIN	54.		47.	5.	
KOLOCZ	53.	11.	40.		
KOSCIAN	53.	2.	40.	2.	
KREW	33.	11.	46.	11.	
KODEN	53.	7.	47.	8.	
KLKCKO	53.	9.	50.	1.	locus nobilis insigni victoria de Tartaris parta.
KOLMI	53.	6.	51.	8.	
KAZIMIRIA	52.	11.	45.	8.	
KUROW	52.	2.	45.	5.	
KVRNIK	53.	6.	40.	7.	

Domicilium Illustris Comitis a Gorka Stanislai, palatini Posnaniensis. Arx est murata ad elegantiam & ad sustinendum quemuis hostem, cui adhæret oppidum. Territorium illud omnibus præsidiis oeconomicis refertum, horreis, granariis, piscinis, ferinariis, auiariis. Poiestque de Kurnicio illud dici Tullianum. Et dominus domum & domus dominum cohonestat.

KUNCZICE 53. 45. Locus natalis familiæ clarissimæ Mniskonum, qui patrum memoria ius ciuitatis in regno Poloniæ adepti sunt, sed ita feliciter, vt etiam omnibus patriciis adæquentur.

KRZECZOW 52. 43. Ad Bochnam milliari Italico. Præfecturam illam administrat magnificus Iacintus Mlodzieiowski, thesaurarius aulæ regiæ, quem virtus, ingenium, fidesque erga Reges Poloniæ ad eos honores euexit & extulit, cunctis ei bonis fauentibus.

KOZLE	52.	6.	46.	3.	
KOZLEGLOVY	51.	2.	40.	8.	
KRZEPICE	31.	6.	41.	9.	
KROMOLOW	51.	11.	41.	4.	
KLOBUCKO	51.	9.	41.	7.	
KURZELOW	51.	10.	42.	8.	
KRASNISTAW	51.	8.	56.	6.	vbi Casimirus oeconomicissimus Rex piscinam ingentem condidit, a qua nomen ciuitati inditum est.
KAMIENIUM	51.	12.	47.	2.	
KARMIOW	51.	12.	40.	6.	
KOZOBABA	30.	4.	42.	4.	
KETY	50.	8.	42.	7.	Patria professoris Academiæ Cracouiensis, qui ob vitæ frugalitatem, modestiam, elemosynas, inter diuos est relatus sanctus Canti vulgo vocatur.

KESCHMERK

KESCHMERK 48. 7. 42. 8.
KIERMESCH 48. 7. 45. 4.
KROPIWNA fluuius 53. 51. In hoc amne Moſchi poſt cladem Orſzenſem demerſi ſunt.
KOPIL, ciuitas in ducatu Slucenſi, ſedesque ſecundo genitorum.
KRZEMIENIEC 50. 9. 54. Arx murata, quam Ianuſius epiſcopus Poſnanienſis erexit firmiſſimo in loco.
KUROPATWNIKI 49. 12. 48. 12.
KROPIECZ fluuius 49. 48. Incidit in Tiram ad oppidum Kropiecz.
KUCZMANIA fluui. 50. 5. 50. 6. Vide ditionem ſzlak. Incidit in Axiacum, ſeu Buch, inter Vinnica & BraclaW ripa ab altera, L. milliaribus a Leopoli & aliquot.
KORSON 51. 3. 53. 9. ciuitas nouiter locata a Stephano primo, Rege Poloniæ, cum munitione firma, ad flumen Ros in ipſo tranſitu Scytharum, ſeu ſzlak czarny, vbi cernis literam K. Et pollicentur Regi præſides illius loci, quod non amplius Scythæ poſſunt tranſire impune per Czarny ſzlak. Fuiſſe etiam olim ibi arcem nobilem, teſtantur ruinæ muri vetuſtate negleĉti.
KRILOW 51. 10. 54. 11. Arx murata in loco valde opportuno contra Scytharum irruptiones, optime munita ad morem Germanicarum vrbium. Huius hæres eſt Caſtellana Miedíricenſis a Thęczin domina, genitrix Oſtrorogorum.
KIOVIA 51. 10. 54. 12. Sedes antiqua Ducum Ruſſiæ. Et quod olim Romani de ſeptentrionalibus & Indianis monſtris & miraculis ſparſerunt, hoc Ruſſi de prodigiis & heroibus ſuis, quos Bohatiros, id eſt, ſemideos vocant, aliis perſuadere conantur. Contumulare autem iſtos ſolent in cauernis rupium, quas in immenſum, tanquam cuniculos ſubterraneos, vſque Nouogrodiam magnam, fabulantur extendi. Illud tamen pro confeſſo eſt, & inſtar miraculi habetur apud peregrinos, qui ſe eo conferunt, quod a monachis monſtrantur iſtic corpora principum incorrupta, quæ per longa ſpatia temporum, loci temperamentum quoddam, abſque vllo detrimento conſeruat. Incolæ id ad religionem referunt, & loci ſanĉtitati acceptum tribuunt. In eadem vrbe Armeni, ſicuti Leopoli & Cameneciæ, affatim habitant. Diſtat a Vilna nonaginta milliaribus, a Leopoli ſex ſupra oĉtoginta. De hac diſtichon adiiciam cuiusdam Poëtæ eruditi:

Nomen habet magnum ſpatioſa Kiouia quondam
Cunĉta breui impoſito, tu milite proſpice forti.

KOROSZCZICOW 52. 53. Ad oſtia fluuii Fekerow, vbi in Boryſtenem incidit. Ad idem flumen eſt Sytomirz & Cudniow.
KOVALIA 51. 10. 42. 8.
KRASYLOW 50. 12. 49. 5. Supra lacum pulcherrime bipartitum.
KODOMA flu. 50. 6. 50. 6. a Kuczman Scythiam Verſus decem milliaribus.
KULIKOW 49. 6. 48. 12.
KANIOW 50. 8. 54. 10. Munitio Kozakiis referta ad Boryſtenem Porohi Verſus.
KOCHANIE 50. 9. 54. 11. Eſt locus ſupra inſulam diĉtam Chorcyca inter cataraĉtas ſeu Porohi, aliquot milliaribus ſupra modum amoenus: in quo, ſi aliqua manus militum diſponeretur, commode poſſet ſemper impediri tranſitus Tartarorum, qui per vtrumque traieĉtum Boryſtenis, Kuczmanſki, inquam, & Krzemieniczkie, quoties non ſentiunt eſſe in armis Niſouios Kozakos, libere traiicere ſolent & infeſtare noſtras regiones. Diſtat hic locus a Kiouia XL. milliaribus.

Hæc omnia ex ſententia magnificorum virorum adieci, qui luſtrandis illis regionibus a R. M. delecti & deſtinati erant. Narrant inſuper præter illas duas inſulas, Thomakowka inquam, et Chorcyca, eſſe et alias complures deſertas in illo flumine, in quibus materies ampla et lignorum copia eſt, tam ad ædificandas arces, quam ad naues ſtruendas. Cui teſtimonio ſuffragatur etiam hiſtoria de principibus Kiouienſibus, qui ante quadraginta annos magnos exercitus, et ingentes claſſes ex iis locis ſecundo flumine, vſque Conſtantinopolim et vlterius, deducere ſolebant, ad oppugnandum orientale imperium. Et cauendo, ne hoc amplius fieret, exiſtimo Turcas Scythis eos portus repleuiſſe, quos etiam ideo ſuo patrocinio tuentur. Narrant præter ea iidem D. luſtratores in ſuo itinerario ad fluuium Ros et Tysmienica et Olſzanica, et in aliis fluuiis eſſe ibidem loca confragoſa, &c. vbi arces poſſent excitari, nec haberet Turca anſam ita conquerendi, ſicuti prætendere ſolet, cum ad Tiram aliquid noſtri ædificare inſtituunt.

L

LUBLINUM 51. 10. 46. 10. Vrbs ſpectabilis, partim ob loci opportunitatem, partim ob nundinarum celebritatem, quæ ter in anno ibi fieri ſolent, et ſingulis vicibus ſpatio quatuor ſeptimanarum durant. Confluunt eo negotiatores ex Turcia, Moſchouia, Germania, Armeni, Lithuani, Valachi. Eam celebritatem auxerunt iudicia tribunalitia, quæ iſtic quotannis exercentur. Eſt autem horum iudiciorum in Polonia auctoritas tanta, vt nec ad Regem, nec ad comitia inde prouocare liceat. Diſtat Lublinum Cracouia XXXVI. milliaribus, a Sendomiria XIV. Varſauia XXIV Vilna LXX. A Kaſimiria VII. Qui poſt me eadem recudet, propius in tabula admouebit Kaſimiriam Lublino.

LEOPARDIA 52. 2. 46. 9. Domicilium magnum domini Nicolai Firleii ad flumen Veprum, a Lublino tribus milliaribus. Commendatur a politia, artificibus inſignibus et ſchola. Eſt præter ea locus ille refertus granariis, promptuariis, piſcibus, pomariis, hortis delicatis ita exornatus, vt non modo ad neceſſitatem, ſed etiam ad voluptatem comparatus eſſe videatur.

LOSYBYKI 52. 6. 46. 5.

LUXOW 52. 9. 43. 11.

LECZNA 52. 2. 46. 9.

LUBOML 52. 1. 47. 1. Præfectura regni, cui præeſt vir ſpectatæ nobilitatis D. Kraſinſki, metator caſtrorum regiorum.

LANCUD 50. 8. 45. 4.

LEZAISKO 50. 11. 45 4.

LELOW 51. 7. 42. 4.

LUCZKO 51. 3. 48. 5. duas arces habet. Demeationes nauium e Sluczko ad Luczko commodæ. Et eſt ſedes epiſcopi Luceorienſis. Sita eſt ad confluentem fluminum Stir & Wſtecz. Præfecturam illam nunc adminiſtrat ſumma cum laude Alexander Prunſki, dapifer magni ducatus Lithuaniæ, vir magni nominis, ex claro ſtemmate primariorum Ducum ſuam originem ducens.

LEOPOLIS 52. 10. 50. 8. vrbs Ruſſiæ primaria Metropolis, muris & vallis optime munita. Arces habet duas, quarum altera eminet in ipſa crepidine montis excelſi. Laudatur a politia, munitionum firmitate in locis opportunis, & apparatu bellico. Eſt enim illa vrbs veluti propugnaculum, non modo Sarmatiae ipſius, ſed aliarum etiam prouinciarum chriſtianitatis contra Turcorum, Scytharum & aliarum barbaricarum gentium inſultus & irruptiones. Eſt præter ea nutrix variarum religionum. Sedem ibi habet Archiepiſcopus eccleſiæ Romanæ, ibidem antiſtes Armeniorum, qui inſtituta & ritus Antiochenæ eccleſiæ ſequitur. Ruſſorum etiam eccleſiæ complures, qui Conſtantinopolitanos ritus pro norma habent. Solis Euangelicis ab occulto ſydere infeſti ſunt. Præeſt nunc ſedi archiepiſcopali Stanislaus Sulicouius, ſiue morum integritatem, ſiue ſolidam eruditionem ſpectes, vir eſt omni laude ſuperior.

LACUCHOW

LACUCHOW 51. 9. 46. 6. Spectatæ nobilitatis domicilium Orechouiorum et locus natalis. Tres sunt fratres, viri ad res magnas nati, eorum fater vterinus est Ioannes Sienienius, Leopoliensis Castellanus.

LIPOVIEC	50.	11.	42.	4.
LIPNICA	50.	9.	45.	5.
LESKO	49.	9.	42.	11.
LEUOCZA	49.	4.	45.	5.
LUNEBURG	53.	4.	45.	5.
LABETAVOLA	50.	5.	45.	5.

LIPSIA Russiæ 51. 5. 45. 5. Patria auctoris libri et solum hæreditarium. Series autem progenitorum eius, sic recensetur. Est in Mazouia prouincia Plocensi colonia Sarneciorum, quibus commune est stemma nobiscum, quod Coruinus vocatur, ad eam vsque diem. Hi sunt gentiles nostri. Nam propemodum iam centum anni sunt, cum ex regione illa Iacobus Sarnecius aulicus Regius, auus meus, relictis penatibus in eas regiones delatus fuit. Fuit is tum Regi percharus, quod ministerio eius vtebatur in legationibus, ad Scytharum principem. Nam linguæ Scythicæ notitiam sibi comparauerat. Et quia tunc bellum Bucouiense contra Valachos parabatur, etiam ille alacriter castra Regis sequebatur. Et cum ad Zarnouecium, ad flumen Prutum, praeclare Regi operam suam probasset, strenueque se gessisset, ferociam Valachorum, qui cum Stephano ripam insederant, non sine graui discrimine reprimens. Rex pro donatiuo virtutis, pagum ei in Belzensi palatinatu Slepcze nuncupatum, et Sculteriam Krczonouiensem, attribuit. Sed non diu ei concessum fuit praemio illo virtutis frui. Nam non ita multo post, siue vulneribus in bello Valachico debilitatus, siue pestilenti aura, vt creditum est, afflatus, quæ bello illo durante inualuerat, fatis concessit, relictis in eadem possessione tribus filiis: Andrea nimirum, Stanislao, et Ioanne, quos ex Heduige Piatkouia coniuge sua nobili femina, susceperat. Horum minimus natu Ioannes, quem iam moriturus baiulabat, sub axillis tenens, pater meus fuit, Andreas vero in finibus Podoliæ Strusiis commilitabat, vbi et filii eius duo ante viginti annos, in campis credo Tehinensibus, pro patria fortiter dimicando aduersa tela pectoribus exceperunt. Tertius vero in Moschuia ad Neuel arcem, sub signis Ioannis Gorali, viri fortis militando, vna cum Malicio, periit. Cum igitur Rex accepisset, auum vitam cum morte commutasse, Ioanni Zamoscio, qui postea a supplicibus libellis, seu Referendarius fuit, tutelam pupillorum commisit, quod munus ille tanto alacrius subiit, quo magis hominem dilexit, compluribusque in rebus, eius obsequiis familiarius vtebatur. Itaque vir eximius et bona puerorum interuersa a malignis tutoribus breui vindicauit, et vbi ad ætatem iustam peruenere vxores addixit eis, Andreæ cognatam suam Tarnirska, Ioanni vero agnatam Helizabetam Gorzkowska, quæ mater mea fuit. Hæc festinanti stylo attingere volui, ne dum aliorum res ad posteritatem transmitto, meis prorsus deesse videar.

LIPA fluuius 49. 12. 47. 12. ad Gologury oritur, et Dunaiow præterlabitur, tandem Tiræ iungitur, e regione Halicz.

LINDAVA flu. 49. 12. 49. 12. in Tiram illabitur infra Camenec octo milliaribus.

LYSSOVA flu. 50. 6. 47. 12. ad Beresteczko flumini Stir vnitur.

LITOWISZ 51. 5. 47. 8. Ad Bug flumen.

LUDINIA flu. 53. 44.

M

MIELEC 55. 2. 44. 6. Vetustæ gentis Gryphiorum domicilium natale, ex quo prodierunt plurimi senatores huius regni, palatini, castellani, campiductores, puto et duces Pomeraniæ veteres. Horum insigne est

Gryphus, nostri *Swoboda* more vsitato vocant, id est liberum liberalemque animum, eo quod multas possessiones, vt quidam non inepte exponunt, ecclesiastico ordini contulerit, vt donationes laxæ, militis Hierosolymitani, testantur.

MIECHOW 51. 3. 42. 8. Situm huius oppidi simillimum esse ferunt Hierosolymitano territorio. Et credibile est fundatorem oppidi, Gryphium laxam, quæsiuisse locum eius instituto aptum, qui similitudine sua memoriam referret pariter et loci celebris templi, et peregrinationis Hierosolymitanæ, qua defunctus huic operi extremam manum imponere voluit. Nunc Andreas Bathori, nepos S. R. M. ibi rerum potitur, qui hoc anno in numerum amplissimi Senatus Cardinalium a Pontifice summo est adlectus. In hoc Illustrissimo Principe aspectus decorus, facies augusta, mores amabiles pollicentur, et fidem faciunt pro eo, nequaquam degeneraturum a patrui sui moribus, Serenissimi, inquam, Stephani Regis Poloniæ.

MARUSSA 49. 10. 51. Flumen Podoliæ. Et nota dialectum Cymbricæ linguæ vetustioris. Nam Plinius annotat Cymbros olim mare mortuum Morimarussa vocitasse.

MSTICZOW 51. 5. 43. 12. Natalis locus Plazonum Gens hæc est nominatissima in Polonia. Suntque contribules & coarmes, vt vocant, Tenczin iorum.

MRZYGLOD	51.	5.	43.	12.
MSTOW	51.	9.	42.	2.
MALOGOSC	51.	8.	43.	3.

MONS crucis 51. 12. 44. 6. Locus celebris ob peregrinationes, quæ voti causa suscipiuntur religionis ergo. Cernitur templum illud & monasterium fere decem milliaribus, vsque adeo mons in alta rupe eminet. Monstratur ibi, a monachis, peregrinis peculiare atrium, quod vocant illi patria lingua, Rayski dwor. Et si quis ex posteritate Debno, qui illud monasterium fundarunt, turriculam paulo altius monasterio fenestratam excitaret, in qua laterna vel lampas noctu iugiter arderet, certe loco illi maiorem admirationem & sibi perenne nomen pararet. Cerneretur illud lumen existimo per quindecim & amplius milliaria, posseteque cum Olympo monte Græciæ conferri.

MACIEIOW 52. 44. Antiquæ & spectatæ nobilitatis domicilium Macieiouiorum. Arma gentis sunt Vitulus cornupeta. Decus huius gentis nostro æuo floruit Samuel Macieiouius, episcopus Cracouiensis & cancellarius regni.

MOROVA fluuius 50. 9. 39. 9. Ab eo flumine & regionem ipsam, Morauiam, inquam, dictam esse putant. Patrium solum fuit Marobudi illius principis clarissimi: sed & illo æuo Morauia, non valde absimili voce dicebatur: Martomania. Fuit autem Marobudus ex stirpe Squadorum oriundus, qui Sarmatæ erant. De hoc complura libro tertio historiæ nostræ leguntur.

MOGILA 50. 6. 45. 8. Monasterium insigne vnico tantum milliari a Cracouia Vandæ Reginæ Poloniæ tumulo concelebratum. Aggestum illud cernitur è longinquo a prætereuntibus. Præest nunc illi loco episcopus Camenecensis Martinus Bialobrzeski, theologiæ catholicæ peritissimus, & ad obeunda munia Reipublicæ vir peridoneus.

MONASTERZISKA 49. 47. Fortalicium, seu munitio pulchra & possessio ampla. Fuit quondam patrimonium spectabile magnificorum, qui dicebantur Manastirsczi, quorum posteritas dicuntur esse Iazlouecii. Huius munitionis superioribus temporibus tantum quædam ruinæ eminebant, quæ tamen antiquitas indicabat, istiq alicuius magnatis domicilium fuisse. At nunc Ioannes Sienienius, castellanus Leopoliensis, hæres illius ditionis, suo sumptu impensisque, omnia, quæ erant collapsa, instaurauit: partim muris ab integro in locis opportunis excitatis, partim materia quercus,

Iouis

Iouis arbore, munitiones firmando. Eaque omnia ad vtilitatem Reipublicæ & posteritatis suæ peregit. Tempore enim incursionum Tartaricarum commode, tanquam ad asylum, quiuis indigus ope, eo confugere poteſt. Eſt aliud 51. 6. 48. 6. ad Styr flumen Tiram versus.

MARUSSA flumen vel Marhaſka 49. 50.

MOCHOR fluuius 51. 51. Ad Polonne in Slucz flumen incidit.

MORAVICA 51. 49. Ad Iſkiew fluuium. Eſt & pagus ad Cracouiam.

MOGILA zborna 40. 4. 44. 8. vbi Bozek flumen oritur. Eſt promontorium nobile ad Miedziboſz.

N

NIESWIES 53. 7. 50. 8. Radiuilonum Illuſtrium domicilium natale, de quibus vide infra: titulo Olika. Diſtat Nieſwiezum a Klocko duobus milliaribus, a Kopil quinque, quod eſt ſitum in Slucenſi ducatu. Collegium iſtic Ieſuitarum inſtituitur. Arx murata bene firma.

NIESWIETA fluuius 56. 4. 56. 1.

NIEPR 56. 4. 56. 1. vel Boryſtenes, magnitudine, Rheno & Danubio confertur. Hic enim quondam naues magnas & claſſes etiam ingentes ſuſtinere potuit, vt teſtantur hiſtoriæ de Kiouienſibus Ducibus Olha & aliis, qui magno apparatu Conſtantinopolim oppugnare ſolebant. Oritur paulo vltra Smolenſko, & capit in ſe flumina ampliſſima, Bereziny, Tur, Przypiecz Stir, Slucz, & alia innumerabilia, ab orientali vero parte, infra Kiouiam, Diſna, Trubieſz, Vday, Zula, Osla, Pſial, Somow & Horol. Hi eo ordine aggregati Boryſteni, in Euxini oſtia ita impetum faciunt, vt ſua dulcedine & ipſum mare inficiant, eiuſque aquas dulces reddant, teſte Ouidio. Vrbes ſua vnda ſitientes potat, Sklow, Mohilow, Kiow, Czyrcaſy, Kaniow. Inſulas nobiliores circum fudit: Choicyca, Thomakowka &c. Commemorantur duo eius nobiliores traiectus, Krzemieniecki, inquam, et Kuczmienſki, qua Scythæ illi Batthones, et alii barbari, tranſiuerunt et nunc tranſire ſolent. Sed Niſouii Kozaki (milites ſic vocantur) late littus illud complexi ſunt.

NARKIE ad oſtia Lipæ ad Tiram.

NIEMIA flu. 49. 51. 8. prope Ruſſaua fluuium ad Tiram.

NIGRA ſilua 51. 52. vbi Scythæ latitare ſolent, inuaſuri in regiones noſtras.

NIEMOIOVICE 55. 3. 48. 3.

NOGAT fluuius 54. 9. 44 8. vbi ſe Iſtula findit: & pars eius Marrienburgum tendit, pars vero altera, Gedanum defertur. Sed illa, quæ Marriemburgum tendit, Nogat proprie vocatur, ab amne quodam, in cuius meatum detruſa Iſtula ſui propaginem eo cum Nogato tranſmittit.

NICA	54.	4.	40.	7.
NAKIEL	54.		40.	
NAIBURG	54.	7.	42.	
NOTES fluuius	54.	7.	42.	7.
NOMOGROD	54.	7.	45.	6.
NIEMIENCZICE	55.	11.	50.	5.
NAREW fluuius	57.	11.	44.	6.
NOVYDWOR	53.	12.	40.	10.
NAMISLOW	52.	3.	40.	5.
NER fluuius	52.	12.	42.	8.
NIESUCHOICZA.	52.	1.	48.	7.
NISSA	51.	5.	39.	5.
NIDA fluuius	50.	2.	42.	12.
NOVYTARG	50.	2.	42.	12.

NIEMEN flumen. Tt NIEPOLOMICE

NIEPOLOMICE 50. 10. 42. 9. vbi partem Herciniæ filuæ veteres ſtatuebant. Nunc venationes iſtic Regum Poloniæ delectabiles.

NIESTR 49. 10. 45. 6. oritur ex montibus Sarmaticis, qui vocantur Beſkid, & antequam amplo gurgite deuoluitur in Euxinum Pontum, capit in ſe Podolica flumina nobiliora decem: Lipa, Stripa, Sereth Podolicum, Zbrucz, Smotricz, V[illegible]za, Row, Ladaua, Dzwan, Ruſaua. A meridionali vero parte, flumen Halicenſe, Dolinenſe, & Tarnauatkam: ſed quod Ouidius tardum Tyram vocat, non poſſum demirari. Vel eum nunquam vidit, vel aliud certe Tyram vocat, quam nos hodie vocamus. Conſtat enim velocitate noſtrum Neſtrum multa flumina anteire. Niſi forte ex montibus decidens rapidior ſit, vbi vero Euxini vudis repercuſſus viſâ maris amplitudine & collata ſua paruitate veluti rubore perculſus curſum ſuum inhibuerit. Nam credibilius eſt Ouidium Tyram vidiſſe ibi alicubi, circa maritimos campos, quum ad lacum ſuum, Vidouo Ieſioro, proficiſci volebat.

O

OLIKA 55. 5. 48. 7. Illuſtrium principum Radiuilonum & Comitum in Szidlow patria & locus natalis, a quo etiam duces denominantur. Septem horum mea ætate ſimul in ſenatu regni reſidebant. Tantam opinionem virtutis, prudentiæ, & dexteritatis in rebus agendis DEUS penes eam gentem reliquit. Eo anno, quo hæc ſcripſimus, hoc eſt 1584, Georgius Radiuilus in numerum ampliſſimi Senatus Cardinalium eſt adlectus & inauguratus, ipſo Rege aſſiſtente & cærimonias quaſdam, vt audio, circa inueſtituram, vt vocant, per ſe adiuuante. Primus hic eſt Cardinalatus in Lituania. Ante vero epiſcopus tantum Vilnenſis & Liuoniæ adminiſtrator vocabatur idem Georgius Radiuilus.

OLIVA 55. 48. Monaſterium celebre ad Gedanum.

ORSENVALD 54. 5. 39. 1.

OSIEK 54. 7. 42. in Pomerania. Aliud eſt ad Sendomiram. Tertium ad Varſauiam Oſiecko.

OSSA flu. 54. 5. 42. 7. Erant vero populi Sarmatici Morauiam verſus ad flumen, quod dicitur Olſa. Et forſan ipſum ante vocabatur Oſſa, ſed ſucceſſu temporis, litera s in l mutata, Olſa vocari coepit. A quo etiam Olſtinek oppidum eſt dictum. Nam Cornelius Tacitus dicit: Oſſii, Burii terga Marcomanorum claudunt. Forſan ergo pars aliqua gentis illius in Pruſſia hæſit ad flumen Oſſa, vbi Chrobrius Rex columnas iniecit. Vnde & pagus vicinus Slupia, id eſt, columna, dicitur ad Rogozno.

OLSTINEK 54. 8. 45. 6.

ORSZLICA flu. 54. 4. 44. 2.

ORTESBURG 54. 0. 44. 5.

ODZILSKO 54. 11. 55. 7.

ORSSA 55. 5. 55. 7. Arx, vbi ingenti clade octoginta millia Moſchorum a Polonis Lituanisque fere deleta fuere, anno 1508.

OLSZNO 55. 7. 38. 5.

OBORNIKI 53. 9. 40. 4.

ORCICEL flu. 54. 44.

OSTROG 51. 5. 50. 4. Sedes & domicilium natale Ducum Oſtroueciorum. Et credibile eſt iſtic olim conſediſſe colonias Oſtrogotthorum, gentis bellicoſæ, cum & ſcriptores vetuſtiſſimi Alaunos, hoc eſt, Volhinios, Gotthos affirment fuiſſe. Et Beſſaraborum vadum, etiamnum vicinum iſtic traiectum per flumen Slucz vocatur. Beſarabes autem in veteribus ſedibus Gotthorum habitant inter Tyram & Iſtrum, ſeu Danubium. Denique nomen Oſtrogothorum cum Oſtrog valde eſt affine & homonymum. De Conſtantino Duce

Oſtrogeos

Oſtrogeos, viro noſtræ ætatis in rebus bellicis nemini ſecundo, ſæpe mentio in hac noſtra hiſtoria occurret. Fuit is pater Conſtantini huius Baſilii, affinis noſtri, qui ducta in vxorem filia Comitis Ioannis a Tarnow, Polona, ſua amabili ſobole vtriuſque herois, hoc eſt, patris & ſoceri, ita viuam memoriam expreſſit, vt cum ambo fuerint præfecti ſummi copiarum, & ambo iamdudum mortui ſint, tamen intuitu ſolo Illuſtrium iuuenum ita perculſi, eorum admonemur, vt non ante triginta annos, ſed nudius tertius eos mortuos eſſe credamus. Sita eſt Oſtrog ad confluentem fluminum Horin & Vilgia. Vrbes eorum ditionis ſunt: Oſtrog metropolis, Oſtrokol, Baſilea, Kraſylow, Kuczmin, Konſtantinow, Dubno. In Polonia vero Tarnow, Tarnopole, Czerniechow, Przeworſko. Ceterarum non bene recordor. Sed audiui quoſdam eorum arces circiter quinquaginta numerare.

ORCZIK fluuius	54.	3.	44.	6	
OLKUSIUM	51.	2.	42.	2.	Argentifodinæ & plumbaria, milliaribus quinque Cracouia diſtant.
OSTROKOL	51.	1.	50.	7.	Antiquis Baſſarabei vadum vocatum.
OSTROW	51.	9.	46.	2.	
OLESZNICA	52.	6.	40.	2.	
OBRA fluuius	53.	12.	40.	2.	
OPOCZNO	53.	5.	43.	4.	
OKRZEIA	52.	7.	47.	4.	
ORCHOW	52.	7.	43.	51.	
OPOLE	51.	8.	44.	4.	oppidum ſpectatæ nobilitatis Slupeciorum.
OGRODZIENIEC	51.	2.	42.	6.	Arx Bonerorum murata miræ elegantiæ.
OPATOW	51.	8.	43.	7.	
OSIEK	51.	4.	44.	6.	

OSTROROG 53. 5. 50. 4. Sedes & domicilium natale vetuſtæ gentis Oſtrorogorum, ex quibus multi inſignes ſenatores, & etiam aliquando gubernatores totius regni extiterunt. Sed illud eſt peculiare, quod de illis & Czarnkouiis, Sbaſiniis, Samotuliis, prædicatur, eos nimirum primos fuiſſe inter Polonos ex vicinioribus illi loco, vbi id accidit, qui Chriſtiani ſunt facti, ſeu nomina ſua Chriſto dederunt, lauacroque baptiſmi initiati eam gloriam obtinuerunt. Cuius rei ſignum ſpectabile hactenus pariter & nobilitatis ſuæ gerunt: vittam nempe baptiſmalem vno ſaltem nexu contortam, qualem ii, qui baptiſmo initiabantur, caput redimiti geſtare ſolebant. Habebant quidem antea illi aliud ducale ſignum auitum, ad pompam & oſtentationem magis comparatum (quo vitio faſtus etiamnum noſtra ætas plurimum laborat) ſed abnegatio ſui & humilitas chriſtiana in eis effecit, vt hoc ſymbolum chriſtianæ manſuetudinis omnibus titulis & ſignis, quantumuis ſpecioſis, antepoſuerint.

OSOLIN 51. 5. 44. 5. Arx murata, domicilium natale generoſæ & antiquæ ſtirpis, optimeque meritæ de republica Polona Oſoliniorum. Habent hi firmiter impreſſas notitias virtutum, quæ res facit, vt ſemper eodem modo agant & æquabilitatem retineant.

ODRY 50. 3. 45. Ad hoc oppidum oritur flumen Odra, ideo & flumen ab eo denominatur. Fuit ſedes olim Gotthorum. Ideo a Plinio Guttallus, a Gotthis, flumen illud appellatur. Iuxta vero Strabonem fines Gotthorum exporrigebantur vſque ad fines Sueuorum, non longo admodum interuallo, quod etiam nomen fluminis Sueuus indicat.

ORLOW 53. 4. 41 7. Oppidum a Lencicio quatuor milliaribus.

Produxit hæc domus viros cordatos, nec consilii inopes: iuxta dictum philosophi: militem oportet esse instructum legibus & armis.

OPATOVIEC 50. 12. 43. 7.

OPAVA 50. 9. 40. 7. A veteribus Sydirorychiæ eo locorum statuebantur, temporibus nimirum Traiani. Ideo Cornelius Tacitus dicit Gotthonos illo æuo pependisse tributum Sarmatis, tanquam possessoribus illarum regionum legitimis, vt eis liceret metalla in illo territorio fodere & præparare. Expresse hæc habentur in libello de situ Germaniæ, paragrapho: *Proh pudor.*

OLESZKO 50. 9, 48. 12. Sedes quondam ducalis fuit Sieniniorum donatiua, ad quam & Zloczow pertinebat, in monte editiori ex quo fluuius Bug & Stir oritur.

ORAVA flu. 48. 8. 42. 3.

OCZAKOW 49. 54. Primarium oppidum Scytharum, sed nostratés Iazlouecii & Sieniauii, patriam suam istic fuisse asseuerant. Distatque ab ostiis fluminis Buh aliquot milliaribus.

OSTR fluuius 51. 54. ab oriente, id est, e regione Kiow in Borysthenem se infundens.

OVIDII lacus 54. 49. inter Hypanim & Tyram, sed vicinior ostiis Tyræ. Cernitur ibi murus quidam plumbo compactus, qui in mare medio milliari porrigitur. Dicuntque Vitoudum eo vsque in mare equo descendisse, dominium sibi maris Sarmatici vendicans.

OROL flumen ad ostia Borysthenis a parte orientali a Taurica.

OLSSENICA flumen Borysthenis hic ab ea parte.

OBERTIM 49. 5. 48. 7. non remote a Chotim villa, victoria gloriosissima de Valachis parta concelebrata. Ibi concidit Dauid Sienienius pro patria pugnando, pater huius Ioannis Sienienii, castellani Leopoliensis.

P

PIESKOVA SKALA 51. 2. 42. 3. Domicilium natale peruetustæ gentis Szafraneciorum, ex qua multi senatores, palatini, episcopi, præfecti copiarum, velut ex equo Troiano prodierunt, vt est in prouerbio, (nam equus quoque est insigne Szafraneciorum.) Hic ergo equus edidit in lucem homines frugi & vtiles Reipublicæ, quarum virtutum typum habes in hoc palatino Sendomiriensi, Stanislao Szafranecio, in quo peculiarius memoria senatorum prioris ætatis videtur hæsisse, auctoritatis, inquam, grauitatis cum pari animi probitate. Accessit corporis proceritas, facies decora, supercilium graue.

PRUT fluuius 55. 49. A duce quodam eius nominis sic dictum. Hic amnis dislimitat Valachiam.

POPRUT fluuius 49. 45. Ad Sadetiam cum Dunaiec seu Danastro confluit.

POLANIEC 51. 5. 44. 7.

POKRZIWNICA 51 5. 44. 8.

PACZANOW 51. 5. 44. 7.

PIOTRAVIN. 51. 8. 44. 9. Locus hic innotuit historia diui Stanislai. Monstratur ab accolis traiectum eius per Vistulam miraculosum. Monstratur quidem, sed tamen non cernitur, nisi ita credentibus.

PCZINA 50. 9. 41. 9. Quibusdam Pczina quasi latinum piscina sonat, quod ibi piscium & piscinarum, supra quam credibile est, copia sit magna.

PRECLAW, metropolis quondam Russiæ, & socia Kiouiæ.

PROCHNICA 50. 45.

PRZEMISL 50. 6 45.

POTYLICZ 60. 45.

POMORZANY 50. 3. 47. 11. Domicilium spectabile Magnifici domini, Ioannis de Sie[illegible]o castellani Leopoliensis. Arx est eximia ad splendorem

& ad

& ad propulsandum hostem patriæ instructissima, murata, & quidem ex integro, magna cum arte, opera & sumptibus eiusdem M. Domini a Sicnno. Fuitque hæc quondam possessio gentis clarissimæ Swinkonum, ex qua stirpe floruit olim archiepiscopus Gnesnensis. Prodierunt & alii successores viri, spectabiles & celebres ex eadem familia.

PLAVIECZ · 47. 7. 43. 4.
POLOCK 57. 8. 52. 10.
PODHAICE 49. 11. 48. 5.
POLONNE 51. 53. 5. in confluente fluminum Sluch.

PINCZOW 51. 5. 43. 6. Domicilium clarissimæ gentis Olesniciorum, ex qua familia fuit Zbigneus Cardinalis, ornamentum Poloniæ præclarissimum. Arx in monte altissimo ex lapide secto, et magna ex parte polito, arte exquisita fabrefacta, testatur, istic virum magni nominis mansisse. Sunt ibi cellæ vinariæ eius proprietatis, vt vina mediocria, et etiam tenuissima, reddantur eximii saporis ad admirationem palati bibentium. Signum gentis est, quod iam vsitato more vocatur: Virgo violata. Hoc idem est signum Sienieniorum. Quia vnam gentem esse volunt. De quo plura vide in fine ex professo de insigni Debno.

PIANINI 49. · 53. locus, iudicio senis Bernhardi Pretuicii, peridoneus excitandæ arci cum propugnaculis contra Scytharum, immanissimæ gentis, irruptiones, idque in ipso aditu regionum barbaricarum.

POKUCIE 50. 5. 55 5 · Significat autem nostra lingua pokucie poenitentia, eo quod in reatu detentos ad eas regiones Romani in exilium mittebant. Eos nimirum ciues, qui turbulentiores videbantur, aut de proditione suspecti. Et hoc vocabant relegationem, aut deportationem. Porro exilium grauior erat mulcta, id quod nostri bannitionem vocant.

PIECZYMEGI silua 49. 8. 53. Hic sedes suas Peucinos veteres habuisse auctor est Bernhardus Vapouius.

POROHI 49. 12. 34. 13. Prog nostra lingua significat limen. Quia ibi sunt angustiæ Borysthenis ob rupes, quibus coarctatur aqua profluentis, et veluti per limen ex alto decidit cum magno fragore. Vltra hoc limen cum milites Kozaki euadunt, iam se securos putant a Scythis. Veteres talia loca Katadupa a sonitu, qui e longinquo exauditur, vocare solebant. Inueniuntur tales cataractæ et in his magnis fluminibus, Istula, ad Gnew, Rheno ad Baden. Forsan DEUS veluti frænum eo modo iniicere eis voluit, vt cursum eorum retardaret, ne abuterentur sua potentia, supra modum arando terram.

POSNANIA 53. 7. 40. 6. Posna vrbs pulcherrima, riuis distincta ad voluptatem, veteribus Stragona dicta: sed nomen mutauit ab illo tempore, quo Imperator, Ottho tertius, cum Rege Poloniæ Chrobri notitiam iniit. Inde Posnania vocata. Aut verius, quod Poloni illo in loco primum notitiam christianæ religionis (quod poznaniem Prawdy vocant) consequuti sunt. Laudatur illa vrbs a politia, amoenitate loci, et morum elegantia: sed verius laudari potest ab eo euentu, quod in illo territorio, vt iam dictum est, primum omnium ad cognitionem Christianæ religionis et abiectionem idololatricorum cultuum peruenere Posnanienses, cum Rege et vicinioribus familiis, Czarnkouiis, inquam, Ostrorogis, Zbąsiniis, Samotuliisque, qui signa conuersionis suæ, vittam baptismalem, hactenus pro armis circumferunt.

PAKOSC 52. 12. 44. 8. vbi cruce limes signatur.

PLOCKO 53. 9. 45. 8. quondam Ducum Mazouiæ sedes, Arx murata et ciuitas.

PRZEDBORZ 52. 1. 42. 8.

Vvv PIOTRKOW

PIOTRKOW 52. 8. 42. 7. vbi olim heroes Poloniæ, causa comitiorum, antiquo instituto conuentus agere solebant.

PLAVIECZ	54.	1.	42.	7.	
PABIANICE	52.	9.	49.	8.	
PARCOW	52.	4.	48.	6.	
PRZYPIECZ flu.	52.	4.	48.	9.	Peucinorum coloniæ.
PROSSOVICE	51.	5.	45.		solum fertile et supra modum pingue.

Vnde iocus Sigismundi primi Regis Poloniæ desumptus. Cum enim Ioannes a Lasko archiepiscopus Gnesnensis impensius coram eo gloriaretur, se in oppido suo Lasko non modo cathedralem, vel collegiatam, ecclesiam erexisse, sed etiam coemiterium eius terra sacra, Hierosolymis aduecta, conseminasse. Ille subridendo inquit, quid terram sacram? Si fertiles illas arenas Masouiorum reddere voluisti, potius Prosouiensem terram tecum eo deportasses, agrosque illos conspersisses. Tantum Rex solo Prosouiensi tribuebat.

PASCUA Pomarzani 50. 48. In summitate fluminis Kropiecz sita sunt.

PASCUA Zloczouiensia 50. 6. 48. 4. in summitate scaturiginis fluminis Stripa.

PASCUA Oczakouiensia 49. 54. inter Oczakouiam et Ouidii lacum.

PIKOW	51.	2.	51.	9.	oppidum.
PLOSKIROW	50.	3.	49.	8.	
PROBITO fluuius	50.	8.	52.	8.	ad Hypanim.
PISCZAMBOT flu.	50.	9.	53.		incidit in Hypanim. Ibi etiam est pons Vitoldi.
POROMIL	51.	6.	48.		ad Styr fluuium.
PODKAMIENIK	49.	47.	4.		

POLTOW flumen sub Gliniany.

Q

QWIDZIN 54. 10. 42. 7. Vide infra in descriptione veteris Poloniæ paragrapho Quadi.

R

RADLOW 53. 40. Locus amoenus & refertus omni genere elegantiarum, ita, vt Luculli hortum putes. Domicilium est magnifici Opalenii, supremi Marsalci regni Poloniæ & capitanei generalis maioris Poloniæ.

RAGNETA	53.	8.	43.	8.	
REIN	53.	2.	43.	7.	
ROGOZNO	54.	6.	42.	6.	
ROZEMBERG	54.	8.	42.	11.	
ROZAN	54.	1.	41.		
RASTEMBERG	54.	12.	44.		
RAIGROD					
ROZANKA	54.	4.	49.	7.	
RADOMIA	54.	11.	49.	5.	Est & flumen ad Gedanum.
RESIZAD	55.	5.	54.	5.	
RZEPIN	55.	5.	58.	6.	
RACIĄSZ	53.	11.	43.	6.	
RADZIMIN	53.	7.	44.	8.	
RAVA fluuius	53.	5.	43.	6.	
RADOSZYCE	52.	1.	43.	6.	
RACIBORZ	50.	11.	40.	12.	
RIBNIK	50.	10.	41.	4.	

REGIUS mons, vide Kinsberg.

RIMANOW	50.	2.	44.	7.
RAB flu. Rapo	59.	2.	44.	3.
ROPA fluuius	40.		43. ad Biecz flumen	
ROHATYN	49.	10.	47.	6.

RUSSAVA fluuius 49. 51. in Tyram labitur. Libenter hæc Ruſsica & Podolica annotamus & curioſe perquirimus, quia depopulationes Tartarorum ſæpe cogunt nos talia perſcrutari. Vbi ſint, quid agant, quo tendant.

ROW fluuius 50. 51. incidit in Hypanim. Et ad eius ſcaturiginem in ſummitate Bar arx munitiſsima.

RASTAVICA flu. 51. 52. in Hypanim incidit, vbi inſignis vir Stanislaus Strus occubuit, pater iſtorum, fortiter dimicando cum Scythis.

RAKOW 51. 5. 43. 12. Erat quondam ſilueſtris ſolitudo, dumeta & latibula ferarum, quæ ab agnatis ſuis Gnoieniis idem magnificus Ioannes a Sienno caſtellanus Leopolienſis redemerat, & ſiluis extirpatis, molendinis inſtitutis, agris excultis, oppidum excitauit, pulcherrimo nomine ei impoſito Rakow, quod ſignificat cancrum, ab inſignibus vxoris ſuæ chariſsimæ. Ibidem oppidum ab inſignibus ſuis locauit, vt ſempiternum extaret memoriale felicis coniugii & amicitiæ inter Sienienios & Gnoienios. Ibidem & villas & piſcinas complures, & aulas amplas magno ſumptu ſabrefecit. Et tertium oppidum Stephanow, a nomine Sereniſsimi regis Poloniæ, patroni ſui clementiſsimi, appellatum locauit.

S

SENDOMIRIA 51. 1. 44. 10. Sedes ſecundo genitorum fuit, cum Reges hæreditabant, naſcebantur, non eligebantur. Eſt locus ille ſupra modum amoenus & delicatus. Vineæ iſtic coluntur. Pomaria vbique patent, ita, vt putes vndique ſiluas circumſtare. Tanta ibi eſt copia nobiliſsimarum frugum. Propter ea Caſimirus Magnus, & alii reges, eo ad capiendam auram, animi cauſa progrediebantur. Auxit loci beneficium ciuium ipſorum vrbanitas coniuncta cum aliis oblectamentis. Inuenias ibi præſtantiſsimos medicos, muſicos, potus varia genera, & hilarem clerum, piſcium, mellis, ſalmonum, ſerinarum, frumenti, & aliarum libentiarum (vt Gellii verbo vtar) copiam incredibilem. Adminiſtrat præfecturam illam ſumma cum laude vir magnificus Andreas Firleius, dominus a Dąbrouica, caſtellanus Lublinenſis.

SEQUA	54.	44.		
SUENTA fluuius	56.	45.		
SAIKIEMI	56.	6.	47.	4.
SWINTRAVA	56.	4.	50.	8.
SMOLENSKO	56.	11.	56.	4.
SELBGORG	55.	1.	45.	9.

SUD 55. 44. Sud Samogitæ, id eſt ſeptentrionales Samogitæ. Inſula eſt retro regium montem. Vel ſunt Sudinorum veterum populorum reliquiæ, quarum Ptolemæus ſubinde meminit.

SZEPENPIL	55.	3.	43.	
SOKA	55.	3.	44.	5.

SALAUNI 55. 46. 6. Idem forſan quod Sawlæ vocant. Præfectura prædiues.

SEIMI	55.	10.	47.	10.

SOMLO 48. 6. 46. 6. Arx eſt murata in Hungaria, a Sambor XXXVIII. milliaribus, a Kolozuar XI. Eſtque locus natalis Batororum. Gens hæc Illuſtris & vetuſtiſsima, ex qua anno ſalutis 1576. Stephanus primus, Princeps & Palatinus Tranſyluaniæ, Rex Poloniæ & Magnus Dux Lituaniæ

electus fuit. Hic aduentu suo turbatas res Sarmatiæ pacauit, moeroremque incredibilem Poloniæ ob extinctos modo auitos Reges, lætitia sui aduentus exhilarauit. Chronologi annotant iam ante Cæsaris Augusti tempora Batororum stirpem in Pannonia floruisse. Ita enim Strabo inquit: Pannoniorum gentes sunt: Breucii, Andixecii, Diascones, Pirostæ, Mazæi, Deficiatæ, quibus Bato imperabat. Hæc si ita se habent, origine ergo hic Rex non tam Hungarus, quam nostras esset. Nam Hungari nondum peruenerant tum in Pannoniam. Pannones autem a nostris Panis, seu Polona nobilitate, non ita multum dissident. Quin immo Cechus & Lechus ad nos venit cum suo comitatu & colonis ex Pannonia. Meminit etiam Iouius Batororum aliquoties, ex quibus proreges Hungariæ patrum nostrorum memoria designati sunt.

SLUCKO 53. 52 Sedes Illustrissimorum Ducum Slucensium. Principes isti prodierunt ex eadem stirpe, ex qua Reges Poloniæ Hungariæ & Boëmiæ originem suam deriuant. Adepti sunt autem maiores horum Ducum, virtute belli pacisque artibus, prærogatiuas tales & tantas, vt tempore pacis primum locum in senatu, tempore belli dextram manum tenere, tutelaremque salutis Regiæ curam habere promeruerint. Potestque eorum stirpis series hoc ordine enumerari. Olgerus, Magnus Dux Lituaniæ, primam vxorem Iuliam, seu Vlianam, duxit filiam Ducis Vitepscienfis Russam, religionis Græcæ, ex qua suscepit sex masculos, quorum natu maior fuit Vladimirus, Dux Kiouiensis frater germanus Iagellonis: sed alia matre natus. Ex quo Vladimiro prodiit Alexander, quem Rusi Olelko vocant. Hic fundauit ciuitatem Slucensem triurbem ad flumen Slucz, ante annos 150. Ex Alexandro Simeon, ex hoc rursus Georgius, qui duxit Thecziniam Comitem feminam lectissimam, ex qua tres suscepit masculos, qui nunc versantur in luce hominum: Georgium, Simeonem & Alexandrum iuniorem, iuuenes heroicis virtutibus suffultos, de quibus vsurpari potest illud: Spes altera Romæ. Ducatus hic Slucensis hactenus a geographis & chorographis suppressus est, quod ego committere nolui, cum sit magnitudine sua effatu dignus. Terminatur ab oriente Borysthene, a septentrione flumine Niemen, a meridie Pripecio, ab occasu parte magni ducatus Lituaniæ. Vrbes eius sunt Sluck metropolis, Kopil secundo genitorum, a Slucko quinque milliaribus distans. Turecz 15. Petriconice 24. Volkukala 4. Mohilow 50. ab eadem Slucko distant. Alias breuitatis causa omitto.

SPITKOVICE 50. 10. 41. p. Arx murata. Et est locus nobilis, cum aliis rebus, tum captiuitate ducis Henrici Barbari, quem Conradus Masouiorum princeps, ante ducentos annos in ea villa diuinæ rei vacantem coeperat, & in Masouiam asportauerat. Estque domicilium natale vetustæ gentis Miskouiorum, ex qua multi senatores præstantissimi, episcopi, palatini, castellani & etiam campiductores prodierunt. Fulget nunc senectute viridi Petrus Miscouius, Antistes Cracouiensis, columen familiæ. Fuit ex eadem gente ante decennium Stanislaus Miscouius de Mirow, Palatinus & capitaneus Cracouiensis, Marienburgensisque, vir heroicus, mihi perfamiliaris. Dici non potest, quam egregiæ formæ & proceritatis, & vt ex picturis liquet, Scandembergo ipsi simillimus. Merito ergo illud ei competit: Gratior est pulchro veniens de corpore virtus.

SOLDIM	54.	2.	38.	9.
STARIGARD	54.	10.	37.	13.
SLETINUM	34.	10.	37.	11.
STRZELCE	54.	10.	37.	11.
STEPELBORG	54.	1.	39.	5.
SLUCHOW	54.	5.	41.	3.
SLONINY	54.	5.	41.	3.

SLONINK

SLONINY	54.	2.	49.	7.
SKLOW	54.	4.	55.	7.
SVLEVCE	53.	6.	3.	8.
SWIEBODZYN	53.	5.	39.	4.

SUEVUS fluuius, Sprea nunc dicitur in Marchia. Alii illud flumen ad Budiſſinum apud Vindas Saxonicos eſſe volunt, & non bene.

SBASZIN 53. 3.

STENSZOW 53. 3. 39.

SQUIDZINIA 55. 8. 30. 7. Solum hæ duæ appellationes Quidzin & Sqvidzinum, aliquid commune habent, cum cognomine Quadorum.

SIENNO 51. 44. Habet hæc gens peculiare chronicon rerum a ſuis maioribus geſtarum. Compluresque ex iis prodierunt digniſſimi ſenatores, archiepiſcopi vtriusque ſedis, Gneſnenſis, inquam, & Leopolienſis, epiſcopi Cracouienſis cathedræ, Poſnanienſis & Cuiauienſis, viri liberales & largitores in opera pietatis, vt teſtantur etiam nunc inſignia illorum, inſculpta templis, collegiis, & domui Hieroſolymitanæ. Quin & dignitas Cardinalatus eis, nouus honos in Polonia, attributus fuit, quod antea nemini contigerat. Erant item ex eis multi palatini, caſtellani, legati ad exteras nationes, ad concilium Baſilienſe, & ad imperatorem Turcorum, viri conſulares, & quando opus erat, milites ſtrenui. Ideo nunquam a ſubſelliis ordinis ſenatorii diſceſſere. Omnium horum nunc memoriam refert Ioannes Sienienius, caſtellanus Leopolienſis, ſenator regni digniſſimus, & ſuæ familiæ hoc tempore maior domo, (permitte me ſic loqui.) De cuius meritis erga rempublicam lege in fine epilogum huius libri.

SLUPIA 51. 7. 44. 7. Domicilium Slupeciorum natale, a Sendomiria milliari vno. Domus iſthic eſt lignea admirandæ ſtructuræ, quæ declarat, etiam antiqui ſæculi homines nequaquam ingenio deſtitutos fuiſſe.

SLUPCA	53.	8.	41.	5.
STOBNICA	53.	8.	40.	2.
SOBIEN	49.		45.	
SNIENA	53.	4.	41.	7.

SRZODA 53. 4. 40. 8. Eſt et aliud Srzoda, vel Srotka, in ſuburbio Poſnanienſi, vetuſtum, a quo ius Sredenſe. Vide D. Cromerum.

SOBOTA 53. 11. 41. 6. Sobotiorum expreſſe meminit Ptolemæus eodem fere loco. Srzoda, ergo & Sobota, antiquiſſima ſunt oppida.

SOCHACZOW	53.	7.	43.	4.	
SREMSKO	53.	12.	43.	7.	
SBUCZIN	53.	12.	45.	7.	
SEDESZOW	53.	7.	48.		
SCHOVA	42.	12.	39.	4.	
STRASBORG	p2.	8.	39.	4.	Germanice, Brodnica Polonicè.
STRZECZE	52.	6	40.	9.	
SIKOW	52.	7.	40.	8.	

SIRADIA 52. 6. 40. 6 ibi facinoroſi etiam ex nobilibus in turrim coniiciuntur.

SULEIOW	52.	1.	44.	11.
SKRZINNO	52.	1.	44.	11.

SĄDECZ po. 6. 43. Monaſterium iſtic virginum, nobilitatum reginarum Poloniæ viduarum cohabitatione. Huius conditionis & profeſſionis ſoeminas Aſſiſterias vocant eccleſiaſtici.

SCZEKARKOW 50. 60 Domicilium Tarlonum, qui iam diu ornamento erant aulæ Regiæ. Cum Thenciniis ſunt coarmes, et quondam etiam gentiles.

Xxx SOLEC

SOLEC 52. 1. 44. 6.

STEZICA 52. 6. 44. 11.

STANIOW 50. 7 47. 11.

SLUMNIKI 51. 1. 42. 12.

STAMA

SKARMIRZ 51. 3. 43. 5.

SLAWKOW 51. 3. 42. 3.

SZIDLOW 51. 6. 43. 11. Colonia veterum Sidoniorum. Vide ab initio diuisionem veteris Poloniæ.

STRZELCE 51. 7. 40.

SKALA 51. 1. 42. 6. Skala locus inclaruit bello Mazouiorum Ducum.

STIR fluuius 51. 1. 42. 6. Stirii populi vltra Viennam, vna cum aliis Slauinis, inde progressi esse creduntur. Creditum est antiquis flumen Stir a Tyra scaturiginem suam trahere, quod expresse pictum extat in tabula Grodecii. Sed errorem hunc detexerunt lustratores regii. Deriuant enim Stir ex montibus ad Olesko, vnde et Bug et alia complura flumina. Quia tamen ab illa regione decurrit, qua Tyra prætermeat, recte Srir, id est, a Tyra demanans, litera s addita, nuncupatur. Ad hoc flumen sita sunt oppida: Czartorisko, Manaster, Peremil, Beresteczko, Strzemil.

SYTOMIRZ 51. 11. 50. 9.

SKALA alia 50. 3. 48. 7. ad Zbrocz fluuium.

SBARASZ 50. 6. 48. 7. Colonia ducum Sbarasiorum. Floret nunc ex gente palatinus Trocensis.

SIENICA 51. 9. 46. 9. vbi et pagus Boncza. Etenim pro signo militari hæc gens gerit monocerota, quod Bonczа vocatur, more patrio. Floruit ex ea gente, nostro æuo, Nicolaus Sienicius, vir consularis & eloquens, deque republica Polona optime meritus, constantia admirabili. Commemorantur nunc frequenter eius consilia et orationes habitæ ad regem et senatum.

SZATANOW fere in via qua itur Kamenecia ex Tarnopole. Septem milliaribus inter vtramque vrbem sita.

SIENIAVA 50. 12. 40. 9. Clarissima colonia Sieniauiorum sedes suas hic habet. Cuius iuuentus veluti murus obiecta contra Tartarorum irruptiones semper sese opponebat. Floruerunt nunc duo palatini Russiæ ex ea gente, pater & filius successiue.

SCZMIELOW 51. 5. 46. 2.

SCZEBRZESZIN 51. 9. 46. 9. Iurisdictionis regiæ fuit quondam, sed in donatiuum cessit Demetrio de Goray.

STEPAN 50. 6. 50. 9.

SOKAL 51. 3. 41. 8. a quodam Duce Sokal fundata & denominata.

STRUMIEN 50. 9. 41. 8. Riuum significat, eo quod Istula paulo vltra hoc oppidum oriens mediocri alueo istac pererrat.

SOLA fluuius 50. 8. 42. 9.

SKAVINA flu. 50. 8. 42. 9. Est & oppidum Skauina ibid.

SZORSTIN 50. 2. 43. 3.

SLUZOW 53. 42.

SMIGROD 50. 5. 48. 8. Stadniciorum clarissima colonia & locus natalis. vide. Strzeniaua.

SEDZISZOW 50. 7. 44. 8.

STRZYZOW 50. 7. 44. 8.

SLOCZOW 50 4. 47. 8. Amplissima hæreditas, ad Olesko quondam pertinebat.

SAMAIDE 51. 12. 44. 4.

SCANDIA, descriptionem eius vide ab initio.

SAWRAN flu. 50. 4. 51. 12.

SWINIGROD flu. 50. 4. 55. 6. Sedes olim Ducum Rus.

SNIATYN 40. 49. Vltima præfectura in ipso aditu Valachiæ.

SERET fluuius 40. 49.

SERET 49. 50. ciuitas.

Aliud Seret Podolicum, ad quod est Zalosce, Czerniechow & Hnieziola. Flumini iungitur infra Trebowla.

SARNIE pole 50 52. sunt campi: Vloczysko vocant.

SZLAK. Sunt itinera vsitata Scytharum, quibus infestare solent terras Russæ fertilissimas & etiam Podoliam. Et numerantur tres præcipui: vnus Kuczmienski, alter Czarny szlak, tertius Valachicus, quos non piget hic describere. Et certe, si quid laude dignum præstitit magnificus vir Ioannes Sienienius in hac lustratione, istud sane, quod hæc itinera accurate descripsit & depinxit, numero milliariorum adiecto, non modo vtile, sed etiam valde pium opus perfecit. Nam si imperator Antonius Pius, pii nomen meruit, quod libellum confecit quendam, in quo vias descripsit, quæ ducunt Roma ad nationes barbaricas, vt captiui Romanorum illo æuo scirent & nosse possent, qua redeundum sit in patriam, si forte contingeret eis ex manibus hostium sese euoluere: certe non minus encomium meritus est noster Ioannes Sienienius, quod hosce szlak dictos in iis tabellis expressit. Audimus enim de multis captiuis, qui apud Scythas aut Turcas detinebantur, quod, cum possent se interdum ex catenis ipsorum euoluere, tamen ob solam ignorantiam itinerum reditus in patriam, maluerunt duriorem morte seruitutem perferre, quam profugientes ex ergastulis eorum in solitudinibus oberrare, aut a feris deuorari. Porro ex istis descriptionibus lustratorum, quilibet potest sibi notitiam comparare illorum itinerum, vt, si forte domino Deo permittente quidpiam tale ei contingat, scire possit, quo est egressus loco, & quem portum tenere debeat, compendium quærendo suorum malorum.

Kuczmieński szlak.

Primo Leopoli ad Szarawka nota sunt itinera. Ex Szarawka XX. milliaria ad vadum fluminis Kuczmien, a quo etiam hic szlak denominatur. A Kuczmien ad Kodima fluminis vadum X. milliaria, a Kodima ad Sawran IV. milliaria. A Sawran ad Czapczaki X. milliaria. Inde vero Oczakouium VIII. sunt Russica multo maiora quam Polonica. Ideo vni gradui decem milliaria forsan respondebunt. Polonica vero XV. Ista via est compendiosior omnium.

Czarny szlak.

Leopoli Sokalum XII. milliaria, Sokalo Luskum ad Stir XII. milliaria, Lusko ad flumen Horin XI. milliaria, ab Horin ad vadum Slucz per Zaszlaw & Polonne X. A Polonne XL. Kiouiam. Eritque a sinistra oppidum Cudniow, a Kiow Kaniouum XVI. milliaria. A Kaniow Czerkasium XV. A Czerkasy ad Porohy XII. milliaria. A Porohy ad Tomakowka XI. Inde Torhouistiam VI. Hic iam Scythæ nauigiis dilabi solent per sinum Borysthenis vsque Oczakouium, vel quo lubet.

Szlak Walachicum.

Per Buczac, Skala, Zynkow, & ſummitates fluminum Vſzyca, Dzwan, Ruſzaua, inde per Valachiam, aut per campeſtria littoris Tyræ: milliaria in tabula adſcribentur.

De cuſtode tranſituum ſeu ſzlak.

Hiſce tranſitibus vnus ſpeculator, vir nobilis expertæ virtutis, præficitur, qui vocatur cuſtos trium ſzlak, ſeu viarum tritarum. Hic per ſe & per homines induſtrios, & vitæ ſuæ minime prodigos, vario ingenio nauiter, motus, & machinationes hoſtium, inueſtigat, & vbi reſciuerit de hoſte, præſidibus arcium & duci belli campeſtris renunciat, qui dato ſigno, recollectis copiis confeſtim occurrit, eoſque adoritur. Atque ita Podolii noctes ac dies bello continuo vitam totam tranſigunt. O viros omni genere præmiorum dignos.

SINA VODA 59 10. 54. 5. Eſt reſtagnatio quædam maris ad oſtia Boryſthenis. Hac Scythæ nauigiis ſubuehere ſe ſolent, & tandem in nigra ſilua latitare, donec omnes conueniant. Inde a nigra ſilua dicitur Czarny ſzlak. Mare illud eſt tranquillum & ab iniuriis procellarum tutum, ita, vt etiam in eo folia nimpheæ, ſicuti in aliis lacubus paruis, excreſcant, & ſupernatent aquæ: & differt Sina voda a mari mortuo, in quo ſal veluti glacies tenuis ſupra aquam innatat, & eſt admodum ſubtile. Hoc ſitum eſt ad Prekop, vbi illa foſſa a mari cernitur ad mare.

SYLVA nigra 49. 12. 54. 1.

STARE SIOLO 50. 12. 42. ad Gologury.

STRIPA flu. 50. 1. 48. 5. Tyram verſus tendit, non procul a Podhaice.

SOTHARAB flu. 52. 54. ad quod Sytomyrz in Boryſthenem allabitur.

SMOTRICZ flu. 50. 49. ad hoc eſt Grodek, Kamenec & arx deſerta Smatricz

SZARAWKA 49. 8. 50. 8. in ſummitate fluminis Vſ ica. Domicilium fuit Bernhardi Pretuic, bellatoris illius clariſſimi, qui filium reliquit dotibus animi eximiis ornatum.

STOLPIEN 50. 8. 47. 6.

STRZEMYL 50. 8. 48. 9. Laſczonum, qui dicuntur Strzemielecki. Inclaruit iam diu rebus bellicis dominus loci illius Stanislaus Laſc.

SCZUROVICE 50. 47. 7.

SLUCZ fluuius 52. 50. oritur non procul a Czarny Oſtrow, Zborna Mogila verſus.

SULA fluuius 49. 55. e regione Chorcyca inſulæ, in quem columnas inieciſſe dicitur Rex Chrobry, non procul a cataractis, ſed Zula a Cromero vocatur.

SOMAR fluuius 49. 1. 54. 10. Paulo inferius, quam Sula. Vide infra in Topographia oſtiorum Boryſthenis.

T

TORVNIA 54. 1. 42. 8. Vrbs celebris in ipſo aditu Pruſſiæ. Situs Gedani & Elblingæ Toruniæque triquetram figuram efficit, ſed Torunia ſalubritate aëris & decore, primo intuitu duas illas ſuperare videtur. Vnde in prouerbium abiit apud Polonos maiores: Rubes vt Torunia. De eius origine vide hiſtoriam noſtram.

TANG fluuius 56. 9. 45. 6.

TAPIA 55. 7. 44. 8.

TICZINUM 54. 1. 42. 2.

TUA fluuius

TVR flumen 53. 8. 53. 3. Insigniter piscosum.

TYSTAN 46. 49. Oppidum in ipso limite, Poloniæ & Hungariæ. Propter ea Tustan significanter, id est, hic siste gradum, appellatur. Exemplo noto a columnis & gadibus freti Herculei. Vnde symbolum affigitur: NON PLUS VLTRA.

TYSZOWCE 51. 1. 46. 10.

TANEW fluuius 51. 5. 43. 3. cum Tanai flumine nomen commune habet.

TWARDOSZIN 50. 1. 41. 12.

TVR stagnum 51. 42 nobile, vbi Przypiecz flumen scaturit, ad pagum Holowno. Ibidem Turia fluuius, vbi Ratno.

TISMIENICA flu. 48 6. 52. ad Torhouistiam in Borysthenem sese infundens.

TORHOVISTIA 48. 6. 52. significat nostra lingua nundinationes, eo quod ibi negotiatorum emporium nobile admodum fuit, dum starent res Russorum & Græcorum. Est & in Valachia aliud Torhouistia.

TARNAVATKA fluuius 49. 52.

TISMIEN flumen 48. 6. 52. aliud quam Tismienica, nam hoc ad Borysthenem ad Torhouistiam, illud ad Axiacum, vel Hypanim.

TĘCZIN 50. 12. 42. 12. Domicilium natale illustrium Comitum a Thęczinum. Produxit hæc domus viros excelso & regio animo præditos. Proinde hoc peculiare habet, quod a ducentis annis nunquam a subselliis senatoriis recessit, sed aut palatinorum, aut castellanorum munere fungitur. Ludouici Regis temporibus Topororum trecenta vexilla in quadam bellica expeditione censa fuisse dicuntur. Signum gentis est bipennis, quod veteri & recepta consuetudine STARZA ideo vocatur, quod antiquissimum sit signum. Nam quidam eius originem ad tempora Boleslai Kryuousty referunt, quidam ad Miecislaum vsque, qui primus Christo nomen dedit, quidam autem aborigenem ipsorum vnum ex duodecim illis palatinis fuisse tradunt. Auctores habeo.

TREBOWLA 49. 12. 48. 7.

TEHINIA 49. 6. 51. 6. Arx ad Bialogrodum, quam hoc anno Kozaki Nisouii acerrime oppugnarunt.

TUBARCZA 48. 6. 52.

TROKI 55. 7. 40. Sedes istic fuit Lituaniæ Ducum, ante conditam Vilnam.

TARNOW 50. 6. 44. 11. Domicilium natale illustrium Comitum a Tarnow. Multa autem memorabilia temporibus Iagiellonis & Vladislai tertii gesserunt ataui Tarnouiorum. At Ioannes a Tarnow, nostra memoria suæ famæ splendore prædecessorum suorum lucem superasse videtur. Hunc hominem Sigismundus Rex tanti fecit, vt post illam memorabilem victoriam de Valacho partam ad Obertinum, binorum grossorum in iugera contributionem publicam ei decreuerit, qui honos antea nemini, quod sciam, habitus fuit. Antiquitate quidem totum genus humanum adæquatum sibi est. Sed si tempus illud respicias, quando quis e tenebris emersit heroicis factis, Tarnouii Tenciniis hac in parte pares habentur. Attamen Tencinii hoc nomine aliquid sibi deberi volunt, quod veluti aborigenes ex stirpe Polonorum prodierint. Tarnouii autem aliunde huc appulerint. Hanc differentiam quidam statuunt. Non ignoro tamen Stanislaum Orichouium, cui in hoc multa debentur, voluisse probatum facere, Leliuam, signum Tarnouiorum, hic quoque in Polonia, & ex Polonis originem suam traxisse.

TOMAKOWKA 49. 54. Insula est in Borysthene, inter Tesmien flumen & Fessinum, quod ex nigra silua demanat, vbi Nisouii Kozaki, tanquam

in arce fortiſſima habitant confidenter. Etymon Thomakowka a Thomos videtur eſſe nacta, Nam Thomitanis forſan, vbi Ouidius exulabat, obnoxia fuit.

TRHOBIES fluuius, ibidem e regione Cerkaſy eſt.

THLUMACZ 49. 49.

TARNOPOLE 50. 48.

TOHORO flu. 52. 54. ad quod Sytomirz, Cudniow.

TUKOBIN 51. 5. 44. 6.

VILNA 55. 9. 49. 6. Vrbs inſignis & ampla, Lituaniæ metropolis, a Gedimino duce fundata, anno domini MCCCXXI. ad confluentem fluminum pulcherrimorum Vigiliae, & Vilnæ, muro vero cincta ab Alexandro Poloniæ Rege an. MDV. Haec nobis & Vngaris Boëmiſque magnam feriem Regum edidit. Vbi nunc eſt Vilna, Igliones populi a Ptolemæo collocantur, qui ab Ouidio Gelones picti vocantur, eo quod variegata & polimita veſte libenter vtebatur ea gens, ſicuti nunc ſeptentrionaliores populi, Moſchi, morem veterem retinent. Summæ nunc auctoritatis eſt apud Vilnenſes Euſtachius Volouicz, non modo hoc nomine, quod ſit eorum Caſtellanus & Cancellarius, ſed quod eum propter eximias virtutes & opinionem ſummæ prudentiæ inſtar patris patriæ amant & colunt. Non vidit ille Germaniam, nec vnquam aſpexit Italiam Galliamue, ſed tamen & Germani & Itali, & qui modo veniunt in aulam regiam, habent in eo, quod mirentur & ſuſpiciant.

VARMIA 55. 5. 42. 11. Vide Braunsberg.

VENEDIE 55. 5. 42. 11.

VILKA 53. 6. 47. 6.

VALRZ 54. 5. 39. 10.

VSCIE 54. 40.

VIECBORG 54 2. 41. 3.

VANDEBURG 54. 4. 46.

VASOSCHE 54. 9. 46. 2.

VOLKOMIRIA 54. 2. 46. 11.

VASILISKI 54. 8. 39. 11.

VILGIA fluuius 51. 50. ad Oſtrog decurrit.

VLANOW 51. 8. 51. 8. Scytharum municipium, quod Sieniauii fundarunt ad obſequia ſua. Nam eis commilitant, vbi datur ſignum.

VISTULA fluuius, quod & Iſtula, Viſtillus, Vandalus, a veteribus vocatur. Flumen eſt, valde amoenum, & multos populos, iam ad hos, iam ad illos, veluti eleemoſynaria materfamilias, conſulto diuertens ditat ſua opportunitate. Hæc mediam Sarmatiam peragrando lambit, & oritur ex montibus Sarmaticis vltra oppidum Skoczow & Bielſko, gradu 40. minuto tertio, 45. 9. & tandem ad ſeptentrionem tendit, arcus figuram efficiens. Antequam autem mari mergitur, capit in ſe quinquaginta flumina iuſtæ magnitudinis, quorum bona pars eſt nauigabilis, ex quibus duo nobiliora infra Varſauiam ſeſe ei aſſociant: Narua, inquam, & Bug. Et cum inſimul veluti peregrinatura ad ſinum maris Baltici iter arripiunt, rurſus aliquot, ante Gedanum, milliaribus, non ſecus, ac ſi lis quædam inter ea coorta eſſet, inuicem a ſeſe dirimuntur. Nam vnum illorum Elbingam, veluti inuento proprio meatu, quod ante deſeruerat, aliud medium petit. Viſtula vero ipſa artificiose deducta ſuo alueo, quem noſtri Leniwka vocant, Gedanenſium vrbis muros alluens, in mare ſeſe e conuerſo demiſſo murmure exonerat. Hinc fabula nata eſt, de diſſidio trium Nympharum, quæ, cum initio concorditer itineri ſeſe commiſiſſent, tandem ad Gneuum oppidum, ira exitiali inter eas coorta, (nam & Gneuum iram ſignificat patria lingua) amicitiam ſoluunt, & alienatæ a ſe diuerſum diuerſæ petunt.

VARSAVIA

VARSAVIA 53. 8. 44. 4. Sedes olim et colonia Auarinorum populorum creditur fuisse, quod et loci vicinitas, et sonus cognominis indicat. Pons per Istulæ vastitatem ab Augusto Rege, ante decennium praædmiran, do genere structuræ fabrefactus, vrbis admirationem auget. Consilium et institutum ædificandæ tantæ machinæ ex hoc epigrammate æri inciso, et frontispicio portæ affixo, facile patet.

Inscriptio pontis Varsauiensis.

Ne pontem sublicium
Superbo sumptu, atque arte admirabili
A Sigismundo Augusto, Rege inchoatum
Et a se post eius mortem
Consimili opere perfectum,
Repens vicina suburbanorum
Male cautorum tectorum flamma
Nec opinate mere corriperet
Correptumque in fauillam redigeret:
ANNA Iagellonia Poloniæ Regina
Magnorum regum coniunx, soror, filia,
Hoc lateritio propugnaculi sepimento tutissimo
A fundamentis excitato
Muniendum curauit
Anno Christi DEi nostri MDXXCII.

VRATISLAVIA 53. 5. 39. 6. Vrbs præclara socia et soror Cracouiæ ob continuas negotiationes, et quod colonia Polonorum fuit olim.

VIERUS 52. 4. 40. 12.
VIELUN 52. 2. 40.
VNIEIOW 52. 12. 40. 8.
VIAZD 52. 9. 44. 4.
VOLBORZ 52. 8. 42. 8.
VARKA 52. 9. 44. 4. Vbi situm est oppidum Varka, Ptolemæus Burios populos ponit. Et certe vox etiam ipsa declarat Burios et Varenses, B in V, vsitato more verso, non multum a se distare. Varka igitur inter antiquissima municipia Poloniae collocanda, sicuti et Sroda et Sobota.

VRZEDOW 51. 5. 45. 5.
VISLOKA fluuius 51. 1. 44. 2.
VISLOK oppidum 50. 5. 44. 9.
VIAR fluuius 51. 4. 45. 7. cum Vislok confluit ad Lancud
VISNIA 50. 3. 64. 2. vbi comitia fiunt Russicae nobilitatis.
VAG fluuius 49. 9. 42. 2.
VLDOVE iezioro 51. 6. 50. 6. Russii, Ouidii lacum hunc fuisse, dum exularet, asseuerant. Est quidem nominum non parua affinitas. At certum est, Ouidium in vrbe Thomitana ad ostia Danubii exulasse: nisi forte reditus annui istius lacus a Romanis, in solatium exilii, ei attributi erant. Nam sal Scythicum ex aqua illius lacus conficitur. Vide lib. 3. Annalium nostrorum.
VILHORA 51. 6. 50. 6.
VISNIOVIEC 51. 10. 46. 6. In arduo monte. Et est colonia nataleque solum Ducum Visniouecciorum, quorum fama et decus bellicarum virtutum impleuit Europam, ita, vt vbiuis, etiam in pagis, agrestes cantilenis eos celebrent. Locus ibi monstratur pugnae cum Tartaris et victoriae Polonorum.

VHROWSKO 51. 9. 47. 5. Reius in ſuo libello huius gentis ſtirpem a Ducibus priſcis Ruſſis deriuat. Quae ſententia comprobari poteſt priuilegiis Vrgonis, aborigenis ipſorum, qui fundauit Wladicatum Chelmenſem et pleraque alia.

VINNICA 51. 1. 51. 11. praefectura in aditu Scythiae.

VISNIC 50. 43. Floruit haec domus ſupra modum, regnante Sigismundo primo ſacratae memoriae Rege, poſtea, mortuo Ioanne Kmita, labaſcere coepit, ſed ſpes eſt iterum priſtino nitori reſtituendam, egregii et loco excelſo nati iuuenis I. N. Barzii ſtudio, nepotis Thenciniorum ex ſorore, qui nunc eſt dominus arcis illius.

VCHANIE 51. 46. Domicilium ſpectatae nobilitatis. Ex hac gente noſtra aetas habuit duos ſenatores praeſtantiſſimos: Arnolphum Vchanium Palatinum Maſouiae, et Iacobum Vchanium, Archiepiſcopum Gneſnenſem regnique primatem, virum expediti ingenii acerrimumque praerogatiuarum eccleſiaſticarum defenſorem.

VYSOKIE 51. 5. 44. 6. Petri Caſſouii, ſenis amoeno ingenio praediti, oppidum. Hic eſt nunc iudex terrae Lublinenſis.

X.

XIąſz 51. 5. 44. 4. Kriuouſtii regis temporibus fuit iſtic ducum ſedes, quod et nomen oppidi Xiąſz indicat. Nam lingua noſtra patria Xiążę ducem vocamus. Hic captiuum illum ducem Halicienſem in Poloniam deportauerat. Vnde tragoedia magna ſecuta fuit bellorum.

Z.

ZAMOSCIA 51. 6. 46. 7. Domicilium vetuſtae gentis Srariorum, qui nunc Zamoſcii dicuntur. Arx fuit vetus in firmiſſimo loco, et refugium ab incurſionibus Tartarorum, patris caſtellani et auorum memoria. Nunc demum a fundamento muris eductis, propugnaculis inſtitutis, oppidoque nouo adiecto, non minus ad elegantiam, quam ad ſuſtinendos quosuis hoſtes, ab integro excitata, opera et ſumptibus illuſtris et magnifici domini, Ioannis de Zamoſcie. De hac re luculentius teſtatur inſcriptio tabulae marmoris nigri, frontiſpicio aedificii ibidem affixa, quam ego deſcribendam curaui:

IOANNES DE ZAMOSCIE Regni Poloniae Cancellarius, exercituumque Dux ſupremus, et Cracouienſis, Mariemburgenſis, Belzenſis, Cniſſinenſis, Mediricenſis, Creſouienſisque Praefectus. Dum bello Sereniſſimi STEPHANI Regis cum Ioanne, magno Duce Moſchorum, pro debita in patriam pietate, nec ſumptibus, nec laboribus, nec vitae parcit, innati quoque erga patrios lares amoris, hoc monumentum excitari curauit.

ZDROIOW 50. 6. 45. Thomae de Zdroihow, Capitanei Premiſlienſis maiorum domicilium natale, qui omnibus bellis Stephani Regis non modo interfuit, ſed magna ex parte praefuit, et oratorem egit ad Chriſtianiſſimum Regem Galliarum, et ad potentiſſimum Imperatorem Turcorum.

ZALESIE	50.	4.	44.	4.	
ZASLAW	51.	3.	49.	9.	
ZUKOW	49.	2.	48.	1.	
ZELECHOW	55.		45.	5.	Locus natalis ſpectatæ ſtirpis Ciolkonum.
ZARNOW	51.	4.	42.	7.	
ZINKOW	50.		50.		Arx in Podolia, ſed neglecta.

ZBOROW

ZBOROW 51. 4 44. 4. Zborow arx murata elegans, est que domicilium natale magnificorum dominorum de Zborow. Produxit hæc domus senatores magni nominis nostra ætate, Martinum Zborouium castellanum Cracouiensem, animi & corporis celsitudine virum conspicuum, Petrum Zborouium, filium eius, palatinum Cracouiensem, Ioannem Zborouium, Castellanum Gnesnensem, qui præfectus summus copiarum fuit in pugna Dersauiensi, Andream, Marsalcum curiæ. In summa, quotquot ex sororibus eorum prognati sunt, omnes ad magnas res gerendas nati esse videntur, si bellum moueretur, & classicum caneretur contra Christiani nominis hostem.

ZOLKIEW 51 5. 44. 6. Locus natalis amplissimæ stirpis Zolkieuiorum, quorum virtus bellica enituit in bellis Prutenicis, & antea Tartaricis, Moschouiticis. Horum nunc columen Stanislaus Zolkieuius, palatinus Belzensis eodem æuo fuit.

ZYDACZOW	43.	47.			
ZARY	50.	10.	41.	7.	
ZATOR	50.	10.	40.	5.	
ZABNO	50.	12.	43.	10.	oppidum.
ZOHAD	49.	7.	44.	2.	

ZULA fluuius 50. 6. 50. 6. non Sula ad orientalem ripam Borysthenis, ad cuius ostia in confluentem Rex Boleslaus Chobri columnas ferreas, pro gadibus finium Sarmaticorum, post continuas victorias victor iniecit: ego quoque hic descriptionis huius finem facio.

SITVS ET AMBITVS
LIVONIÆ PROVINCIARVMQUE
AD FLVMEN DVNAM SITARVM

à tyrannide & metu tyrannidis Moschi liberatarum, Stephani Regis Poloniæ virtute, felicitate & perseuerantia, exercitusque eius.

IVXTA ITINERARIVM EXERCITVS POLONICI REDEVNTIS EX MOSCHOVIA.

A

	Latitudo gradus	*minuta*	*Longitudo gradus*	*minuta*	
AMOZA flu.	59.	8.	54.	6.	à Derpt lacu Virtsz oritur & defertur ad lacum Peibus, qui Plescouiam alluit.
ADSEL	59.	6.	58.	12.	
ALTENTURM	69.	8.	50.	6.	
ADOBA	60.	10.	52.	10.	
ASZ	61.	4.	51.	6.	ad flumen Ambda.
AMBOT	61.		45.		Portus Findlandiæ. Ibidem & Amboten, ab eo loco non procul traiectum in Swetiam, cuius maris est 81. milliarium distantia.
ASCHERAT	57.	3.	49.	5.	
ADENSKO lacus	62.		56.		septentrionalis ad modum, vnde Nothburg vicina ei.
ARENSBORG	60.		43.		in insula Ossilia.
ARIES	58.	11.	48.	2.	

AGATYRSI hos populos, veteres prædiuites & beatos, hoc potissimum nomine, censebant, quod solis inter mortales, diuitiis vti, absque inuidia & æmulatione aliorum, datum sit. Hos eo fere loco statuebant, vbi est Kokienhaus, & oppidum Tyrsen, quod appellationem priscam adhuc videtur retinere. Sed & Kokienhaus audio locupletem esse præfecturam.

AMBDE 61. 51 Obseruabis, quod Germani Lubecenses, occupata Liuonia, nomina locis indiderunt, petita a regione vicina. Lubecensibus notum est nomen Ambde non procul Lubeco.

B

BERHOLM 61. 5. 51. 5. Arx in Haria, quam rex Suecorum intercepit, non procul a Revel.

BIALY KAMIEN	60.	8.	49.	10.	Germani Vitenstein vocant.
BERLE	58.	3.	49.	10.	ad scaturiginem fluminis Theidera.
BERLE	59.	6.	48.	10.	ad Sedwe profluentem.
BERSON	57.	7.	49.	12.	non procul a lacu Ludan.
BAWSKO	56.	6.	47.	6.	in summitate fluuius Duldera.
BLOKAUS	57.	12.	47.	5.	Blokaus propugnaculum ad Rigam

nouiter excitatum. Nam Dinamont ab altera est parte, remotius, quam vt nauium cursum eiaculatione assequi possit.

BERSARI in Curlandia.

C

CURLANDIA 56 46. Nobilissima prouincia & nostra ætate magis dilatata finibus extentis, & in formam prouinciæ a Regibus nostris redacta. Habet mare proprium, quod Curlandicum dicitur, habet & insulam & portum, qui Curisferunk vocatur. Præerat huic Ducatui, Augusti regis temporibus, Gottardus Ketler, cuius opera in bellis Liuonicis vtebatur. Commendatur a Polonis a fidelitate, & quod in ea expeditione erga eos officiosus fuit. Huius filius etiam captiuitatem pertulit, dum Pieczary animosius cum nostris oppugnat, & pro honore Regis strenue dimicat. Terminatur autem Curlandia a meridie Samogitia, a septentrione mari Liuonico, sed si addas Semigalliam, quia vtrumque possidet, tum flumine Duna, a Bawsko ad Memel ducta linea.

CORALIA 62. 51 Prouincia quædam diues admodum. Et significat lingua Moschica regiam terram. Nam Korol illi regem vocant. Eam enim sibi Rex Sueciæ vendicat.

CREMON 59. 5. 48. 3.

CASTERHELM 61. 46. ibi est traiectum in Suetiam ex Finlandia: cuius distantia est 81. milliarium.

D

DUNA flumen. 57. 55. nostri vocant Dzwinam, veteres Rubonem appellarunt. Præterlabitur Vitepsko, Polocko. Recentiores scribunt, eum oriri ex Scueria, prouincia Moschorum, fere ex iisdem paludibus, ex quibus assurgit Borysthenes, gradu 56. 57.

DUNEBURG 57. 4. 51. 11. ad Dunam flumen Curlandiam versus.

DUNAMUND 58. 48. 2. Arx in ostiis fluminis Dunæ in ripa sepentrionali Osiliam versus, a Riga duobus milliaribus, propugnaculum fortissimum, cui præsidia Polonica imponuntur, ob maiorem securitatem negotiatorum & ipsius vrbis Rigensis. Lituani Diament vocant.

DERBT 59, 7. 49. 10. Torpatum latine vocamus. Episcopatus fuit amplissimus. Memini & ipse, in Concillio Tridentino postremo adfuisse episcopum Torpatensem. Capta hæc fuit vrbs a Moscho 1558. sed a nostris 1582, de manu hostium meliore successu vindicata, quam si illa vice, ante

viginti

viginti annos post expeditionem Posuolensem, a Cruciferis in manus nostrorum deuenisset. Nunc enim imperium iure conqueri non potest, fines eorum esse attrectatos, cum ex faucibus ipsis hostium solus hic ereptus sit.

DRISSA 57. 8. 52. 2. Errauit toto coelo auctor tabulæ, in qua depicta est Polonia. Nam situs fluminis Dunæ, istarumque duarum munitionum pugnat cum vera supputatione milliarium, & experientia ipsa. Quare error hic corrigendus est eo modo, vt iam vides.

DULDERA flu. 57. 47. in meditullio ipsius Curlandiæ, supra quod Mittow, vrbs primaria Ducis.

DURBEN	57.	45.		
DOBLIN	57.	3.	46.	
DAGEDEN	60.	7.	46.	infra Haspaliam insula socia Ossiliæ.
DAN	60.	7.	46.	inter Ossiliam & Liuoniam parua insula.

E

ESTLANDIA 46. 49. Est prouincia in Liuonia, quæ inter sex alias numeratur. In hac Torpatum est situm.

F

FELIN 60. 1. 48. 11. Germanice per W scribitur Welin. Arx est in Estlandia bene munita, in qua Wilelmus Furstembergius a suis militibus Moscho fraude proditus fuit, & in Moschouiam auectus, vbi etiam in vinculis exspirauit.

FALKENHAUS	59.	11.	56.	5.
FEGFEUR	60.	11.	49.	6.
FENENBURG	57.	6.	43.	6.

FINES Samogitiæ, vide Samogitia.

FINES Curlandiæ, vide Curlandia.

FINES Liuoniæ Polonicæ & Succorum ditionis, est fere parallelus sexagesimus, & occupant fere totum Venedicum sinum ab vtraque ripa.

G

GOTLANDIA 60. 45. Molotius, geographus Venetorum, exponit esse dictam non a Gotthis, sed ex Germanico, quasi dicas optima terra.

GROBIN 56. 6. 46.

GOTLINGEN 57. 4. 45. 7. ditionis Curlandicæ, sicuti & Grobin.

GEBVELANDIA, regio hæc mari adiacet, septem milliaribus in latum & longum.

H

HASPALIA 61. 47. 7. sedes fuit episcopi Haspalensis. Inter hos motus, Magnus, frater Regis Daniæ, eam sibi vsurpauerat, titulo episcopatus, sicuti & insulam Ossiliæ. Sed qui insulis illis duabus dominatur, potest in arctum adducere omnes Liuoniæ portus. Ferunt autem Danos libenter insidiari talibus locis, ex quibus propter angustos transitus, nauigantibus nocere possint. Qua etiam ratione sibi plurimum placent, quod veluti ianitores portuum esse volunt. Ferunt autem iam hoc anno illas duas insulas in potestatem nostrorum deuenisse.

HARIA, prouincia vna ex sex ducatibus Liuoniæ. In ea sita est Reuelia, Badis, Feguerg.

HOCHROSEN	59.	3.	49.	1.
HELMET	56.	6.	43.	4.

HERSCHENFORT in Finlandia ex opposito arcis Kolek.

HOCHLAND 61. 53. insula e regione Naruæ in Venedico sinu.

HASSENPOT 57. 45. in Curlandia.

I

IVANOW horod 61. 10. 53. 6. Arx munitiſſima ex lapide ſecto excitata, & a nomine ipſius ducis Moſchorum nuncupata, æmula Naruæ. Eſt enim ei oppoſita, ne qualibet occaſione arrepta rebellare queat. Etenim eſt moris Monarchis, aliquas munitiones talibus vrbibus ob certos reſpectus adiicere, nimirum vt ingredientes & egredientes vrbe ſemper habeant, quod vereantur. Eodem conſilio Moſchus Narua potitus hanc arcem erexerat.

IAMMA 61. 7. 54. 9. Arx munitiſſima ad flumen Ploſſa aut Iuga, ſeptentrionalior inter omnes Liuoniæ arces. Diſtat ab Ivanow horod XII. milliaribus. Ab hac rurſus Polna flumen XXVI. milliaribus extenditur, ad cuius ripam arx Oreſſek ſita eſt, diſlimitatque Sueciam a Moſchouia. Nos hic ex altera pagina picturæ conſignauimus.

IUGA fluuius 61. 54. a Nouogrodia tendit etiam Naruam verſus, & auget Naruenſium diuitias.

IURGENBURG 58. 8. 48. 12

K.

KOKENHAUS	57.	4.	49.	6.	Vide ſupra Agatyrſi.
KRISSBORG	57.	4.	50.	5.	
KARKUS	59.	9.	48.	3.	

KIES 60. 48 Arx ad quam memorabili clade profligati ſunt Moſchi, duce exercitus N. Sapieha Lithuano, non procul a Parnaua in Eſtlandia. Alii Kies dicunt vocari Wendin. Huius Sapiehæ frater Procancellarius eſt magni Ducatus. Vir, ſupra ætatem, prudentia & eloquentia admirandus.

KORALIA vide Coralia per C.

KOLEK	61.	8.	50.	9.	Arx.
KIRCHHOLM	57.	8.	48.	6.	
KLEIN ROP.	59.	8.	48.	3.	
KEREMP	59.	6.	50.	10.	
KRASNYGRODEK	59.	7.	52.	11.	

KAWELICHT 59. 10. 49. 7. ſignificat eme candelam. Et re vera candelis ibi opus eſt. Ibi enim dies iam hieme noctefcunt, & noctes æſtate dieſcunt, propter vicinitatem arctici poli.

KONCKUL	59.	7.	49.	4.
KOPOREIA	61.	12.	55.	12.

L

LEVARD 57. 4. 48. 5. Arx ad flumen Dunam octo milliaribus a Riga

LAIFLANDIA 57. 47. Liuoniæ veteris quinque erant præcipui Ducatus: Eſtlandia, Curlandia cum Semigallia, Virlandia, vbi eſt Narua, Haria, & Laiflandia, vbi eſt Riga. Iſtæ nunc finito bello, anno ſuperiore, in tres palatinatus, veluti tetrarchias, a Sereniſſimo rege Poloniæ, Stephano primo, deſcriptæ & in ordinem redactæ ſunt, legesque eis datæ, locus conuentuum deſignatus, vbi ius dicitur, deliberationes expediuntur, exemplo Pruſſiæ.

LODE vel Lede 61. 7. 48. 7. non procul a flumine Leal. Pertinebat ad Abſalenſem epiſcopatum. Hanc Gottardus Kettler, Dux Curlandiæ, Suetenſibus eripuerat, ſimulque aliquot grandia tormenta ademerat.

LUKI veliki 58. 5. 56 Anno 1581. ſumma contentione & obſtinata militum Polonorum pertinacia expugnata. Magna vbi ſtrages & ſanguinis effuſio facta fuit, quæ nulla ratione vitari potuit, fatis ſic iraſcentibus genti Moſchorum, de qua re vide lib. 8. hiſtoriæ noſtræ.

LOVAT fluuius 58. 56. Præterlabitur Luki, & miſcetur lacui Ilmen ad Nouogrodiam.

LUDEN

LUDEN 57. 7. 50. 2. a ſtagno Luden dictum.

LUDEN lacus 57. 56.

LANDE 57. 3. 49. 8.

LUTZEM 57. 8. 51. 12. vbi Marcus Sobieſki Signifer aulæ regiæ, miles ſtrenuus, cum ad deditionem Moſchos, nomine Regis, ſtando in equo ſub moenibus inuitaret, globo venenato petitus ita enorme vulnus retulit, vt malignum contraxerit Eryſipelas, ſeu ignem ſacrum.

LANCEL 59. 4. 47. 11.

LAIS 61. 51. 5.

LODE 61. 5. 48.

LIBA 56. 45. 3. Libonis Nauarchi Pompei aduentu clara. Ibidem flumen Liba.

M

MARIEMBURG 58. 10. 51. 11.

MOLAN 59. 3. 48. 11.

MARIENHAUS 58. 3. 51. 9.

MYTOW 57. 1. 46. 11. ad flumen Duldera, metropolis Curlandiæ.

N

NOVOGROD 60. 6. 53. 6. Naugardum Germanis dictum. De ſitu & eleuatione harum regionum male ſentiunt coſmographi, tam Veneti, quam Mariemburgenſes. Nam eam longe ſeptentrionaliorem faciunt, quam diſtantia locorum & ſupputatio milliarium expoſcit. Inde fit, vt & parallelorum & meridionalium circulorum ambitum cis longe diuerſum tribuant. Ego experientiam ſequutus ſum, prout nobis retulerunt milites, qui exantlatis laboribus militaribus in Moſchouia regiones illas peragrarunt. Habui etiam præ oculis picturam & itinerarium ſupremi ducis copiarum, magnifici domini Ioannis de Zamoſtia, quam mihi accomodauerat. Et puto me ad veritatem ipſam propius acceſſiſſe. Deſcriptiones Nouogrodiæ omitto, cum vbique apud auctores occurrant. Alluit eam ſtagnum nobile Ilmen, quod excipit Louatum flumen. Sic & Iuga flumen.

NITAW 58. 10. 48. 3. arx in Laiflandia.

NARVA 61. 11 52. 10. Arx & ciuitas nominatiſſima ad flumen Naruam. Et eſt emporium celeberrimum, quo Pleſcouienſes & Nouogrodienſes naues deuehunt mercenarias, & ditant vrbem & ipſi ditantur. Eodem, ex toto Venedico ſinu deuehuntur merces. Huius ex aduerſo arx Iuanow hrod, Narua autem per medium interfluit. Eſt illa nauigatio commoda, tamen duobus milliaribus ab vrbe rupes quædam impeditam reddunt nauigationem. Reſpicit Narua fere ex aduerſo Findlandiæ vrbem Wibur. Debuitque portus hic Naruenſis, confecto bello Moſchouitico, cedere in brabium Regi Poloniæ. Sed rex Suecorum nolens ſibi deeſſe, anteuertit. Obiiciebant noſtri, id commiſſum eſſe contra æquitatem & contra pacta, conuenta, vrgebantque exemplum venatorum, apud quos flagitium eſt, feram, ab alio exagitatam & a canibus defatigatam, intercipere. Sed Suecus quibuſdam euaſionibus tranſitiones illas eludebat. Contra quem rex modeſtiſſimus ſummo iure noluit vti. Dedit hoc affinitati, dedit tranquillitati reipublicæ Chriſtianæ. Res tamen ad ſenatum relata in aliud tempus diſcutienda reiicitur.

NEVEL 57. 53. arx.

NEWMUL 50. 10. 48.

NAIHAUS 59. 48. 4. non remote a Peczory.

NEISCHLOS 58. 8. 52. 8.

NARGEN 61. 49. Insula ad Reuel, quæ indicat suo nomine iter ad Naruam.

NOTHBURG 62. 56. valde septentrionalis ad Ladenſko lacum in Curlandia.

NEMELOW 57. 46.

NEISCHLOS 61. 5. 52. 11. in ipsis angustiis lacus Peibus, ex quibus Narua flumen exoritur.

O

OSSILIA 59. 49. Insula pulcherrima in mari Liuonico. Eam crucesignati Daniæ regi prodiderunt, qui potiuntur hac insula, de dominio maris illius præsumunt, & impedire nauigationes Liuoniæ possunt.

ORESSKO 63. 59. ad flumen Pulno, Koraliam versus. Tentata hæc Suecorum armis statim post bellum finitum inter Moschum & Regem. Distat ab Iamno XXVI. milliaribus. Polno flumen dislimitat Sueciam & Moschouiam.

OLSEN	59.	6.	50.	10. ad lacum qui manat Peczury.
OSTROW	59.	11.	52	4. arx ad flumen Velika, vbi

exercitus regius præludium & experimentum fecit virium suarum, antequam Plescouiam obsidione cingeret.

OPOCZKA	59.	1.	53.	5.
OPERPAL	60.	8.	50.	11.

P

PLESKOVIA 60. 8. 51. 8. Descriptiones Plescouiæ vbique apud auctores occurrunt. Quomodo autem oppugnata a nostris & in angustum redacta lib. 8. historiæ nostræ reperies. Distat a Riga LX. milliaribus & totidem a Polocko, quod & circino probare potes. A Torpato seu Derpt XXI. a Narua XVI.

POLOCK 57. 9 52. 11 regia quondam principum Russiæ.

POLNO flu. 63. 56. ad hoc Oressek est situm.

PSKOWKA flu. 60. 52. vrbem ipsam Pskow permeat. Castra regia ad eundem profluentem metata erant.

PARNAVA noua 60. 9. 48. 2. ad littus fluminis Vbra. Cis vero flumen Haspaliam versus Stara Parnaua cernitur.

PEMBURG	57.	10.	57.	10.	
PEBALGEN	58.	1.	56.	10.	
PECZURY	60.	3.	51.	9.	Monasterium insigne.
PORCHOW	60.	5.	53.	11.	
PIRKUL	69.	5.	48.	9.	
PEIBUS lacus	61.		52.		ex quo Narua demanat statim

post Plescouiam.

PROCLUD	61.		49.	in isthmo Findlandiæ e regione Reuel.
PADES	61.	8.	48.	11.
PILTEN	57.	8.	45.	11. ad Vindæ fluminis ripam a

Danis adhuc possidetur, sed liberatur.

PLEN	55.	7.	46.	3.
PARNAVA flu.	60.		48.	

R

RIGA 57. 5. 47. 7. Vrbs amplissima opulentissimaque, metropolis Liuoniæ. Huius altitudinem fere eandem cum Gedano geographus Venetorum facit, quem errorem correxi, & littus Liuonicum paulo altius assurgere feci. Constat enim vrbem Vilnensem cum Gedano eandem latitudinis

latitudinis rationem habere. At Vilna Rigam euntes via septentrionali quadraginta milliaria emetiuntur, quæ duos gradus efficiunt & paulo plus. Itaque duobus gradibus Rigam cum sub littore assurgere feci. Hæc vrbs per hos motus bellicos, viginri & aliquot annos varios casus fortunæ experta est, & miris modis, iam a Regibus insularibus, iam a Moschis, petita est, tandem liberata gratias agere debet Regi Poloniæ, quod eam respirare fecit, & portum ei a Vitepsko vsque per octoginta milliaria patefecit. Situs eius, & restagnationes maris in maiore spacio, vt melius cerni queant, adiecimus.

REVEL 61. 8. 49. 8. Vrbs amplissima, post Rigam secundo loco habita: a Sueuorum Rege prærepta. Sed Venedicus sinus (vt nomen ipsum indicat) non nisi Venedos, id est, Slauonicæ linguæ populos, pro veris & legitimis habuit hæredibus.

RUM insula 61. 8. 49. 8.

RODENPAS 58. 3. 48. 8.

ROP 58. 11. 48. 10.

ROZEMBERG 59. 2. 48. 10.

RINGEN 59. 7. 48. 4.

ROMITEN 57. 8. 50. 11. ad lacum Ludan.

RANDEN 59. 9. 49. 4. ad lacum Virtsser.

REXHEIM 62. 51. id est, domus regis, & Moschi vocant stagnum illud, Coraliam, quod idem significat.

RIMACH 64. 6. 58.

S

SEMIGALLIA 56. 6. 49. 6. Regio, quæ Lithuaniæ a meridie, Curlandiæ vero a septentrione, contigua est, non procul a Vilna: sed Duci Curlandiæ attributa est.

SAMOGITIA 55. 45. Terminatur ab ortu, linea ducta a Kauno ad Bansko, ab occasu littore maris ad Memel & Libam, a meridie flumine Nemen, & tandem mare versus decurrit cum profluente Tang, a septentrione Curlandiæ. Malui more Strabonis circumscribere fines harum regionum, quam typum ipsum frequentibus lineis deformare.

SAVOLOCIE 58. 8. 54. 12. Munitio in firmissimo loco paludibus et lacubus vndique septa, sed a nostris (duce magnifico Ioanne Zamoscio) Rhodiorum militum artibus oppugnata & defatigata ægre salutem impetrauit.

SERBEN 58. 4. 49. 9. Serborum nomen notum est, qui aut hic in vicinia ad Venedicum sinum olim consederant, aut cum Lubecensibus illi Venedi & Sorabi transierant, qui in Saxonia hactenus habitant, & nomen eorum in eo oppido hæsit.

SACEL 57. 7. 49. 7.

SEGENVULT 57. 12. 48. 9.

SUEIN 57. 12. 49. 5.

SEDUE fluuius 59. 48.

SEXUEGEN 58. 1. 50. 1.

SANGRAC 59. 5. 49. 10. Existimo in fauorem Gratiani Pontificis oppido nomen impositum, qui aut fundauit, aut auxit ordinem istum.

SIEBIESZ 55. 2. 53. 4.

SALAS 59. 6. 47. 12.

SELGAR 61. 4. 52. 12. Insula cum oppido in lacu Peibus: innatat veluti Rhodis. Iam vides totam Liuoniam stagnis & fluminibus marisque portubus ita refertam esse, vt putes Venetiam riuis distinctam.

S. BRIGITTA 61. 6. 50. 4. Diuæ Brigittæ nomen celebre est.
SRUNOEN 57. 1. 45. Ad Vinden.
SABEL 57. 45. Ad Vinden.
SENEMBORG 60. 46. Ad Offiliam insulam.
SOKOL 57. 53. aliquot miliaribus a Polocko, duce belli Melesio expugnata. Ibi Seremet, Moschorum Dux nominatissimus captus, plurimi bellatores eius cæsi & trucidati, roburque Magni Ducis concidit. Missi erant isti ad ferenda subsidia Polocensibus.

T.

TREIDEN 58. 11. 48. 7. Ciuitas ad fluuium Treidera.
TRICATEN 58. 11. 49. 10.
TREIOERA flu. 58. 49.
TYRSEN 58. 50. 3. Oppidum in quo veterum populorum Agatyrsorum, qui hic habitabant, nomen hæsit, non remote a Kokienhaus.
TAURUS 59. 10. 48. 10. arx firma.
TOLZBORG 61. 8. 51. 5. In Chersoneso quadam Venedici sinus vrbs inter Reuel & Naruam.
TUCCUM 57. 5. 46. 11.
TOROPEC 58. 56. Vbi Signifer regius, Marcus Sobieski, densa nube sagittarum petitus, aliquot in lumbis, plura ex penula pendentia tela ad exercitum reportauit. Situs arcis est vltra Luki veliki.

V

VITEPSKO 57. 4. 55. 1. Si bene obseruauit D. Guagninus distantiam eius ab Orssa, nempe XVIII. milliarium, tunc apposite sic collocabitur. Est firmissimum municipium duas habens arces, nec ei par habetur in illa regione. Quondam Ducum Russiæ fuit sedes.
VIK 60. 46. In insula Offilia vrbs & territorium Vikenlandia dicebatur. Hæc vna cum Haspalia episcopi ditionis fuit.
VENOIN 58. 11. 49. 2. nostri Kies vocant.
VANZEL 59. 2. 48. 6.
VOLMIRZ 58. 12. 49. 11.
VALK 59. 6. 49. 3.
VELIKA flu. 59 56. Forsan ideo sic vocata, quod sit flumen magnum. Nam nostra lingua velika significat magnum. Aut quia non procul oritur a Veliki Luki.
VORONIECZ 58. 55.
VELIN seu Felin 60. 49. 9.
VIRTSCHER 60. 49. lacus nobilis paulo supra Derbt vicinum arci Taurus.
VISKIEL 60. 9. 49. 3. Sita est inter duo flumina, Amoza & Embde.
VIRCENBEG 60. 10. 51. 5.
VEYSESTEIN 60. 9. 49. 9. nostri vocant Bialy kamien.
VEISEN 60. 3. 50. 9.
VRANGA 61. 50. insula e regione arcis Kolek.
VIBOR 62. 50. e regione Koropeiæ.
VELIKIE luki 58. 5. 55. vide Luki.
VINDOW flu. 57. 45. vide dictionem Vendin.
VENEDICUS sinus 61. Est mare mediterraneum inter Liuoniam & Finlandiam, sed geographorum pars magna errat, quod eum in septentrionem nimis

oblique

obliquе dirigunt, cum ſtatim ab Haſpalia inflexio eius incipienda, & iuxta parallelum ſexageſimum ſecundum, orientem verſus, debeat extendi. Quod niſi faciamus, milliarium veram diſtantiam amittemus & experientiæ repugnabimus. Ego itinerarium exercitus ſequutus ſum. Vocabatur autem Ptolemæi temporibus ſinus Venedicus totum mare Pruſſicum. Totum autem mare inter Pruſſiam, Liuoniam, & Daniam, Oceanus Sarmaticus, a Ptolemæo vocatur, vt liquet ex tabula IV. Germaniæ. Nunc tantum Venedici maris, in illo ſinu paruo, nomen hæſit. Probatur autem teſtimonio linguæ totius Germaniæ Venedos vocari, non modo illos Vinidas, qui in Saxonia habitant, ſed etiam illos, qui in Slauonia, adeoque omnes, qui lingua Slauonica vtuntur. Quod ſi ita eſt, conſtat ergo totum illud Venedicum mare antiquitus poſſeſſum fuiſſe a Venedis, hoc eſt, a Ruſſis, qui a Venedis, ſeu Henetis, originem ſuam & appellationem deriuant. Et ideo Moſchorum Ducem mortuum, eo reſpectu, bellum mouiſſe puto iſtis regionibus, quod plurimum mouebatur veterum geographorum tam euidenti teſtimonio. Penes hunc Venedicum ſinum Finonicus ſinus maris proxime ſtatuitur gradu fere 70. Ibi eſt crux collocata lapidea, vltra quam ſub capitali poena, a rege Suecorum, progredi peregrinantibus prohibitum eſt, niſi prius ſumant facultatem ab ipſo Rege. Nos quoque hic ad iſtam crucem finem huic chorographiæ faciemus.

Vide Olaum Gothum

X.
IACOBI PRILUSII (129)
DE PROVINCIIS POLONICIS, ET QUIBUSDAM REGUM DIPLOMATIS TRACTATUS
EX STATUTORUM LIBRIS AB ILLO PUBLICATIS EXSCRIPTUS.

CAPITULUM I.
De Magno Ducatu Lithuaniæ.

LITHUANIA, eſt regio in Sarmatia, quæ ab oriente Scythiam: a meridie Poloniam minorem, ab occidente Maſouiam, a ſeptentrione Liuoniam, Samogitiam, & Moſchouiam habet. Et licet hic ducatus ad ducenta fere milliaria Germanica quaquauerſum pateat: gens tamen Lithuanorum ſuperioribus annis (æque ac regio multis ſui locis ſterilis & inculta eſt) obſcura & contempta, Ducique Kiouienſi tributaria fuiſſe, memoratur: donec

Lithuaniae fines.

Vithenes iugum ducum Kiouienſium excutit.

(129) IACOBUS PRILUSIUS, tempore Sigismundi Augusti, Poloniæ regis floruit, orator, poëta & Iure conſultus inſignis, terræ Cracouienſis notarius & ædilis, Vir ſuo tempore longe eruditiſſimus, Orechouii, Tricelii & Kochanovii familiaris & amicus. Laudatur quidem a STAROVOLSCIO in elogiis, ob eruditionem; ſed non minus etiam vituperatur, quia *transfuga*, vt ait, *e caſtris eccleſiæ Romanæ fuit.* Parochus & paſtor antea fuit eccleſiæ Moſcicenſis, teſte Starovolſcio, qui ſequentia de Priluſio memoriæ prodidit in elogiis: *eadem qua Orechouius impietate Lutherana imbutus, reliquit velut mercenarius oues eccleſiae Moſcicenſis, cui parochus & paſtor datus praefuit, tranſiitque ad coenoſos illos Wittembergenſes porcos, vt in coena cum illis, loco panis viui, hereticis ſiliquis infarciretur, omni farina caſſis. Ductaque vxore mulieroſus ſacerdos, vicegerentis officium in caſtro Cracov. habitu ſæculari geſſit, Kmitae palatino Cracov. magno in Polonia ſenatori, & litteratorum fautori, ob ingenii praeclaras dotes & iuris patrii peritiam in primis clarus, atque ex eo reliquis in Polonia dynaſtis, tum & ipſi regi Auguſto familiaris.* Scripta eius ſunt:

I. Oratio in obitum Sigismundi I.
II. Liber de legatione
III. Statuta ac priuilegia regni Poloniæ omnia anno 1553. in fol. 965. paginæ
IV. Liber poëmatum variorum
V. Liber epiſtolarum familiarium.

VITHENES Dux quidam eorum, sumptis virium inerementis, negaret ei tributum: quin & iugo principibus Russiæ vicissim iniecto, eos ad tributa sibi pendenda adegerit. Nec longo post tempore, IAGELLO, magnus Dux Lithuaniæ, circa annum MCCCLXXXVI. Heduigi, filia Ludouici Hungariæ & Poloniæ Regis, in vxorem ducta, sacro baptismate tinctus, Vladislai nomen, vnaque regnum Poloniæ, Baronum regni consensu, accepit. Præterea que secum fratres quatuor & gentem Lithuanam, confractis eius idolis, lucisque incensis, & exemplo suo, & tunicarum in concursantem pannosam plebem largitione, ad fidem Christi conuertit: fideque neophytos opera Polonorum primis rudimentis doctrinæ Christianæ instruxit: ac insuper Ducatum suum Lithuaniæ, Samogitiæ, & Kiouiæ, cum Alexandro Vitouudo, aliisque fratribus suis, regno Poloniæ incorporauit, & vniuit perpetuo. Hic primus Lithuanum nomen adeo illustrauit, vt & Polonia ab hoc primum Rege, eiusque successoribus, tam litterarum, quam armorum gloria florere, amplissimique regni nomen habere coeperit. Qualisque & quantus vir fuerit inmagistratu declarauit. Habuit autem fratrem Alexandrum Vitouudum in rebus gerendis quasi Theseum. Hic enim, loco fratris, Lithuanis magnus Dux relictus, adiecit suo, & fratris ducatui ducatum Plescouiensem, ducatum Nouogrodiensem & ducatum Smolescensem, qui, an incuria principum, an perfidia præsidiorum, a Moschis intercepti, Lithuanisque detracti sint, scire non possumus: certe qui nostrorum principum velit, haberet satis materiæ ad parandam sibi gloriam, atque adeo nominis immortalitatem, in recuperanda defectrice Silesia, & Pomerania ab vna parte regni, & in repetendis iis ducatibus, quos dicimus a Moschis esse interceptos, parte ab altera: item Oczakouio a Scythis, nisi quod interdum iniquior etiam pax iustissimo bello est anteferenda.

Alexander ducatus Plescouiensem, Nouogrodiensem & Smolescensem Lithuaniæ adiungit.

ARTICULUS I.

Magnus Ducatus Lithuaniae, Regnum Poloniæ.

Vnio magni ducatus Lith. cum regno Poloniae in HRODLO a. 1413.

IN Nomine D. Amen, ad perpetuam rei memoriam, debitores sumus spiritualis alimoniæ salutaria illis pocula ministrare, quibus præsidentes temporalium commodorum præstamus suffragia: vt quos ad corporis necessitatem sustentamus, salutis etiam ipsis, quantum nostra sufficit facultas, ministeria porrigamus: ne, dum temporalibus insistimus profectibus, vitæ commoda negligere videamur. Et vnde dona benedictionis, & brauium expectamus sempiternum, inde vitæ detrimenta sentiamus, & præmiis destituti adoptatis nulla laboris nostri commoda consequamur. Expedit perquirere, & debita attendere ratione, vt, dum hominibus impartimur carnis beneficia, meditemur qualiter ipsis coelestia præbeamus alimenta, & quos in hoc sæculo transitoriis rerum condimus copiis, illis viam æternæ beatitudinis demonstremus, quatenus & hic nostræ munificentiæ cognoscant præsidia, & tandem futuræ gloriæ compendia per exercitia directionis nostræ apprehendant, in omnium Salvatore. Proinde nos VLADISLAVS, Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Lithuaniæ Princeps supremus, Pomeraniæ, Russiæque Dominus et hæres, &c. Et ALEXANDER, alias Vitouudus, magnus Dux Lithuaniæ, nec non terrarum Russiæ Dominus, & hæres, &c. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, præsentibus, & futuris, præsentium notitiam habituris, quomodo terras Lithuaniæ, & earum incolas, nostro subditos dominio, in quos liberalitatis nostræ manum extendimus, & profectui ipsorum intendentes, multa frequentia, statum, & conditionem eorum, semper studuimus facere meliorem. Feruenti desiderio cupientes in assumptæ fidei deuotione iugiter solidare, et fundare. Vt ipsos altissimus, quo præstante lumen fidei per nostram operam receperunt, ad laudem, et honorem

sui

sui nominis, et eiusdem fidei catholicæ augmentum gratiæ suæ charismate confirmaret. Cum eos sæpe munificentiæ nostræ donis refecimus, summopere affectamus spiritualibus gratiis refouere, et per quæque legitima studia, et labores id feruentius mancipare. Qui, vt se in fidei constantia commodius exerceant, et crescant de virtute in virtutem, iugum seruitutis, quo hactenus fuerunt compediti et constricti, de ceruice ipsorum deponentes et soluentes, ex innatæ nobis benignitatis clementia, ipsis libertates, immunitates, gratias, exemptiones, et priuilegia dari Catholicis solita, iuxta continentiam articulorum subscriptorum, tenore præsentium concedimus, et largimur. Et primo, quamuis eo tempore, quo a'mo spiritu inspirante fidei catholicæ recepta, et cognita claritate, coronam Regni Poloniæ assumpsimus pro Christianæ religionis incremento, et bono statu, et commodo terrarum nostrarum Lithuaniæ prædictarum, ipsas, et cum terris ac dominiis ipsis subiectis, et connexis, præfato Regno nostro Poloniæ appropriauimus, incorporauimus, coniunximus, vniuimus, adiunximus, confoederauimus, de consensu vnanimi nostro, & aliorum fratrum nostrorum, & omnium Baronum, Nobilium, Procerum, & Boyaronum eiusdem terræ Lithuaniæ voluntate accedente, & assensu: volentes tamen terras prædictas Lithuaniæ propter hostiles insultus, & insidias Cruciferorum & eis adhærentium, ac aliorum quorumcunque inimicorum, qui præfatas terras Lithuaniæ, & Regnum Poloniae demoliri nituntur, & in ipsorum destructionem machinantur, in certitudine, securitate, & tutela melioribus reponere, et eis perpetuum commodum procurare, easdem terras, quas semper cum pleno dominio, ac iure mero, et mixto, hactenus habuimus, et habemus vsque modo a progenitoribus nostris, et ordine geniture, tanquam domini legitimi, Baronum, Nobilium, Boyaronum voluntate, ratihabitione, et consensu adhibitis, prædicto Regno Poloniæ iterum incorporamus, inuisceramus, appropriamus, coniungimus, adiungimus, confoederamus, et perpetue annectimus: decernentes, ipsas cum omnibus earum dominiis, terris, ducatibus, principatibus, districtibus, proprietatibus, omnique iure mero, et mixto, coronæ Regni Poloniæ perpetuis temporibus irreuocabiliter, et irrefragabiliter esse vnitas. Ceterum omnes Ecclesias terrarum Lithuaniæ prædictarum, tam Cathedrales, quam Collegiatas, Parochiales, et Conuentuales, videlicet Vilnenses et ceteras in eis erectas, et erigendas, fundatas, et fundandas, in omnibus ipsarum libertatibus, immunitatibus, priuilegiis, exemptionibus, et consuetudinibus vniuersis conseruamus. Harum serie mediante iuxta consuetudinem Regni Poloniæ, Barones, etiam Nobiles, Boyari terrarum nostrarum Lithuaniæ prædictarum, donationibus, priuilegiis, et concessionibus ipsis per nos datis, impartitis, et collatis, duntaxat Catholici, et Romanæ Ecclesiæ subiecti, et quibus clenodia sunt concessa, gaudeant, participent, et fruantur, prout Barones, et Nobiles Regni Poloniæ suis potiuntur, et fruuntur. Item Barones, et Nobiles prædicti bona ipsorum paternalia pari iure obtineant, sicut Barones Regni Poloniæ sua noscuntur obtinere, et donationes nostras, super quibus litteras obtineant, a nobis efficaces, et fulcitas perpetui roboris firmitate similiter obtinebunt, et liberam habebunt ipsa vendendi, communicandi, alienandi, donandi, et in vsus suos conuertendi facultatem: nostro tamen consensu ad hoc specialiter accedente. Sic tamen, quod ipsa alienando, commutando, vel donando, coram nobis, vel nostris officialibus iuxta consuetudinem Regni Poloniæ, resignabunt. Item post mortem patrum liberi non debent bonis hæreditariis priuari, sed ea cum suis successoribus possidere, prout Barones, et Nobiles Regni Poloniæ sua possident, et in vsus conuertunt beneplacitos. Similiter uxoribus suis dotalitia in bonis, et villis, quas ex successione paterna, vel concessione nostra perpetua habuerint, vel sunt habituri, poterint assignare, prout in Regno Poloniæ assignantur. Filias autem

Bbbb 2 sorores

forores, confanguineas, et affines fuas præfati Barones, et Nobiles terrarum Lithuaniæ copulare poterint, viris duntaxat Catholicis, et tradere coniugio iuxta beneplacitum fuæ voluntaris, iuxta confuetudinem Regni Poloniæ ab antiquo obferuatam. His autem libertatum conceffionibus non obftantibus, Barones ad conftructionem et erectionem caftrorum, vias expeditionales facere, et tributa dare iuxta antiquam confuetudinem aftringuntur. Hoc fpecialiter expreffo, quod omnes Barones, et Nobiles terrarum Lithuaniæ, fidelitatem, et debitam ac Chriftianam fidei conftantiam nobis videlicet VLADISLAO Regi Poloniæ, et ALEXANDRO, alias Vitouudo, magno Duci Lithuaniæ, et fuccefforibus noftris tenere debebunt, et feruare, prout Barones, et Nobiles Regni Poloniæ fuis Regibus tenere folin funt, & feruare: fuper quo Barones, Boyarones, & Proceres terrarum Lithuaniæ prædicti iuramentum nobis iam praeftiterunt, prout clarius in litteris ipforum, quos cum Baronibus Regni Poloniæ fibi inuicem concefferunt, continetur. Pari modo fub fidei facramento, & fub bonorum fuorum amiffione, nullis Principibus aut Baronibus, vel aliis cuiuscunque conditionis hominibus, terris Regni Poloniæ aduerfari volentibus, confiiia, fauorem, & auxilia miniftrabunt, vel præftabunt: fed eos tanquam hoftes terræ & dominiorum Lithuanorum totis viribus profequantur, & ad nullum alium refpectum habebunt, nifi ad nos, & ad noftros fucceffores, prout hanc ipfam Barones, et nobiles prædicti pro fe & pro fuis pofteris per fidei facramentum cautionem præftiterunt, et fecerunt. Item dignitates, fedes, et officia, prout in Regno Poloniæ inftitutæ funt, inftituentur, et locabuntur: in Vilna fcilicet Palatinus, et caftellanus Vilnenfis, et demum in Troki, et in aliis locis, vbi nobis videbitur expedire, iuxta noftræ beneplacitum voluntatis, perpetuis temporibus duraturis. Et huiusmodi Dignitarii non eligantur, nifi fint fidei Catholicæ cultores, et fubiecti S. Romanæ ecclefiæ, nec etiam aliqua officia terræ perpetua, vt funt dignitates, et caftellanatus, etc. nifi Chriftianæ fidei cultoribus conferantur, et ad confilia noftra admittantur, et eis interfint, dum pro bono publico aliqui tractatus celebrantur. Quia fæpe difparitas cultus, diuerfitatem inducit animorum, et confilia patent talibus diuulgata, quæ traduntnr fecrete obferuanda. Item omnes, quibus huiusmodi libertas, et priuilegia conceduntur, nunquam nos Vladislaum Regem Poloniæ, et Alexandrum Vitouudum, Magnum Ducem Lithuaniæ, quo adufque vixerimus, et noftros fucceffores Reges Poloniæ et Duces Lithuaniæ, a nobis, et noftris fuccefforibus ftatuendos, et locandos, deferant, vel recedant ab eisdem, fed fub fide, et honore pariter et onere iuramenti, fideliter, et firmiter nobis, et fuccefforibus noftris adhærebunt fauoribus, confiliis, et auxiliis, perpetuis temporibus, et in æuum. Hoc etiam addito, quod prædicti Barones et nobiles, ect. Lithuaniæ poft mortem Alexandri, alias Vitouudi Magni Ducis moderni, nullum habebunt, aut eligent pro Magno principe, et domino Lithuaniæ, nifi quem Rex Poloniæ, vel ipfius fucceffores cum confilio Prælatorum, et Baronum Poloniæ et terrarum Lithuaniæ, duxerint eligendos, ftatuendos et locandos. Similiter Prælati, Barones, et nobiles Regni poloniæ, Rege Poloniæ fine liberis, et fuccefforibus legitimis decedente, Regem, Dominum non debent ipfis eligere fine fcitu, et confilio noftro, videlicet Alexandri magni Ducis,Baronumque, et nobilium terrarum Lithuaniæ prædictarum, iuxta tenorem, et contenta priorum litterarum. Præterea prædictis libertatibus, priuilegiis, et gratiis tantummodo illi Barones, et nobiles terræ Lithuaniæ debent vti, et gaudere, quibus arma, et clenodia nobilium Regni Poloniæ funt conceffa, et cultores Chriftianæ Religionis Romanæ ecclefiæ fubiecti, et non fchismatici, vel alii infideles. Item omnes litteras, quafcunque Regno Poloniæ et terris Lithuaniæ ante octo, vel feptem annos, ac poft,

vel

vel circa coronationem noſtram conceſſimus, et dedimus, tenore præſentium confirmamus, ratificamus, approbamus, et robur perpetuum imponimus eisdem, habentes ipſas præſentibus pro inſertis. Hoc etiam addito ſpecialiter, et expreſſo, quod præfati Barones, et nobiles Regni Poloniæ et terrarum Lithuaniæ, Conuentiones, et Parlamenta, quando neceſſe fuerit, in LUBLIN, vel in PARCZOW, et aliis in locis aptis, de conſenſu et voluntate noſtra, celebrabunt, pro commodo, et vtilitate Regni Poloniæ et terrarum Lithuaniæ prædictarum meliori. Præterea nos ALEXANDER, alias Vitowdus, de conſenſu Sereniſſimi Principis domini VLADISLAI, Regis Poloniæ, fratris noſtri chariſſimi, eligimus ad arma, et clenodia nobilium Regni Poloniæ, terrarum noſtrarum Lithuaniae nobiles infra ſcriptos, quos ipſi Regni Poloniae nobiles ſimul cum omnibus, qui ex eorum ſtirpe originem ſuam ducunt, ad fraternitatis, et conſanguinitatis conſortia receperunt. Et primo nobiles *Lenwa*, *Monywid*, Palatinum Vilnenſem. Item *Zadora*, Palatinum Iawnum Trocenſem, *Rawa Minigal*, caſtellanum Vilnenſem, *Liſſy*, *Sunigal*, caſtellanum Trocenſem, *Iaſtrembiec*, ſeu *Lazanky*, alias *Boleſthy*, *Nagora* vocatos, *Nemir*, *Trąmbki*, *Hoſtikonem*. *Topory*, *Butrym*. Item *Labęncz*, alias *Skrynſcy*, *Goligunt*, *Poraye*, *Nicolaum Bylymin*. *Dambno*, *Korewam*, *Odrowąſz*, *Vyſchegerd*. *Wadwicz*, *Petrum Mondigerth*. *Dria*, *Nicolaum Tawtigerd*. *Habdanyecz*, *Ioannem Gaſtoldi*. *Pulkoza*, *Volczkonem Kukwa*. *Griſones Butowdum*, *Srzeniawa*, *Iadaldum*, *Pobodze*, *Kalonem*, *Grzymala*, *Iohannem Rymowidowicz*, *Zaręmba*, *Gyneth Konczewicz*, *Pirzchala*, *Dowxa*, *Nowina*, *Nicolaum Boynar*, *Dzialoſza*, *Volczkonem Kokuthowicz*, *Kopacz Gedorwoch*, *Rola Danel*, *Sirokomla*, *Iakobum Mingyel*, *Cattus Marinus*, *Woyſznar Wilkolewicz*, *Powala*, *Georgium Sangaw*. Item *Pomyan*, *Saka*, *Doliud*, *Naczkonem*. *Starza*, *Twerbuth*, *Dolęga*, *Monſtwild*. *Bogoria*, *Stanislaum Viſſygin*, *Ianina Woyſſym Danczykowicz*, *Bichawa*, *Monſtold Swinka*, *Andream Dewknethowicz*, *Rolda*, *Minimund Seſmkowicz*, *Sulima*, *Bodywil*. Item *Nalęcz*, *Koczanum*, *Lodzia*, *Mieczuch*, *Ielitowe*, *Gerdud*, *Korczak*, *Czuppam*, *Biala*, *Moydilonem Czuſzolowicz*, *Węnzyk*, *Koyczanum Sukowicz*, *Ciolek*, *Iohannem Ewil*, *Godziemba*, *Stanislaum Buthowtowicz*. *Oſmorog*, alias *Geralth Surgutes* de *Kyeſzlinn*, *&c.* Quibus quidem armis, clenodiis, et proclamationibus, prædicti nobiles, Proceres, et Boyari terrarum Lithuaniæ ex nunc, et in poſtea perpetuis temporibus vbilibet gaudeant, potiantur, prout ipſi præfati nobiles Regni Poloniæ vti, frui conſueuerunt, et potiri. Vt autem corroborationis, et cautelæ vberioris omnia praemiſſa accipiant firmitatem, praeſentes fecimus Sigillorum noſtrorum munimine corroborari, praeſentibus, et conſentientibus ac ratum habentibus Reuerendis in Chriſto patribus, Domimis *Nicolao* Gneſnenſi archiepiſcopo, *Alberto* Cracouienſi, *Iohanne* Vladislauienſi, *Petro* Poſnanienſi, *Iacobo* Plocenſi, *Nicolao* Vilnenſi, *Iohanne* electo Leopolienſi Metropolienſi, *Matthia* Præmislienſi, *Michaële* Kiouienſi, *Gregorio* Vlodimirienſi, *Sbigneo* Kameneczenſi, electo eccleſiarum epiſcopis, Chelmenſi, et caeteris eccleſiis vacantibus: Nec non Magnificis, validis, et ſtrenuis *Criſtino* Crac. caſtellano, *Iohanne* de *Tarnow* Cracouienſi, *Nicolao* de *Michalow* Sendomirienſi, *Sandiuogio* de *Oſtrorog* Poſnanienſi, *Matthia* de *Waſſoſe* Caliſſienſi, *Iacobo* de *Koniecpole* Siradienſi, *Ioanne Ligęza* Lancicienſi, *Matthia* de *Labiszyn* Brzeſtenſi, *Ianuſſio* de *Koſcyelec* Gniewcouienſi, Palatinis. *Michaële* de *Bogumilowice* Sendomirienſi, *Iohanne* de *Szczekocyn* Lublinenſi, *Dobieslao* de *Oleſznica* Voynicenſi, *Floriano de Rokitnica* Viſlicenſi, *Criſtino de Kożyeglowy* Sandecenſi, *Martino de Kolikowo*, Gneſnenſi, *Clemente de Morcſko* Radomienſi, *Domarath de Kobylany* Biecenſi, *Moſticio de Stachow* Poſnanieſi, *Ianuſſio de Wiſkow* Caliſſienſi, *Mortino de Kalinow* Siradienſi, *Petro de Woyczczowa* Dobrinenſi, *Alberto de Koſciol* Brzeſtenſi, *Ioanne de Lankoſin* Lancicienſi, *Chriſtino* Kruſſuicenſi,

Cccc

Krusiuicensi, *Ioanne de Laczuchow* Zauichostensi, *Martino de Lubnica* Brzezinensi, *Stanislao Gamrath* Polanecensi, *Iohanne de Bogumilowice* Czechouiensi, *Matthia Koth* Naclensi, *Grottone de Iankowice* Malogostensi, *Ivano de Obichow* Srzemenensi, *Ianussio Furman*Miedzyrzecensi, castellanis. *Sbigneo de Brzezie* Regni Poloniae Marschalco, *Petro Szaffraniec* Succamerario, *Martino de Wrocimowo* Vexillifero Cracouiensi, *Paulo de Bogumilowice* Cracouiensi, *Nicolao de Strzelce* Sandomiriensi, *Nicolao de Czarnkow* Posnaniensi, *Iaka* Kalissiensi, *Andrea* de *Ludbranc* Cuiauiensi, *Petro* de *Vidawa* Siradiensi, *Nicolao de Suchodol* Lublinensi, *Petro de Taur* Lanciciensi, Iudicibus. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug in Parlamento, seu congregatione generali, die secunda mensis Octobris, sub anno Domini 1413. datum per manus Reuerendissimi in Christo patris, domini episcopi Cracouiensis supremi Cancellarii Regni Poloniæ, nobis sincere dilecti. Scriptum vero per manus Ciolkonis, Canonici Sandomiriensis, secreti nostri Notarii.

PRÆLATI LITHUANIÆ INCORPORANT SE REGNO POLONIÆ AC REGI POLONIÆ SE SUBIICIUNT, QUEM VNA CUM POLONIS ELIGENT.

De ducatu magno Lithuaniæ, ad regnum Poloniæ assumpto, 1401, tempore Vladislai Iagellonis & Alexandri Vitowdi.

IN nomine Domini Amen. Tunc enim multis errorum, et dubiorum incommodis prudenter occurrimus, cum gesta aetatis nostrae litterarum apicibus, et Sigillorum appensionibus comprehendamus. Proinde nos Praelati, Principes, Barones, Nobiles, terrigenae terrarum Lithuaniae, et Russiae, videlicet *Iacobus* diuina prouidentia Vilnensi, ecclesiae episcopus, Dux *Iuanus Olgimunti* cum filiis suis, videlicet Andrea et Semkone, et caeteris, *Mungaylo*, *Gedigoldo* fratre, et caeteris, *Czupurna* Marschalco *Semkon Iamunti*, *Fedorus Leonis* cum *Iuskone* fratre germano, *Gaschow* cum filio *Talnusz*, *Gineyd* cum filio *Milus*, et caeteris, *Kinunth* cum filio *Dauxha*, *Strzygoil Karikonis*, *Gyntolth Afiok* cum fratre germano *Dorgi*, *Gastolth* cum *Przeghindo* fratre germano, *Nemira* cum fratribus suis germanis, *Szugaylo*, *Olizae Vissilonis Voinad*, *Ruschylowicz*, *Kieffgaylo*, & *Kumbold Volimontonis* cum suis cæteris fratribus germanis, *Goligin*, *Roman Mileykonis* cum fratre *Volczkone*, & ceteris, *Voyschwund* cum filio, *Radiuilo*, *Volochko Kavothmonis* cum fratribus *Butoldmuntigailo*, *Hanusch Montigerdonis* cum fratribus suis, *Bovogm Vissigirdonis*, *Draunti* cum *Vesskone* filio, *Volczko*, vel *Vtrwicz*, *Volczko Konschowtowicz*, *Dogirdi Vonyis*, *Vrdzich* cum fratribus, *Goligind*, *Veydmun Heschis*, *Selkowicz*, cum cognationibus, & Genealogiis suis: nec non tota vniuersitas omnium & singulorum Nobilium, & terrigenarum prædictarum Lithuaniæ & Russiæ terrarum, quorum quamuis nomina singulatim hic non sunt expressa, ipsorum tamen consensus ad subscripta adest, ac si pro insertis haberentur. Proinde significamus, quibus expedit vniuersis. Quomodo eo tempore, quo Prælati, Principes, Barones, et Nobiles, et communitas terrigenarum Regni Poloniæ diuina cooperante clementia, Serenissimum Principem dominum Vladislaum Regem Poloniae, supremum Ducem Lithuaniae, haeredem Russiae, dominum nostrum gratiosissimum, de gentilitatis erroribus educentes in Regem et dominum ipsorum assumpserint: Nos quoque ipsius vestigia sequentes, almi spiritus gratia eruditos ad ipsorum consortium Catholicum inuitantes de tenebris erroris vetusti, per assumptionem Sacrae fidei orthodoxae receperint, cum quibus in fide facti vnanimes, et consortes ad perfectionem Catholicorum operum merito, et opportune debemus per concordiam perpetuo adspirare. Pro eo, praedicto domino VLADISLAO Regi Poloniae &c. Et ipsius Coronae, Regno, ac Regnicolis Poloniæ, firma fide, et inuiolabili sponsione promisimus, et tenore praesentium promittimus, toto posse, et viribus contra insultus quorumlibet hominum

hominum eis assistere, et eos nullo exquisito coloris fuco vnquam deserere, sed ipsos fine dolo, et fraude, scilicet Regem, et Coronam, Regnum et Regnicolas Poloniae et eorum necessitates perpetuo adiuuare, eorumque profectus, vtilitates, commoda, et bonum commune peragere, salubri, et fideli dispositione, velut nostrum proprium: quod et ipsi nobis pari modo tenebuntur facere, vice versa. Demum quia praedictus dominus VLADISLAUS Rex &c. Dominus noster gratiosus, ex speciali confidentia, magnifico, et praeclaro Principi, domino ALEXANDRO, alias VITOWDO, Duci Lithuaniae, etc. ipsum in partem suae solicitudinis assumens supremum principatum terrarum earundem Lithuaniae, ceterorumque dominiorum suorum Ducatus dedit, et contulit, et ipsum in eis de manu sua statuit, ad vitae eiusdem domini Ducis VITOWDI terminum vltimum et extremum. Pro quo eundem dominum VLADISLAUM Regem constantiori fiducia prosequi volentes, et prout iustum est, ipsum reddere certiorem firma sponsione, et irreuocabili promisso sibi, tenore praesentium promittimus, quod supremus praedictus principatus terrarum Lithuaniae, et ceterorum dominiorum Ducatus vna cum bonis, et ceteris patrimonialibus ad eundem dominum Ducem VITOWDUM pertinentibus, et cum omnibus castris, fortalitiis, districtibus, territoriis, et eorum incolis post decessum ipsius ad ipsum dominum VLADISLAUM Regem, ac ad Coronam regni huius Poloniæ, iuxta tenorem litterarum, per praedictum dominum Ducem Vitowdum, eidem domino VLADISLAO Regi, et Coronae eius datarum, debent plene et integre deuolui, et redire. Et nos etiam, cum nostris posteris atque successoribus post decessum domini Ducis Vitowdi promittere prædicto domino VLADISLAO Regi, Coronae, et Regno Poloniae adhaerere, subiici, obsequi, et seruire sine dolo, et fraude, toto posse, et viribus tenebimur, et praeter ipsum ad Coronam Regni eiusdem, nunquam nobis alios, vel alium dominum vel dominos, assumemus. Illo etiam non omisso, quod si dominus Vladislaus Rex praedictus (quod DEus auertat) sine prole decesserit, extunc sine scitu, et consilio eiusdem domini Ducis Vitowdi, et nostro pariter, Principes, Praelati, Barones, Nobiles, et communitas terrigenarum terrarum Regni Poloniae praedicti sibi Regem et dominum non debent eligere, seu locare, cum quibus firmam mutuam, et constantem seruantes assistentiam, in dulcedine fidei, et visceribus JESU Christi perpetuam et irreuocabilem tenebimus vnionem. In quorum omnium fidem et testimonium, euidentiamque pleniorem pro perpetuo robore Sigilla nostra praesentibus sunt subappensa. Actum, et datum in Vilno ipso, die S. Priscae Virginis et Martyris. Anno Domini 1401.

VLADISLAUS TERTIUS REX POLONIÆ CONFIRMAT IURA ET PRIVILEGIA SIGISMUNDO MAGNO DUCI LITHUANIÆ SUPER DUCATU MAGNO PER D. OLIM VLADISLAUM SUUM GENITOREM EIDEM SIGISMUNDO CONCESSA.

Vladislaus III. confirmat Lithuaniæ ducem SIGISMUNDUM. Petricouiæ anno 1438.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam, Nos VLADISLAUS tertius, Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ Sendomiriae, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiae, Lithuaniæ, Princeps supremus, Pomeraniæ, Russiæque Dominus, & hæres, &c. Significamus tenore præsentium, tam præsentibus, quam futuris notitiam habituris: Quod ex quo præclarus, & Magnificus Princeps, dominus SIGISMUNDUS, Dei gratia magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, &c. patruus noster percharus omnem sinceritatis constantiam erga Regnum Poloniae nostrum, & nostram Regiam praesentiam semper gessit incorrupte, cuius rei nos memores, et pergrati, dignum censuimus sibi proinde cordis puro zelo occurrere, et omnium qua decet gratitudine, hanc fidem,

et conſtantiam integram compenſare. Vnde ex certa noſtra ſcientia ſufficientiſſima, deliberatione praehabita, animo beneuolo, et voluntate noſtra vltronea nostrorum Praelatorum et Baronum ſalubribus, freti conſiliis, ipſi domino SIGISMUNDO Magno Duci, noſtro patruo chariſſimo, iura, litteras, et priuilegia, quæ a nobis, et felicis memoriae genitore noſtro, domino Vladislao Rege Poloniæ, ſuper Ducatu magno, et quibuſcunque bonis et libertatibus, ſub quibuſcunque datis, et tenoribus exiſtunt, quae hic habere volumus pro inſertis, in omnibus earum punctis, conditionibus, poſitionibus, particulis, et clauſulis vniuerſis, ratificamus, innouamus, gratificamus, et approbamus, et praeſentis ſcripti patrocinio confirmamus: decernentes, ea robur obtinere perpetuae firmitatis. Promittimus inſuper in verbo noſtro Regio praeſentibus, et ſpondemus eaſdem ipſius literas, iura, et priuilegia, rite et iuſte emanata, per omnia rata atque grata habere, et inconcuſſa iugiter, et inuiolabiliter obſeruare, et de eis ſatisfacere, harum, quibus ſigillum noſtrae Maieſtatis eſt appenſum teſtimonio litterarum. Datum in oppido Piotrkow, in Parlamento generali, feria tertia proxima poſt feſtum S. Luciae Virginis, Anno Domini 1438. praeſentibus ibidem Reuerendiſſimo et Reuerendis in Chriſto patribus, Dominis *Vincentio* S. Gneſnenſis eccleſiae Archiepiſcopo, et Primate, *Sbigneo* Cracouienſi, *Vladislao* Vladislauienſi, epiſcopis, et *Andrea* de *Bnin* electo confirmato eccleſiae Poſnanienſis, ac magnificis nobilibus, et ſtrenuis viris, *Ioanne* de *Czyſzow* caſtellano Cracouienſi, *Dobeslao* de *Sienno* Sandomirienſi, *Martino* de *Slawkow* Caliſſienſi, *Alberto* de *Male* Lancicienſi, *Ioanne* de *Lichni* Breſtenſi, *Iarando* de *Grabye* Iunivladislauienſi, et *Petro Odrowąſz* de *Sprowa* Leopolienſi, palatinis. *Dobrogoſtio* de *Szamotuly* Poſnanienſi, *Clemente Wątrobka Strzelce* Sendomirienſi, *Laurentio Zaręmba* de *Kalinowa* Siradienſi, caſtellanis. *Iohanne* de *Oleśnica* Marſchalco, et *Andrea* de *Lubino* Theſaurario Regni Poloniæ, et aliis Dignitariis, Baronibus, militibus, et nobilibus, teſtibus circa praemiſſa. Datum per manus Magnificorum, et Generoſorum virorum *Inannis* de *Koniecpole* Cancellarii, et *Petri Woda* de *Szczekoczin* Vicecancellarii Regni Poloniae, nobis ſincere dilectorum.

Ad Relationem Magnifici Ioannis de Koniecpole R. P. Cancellarii.

TEMPORE IOHANNIS ALBERTI REGIS POLONIÆ ET ALEXANDRI MAGNI DUDIS LITHUANIÆ BARONES, ET CONSILIARII DUCATUS LITHUANIÆ CONFIRMANT INSCRIPTIONES PER anteceſſores eorum cum regno Poloniæ factas.

Procerum Lithuaniæ confirmatio veteris ſocietatis magni ducatus, adiuncti regno Poloniæ, facta an. 1499.

IN Nomine Domini Amen. Ne geſta aetatis noſtrae tempus et vetuſtas aboleret, inuentum eſt, vt ad memoriam poſteritatis litterarum apicibus, et teſtium annotatione deducantur. Proinde nos Praelati, Barones, Nobiles, et vniuerſitas Terrigenarum magni ducatus Lithuaniæ, videlicet *Albertus* Vilnenſis, *Ioannes* Luceorienſis, *Martinus* Mednicenſis, eccleſiarum Dei gratia epiſcopi, *Nicolaus Radziwiłowicz*, Palatinus Vilnenſis, et magni ducatus Cancellarius, Dux *Alexander Iurgiewicz* de *Holſchani*, caſtellanus Vilnenſis et capitaneus Grodnenſis, *Ioannes Iurgiewicz* de *Zabrzeze* palatinus Trocenſis, ac ſupremus magni ducatus Marſchalcus, *Stanislaus Ianowicz* caſtellanus Trocenſis et capitaneus terrae Samogitarum, *Gregorius Paczowicz* Polocenſis, *Gregorius Oſzczykowicz* Curiae Marſchalcus et in Merec, *Nicolaus Nicolai Radziwiłowicz* Pincerna ducalis, et in Bielſko, *Iacobus Dowoynowicz* Drohicenſis, *Stanislau* [illegible] Lidenſis, *Ioannes Lithaor* Nouogrodenſis, *Stanislaus Michaeli*[illegible] Breſtenſis, *Albertus*

Albertus Ianowicz Vexillifer Caunensis, *Nekrasz Wolotkowicz in Belzyca*, *Petrus Radziwilowicz* Succamerarius et in *Eyxiski*, *Niemira Grzymalicz* Mielnicensis, *Nicolaus Iundylowicz in Lubicza*, *Georgius Montontowicz*, *Alexander Montigordowicz* capitanei, Marschalci, et Tenutarii. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis. Quomodo licet vniones, et foedera, inter hæc dominia, videlicet Regnum Poloniæ et Magnum Ducatum Lithuaniæ, terrasque eisdem subiectas, a temporibus longe retroactis, sub rege Poloniæ Vladislao, alias *Iagello*, et sub magno Duce Lithuaniæ *Alexandro*, alias *Vitoudo* inita, et constituta, hucusque inuiolate seruentur. Postquam vero Serenissimi Principes domini nostri gratiosissimi super ipsa dominia in Regem Poloniæ Serenissimus dominus IOANNES ALBERTUS, in Magnum vero Ducem Lithuaniæ, Serenissimus Dominus ALEXANDER, Domini nostri gratiosissimi, diuina dispositione assumpti sunt, placuit Prælatis, Baronibus, et nobilibus Regni Poloniæ, fratribus nostris, similiterque ipsi nobis iam defacto fecerunt, vt per nostras nouas litteras, et inscriptiones antecessorum nostrorum super huiusmodi foederibus confirmaremus. Quarum quidem litterarum verbum de verbo tenor sequitur, et est talis.

In Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Sator rerum omnium, cuius oculus penetrat vniuersa, & scientia nunquam extinguitur, in rebus humanis, quas caducis momentis constat subiacere, vt memoria earum remaneat, apices litterarum alti consilii prouidentia ordinauit, quarum præsidio, rerum ordinationes, pacta, & tractatus conseruantur. Proinde nos *Monivitus* palatinus Vilnensis, *Iaunis* palatinus Trocensis. *Mingal* Vilnensis, *Sungal* Trocensis, castellani: *Niemir*, *Ostyk*, *Butrym*, *Goliguith*, *Nicolaus Bielim*. *Corejowa*, *Vissygert*, *Petrus Montigerd*, *Nicolaus Tawtigerd*, *Ioannes Gastowdy*, *Wolczko Kulva*, *Bossowdus Iadath Ralo*, *Ioannes Rimowidowicz*, *Ginenth Konczewicz Doxa*, *Nicolaus Byeinar*, *Volsko Kochutowicz*, *Iacobus Mingel*, *Voyssnar Virkolowicz*, *Gregorius Sangaw*, *Saka Naczko*, *Verbunt Monstwild*, *Stanislaus Wyszygin*, *Voyschin Damenkowicz*, *Monstold*, *Andreas de Vkuetowicz*, *Manimunt de Sesnikowic*, *Rodwil*, *Koczanus*, *Miczuch*, *Gerdud*, *Czuppa*, *Woydzilo Koszylowic*, *Koczanus Sukowic*, *Ioannes Eywild*, *Stanislaus Buthowthowic*, *Surgutes de Reszynki*, *&c.* Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, præsentibus & futuris, præsentium notitiam habituris. Quod, quia Serenissimorum principum dominorum, Vladislai Regis Poloniæ &c. *&* *Alexandri*, alias *Vitowdi*, magni Ducis Lithuaniæ, dominorum nostrorum gratiosissimorum concessione, & indulto, arma quibus vti insolitum fuit nobis, contraria consuetudine obsistentes ad insigniendum nominis, nobilitatisque nostræ, titulum, a Baronibus, nobilibus, & Proceribus suis ordine geniture contraxerunt, recipimus, & ad gratias, libertates, & immunitates, priuilegia, & exemptiones, & multa alia beneficia, & prærogatiuas, quæ nobis per dictos dominos gratiosos, *Vladislum* Regem Poloniæ, & *Alexandrum* Magnum Ducem Lithuaniæ munifica sunt concessa largitione, & litterarum patrocinio munita, interuentu ipsorum, & studio promoti extitimus, & prouecti, promiseruntque suis patentibus litteris adhuc, qua poterint diligentia, bonum commodum & profectum status nostri, & honoris vbilibet promouere, & nunquam in aduersitatibus nostris, & necessitatibus nostris, nos deserere, sed semper contra omnium inimicorum nostrorum insidias, & insultus, auxiliis & fauoribus suis prosequi, & iuuare: horum intuitu volentes tot beneficiorum merita compensare, & ipsis dignas vices pro eis impendere, ne disparitatis in nobis aut ingratitudinis contagia, & inæqualitas litterarum cernerentur, vendicares: sed vt semper vnanimis identitas inter nos remaneat, & voluntas animorum sicut idem cultus, & Religio fidei obseruatur, vniuersaliter vniuersi, & singulariter singuli nostris nominibus, ac vice omnium nobilium, Boyaronum, Procerum, &

incolarum terrarum Lithuaniæ bona fide in verbo nostro constanti & fideli, omni dolo, fraude & colore amputatis & remotis promittimus, pollicemur, vouemus, spondemus, & iuramenti nostri ministerio strictius nos obligamus, nunquam præfatos Prælatos, Barones, nobiles, & Proceres Regni, & ipsum Regnum Poloniæ prædictum in omnibus eorum necessitatibus, et aduersitatibus deserere, sed semper ipsis contra omnium inimicorum eorum insidias, et insultus, consilia, auxilia et fauores fideliter ministrare, et nulli lites, bella, aut guerras præter scitum, et voluntatem, et consensum, consilium, et requisitionem ipsorum, et eorum successorum indicere, facere, vel mouere, præfatosque dominos, Vladislaum Regem Poloniæ et Alexandrum, alias *Vitoudum*, Magnum Ducem Lithuaniæ, et eorum successores, Reges Poloniæ et Duces magnos Lithuaniæ, nullis temporibus deserere, quoquomodo, sed semper, ipsis sine dolo et fraude fideliter adhærere omni consilio, auxilio et fauore. Præterea promittimus, prout supra, quod defuncto præfato Domino Vitowdo, magno Duce Lithuaniæ, nunquam eligemus, assumemus, et recipiemus in magnum Ducem Lithuaniæ, vel dominum, nisi quem præfatus dominus Vladislaus rex, si vita potietur longiore, vel eius successores, et Prælati, Barones, nobiles, et Proceres Regni Poloniæ duxerint eligendum, statuendum, vel locandum. Et viceuersa Prælati, Barones, et nobiles Regni Poloniæ, Rege præfato, quod absit, sine liberis, et successoribus legitimis decedente sine scitu et consilio illustris domini Alexandri, alias Vitowdi Magni Ducis Lithuaniæ, si superstes remanserit et nostro, eligere non debebunt. Vt autem corroborationis, et cautelæ vberioris omnia præmissa accipiant firmitatem, fecimus sigillorum nostrorum munimine roborari. Actum in oppido Hrodlo circa flumen Bug, in Parlamento, seu congregatione generali, die secunda mensis Octobris, anno Domini MCCCCXIII.

Proinde nos Praelati, Barones, Proceres, et nobiles magni Ducatus Lithuaniae praefati, praeuidentes, quia vetustate temporum multa in ambiguitatem, veniunt, per quam, ne quid incommodi veniat, dignum censuimus prouidere, volentes igitur, ne articulus de Electione Serenissimorum dominorum nostrorum, tam Regis Poloniae, quam Magni Ducis Lithuaniae, in praeinsertis litteris breuitate verborum contextus, aliquid ambiguitatis in posterum inducat: cupientesque praefatos Praelatos, Barones, et Proceres Regni Poloniae in ipso articulo Electionis pares nobis, vt dictum est, efficere, adiicientes declaramus: quod defuncto Magno Duce Lithuaniae sine scitu et consilio praelatorum, et Baronum, Procerum, et nobilium Regni Poloniae, fratrum nostrorum, ad electionem Magni Ducis noui non procedemus, sed cum ipsis pariter, si vocati tempore congruo venire voluerint, magnum Ducem, et Dominum eligemus. Pariformiter defuncto Rege Poloniae, praefati Praelati et Barones Magni Ducatus Lithuaniae ad electionem noui Regis non procedent, sed pariter cum Prælatis, et Baronibus Magni Ducatus Lithuaniae, si vocati tempore congruo venire voluerint, Regem et Dominum eligent. Quibus, ita vt praemittitur, stantibus, et in posterum obseruandis, de certa scientia omnium aliorum Praelatorum, Baronum, et Procerum et nobilium magni Ducatus Lithuaniae, fratrum nostrorum, inscriptionem, praeinsertam praedecessorum nostrorum suscipimus, ratificamus et confirmamus per praesentes, obligantes se nostris nominibus ac vice omnium Praelatorum, Baronum, Procerum, et nobilium Magni Ducatus Lithuaniae, bona fide in verbo nostro constanti, et fideli, omni dolo, fraude, et colore, remotis, promittimusque, pollicemur ac vouemus, et nostri iuramenti praestiti onere, et ministerio strictius nos obligamus: ipsam praeinsertam inscriptionem, cum reformatione declaratione articuli de Electione Serenissimorum dominorum nostrorum, vt praemittitur, in omnibus suis articulis, clausulis, punctis, et sententiis firmatam

firmatam, tenere, perpetuoque et inuiolabiliter obseruare. Et si quae aliae singulares inscriptiones inter nos, Praelatos et Barones magni Ducatus Lithuaniae ac Praelatos, et Barones Regni Poloniae forent, quae communem vtrinque honestatem laederent, quas antecessores nostri non tenuerint, tales nos quoque non recipiemus, neque tenebimus. Vt autem omnia praemissa perpetuae firmitatis robur obtineant, praesentibus litteris Sigilla nostra subappendi iussimus. Datum Vilnae in Conuentione generali, quarta et vigesima mensis Iulii, in vigilia S. Iacobi Apostoli Anno Domini 1499.

DE CAPTA AC REPETENDA SMOLENSCO
Sigismundi ad Imperatorem fragmentum epistolæ.

Quantum ad res magni ducatus Lithuaniæ attinet, quæ nos plus iusto exercent, ita scire dignetur Maiestas vestra. Arx nostra Smolensko, toties ab hoste nostro, Moschorum Duce armis petita, toties variis artibus, & dolis tentata, cum superioribus annis longe maioribus viribus, maioreque apparatu oppugnaretur: tamen strenue & viriliter se defendebat, in fideque stabilis permansit. Nunc ignoramus, quo facto, nullo insigni oppugnatione concussa, nullo memorabili clade, vel strage accepta, præterea frumento, ceterisque rebus ad victum pertinentibus omnifariam abundans, vanissimis tandem pollicitationibus illecta, scelere, & perfidia quorundam, cum militum mercenariorum, tum primorum eiusdem regionis nobilium, portas hosti aperuit, eique sese tradidit. Nos ea re ita, vt decuit, permoti, & pæne obstupefacti, implorata diuina ope cum gentibus nostris, quas Dei benignitate, & numero, & virtute non contemnendos habemus, illuc proficiscimur. Iamque in procinctu sumus, fretique diuino auxilio, dabimus operam, vt nostra primum vindicemus, & tandem iniurias illatas vlciscamur.

ARTICULUS II.
De Regni Ducatibus ad ferenda onera vniendis.

Quanquam inter Polonos et ceteras gentes, quæ eis vario iure confoederatæ sunt, tot mutua beneficia et necessitudines, quasi quædam sacrosancta vincula intercesserint, et iam ex diuersis quasi populis vnam ciuitatem fecerint, vt participandis aliquibus commodis, vel leuandis communibus oneribus alteras alteris meliore, vel deteriore esse conditione non deceat. Nihilominus præsens rerum facies, et bellorum vis Regno vndiquaque imminentium hortatur, atque exigit, vt omnes Prouinciæ, tametsi suis quælibet iuribus domi censeantur, bello maiore ingruente, communibus viribus hosti eant obuiam: quis enim DEUS sponsor illis erit, vt se saluas et incolumes fore credant, si, quod absit, re male gesta semel a Polonis peccetur in prælio? Annon absimile proditionis fuerit, societatis necessitudinem, vnionis vincula, atque etiam deditionis officium præ se ferre: laborum autem, sumptuum, et periculorum nolle fieri participem? sed vel quasi in portu expectare, quid de pugnantibus Mars constituat: vel saltem quasi cum funda stare post principia, euentum periculi expectando? Quod si etiam illa ipsa vnio non intercesserit, at certe satis iusta causa communibus viribus tuendi Regni esse putatur: naturæ et Reipublicæ consortium: idque interdum fideles Christi, quibus si desit fides erga proximum, frustra etiam nomen eius sine re portant: superstitiose etiam nomine socios, re vera autem alienos sese appellant. Quod si hæc vel illa prouincia hanc, vel illam libertatem prætendat, neque se teneri ad belli onus dicat, omnino hæc libertas quasi Reipublicæ insidiosa tempore rescindenda esse videretur, ne, si tum disceptetur de ea, cum iam esset pro summa rerum confligendum, ad seruitutem

æternam nobis, quod absit, iter aperiat. Si enim Lithuani sponte sua se omnia fere onera tuendi Regni nobiscum diplomatibus suis submiserunt: qua tandem excusatione ipsimet hodie, aliæue gentes vti possunt? quæ vel in solo Polono confœderunt, vel Regno sese addixerunt: quo minus hoc faciant, nemo sanus videt. Adde quod nisi illarum quoque nobilitas gladium pro Republica vibret, suasque copias copiis Regni, tanquam membrum capitis adiungat: de dignitate etiam sua ac officio non mediocriter periclitetur, ac excidat, vt iusta causa dari nequeat, propter quam, vel ciuibus socii vel hæredibus aduenæ, vel emptoribus ex contractu, quæsiti opem ferre non teneantur, sed contra ociosi et securi in laborantes ac bellantes spectare: vanis tamen titulis militiæ turgere, et prærogatiuis Nobilitatis frui debeant. Si enim Palatinus Transyluaniæ tempore suos exercitus Ludouico Regi Hungariæ, iam contra Turcam in acie ad Moaczouium stanti, et dimicanti coniunxisset: fortassis Rege saluo, ac triumphatore, Hungaria etiamnum incolumis staret: quæ non magis potentia hostium, quam inobedientia ciuium nunc discerpta, et in æternam seruitutem, nobis, proh dolor, neque illam iuuantibus, neque delicta nostra illius exemplo emendantibus redacta esse videtur.

REX DUCATUS AD FERENDA ONERA REGNO VNIAT.

SIGISMUNDUS Petricouiæ 1510.

CUm compertum ab omnibus habeatur, quod VIRTUS VNITA FORTIOR, solidiorque esse consueuit ipsa diuisa: promittimus nos operam daturos, vt Magnum Ducatum Lithuaniæ, terrasque Prussiæ, et alias terras in finibus Regni consistentes ad vnionem redigamus. Et quantum possibile factu erit, onera omnibus communia communiter ferenda, simulque monetam æqualem communiter recipiendam imponemus: præsertim cum conuentum vtrisque dominiis præfatis ad hoc perficiendum constituerimus.

SIMILIS.

Idem SIGISMUNDUS Cracouiæ 1539.

Cum variis exemplis docemur, vires in vnum collectas multo plus posse, quam dispersas: et videamus, quod VNITA VIRTUS MULTO FORTIOR est, quam diuisa. Id nos, diligentius animo nobiscum reuoluentes cum videamus Regno nostro maiora nunc et grauiora, quam vnquam antea, pericula impendere, quo facilius ea a nostris, nostrorumque ceruicibus propulsare possemus, omnia nos facturos pollicemur, vt, quibus possimus honestis rationibus, Ducatus nostros Lithuaniæ, Zathoriensem, et Oswiecinensem, atque vna terras nostras Prussiæ eo adducamus: vt quum in Regni nostri periculo suum quoque periculum videant, neque hoc ruere possit, quin illæ quoque terræ eodem labefactatæ motu concidant: omnes suas vires cum Regni viribus coniungant. Quo, si potens hostis vim aliquam nobis inferre conetur, coniunctis ANIMIS ET COPIIS in vnum collectis, facilius eam arcere possimus.

SIMILIS.

Idem SIGISMUNDUS Cracouiæ 1543.

Cum subditi nostri Regni Poloniæ ex Comitiis generalibus ante annum Petricouiæ habitis, tam per nuncios, quam per litteras, nobis tum Vilnæ agentibus, a nobis peterent: vt dominium nostrum Magnus Ducatus Lithuaniæ, cum Regno Poloniae vniretur, tam bello contra communem hostem sustinendo, quam etiam in aliis negotiis et pactis antiquis, vicinae ac fraternitati hinc inde conseruandae causa pernecessariis. Et quamuis cum pro ratione postulationis ipsis respondissemus, attamen cum in praesentibus comitiis Regni consultando de perpetua defensione contra potentes hostes vtriusque dominii nostri tam Regni, quam ipsius Magni Ducatus Lithuaniae, cum Consiliariis nostris, et terrarum

nunciis

nunciis longiorem defensionem Regni, nisi annuam constituere non potuimus praetereaque ad Consiliarios Magni Ducatus nostri Lithuaniae intimauimus, vt illi etiam hoc anno consimilem defensionem, cum Regno nostro Poloniae contra communes hostes in finibus tenerent. Interim autem pollicemur Consiliariis nostris, et nunciis terrarum Regni Poloniae: quia hoc anno subditos nostros Magni Ducatus Lithuaniae adducere volumus, vt consimilem defensionem cum Regno Poloniae contra communem hostem in finibus tenerent. Quod autem ad pacta, seu inscriptiones, et conuentus ipsius Ducatus et Regni communes attinet, in eo nihil certe adhuc facere potuimus. Quandoquidem Consiliarios ipsius Ducatus circa nos non habuimus, attamen hoc responsi Consiliariis nostris, et terrarum nunciis dedimus, quia cum aliquid vtile, dignum et perpetuum in Regno constitueretur: facilius nobis esset apud Consiliarios nostros Magni Ducatus ipsius hoc obtinere, vt illi similiter, causa Reipublicæ suæ et Regni, ad consimiles Constitutiones consentirent: quod cum fiet, pollicemur subditis nostris Regni Poloniae, quia volumus Consiliarios nostri Magni Ducatus Lithuaniae ad hoc ducere, vt illi etiam in omni re, non minus sibi, quam Regno vtili, in bonoque ordine, et Constitutionibus, ac defensione eiidem conformiter conueniant, iuxta pacta, seu inscriptiones ac priuilegia antiqua inter vtraque dominia facta, et recepta.

AN HÆC VNIO SORTITA SIT SUUM EFFECTUM

TERRA DROHICIENSIS IURI POLONICO ADSCRIBITUR.

Sigismundus Vilnæ 1516.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ordinationes Regum et principum pro subditorum commodo quomodo libet factae, vt potissimum firmæ acstabiles essent, tam literarum munimentis, quam testium fide dignorum annotatione perennari consueuerunt. Proinde nos Sigismundus DEI gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Samogitiæque dominus & hæres. Significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis præsentibus & futuris, harum notitiam habituris. Quod licet Nobiles, & Terrigenæ nostri Districtus Drohiciensis de speciali concessione prædecessorum nostrorum huius Magni Ducatus nostri Lithuaniæ Ducum, iure terrestri Polonico, more Nobilium Terrigenarum in regno nostro Poloniæ degentium, gauderent, & vterentur, haberentque desuper literas, & monimenta eorundem prædecessorum nostrorum, videlicet Serenissimorum olim Principum felicis recordationis, Kasimiri genitoris, & Alexandri germani, nostrorum charissimorum Poloniæ Regum, & huius Ducatus Lithuaniæ Ducum, successiue concessa: quia tamen in eisdem litteris seu Priuilegiis coram nobis ad præsens originaliter productis & exhibitis, multa comperimus articulatim superuacanee descripta, quæ in libris statutorum regni nostri Poloniæ specifice, & per expressum continentur, & iuxta nonnulla, quæ in perniciem, iacturam, & oppressionem non modicam eorundem subditorum nostrorum fuere adiecta: hoc idem ius Polonicum eisdem subditis nostris Nobilibus & Terrigenis priuilegiatis, & non priuilegiatis, hoc est, ius habentibus, & non habentibus, Districtus præfati Drohiciensis præsentibus & futuris, eorumque successoribus, coniunctim & diuisim, de certa scientia & gratia, fauoreque speciali Ducatibus nostris, de nouo iterum dandum & conferendum duximus, damusque & conferimus in omnibus punctis, articulis, & conditionibus prout in libris statutorum regni Poloniæ latius continentur, in eodem Districtu nostro tenentes & obseruantes, omnes & singulos articulos iuri prædicto Polonico ac iustitiæ quomodolibet contrarios, & in literis, & priuilegiis præfatis prædecessorum nostrorum prædictorum, vti præfertur, expressos, & specificatos, oppressionem huius-

modi subditorum nostrorum præfatorum in se continent, & in nihilum rediguntur cassanturque & mortificantur ac extinguuntur perpetuo, & in æuum, tenore præsentium mediante. Præter illum articulum, quo mediante præfati prædecessores nostri Officiales, seu Ministeriales vulgo Lithuanico Dzieczkye nuncupatos, contra ipsos Nobiles, & Terrigenas eiusdem Districtus, numquam deinceps fore dandos prohibuerant: quos quidem Officiales proxime expressos, nos quoque dandos esse præsentibus prohibemus quomodolibet in futurum: volentes & districte præcipientes, vt omnes & singuli Officiales terrestres, & Castrenses Districtus prædicti Drohiciensis pro tempore existentes, quilibet eorum pro suo interesse, Nobiles, & terrigenas nostros prædictos ad cuiuscunque instantiam videlicet, tam Nobilis, quam ignobilis, Rutheni, Iudæi, Armeni, Christiani, & Pagani, citatos, ac literis citationum intercisis, non nisi sermone, & characteribus Latinis iuxta consuetudinem iuris terrestris Polonici conficiendis legitime euocatos, pro causis tam paruis, quam magnis, nullis exclusis, secundum hoc idem ius Polonicum, & ordinationes in libris statutorum regni nostri Poloniæ specifice contentas, non aliter, quam nunc & in futurum iudicarent temporibus æuiternis. Et quamuis iure ipso Polonico laudabiliter prouisum sit, vt in singulis terris eiusdem regni nostri homines possessionati, et indigenæ ex incolis cuiuslibet terræ, seorsum, et non extraneæ personæ singulis officiorum terrestrium, et Castrensium in casu vacationis præficiantur in hactenus: pro maiori tamen cautela, et securitate prædictorum subditorum nostrorum Drohiciensium præsenti priuilegio nostro id ipsum singulariter instituimus, et ordinamus, vt in eodem Districtu Drohiciensi huiusmodi Officiales terrestres per liberam electionem indigenarum, et vniuersorum Nobilium conuentionaliter congregatorum, de iure communi regni fieri solitam, ad eadem officia sua toties, quoties per decessum vacatura, non nisi cum ratihabitione nostra ducali, successorumque nostrorum magni Ducatus Lithuaniæ Ducum, Castrenses vero pro arbitrio nostro dumtaxat ex eisdem incolis, et indigenis Districtus prædicti Drohiciensis per nos, et successores nostros Lithuaniæ Duces, dummodo vterque ipsorum Officialium Romanæ religionis essent, deinceps instituerentur, de omnibus et singulis causis subditorum nostrorum prædictorum coram se legitime exortis, motis, et mouendis, statutis a iure temporibus, modo præmisso cogniturі, confirmantur esse. Nihilominus in hoc moribus, et consuetudinibus approbatis, et approbandis, terræ Cracouiensis, tam diu, quoadusque omnes aliæ consuetudines iudiciariæ vniuersarum terrarum regni nostri prædicti per nos, vel successores nostros Poloniæ Reges, aut eos, quorum interesset, inuicem coæquarentur. Casu vero, quo aliquis terrigenarum nostrorum Drohiciensium prædictorum, aut quispiam alius in iudicio terrestri, vel Castrensi Drohiciensi sententiam contra se latam reportauerit: qua mediante crederet sibi quomodolibet præiudicatum iri, ex tunc instituimus & ordinamus, vt in eiusmodi præiudicio liceat vnicuique taliter condemnato, a sententia iudicis, et capitanei nostrorum prædictorum, velut iniqua et erronea, ad nos, et successores nostros Lithuaniæ Duces, cum parte sua aduersa legitime appellare, et coram nobis, successoribusque nostris, cum eadem parte aduersa iustitiam suam experiri meliorem, iudici, et capitaneo illæsis, quietisque propterea manentibus, prout in terris Masouiæ, et præsertim in terra nostra Plocensi teneri, et obseruari est consuetum. De poenis vero iudicialibus per partes victas legitime luitis, ad sortem nostram, et successorum, Officialiumque nostrorum, & etiam partis vincentis, ex vi perlucrorum vel quomodolibet aliter spectantibus per Officiales nostros Castrenses & Terrestres præsentes, & futuros Drohicienses exigendis, ac de Kmetonibus eorundem Terrigenarum nostrorum Drohiciensium, fouentur, manu tenentur. Mellificiis quoque, seu apiasteriis ac iniuriariis, & damnis quomodolibet inde secutis, & iustitia

iuſtitia vicinis, cum ſubditis Nobilium & Terrigenarum pro quacunque re miniſtranda, cuiuſcunque ritus vtrinque aut conditionis eſſent: nec non captiuandis, & non euocandis ad quodcunque iudiciorum noſtrorum eiſdem Terrigenis de proprio eorum Diſtrictu Drohicienſi, pro quibuscunque eorum exceſſibus, totoque proceſſu iudiciario ac inſcriptionibus, & aliis rebus quibuscunque per ſingulos iudices, & capitaneos noſtros Drohicienſes pro tempore exiſtentes, non aliter volumus obſeruari, niſi quemadmodum iure ipſo Polonico iuxta Conſtitutiones prædeceſſorum noſtrorum in toto regno noſtro hactenus teneri, & obſeruari ſolitum eſt, ac conſuetum. Ordinamus etiam ac inſtituimus, vt in ſingulis citationibus literalibus terreſtribus Sigillum terreſtre Diſtrictus Drohicienſis infra depictum equum ſellatum vno homine armato, littera S. ad perpetuam rei memoriam nominis noſtri præcincto, in ſe continens, applicaretur, ſubimprimereturque toties, quoties fuerit opportunum. Quod quidem Sigillum ſupra deſcriptum præſenti priuilegio noſtro ipſi Diſtrictui Drohicienſi & incolis eius pro tempore exiſtentibus, quoad præfatam neceſſitatem iudiciariam, ac pro armis terreſtribus Drohicienſibus de noſtræ celſitudinis clementia tribuendum, concedendumque duximus, prout tribuimus, & concedimus, perpetuis temporibus, per eos, quorum intereſt, obſeruandum. Vt itaque præmiſſa omnia per nos conceſſa robur obtineant perpetuæ firmitatis, præſentes literas noſtras ſcribi, Sigillique noſtri magni Ducatus Lithuaniæ iuſſimus, & fecimus appenſione communiri. Actum & datum Vilnæ, die dominico Lætare, Anno Domini MDXVI. præſentibus ibidem Reuerendo in Chriſto patre domino *Alberto* epiſcopo, ac magnificis, & generoſis *Nicolao Radzwilowicz* palatino Vilnenſi & Cancellario, *Gregorio Oſſczykowicz* Trocenſi & Mareſchalco curiæ, *Alberto*, *Gaſtold* Polocanenſi, *Ioanne Zabrzeziński* Nouogrodenſi, Palatinis. *Andrea Dowonowicz* Succamerario, *Georgio Hlinicz* Capitaneo Brzeſtenſi, *Ioanne Sczytowicz*, *Nicolao Iundylowicz*, *& Ioanne Hlebowicz* Mareſchalcis: cæterisque Dignitariis, & Officialibus curiæ noſtræ, circa præmiſſa teſtibus fide dignis, ſincere nobis, & fidelibus noſtris dilectis. Datum per manus præfati magnifici *Nicolai Radziwilowicz* Palatini Vilnenſis & magni Ducatus Cancellarii ſincere nobis dilecti. Sigismundus Rex ſignificat.

Relatio eiusdem magnifici Nicolai Radziwilowicz Palatini Vilnenſis & Magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarii.

ITEM BIELSCENSIS DISTRICTUS IURI POLONICO ADSCRIBITUR.

Sigismundus Auguſtus Vilnæ 1547.

IN Nomine Domini Amen. Ad æternam rei memoriam. SIGISMUNDUS AUGUSTUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, totiusque Pruſſiæ, Samogitiæ, Maſouiæ, &c. Dominus, et hæres. Significamus tenore præſentium, quibus expedit, vniuerſis, præſentibus et futuris harum notitiam habituris. Quia cum in hoc conuentu generali ex clementia noſtra ſingulari ad petitiones, ſupplicationesque vniuerſorum Ordinum, magni huius Ducatus noſtri, priuilegia omnia et ſingula a maioribus noſtris habita, omnium hominum incolarum eiusdem approbauerimus, id quod ex literis, ſeu diplomate noſtro, ſuper iis per nos illis dato et conceſſo, videre eſt. Tamen cum eſſet nobis ſpecialiter ſupplicatum nomine vniuerſæ nobilitatis terræ Bielſcenſis et territorii eius per quosdam e medio eorum, videlicet *Ioannem Myenſki*, *& Martinum Wyſzenſki Iulbrzyk* huc ad præſentem conuentum miſſos. Quia quamuis habeant priuilegium ex conceſſione Sereniſſimi olim Alexandri Regis Poloniæ, et magni Ducis huius Ducatus noſtri Lithuaniæ, patrui noſtri deſideratiſſimi, quibus illis permiſſum fuerat, vt conſuetudinibus, et iure Polonico vterentur, et gauderent, prout et hactenus

vsi sunt, et gaudebant. Sed quia in eiusmodi priuilegio essent quaedam, quae a iure, legibus, et consuetudinibus Polonicis discrepant, et diuersa sunt, quare summo studio a nobis orauerunt, vt sublatis exceptionibus eiusmodi omnibus, quæ a iure, legibus, et consuetudinibus iuris Polonici, quo ipsi sic vtuntur, discreparent, et disconuenirent, potius illis permitteremus, vt in vniuersum, et vt dicitur, totaliter, et plene consuetudinibus, et iuribus Polonicis vterentur ipsi, et eorum posteri perpetuo. Quorum nos supplicationibus clementer annuentes, et inhærentes maiorum nostrorum magnorum Ducum Lithuaniæ vestigiis, volentesque eosdem obligatiores, et alacriores ad optime de nobis, et Reipublicae huius magni Ducatus nostri Lithuaniæ bene merendum facere. Cum vniuerso Senatu nostro decernimus, vt deinceps semper perpetuis temporibus vniuersa Nobilitas et incolæ terræ Bielscensis et eius territoriorum, seu Districtuum omnium gaudeant, et vtantur iuribus, legibus, et consuetudinibus Polonicis, perinde atque Nobilitas terræ, seu Districtus Drohiciensis ex speciali concessione maiorum, seu praedecessorum nostrorum felicis memoriæ magnorum Ducum Lithuaniæ ex prærogatiuis ipsis datis, concessis, et legitime emanatis, quas et hic volumus habere pro expressis, hactenus vtitur, et gaudet. Decernentes insuper omnes alios quoscunque abusus isthinc contra leges, constitutiones, et iura Polonica hactenus existentes, et siue ex priuilegiis aut consuetudine, seu potius desuetudine aliqua, aut improbitate etiam aliquorum Officialium, aut cuiusvis magistratus, siue quacunque alia ratione exceptos, specificatos, vel reseruatos, et introductos, esse tollendos, et abrogandos, prout eosdem et per præsentes tollimus, et abrogamus perpetuo. Volentesque deinceps semper futuris perpetuis temporibus vniuersos et singulos Dignitarios, seu Officiales terrestres, et castrenses et alios quosuis præsentes, et futuros iam constitutos, et in posterum constituendos, non aliter se debere, nec posse gerere erga illorum territoriorum incolas, quam secundum praescriptum iurium, legum, et consuetudinum Polonicalium praesentium, et futurorum, quibus Districtus Drohiciensis gaudet. Alioqui si quid in contrarium fuerit in præmissis per quempiam hominum attentatum, id decernimus nullum et inualidum, eiusque modi attentatores, poenis seu mulctis in iuribus Polonicis constitutis, et contentis, puniendos et mulctandos semper perpetuo. In quorum omnium fidem, et testimonium præmissorum, sigillum nostrum est appensum. Datum Vilnæ in conuentione generali, die vigesima tertia mensis Februarii, Anno Domini MDXLVII. præsentibus Reuerendis in Christo patribus, et magnificis dominis strenuis ac generosis militibus, *Paulo* Vilnensi, *Georgio* Luceoriensi, *Venceslao* Mednicensi, episcopis. *Ioanne Hlebowic* palatino Vilnensi cancellarioque nostro, et tenutario in Bobroysko, et Boryssow, *Gregorio Ossczykowic* castellano Vilnensi, tenutario Vpitensi, *Ioanne Iuriowicz* duce Dubrouicensi palatino Trocensi, tenutario Mohilouiensi, *Hieronymo Chodkiewicz*, castellano Trocensi, capitaneo Samogitiensi, *Nicolao Ioannis Radziwill* Mareschalco terrestri, tenutario Szawlensi, *Stanislao Dowoyno* Polocensi, *Alexandro Chodkiewicz* Nouogrodensi, *Stanislao Petri Kiszka de Czechonowiecz* Vitebscensi palatinis. *Andrea Sanguskowicz Duce de Kossyr* capitaneo Luceoriensi, *Iuano Harnostay* Mareschalco curiæ, et thesaurario terrestri, praefecto Slonimensi, *Nicolao Georgii Radziwill* pocillatore, *Ioanne Ioannis Radziwill* structore mensæ, *Stanislao Nicolai Kyczgal* dapifero, *Gregorio Chodkiewicz* succamerario, *Nicolao Petri Olechnowicz* gladifero, *Nicolao Andrussowicz* praefecto equisonum nostrorum, tenutario Ozensi, et Perelomensi, *Nicodemo Ioannis a Czechanowiecz* Melnicensi, *Nicolao Alberti Narbuth* Kreuensi et Mozirensi praefectis, Mareschalcis, aliisque Officialibus, Dignitariis, ac consiliariis nostris fidelibus nobis sincere dilectis.

Similiter Districtus Mielnicensis Regno Poloniae incorporatus est: eius tamen priuilegii copiam habere non potui.

ARTICULUS

ARTICULUS III.

Lithuaniam a Masouia Commissarii dislimitent.

PRouidentes difficultatibus, et grauaminibus subditorum nostrorum Regni, et Magni Ducatus Lithuaniæ, quæ occasione granicierum inter eadem dominia, et Masouiam, tum inter Magnum Ducatum, et Regnum sæpe contingunt, volumus, et decernimus, vt quoties opus fuerit, per nos Commissarii deputentur, et mittantur nostris expensis prouidendi, ad faciendas easdem granicies, et iniurias componendas, occasione illarum, hinc inde exortas, quatenus absque querentium onere iustitia eis ministretur.

Sigismundus Cracouiæ 1510.

DE EODEM

Dietæ, et iudicia antiqua inter Ducatus Lithuaniæ, Prussiæ, et Masouiæ in locis solitis pro omnibus iniuriis subditorum ex vtraque parte fieri debent de cetero, et innouari, iuxta antiquam consuetudinem, et processus terrestres.

CAPITULUM II.

De Ducatu & terris Russiæ.

ET vetustis Polonorum annalibus, et linguæ similitudine docemur, Lechi à quo Poloni, et Czechi, a quo Bohemi ducunt originem, fratres fuisse Russum, a quo Russia, et Prussum, a quo Prussia sunt appellatæ. Tametsi ergo vtraque Prouincia, partim stirpe propriorum Ducum deficiente, partim eorum posteris, iure belli subactis, ad corpus Regni Poloniæ pertineat, ipsa tamen Russia non minus cum WLADIS. IAGELLONE & ALEXANDRO Vitowdo vltimis fere Ducibus Lithuaniæ atque suis spontanea ad Regnum accessione, regum Poloniæ hæreditaria, ac propria esse videtur. Atque ob id ita præ ceteris ciuitatem Polonam accepit, eique coaluit, et est vnita, vt magis nomine, quam re ipsa a Polonis in communicatione ciuitatis, et vsu iuris distinguatur. Qua de re constitutiones Regni ex illorum consensu confectæ videantur. Nam linguam, scripturam, ac religionem ad Archetypum Græcorum adhuc retinent, cum nostri maiores, hæc aboriginum communium munimenta hæreditaria deferentes, Latinos potius in his omnibus sunt secuti. Nostræ autem et Ruthenicæ gentis ad Christum conuersio fere in ea tempora incidit, quibus vniuersalis ecclesia quatuor orbis terrarum partibus definita, ob calicem sacrati cruoris, et vxorem Sacerdotis (quæ duo Græci secundum præceptum Domini, et Apostoli etiamnum retinent) temeritate Patriarcharum, est, proh dolor, diuulsa, atque perniciosissimo exemplo diuisa.

ARTICULUS I.

Russia vno Iure cum Regno Poloniæ gaudeat.

ITem pollicemur, quod omnes terras nostras Regni Poloniæ etiam terram Russiæ includendo (saluis tamen auenæ contributionibus, de quibus nobis ad tempora vitæ nostræ sola Russia respondebit) ad vnum ius, et vnam legem communem omnibus terris reducemus, reducimusque, adunamus, et vnimus, tenore præsentium mediante.

Vladislaus Iagello Cracouiæ 1433.

RUSSIA OMNIBUS REGNI LIBERTATIBUS FRUATUR.

AD supplicationem terrarum Russiæ volumus, et decernimus, vt de omnibus fugitiuis Statutum Regis Alberti obseruetur: et quod Nobilitas illarum terrarum, sicut in aliis terris Regni a solutione teloneorum, et foralium sit libera, atque exempta, et in aliis eadem gaudeat libertate.

Sigismundus I. Cracouiæ 1507

Alia ergo omnia Statuta Regni incolis seruientia, Russiæ quoque municipibus seruiunt, quæ suis locis videantur.

NUSQUAM NISI IN RUSSIA PIXIDES DEFERANTUR

Sigismundus I. Brestæ Cuiauiæ 1519.

NEmo deinceps tempore pacis, siue eques, siue pedes, pixides breues, quas Ruśnice vocant, deferre audeat: ab hac tamen Constitutione terras Russiæ liberas esse volumus, quæ parata arma contra insultus hostium habere semper solent, et debent.

TERRA BELZENSIS REGNO ADSCRIBITUR.

Casimirus III. Brzesciæ 1462.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam acta mundi auita subito detergeret obliuio, nisi ea litterarum soliditas, et testium adnotatio memoriæ commendaret æuiternæ. Proinde nos KAZIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ Lanciciæ, Cuiauiæ, Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque: nec non Culmensis, Elbingensis, Kunigsbergensis et Pomeraniæ hæres, et Dominus. Significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis et singulis, præsentibus et futuris, horum notitiam habituris. Quomodo recensentes, et in animis reuoluentes: quanta puritatis affectione, et fidei integræ constantia, Barones, Milites, Nobiles, Terrigenæ, & Proceres terræ Belzensis sincere, grate, et fideles nostri dilecti, personam et Regnum Maiestatis nostræ venerati sunt, ad nos tanquam Dominum naturalem, hæredem, verum et legitimum, ac indubitatum successorem suum, et ad Coronam Regni nostri Poloniæ, a qua transactis temporibus exciderant, viceuersa redierunt, et accesserunt, seque Regno, et Coronæ, tanquam pars suo toti, inuiscerauerunt, vniuerunt, incorporauerunt, et appropriauerunt. Quæ quidem terra Belzensis iusto titulo, iure legitimo hæreditario, et succedaneo, nos et nullum alium contingebat, atque contingit, et concernit. Horum itaque Terrigenarum Belzensium fidelitatis constantia, zelo dilectionis, maturitate consilii, et sagaci prouidentia, Regali consideratione merito digestis et reuolutis, ac debite pensatis, et intuentes ad eorum statum, honorem, commodum, salubremque profectum, pio et sincero mentis affectu: quemadmodum ex assumptæ dignitatis nostræ debito tenemur, et pro officio solicite aspirantes, ipsos in nostram, et successorum nostrorum manutuitionem, et protectionem Regni et Coronæ reassumpsimus, incorporauimus, appropriauimus, et vniuimus, tenoreque præsentium reassumimus, incorporamus, annectimus, appropriamus, et vnimus perpetuo, et in æuum. Promittentes ipsos, et eorum quemlibet in omnibus ipsorum iuribus, libertatibus, immunitatibus, gratiis, prærogatiuis, dignitatibus, honoribus, et officiis tenere, et obseruare. Inprimis itaque pro prædicta eorum fideli, et iusta adhæsione, et subiectione iure defendere, agere, manutenere, et eos euincere, contra quamcunque personam cuiuscunque dignitatis Imperialis, Regalis, aut Ducalis fuerit, aut cuiuscunque status, conditionis et præeminentiæ extiterit, dum per quempiam vexarentur, seu impeterentur, quo modo pro ipsorum huiusmodi adhæsione, similiter ab insultibus, violentiis, bellis et aliis molestiis quibuslibet protegere, defensare, tueri, et realiter ac effectiue opponere, intercedere, et liberare. ITEM terram nostram Belzensem cum ipsius Districtibus Lubacouiensi, Lopaczyensi, Schewloziensi, Grabouiecensi, et Hrodlensi, saluam et integram, prout fuit, et in hactenus est conseruata, suis limitibus, metis et terminis dudum tentis, obseruabimus, tenereque et obseruare volumus, nullos districtus, aut Villas ab eadem remouentes, alienantes, seu diminuentes. Item omnibus personis, tam ecclesiasticis, quam Sæcularibus ciuitatum, et oppidanis Priuilegia ipsorum per antecessores nostros Reges et Duces data et concessa iusta, legitima, et sufficientia

entia rite, et rationabiliter emanata, ac in nulla sui parte viciata seu suspecta confirmamus, ratificamus et approbamus per praesentes. Vbi vero aliquibus personis forent per voraginem ignis absumpta, seu casu infortunii amissa, et de hoc persufficiens testimonium probatum fuerit, praemissa innouare, atque dare volumus, et spondemus. Item ex quo ex obligatione, et inscriptione pecuniarum capitaneis in aliqua terra inscriptarum saepius indigenae eiusdem terrae variis grauantur modis, oppressionibusque, et molestiis afficiuntur: pollicemur, quo praefatam terram Belzensem in pecuniis nullipiam obligabimus, aut inscribemus vllo vnquam tempore. Quod si per obliuionem, aut alium casum quemcunque, nos inscribere contingeret, talem inscriptionem praesentibus ex nunc, prout ex tunc cassamus, annullamus, ac nullius roboris esse, et fieri, decernimus per praesentes. Item nullum extraneum, cuiuscunque conditionis existat, in capitaneum terrae Belzensis praeficere, et praeferre debebimus, nisi Terrigenam eiusdem terrae possessionatum. Item volumus omnimode dignitates, honores, officia, in terra Belzensi consistentes, et consistentia aequo modo circa iura et consuetudines ipsorum, quae et quas temporibus praedecessorum nostrorum Regum, et etiam Ducum obtinebant, conseruare in eodem numero, et permanere. Quas quidem dignitates, et officia, dum vacare contigerit, nulli extraneo, nisi indigenae bene conseruato illius terrae, in qua dignitas aut officium vacauerit, dabimus, et conferemus. Item quod nulli terrigenae de terra Belzensi et ipsius Districtibus ad alias terras seu Districtus euocentur, sed penitus iuxta consuetudinem aliarum terrarum Regni nostri iuribus ipsorum, et libertatibus vtantur, et gaudeant. Item conuentiones, colloquia generalia, termini particulares, et iudicia iuxta ritum, et consuetudinem in talibus dudum tentam et obseruatam in terra praefata, quemadmodum in aliis terris Regni nostri debent habere progressum, et processum. Item nullus terrigena possessionatus per nos, aut capitaneos nostros, nisi iure conuictus captiuetur, iuxta Priuilegia aliarum Regni nostri terrarum, et consuetudines. Item omnes et singuli Kmetones Spiritualium et Saecularium personarum in dicta terra consistentium, de quolibet laneo possesso pro festo Sancti Martini singulis annis exactionem, alias *podymne* per duos grossos monetae et numeri communiter in Regno currentis, nobis et successoribus nostris dabunt, et exoluent, more terrae Leopoliensis et aliarum Regni nostri terrarum alias autem collectas, et exactiones in Regno nostro insolitas, et inconsuetas, etiamsi tempore Ducum huiusmodi fuissent in frumentis, bladis, aut auena, vel pecuniis exactae, vel solutae, de nostra Regia benignitate cassamus, et annullamus. Item cuilibet Terrigenae nostro limites, et granicies cum bonis nostris Regalibus habere petenti dare tenebimur, ipsas a signis metallibus, et scopulis consuetis distinguendas volumus, iuxta modum aliarum terrarum in Regno obseruatum. Item quandocunque terra nostra Leopoliensis ad bellicam expeditionem se mouerit, aut necessitate incumbente eandem procurauerit, praefata etiam terra nostra Belzensis, seu nobiles et terrigenae eiusdem cum ipsis Leopoliensibus, quotiescunque fuerit necesse, tenebuntur et debebunt, ac omnino sunt obligati pariter et astricti proficisci, bellicose et transire, et non alias, eo tamen iure et modo, quo terra Leopoliensis ad expeditiones se mouere consueuit, et solita est. Animaduertendum autem praefatos nobiles, terrigenas et Proceres, ad nos tanquam ad Dominum et haeredem ipsorum legitimum affectum habere specialem, horum praetextu, volentes ipsos fauore nostro speciali prosequi, et eorum Kmetones quos libet, praefatam terram Belzensem inhabitantes ab omnibus et singulis exactionibus, angariis, praeangariis, castrorum aedificiis, et pontium laboribus, et reparationibus, eximimus, absoluimus, ac liberos et absolutos facimus perpetuo, secundum morem aliarum Regni nostri terrarum. Praeterea generaliter et singulariter

omnes alios articulos, libertates et iura aliis terris Regni nostri data, et concessa, et praesertim terrae nostrae Leopoliensi, si quae hic omissa forent, pro insertis habere volumus, et habemus. Eademque extendimus et referimus ad terram Belzensem. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum praesentibus est appensum Actum in Brzesczye, feria tertia festorum solennis Paschae. Anno Domini MCCCCLXII. Praesentibus Reuerendo patre Domino Ioanne de Brzezye iuris vtriusque doctore, electo ecclesiae Cracouiensis et Regni Poloniae Vicecancellario, nec non magnificis et generosis, *Petro de Opporow* Lanciciensi, *Nicolao de Koszyelec* Brzestensi palatinis. *Iacobo de Dambno* Regni Poloniae Vicethesaurario, *Nicolao de Borzyssowicze* Zavichostensi, *Sbigneo Bank de Gora* Malogostiensi, castellanis. *Nicolao Spoth de Vola* Sandomiriensi, *Ianussio Koluczski* Iuniuladislauiensi, Vexilliferis. *Ioanne de Ostrorog* iuris doctore, *Nicolao de Brudzyewo* Subpincerna Calissiensi, et capitaneo Brestensi, *Iaroslao Brzozoglowy* Subiudice Iuniuladislauiensi, *Stanislao Marschalcowicz de Brzezye*, & *Ioanne Synowiecz de Zandowicze* Curiensibus nostris, et aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa. Datum per manus eiusdem Reuerendissimi patris domini *Ioannis de Brzezie* Electi ecclesiae Cracouiensis, Regni Poloniae Vicecancellarii, sincere nobis dilecti.

Ad Relationem eiusdem Reuerendissimi patris domini Ioannis de Brzezie iuris vtriusque doctoris electi ecclesiæ Cracouiensis R. P. Vicecancellarii.

CAPITULUM III.

De terris, & Ducatu Prussiæ.

QUanquam vero Prussum (a quo Prussiam dici legimus) Lechi auctoris nostrae gentis fratrem fuisse, & eas prouincias ita inter sese diuisisse, nihil dubitemus: non minore tamen argumento Prussiam Iuris Polonici semper extitisse; inde apparet, quod longe post Lechi, et post Gracci familiam extinctam, interregnumque Palatinorum, Lesko tertius Dux, et Monarcha Poloniae, ante Piasti etiam tempora viginti & vni filiis suis terras maritimas, nempe Rugiam, Cassubiam, Pomeraniam, Holsatiam, Sgorzelitiam, iam Brandenburgum, Miedzyboben, quæ nunc est Meindeburgum, Limam, nunc Lymburgum, Bukowiecz, alias Lubecum, Lukow nunc Meckelburgum, & Prussiam est partitus. Quod quidem & alii omnes Reges Polonorum, et sæpe, & libere fecerunt, vsque ad tempus, quo Marianis militibus, ex Hispaniis pulsis, ius vtendæ illius prouinciæ dederunt, vt fideliter, contra infideles eis suppetias ferrent. Tametsi autem coelum, & solum illi boni cruciferi verterint, ingenium tamen & fidem mutare non poterant: namque pro hostibus hospites, pro externis dominos suos omni genere doli atque fraudis impetere non desierunt: quoad Reges Poloniæ perfidiosum illud genus militum, cum secus nulla ratione reuocari ad officium superbi, in fideque constabiliri perfidi potuerunt (vt Hercules Anteum) multis cladibus attritos, ferro tandem sustulerunt, & ius suum antiquum ac hæreditarium in Prussia, abolita nefaria religione, recuperarunt. Et tamen ne D. Sigismudus non æque pius parcendo subiectis, ac fortis debellando superbos videretur ex conditionibus pacis sponte sua partem ipsius prouinciæ, Illustri Principi, ac fortissimo viro domino Alberto Marchioni Brandenburgensi, ex sorore nepoti suo, in feudum concessit, simulque pro infelicis religionis titulis, Ducis titulo eundem feliciter insigniuit. Et quoniam feudum, seu beneficiarium fundum certis cum solennitatibus conferri paulo ante dixi, & solere dari vidimus: ea quæ de hoc genere cæremoniarum in commentariis Cancellariæ Regiæ tradita reperi, huc, vti arbitror, non intempestiue, adiicienda esse putaui.

MOS

MOS PRÆSTANDI HOMAGII REGI POLONIÆ.

CUm aliquis Princeps Regi præstiturus est homagia, Rex coronatus in solio suæ Maiestatis residere, et ad latus suum habere Prælatos, et Barones, consilii Regni sui debet: ad quem Princeps præstiturus homagia cum suis Baronibus, et homagialibus, et vasallis, banderium habens in manibus ad sedem solii regalis venire, et procedere debet eques. Et descendens iuxta solium ex equo suo, atque cum reuerentia ad Regem, coronamque senatus eius accedendo, ista verba in hunc modum proferre, vel saltem in hanc sententiam dicere tenetur: SERENISSIME REX, Ego Serenitati vestræ homagium facio, et præsto cum omnibus terris et hominibus nostris, et peto tuitionem Serenitatis vestræ, et circa iura, et in iure meo ducali, et dignitatibus conseruari. Post hæc autem sic tacto signo crucis iurare astringitur: CLEMENTISSIME REX, Ego homagium praesto, et promitto sine dolo, et fraude, vestræ Serenitati et Coronæ Regni Poloniæ, cum omnibus terris et hominibus nostris fidelitatem, et esse fidelis, etc. sic me DEus adiuuet, et hæc sancta Christi crux. Quo facto, Rex ipsum accipere in suum tuitionem, et ista verba ad praestantem homagium dicere debet: Nos accipimus in nostram protectionem, et circa omnes dignitates, et circa omnia iura Ducatus tui, tanquam principem nostrum, relinquimus; ac postea, osculetur eum et recipiat Rex de manibus principis banderium, et illud frangatur, et proiiciatur extra sedem. Omnes autem vasalli et homagiales principis homagia facientes, debent etiam post eum transire, vsque ad sedem solii regalis, portantes singuli in manibus vexilla parua, seu minora, et eadem etiam, iuramento praestito, post vexillum principis proiectum, ad terram proiicere debent. Itaque Banderium principis præcedere, Vasallorum vero sequi ipsum debet. Post hoc autem Rex debet recipere a principe recognitionem facti homagii litteralem, sub sigillo ducali.

PAX ET CONCORDIA INTER VLADISLAUM, REGEM POLONIÆ ET CONRADUM DE IUNGINGEN, MAGISTRUM PRUSSIÆ, RATIONE FINIUM REGUNDORUM.

IN nomine Sanctæ & Indiuiduæ Trinitatis, Amen. Frater Conradus de Iungingen, magister generalis Ordinis Beatæ MARIÆ, hospitalis Ierosolymitani de domo Teutonica: vniuersis praesentibus & futuris, præsentium notitiam habituris, Salutem, & rei gestæ ad perpetuam memoriam cognoscere veritatem. Cum auctor pacis, ad vnitatis & pacis spiritum, suis rigorosis mandatis quotidie nos inuitet, dignum arbitramur, vt inueteratæ displicentiæ, guerræ, & offensæ contra Serenissimum Principem & dominum, dominum VLADISLAUM Regem Poloniæ, supremum Ducem Lithuaniæ, & hæredem Russiæ: suosque progenitores, quo ad terras Lithuaniæ, & Russiæ, per nos, nostrum quoque ordinem, intuitu orthodoxae fidei, diutius exagitatæ, in pacem perpetuam, remissionem, & concordiam committantur. Hinc est, quod nos de expresso consensu compraeceptorum nostrorum, cum dicto Serenissimo domino Vladislao, anno, die, & loco infra scriptis, certum terminum placitorum concorditer celebrauimus: super pace inter nos & terras ordinis nostri ex vna: & supra dictum dominum Regem, et terras suas, videlicet, Lithuaniam, et Russiam, parte ab altera: facienda perpetuo et firmanda, variis praemissis tractatibus, tandem (vt sequitur) concordauimus in hunc modum. Inprimis promisimus, et praesentibus bona fide promittimus, quod ex nunc, et in antea tenebimus pacem inuiolabilem, et concordiam cum supradicto magnifico domino Serenissimo VLADISLAO Rege Poloniæ, suis catholicis hæredibus, et successoribus, ac Praelatis et ecclesiis, omnibus quoque terris suis per Lithuaniam et Russiam, terrarumque incolis perpetuis temporibus obseruare.

uare. Nec vnquam volumus et debebimus aliquam ligam inire, aut facere, contra dictum Vladislaum, suos quoque catholicos successores terrarum Lithuaniæ, et Russiæ, cum dominis, aut aliis hominibus, et rancore quolibet postposito: omnes et singulas iniurias nobis, et nostris per se, vel per alios quomodolibet illatas, remittimus penitus, et offensas. Insuper limites, et terminos inter nostras, et dicti domini Regis terras: videlicet, Lithuaniae, et Russiæ, distingui fecimus, et modis distinguimus infra scriptis. Inprimis incipiendo in quadam insula, Sawin dicta vulgariter, sita in fluuio dicto Memla, habente in se insulam Romewider. Quæ quidem insula tota apud ordinem permanebit temporibus affuturis: ab hinc directe progrediendo ad fluuium dictum Noruesse, in decliuio seu villa continua, sub silua dicta *Heyligenwalt*. Abhinc dictum fluuium sequendo in mediis fluctibus, vsque ad *Vyswilten*, ascendendo abhinc linealiter et directe eundo ad quendam lapidem magnum, dictum *Roda*, iacentem in fluuio dicto A. et Roda vulgariter nuncupatum, ab isto lapide, ascendendo super stagnum dictum *Sinarden*, abhinc directe eundo, vsque ad viam vulgariter nuncupatam: *Der Brengelische weg*: abhinc directe vsque in *Nowenrithen*: abhinc linealiter procedendo versus finem, seu aciem mericae, dictae vulgariter *Heyde*, ad locum, vbi fons oritur: a dicto fontis ortu procedendo, per directum in solitudinem quandam, communiter *Viltnisse* dictam: vbi fluuius *Eglosse*, ortum habet, abhinc directe eundo, per medium dictae solitudinis, vsque ad terminos et gades illorum, de Ploschkow: et hi omnes termini siti sunt versus Liuoniam. Ascendendo vero versus Prussiam, termini subscripti, per dictum ordinem perpetuo, sine quolibet contradictionis obstaculo habebuntur, incipiendo a supradicta insula Sawin, in directum procedendo, vsque ad fluuium dictum *Suppe*, abhinc procedendo ad locum ortus sui: abhinc progrediendo vsque ad fluuium, qui effluit a lacu dicto *Mothensee*, et dicitur communiter *Methensli*: abhinc per descensum fluuii vsque ad fluuium dictum *Beber*: deinde dictum fluuium sequendo vsque in milliare, prope fluuium, qui *Nare* dicitur, et abhinc directe eundo, vsque in dictum fluuium Nare. Ceterum pro nobis, nostro ordine, omnibus nostris successoribus, renuntiamus omni impetitione, et iure, quae in praedictis domini Regis Vladislai terris, videlicet Lithuaniae, et Russiae sitis, terminos superius expressos versus dictas terras, habuimus, vel habere videbamur: insuper terrae, et dominia de magno *Nowohroden*, qualitercunque siue per nos, nostrum ordinem, aut supradictum Serenissimum dominum Vladislaum, aut per suos coniunctim, et diuisim acquisitae fuerint, vel alias qualitercunque ad nostrum ordinem deuenerint, easdem ac eadem dictus Dnus Rex obtinebit: nec vnquam bona fide, quo minus easdem detineat, impediemus: Praeterea volumus, quod homines saepe dicti domini Regis, et suorum successorum in terris Lithuaniae, et Russiae constituti, in omnibus terris ordinis mercari, et negotiari libere valeant: absque teloneis, aliisque exactionibus, quos etiam defendere tenebimur, sicuti nostros, saluis tamen teloneis, ab olim institutis, ac quibuslibet edictis nostris editis, et edendis in terris ordinis, quibus nostri arctantur, et dicti domini Regis, suorumque successorum homines per Lithuaniam et Russiam sunt arctati. Item ordine nostro in expeditione communi cum praenominato domino Rege, et suis successoribus: et ipsorum hominibus per Russiam, et Lithuaniam, existente, quotquot ipsi captiuauerint, suos habeant, vt captiuos. Excessus quoque per dicti domini Regis, successorumque suorum homines in praedictis terris, qualitercumque commissos, capitaneus exercitus eorundem, eosdem libere iudicabit. Excessus vero communes per vtriusque exercitus homines commissos, capitanei vtriusque exercitus, simul & communiter iudicabunt. Nullos insuper armigeros, dominos, milites, vasallos, vel alterius cuiuscunque generis homines, etiamsi Christi fideles fuerint: in damnum seu praeiudicium, dicti magnifici

magnifici domini Vladislai, aut suorum vnquam per terras nostras scienter ire permittemus: sed impediemus et prohibebimus iuxta posse. Denique omnes proscriptos, seu bannitos, de supradictis terris., praefati domini Regis, non recipiemus ad terras nostras: maxime qui in sui vindictam, homicidia, vel incendia, eiusdem domini Regis, vel suorum successorum hominibus in praemissis terris Lithuaniae comminantur, et Russiae. Praeterea per terras dicti domini Regis, suorumque successorum Catholicorum, videlicet Lithuaniae et Russiae, contra quoscunque nunquam traducemus exercitum, aut traducere per quemcunque faciemus, nisi expresse fuerit de voluntate dicti domini Regis, suorumque successorum: qua obtenta damnum nequaquam ipsis, ac ipsorum hominibus inferemus. Praeterea promittimus, quod nullos fratres, et consanguineos ipsius domini Regis fugitiuos, seu alios quoscunque erroneos, per quos dominus Rex, et Regnum Poloniae ac terrae Lithuaniae et Russiae possent molestari, durante pace, debebimus ad terras nostras recipere vel fouere. Omnia vero singula praemissa, in articulis praemissis, et eorum quolibet contenta, bona fide promittimus, pro nobis, totoque ordine nostro firmiter ac inviolabiliter obseruare: nec vnquam contraueniemus, aut contrauenire procurabimus per quoscunque, arte, ratione, ingenio, de iure, vel de facto: consilio, vel auxilio, publice vel occulte. In quorum omnium euidens testimonium, et fidem, de et super omnibus praemissis, praesentes litteras nostri maioris sigilli munimine mandauimus communiri. Datum in fluuio dicta Visla, prope castrum Raczyansz dioecesis Vladislauiensis, feria quinta proxima ante festum S. Trinitatis, anno MCCCC. IV. Harum rerum testes sunt, Reuerendi in Christo patres, et domini, dominus *Arnoldus* episcopus Culmensis, et dominus *Ioannes* episcopus Pomezaniensis, ac honorabiles, et religiosi viri fratres, ordo, et commendatores.

PAX, ET CONCORDIA PER VLADISLAUM IAGELLONIS, TUNC POLONIAE ET POSTEA HUNGARIAE REGEM IN BRZESCYE CUIAVIAE FACTA, CUM PAULO DE RUSDORF MAGISTRO PRUSSIAE, QUAE FACTA ERAT ANNO DOMINI MCCCCXXXVI. PRAESENTIBUS MAGNO DUCE LITHUANIAE SIGISMUNDO, EIUSQUE FILIO MICHAELE. ITEM DUCIBUS STOLPENSI, ET MAZOVIAE, ET UNIVERSIS DE REGNO, ET DE MAGNO DUCATU LITUANIAE PRAELATIS, BARONIBUS ET CONSILIARIIS, IN FINE PACIS SUBSCRIPTIS HUIUS TENORIS:

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Conuenit actus hominum, qui vetustate cadunt, et successu temporis in obliuionem vertuntur, solidis scripturarum, et testium fundamentis commendare, in quorum custodia nullis marcescunt temporibus, sed semper iugis perennationis memoriae incommutabiles seruantur. Proinde nos VLADISLAUS DEI gratia Rex Poloniae, nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Siradiae, Lanciciae, Cuiauiae, Lithuaniae Princeps supremus: Pomeraniae, Russiae, etc. Significamus tenore praesentium, quibus expedit vniuersis, praesentibus et futuris, notitiam praesentium habituris. Quando cum diuini dispensatione consilii, huius regni recepimus gubernacula, ad hoc quoque tamen in terris obtinuimus principatum, vt propensiori cura, et vigilantia nostra, semper studia extendamus, per quae pacis desideranda tranquillitas inter Christi fideles: ex quorum discordia, non solum terrarum, et vrbium, sed prouinciarum atque regnorum resultant excidia, prout in plerisque lugenda, atque calamitosa exempla mortalibus exhibent argumenta: procurari queat, et procurata ab auctore pacis, de throno suae ineffabilis Maiestatis, atque potentiae concludi, et mediis salutaribus stabiliri ac extolli felicibus incrementis.

 Et

Et attendendo quod non nisi in pace pacis opifex DEus perfecte coli valeat: et eo nihil in mundo exoptari possit pretiosius, aut desiderabilius concupisci. Hinc est, quod nos non absque interna compassione, et graui cordis amaritudine recensentes, quot et quanta mala ex guerris, et dissensionibus procedant: quotque ex contentionibus, et bellis, si ea mortales agant, odia hominum, non sine etiam animarum, et aeternae salutis dispendiis, ac excidiis ciuitatum, prouinciarumque, et terrarum, ac in illis degentium interitus, subsequantur. Diuinus deperit cultus, et sanguinis effusio oritur. Cumque tales discordiae atque bella, non solum se, suosque, sed etiam alios plurimos tractura sunt, verisimiliter in praecipitium et ruinam. Propterea supremis affectibus exoptantes, vt non crescant iurgia, sed iuxta magistram bonorum omnium charitatem, quae nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imo propria virtute nutrit concordiam, dissociatos iungit, pacem et vnitatem consolidat. Ad laudem, et gloriam omnipotentis DEI, et Beatae Mariae virginis gloriosae, totiusque hierarchiae caelestis; propagationem fidei, cultum iustitiae, et religionis Christianae saluiferum incrementum: guerras desendas, excidia, displicentias, odia, rancores, et offensas, inter nos Vladislaum Regem Poloniae etc. Sigismundusm magnum Ducem Lithuaniae, etc. praedictos, et inclytum Casimirum germanum nostrum, Semouitum, Casimirum, Vladislaum, Boleslaum, Masouiae, ac Boguslaum, Stolpensem et Pomeraniae Duces, Regnum Poloniae terrasque nostras magni Ducatus Lithuaniae, Russiae, Masouiae Stolpensem et Voyeuodam Moldauiae, et alia dominia nobis subiecta ex vna: et magnificum ac religiosum dominum Paulum de Rusdorf ordinis Beatae Mariae Teuthonicorum Ierosolymitani, et ordinem suum ac terras eiusdem ordinis, Prussiae, Almaniae, Liuoniae, et alias omnes ei subiectas, parte ex altera: nouissime graui offensione, et iactura exortas, per nostrae mentis propositum retrahere decreuimus: et ea, quae durantibus huiusmodi controuersiarum, et guerrarum turbinibus: circa bonum Reipublicae sunt diruta et destructa, per pacis integritatem ad statum cupientes reducere quietum et tranquillum. Cum eisdem, magistro, fratribus et ordine ipsius terris Prussiae, Almanniae, et Liuoniae subditis, et sequacibus eorundem perpetuae pacis, et inuiolabilis foederis vnionem, elegimus, assumpsimus, suscepimus, et iniuimus, eligimusque, suscipimus, assumimus, et inimus tenore praesentium mediante, omni tempore perpetuo duraturam. Quam sub fide et honore ac iuramentis corporaliter praestitis, sine dolo et fraude promittimus, vigore praesentium, obseruare, et vt ipsa vnio cum tanta deliberatione et maturitate concepta, ad firmum et constantem ordinem iugiter obseruandum reducatur: ipsam per articulos infra scriptos omnino duximus regulandam. Inprimis quod inter nos Regem, Magnum Ducem, et Duces praedictos, Regnum Poloniae, Magnum Ducatum, et terras Lithuaniae et Samogitiae, Russiae, Masouiae, Stolpensis et Voyevodam Moldauiae, et aliorum dominiorum, et subditorum nostrorum ab vna: et praedictum Magistrum generalem, et Ordinem, terras, et subditos ipsius, tam in Prussia, Almannia, quam Liuonia et noua Marchia, parte ex altera: omnes dissensiones, controversiae, et damna inter partes hinc inde facta, dimissa, et totaliter sopita debent esse. Nec illorum de caetero aliqua mentio, aut memoria; et signanter in querelis, aut in detractionem partium, coram quibuscunque personis habeatur, aut fiat: sed nec vna partium ad infamiam alterius partis suggeret, consentiet, auxilium dabit, et fauorem publice vel occulte, et quantum in ea parte fuerit, dilationes, et detractiones huiusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. Item quod omnia bona Ecclesiarum, Gneznensis, Vladislauiensis, Plocensis, Poznaniensis, Praelatorum, Abbatum, Monasteriorum, Conventuum, et aliarum quarumcunque personarum saecularium, et religiosarum; quae sunt

in

in terris ordinis prædicti situata, debent circa iura omnia, tam ecclesiastica, quam sæcularia, & omnes antiquas consuetudines, questus, decimas, castra, villas, prædia, curias, & alias vtilitates, emolumenta, & prouentus, quibuscunque nominibus nuncupentur, conseruari, nec aliquibus nouis consuetudinibus, seruitiis & oneribus aggrauari. Quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione instetur per partes sine consensu Prælatorum spiritualium. Omnes autem census, decimas, prouentus, & alias obuentiones qualescunque in terris ordinis consistentes, quos & quas magister & ordo Reuerendissimis in Christo patribus, dominis, archiepiscopo Gneznensi, Vladislauiensi, & Plocensi, episcopis, aliisque Prælatis sæcularibus, & regularibus Regni Poloniæ per biennium subleuarunt, plene & integre restituant, & restitui faciant: medietatem intra hinc et festum Purificationis Mariæ, reliquam vero ad festum Paschæ proxime affuturum, in ciuitate Torunensi quietationibus de solutione a praefatis Praelatis receptis, & quod bona, & decimæ Reuerendissimi patris domini Vladislai episcopi Vladislauiensis nouiter, & quorumlibet arrestata relaxentur. Item vt omnis suspicio, & hostilis respectus hinc inde inter nos, & partem magistri generalis, & ordinis sui in toto euellantur, volumus, quod ligæ, confoederationes, & inscriptiones, quæcunque sunt, vel fuerunt inter magistrum generalem, præceptores per Almanniam, & Liuoniam, & ordinem ipsorum, Prælatos, Nobiles, ciues & subditos ipsorum, cum Duce Boleslao, alias Swidrigal, Prælatis, Ducibus, Boiaris, & subditis terrarum Lithuaniæ, Samogitiæ & Russiæ factæ, debent esse cassæ, inanes, irritæ, & in nihilum redactæ: Ipsique, magister & ordo, Prælati, Nobiles, ciues, & subditi ipsorum, debent praefatum Ducem Swidrygal, deserere, & dimittere perpetuis temporibus, & nunquam eidem, aut alteri cuicunque magno Duci Lithuaniæ, et Russiæ, auxilia & consilia contra nos, & successores nostros, & Regnum nostrum, ac etiam praeclarum principem dominum Sigismundum, magnum Ducem Lithuaniæ modernum, magnumque Ducatum Lithuaniæ, præstabunt: nec aliquas ligas, suggestiones & confoederationes in damnum nostrum, aut Regni facient in perpetuum cum eisdem: imo nec aliquem alium tenere, et reputare debent pro magno Duce Lithuaniæ, et Russiæ, nisi qui cum nostro consensu, et regio (quemadmodum praefatus Dux magnus Sigismundus modernus est electus, iuxta dispositionem dudum factam inter Regnum Poloniæ et terras Lithuaniæ) electus sit, et positus in Ducatum: nec etiam permittent ipsum Swidrygal de terris per terras et dominia ordinis, ipsorum damna aut impedimenta, Regno, coronæ nostris, Ducatui magno Lithuaniæ, et Ducatibus praedictis inferre, nec ipsum publice, vel occulte per se, vel submissas personas iuuare, aut subleuare quouis modo. Item, vt huiusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate, et robore custodiamus, et seruemus, promittimus, sine dolo et fraude, sub fide, et honore, ac onere praestiti iuramenti, quod ad nullius hominis viuentis requisitionem, inductionem, suggestionem, persuasionem, vel mandatum etiam, quacunque dignitate præfulgeat, Papali, Imperiali, vel Regali, aut cuiuscunque congregationis legitimæ, personarum ecclesiasticarum, vel sæcularium, debebimus, vel poterimus contrauenire ipsis in parte, vel in toto, expresse, manifeste, vel occulte, per se, vel alium, seu alias quascunque personas submissas spirituales, vel sæculares, neque eas taliter, aut quocunque modo violare: etiamsi modernus Imperator, aut successores sui Imperatores personaliter cum exercitu contra magistrum, et ordinem se mouerent, non debemus ei, nec successores nostri, assistere ope, consilio, auxilio vel fauore. Item quod medius fluuius Drwanca sit limes inter Regnum nostrum, et terras ordinis: nec fiat in fluuio aliquod molendinum in limitibus, et ripis communibus. Et præcipue in loco Lubicz dicto, in quo alias factum fuerat, sic quod idem fluuius suum antiquum meatum habeat: quodque residuum aggeris vna

cum ponte maneat, fine omni claufura diurna, et nocturna, proftrata publica, nec nouum ibidem molendinum deinceps erigatur, quo per defcenfum intrante flumen Visla, iterum defcendendo, per Vislam inferius, ipfe medius fluuius Visla erit iterum limes inter Regnum Poloniæ, et terras magiftri, et ordinis Pruffiæ, cum omnibus fuis infulis, pifcaturis, iuribus, et obuentionibus vniuerfis, nullis exclufis penitus, et exceptis: vfquequo ipfa medietas prædicti fluuii Visla tanget locum limitum, quem quondam Sereniffimus Princeps dominus Cafimirus diuæ memoriæ, Rex Poloniæ, cum magiftro Pruffiæ, dicto Gusmar, inter terras Bidgoftienfes et Pomeraniæ, certis literis, et fignis notabilibus limitauit, defcripfit, et diftinxit. Caftro Iafyeniec in terris ordinis remanente, ita tamen quod caftrum Nyefchowa cum territorio fuo, et villis Murzynowo, Orlowo, Nowawieś, et aliis villulis, molendinis, et vfibus ad dictum caftrum, et territorium, cum omnibus caftri, territorii, ac villarum praedictarum borris, filuis, et vtilitatibus: aquis quoque, et earum decurfibus cum pleno et totali dominio, ac cum medietate nauigii in flumine Visla, et eius prouentibus, ac in fuis pifcaturis, iuribus, libertatibus omnibus et fingulis ad ipfa fpectantibus ab antiquo, nullo penitus alicui præter nos, et coronam Regni Poloniæ, iure in eisdem caftro et territorio,ac villis referuato, remaneat circa nos et coronam regni Poloniæ perpetuo, et in æuum. Sic tamen quod nulli fubditorum faluo cenfu debito, et folui confueto, per hanc ceffionem in iuribus ipforum in infulis, et molendinis praeiudicium generetur, etfi nos in iuribus ipforum ipfos tolerare noluerimus, extunc licitum fit nobis iuxta antiquam taxam, prout ab antiquo inter fe vendere confueuerunt, huiusmodi iura comparare, et foluere, quemadmodum Sereniffimus Princeps diuæ memoriæ, dominus Vladislaus, genitor nofter chariffimus, et corona Poloniae, pacifice et quieet tenuit, a tempore concordiæ circa locum Melno iacentem, in terris ordinis, inter caftra Radzin, et Rogozno, circa flumen Offa, die fancti Stanislai epifcopi, et martyris de menfe Septembri factæ, vfque ad receptionem, et occupationem eorundem, per magiftrum, et ordinem de anno Domini MCCCCXXXI, attentatam. Specialiter addito, et expreffo, quod omnibus hominibus, et mercatoribus cum quibuscunque rebus, cuiuscunque generis pretii, vel valoris exiftant, proficifcentibus liberum fit vendere huiusmodi res, feu merces, abfque impedimento, & compulfa, & ftare, fiue manere cum eis, aut eas in ciuitate Nieszowa locandas conferuare, vel tranfire cum eis, quo placebit, fiue per terram, fiue per fluuium Visla, infra, vel fupra, vel in Thorun, aut alia loca in terris Ordinis conftituta. Item incipiendo ab eo loco, in quo prædicti limites per dominum Kazimirum Regem Poloniæ, & magiftrum Prufsiæ facti, & in eorundem literis exprefsi terminantur, & definunt, in procedendo vlterius, vfque ad introitum fluminis Nothef, fiue Bierzwennik, obferuabimus iftum modum, & ordinem. Quodfi de prædictis limitibus poterint bonæ famæ tres homines pro parte noftra, & Coronæ, & tres pro parte Magiftri & Ordinis electi, vifis vtriufque partis literis, iuribus, & poffeffionibus, & aliis legitimis documentis concordare, ftabunt limites taliter concordati, vbi autem non poffent electi illi homines boni concordare, extunc fortes ab vtraque parte mittantur, quamcunque autem partem fors contigerit, fic emiffa pars reliqua, quam fors ipfa non tetigit, debet fex perfonas, quas placebit de parte prædicta eligere, quæ perfonæ fic electæ, poftquam iuramento corporali limites inter partes prædictas, fic de limitibus difcrepantibus firmauerint: limites illi, fic iuramento firmati, pro fignis & limitibus inter Regnum Poloniæ & nouæ Marchiæ perpetuo remanebunt. Teftes autem illius partis, cui fortes aduenerunt, in proceffu limitum prædictorum caftra, ciuitates partium prædictarum ex hac fortium accefsione, non attingent, nec mouebunt, aut pro fua parte aliqualiter vendica-

vendicabunt, sed partes superius expressae, castra, ciuitates ab antiquo tentas, absque impedimento sortium, obtinebunt. Ita tamen, quod pons in fluuio Drawa circa Ochczeth cum libero transitu perpetuo manebit: hoc addito, quod si in parte magistri, seu ordinis cesserit, & in eius structura negligentia commissa fuerit, licitum sit nobis, aut capitaneis nostris, huiusmodi pontem nouum construere & antiquum reformare, quoties fuerit opportunum. Et ne in posterum de huiusmodi personis, & testibus supra scriptis aliqua difficultas oriatur, nos Reuerendissimum in Christo patrem dominum Franciscum, episcopum Varmiensem, & honorabiles, ac religiosum Volff de Sauszen, commendatorem in Ostrorode, & strenuum Ioannem de Saysen pro huiusmodi compositoribus, et honorabilem ac religiosum Conradum de Erbinghausen, Hermannum Reussop Thorunensem, Henricum Forrothdanensem Proconsules cum suprascriptis, episcopo commendatore, & Ioanne, pro testibus in casu, quo sors magistrum, & Ordinem tetigerit, duximus nominandos & eligendos, qui ad faciendum præmissa cum nostris, per magistrum, & Ordinem nominatis et electis, conueniant, nostri in Bydgostiam, ex parte Ordinis in Swece, in crastino Natiuitatis Mariæ proxime venturo, aliunde ad huiusmodi limites, sicut præmittitur, distinguendos, vlterius processuri. Postquam autem ventum fuerit per limites prædictos, sic, vt præmittitur, distinctos iuramento, quando limes ille fluuium Notesz, & Bierzwennik insiliet, ipse fluuius Bierzwennik medius erit limes perpetuus inter Regnum Poloniæ & terram nouæ Marchiæ, et iterum vbi Bierzwennik cum Notesz confluit, medius fluuius Notesz erit limes: ita quod Ordo, & subditi eius ipsum flumen ascendendo dimidium milliare; & descendendo similiter medium milliare, ac versus Regnum dimidium milliare, pro pascuis pecorum, & pecudum quorumcunque, ac pro receptione argillæ, calcis, lapidum, lignorum, tam pro igne, quam pro ædificiis castri,& oppidi, liberum habeant vsumfructum, & similiter homines, & subditi Regni, & Coronæ, dominio, & proprietate apud Regnum nostrum remanentibus. Teloneum autem aquaticum, & terrestre cum ponte & ipsius structura, secundum antiquam consuetudinem, absque ampliori augmento prædicti telonei, apud ordinem remanebunt. Piscaturam etiam præfatus Ordo solus liberam in eodem flumine Bierzwennik, seu Notesz, ascendendo, & descendendo, vt præmittitur, per medium milliare, a ponte qui ducit versus Poloniam obtinebit, eo salvo, quod villa Trzebyeszow in suis limitibus piscandi liberam habeat facultatem. Hoc adiecto, quod in eodem dimidio milliari ascendendo, & descendendo fluuium Bierzwennik, & etiam versus Regnum similiter per medium milliare, aliquod fortalitium non erigatur. Item postquam ventum fuerit ad limites per aquam, vbi fluuius Bierzwennik, siue Notesz, taliter procedendo inferius, vt supra dictum est, versus Lanczberg super differentiam, ibidem ex opposito prædicti oppidi consurgente, pars vtraque, videlicet Nos, & magister ac Ordo elegimus nobis pro iudice Reuerendissimum in Christo patrem, dominum Christophorum, episcopum Lubuczensem, in quem partes ipsæ de alto & de basso compromittent, & ad festum S. Trinitatis proximum ibidem circa Lanczberg adducent, & productis coram eo iuribus, & probationibus legitimis, in termino, seu terminis competentibus, ab vtraque parte laudum, & pronunciationem, quam vsus consilio sapientum super omnibus differentiis inter Regnum, & oppidum prædictum Lanczberg tulerit, ambæ partes huiusmodi sententiam suscipere, laudare, promulgare, & seruare sub fidei puritate tenebuntur. Volumus etiam, & decernimus per præsentes, quod teloneum, & depositum, vulgariter ablata, magister, & Ordo restituere teneatur. Et si aliquis subditorum, de terris, aut dominiis nostris vellet ad terras Ordinis ratione incolatus se transferre, licet poterit, & libere recedere, absque quouis impedimento, aut arresto personae,

 et bona

& bona sua vendere, aut de eis disponere iuxta beneplacitum liberae voluntatis, pari modo volumus de bonis in terris magistri & Ordinis ablatis seu occupatis obseruari. Item omnes coadiutores, & adhaerentes, qui in fauorem nostri, & Regni nostri Poloniae coadiutorum, & subditorum nostrorum, magistrum & Ordinem Prussiae diffidarunt, ab omni impetitione magistri, & Ordinis praedicti sint liberi, & soluti. Item omnes apostatae Ordinis praedicti in regno nostro, & terris Lithuaniae, Samogitarum, Masouiae, Russiae, & Stolpensi & aliis dominiis Regni nostri, & terrarum praedictarum commiorantes, ne diutius in suis peccatis tolerentur, de Regno nostro, & dominiis nostris prædictis, per nos, & Officiales nostros exire compellantur, & deinceps hi, & alii in eisdem nullatenus foueantur. Item quod nullus mercator, seu alius homo cuiuscunque conditionis existat, aut bona ipsius, propter delictum, seu debitum alterius arrestetur, molestetur, vel turbetur, nec etiam captiuetur. Item si vectores, et aurigae bona, seu merces mercatorum, pro pretio ducentes, telonea, seu loca datiarum praeterierint, ipsi duntaxat in rebus, et equis suis propriis puniantur, et quod propterea bona mercatorum non debent occupari, nec detineri. Item silua Babsko, circa Fredeland in Districtu Naklensi impignorata ordini, pro certa summa redimi poterit, per impignorantem, vel per Regnum soluta summa ordini, pro qua extat obligata, et in litteris desuper confectis continetur. Item ditio, siue exactio dicta Funthomczol, super qua priscis temporibus et hactenus, controuersia inter magistrum, et ordinem ac mercatores terrarum Poloniae, magni Ducatus Lithuaniæ, et Ducatuum praedictorum, vertebatur, et pendebat, ex certis causis indecisa, talem ponimus ordinem: quod mercatores Regni, Ducatus magni, et Ducatuum praedictorum, praeter alia quæcunque grauamina, et solutiones imposterum imponendas, quibuscunque nominibus nuncupentur, respondeant ordini de eadem, duntaxat si aliquando contigerit, ipsos cum bonis suis in nauibus propriis nauigare vltra mare, ita tamen, quod si ciuitates maritimæ libertatæ, et absolutæ via iuris fuerint ab eadem, quod ciues, mercatores, et indigenae Regni, et terrarum Poloniæ, Lithuaniae, Masouiae, Russiæ, a solutione huiusmodi sint similiter liberi, et excepti, et illa omnia, quæ ab eis a tempore, quo praesens pax perpetua est firmata, ratione huiusmodi exactionis sint recepta, integraliter restituantur per ordinem praedictum mercatoribus Regni, Ducatus magni, et Ducatuum praedictorum viceuersa, absque recusatione, et renitentia, qualicunque interruptione, consuetudine, praescriptione, et diuturnitate non obstantibus. Si vero per concordiam extincta fuerit, ad restitutionem receptorum minime teneantur. Aliæ autem omnes, et singulæ exactiones, quibuscunque vocitentur nominibus, a mercatoribus terrarum, Regno Poloniae, Ducatui magno Lithuaniae, et Ducatibus praedictis subiectarum, vt praefertur indigenis, in terris, magistro, et ordini subiectis, et specialiter exactio quaedam dicta Lobegal, et Fyrken nullatenus de cetero exigatur. Nec nos Rex, Dux magnus Lithuaniae, Duces Masouiæ, et Stolpensis, imponemus aliquod nouum teloneum in grauamen et praeiudicium duntaxat subditorum ordinis praedicti, et si quod nouum est impositum in terris nostris, et Ducatibus praedictis, a tempore concordiæ circa locum Melno factæ, omnino deponatur, teloneis et depositis antiquis semper saluis. Item cum medietas nauigii circa Thorun supra dicti, cum medietate pecuniarum de ipso prouenientium nobis vigore prius habitæ, et praesentis concordiæ, in perpetuum haeredibus et successoribus nostris debeatur, de collectore pecuniarum ex ipso sic inter nos existit conuentum, ordinatum et conclusum, quod is, qui per nos, et successores nostros, ad ea fuerit deputatus, conueniat cum commendatore Thorunensi pro tempore existenti. Vno anno in oppido Thorun, et alio in Nieschowa, et sic semper vicibus alternatis collectorum huiusmodi singulis

di singulis annis simul constituant, qui sub praestito iuramento pecunias, quas collegerit, diebus dominicis in manus vtriusque praesentet, aequali portione diuidendas, solutis pretiis famulorum, & reparatione nauium de communi. Et si alteri parti ille collector pecuniarum non placuerit, anno elapso tam capitaneus, siue ad ea deputatus, quam commendator, conuenientes, vt supra, alium eligant, quoties fuerit opportunum. Seruitia vero per famulos nauigii praedicti, quæ Szarwek appellantur, fieri consueta partibus praedictis, similiter alternatis septimanis, & paribus vicibus impendantur: et tunc pars quaelibet in sua septimana ipsis prouideat de expensis, modo, et forma, sicut hactenus est eis prouisum. Item si aliqui de terris Regni nostri, Ducatus magni, et Ducatuum praedictorum, subditis ordinis iniuriam intulerit, & super eo capitaneus, vel alius Officialis noster requisitus iustitiam non fecerit, extunc pro negligentia huiusmodi ab officio est deponendus, nisi de innocentia sua iuramento proprio et corporali se purgauerit. Similiter ex alia parte, si commendator, vel Officialis ordinis praenominati, in reddenda iustitia in praemissis negligens fuerit, pari modo destituatur: Et nihilominus successor iustitiam teneatur facere expeditam requirenti. Si vero is, qui pro iustitia ratione delicti, vel alias requirit, simplex fuerit terrigena, & iustitiam facere recusaret, aut negligeret, ex tunc damna iustitiam requirenti, per capitaneum, seu commendatorem, de bonis terrigenæ praedicti compensentur et soluantur, nisi simili se purgauerit iuramento. Item si per aliquem subditum, indigenam vel aduenam alicuius nostrum, casu et euentu, inscriptioni seu paci huiusmodi perpetuæ fuerit in aliquo derogatum et contrauentum, vtpote rapinæ, spolia, incendia, vastationes, praedæ, vel homicidia, aut aliqua maleficiorum genera, in dominiis et terris nostris alterutris patrata fuerint & commissa: propterea pax praedicta cassari, irritari non debebit, sed in suo robore, & firmitate permanebit. Nec propter hoc pars, cuius subditus maleficium huiusmodi commiserit, censebitur fore deierans seu periurans. Praedicti autem delinquentes et malefactores, pro ipsorum excessibus, per capitaneos seu Officiales vtriusque nostrum iudicialiter puniantur, et ad satisfactionem plenam et debitam arceantur & compellentur. Item vt capitanei, palatini, commendatores, officiales seu iudices partis vtriusque ad administrationem iustitiæ fortius inducantur, & ne aliqua grauis displicentia inter nos, Regem, Ducem magnum, et Duces praedictos ex vna, magistrum, ordinem et terras subiectas sibi praenominatas & subditos eorundem, parte ex altera, in posterum valeant exoriri, singulis annis, nos, Rex praefatus duos ex commendatoribus, viros boni testimonii et conscientiæ in festo Pentecostes, et similiter magister et ordo duos Palatinos, aut alios paris conditionis, in praefato festo de terris nostris praedictis eligant, et sibi, quanto citius poterint, huiusmodi electiones personarum scriptis insinuent. Qui in festo S. Michaëlis conuenientes vno anno in Nieschowa, alio in Thorun, et tactis sacrosanctis Euangeliis, fauore, timore, et odio exclusis, de iustitia facienda punient iudices ac Officiales in administratione iustitiæ remissos et negligentes, et iura municipalia loci delicti partibus laesis facient. Nihilominus iustitiam congruentem, vel partes secundum æquitatem, et bonam iustitiam component, et omnia faciant, quæ pro conseruatione huiusmodi iuratæ pacis perpetuæ viderint expedire. Pari modo inter Samogitiam et Prussiam vno anno in Veluna, et alio in Regnith, inter Lithuaniam et Liuoniam, vno anno in Huspole, et alio in Dymborg alias in Nowyna. Inter nouam Marchiam et maiorem Poloniam, vno anno in Syrakowo alias Czyrk, alio in Dreszno: inter terram Dobrinensem et Prussiam, vno anno in Ripyn, & alio in Brodnica, inter terras Masouiæ Ducis Vladislai et Prussiam vno anno in Dzoldow, et alio in Mlawa: inter Vyssnam et Prussiam, vno anno in Vissna, et alio in Ianusburg: inter terras Ducis Bolkonis et Prussiam, vno anno in Ciechanow, et alio in Nidborg, per omnia volumus et decernimus obseruari.

Inter Ducatum Stolpensem et Prussiam, vno anno in Stolpen, et alio anno in Rithaw: inter nouam Marchiam et terram Stolpensem, vno anno in Recz, et alio in Sathin, nisi partes de aliis locis fuerint concordes. Item ne circa limites, displicentiæ seu controuersiæ suscitari valeant, volumus limites de quiennio in quiennium, vbi opus fuerit, innouare. Item liber sit transitus et via omnibus mercatoribus ac incolis terrarum, et dominiorum ordinis cum suis mercantiis, frumentis cuiuscunque grani, et rebus quibuscunque et cuiuscunque conditionis, vel materiei existant: sine impedimento, vel angaria, per terras et maria, aquas et flumina quocunque ascendendo, in et ad Regnum Poloniæ, terras Lithuaniae, Samogitarum, Masouiæ, et Russiæ; et descendendo per ipsum Regnum atque terras praedictas, ac per ipsa flumina seu aquas, vsque ad maria, et trans mare in nauibus paruis siue magnis, vacuis siue oneratis, in perpetuum, quomodocunque et quotiescunque voluerint, absque aliquo arresto vel impedimento cuiuscunque, et specialiter oppidanorum in Thorun. Quas quidem merces, frumenta, et res, vt praescriptum est, si praefati mercatores seu incolæ ordinis ducentes, vendere aut stare in aliquo locorum, seu ciuitatum ad portum, siue ripam praedictam aquarum siue maris situatorum, seu situatarum voluerint, est & debet esse, in ipsorum arbitrio et voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere, vel descendere, quo eis placuerit, cum rebus praedictis, vt superius est expressum, teloneis et antiquis depositis, prout supra, saluis. Item omnia damna, iniuriæ, displicentiæ, impensæ, et expensæ Praelatorum, eorumque ecclesiis, et capitulis, ac abbatibus, prioribus, conuentibus, monasteriis, personis ecclesiasticis, saecularibus et aliis quibuscunque, per nos, subditos, coadiutores, & adhærentes nostros, in terris Prussiæ & extra, illata quomodolibet et facta, in omnibus guerris praeteritis, et e contra per sæpe dictum magistrum et ordinem, ac exercitus ipsorum, Praelatis in dominiis Regni nostri constitutis, sint sopita, auctoritate praesentium penitus et extincta, ita quod praetextu eorundem per Praelatos ipsos, aut eorum aliquem suis aut ecclesiarum, capitulorum, conuentuum, siue monasteriorum suorum nominibus, magistro & ordini praedicto, vel aliis supra dictis, quaestio, causa, actio, vel impetitio, de iure vel de facto, nullo vnquam tempore moueatur. Item magister et ordo praedicti, tenebuntur nobis ratione concordiæ praesentis, dare et soluere nouem millia florenorum cum quingentis hungaricalibus iusti et boni ponderis, aut eorum valorem in moneta pruthenicali bona, noua, medietatem in dominica Laetare, et aliam medietatem in festo S. Martini episcopi in Thorun, proxime affuturis, pro rata cuiuslibet solutionis litteras quittantias tenebuntur assignare. Item circa iudicia, mercantias, emendas vel vendendas, et circa victualia comparanda, et telonea antiqua soluenda, rationabilis consuetudo tempore bonæ memoriæ Vitowdi, magni Ducis Lithuaniæ, tenta, in Lithuania, Samogitia, et Russia inconcusse seruetur, et quantum fieri poterit, iuxta ritum Catholicorum in melius reformetur. Item ne circa hanc concordiam perpetuam aliquid in posterum relinquatur, quod possit mentes et subditos partium praedictarum, tam spirituales quam sæculares, ad lites et odia quæcunque prouocare in futurum, causam ecclesiæ Vladislauiensis et ipsius episcopi, super demolitione domus episcopalis ante oppidum Gdansk, in praeteritis guerris per oppidanos Gdanenses attentata, quæ in curia Romana et Constantiensi ac Basiliensi Conciliis, per annos plurimos pendebat indecisa, duximus de consensu partium, et venerabilis capituli Vladislauiensis per medium concordiæ sopiendam. Ita videlicet, quod magister et ordo pro oppidanis Gdanensibus Reuerendo in Christo patri domino Vladislao, moderno ecclesiæ Vladislauiensis episcopo, mille ducentos florenos hungaricales boni et iusti ponderis, pro media parte huius-

te huiusmodi summæ in festo Carnispriuii, & vno stamine Bruslīensi boni operis in oppido Thorun, et pro alia media in festo S. Michaëlis ibidem proxime affuturo, ratione demolitionis domus praedictæ, soluent, et expedient cum effectu, et absque excusatione aliquali. Dominus vero episcopus praedictus et capitulum eius, eosdem oppidanos Gdanenses et ordinem ab impetitione sua debet dimittere absolutos, et causam huiusmodi extinguere, nunquam ipsis de cetero per se et successores suos intentandam. Quam ordinationem praefati dominus episcopus et oppidani publice et solenniter euulgarunt, solutione facta dominus episcopus praefatus cum capitulo suo, super qualibet solutione quietabit sufficientibus litteris magistrum, ordinem, et oppidanos ante dictos. Item magister generalis et ordo omnem exactam et extremam diligentiam faciet, quod magister Almaniæ intra vnum annum maius suum sigillum huic concordiæ perpetuæ appendet, quod si facere nollet, sed cum aliquo domino spirituali vel temporali, ratione bonorum ab eodem domino obtentorum, Regi, Regno Poloniæ et Ducatibus praemissis, ac eorum subditis bella moueret: ex tunc magister generalis, et magister seu praeceptor Liuoniæ, et fratres ordinis per Prussiam et Liuoniam, absque dolo et fraude sub fide et honore praestiti iuramenti, eidem magistro Almaniæ: nec non illis dominis, sub quibus consistunt, ac aliis quibuscunque hominibus per se vel alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, cum gentibus armorum, pecuniis, armis, aut aliis auxiliis quibuscunque, consilio vel fauore, non debent neque possunt subuenire aliquo excogitato ingenio vel colore, quod si contrarium fecerint, et id legitimis documentis probatum fuerit, quod tunc subditi eorum ab omnibus, homagiis, iuramentis, et subiectionibus liberi et soluti esse debent in hoc casu: donec ad obseruationem pacis perpetuæ reuertentur. Item nos Vladislaus Rex praedictus, oppidum Arnswald alias Choszczno, quod exercitus patris nostri, bonæ memoriæ, domini Vladislai acquisiuit, et cuius possessionem huc vsque habuimus pacificam, magistro et ordini intra hinc et dominicam Lætare proxime venturam, cum curiis, villis, et aliis omnibus cohærentiis, ad praedictum oppidum spectantibus, restituere tenebimur et debemus. Nobiles insuper de Nowawedel et Felkemburg, cum oppidis, castris, et omnibus bonis suis in noua Marchia consistentibus, qui patri nostro praedicto fidelitatem et homagium, exercitu nostro in noua Marchia existente, praestiterant: ad magistrum et ordinem, absoluti primo a nostris homagiis et iuramentis, ratione bonorum praedictorum duntaxat nobis factis, intra hinc et praedictum terminum dominicæ Lætare reuertantur. Qualitercunque autem ipsi nobiles et oppidum Arnswald ad possessionem magistri et ordinis accesserit, siue de manibus nostris aut nostrorum, siue etiam aliis modis quibuscunque, quod per hoc huic articulo satisfacere censeamur, prouiso tamen, quod magister et ordo eosdem fauorabiliter et benigne recipiant, et de vita ac bonis assecurent: quemadmodum de huiusmodi assecuratione per magistrum et ordinem in festo Purificationis Mariæ proximo debet eisdem prouideri, et in castro Raczyansz huiusmodi litteræ assecurationis praesentari. Item castrum Nieschowa, cum districtu & medietate nauigii, vt superius est expressum, magister et ordo, intra hinc et dominicam Laetare proximam, ad manus Reuerendi in Christo patris, domini Vladislai episcopi Vladislauiensis, nomine nostro debent tradere, restituere, et assignare cum effectu. Item vt haec concordia cum tanta maturitate concepta, abundanniori cautela valeat ab vtraque parte fortius et attentius custodiri: promittimus bona fide, attente, et fideliter in verbo nostro regio, absque dolo et fraude, corporali praestito iuramento, huiusmodi concordiam in omnibus suis articulis, atque punctis obseruare. Et vt propensiori vigilantia ipsius capitula attendantur, decernimus, formam iuramenti sub verbis et tenore

infra ſcriptis. Ego N. iuro, quod hanc concordiam obſeruabo: nec contraueniam ei, facto, auxilio, conſilio, vel fauore: ſic me DEus adiuuet, & haec ſancta Chriſti crux. Et quod omnes Reges ſucceſſores noſtri & haeredes, intra annum Coronationis ſuæ, ſeu ſuſcepti regiminis, ſimiliter Dux magnus Lithuaniæ modernus, ad requiſitionem alterius partis per nuntios ſpeciale mandatum habentes huiusmodi pacem perpetuam iuramentis firmare & ſtabilire teneantur. Quodque de decennio in decennium per Praelatos, Duces, Palatinos, commendatores, terrigenas atque ciues, tam noſtrarum, quam ordinis partium, & prius non iuratos, debet nouis iuramentis ſolidari. Item vt pars contra partem metu animaduerſionis praeſentis ad bella, & praelia non conſurgat: Statuimus decernendo, quod noſtri Praelati, milites, nobiles, ciues, & tota communitas debeant & teneantur terrarum magiſtri & ordinis Praelatis, Nobilibus, militibus, ciuibus, & toti communitati dare certas noſtras litteras, & pares ſiue reuerſales ab ipſis, ſub eadem forma, recipere, quas tam nos, quam praefatus magiſter & ordo vtriſque ſubditis noſtris, dare promittimus & debemus. Ipſique ſubditi noſtri, ſubditis magiſtri & ordinis, & e conuerſo ſubditi ordinis, ſubditis Regni noſtri, dare & praeſentare tenebuntur, in dominica Laetare proxime ventura, ſub iis vel ſimilibus verbis. Quod ſi nos vel ſucceſſores noſtri, ſtante huiusmodi pace perpetua, magiſtro & terris ordinis vellemus, aut conaremur, huiusmodi guerras, aut bella mouere, non debent nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus noſtris homagiis, iuramentis, & ſubiectionibus liberi & ſoluti, donec in hoc caſu nos & ſucceſſores noſtri, ad obſeruantiam pacis perpetuæ reuertemur. Item omnes violationes Treugarum ac pacis, foederum, ſtipulationum, & contractuum, ſi quæ inter partes prædictas in guerris praeteritis accidiſſent, vigore praeſentis concordiæ, annullamus, & caſſamus. In cuius rei teſtimonium ſigillum noſtrum, quo ad praeſens vtimur, cum infra ſcriptorum illuſtrium ac praeclarorum dominorum, fratrum noſtrorum chariſſimorum, magni Ducis Lithuaniæ Prælatorum Ducum, Baronum, militum, procerum, & ciuitatum ſigillis, eſt appenſa, videlicet Sigiſmundi magni Ducis Lithuaniæ praedicti, Semouiti, Caſimiri, Vladislai, Boleslai, Maſouiæ, Boguslai Stolpenſis, Michaëlis praefati domini Sigiſmundi, magni Ducis Lithuaniæ nati, Ducum: nec non Reuerendiſſimorum ac Reuerendorum in Chriſto patrum dominorum, *Alberti* S. Gneſnenſis eccleſiæ Primatis, & *Ioannis* Leopolienſis, archiepiſcoporum, *Sbignei* Cracouienſis, *Stanislai* Poſnanienſis, *Vladislai* Vladislauienſis, *Stanislai* Plocenſis, *Matthiæ* Vilnenſis, *Ioannis* Chelmenſis, *Pauli* Kamenecenſis, & *Andreæ* Vladimirienſis, epiſcoporum, *Andreæ Vladimirowicz, Chebdogoldowicz, Georgii Syemionowicz* Ruſſiæ Ducum, & magnificorum *Nicolai de Michalow* Cracouienſis Caſtellani, *Sandiwogii de Oſtrorog* Poſnanienſis, *Petri de Pyeſkowaſkala* Cracouienſis, *Ioannis de Czyzow* Sandomirienſis, *Mortini de Kalinowa* Siradienſis, *Ioannis de Lychyn* Breſtenſis, *Iarandi de Brudzewo*, Iuniwladisl. *Oſtyk* Caſtellani Vilnenſes, *Dolgerth* Vilnenſis, *Luluſch* Trocenſis, *Ioannis Manzyk de D browa* Leopolienſis, *Petri Odrowąż* Podoliæ, *Stanislai Graf de Strzenſko* Plocenſis, *Ioannis Glowac de Lauzenicze* Czyrnenſis, *Pauli de Radzimowo* Belzenſis Palatinorum: *Martini de Slawſko* Poſnanienſis, *Dobeslai de Sienno* Sandomirienſis, *Petri de Zirniki* Caliſſienſis, *Laurentii Zaręba* Siradienſis, *Petri de Bnin* Gneznenſis, *Alberti Malſki* Lancicienſis, *Floriani de Korythnica* Vislicienſis, *Domarath de Kobyelany* Lublinenſis, *Nicolai de Vorzinowo* Brzeſtenſis, *Chriſtini de Kozyeglowy* Sandecenſis, *Ioannis de Tęnczyn* Voynicenſis, *Przedborii de Koniecpole* Roſpierienſis, *Nicolas de Virzbiczko* Dobrinenſis, *Ioannis de Bollicze* Radomienſis, *Barthoſſii de Goſtyn* Naklenſis, *Martini de Vyrzyſka* Iuniwladislauienſis, *Clementis de Strzelce* Biecenſis, *Vincentii de Szamotuly* Miedżyrzecenſis, *Dobrogoſtii de Kolno* Camenecenſis, *Przedpelkonis de Kopydlowo* Landenſis, *Przybislai Dzik* Zarnouienſis,

ſis, *Varſy de Oſtrow* Zawichoſtenſis, *Pauli de Biſkupice* Malogoſtenſis, *Alberti de Pakoſz* Szremenſis, *Matthiæ* Brzezinenſis, *Ioannis de Kalinowa* Sandecenſis, *Petri de Chelm* Polanecenſis, *Nicolai de Lubſtow* Kruſwicenſis, *Stanislai de Skarſzewo* Biechouienſis, *Iacobi Przekora* Czechouienſis, *Przybislai* Koualenſis, *Nicolai Kielbaſſa* Bydgoſtienſis, *Iakuſſii de Strzygi* Ripinenſis, *Paſkonis de Goslawice* Konarienſis, *Ioannis de Vlanowo* Rogoznenſis, *Hriczonis Kyerdeyowicz* Leopolienſis, *Nicolai de Viſznicze* Præmislienſis, *Petri de Smolice* Sanocenſis, *Michaelis de Buczacz* Halicienſis, *Ioannis de Oleſznica* Marſchalci: *Andreæ de Lubino* Theſaurarii Regni Poloniæ, *Andreæ de Czechowice* Plocenſis, *Vigandi de Oſtrolga* Cyrnenſis, *Dobrogoſtii de Nowydwor* Varſauienſis, *Pauli de Leſzno* Sochacouienſis, *Adæ de Rythlo* Goſtinenſis, *Markuſſii de Popyen* Rauenſis, *Nicolai Maldrzyk de Starogrod* Belzenſis, Caſtellanorum: *Petri de Pyeſkowa ſkala* Cracouienſis, *Petri Kordebog* Poſnanienſis, *Andreæ de Zelechowo* Sandomirienſis, *Dobrogoſtii de Szamotuly* Caliſſienſis, *Clementis Scheliga de Ianowice* Siradienſis, *Stanislai Bielawſki* Lancicienſis, *Andreæ Dunin* Breſtenſis, *Stanislai* Iuniwladislauienſis, *Volckonis Rokatowicz* Leopolienſis, *Santkonis de Sennow* Præmislienſis, *Czurilonis de Stoyancze* Halicienſis, *Ianuſſii Kerkeiowicz* Kamenecenſis, *Nicolai Grzymalka* Sanocenſis, *Stanislai Kanymir* Chelmenſis, *Petri de Kampa* Plocenſis, *Andreæ de Radzieiowice* Sochacouienſis, *Nicolai de Brzozow* Goſtinenſis, *Ioannis Tabaſz de Zaluſki* Rauenſis, Succamerariorum: *Marciſſii de Wroczimowice* Cracouienſis, *Theodorici de Modzichod* Poſnanienſis, *Stanislai Sanka de Lapſowo* Sandomirienſis, *Nicolai de Pleſſowo* Caliſſienſis, *Zegothæ de Moskowo* Siradienſis, *Petri de Oporowo* Lancicienſis, *Vaſkonis de Strzewo* Breſtenſis, *Nicolai de Koscyelec* Iuniwladislauienſis, *Derslai de Vyſokye* Lublinenſis, *Georgii de Laſſodki* Dobrinenſis, *Ioannis de Vinnica* Leopolienſis, *Iacobi de Zakowice* Halicienſis, *Andreæ Vizga* Plocenſis, *Ioannis de Reglewice* Cyrnenſis, *Ioannis Rogala de Vengrzynowo* Viſſogrodenſis, *Derslai de Podoſye* Zakrocimenſis, Vexilliferorum: *Pauli de Bogumilowice* Cracouienſis, *Abrahae de Zbaſzyn* Poſnanienſis, *Ioannis de Sprowa* Sandomirienſis, *Troiani de Lekna* Caliſſienſis, *Petri de Vidawa* Siradienſis, *Adae de Thur* Lancicienſis, *Andreae de Ludbranc* Breſtenſis, *Matthiae Figa de Oleſznyca* Iuniwladislauienſis, *Alexii de Plonniki* Dobrinenſis, *Ioannis Kielcowicz* Lublinenſis, *Stanislai de Dauidowo* Leopolienſis, *Petri de Grochowiec* Præmislienſis, *Ioannis Kola* Halicienſis, *Stanislai de Strzegowo* Plocenſis, *Alberti de Chebdzino* Cyrnenſis, *Zylandi de Vinnica* Vyſzogrodenſis, *Zemak de Smogorzewo* Ciechanouienſis, *Saſzyni de Szczawino* Goſtinenſis, *Iacobi de Glowno* Rauenſis, *Saſzyni de Virzyſka* Belzenſis, Iudicum: *Ioannis Farurey* Cracouienſis, *Bienyakonis de Bandlewo* Poſnanienſis, *Ioannis Powala* Sandomirienſis, *Sigiſmundi de Margonino* Caliſſienſis, *Stephani de Oporow* Lancicienſis, *Chriſtini de Koſciol* Breſtenſis, *Ioannis Boyhuſki* Iuniwladislauienſis, *Demetrii de Chodorow* Leopolienſis, *Ioannis Mſzyrkowſki* Præmislienſis, Dapiferorum: *Ianuſſii de Kobylany* Cracouienſis, *Samborii de Malachowo* Poſnanienſis, *Petri de Krzyzanowice* Sandomirienſis, *Thomkonis de Mirza* Siradienſis, *Voienſki* Brzeſtenſis, *Karzkowſki* Iuniwladislauienſis, *Nicolai de Felſten* Leopolienſis, Venatorum: *Iacobi Klicze* Pincernæ Siradienſis, *Petri Skora* Poſnanienſis, *Boguſſii de Kruſzow* Caliſſienſis, *Andreae de Brzezye* Breſtenſis, *Ioannis de Zimnawoda* Leopolienſis, ſubiudicum: *Nicolai de Brzeſſe* Cracouienſis, *Raphaelis de Goluthowo* Poſnanienſis, *Iacobi de Baranow* Sandomirienſis, *Stanislai de Oſtrorog* Caliſſienſis, *Nicolai Kolucki* Iuniwladislauienſis, *Clementis de Banczyce* Lancicienſis, *Nicolai de Sarlei* Breſtenſis, Subdapiferorum: *Iacobi* Lublinenſis, *Kyelcz* Siradienſis, *Ioannis de Laſſotki* Dobrinenſis, *Iacobi de Malice* Leopolienſis, Tribunorum: *Stanislai Liganſzyc*, *Spitkonis de Melſtin*, *Petri de Kurow*, *Nicolai de Krolikowo*, *Przedpelcze Moſzczyc de Koſmin*, *Milai de Miloslaw*, *Ianuſſii de Tuliſkowo*, *Nicolai de Grandi*, *Petri de Zawady*, *Mſczuy de Barczew*, *Iakuſſii de Vroniawy*, *Ioannis de Zychlino*, *Nicolai de Sleſzyno*, *Vincentii de Pniewa*, *Thomkonis de Sobotha*, *Tluk de Strykow*, *Raphaelis de Tarnow*, *Ioannis de*

de Pilcza, *Skarbkonis de Gora*, *Nicolai de Michow*, Nobilium & Procerum Cracouiensium, Posnaniensium, Calissiensium, Leopoliensium, Plocensium, Varsauiensium, Stolpensium & Stargardensium ciuitatum. Postquam autem DEO fauente annos discretionis attigerimus, promittimus & spondemus iuramentum præstare, renouare & appendi facere præsentibus Sigillum nostræ Maiestatis. Actum, in Brzeście Vladislauiensis Dioecesis Sabbatho in vigilia Circumcisionis Domini. Anno MCCCCXXXVI. Datum per manus magnifici & venerabilis IOANNIS de KONIECPOLE Cancellarii, & VINCENTII KOTH de DAMBNO Custodis Gnesnensis Cantoris Cracouiensis Regni Poloniæ Vicecancellarii, sincere nobis dilectorum.

MAGISTER PRUSSIÆ PROMITTIT PACEM SERVARE CUM REGNO POLONIÆ PERPETUAM.

Prussiæ magister Paulus de Rusdorf pacem cum Polonia promittit seruare anno 1436.

NOs frater PAULUS de RUSZDORFF ordinis beatæ Mariæ, domus Teutonicorum Ierosolimitanorum magister generalis: significamus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, quod nunquam nos, nec successores nostri Serenissimo Principi & domino, domino VLADISLAO Regi, aut regno suo Poloniæ guerras mouebimus, aut bella: sed pacem perpetuam & concordiam inter prædictum dominum Regem, regnum, & adhærentes suos ab vna: Nos, ordinem & adhærentes nostros ab altera partibus, de anno domini MCCCCXXXVI. in vigilia Circumcisionis Domini in ciuitate Brzeście conceptam & firmatam, custodiemus, & seruabimus inconcusse, in omnibus suis articulis atque punctis, promittentes, quod si nos, vel successores nostri, stante huiusmodi pace perpetua, supra dicto domino Regi, aut regno Poloniæ vellemus aut conaremur huiusmodi guerras, aut bella mouere, non debent nobis subditi nostri consentire, nec in hoc obedire aut parere: quinimo erunt ab omnibus nostris homagiis, iuramentis & subiectionibus liberi, & soluti, donec in hoc casu nos & successores nostri, ad obseruationem pacis perpetuæ reuertemur, quos in huiusmodi casu absoluimus ab omnibus homagiis, promissionibus & iuramentis nobis factis, vt præfertur ipso facto per præsentes. In cuius rei testimonium & fidem firmiorem, Sigilli nostri appensione præsentes fecimus communiri. Datum in castro nostro Marienburg ipsa die dominica qua in ecclesia DEI Lætare Ierusalem decantatur. Anno Domini MCCCCXXXVI.

CONDITIONES PACIS PERPETUÆ IN TERRIS PRUSSIÆ ULTIMO FACTÆ.

Pax in terris Prussiæ perpetua anno 1466. facta.

IN Nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Cum inter humanæ voluntatis desideria, quæ in aliquid citra DEum, finem atque rerum omnium opificem, diriguntur, nulla res optabilior, nulla gratior, quemadmodum quotidianis experimur effectibus, nulla denique humano generi æque salutaris, necessaria, iucundior, & vtilior, quam pax habeatur, in ortu redemptoris domini nostri IEsu Christi, hominibus bonæ voluntatis denuntiata per angelos, & in recessu ad patrem coetui apostolico, & vniuersis Apostolorum sequacibus geminata, donatione relicta & repromissa. Proinde nos CASIMIRUS, Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ ac Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ, Prussiæque, Chelmensis, Elbingensis, et Pomeraniæ terrarum Dominus et hæres. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis, tam præsentibus, quam futuris præsentium notitiam habituris. Quomodo attendentes, quales sint veræ pacis fructus, & quanta belli pericula, qualisque vastitas discordiam subsequatur, ad laudem omnipotentis DEI, & intemeratæ Virginis Mariæ gloriosæ, totiusque coelestis Hierarchiæ propagationem, fidei cultum, iustitiæ & religionis Christianæ salutiferum incrementum: nostri quoque regni decus & stabilimentum

tum

tum ac guerrarum et litigiorum deflendis discriminibus, & dissensionum ac odiorum anfractibus, displicenniis, & singulis offensis, quæ inter nos CASIMIRUM DEI gratia Poloniæ Regem, magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque dominum & hæredem, & illustres Principes Dominos CASIMIRUM, BOLESLAUM, CONRADUM, & IANUSSIUM Masouiæ, & HENRICUM Stolpensem, Duces: & Reuerendum patrem dominum Paulum episcopum, ecclesiam & capitulum Varmiense, STEPHANUM Voieuodam Moldauiæ, regnum Poloniæ, terras nostras, & alia dominia, nobis & regno nostro subiecta ex vna: & magnificum et religiosum virum, Dominum fratrem LUDOVICUM de ERLICHSHAUSEN magistrum generalem, ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum hospitalis Hierosolymitani, præceptures, commendatores, & ordinem, ac terras eiusdem ordinis, in terris Prussiæ, parte ex altera consistentibus, fuerunt exortæ, animos nostros ad semitas pacis & concordiæ conuertimus: fluctus quoque bellicæ tempestatis hactenus inter nos vigentes, sedandos & abolendos duximus, & ea, quæ durantibus huiusmodi guerris & controuersiarum turbinibus diruta fuere, deformata, & distracta, per pacis integritatem ad statum cupientes deducere quietum & tranquillum, per meditationem, operam, & interuentum Reuerendissimi in Christo patris domini RUDOLPHI, episcopi Lauantini, sedis apostolicæ Legati, a sanctissimo domino nostro PAULO Papa ad intercipiendum bellum huiusmodi specialiter destinati, cum eodem domino LUDOVICO, magistro commendatoribus ordinis et fratribus ipsius, terris Prussiæ subditis & sequacibus eorum, perpetuæ pacis & inuiolabilis foederis conclusionem & consummationem elegimus, assumpsimus, iniuimus, suscepimus, elegimusque, assumimus, & inimus, tenore præsentium mediante, omni tempore & perpetuo duraturam, quam sub fide, & honore, & iuramentis corporaliter præstitis sine dolo & fraude promittimus vigore præsentium obseruare. Et vt ipsa PAX & CONCORDIA cum omni maturitate & deliberatione concepta, ad firmum & constantem ordinem iugiter seruandum reducatur, ipsam per articulos infra scriptos duximus regulandam. In primis quod inter Nos Regem, Duces prædictos, Regnum Poloniæ eiusque terras, episcopum Varmiensem et capitulum, et suam ecclesiam Russiæ, et Prussiæ, Masouiæ, Stolpensis et aliorum dominiorum nostrorum ab vna: et prædictum magistrum generalem, commendatores, et ordinem, terras, et subditos ipsius in terris Prussiæ parte ab altera: omnes controuersiæ, dissensiones, hostilitates, inimicitiæ, diffidationes, infamiæ, et damna inter partes hinc inde facta, dimissa et totaliter sopita debent esse: nec eorum de cætero aliqua mentio, aut memoria, et signanter in querelis, aut in detractione partium, coram quibuscunque personis habeatur, aut fiat in quocunque iudicio ecclesiastico, vel sæculari, vel extra: sed nec vna partium ad infamiam alterius suggeret, consentiet, auxilium dabit vel fauorem per se, aut submissam personam, quouis quæsito colore, publice vel occulte: et quantum in vtraque parte fuerit, delationes et detractiones huiusmodi fieri non admittet, sed potius prohibebit. Item ad abolendas omnes displicentias, odia, simultates, et quaslibet hostilitates, quæ inter LUDOVIUM magistrum, commendatores et suum ordinem, suusque prædecessores ab vna: et Nos prædecessoresque nostros Reges Poloniæ partibus ab altera: occasione terrarum Pomeraniæ, Culmensis, Michalouiensis, frequentius annis superioribus vsque ad bellorum grauia discrimina consurgebant: et vt pax firma, stabilis atque perpetua, non ex ore tantummodo, sed ex corde, pure, non ficte, sincere, non simulate, inter Nos Regem, et Regnum Poloniæ, Duces, episcop um et capitulum Varmiense adhærentes, et coadiutores: nosque LUDOVICUM magistrum, commendatores, et ordinem praedictos proueniant: terra Culmensis cum suis castris, ciuitatibus, oppidis, et fortalitiis videlicet *Thorun* veteri et noua, *Byrgelaw* alias *Byrzglowo*, *Starogrod* alias *Althaus*, *Chelm* alias *Culmen*, *Dunistaw* alias *Venczslaw*, *Lypno* alias *Leipe*, *Kowale* alias *Schönensech*, *Rogozno* alias *Roghaussen*, Koprzywno

wno alias *Engelsberg*, *Radzin* aliàs *Reden*, *Grudancz* alias *Graudencz*, *Golub* alias *Golau*, *Popow*, *Brodnica* alias *Strasberg*, *Lutberg* alias *Litterberg*, *Brothyan Neuenmarkt* alias *Nouoforo*, *Lossen* alias *Lassyno*, cum omnibus suis pertinentiis, et villis eorum quæ pertinebant ad iudicium et banderium Culmense, et cum tota terra Michalouiensi nihil excipiendo. Item tota terra Pomeraniæ iuxta antiquos terminos suos, cum vniuersis castris, ciuitatibus, oppidis, & munitionibus, in ea consistentibus, videlicet *Gdansk*, *Pwozek* alias *Puczki*, *Lauenborg*, alias *Lemberg*, *Heyle* alias *Hella*, *Liebe* alias *Koszczyn*, *Grebin* alias *Grobino*, *DirsZau* alias *Tczow*, *Mewe* alias *Gniew*, *Stargard*, *Neweburg*, alias *Nowe*, *Swiecze* alias *Swiecz*, *Mossek* alias *Osszyk*, *Iasyeniecz* alias *Iessenicz*, *Keyschau*, alias *Kus howo*, *Slochau* alias *Slothow*, *Konycz* alias *Choyniczo*, *Fredeland*, *Hamerstein*, *Bewtau* alias *Bythow*, *Thuchel* alias *Tuchola*, *Sobbycz*, *Schoneke* alias *Skarzewo*, *Baldenburg*, & cum Naria, fluuiis, aquis, mari, & piscaturis, quæ sunt in cauda maris, alias Hab, villis, portibus, insulis, & pertinentiis vniuersis, ac dominio vniuersali, directo, & vtili, mero & mixto, ad Nos, & Regnum nostrum Poloniæ pertinebunt, & spectabunt, pertinere & spectare debebunt, donationibus, renuntiationibus cessionibus, appropriationibus per Reges, Principes, Prælatos, Barones, Nobiles, ciuitates & subditos Regni Poloniæ ex quacunque causa vel occasione de terris prædictis, iure, proprietate, & dominio ac titulo earum quomodolibet, & quotiescunque, etiam iuramento corporali interueniente, in fauorem magistri nostrum & ordinis factis, & apostolica, imperiali, vel quacunque alia firmitate roboratis non obstantibus quibuscunque: quas per præsentem vnionem & foedus annullamus, cassamus, abolemus, tollimus, extinguimus, & mortificamus, illisque perpetuo derogatum esse volumus & derogamus. Tenebiturque Dominus magister LUDOVICUS, commendatores, et ordo Teutonicorum prædicti, ipsis terris Pomeraniæ, Chelmensis & Michalouiensis et illarum iuri, proprietati, titulo, et dominio quomodolibet et ex quacunque causa sibi & ordini in illis competenti, pro se, successoribus suis & ordine, renuntiatione et cessione perpetua, irreuocabili, et spontanea de certa et expressa scientia cedere et renuntiare, seque et ordinem suum terris præfatis Pomeraniæ, Culmensis et Michalouiensis in perpetuum abdicare, , et omnes inscriptiones, donationes, renuntiationes, cessiones, resignationes, confirmationes, litteras, priuilegia, instrumenta, venditiones, emptiones, lauda, arbitria, sententias, pronuntiationes, monumenta et decreta in fauorem magistri et ordinis super terris prædictis per summos Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, Duces, Marchiones, Comites, et quascunque personas ecclesiasticas vel mundanas cuiuscunque conditionis, dignitatis, præeminentiæ vel tenoris, existant confectas, decretas, et concessas, cassare, abolire, extinguere, ac mortificare, et illis pro se, successoribusque suis, et ordine non per errorem, coacte aut improuide, sed libere et spontanee, ac de certa scientia perpetuo cedere, et renuntiare, et ius omne quod magistro et ordini in præfatis terris quomodolibet competebat, in Nos et Regnum nostrum, successoresque nostros Reges Poloniæ perpetuò transferre, et militares, nobiles, vasallos, ciues, terrigenas et quoscunque subditos, ecclesiasticos et sæculares, terrarum, ciuitatum, districtuum, et locorum praedictorum ab omni sua fidelitate, homagio, subiectione, iuramento et qualibet sponsione, dimittere et absoluere, et relaxare. Excepto quod piscaturas in Hab a fine aquæ et piscaturarum episcopi et capituli Varmiensis, et ex opposito in mari salso: item partem Nergiæ a dicta aquâ et piscaturis dictæ ecclesiæ Varmiensis per transuersum Nergiæ vsque ad dictum mare salsum, et a dicto transuerso per descensum Nergiæ vsque in profundum cum villis Scheyte, Neudorf ac curia Mitelhoff cum iurisdictione et vtilitate atque ipsum profundum cum piscatura sturionum, et teloneo antiquo, dominus magister et ordo perpetuo habebunt et possidebunt. Quam quidem portionem Nergiæ cum praedictis villis et curia de speciali gratia præfato domino magistro et ordini

ordini perpetuo conferemus & assignamus. Reseruata tamen Nobis totali venatione super dicta portione Nergiæ, prout & super tota Nergia illam nobis reseruabimus. Hoc etiam adiecto, quod magister & ordo nullum castrum aut munitionem super dicta portione Nergiæ sibi donatæ ædificare aut ædificari facere, neque nouum teloneum aut grauamen imponere debeat. Item ex bonis certis respectibus nos mouentibus & pro præsentis pacis stabilimento castrum & ciuitas Marienburg cum duabus insulis magna videlicet, & altera parua, quæ dicitur das Fyssannysse, Herwerder, & cum integritate lacus Drussen, & cum suis omnibus piscaturis, piscationibus, & villis, & cum districtu Sarchaffaw, & omnibus aliis attinentiis & villis suis, eo tamen excepto, quod villæ Haldenhorff & Alepin, quæ pertinent ad Holand & Kulchebory & Horndorff, quæ vltima sola militantium est, & pertinet ad Preuschenck, habeant facultatem in lacu Drusen pisces pro suo beneplacito piscandi iuxta morem antiquum. Item castrum & oppidum Sthum, cum omnibus antiquis suis iuribus, cohærentiis, & pertinentiis vniuersis. Item ciuitas Elbing vtraque vetus & noua cum districtu villarum limitibus, & iure, & cum oppido Tholkmyth, & eius districtu & suo officio silvarum & nemorum, alias Valdapth, & cum sex villis Tenutæ & castri Holand, videlicet Pylomen, Myslothyno, Berthkoni, Kamersdorff, Vielkielicz, & Przeussemeret, & cum quinque villis, quæ ad oppidum & districtum Molhnuzen pertinebant, videlicet magna Staban, parua Staban, Schonemor, Pomerendorff, & Volffder. Item oppidum & districtus Krischburg, alias Drzgon cum suis libertatibus, militaribus, nobilibus, vasallis, villis, lacubus, molendino & castro. Ita tamen quod demoliatur castrum & cum pertinentiis eiusdem vniuersis, incipiendo ab vno latere oppidi prædicti Krischburg, et descendendo a flumine Szroge, vsque ad lacum Drussen. Curia tamen Dolesczech cum ipsius molendino apud nos et ordinem nostrum remanente. Ab alio vero latere dicti oppidi, ascendendo et transeundo vsque ad finales granicies dicti oppidi Krischburg, et villæ Halbenstadi mutuo se contingentes: eadem villa a finistris et in ditione nostra, et ordinis remanente: ab inde vero directius eundo ad ecclesiæ Pomezaniensis fines proximiores, vbi omnia et singula subdictis finibus ad partem castri Marienburg consistentibus villa Moyserburg, iterum in parte nostra et ordinis remanente cum curiis, allodiis, et quibuscunque aliis pertinentiis ad dictum castrum Marienburg spectabunt et pertinebunt. Cetera vero alia omnia et singula ad cameratum, et generaliter ad districtum Kirschburg vsque in præsens pertinentia pari modo cum oppidis et allodiis militaribus terrigenis, villis, piscaturis, aquis, nemoribus, et aliis singulis pertinentiis spectabunt ad castrum nostrum et ordinis Pressemark, perpetuo et in æuum, pro prædicto Serenissimo domino Rege, et Regibus et Regno Poloniæ remanebunt. Ita quod castra, ciuitates, oppida, districtusque prædicti ex nunc et de cetero vigore praesentis vnionis et foederis ad ius, proprietatem, sortem, et titulum Regni Poloniæ pertinebunt et spectabunt pertinere, et spectare debent perpetuo et in æuum. Dominus quoque magister Ludouicus, commendatores, et conuentus praedicti pro se et suis successoribus, castris, ciuitatibus, oppidis, insulis, lacubus, piscaturis, piscatoribus, cameratibus et officiis praedictis et illorum districtibus et villis, perpetua et irreuocabili renuntiatione de certa et expressa scientia, iuri, quoque sorti, proprietati, titulo, et domino quocunque et ex qualicunque causa domino magistro, commendatoribus, officialibus et ordini suis in illis competentibus, per suas patentes literas cedet et renuntiabit, et omne ius quod eidem domino magistro, commendatoribus et ordini ipsius in castris, ciuitatibus, oppidis, insulis, lacubus, piscaturis, districtibus et villis praedictis quomodolibet competiit, vel competere potuit, in Nos CASIMIRUM Regem, successores nostros, Reges et Regnum Poloniae spontanee et de certa scientia perpetuo transtulit et applicauit. Milites quoque nobiles, vasallos, terrigenas, ci-

ues, et quoslibet ſubditos eccleſiaſticos et ſæculares præfatorum diſtrictuum, terrarum, ciuitatum, et locorum ab omni fidelitate, iuramento, homagio, ſubiene, et qualibet ſponſione abſoluet, dimittet, et relaxabit. Cetera vero caſtra, ciuitates, diſtrictus, fortalitia, villas, et dominia in terris Pruſſiæ, tam in terris quam in aquis exiſtentia, videlicet *Konigsberg* caſtrum cum tribus ciuitatibus: Item caſtra et oppida *Lochſtet*, *Wargien*, *Girmau*, *Pobebten*, *Rudau*, *Schoken Kymen*, *Kremithen*, *Valdau*, *Tapyau*, *Tubelauken Narbekten*, *Inſterburg*, *Allenburg*, *Wonsdorf*, *Gyrdawen*, *Angirburg*, *Nordemburg*, *Labyaw*, *Laukyſchen*, *Tylſath*, *Ragnith*, *Roſiten*, *Vinthburg*, *Memel*, *Brandemburg*, *Krewczeburg*, *Frideland*, *Barthen*, *Leczen*, *Balge*, *Heyligenbeil*, *Synthen*, *Landsberg*, *Preiſchenlau*, *Bartenſteyn*, *Seſteen*, *Zegensburg*, *Ryn*, *Raſtemburg*, *Like*, *Iohanisburg*, *Holand*, *Lybestath*, *Molhuſen*, *Morung*, *Paſenheim*, *Ortelsburg*, *Oſterode*, *Hohenſteyn*, *Neydemburg*, *Soldau*, *Ligenburg*, *Dewczelaw*, *Prewſemark*, *Libemole*, *et Salefelth*, et quæcunque alia caſtra, ciuitates, oppida, diſtrictus, territoria, et villas cum eorum ſubditis, militibus, terrigenis, et vaſallis, aquis, nemoribus, lacubus, et aliis pertinentiis et iuribus vniuerſis quibuscunque cenſeantur nominibus dominus magiſter, commendatores, conuentus et ordo perpetuo et in æuum, quiete, et pacifice abſque omni noſtro et ſucceſſorum noſtrorum Regum et Regni Poloniæ impedimento, perturbatione, et moleſtatione poſſidebit, et illorum plenum habebit vſum et dominium. De quibus quidem caſtris, ciuitatibus, oppidis, terris, diſtrictibus, villis, militibus, terrigenis, et vaſallis, de illorum quoque iure, titulo, proprietate, ſorte et dominio, quod nobis et Regno noſtro Poloniæ quomodolibet et ex quacunque cauſa competiit, vel competere potuit, Nos CASIMIRUS Rex de certa et expreſſa ſcientia pro nobis et ſucceſſoribus noſtris Regibus et Regno Poloniæ ſponte et deliberato animo praefato domino magiſtro, ſucceſſoribus ſuis magiſtris, commendatoribus, conuentui et ordini in terris Pruſſiæ, cedimus et renuntiamus, ac omne ius quod nobis ſucceſſoribus noſtris Regibus, et Regno Poloniæ exemptione et quibuscunque aliis cauſis in præfatis caſtris, ciuitatibus, oppidis, terris, diſtrictibus, villis, militibus, et vaſallis quomodolibet competiit, in dominum magiſtrum, ſucceſſores ſuos, commendatores, conuentum, et ordinem per renuntiationem et ceſſionem perpetuam et irreuocabilem transferimus, et illud ipſis ſponte, libere, et de certa ſcientia applicamus, et omnes milites, vaſallos, nobiles, terrigenas, ciues, et quoslibet ſubditos eccleſiaſticos et ſæculares terrarum et locorum prædictorum ab omni fidelitate, iuramento, ſubiectione, homagio et qualibet ſponſione abſoluimus, dimittimus et praeſentium tenore relaxamus. Epiſcopatus inſuper et eccleſia Sambienſis cum ſuis caſtris, ciuitatibus, oppidis videlicet Fiſchauſen, Tyremberg, Labedau, Powden, Iurgemburg, Zalau, et Newenhaus cum omnibus vaſallis, villis, et pertinentiis ſuis vniuerſis ſubditione domini magiſtri et ordinis ſui perpetuo conſiſtet et permanebit. Item ordinamus et ſtatuimus, quod ſuper omnibus piſcaturis Cutle appellatis vulgariter ſub præſentia capitanei noſtri Marienburgenſis et factoris domini magiſtri ab eo deſtinandi in caſtro Marienburg annis ſingulis in magna feria quinta debeat fieri arendatio, et litteræ ſuper omnibus Cutiis ſub noſtro e domini magiſtri ſignetis arendatoribus debeant dari, et medietas pecuniarum ex huiusmodi arenda prouenientium nobis debeat cedere, alterum vero medietas domino magiſtro et ordini prouenire, iure epiſcoporum Varmienſium et Sambienſium et capitulorum eorundem, ceterarumque perſonarum et locorum libertatem ex antiquo Cutlorum habentium per omnia ſaluo. Quibus literas ſuper Cutlis præfatis et quantitate illorum abſque omni pecunia libere volumus concedere. Item ne pax ipſa foedus et vnio tanta maturitate firmata et concluſa poſſit in poſterum humana malignitate infringi, aut aliquibus fallaciis, dolis, et ingeniis violari, Nos quoque CASIMIRUS Rex et ſucceſſores noſtri Reges et Regnum Poloniæ, Prælati, Princi-

pes,

es, Barones, et subditi Regni eiusdem de domino magistro, commendatoribus, et ordine Prussiæ, Prælatis, militibus, et subditis suis: dominus quoque magister, successores sui, commendatores, et ordo, Prælati, milites, et subditi sui Prussiæ de nobis, et Regno Poloniæ, Praelatis, Principibus, Baronibus, et subditis eiusdem plenam confidentiam et securitatem omni hostili respectu in præsens et in posterum deposito teneamus. Nos CASIMIRUS Rex Poloniae praefatum dominum LUDOVICUM magistrum, commendatores suos, et ordinem in Prussia, omnesque eorum successores in nostrum et Regni Poloniæ, Principem consiliarium perpetuum: commendatores vero principaliores, quos dominus magister et successores sui pro tempore duxerint deputandos in consiliarios nostros et Regni Poloniæ et in nostram, et Regni Poloniæ protectionem, subiectionem, et defensionem perpetuo duraturam assumimus, pollicentes in verbo nostro Regio, et sub fide præstiti iuramenti, pro nobis et nostris successoribus nostris Regibus et Regno Poloniæ, quod nos præfatum magistrum, commendatores, et ordinem, Prælatos, milites, vasallos, et subditos suos in Prussia, eorumque successores, affectione Regia tractabimus, honorabimus, et diligemus, ipsumque dominum magistrum, commendatores, et ordinem, successores Prælatos, milites, nobiles, ciues, subditos et terras eorum, velut Principis consiliarii et vnitorum nostrorum in iuribus eorum, libertatibus, priuilegiis, munimentis, et limitibus, quæ præsenti vnioni et foederi aut eius articulis et conditionibus non contrariantur, conseruabimus, ab vniuersis quoque hostibus eorum, vexatoribus et impugnatoribus in terris eorum praedictis Prussiæ tuebimur et defendemus. Tenebitur quoque dominus Ludoicus magister præfatus et quilibet successor suus in officium magisterii assumptus, et assumendus, post sex menses a die assumptionis in magisterium se nobis et successoribus nostris Regibus Poloniæ personaliter repræsentare, et illic pro se commendatoribus et terris in Prussia, nobis et successoribus nostris Regibus et Regno Poloniæ præstare debitæ fidelitatis, et de obseruanda præsenti pace, et nunquam petenda absolutione seu relaxatione iuramenti, nec vt concessa aut concedenda, iuramentum ac in nostra CASIMIRI Regis, nostrorumque successorum Regum Poloniæ sinistra parte primarium habere locum et sessionem. Quem quidem dominum Ludouicum magistrum suosque successores, commendatores, Prælatos, milites, vasallos, conuentum et subditos, terrasque omnes Prussiæ ab eis nunc possessas et in posterum possidendas, conquisitas et conquirendas etiam in terris paganorum extra terras Prussiæ, Nobis et Regno Poloniæ perpetuo connectimus, iungimus, vnimus, et inuisceramus, ea conditione, et respectu, vt præfatus Ludouicus magister, sui successores, commendatores, et conuentus, Prælati, Barones, milites, terrigenæ, et personæ singulæ, tam ecclesiasticæ quam sæculares, et omnes eorum terræ atque homines in illis degentes in Prussia sint amplius, et de cetero nobis cum successoribus nostris Regibus et cum Regno Poloniæ vnum et indiuiduum corpus, vna gens, vnus populus, in amicitia, foedere, et vnione, nullum alium præter summum Pontificem, quam Nos CASIMIRUM Regem et successores nostros Reges Poloniae pro suo capite et superiore recogniturі: teneantur insuper & sint obligati, Nos successores nostros et Regnum Poloniae siue in prosperis, siue in aduersis nunquam deserere, sed nobis et successoribus nostris Regibus et Regno Poloniaecontra omnes hostes et aduersarios nostros et Regni nostri Poloniae more aliorum Principum, Praelatorum, & Baronum Regni assistere, Nosque et Regnum Poloniæ in nostris guerris et in aduersitatibus nostris, potentiis, consiliis, auxiliis, et suffragiis opportunis adiuuare. Nec sine nostro et successorum nostrorum Regum Poloniae, Nos quoque et successores nostri Reges Poloniæ sine magistri, successorum, Prælatorum, commendatorum, et militum suorum Prussiae, speciali et expresso consilio, voluntate, et consensu, cum quibuscunque personis, quacunque praefulgeant dignitate, celebrabimus, statuemus,

mus, aut firmabimus aliqua foedera, inſcriptiones vel contractus, publice vel occulte, per ſe vel ſubmiſſas perſonas: ſed nec dominus magiſter, commendatores, eorumque ſucceſſores bella aliqua contra Catholicos ſine noſtro et ſucceſſorum noſtrorum Regum et Regni Poloniae ſpeciali mouebunt conſenſu.

FORMA AUTEM IURAMENTI QUA NOS LUDOVICUS MAGISTER ET SUCCESSORES NOSTRI MAGISTRI SERENISSIMO DOMINO CASIMIRO REGI, ET SUCCESSORIBUS SUIS REGIBUS, ET REGNO POLONIÆ IURARE TENEBIMUR, TALIS ERIT:

EGo LUDOVICUS magiſter generalis ordinis ſanctae Mariae Teutonicorum, Princeps et conſiliarius Regni Poloniae, iuro, quod ab hac hora, et deinceps fidelis ero Sereniſſimo Principi domino CASIMIRO Regi, et ſucceſſoribus ſuis Regibus, et Regno Poloniae, et profectum illorum fideliter procurabo, et negotiis Regis et Regni fideliter conſulam, et ſecreta, quae mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam, pacem inſuper praeſentem in omnibus ſuis conditionibus et articulis obſeruabo et cuſtodiam: ſic me DEus adiuuet, et haec ſancta Chriſti crux. „ Item vt per praeſentis pacis vnionem et foederis ſingula odiorum et iuramentorum nubila, poſſint funditus euelli cum praefato Sereniſſimo domino CASIMIRO Rege, et Regno ſuo Poloniae pro bono pacis deuenimus, et illud inter nos concordauimus, quod epiſcopatus Culmenſis ad eccleſiam Gneznenſem redeat, a modo et deinceps praefatae Poloniae et Gneznenſis eccleſiae, et vt tanquam principali ſit in omnibus obediens et ſubiecta, de regulari in ſaecularem, fauore et auctoritate ſummi Pontificis, ad quod tam nos Ludouicus magiſter, et commendatores noſtri expreſſum praebuimus et praebemus conſenſum, transferendi, quae etiam cum ſua dioeceſi et omnibus caſtris, ciuitatibus, oppidis, et munitionibus, videlicet, Chelma alias Kulmenſch Lubawa alias Lubaw, Kurzatnik alias Kurnik, Varmbrzeſſno alias Fredeke. Et omnibus diſtrictibus, nobilibus, vaſallis, villis, et pertinentiis vniuerſis ſub praefati domini CASIMIRI Regis et Regni ſui Poloniae conſiſtet perpetua ditione, patrocinio, et defenſa. Item concordauimus, quod Varmienſis eccleſia et eius Pontifex pro tempore cum ſuo venerabili capitulo ex nunc, et de cetero cum omnibus ſuis caſtris, ciuitatibus, oppidis, et munitionibus, videlicet, Heilsberg, Brunsberg, Vormdi th, Seeburg, Vartemberg, Reſſel, Biſchofſtein, Alleſtein, Gekteſzkat, Melizak, Frauenburg, et Biſchofsburg cum omnibus diſtrictibus, nobilibus, et vaſallis, villis, pertinentiis et attinentiis ſuis praefati domini CASIMIRI Regis et ſucceſſorum ſuorum Regum et Regni Poloniae ditione, ſubiectione et protectione conſiſtent. Et nos Ludouicus magiſter, noſtrique ſucceſſores, commendatores, et ordo eius ditioni, ſubiectioni, et protectioni expreſſe renuntiamus, et omne ius quod nobis in praedicta eccleſia, epiſcopatu, et capitulo quomodolibet hactenus competebat, in praefatum Sereniſſimum Regem dominum CASIMIRUM ſucceſſores ſuos haeredes Reges et Regnum plenarie transfundimus, transferimus per praeſentes. Item concordatum et ordinatum eſt de ſpeciali noſtra Ludouici magiſtri, commendatorum, et conuentus noſtri comprobatione et conſenſu: quod venerabilis dominus Vincentius Kielbaſſa conſiliarius et ſecretarius praefati Sereniſſimi domini Regis CASIMIRI ad eccleſiam praefatam Culmenſem per ipſum dominum CASIMIRUM Regem nominatus, et ad eandem ſua interceſſione dante domino promouendus eccleſiam, et ſedem Pomezanienſis epiſcopatus, quamuis hactenus in capite et membris regularem in commendam ad vitæ ſuæ duntaxat tempora per diſpoſitionem et ordinationem habeat apoſtolicam, et illam cum ſuis caſtris, ciuitatibus, fortalitiis, videlicet Prybuth alias Reſſenburg, Quedzyn alias Mariewerder, Biſkupice alias Biſchofswerder, Kyſſnelcz alias Frenſtach, Smenber

ber alias Sardzen, & Rossemberg, ceterisque eius districtibus & pertinentiis obtineat: ipsamque in spiritualibus & temporalibus administret: ecclesia prædicta Pomezaniensis, remanente nihilominus in istis membris interim regulari, præfato autem Vincentio Kielbassa morte absumpto ad præfatam ecclesiam Pomezaniensem regularis persona nostri ordinis in Pontificem eligetur, & substituetur, Sanctissimi domini nostri Papæ gratia & fauore accedente, gaudebitque domini Regis protectione, consistens in nostra & ordinis nostri tam religione, quam ditione. Item quoniam post sedatos fluctus bellicæ tempestatis nulli magis nos primum conuenit, quam ecclesiis & earum ministris compati, & commisereri, quatenus supremus sedator vberiorem firmitatem paci conditæ infundat, quocirca ordinamus & decernimus & statuimus, quatenus omnia castra, fortalitia, ciuitates, oppida, castella, munitiones, ecclesiarum loca, & villæ: & signanter Frauenburg, Vormedith, Vartemberg, Melzak, Lubaw, Rossemburg, Marienwerder, & Schomberg, quomodolibet a nobis & nostris ac præfato domino LUDOVICO magistro, commendatoribus & conuentu suis possessa, occupata, & incastellata, quocunque nomine vocitentur, suis Pontificibus, Capitulis, Prælatis, Abbatibus, Monasteriis, & signanter Varmiensibus, Culmensibus, Pomezaniensibus & Sambiensibus episcopis & eorum ecclesiis, tam Cathedralibus, quam conuentualibus Collegiatis, et earum Capitulis, hospitalibus absque aliqua contradictione, diminutione, depactatione, solutione, vel arresto, cum omni sua suppellectili, bombardis, ornamentis, & pertinentiis, vniuersis: infra hinc et festum Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ proximæ venturum reddantur viceuersa. Omnes insuper Pontifices, Abbates, Capitula, Prælatos, Præpositos, Canonicos Curatos, & non Curatos, & alios beneficiatos, qui non sunt de ordine prædicto, in eorum loca, iura, libertates, & possessiones, quæ & quas ante motam guerram possiderant, restituimus, & tenore præsentium reintegramus: exceptis castris & ciuitatibus prædictis in prædicto festo S. Iohannis Baptistæ restituendis. Quod si curati nobis aut domino magistro, aut ciuitatibus vel oppidis ingrati vel suspecti sint, permittatur, quod permutent, aut vicarios idoneos constituant, aut pensionem honestam auctoritate superioris reseruandam, dimisso atque renunciato titulo suscipiant. Item omnes captiuos in præsenti guerra per nos CASIMIRUM Regem, Duces Masouiæ & Stolpensem, episcopum et capitulum Varmiense, gentes nostras, coadiutores, & adhærentes captos, siue sint depactati, siue non, ab omni captiuitate & sponsione, vigore præsentis fœderis absoluimus, & tenore præsentium relaxamus, quæ absolutio & libertas per dominum Ludouicum magistrum, suos præceptores, capitaneos & officiales, nostris & ominum nostrorum coadiutorum, & adhærentium, & signanter captiuis dominorum Ducum Masouiæ & Stolpensis, ac Reuerendi patris domini *Pauli* episcopi & sui capituli Varmiensis, siue depactatis sine non, quocunque nomine vocitentur, nullo excepto, debet præstari, & impendi, nec depactati aut taxati debent obligari ad aliquam solutionem præmissam, quæ nondum est soluta, etiam si depactati dedissent pro se de solutione aliquam cautionem. Item ordinamus, & statuimus, quod omnes mercatores, tam Regni nostri Poloniæ, principatuum, terrarum & dominiorum nostrorum & regni ac episcopatus Varmiensis suique capituli, quam terrarum Prussiæ in ditione domini *Ludouici* magistri & ordinis sui consistentes sint vbique in terris, & in aquis tuti, & nullæ eis molestiæ inferantur, nec cogantur nisi solitis & veteribus seruatis itineribus & locis ambulare, aut ad aliquam ciuitatem, castrum, & locum sub prætextu cuiuscunque constitutionis vel edicti cum rebus & mercibus suis cuiuscunque materiei existant de cætero applicari, præterquam in Kinszberg, iuxta conuentionem desuper factam, super qua speciales a nobis litteræ emanarunt. Item quoniam per mercatorum industriam, & rerum venalium importationem, Respublica notabile accipere consueuit incrementum, statuendo decernimus & spondemus, quod nulla telonea, deposita, gabellas, foralia, sine

quascunque alias censuationes locis & personis, in regno nostro, principatibus & dominiis nostris & regni nostri, imponemus de nouo, aut imponi permittemus, tam in terris quam in aquis: sed tantummodo vtemur impositis. Quod idem dominus magister Ludouicus, successoresque sui, commendatores & conuentus in suis Prussiæ terris obseruabunt. Item vt charitatis & vnionis amplior certitudo inter nos CASIMIRUM Regem, successores nostros Reges & Regnum Poloniæ, principatus, terras, & dominia nostra, & regni eiusdem subditos & adhærentes ab vna, & dominum Ludouicum magistrum, successores suos, commendatores, & ordinem in Prussia ad altera partibus, iugiter & inconcusse perpetuo perseueret: Statuimus et ordinamus, quod deinceps et a modo ad ordinem sanctæ Mariæ Teuthonicorum prædictum in terris Prussiæ consistentem, personæ idoneæ et ordinis capaces, etiam ex subditis quibuscunque Regni Poloniæ et principatuum terrarum et dominiorum eius assumantur. Ita tamen quod vltra mediam partem de illis assumere non teneantur: in distribuendis commendariis et officiis ordinis iuxta medietatem dictam, magister & commendatores ad illos bonum respectum habere teneantur. Magister vero eligetur vir magis vtilis et idoneus secundum ordinis regulam et instituta. Qui cum sit noster & Regni Poloniæ princeps et consiliarius, non debebit sine suo demerito, scituque nostro, per commendatores et conuentum a magistratu amoueri. Item vt huiusmodi pacem perpetuam, vnionem et concordiam sub certiori attentione, firmitate et robore custodiamus, promittimus sine dolo et fraude, ac sub onere præstiti iuramenti, quod ad nullius hominis viuentis auctoritatem et potestatem, etiam quacunque dignitate præfulgeat, Papali, Imperiali, Regali, Ducali, aut cuiuscunque congregationis legitime, personarum ecclesiasticarum, aut sæcularium, ad impetrandum præsentis pacis, vnionis, fœderis, et contractus, in toto vel in parte, expresse, manifeste, vel occulte, per se alium vel alias quascunque personas submissas spirituales vel sæculares, dissolutionem, ruptionem, cassationem, et irritationem, recurremus, aut recursum habere poterimus, aut nos induci, persuaderi, requiri, vel nobis mandari ad violationem præsentis pacis et fœderis per aliquam potestatem Papalem, Sinodalem, Imperialem, Regalem, Ducalem, permittemus, neque impetrabimus absolutionem et relaxationem iuramenti præstiti, neque vtemur impetrata, aut etiam motu proprio concessa, vel concedenda, quod si contrarium fecerimus, censebimur fidefragi & periuri. Item subditi Domini Ludouici magistri ac terrarum prædictarum suarum Prussiæ, vndecunque & cuiuscunque gradus, status, & conditionis fuerint, qui causa negociationis, vel alias, ad terras quascunque nostras & regni nostri, principatuum & dominiorum prædictorum venerint, per Nos, Principes, Barones, siue subditos extraneos, cuiuscunque status, gradusue fuerint, etiam impediri, conueniri, vel arrestari non debent. Sed in Prussia, si quid actionis habuerint, Actores iuxta terrarum iura municipalia illos conueniant, & querelæ huiusmodi sopiantur. Delinquens tamen in loco delicti depræhensus & contrahens de contractu recenti in loco contractus poterit conueniri, sed si de loco, vbi contraxit, recesserit publice vel occulte, coram iudice suo, conueniatur. Item ordinamus: Quod vbicunque quis reperiat rusticos vel colonos suos, qui propter guerras, aut alias ab eo recesserunt, possit eos repetere, qui & sibi dimitti, & restitui debent, cum eos requisierit. Item quod nullus mercator seu alius homo, cuiuscunque conditionis existat, aut bona ipsius propter delictum, seu debitum alterius arrestentur, molestentur, turbentur, nec etiam captiuetur. Item si vectores, aut aurigæ, bona seu merces mercatorum pro precio ducentes, telonea seu datiarum loca præterierint, ipsi duntaxat in eorum rebus, & equis suis propriis puniantur, & quod præter ea bona mercatoria non debent occupari, nec detineri. Item si per aliquem subditum aut indigenam alicuius nostrum inscriptioni seu paci perpetuæ præsenti fuerit in aliquo derogatum & contrauentum, vt

pote

pote, si rapinæ, spolia, incendia, vastationes, prædæ, vel homicidia, vel aliqua maleficiorum genera in terris et dominiis nostris alterutrum perpetrata fuerint et commissa, propter ea prædicta pax, vnio, cassari et irritari non debebit, sed in suo robore & firmitate permanebit. Nec propter hoc pars, cuius subditus huiusmodi maleficium commiserit, censebitur fore deierans & periurans. Praedicti autem delinquentes & malefactores pro ipsorum excessibus per capitaneos siue officiales vtriusque nostrum iudicialiter punientur, & ad satisfactionem plenam & debitam arcebuntur & compellentur. Item promittimus tenore praesentium & spondemus in verbo nostro, & sub onere præstiti iuramenti per nos pollicemur, quod (ad occupandum terras, castra, ciuitates, oppida, villas, & quæcunque loca domini Regis, Ducum & episcopi & capituli prædictorum & omnium subditorum suorum sub eorum ditione consistentium, tam ecclesiasticorum, quam secularium: Quinimo si aliquo casu per quemcunque hostem aut insidiatorem Regis, Ducum, episcopi, & capituli prædictorum, castrum aliquod, ciuitas vel fortalitium fuerint dolo, fraude, vel violentia intercepta vel occupata, aut aliqua loca incastellata, quod DEus auferat) nullatenus debebimus aut poterimus castrum, fortalitium, ciuitatem, aut loca sic intercepta, occupata, vel incastellata, etiam si sponte vel vltronee illius vel illorum nobis offeratur deditio, quomodolibet & sub quocunque colore suscipere: sed tenebimur & astringemur ad conquisitionem & recuperationem cuiuslibet castri, ciuitatis, & fortalitii in terris Culmensi, Pomeraniæ & Prussiæ intercepti & occupati, expugnati & incastellati, per nos & nostras potentias, vna cum potentiis Serenissimi domini CASIMIRI Regis, dominorum Ducum, & episcoporum, & terrarum suarum & subditorum prædictorum consurgere, & de manibus hostilibus eripere, ac in potestatem & ditionem Serenissimi domini Regis CASIMIRI, Prælatorum, Principum, & subditorum praedictorum restituere vicceuersa tenebimur. Item nos Ludouicus magister commendatores & ordo praedicti, castra & ciuitates Sthum, Nouumforum, Chelm alias Kulmen, antiquum castrum alias Heldennus, Brodnica alias Strosberg, Kryszburg alias Dregon, quæ hactenus fuerunt in nostra possessione & ditione, cum vniuersis suis districtibus & pertinentiis, salua dispositione, quo ad Kryszburg superius expressa, praefato Serenissimo domino CASIMIRO Regi & Regno Poloniæ, aut eorum factoribus & officialibus dimittere & resignare cum villis, oppidis, cohæreniis, pertinentiis eorum vniuersis, nihil excipiendo, & dictorum castrorum atque ciuitatum præfato Serenissimo domino Regi CASIMIRO & Regno Poloniæ, aut eorum factoribus & officialibus intra hinc & festum Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ proxime venturum effectualem, litteralem, & expeditam tradere possessionem, siue autem de manibus nostris et nostrorum, et ex nostra cessione, siue etiam aliis quibuscunque modis præfata castra et ciuitates in manus et potestatem domini CASIMIRI Regis et Regni Poloniæ deuenerint, quod & per hoc huic articulo, nos magister, commendatores, conuentus, et ordo censebimur satisfacere. Prouiso et etiam ante omnia saluo, vt Serenissimus dominus CASIMIRUS Rex Poloniæ, praedictos ciues et subditos ciuitatum prædictarum benigne suscipiat, et omnem offensam ex corde illis, nunquam verbo vel facto ipsam reminiscendo, dimittet, et de bonis ac vita illos per speciales suas regias literas, in manibus nostris tradendas, assecurabit. Iura eorum, libertates, et immunitates antiqua et antiquas duntaxat confirmando. Quod idem et nos Ludouicus magister, commendatores et ordo de ciuibus et subditis ciuitatum Holand, Bassenheim, Meydenburg, et Molhyrze facere tenebimur. Quarum etiam ciuitatum Holand, Bassenheim, Meydenburg, Molhyrzen, et cameratum Bordewon, præfatus Serenissimus dominus CASIMIRUS Rex et Regnum Poloniæ, tenebitur nobis magistro, commendatoribus et ordini nostro infra hinc et praedictum festum Natiuitatis S. Ioannis Baptistæ liberam, realem, et expeditam dimittere possessionem, exceptis sex villis districtus Holand, et quinque villis op-

pidi, et districtus Molhusensis, quae superius sunt nominatae. Volumus autem quod omnes venditiones, donationes, alienationes, libertationes, et inscriptiones inde et super oppidis, villis, castris, quae nos Ludouicus magister commendatores et ordo, dicto domino Serenissimo CASIMIRO Regi prout supra assignare tenemur, huiusmodi guerris durantibus, quouis modo factae, sint cassae, irritae, et nullae, quas et sic ex nostra certa scientia cassamus, irritamus, et annullamus. Item ordinauimus, quod omnes profugi, spoliati, et exules, militares videlicet nobiles et terrigenae, tam e Regno Poloniae, Ducatibus, dominiis, et terris praefati Serenissimi Principis CASIMIRI Regis et Regni sui, et episcopatus Varmiensis, quam de terris Prussiae et ordinis praedicti quibuscunque, possint redire ad propria, et de bonis suis dimissis disponere pro beneplacito suae voluntatis, ad quorum quietam et plenam possessionem tenebimur illos et proximiores illorum admittere & defendere. Non obstante, quod huiusmodi bona eorum per nos aliis quibuscunque personis sint ad vitam, aut ad tempus, vel in perpetuum, obligata, donata, vel inscripta : quas quidem obligationes, donationes, venditiones, et inscriptiones cassamus et irritamus, reuocamus et annullamus, nulliusque roboris esse volumus per praesentes. Tenebimur quoque nos Ludouicus magister, commendatores, et successores nostri, illos habere in gratia et fauore, nec vnquam verbo aut facto eorum reminisci hostilitatis, nec de illis vnquam aliquam sumere vltionem, per nos, vel submissam personam, publice vel occulte, directe et indirecte, aut quouis quaesito colore: quibus etiam plenam damus licentiam de terris et dominiis nostris ad terras Regni, Principatuum et dominiorum praedictorum, ratione incolatus se transferre, et bona sua mobilia et immobilia vendere, et commutare, et de eis libere disponere pro suo arbitrio, beneplacito, et voluntate. Ciues etiam vtriusque partis, qui de ciuitatibus vel oppidis expulsi, vel banniti fuerant, aut alias ab eis recesserant, publice vel occulte, debent ad illos, et ad illa ire, et admitti. Bona quoque eorum, quae ante inchoationem huius dictae vendita vel donata aliis non sunt, debent eis restitui. Et si ad domos, vel bona vendita aut donata, reditum habere velint, dato pretio per emptorem exposito, aut quod pro donatis per consulatum loci taxabitur, restitui debent eisdem, saluo etiam eo, quod possessiones in aedificiis, vel aliis oneribus occasione dictorum dominiorum, vel bonorum exposuerunt, quod similiter iuxta dictamen consulatus loci restituere debent, antequam huiusmodi domus ipsis vel bona restituantur. Item vi praesentis pacis, foederis, et vnionis conclusio abundantiori cautela custodiatur, per nos magistrum, commendatores, et ordinem, omnes episcopos, commendatores, vicecommendatores, aduocatos, milites, nobiles et caeteros magistratus et officiales in terris nostris Prussiae obtinentes. Item magistri consulum, consules ciuitatum nostrarum Kunszberg, Knepaw, Lembenycht, Holand, Noyderburg, Passenheim, ac omnes et singuli fratres ordinis militares Prussiae, iurabunt pacem praesentem seruare inuiolabiliter, et inconcusse, nec ei contrauenire quacunque occasione, nec dispensationem vel relaxationem iuramenti petere, renuntiando omnibus exceptionibus, tam iuris quam facti, maxime quod causa metus, perditionis omnium bonorum, aut absque consensu sedis apostolicae, cui ordo immediate subest, seu quod non vocatis magistris Alemanniae et Liuoniae, et absque eorum scitu, voluntate, et consensu, et contra statuta et consuetudines ordinis, praesens concordia et vnio celebrata et aceptata sit, et aliis non obstantibus quibuscunque. Item vt huiusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori tenore, attentiori firmitate et robore in omnibus suis capitulis, conditionibus, articulis atque punctis custodiamus et seruemus: et vt pax ipsa foedus et vnio ab omni suspicionis genere sit circumscripta, pro illius subsistentia et robore adiicimus, quod Serenissimus dominus CASIMIRUS Rex Poloniae, et nos LUDOVICUS magister, commendatores, conuentus et ordo, per nostros hinc inde factores et procuratores, quos in solidum, et irreuocabiliter praesentium tenore

constitui-

constituimus, venerandum videlicet patrem dominum *Iodocum*, episcopum Osiliensem, ordinis procuratorem generalem, et magnificum, venerabiles, egregios, nobiles et circumspectos viros, *Ioannem* de *Ostrorog*, militem, vtriusque iuris doctorem, castellanum Miedzyrzecensem, magistrum *Sandivogium* Theologiæ professorem, Præpositum monasterii Klodauiensis ordinis canonicorum regularium, *Antonium* de *Furliuio* decretorum doctorem, cameræ apostolicæ clericum, *Andream* de sancta cruce, *Antonium* de *Kasarellis*, sacri palatii apostolicæ aduocatos, *Bartholomæum Kielbassa*, canonicum Gneznensem, magistrum *Henricum Gardeman*, decanum ecclesiæ S. Andreæ Coloniensis procuratorem causarum, magistrum *Fabianum Hanco* decretorum doctorem, canonicum maiorem et Scholasticum S. crucis Vratislauiensis ecclesiarum coram summo Pontifice domino nostro sanctissimo Papa confitebimur, profitebimur, recognoscemus, et quilibet nostrum profitebitur, et recognoscet præfatam vnionem, foedus, pacem, et concordiam, nos spontanee, libere, sincera voluntate, sine dolo et fraude celebrasse, ordinasse confecisse, & consumasse. Et omnes articulos, capitula, modos, & ordinem, quibus pax ipsa & concordia confecta, consummata, & regulata est, ad præfati Reuerendissimi domini patris *Rudolphi* episcopi Lauentini, apostolici Legati, exhortationem, persuasionem, & mediationem, & de nostra mente, scitu, voluntate, consensu & beneplacito vltroneis processisse. Instabimusque, petemus, laborabimus, instare, petere, & laborare debemus, & tenebimur, sine dolo & fraude, quatenus summus Pontifex dominus noster, præsentem vnionem, foedus, pacem & concordiam, per interpositionem sui specialis decreti, de certa suæ Sanctitatis scientia emanandi, & per literas apostolicas, siue bullas, in omnibus ipsius articulis, capitulis, modis, ordinationibus, atque punctis acceptet, ratificet, & ad perpetuam rei memoriam confirmet, poenam quoque & censuram, ad quam nos summittimus, adiiciat, & apponat in præsentis pacis, vnionis, & foederis violatorem & transgressorem & contrariatorem cum suppletione defectuum, si qui sunt in præsenti foedere, ordinatione, & inscriptione commissi, et cum derogatione statutorum & consuetudinum, Ordinis etiam iuramento firmatorum, aut auctoritate apostolica vel Legatorum eius, vel quacunque alia confirmatorum, quibus fortasse caueretur, quod in magnis & arduis rebus ordinis vocatio et consensus magistrorum Alemanniæ et Liuoniæ debeat interuenire, ac etiam cum cassatione allegationis metus, quæ per nos magistrum, commendatores, conuentum et ordinem prætendi possit, cum ad pacem præsentem conficiendam aduocationem Reuerendissimi domini Rudolphi episcopi Lauentini, Legati apostolici, sponte venerimus, et in singulos tractatus, conditiones, et conclusiones pacis tanquam nobis proficuos et vtiles nostrum vltroneum præbuerimus consensum. Quam quidem concordiam, vnionem, et foederis perpetui conclusionem, Nos CASIMIRUS Rex præfatus, pro nobis, Regni nostri successoribus, & Ducibus Masouiæ & Stolpensi, episcopo, episcopatui, accapitulo Varmiensi, adiutoribus, adhærentibus, & subditis nostris, de certa scientia in omnibus eius articulis, conditionibus, atque punctis approbamus, acceptamus & præsentium tenore pro subsistentia perpetua emologamus, saluis aliis, quæ contra præsentis pacis & vnionis ordinationem, eius conditiones, articulos & capitula non sunt, præfati domini Ludouici magistri et sui ordinis iuribus, libertatibus, et priuilegiis. Quæ nos CASIMIRUS Rex præfatus, pro nobis et successoribus nostris Regibus Poloniæ approbamus et confirmamus. In cuius rei testimonium, nostrum, et præfati Reuerendissimi patris, domini Rudolphi episcopi Lauentini et apostolici Legati, sigilla, cum manus propriæ ipsius domini Rudolphi Legati, et notariorum publicorum subscriptione præsentibus sunt appensa. Et Nos *Ioannes* sanctæ Gnesnensis ecclesiæ archiepiscopus et Primas, Regni Poloniæ cancellarius, *Iacobus* Vladislauiensis, *Paulus* Varmiensis, eadem gratia episcopi: *Lucas* de *Gorka* Posnaniensis, *Stanislaus* de *Ostrorog*

Calisliensis, *Sciborius* de *Baysen* gubernator Prussiæ, *Petrus* de *Oporow* Lanciciensis, *Nicolaus* de *Kostielec* Brestensis, *Ioannes* de *Koscielec* Iunivladislauiensis, *Gabriel* de *Boysen* Culmensis, Palatini, *Petrus* de *Szamotuly* Posnaniensis, *Petrus* de *Goy* Calisliensis, *Ioannes* de *Rytwiany* Regni Poloniæ Mareschalcus, *Otho Machwicz* miles, *Nicolaus Pilowski* Culmensis, *Petrus* de *Moschczono* Dobrzynensis, *Dobrogostius* de *Ostrorog* Cancellarius Camenecensis, *Ioannes* de *Ostrorog* vtriusque iuris doctor, Miedzyrzecensis, *Sondiuogius* de *Czarnkow* Santhoczensis Castellani, *Sciborius* de *Poniecz* Iudex Posnaniensis, *Petrus Dunin* de *Prankowicz* Sandomiriensis, et *Michael* de *Lassotki* Lanciciensis, Succamerarii: Promittimus et spondemus, quod Serenissimus Princeps, dominus noster gratiosissimus, dominus CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, et magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, dominus et hæres, et sui successores Reges Poloniæ præsentem concordiam et foedus pacis perpetuæ atque coniunctionis, cum illustri & magnifico Principe et consiliario Regni Poloniæ, domino Ludouico de Erlichausen, magistro generali ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum hospitalis Ierosolimitani prædicto initam, conclusam, affirmatam, custodiet, attendet, obseruabit. Nos quoque Prælati et Barones prædicti custodiemus, attendemus, obseruabimus, et implebimus in omnibus conditionibus, articulis, atque punctis, & in euidentiam præmissorum, sigillorum nostrorum appensione, præsentem literam ordinauimus roborari. Actum et datum in Thorun, die solis, decima nona Octobris anno domini 1466. Præsentibus venerabilibus, egregiis, strenuis, nobilibus, et spectabilibus viris, *Paulo de Glouina* Decano Cracouiensi, *Petro Pniewy* Præposito Vladislauiensi canonico, *Iacobo de Schadek* decretorum doctore, Præposito Premisliensi, et *Ioanne Dlugosz* canonico Cracouiensi, *Henrico de Oporow* vtriusque iuris doctore, archidiacono Gnesnensi, *Mathia de Raczonsz* canonico Vladislauiensi, *Ioanne Winkler* decretorum doctoribus, *Paulo de Panczlawice*, *Ioanne Osman*, clerico Bambergensis diocesis, licentiatis in decretis, *Ioanne Stankonis* medicinæ doctore, canonico Vratislauiensi, *Bernardo de Schomberg in Chelm*, *Ioanne Skalskim in Frouenburg*, *Georgio Sliwen*, *Przewschelaw*, capitaneis: *Ioanne Szyling*, *Ioanne Thimonis*, & *Philippo Vaysel de Sambio*, et aliis quam plurimis fide dignis testibus ad præmissa vocatis et rogatis. Et ego *Rudolphus*, Dei gratia episcopus Lauentinus, sacrosanctæ sedis apostolicæ et sanctissimi domini nostri, domini *Pauli* diuina prouidentia Papæ secundi, ad Germaniam Legatus missus præfatus, quia præmissa omnia tractaui, concordaui, & dum per partes acceptarentur, emologarentur, & iurarentur, interfui: ideoque pro meliori euidentia ac testimonio hic me manu propria subscripsi, huiusmodi concordiam & foedus approbando, atque ratam & gratam habendo, *Lauentinus* episcopus manu propria. Et ego *Ioannes Ervich* de *Attendary* clericus Coloniensis dioecesis, apostolica & imperiali auctoritatibus Notarius, præfatique Reuerendissimi in Christo patris & domini domini Rudolphi episcopi Lauentini & Legati apostolici, ac coram eo scriba. Quia præinsertis concordiæ & perpetuæ pacis & articulorum & capitulorum in in eadem concordia expressorum, publicationi & insinuationi partium, hinc inde concordiæ, acceptationi, & emologationi, exceptioni, renunciationi, promissioni & iuramenti præstationi, omnibusque aliis & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur, per præfatum dominum Reuerendissimum, dominum Rudolphum episcopum Lauentinum & Legatum apostolicum, ac coram eo, & per Serenissimum Principem dominum & dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ &c. & suos ex vna, ac magnificum dominum Ludouicum de Erlichhausen magistrum generalem ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum, et etiam suos, ab altera partibus, agerentur, & fierent, vna cum prænominatis testibus præsens interfui. Eaque omnia & singula, prout in prætactis concordia & articulis continetur, fieri vidi & audiui. Ideoque præinsertas literas concordiæ & perpetuæ pacis cum earum articulis & capitulis

capitulis, manu alterius, me aliunde legitime occupato, fideliter scriptas, atque confectas, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, signo & nomine meis solitis & consuetis, vna cum dicti Reuerendissimi domini Legati, magistri generalis, & commendatorum prædictorum, sigillorum appensionibus, ac cum Notariis infrascriptis signaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus. Et ego *Stanislaus Francke* de *Rakonice* clericus dioecesis Vladislauiensis, publicus imperiali auctoritate Notarius, vt supra. Et ego *Paulus Ioannes* de *Beszowa* clericus dioecesis Gneznensis, publicus imperiali auctoritate Notarius &c. vt supra.

ORATIO AD DIVUM PAULUM SUMMUM PONTIFICEM, NOMINE MAIESTATIS REGIÆ PRO RATIFICANDA PACE PERPETUA, ET PRÆSTITA OBEDIENTIA HABITA.

BEatissime pater, & domine gratiosissime, fidelium omnium pastor & rector, facturus apud tuam Maiestatem, & hunc Reuerendissimorum patrum dominorum Cardinalium insignem cætum, nomine Serenissimi Principis domini CASIMIRI DEI gratia Regis Poloniæ, magni Ducis Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, domini & hæredis, verba, & iussiones tuæ sanctitati expositurus, circumspiciens: non commoueri, non denique fluctuare animo meo non possum, magnopere mecum, reputans, quam maximum, & quam amplissimum munus mihi mandatum sit: quanquam hoc tempus, hæc dies, hic locus, virum quem alium, quam ego sum, dicendi nempe peritum, desideret, cui & amplior vbertas sermonis, & feratior contingit libertas ingenii, mihi etenim hac in eminentissima frequentia, hoc in amplissimo collegio, apud tuam sanctitatem, nunquam alias visam, apud vicarium Christi peroranti, mens atque animus contrahit stuporem. Quis enim est tam facundæ atque viuacis memoriæ? quis tanta ingenii, ac dicendi polleat facultate, qui in hoc pulcherrimo consessu, & huius frequentiæ corona, dignitatem & excellentiam tuam metuendo, non fiat hebetior? non fiat obtusior? et tamen sciens clementissimum, sagacissimum, & eruditissimum, & verum nostræ religionis parentem, in singulos etiam, fauore propensiori, ac beneuolentia multa propicium, ausus mihi maximos sumo, qui me non tantum firmant, vt fidenti & quieto animo dicam, sed etiam prouocant, & impellunt, vehementerque cogunt, vt magna & hilari mente aggrediar, apud diuinas aures tuas benignissime acceptum iri, quod, quicquid dixero, confidens, & quo minus possum ingenio, eo magis mihi, & ignorantiæ meæ parsurum non ignoro a Tua Sanctitate, præsertim cum non meo, sed præfati Serenissimi domini Principis CASIMIRI Regis auctoritate & nomine mihi incumbat dicendum, quem tua Sanctitas, etiam, dum illam minor haberet status, et deinde in hac adsummum sacerdotium diuina quam humana euectione, sacra felicis recordationis domini Eugenii papæ quarti prædecessoris, et auunculi tui imitata vestigia, peculiari animo fouit, extulit, et dilexit: ac suos et Regni profectus sui et commoda singulari studio et cura promouit, et procurauit, ipseque illustrissimus Princeps dominus CASIMIRUS Rex Poloniæ præfatus, quam primum te ad Culmensis dignitatis apostolicæ fauore diuino, et patrum conscriptorum vniformi et mirifico consensu, diuinis trahentibus meritis cognouit sublimatum, vniuersæ primum Reipublicæ Christianæ maximis hactenus impressionibus barbarorum vexatæ, deinde suis, et Regni sui, et dominiorum suorum rebus optime sperare coepit: postquam te sciebat natura, ingenio, atque virtute, et tam optimarum artium studio; quam innocentia excelluisse: pro fidei quoque et religionis nostræ incremento, et populi Christiani libertate vendicanda, magno semper animo, magnoque zelo flagrasse. Quapropter illustrissimus ipse Rex tantis bonis, et superne tibi collatis, et a natura ingenitis in vniuersum catholicum orbem, in suum

quoque Regnum, principatus et dominia redundantibus, et redundaturis, singularissimo zelo velut deuotissimus filius effectus, et per oratorum suorum, ex bonis et necessariis respectibus hactenus missorum sanctitati tuæ publicam obedientiam verbis non præstitit: rebus tamen ipsis, et operibus te coluit, et recognouit, te vicarium vnicum, et indubitatum, summi Dei in terris tenuit, reputauit, et credidit, iustissimis etiam tuis, tam exhortionibus quam mandatis, obedienter paruit. Requisitus, siquidem tuæ sanctitatis literis, et deinde Reuerendissimi in Christo patris, domini Rudolphi, episcopi Lauentini, tuæ sanctitatis ad Germaniam Legati et oratoris sermonibus et literis, quatenus bellum atrox et diuturnum cum magistro et ordine Cruciferorum, ordinis sanctæ Mariæ Theutonicorum hospitalis Ierosolimitani, hactenus continuatum, dirimeret, et sibi a bellorum stridore temperaret (quamuis armis et potentia, fauore hominum, insuper et successuum fortunæ se sciret multo superiorem, et pæne iam victorem) monitis tamen tuæ sanctitatis, et imperio, potius, quam suæ felicitati et successibus deferendum et auscultandum duxit, et ad dietam super plantanda pace, pro die prima Septembris apud Thorun per dictum dominum Rudolphum Legatum in dictam personaliter aduenit: sicque adueniens se in conditiones æquas pertrahi consensit. In cuius quidem pacis ordinatione et tractatu, dominus Rudolphus episcopus Lauentinus, caste, sincere, integre, inter partem vtramque, duobus prope mensibus versatus, fructum est amplissimum suæ missionis consecutus: tantam nimirum de se virtutem, tantam industriam exhibens, quantam in terris omnibus, qui rem hanc fuere aggressi, neque videre, potuimus, neque sentire. Talem insuper in pace componenda, talem in dirimendis difficultatibus, talem in dissoluendis nodosis disceptationibus, talem in admonendo, talem in persuadendo gessit, vt parti vtrique gratissima fuerit eius fides, modestia, et integritas. Cuius modestiæ et integritatis signum hoc vel pro maximo documento, tua sanctitas accipiat, quod singula dona, quibus a Serenissimo domino nostro Rege honoratus erat, recipere constantissime recusauit. Et quamuis ab insignibus, et grauibus viris, ad idem a Rege ad illum ea causa destinatis sollicitaretur, vt ex donis ipsis aliqua saltem grata accipere in animum induceret: iterumque atque iterum, ne quidquam vexaretur, aspernatus, tamen omnia, et expetitionis frequentem instantiam, et petentium dignitatem, repulit. Itaque pater beatissime nomine prædicti illustrissimi Regis nostri, prælatorum, Principum, et omnium subditorum suorum, quos ambitus Regis Polonici continet, maximas tuæ sanctitati, quemadmodum iustum et condignum est, gratias agimus, maiores habemus, quamuis illas satis et ornate agere nullatenus possumus, agit et venerabilis magnificusque vir dominus Ludouicus de Erlichhausen, magister generalis ordinis prædicti, cum Serenissimo Rege domino nostro, et Regno perpetuo foederatus, et vnitus, agunt, et præceptores, subditique sui, tuo fauore, tuo beneficio in dudum exulantem pacem reducti. Sed neque solum illustrissimus ipse Rex Poloniæ, suique optimates subditi et proceres, prædictusque magister generalis et ordo, verum vniuersæ vicinæ nationes et populi tuæ sanctitati gratias immortales fere gestiunt. Nec est ex tot linguis et populis, qui non probet, qui non laudet, qui miris laudibus non efferat, qui te beato æuo et gloria immarcescibili perfrui non optet: qui populum catholicum maxima lætitia affecisse, et in singulos pacem diffudisse, non dicant, non sentiant: quæ illam generalem studiorum, illam bellorum perniciem sustulit, extinxit, et pacem cunctis desiderabilem æquis conditionibus perfecit: quam perficere sine te, nemo alius potuit. Cum autem virum eum, Pontificem et Legatum, qui iucundissimam pacis amœnitatem tua auctoritate et nomine confecit, disiunctissimos populos odiis prope maioribus certantes, quam viribus, ad pulcherrimam et vniformem identitatem reduxit (quorum solidum glutinum magistri et ordinis oratorum nos concomitantium, nostrisque precationibus fauentium coram testatur conspectus) eum inquam hominem, vel vt verius dicamus,

mus, terrestrem pacis angelum, summa fide, summa probitate, continentia, innocentia, puritate, nobilissimis quoque moribus, partis vtriusque beneuolentiam et existimationem consecutum, tua Sanctitas charum habeat, et sublimem, quemadmodum dignus et meritus est, precamur, decoret, pacemque confectam, pro solidiori illius subsistentia, sua auctoritate, suique apostolici interpositione decreti approbet, et in singulis suis conditionibus et articulis (id enim pars vtraque deposcit, precatur, et desiderat) suis literis confirmet. Rex autem clarissimus noster, dudumque tibi et sedi apostolicae deditissimus, praestitam tibi alias obedientiam iterum praestat, et innouat. Teque vnicum, summum Pontificem, vniuersalisque ecclesiae vicarium indubitatum Iesu Christi, per nos humiles oratores suos profitetur, et recognoscit. Rogans humiliter et deprecans Sanctitatem tuam, vt ad defensionem catholicorum, exterminium barbarorum, atque in augmentum religionis, quo coepit zelo et studio, intendat, ipsum Regem, Regnum suum, et illustrissimam coniugem suam, natos, Praelatos, Principes, et subditos: singulariter quoque praefatum dominum Ludouicum magistrum et ordinem suum, principatus, et dominia ipsorum habere velis singulariter recommissos, qui se tuae Sanctitati, omniaque sua, beneuolos et deuotissimos exhibent, tuae quoque fidei et obedientiae se submittunt, grato et prono animo facturos singula quaecunque spectare viderint in tuae sanctitatis et sacrosanctae vniuersae ecclesiae honorem, statum, beneplacitum, et augmentationem: ad laudem indiuiduae Trinitatis, tuaeque beatissimae Sanctitatis.

⁂ ⁂ ⁂

Et quanquam Priuilegium Brestense pacis ex reuersalibus literis in thesauro existentibus praesenti communi Priuilegio ascriptum fuerit, continens conditiones dictae pacis, eas, quae infra scriptae sunt: tamen quia scribuntur puncta et conditiones in vno, quae non continentur in altero: idcirco Nos ALEXANDER Rex articulos eiusdem pacis Brestensis ex Priuilegio Ducatuum Masouiae sumptos, in omnem euentum, ac communem subditorum nostrorum instructionem decreuimus supra scriptis adscribendos sicut sequitur.

IN primis per praedictos dominos, Regem et Duces Poloniae, terras Lithuaniae, Samogitarum, Russiae, Masouiae, et Stolpensis, et alias dominiorum ipsorum, et subditos ab vna: et praedictum magistrum generalem et ordinem, terras et subditos ipsius, tam in Prussia et Alemannia, quam Liuonia et noua Marchia, parte ex altera: omnes dissensiones, controuersiae, et damna inter partes hinc inde facta, dimissa, et totaliter sopita debent esse. Ne illorum de cetero aliqua mentio, aut memoria, et signanter in querelis, aut in detractione partium aliqua coram quibuscunque personis habeatur, aut fiat: sed nec vna partium ad instantiam alterius suggeret, consentiet, auxilium dabit et fauorem publice vel occulte, et quantum in ea parte fuerit, delationes et detractiones huiusmodi fieri non admittat, sed potius prohibebit. Item quod omnia bona ecclesiarum Gneznensium, Vladislauiensium, Plocensium, Posnaniensium, Praelatorum, Abbatum, monasteriorum, conuentuum, & aliarum quarumcunque personarum saecularium et religiosarum, quae sunt in terris ordinis sita, debent circa iura omnia, tam ecclesiastica, quam saecularia, & omnes antiquas consuetudines, quaestus, decimas, castra, villas, praedia, curias, & alias vtilitates, emolimenta, & prouentus, quibuscunque nominibus nuncupentur, conseruari, nec aliquibus nouis consuetudinibus, seruitiis, & oneribus aggrauari. Quodque eadem bona non alienentur, nec pro eorum alienatione instetur per partes, sine consensu Praelatorum speciali. Omnes autem census, decimas, prouentus & alias obuentiones qualescunque, in terris ordinis consistentes, quos & quas magister & ordo praedictis Reuerendissimis patribus, dominis archiepiscopo Gneznensi, Vladislauiensi, Plocensi, episcopis, aliisque

Prælatis ſæcularibus et regularibus Regni Poloniæ per biennium ſubleuauerat, plene & integre restituant, & reſtitui faciant: medietatem infra hinc ad feſtum Purificationis Mariæ, reliquam autem partem ad feſtum Paſchæ proxime nunc venturum in ciuitate Thorunenſi. Item de limitibus Ducum Maſouiæ hoc ſtatuimus, quia remanere debent circa literas quas habent. Et ſimiliter, qui in literis noſtris & ordinis ſuper eisdem limitibus continentur, & vbi in literis limites deſcripti non fuerint, ad eosdem firmandos præfati Duces ſuos conſiliarios deſtinare debent, ſimiliter & ordo. Quæ vero partium euidentiori teſtimonio, vel altis legitimis probationibus, ſuos limites probauerit, & ſuas eſſe granicies docuerit: hæc remaneat circa ipſas. Et in caſu quo vtraque partium granicies & limites legitimis probationibus probare non poſſet, ſtabit in optione magiſtri, an velit iurare pro eisdem graniciebus, vel dominum Ducem admittere ad iuramentum pro eisdem. Cum Duce autem Boleslao limites, alias vt prius facti, pro quibus non eſt diſcrepantia, renouentur. Item terræ Samogitarum & Sudorum propter bonum pacis debent apud nos & Regnum Poloniæ ac Ducatum Lithuaniæ ſub limitibus ſupraſcriptis remanere perpetue & in æuum. Item a fine limitum Ducum Maſouiæ incipiendo a flumine Lyk, & vado dicto Kamyonibrod, qui iacet in ſuperiori parte eiusdem fluminis Lyk, altius quam iſti lacus Brayuo, Thoczylow: & ab illo directe eundo per ſolitudinem vsque ad locum, qui dicitur Rohoth, ita quod medietas eiusdem lacus remaneat in terris domini Ducis Lithuaniæ, & reliqua medietas in terris ordinis, & ab illo lacu directo tramite per deſertum vſque ad quandam arcam dictam Mernuſk, & a Mernuſk eundo directe vſque ad lacum, qui vocatur Dwiſchicz: ita tamen quod idem lacus remaneat totus in parte ordinis: & ab eo lacu, quo directius iri poteſt ad ortum ſeu ſummitatem fluminis dicti Lepnicza, per eundem fluuium deſcendendo vſque ad conſumationem eius, vbi intrat in fluuium Scheſchupa, procedendo per ſolitudinem vſque ad ripam fluminis Memel, & ex oppoſito fluminis dicti Swyanta, vbi idem fluuius Swyantha intrat fluuium Memel prædictum: & hoc, quo ad terram Sudorum, tandem per fluuium ſurſum aſcendendo per duo milliaria, & ab illo loco per illum fluuium deſcendendo, tranſeundum eſt per ſolitudinem, quo directius iri poteſt vſque ad fluuium Iura: relinquendo fluuium Memel in ſiniſtro latere vbique per duo milliaria, et dictum fluuium Iura aſcendendo vnum milliare, a quo loco Iura fluuius deſerendus eſt, & tranſeatur per ſolitudinem, relinquendo fluuios Memel, & Rusſna lacum, qui dicitur Hap, & caſtrum Memel in Samogitto Klupedo appellatum, vndique a ſiniſtro latere per tria milliaria: & ſic tranſeundum eſt vſque ad littus maris ſalſi. Et hæ ſunt granicies terræ Samogitarum & Pruſſiæ. Inter Liuoniam vero, Samogitiam, & Ruſſiam, limites ſunt incipiendi a flumine dicto Helge, vbi dictus fluuius intrat mare, per eundem fluuium aſcendendo ſurſum ad antiquos limites inter Samogitiam, Lithuaniam, Ruſſiam ab vna, & Liuoniam ab altera partibus, tentos & obſeruatos. Non tamen ad illos limites, qui ſignati ſunt eo tempore, quando ordo terram Samogitarum tenuerat, ſed ad illos, qui antiquitus inter terras prædictas ſunt ſeruati. Item datia ſiue exactio Funtowczol, ſuper quæ priſcis temporibus & hactenus controuerſia inter magiſtrum & ordinem, ac mercatores terrarum Regni Poloniæ vertebatur, & ſemper pendebat ex certis cauſis indeciſa, talem ponimus ordinem: quod mercatores Regni præter alia quæcunque grauamina & ſolutiones in poſterum imponendas, quibuscunque nominibus cenſeantur, reſpondeant ordini de eadem dumtaxat, ſi quando illos contigerit cum bonis ſuis in nauibus propriis nauigare vltra mare. Ita tamen, quod ſi ciuitates maritimæ libertatæ & ſolutæ via iuris fuerint ab eadem, quod ciues, mercatores, & indigenæ Regni & terrarum Poloniæ, Lithuaniæ, Maſouiæ, & Ruſſiæ a ſolutione quoque huiuſmodi ſint liberi & exempti. Et illa omnia ab eis, a tempore, quo præſens pax perpetua eſt firmata, ratione huiuſmodi exactionis ſunt recepta, integraliter reſtituentur per ordinem

prædictis

prædictis mercatoribus Regni viceuersa, absque recusatione & renitentia: qualicunque interruptione, consuetudine, præscriptione, & diuturnitate temporis non obstante: si vero per concordiam extincta fuerit, ad restitutionem receptorum minime teneantur. Aliæ autem omnes & singulæ exactiones, quibuscunque nominibus vocitentur, a mercatoribus, & terrarum Regno Poloniæ subiectarum, vt præfertur, indigenis, in terris magistro & ordini subiectis, et specialiter exactio quædam dicta *Lobegalth*, & *Firlen*, nullatenus de cetero imponantur. Item liber sit transitus & via omnibus mercatoribus & incolis Regni Poloniæ & terrarum Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, Russiæ, & Stolpensis, cum suis mercantiis, frumentis cuiuscunque grani, & rebus quibuscunque, & cuiuscunque conditionis vel materiei existant, sine impedimento vel angaria per terras, & maria, aquas, & flumina quæcunque ascendendo, in & ad Regnum Poloniæ, terras Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, et Russiæ: & descendendo per terras dominiorum ordinis, & per ipsa flumina seu aquas, vsque ad maria & trans mare in nauibus vacuis siue oneratis, magnis siue paruis, absque aliquo arresto & impedimento ciuitatum seu oppidorum, et specialiter circa Thorun, quocunque et quoriescunque voluerint. Quas quidem merces, frumenta, et res, vt præscriptum est, si præfati mercatores, siue incolæ Regni nostri Poloniæ & terrarum suprascriptarum, ducentes, vendere aut stare in aliquo locorum seu ciuitatum, ad portum, seu ripam prædictarum aquarum siue maris situatorum, siue situatarum voluerint, est, & debet esse in ipsorum arbitrio & voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere, vel descendere, quo eis placuerit cum rebus prædictis, vt superius est expressum. Item si aliquando contigerit, quod subditi nostri, tam spirituales, quam sæculares, cuiuscunque conditionis existant, status vel ordinis, volendo pacis perpetuæ præsentis concordiæ foederibus contraire, vel aliis causis legitimis occasione prædicta emergentibus fortasse indignationem nostram incurrerent, & formidine pœnæ ac metus qui cadit in constantem, recurreret ad magistrum & ordinem, exposita causa metus tenebit magister & ordo talem et taliter ad dominia ordinis fugientem suscipere, et fouere, ipsumque fugientem ad iustitiam exponere, causamque sui recessus coram nostra Maiestate per suas literas vel nuncios allegare: ita quod nos post intimationem magistri et ordinis tenebimur in termino competenti circa limites de parte nostra duos Barones, aut milites, de nostris ponere, et magister de suis totidem: qui taliter ex vtraque parte electi, cognita sui recessus causa, debebunt de ipso bonam facere iustitiam, et iuxta merita causæ coram eis introductæ, tali personæ fugienti de pace et securitate per declarationem suam apud nostram regiam Maiestatem cum bonis conditionibus assecurationi suæ prouidere. Ita quod nos propter hoc, contra personam prædictam fugientem, ad aliquam vltionem, parendo declarationi illorum iudicum, electorum, non consurgamus: sed cum pristinis fauoribus, sicut et cæteros subditos complectemur. Item et subditi nostri, et magni Ducis, et terrarum nostrarum prædictarum, vndecunque, et cuiuscunque gradus, status, vel conditionis fuerint: qui causa negotiationis vel alia, ad terras nostras Prussiæ, Lithuaniæ, vel alias venerint, per nos et subditos nostros, ac extraneos cuiuscunque gradus, status, aut conditionis fuerint, minime impeti, conueniri debent, vel arrestari: sed in Polonia, Lithuania, Masouia, Russia, seu terra Stolpensi, quid actionis habuerint iuxta terrarum iura municipalia huiusmodi contractionis sopiantur. Delinquens tamen in loco delicti deprehensus, et contrahens de contractione recenti in loco contractus poterit conueniri. Sed si de loco, vbi contraxit, recesserit, publice vel occulte, coram iudice suo conueniatur. Item si fures, incendiarios, vel alios malefactores quoscunque de dominiis Regni nostri quibuscunque ad Regnum nostrum, Ducatus, et terras nostras prædictas fugere contigerit: extunc terrigenæ et quorum interest, de terris et dominiis

Regni nostri licenter eosdem sine omni impedimento insequi libere vbicunque poterint. Quibus etiam capitanei, tenutarii, terrigenæ, iudices, officiales, et subditi dominorum nostrorum præfatorum, quicunque super hoc fuerint requisiti, debent præstare auxilia, consilia, et fauores, vt malefici huiusmodi capiantur, captique iuxta iura municipalia Regni nostri legitime puniantur. Et si capi non poterint in Regno & terris nostris sæpe dictis per nos & subditos nostros, vt alias nullatenus sustineantur seu foueantur. Teneanturque vtraque pars illis sine fraude & dolo in suis dominiis incolatum prohibere, aut in metis terrarum, quos huiusmodi tangit negotium, exhibere de eis iustitiæ complementum. De malefactoribus autem de terris ordinis Prussiæ & Lithuaniæ ad Regnum nostrum confugientibus similis æquitas habeatur. Item neutra partium debet aliquem, vel aliquos etiam subditos alterius partis in suis dominiis fouere ac tolerare, qui alteri parti, eius subditis, aut subdito diffidare velit, aut velint, ac diffidant, damna irrogant, seu infidelitatem commiserint, vel alias graues inferrent molestias, imo & inimicis parti aduersæ adhærere possint: eos per terras suas permittere in præiudicium & offensam alterius sine dolo & fraude quoquomodo. Item omnes coadiutores & adhærentes, qui in fauorem nostri & Regni nostri Poloniæ coadiutorum, & subditorum nostrorum, magistro & ordini Prussiæ diffidarunt, & ab omni impetitione magistri & ordinis prædicti sint liberi & soluti. Item omnes apostatæ ordinis prædicti in Regno nostro, & terris Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, Russiæ, & Stolpensis, & aliis dominiis Regni nostri & terrarum prædictarum commorantes, ne diutius in suis peccatis tolerentur: de Regno nostro & dominiis nostris prædictis per nos & officiales nostros exire compellantur, & deinceps ii & alii in eisdem nullatenus foueantur. Item quod nullus mercator seu alius homo cuiuscunque conditionis existat, aut bona ipsius, propter delictum seu debitum alterius arrestetur, vel turbetur, nec etiam capriuetur. Item si vectores & aurigæ bona seu merces mercatorum pro pretio ducentes, telonea seu loca datiarum prætererint, ipsi duntaxat in rebus & equis propriis puniantur. Et quod propterea bona mercatorum non debent occupari, nec detineri. Item illustris princeps dominus *Boguslaus* Dux Stolpensis ab vna, magisterque & ordo prædicti ab altera partibus, ad distinguendum et reformandum limites inter Ducatum Stolpensem prædictum, et terram ordinis in Pomerania nuntios ex vtraque mittant in festo Ascensionis domini proxime nunc futuro, vbi dum conuenerint, pars domini Ducis eliget duas aut tres personas de parte domini magistri et ordinis. Et e conuerso dominus magister et ordo duas aut tres personas similiter de parte Ducis: quæ personæ sic electæ præstito corporali iuramento, visis partium iuribus, literis aut legitimis documentis, differentias huiusmodi, si commode poterint, terminabunt. Si vero non possent, extunc eligent vnum vnanimi consensu pro iudice: qui habendo DEum et iustitiam præ oculis, quæstionem prædictam inter partes iudicialiter, quanto breuius poterit, terminabit. Cuius decisioni partes beneuole obedient et parebunt. Item vt huiusmodi pacem perpetuam et concordiam sub certiori attentionis firmitate et robore custodiamus, et seruemus, promittimus sine dolo et fraude, sub fide et honore, quod ad nullius viuentis hominis requisitionem, inductionem, suggestionem, persuasionem, vel mandatum, etiam quacunque dignitate præfulgeat, papali, imperiali, vel regali, aut cuiuscunque congregationis legitime personarum ecclesiasticarum vel sæcularium, debebimus vel poterimus contrauenire ipsis, in toto vel in parte, expresse, manifeste, vel occulte, per se, seu alium, vel alias quascunque personas submissas, spirituales vel sæculares, neque eas taliter, aut quocunque modo alio violare: etiam si imperator personaliter cum exercitu se contra nos, Regnum nostrum, aut magnum Ducatum Lithuaniæ moueret. Non debebimus ei, nec successores nostri assistere, ope, consilio, auxilio, vel fauore. Item vt omnia præmissa certiori cautela munita

nita iugiter permaneant, et vt pars contra partem metu animaduerſionis præſentis concordiæ ad bella, et praelia non conſurgat: ſtatuimus decernentes, quod noſtri prælati, milites, nobiles, et tota communitas debeat et teneatur terrarum Regni Poloniæ prælatis, baronibus, militibus, nobilibus, ciuibus et toti communitati dare certas noſtras literas, et pares ſiue reuerſales ab ipſis ſub eadem forma recipere, quas tam nos, quam preſatus ordo vtriſque ſubditis noſtris dare promittimus, et debemus, ipſique ſubditi noſtri eaſdem ſubditis domini magiſtri et ordinis, et e conuerſo ſubditi ordinis ſubditis Regni noſtri dare et repræſentare tenebuntur in termino ſub his, vel ſimilibus verbis: Quod ſi nos vel ſucceſſores noſtri ſtante huiuſmodi pace perpetua, magiſtro aut terris ordinis vellemus aut conaremur huiuſmodi guerras aut bella mouere, non debent nobis ſubditi noſtri conſentire, nec in hoc obedire, aut parere. Immo erunt ab omnibus noſtris homagiis, iuramentis, et ſubiectionibus liberi et ſoluti, donec in hoc caſu nos ad obſeruationem huiuſmodi pacis perpetuæ reuertemur. Item ſi aliquæ nouæ diſſenſiones, diſplicentiæ, damna, ſine diſcordiæ inter nos, Lithuaniæ, Samogitarum, Maſouiæ, terras Ruſsiæ & Stolpenſem ex vna: ac magiſtrum & ordinem prædictum, tam per Ruſsiam quam Liuoniam, emerſerint, vel aliqua partium præſenti concordiæ ſuadente diabolo contrauenire quouis modo præſumpſerit. Ex tunc pars læſa alteri tenebitur & debebit nunciis aut ſcriptis huiuſmodi iniurias & diſplicentias ſeu aliquod præmiſſorum, ſignificare. Et tandem ambæ partes efficere, & procurare ſine dolo & fraude, quod conſiliarii ipſarum partium ad certos, locum & diem, conueniant competentes, qui huiuſmodi diſplicentias & iniurias ſecundum Deum & iuſtitiam, omni fauore & odio poſtpoſitis, tractent, cognoſcant, terminent, & decidant. Item omnes violationes treugarum, pacis, fœderis, ſtipulationum, & contractuum, ſi quæ inter partes prædictas in guerris prædictis accidiſſent, vigore præſentis concordiæ caſſamus, & annihilamus.

Finiunt articuli ex Priuilegio Ducatuum Maſouiae de pace Breſtenſi ſumpti.

SIGILLA PENDENTIA AD LITERAM PACIS PERPETVÆ.

	SIGILLA PALATINORUM	
SIGILLVM Maieſtat Regiæ.	Cracouienſis.	Lancicienſis.
Item Magni Ducis Lithuaniæ.	Poſnanienſis.	Breſtenſis.
SIGILLUM DUCUM Maſouiae.	Sandomirienſis.	Vladislauienſis.
Semouiti.	Caliſſienſis.	Miedzyrzecenſis.
Kaſimiri.	Siradienſis.	Vilnenſis.
Vladiſlai.	Lancicienſis.	Troczenſis.
Boleſlai.	Breſtenſis.	Plocenſis,
SIGILLA	Vladislauienſis.	Dobrynenſis.
Item quatuor Ducum Lithuaniæ.	Vilnenſis.	Czyrnenſis.
Item Boguslai Ducis Stolpenſis.	Trocensis.	Varſſauienſis.
SIGILLA ARCHIEPISCOPOR.	Plocensis.	Leopolienſis.
Gneſnenſis.	Varſauiensis,	Camenecenſis Ruſſiæ.
Leopolienſis.	Leopoliensis.	Camenecenſis Podoliæ.
SIGILLA EPISCOPORUM	Camenicensis.	Lublinenſis.
Cracouienſis.	Belſensis.	Voyniczenſis,
Vladislauienſis.	SIGILLA CASTRORUM.	Byeczenſis.
Plocenſis,	Poſnaniensis.	Radomienſis.
Poſnanienſis.	Sandomiriensis.	Landenſis.
Vilnenſis.	Caliſſienſis.	Roſperienſis.
SIGILLUM	Gneſnenſis.	Brzeſinenſis.
Item Caſtellani Cracouienſis.	Siradienſis.	Konariensis.

 Rupinenſis

Rupinensis.
Gostinensis,
Rauensis.
Szochacouiensis.
Cziechanouiensis
Koualensis.
Krussuicensis.
SIGILLA OFFICIAL:
Mareschalci Regni & Officialium
Regni Poloniæ
SIGILLA SUCCAM.
Cracouiensis.
Posnaniensis.
Sandomiriensis.
Calissiensis.
Gnesnensis.
Siradiensis.
Lanciciensis.
Brestensis.
Vladislauiensis.
Plocensis.
Czyrnensis.

Varssauiensis.
Leopoliensis.
Camenecensis,
SIGILLA VENATOR.
Brzestensis.
Czyrnensis.
Vladislauiensis.
Varssauiensis.
SIGILLA GLADIFERORUM.
Cracouiensis.
Siradiensis.
Posnaniensis.
Lanciciensis.
Brestensis.
SIGILLA SUBDAPIFERORUM.
Cracouiensis.
Posnaniensis.
Sandomiriensis.
Calissiensis.
Gnesnensis.
Siradiensis.

Lanciciensis.
Brestensis.
Vladislauiensis.
Plocensis.
Czyrnensis.
Varssouiensis.
Leopoliensis.
Dobrinensis.
SIGILLA SUBPINCERNARUM.
Cracouiensis.
Posnaniensis.
Lanciciensis.
Brestensis.
SIGILLA OFFICIAL. CURIÆ
Mareschalci
Subcamerarii
Thesaurarii.
Magistri coquinæ.
Pincernæ
Incisoris
Dapiferi.

LIBER TRANSITUS OMNIBUS MERCATORIBUS & INCOLIS REGNI POLONIÆ ET TERRARUM LITHUANIÆ, SAMOGITIÆ, MASOVIÆ & RUSSIÆ CUM OMNIBUS MERCANTIIS PER TERRAS, MARIA, ET TRANS MARE IN PERPETUUM PER TERRAS CRUCIFERORUM TAM PRUSSIÆ, QUAM LIVONIÆ PERMITTITUR.

FRater PAULUS de RUSZDORFF Ordinis beatæ Mariæ domus Teuthonicorum Hierosolymitani Magister generalis, significamus tenore præsentium vniuersis. Quomodo inter cætera nostræ sinceritatis et benignitatis studia, quæ ad subditos & subiectos dominiorum Ordinis nostri quadam humanitate libenter gerimus, diebus, noctibusque meditantes in animo fatigamur, vt ipsis tranquillitatis remedia, pacis dulcedinem & requiem procuremus opulentam. Igitur conuenientibus nobis vna cum prælatis & Præceptoribus, ceterisque Ordinis nostri fratribus, ac strenuis militibus, & prouidis ciuibus, fidelibus nostris dilectis infra scriptis, feria sexta in crastino ascensionis Christi & diebus sequentibus, in ripa fluminis Visla, in hæreditate *Nyessoua* Vladislauiensis diœcesis ex opposito oppidi nostri Thorun ex vna: & Serenissimo Principe, magnificoque domino VLADISLAO Rege Poloniæ &c. factæ, & initæ, contentos ipsis articulos præfatæ concordiæ in nullo penitus contrauenientes, sed ipsos magis ac magis approbantes & confirmantes per capitula, distinctiones, & clausulas infra scriptas, declarauimus et elucidauimus, ac tenore præsentium elucidamus. In primis si quidem, quod via libera est, & debet esse, omnibus mercatoribus, & incolis Regni Poloniæ & terrarum Lithuaniæ, Masouiæ, Russiæ, & Samogitarum transeuntibus cum eorum mercantiis & rebus quibuscunque per Prussiam & Liuoniam & alias terras ordini subiectas, antiquis tamen teloneis & depositis siue modis deponendi merces consuetudinibus, & obseruantiis aliis semper saluis, prout in articulo octauo literæ vnionis, & concordiæ perpetuæ quæ sic incipit. Item omnes mercatores, &c. est expressum. Item liber sit transitus & via omnibus mercatoribus & incolis Regni Poloniæ & terrarum Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, & Russiæ cum suis mercantiis, frumentis cuiuscunque grani, & rebus quibuscunque, et conditionis vel

vel materiei existant, sine impedimento, vel angaria, per terras, & maria, aquas & flumina quæcunque ascendendo in & ad Regnum Poloniæ, terras Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, & Russiæ: & descendendo per terras dominiorum ordinis nostri, ac per ipsa flumina seu aquas vsque ad maria & trans mare, in nauibus magnis siue paruis in perpetuum, quucunque, seu quotiescunque voluerit: quas quidem merces, frumenta, & res, vt scriptum est, si præfati mercatores seu incolæ Regni Poloniæ & terrarum supra scriptarum ducentes vendere aut stare in aliquo locorum seu ciuitatum ad portum seu ripam prædictarum aquarum siue maris situatarum, vel situatorum voluerint, est, & debet esse in ipsorum arbitrio & voluntate. Si vero vendere noluerint, possunt absque omni impedimento ire seu ascendere, vel descendere, quo eis placuerit, cum rebus prædictis, vt superius est expressum. Item de datia, *Psundtzol* vulgariter dicta, consiliarii domini Regis prædicti proposuerunt Quomodo prædicta datia sit noua, & deposita fuerat, neque eo tempore extitit, quando pax & concordia est facta & firmata, neque prædicta datia imposita fuit ad longa tempora, sed tantum ad pacificandum mare, eo tempore, quo Regina Daciæ *Margaretha* cum *Alberto* Rege Sueciæ tenuit guerram. Ex aduerso consiliarii ordinis nostri dixerunt, quod hoc teloneum *Psundtzol* fuit ante istam pacem & concordiam perpetuam, nec vnquam fuit depositum, nec articulus in litera concordiæ positus continetur, quod aliqua telonea deberent deponi: Sed demonstrat, quod nulla noua telonea sunt instituenda: propter quam discrepantiam et dubium sic est conclusum. Quod de cætero prædicta datia *Psuntdtzol*, et eius solutio suspendatur, et sit suspensa: nec ad ipsius solutionem mercatores duntaxat et incolæ Regni Poloniæ et terrarum prædictarum teneantur, tam diu quousque cognoscatur et discutiatur, an secundum dispositionem et tenorem ariculi octaui, a capite de quo supra est facta mentio, debeat deponi, quoad mercatores et incolas Regni Poloniæ et terrarum prædictarum. Item quod omnes mercatores et incolæ Regni Poloniæ et terrarum Lithuaniæ, Samogitarum, Masouiæ, et Russiæ, a solutione cuiusdam pecuniæ vulgariter *Lobegeld* nuncupatæ, quæ a frumento in *Gdansk* recipiebatur, perpetuo sint liberi et exempti, nec ad eius solutionem de cætero teneantur. Item omnes mercatores et incolæ terrarum et dominiorum ordinis nostri in terris Regni Poloniæ duntaxat, Dobrinensis Cuiauiensis, Lanciciensis, Siradiensis, et in Polonia in ciuitate Gnesnensi tantum, libere possunt pannos vendere, et per vlnas incedere in foris annalibus ciuitatum seu oppidorum prædictorum: possunt etiam emere et ducere frumenta, pecudes, et pecura ac quæcunque alias res in foris septimalibus quibuscunque. Item quod teloneum et depositum vulgariter Niderloge, circa Landisberg, et castrum in noua Marchia, quæ dicuntur de nouo imposita, suspendantur: nec a mercatoribus et incolis Regni Poloniæ exigantur, seu recipiantur: sed dentur ad fideiussoriam cautionem, tamdiu, quousque dominus Rex et nos Magister, ad limitandum granicies inter Poloniam et nouam Marchiam, nostros nuncios transmittemus, et ibidem nos magister et ordo prædicti recepta primitus informatione et impositione nouitatis telonei et depositi prædictorum per dictos nostros nuncios, id quod nuuum, et inconsuetum fuerit, deponemus et tollemus. Item de vectura salis, de Prussia per terram Dobrinensem suspensum est, vsque ad responsionem domini Regis Poloniæ, etc. In quorum omnium testimonium et euidentiam pleniorem, sigillum nostrum præsentibus est appensum, præsentibus et tractantibus reuerendis in Christo patribus et dominis, dominis *Ioanne* Culmensi, *Gerhardo* Pomeraniensi ecclesiarum Episcopis, venerabilibus et generosis ordinis nostri fratribus *Luduigo* de *Landsze* marschalco supremo, *Henrico Hold* supremo hospitalario in Elbingo, *Nicolao Iorlitz* supremo Trapiario in Krisburg, *Martino Kemerater* in Thorun, *Iodoco Hoenkirchen* in Tuchala, commendatoribus.

datoribus. Egregiisque & Religiosis ordinis nostri professis. Actum et datum in ripa fluminis Visla in hæreditate *Neyssoua* Vladislauiensis diœcesis, ex opposito oppidi nostri Thorun, feria quarta infra octauas Ascensionis Christi. Anno Domini. 1424

Cum VLADISLAUS Iagello, tandemque CASIMIRUS suus filius, terras Prussiæ per Cruciferos de corpore Regni occupatas, uterque eorum recuperarat, & eas reuniuit suo corpori Regni, a quo per Ordinem dismembratæ erant, restituendo eas ad corpus Regni, suæ incorporationis Literas dedit, habenturque in Terris Prussiæ pro Priuilegiis Terrae de quibus infra scripta puncta sunt transumpta: quae licet sint in Priuilegio incorporationis Terrarum, quod habetur in Thesauro Regni: tamen quia nonnulla sunt hic quæ in Priuilegio incorporationis non videntur contineri, Idcirco praesentia puncta scienda sunt propter iustitiam incolarum Prussiae ad quod communiter se referre consueuerunt.

PRomittentes insuper pro nobis et hæredibus successoribus nostris. Quod præfatos Barones, nobiles, et ciues, et singulos incolas terrarum nostrarum prædictarum Prussiæ, in iuribus, libertatibus, literis, munimentis eorum, quæ a Principibus Spiritualibus et Sæcularibus, Regibus et dominis terrarum prædictarum obtinent, conseruabimus, fouebimus, defendemus, nec vnquam ea violabimus, aut præuaricabimur, aut violari, aut præuaricari quomodolibet permittemus. Si autem alicui ciuitati, vel priuatæ personæ Priuilegium amissum fuerit, aliud de consilio Consiliariorum terrarum illarum gratiose dabimus et largiemur: dum modo in hæreditatis et bonorum, quorum a nobis petetur literalis innouatio, petens fuerit in pacifica continua et præscriptionem habentem possessione. Vt autem nostræ libertatis, æquitatis, et iustitiæ dexteram in his subiectionis eorum et nostræ acceptionis felicibus dante Domino primitiis sentiant, in vniuersos et quemlibet eorum effusam, et immutatione Principum commutatam etiam et sublatam depræhendet oppressionem, datiam, quæ in vulgari fundfzol dicitur. Item omnia telonea in aquis, et terra, noua et antiqua obseruantia in terris duntaxat Prussiæ quomodolibet instituta. Item in terra Pomeraniæ exactionem siue datiam, quæ portus alias *Marssard* veteri institutione Ducum Poloniæ vocabatur, Regia munificentia tollimus, abrogamus, deponimus ac solutionem illarum temporibus perpetuis resoluimus, dimittimus, et relaxamus, in nullo vnquam tempore per nos aut successores nostros Reges Poloniæ ex quacunque causa aut occasione instituendam aut imponendam. Item licet magister et ordo occupatione terrarum prædictarum omnia bona et merces quarumcumque materierum, diuina permissione naufraginm in mari passorum, velut propria ex naufragio, quasi iuris sui facta occupabant: Nos tamen, qui Rex Catholicus sumus, et sortem huiusmodi et naturali, et diuino iure, sedisque Apostolicæ decreto damnatam, velut crudelem et iniustam execrantes, pollicemur, quod res et bona cuiuscunque ponderis, aut valoris existant, earum personarum quæ maris naufragio periclitabuntur, nunquam per nos aut Officiales nostros velut nostras, aut iuris nostri petemus aut requiremus, sed illas absque aliquali diminutione per eos, quorum ante naufragium fuerunt, aut eorum propinquiores, demonstratione euidenti propinquitate probantibus, colligendas, et in vsus conuertendas beneplacitos decernimus: contrariæ consuetudini aut iuri, vel potius corruptelis, pro nobis, et successoribus nostris renunciando. Nisi forte nullus bonorum huiusmodi extaret iustus hæres et successor, quoniam in casu illo bona ex naufragio habita nostræ potestati volumus subiacere. Item omnes militares nobiles, ciues, et incolas terrarum prædictarum in ius, conditionem, et proprietatem Regni Poloniæ translatos et inuisceratos, hac etiam prosequimur prærogatiua. Quod

Dignitates

Dignitates et officia hactenus illic consistentia, et in posterum constituenda. Item tenutas ciuitatum et locorum in terris prædictis nulli extraneo aut forensi, sed proprio indigenæ, iuxta obseruantiam aliarum terrarum Regni nostri, conferemus. Item omnes causas notabiles, dictas terras concernentes, cum consiliariorum consilio terrarum praedictarum tractabimus, terminabimus, et definiemus. Item terras praedictas sub nostro regimine et Regni Poloniae corpore consistentes, in suis antiquis gadibus, limitibus, terminisque conseruabimus, tuebimur, et defendemus, nec terminos et gades terrarum ipsarum in aliquo diminui, vel periclitari, velut Regni nostri partes indiuiduas, vllatenus patiemur. Item cum terrae ipsae et homines, ipsas incolentes, variis hactenus legibus siue iuribus, videlicet Maydeburgensi et Culmensi Polonicali haereditario, et Pruthenico, in decidendis quibusuis et eorum quaestionibus et administartione iustitiæ vtebantur: quod etiam illis sub nostro principatu et regimine volumus firmum esse et perenne, ea licentia attributa, vt liceat cuicunque de vno iure in aliud, sine tamen aliorum praeiudicio, quo voluerit, transmigrare. Item cum monetae, iustam fidelem ligam, pondusque habentes, cussio, terrarum quamlibet, vehementer, et Nobilitatem fœcundet: volumus, vt in quatuor locis terrarum praedictarum, videlicet Thorun, Elbing, Gdansk et Konigsberg, duntaxat guerra durante, fidelis et iusta, imaginem nostram et subscriptionem tituli nostri continens, cudatur moneta, praefatorum militarium, ciuium, terrarum praedictarum impensis. Pace autem suffragante et habita, tantum in Thorun et Gdansk, sine praeiudicio priuilegii Thorunensis ciuitatis, nostris Regiis cudantur, impensis. Prouiso tamen, quod moneta ipsa in pondere et grano, et liga debita nullatenus minuatur. Item, quia nobis pro bene gerendis rebus dominiorum in varia saepe loca a terris praedictis distantia necesse est facere descensum: Ne igitur per nostram absentiam terræ ipsæ aliquod contrahere possent periculum, vel periclitationem, nobiles viros pro illius tuitione & gubernatione, de eorum legalitate, fide, & merito confisi, ad nostræ duntaxat beneplacitum voluntatis, ac cum consilio Prælatorum, Consiliariorum, ciuitatum maiorum, prædictæ terrae deputabimus, ad quos in nostri absentia super quolibet defectu & euentu habeatur recursus, prouidentia, prouisione, auctoritate & decreto eorum supplendus, & emendandus. Item mercatoribus terrarum prædictarum Prussiæ, in Regnum, Ducatus, & dominia nostra venientibus hanc prærogatiuam & libertatem de cetero volumus conseruari, vt quoties illos in quæcunque loca, ciuitates, & oppida Regni dominiorum nostrorum venire cum mercibus eorum, cuiuscunque speciei vel materiei existant, contingat: lic[i]tum eis huiusmodi merces in loca, testudines, & cameras, aut tecta (quorum illis libera præstari debet arendatio) deponere, & pro suo arbitrio exponere in venalitatem, stratasque omnes versus Hungariam, Russiam, Morauiam, Slesiam, Austriam, Saxoniam, Valachiam, liberas habeant, dispositis tamen teloneis & stratis antiquitus ciuitatum Regni & dominiorum semper saluis. Harum, quibus Sigillum nostrum est appensum, testimonio literarum. Actum Cracouiæ feria quarta cinerum. Anno domini 1454. præsentibus ibidem Reuerendiss. in Christo patribus & Magnificis dominis *Sbigneo*, Dei gratia tituli S. Priscæ, Presbytero Cardinali, & Cracouiensi, *Ioanne* Vladislauiensi, *Andrea* Posnaniensi, eadem gratia Episcopis. *Iohanne* de *Czyzow* Cracouiensi, *Luca* de *Gorka*, &c.

* * *

Iuramentum Magistri generalis in Prussia, & Commendatorum eius.

EGo L. Magister generalis Ordinis Sanctæ Mariæ Virginis Teuthonicorum, Princeps, & Consiliarius Regni Poloniæ, iuro, quod ab hac hora & deinceps fidelis ero Serenissimo Principi domino CASIMIRO Regi, & successoribus suis Regibus, & Regno Poloniæ, & profectum illorum fideliter procurabo, & negotiis Regis, & Regni fideliter consulam, & secreta, quæ mihi qualitercunque communicata fuerint, in eorum detrimentum nulli pandam: pacem insuper perpetuam in omnibus suis conditionibus & articulis obseruabo & custodiam. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Christi crux.

Forma Iuramenti per Consiliarios Terrarum Prussiæ, secundum Ius & necessitatem Terræ.

IUro, quod nunquam scienter ero in consilio, auxilio, aut facto in tuam læsionem, iniuriam, aut contumeliam, aut honorem, quem habes, vel habiturus sis, & si contra aliquid audiuero, pro posse meo, vt non fiat impedimentum, præstabo, aut tibi, quanto citius potero, nunciabo, secreta mihi manifestata sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam. Similiter tibi & Reipublicæ consulam, prout videbitur magis expedire, & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertinet ad tuam vel Reipublicæ contumeliam, vel iacturam.

Forma Iuramenti inscripti, quo Consiliarii Terrarum Prussiæ, in medio consilii iurant.

EGo A. Iuro Serenissimo domino, domino Regi Poloniæ &c. & successoribus suis fideliter consulere pro honore & statu suo regali, ac prouentibus suæ Maiestatis, ac pro communi bono terrarum Prussiæ & Regni Poloniæ, consilium suum secrete tenere, & eum in omnibus præcustodire. Sic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Christi crux.

Consules ciuitatum earundem & Terrarum ac Nobilium communitas in solio Maiestatis iurabunt, forma inscripta.

EGo N. Iuro. Quod Serenissimo Principi & domino, domino, A. Regi Poloniæ etc. et suis legitimis successoribus Regibus, primoque coronatis, fidelis ero, suæque Serenitatis honorem, statum Regium, et commodum Reipublicæ, Coronæ, et Terrarum Prussiæ, pro posse meo procurabo, suam Serenitatem de omnibus damnis, quæ sciuero, auisabo: et ea manifestabo fideliter. Sic me Deus adiuuet, et hæc Sancta Christi crux.

Capitanei & Tenutarii Terræ Prussiæ sic iurant.

EGo B. Iuro. Quia fidelis ero in Castro Tenutæ meæ, illudque seruabo fideliter Serenissimo Principi et domino, domino etc. Regi Poloniæ, et suis legitimis successoribus Regibus Poloniæ, tranquillitatem, et securitatem viarum, et iustitiam tuebor, et generali, seu supremo terrarum Prussiæ officiali, obediens ero. Sic me Deus adiuuet, et hæc Sancta Christi crux.

Iuramentum Burgrabii Gedanensis.

EGo N. Iuro, quia fideliter ius Regium tuebor, et quidquid ad ius et personam Maiestatis Regiæ pertinet, attendam, et attentabo, agam, et procurabo, vt æque bene pauperi, sicut diuiti, iustitia ministretur. Sic me Deus adiuuet, et hæc Sancta Christi crux.

Nicolaus

Nicolaus Episcopus Varmiensis cum suo Capitulo facit obedientiam Kazimiro Poloniæ Regi, successoresque suos ad eam faciendam Regibus Poloniæ pro tempore existentibus astringit, & obligatos facit: Iuramentorumque modum & formam per eos ipsos successores suos Episcopos, prælatosque & Canonicos ac qamcunqne personam Ecclesiasticam beneficiatam Ecclesiæ & diœcesis Varmiensis circa receptionem beneficii cuiuslibet faciendorum dat & inscribit, contentaque omnia in inscriptione pacis perpetuæ facere promittit.

IN nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Nos NICOLAUS Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Varmiensis, significamus tenore præsentium, quibus expedit, vniuersis, præsentibus, et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo destructioni bonorum subditorumque Ecclesiæ nostræ Varmiensis, quæ per armorum gentes facta est, fitque vsque eo, condolentes, ac ipsos subditos nostros paci reddere optatæ cupientes: Recensentes Episcopatum nostrum & Ecclesiam vigore perpetuæ pacis medio Reuerendissimi in Christo patris, domini *Rudolphi*, Dei gratia nunc Vratislauiensis, tunc vero Lauantini Episcopi, sacrosanctæ sedis Apostolicae Legati, inter Serenissimum Principem & dominum, dominum CASIMIRVM Dei gratia Poloniæ Regem, Illustrissimum Magnum Ducem Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæque dominum & hæredem &c, dominum nostrum gratiosissimum, ex vna: nec non Magnificum & Venerabilem dominum Magistrum generalem ordinis beatæ Mariæ Virginis domus Teuthonicorum, Ierosolimitani in Prussia, partibus ex altera, initæ, ordinatæ, factæ, dispositae, & celebratae, literisque ac sigillis atque iuramentis corporalibus, hinc inde per partem vtramque munitae & obfirmatae, de corpore inclyti Regni Poloniæ existere: cui hucusque restitimus propositum nostrum reuocantes. Præfatum Serenissimum Dominum Regem Poloniæ, ac suæ Serenitatis successores Reges Poloniæ futuros, pro nobis & successoribus nostris, cum Venerabili Capitulo Ecclesiæ nostrae prædictæ, vigore mandati in certas personas hoc plenarie per ipsum Capitulum dati & concessi, quod in manibus præmemorati Serenissimi domini Regis & suæ Serenitatis Consiliariorum reliquimus, recognouimus, recognoscimusque praesentibus, esse dominum & protectorem Ecclesiæ nostræ cum castris, ciuitatibus ac vasallis nostris, gratiaque a sua Serenitate conquisita, innitendo præfatae pacis perpetuæ dispositioni & ordinationi, & ab ipsa in nullo descendendo, nos Ecclesiam, Capitulum, subditosque nostros, tam spirituales, quam sæculares, ad corpus & vnionem praememorati incliti Poloniæ Regni reuocamus, & reducimus, sub articulis infra scriptis. Ad quorum obseruationem firmiorem nos Ecclesiam, Capitulum, et subditos nostros, ac etiam successores, obligamus: eosdem articulos perpetuo seruaturos. Quorum quidem articulorum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis: Inprimis quod quilibet Episcopus Varmiensis, successor noster futurus, seu alii omnes pro tempore existentes, in perpetuum infra tres menses a die receptionis literarum Apostolicarum prouisionis Ecclesiæ Varmiensis tenebitur, seu tenebuntur personaliter venire ad praesentiam Regiæ Maiestatis et suorum successorum, dummodo in terris Prussiæ essent constituti, aut in illorum absentia, in castrum Mariemburg, et ibidem in manibus Episcopi, et non alterius, quem ad hoc sua Celsitudo designauerit, in Ecclesia maiori ad altare summum sub præsentia Palatini Mariemburgensis et Capitanei ac etiam Magistrorum ciuium de Thorum, Elbing, et Gdano, præsentium et in futurum existentium, teneantur iuramentum facere, quod et nos Nicolaus fecimus, sub ea, quæ sequitur, forma, et in castrum præfatum descendere sub tempore descripto auisati: Casu vero quo vnus vel plures descriptorum interesse impedirentur, nihilominus in manibus, dicti Episcopi coram præsentibus, qui conuenirent, Episcopus, seu Epis-

 copi

copi in futurum existentes Varmienses iurare tenebuntur in hæc verba: Ego N. Episcopus Varmiensis promitto et iuro, quod ex nunc et in antea fidelis ero Serenissimo domino meo CAZIMIRO, Regi Poloniæ, eiusque successoribus Regibus et Regno Poloniæ tanquam domino et protectori Ecclesiae meæ, ac etiam Capituli: suæ Serenitati et Regno assistam; nec non eius successoribus, vti suæ Serenitatis Consiliarius, contra quemlibet inimicum, cum quo nullos tractatus, fœdera, aut inducias faciam, sine suæ Maiestatis consensu, inscriptionemque pacis perpetuae in omnibus capitulis et punctis, ac etiam inscriptionem per meum antecessorem dominum *Nicolaum* Episcopum Varmiensem cum consensu Capituli factam, inuiolabiliter tenebo, consilium mihi creditum ad suæ Serenitatis damnum non reuelabo, omnemque machinationem, quam practicari subodorauero, in praeiudicium et commodum Regiæ Maiestatis, successorum aut Regni, terrarumque et ciuitatum Prussiæ, de corpore incliti Regni Poloniæ existentium, pro quibus fideliter consulam, praecustodiam, tempestiue, et auisabo. Sic me Deus adiuuet, et hæc Sancta dei Euangelia. Casu autem quo aliquis. Episcopus Varmiensis, pro tempore existens, iuramentum fidelitatis iuxta formam et tempus præscriptum praestare non curaret, extunc Vasallis et subditis prædictæ ecclesiæ Varmiensis licebit cum honore, et impune ab obedientia dicti Episcopi, vi iuramenti firmata, resistere, et R. M. vsque quo iurauerit, adhærere. Item quod hinc et in perpetuum Vasalli et subditi Ecclesiæ Varmiensis, cuiuscunque status et conditionis existant, de terris et ciuitatibus, tam nostri Episcopales, quam capitulares, de decennio in decennium iuramentum fidelitatis Regiae M. successoribusque et Regno Poloniæ, ac etiam de obseruanda pace perpetua, atque articulis in praesenti inscriptione contentis, renouare tenebuntur, in manibus Consiliariorum R. M. ad hoc deputandorum, temporibus perpetuis et æuiternis. Cuius quidem decennii initium incipiet et transibit a die praestitionis iuramenti per præfatos Vasallos et cæteros subditos Ecclesiæ, præscriptæ in proximo faciendi. Præterea submittimus, et præsentibus obligamus, nos et successores nostros cum Capitulo Ecclesiæ nostræ Varmiensis, quod in futuris electionibus pro tempore existentibus, siue postulationibus Episcoporum dictæ Ecclesiæ Varmiensis, Capitulares eiusdem R. Maiestati et suis successoribus personam gratam eligere tenebuntur. Item quod quilibet prælatus et canonicus dictæ ecclesiæ Varmiensis infra vnum mensem a die receptionis suæ, siue repræsentationis in ecclesia, alias dum modo possessionem fuerit consecutus, iurare similiter tenebuntur fidelitatem suæ Serenitati, et obseruantiam perpetuæ pacis iuxta tenorem inferius descriptum, in manibus Episcopi et Capituli Varmiensis, qui suas patentes literas de cuiuslibet canonici seu praelati iuramento, supremo Dignitario R. Maiestatis in Prussia, plenam fidem facere tenebuntur. Cuius quidem iuramenti tenor sequitur in hæc verba: *Ego N. Praelatus vel Canonicus Ecclesiæ Varmiensis Iuro & promitto, quod ex nunc & in antea fidelis ero Serenissimo Domino meo Domino Cazimiro, Poloniæ Regi Illustrissimo, eiusque successoribus Regibus & Regno, tanquam Domino & protectori Ecclesiæ Varmiensis, Inscriptionemque pacis perpetuæ ac Capitulorum, per Dominum Nicolaum Episcopum Varmiensem, de consensu Capituli descriptorum, inuiolabiter tenebo. Sic me Deus adiuuet &c.* Item quod tam Dominus Episcopus, quam Capitulum, pro tempore existentes, Aduocatum, quoties præficere aut immutare Dominus Episcopus velit siue Capitulum, aut administrator, sede vacante, non alium deputent, nisi pro parte subditorum R. M. eorum etiam qui sub ditione Ecclesiæ Varmiensis consistunt. Qui sic deputatus iurare similiter tenebitur Regiæ M. modo superius expresso, dum talis hoc ipsum prius non iurasset. Item casu, quo Magister generalis nullo facto iuraret, siue cum Regia Serenitate

hinc

hinc diffideret, et ad arma contra eum et ordinem iam ex nunc, vel in futuris temporibus veniretur, aut cum aliis quibuſcunque hoſtibus. Ex tunc nos NICOLAUS Epiſcopus tenebimur, et noſtri ſucceſſores tenebuntur, eſſe auxilio et conſilio ſuæ Serenitati toties, quoties opus fuerit, ſicut Conſiliarius ſuæ Serenitatis, cum caſtro, ciuitatibus et vaſallis, tam noſtris epiſcopalibus, quam Capituli. Ita videlicet, quod ſine omni contradictione caſtra et ciuitates eccleſiæ prædictæ, gentibus Regiis pateant, et apperiantur, et ſingulis nos ſubmittemus periculis, noſtrique ſucceſſores ſe ſubmittent, cum ſua Serenitate. Nec tractatus, fœdera, vel ligas, aut vllas inducias cum hoſtibus faciemus, ac noſtri ſucceſſores, facient, abſque ſcitu et conſenſu Reg. Mai. et ſucceſſorum eius. Item quoties beneficia cum cura, vel ſine cura, in diœceſi noſtra Varmienſi, vacare contigerit, extunc circa inſtitutionem beneficiati nos NICOLAUS Epiſcopus et noſtri ſucceſſores, aut noſter, et ipſorum ſucceſſorum noſtrorum Vicarius, tenebimur, ſeu tenebuntur, ſiue tenebitur, recipere iuramentum a quolibet eorum de obſeruanda pace perpetua, et tenenda fidelitate Reg. Mai. et Regno Poloniæ. Poſtremo et finaliter præſentibus adiicimus, Noſque et ſucceſſores noſtros obligamus, quod ſubditis, tam noſtris epiſcopalibus, quam capitularibus, omnibus et ſingulis liceat in cauſis militaribus, feudalibus, ciuilibus et criminalibus, ſiue quibuſcunque aliis ſæcularibus ad Regiam Maieſt. prouocare, in cauſa grauaminis, et defectu iuſtitiæ, quærulari, et appellare, ad ſuoſque ſucceſſores, Reges Poloniæ, temporibus perpetuis. Obſeruato tamen prius ordine prouocationis in cauſis ciuitatenſibus, ad ius Culmenſe, Lubecenſe, Maideburgenſe, et cæteris, quibus gaudent, in quibus eis non præiudicabitur. Hoc tamen ſpecialiter expreſſo, quod, quoties aliquem ad R. M. prouocare contigerit, extunc coram nobis Epiſcopo et ſucceſſoribus noſtris cautionem faciet, quatenus, caſu quo appellationem non fuerit proſecutus, infra tempus per nos Nicolaum Epiſcopum et noſtros ſucceſſores iuxta cauſæ et circumſtantiarum qualitatem, limitandum, aut in cauſa ſuccubuerit, pœnam amiſſionis cauſae et ſolutionis expenſarum parti aduerſæ incurrat. Quæ omnia et ſingula ſcilicet ſcripta nos Nicolaus Epiſcopus Varmienſis praefatus, cum Capitulo, Vaſallis, et omnibus ſubditis noſtris, firmiter, illæſe, et inconcuſſe tenere, exequi, et inuiolabiliter perpetuo obſeruare promittimus, ac nos, ſucceſſoresque noſtros, et Capitulum noſtrum prædictum, cum Vaſallis, et ſubditis Eccleſiæ noſtræ generaliter vniuerſis, tenore præſentium obligamus. In quorum omnium fidem et euidens teſtimonium praemiſſorum praeſentes Literas noſtro atque capituli noſtri ſigillis iuſſimus et fecimus communiri. Datum in Conuentione Petricouienſi generali, die Iouis quinta decima menſis Iulii alias ipſo feſto diuiſionis Apoſtolorum, Anno Domini 1479.

ARTICVLVS II.

Posteriores tractatus de pace in Prussia, intra & extra confecta, continet. Cum autem bellum Prutenicum recruduerat, Maximilianus Imperator concordias inter Regem Poloniæ & Magistrum Prussiæ confirmat: quem etiam ad homagium, Sigismundo Regi Poloniæ præstandum, hortatur, simulque Gedanum, ac Elbingum ex banno dimittit.

Viennæ 1515.

MAXIMILIANVS diuina fauente clementia electus Romanorum Imperator semper AVGVSTVS, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. comes Palatinus &c. tenore præsentium recognoscimus, & profitemur: quod cum inter alia, quæ nobis curæ, cordique sunt, summopere cupiamus vera, sincera, atque fraterna vnione cæteris Principibus christianis coniungi, quantum in nobis est, omnes ad sanctæ pacis & concordiæ fœdera reducere, & cohortari: vt tandem concordibus armis & viribus Christianis ferocissimi eiusdem nominis hostes debellari, & exterminari possent: vt hinc quieti, tranquillitati, ac stabilimento vniuersæ religionis, ad incrementum & propaginem Christiani nominis consuleretur.

Cumque serenissimus dominus Rex Poloniæ, in ea semper voluntate fuerit, vt cum sacra imperiali Maiestate in optima amicitia & beneuolentia fraterna viuat, & maneat: suamque Maiestatem, tanquam fratrem maiorem & consanguineum charissimum, etiam obseruet, ac veneretur: placeat igitur Maiestati nostræ cæsareæ, vt res & negotia inter eundem serenissimnm Poloniæ Regem, & Magistrum Prussiæ, ac ordinem suum, in ea forma & modo remaneant; quemadmodum extant vtrinque conscripta, & obseruabantur, ab annis retroactis, tempore felicis memoriæ Friderici Imperatoris, & serenissimi domini Regis Casimiri. Nec Magistrum Prussiæ, eiusque ordinem subtrahere volumus ab his, quæ debent suæ Serenitati, & regno Poloniæ, & quæ prædecessores eius Magistri faciebant, neque auxilium, neque consilium ei præstabimus in damnum & detrimentum suæ Serenitatis & regni sui. Item quod ad ciuitates Gdanensem & Elbingensem attinet, quæ hactenus bannis & aliis modis, iuri serenissimi Regis & regni Poloniæ noxiis, grauabantur, nos exnunc iam easdem ciuitates ab iisdem bannis absoluimus, & liberos esse decernimus, ac idipsum, iudicio cameræ nostræ imperialis, literis nostris denunciabimus, mandabimusque, vt easdem ciuitates a præteritis bannis absolutas dimittat, & in futurum ex quibuscunque causis ad cuiuscunque instantiam nunquam eas audeat bannire, vel quouis modo infestare: nullumque iudicium contra easdem ciuitates & earum similes, a nostra imperiali iudicii camera deinceps institui, & fieri permittemus. Quos duos articulos nos summa fide promittimus inuiolabiter obseruare, adimplere, & exequi, neque illis quoquo modo contrauenire. Harum testimonio literarum nostrarum, sigilli nostri imperialis munitione roboratarum. Datum in ciuitate nostra Vienensi die 22. mensis Iulii. Anno domini 1515.

Fragmentum legationis SIGISMVNDI Regis ad Leonem X Papam, & Carolum V imperatorem de bello Pruthenico, iam vigente.

Ex Thorun 28. Iulii 1523.

In summa S. & M. vestra accipiant. Introductum fuisse ipsum ordinem ad terras Prussiæ & loca ac ditionem illam, ei a principibus Poloniæ datam, hac conditione, vt se contra vim infidelium, quibus vndique septi erant, iuuaret: & cum illis vna militaret. Qui firmatis illic rebus suis, & radicibus, bene actis, coepit sensim occupare latius terras ipsorum principum Poloniæ,

&

illos pro infidelibus armis impetere. Vnde cum multa essent vtrumque acta praelia, multi item tractatus & concordiae secutae, nihil tamen vnquam adeo firmum & certum confici potuit, vt non ordo ipse per omnem occasionem illud infringeret, ac violaret. Ad extremum post ingentem belli molem, quae per serenissimos olim Reges, auum & parentem maiestatis domini mei, & ordinem ipsum agitata fuit, qua tantum impendii fuit factum, tantum sanguinis christiani fusum, quantum nulla ratione possit aestimari: subsecuta fuit solennis concordia, Pauli secundi Summi Pontificis auctoritate, ipsiusque legati, ac aliorum Principum medio. Quam etiam ordo ipse sensim labefactare coepit. De hinc modernus dominus magister nulla de causa totum dissuit, & irritum fecit. Quocirca hic ordo ad hoc vnum fundatus esse videtur, vbi vbi sit, vt omnia misceat et perturbet. Sed cum illum olim Regna Hispaniae et Angliae, ac nonnullae aliae gentes, vti rem noxiam penitus exterminarunt, nescimus, quo fato nostro fit, vt nos soli, qui pro tota re christiana ingentem vim infidelium solis viribus nostris arcemus, nec vnquam ab hoc labore et bello requiescere possumus, hunc obicem domesticae paris habere, et tantam eius insolentiam perpeti cogamur? ne liceat nobis citra inuidiam, quod licitum est in aliis, hanc calamitatem vel excutere, vel saltem compescere. Verum confidimus virtuti S. et Maiestatis vestrae, quod si nostram et Illustrissimi domini Nepotis nostri coniunctionem et officia cordi habent, si recte statui christiano consultum iri, et eum ab infidelibus defendi cupiunt, cum quibus, vtcunque hic distinemur, milites tamen nostri, quos in illis finibus habemus, assidue et feleciter dimicarit, operam et fauorem suum nobis praestabunt, quo tandem hac molestia et impedimento domestico carere, et arma nostra pro commodo rei christianae liberius exercere possemus.

LEO X. PP. SIGISMVNDO I. REGI POLONIÆ.

Charissime in Christo fili, salutem et apostolicam Benedictionem. Dilectus filius *Ioannes Theobaldus*, ciuis Florentinensis, quem, et venerabilem fratrem *Zachariam*, Episcopum Gardiensem, nuncios nostros alias ad Maiestatem tuam destinauimus, nuper ad nos reuersus, nobis retulit, quo amore & quanta humanitate regia Maiestas tua eos venientes exceperit, ac semper tractauerit, ipsumque deinde recessurum benigne ac liberaliter dimiserit. Quod, vt nobis gratum & acceptum fuit, ita valde et supra modum displicuit, ab eodem Ioanne intellexisse, bellum inter te, et dilectum filium Albertum ex Marchionibus Brandenburgensibus, hospitalis domus beatae Mariæ in Prussia magnum magistrum, bellum, quod pluribus literis ac monitionibus per dictos et alios nuncios nostros, vtrique vestrum, nostro nomine factis, extinctum vel saltem sedatum, ac sopitum esse credebamus, adeo recrudescere coepisse, vt inde populorum strages & deuastationes, ac innumera scandala, qualia pluribus ab hinc annis acciderunt, magnopere timenda sint, ac formidanda. Et nobis quidem persuademus, Maiestatem tuam ad huiusmodi bellum, ex quo nulla laus vel vtilitas sperari, ignominia vero &, ingens damnum formidari debet, initum, trahi a bellis illis contra infideles et schismaticos, ex quibus maximam et immortalem gloriam sibi comparauerit: non possumus tamen solitam eius mansuetudinem ac bonitatem non desiderare, erga eum praesertim, quem filii loco habere, et cuius iuueniles impetus patientia quadam potius et consilii maturitate delinire deberet, quam vi frangere ac non sine magna rerum prope omnium confusione destruere.

Quanquam si vera sunt, quae nobis nunciantur, et quae vix credere possumus, ipsum videlicet Albertum, non suos tantum, sed complures, alios Ger-

maniæ populos pro ſe contra Maieſtatem tuam conuocaſſe, ac tantum comparaſſe exercitum, vt illi vix reſiſtere poſſis, quin regni tui ciuitates, & loca Tartaris ac Moſcouitis, aliisque infidelibus, & ſchiſmaticis confinia, ſolitis ac neceſſariis præſidiis, quaſi denudare cogaris, propter quod Maieſtas ipſa tua nonnullam iraſcendi ac vim vi repellendi cauſam habet. Ac propter ea ipſum *Albertum* per alias noſtras ad pacem, & concordiam cum Maieſtate tua ineundam ſerio monemus. Prӕterea ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum CAROLUM Romanorum ac Hiſpaniarum Regem chatolicum, in Imperatorem electum, ſcribimus, eum hortantes, vt pro concordia inter vos componenda laborare, eamque per oratores ſuos procurare velit, ac etiam dicto Zachariæ Epiſcopo & nuncio committimus, vt pro eadem pace componenda noſtro nomine operari atque efficere debeat: ſperamusque omnipotentem Deum ſua clementia permiſurum fore, vt pia deſideria noſtra, non alio quam ad publicam totius chriſtianitatis pacem et quietem, eiusque ſanctæ fidei conſeruationem et exaltationem tendentia, felicem ſortiantur euentum. Quod autem ad Maieſtatem tuam attinet, te, fili noſter chariſſime, hortamur ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri rogamus, vt ſi vlla vnquam in re prudentiam, æquitatem, ac manſuetudinem, tibi a natura inſitas, oſtendiſti, nunc illis erga nepotem tuum vti velis: ac ſatis habens regnum tuum deſendere, ac tutari: nolis vlterius progredi, ac eiuſdem *Alberti* fines ingredi temperes, ac abſtineas: non ignarus potiorem ac magis regiam virtutem eſſe iniuriarum obliuiſci, quam eas vlciſci velle: ac ex omnibus victoriis nullam maiorem eſſe, quam ſe ipſum vincere. Tua igitur Maieſtas ita ſe geret, vt quemadmodum omnes ſingularem eius virtutem & præclara geſta iure ac merito prædicant, veriſque præconiis & laudibus in coelum tollunt, ita etiam eiuſdem pietatem et continentiam, atque animi moderationem, dignis ac veris laudibus proſequantur. Quod ſi Maieſtas tua, vt ſperamus, fecerit, magno caeteris Principibus exemplo erit: qua ipſi etiam temperantia ac modeſtia vti debeant, et coram Chriſto redemtore noſtro, qui in ligno crucis pendens Deum patrem pro crucifigentibus ſe, rogauit, non paruum ſibi meritum acquirit. Nobis inſuper, qui eam tanquam peculiarem filium noſtrum in viſceribus charitatis ſemper geſſimus, rem gratam et nunquam obliuiſcendam faciet. Datum Romæ, die 26. Decembris. Anno domini 1521. Pontificatus noſtri anno 8.

AD SIGISMUNDVM LEGATIO ORATOR. CAROLI V. CÆSARIS

Sereniſſime Rex, cum Maieſtas Cæſarea non ignoret, quanto ſtudio et amore Maieſtas veſtra quondam felicis memoriæ diuum Cæſarem *Maximilianum*, auum ſuum colendiſſimum, ipſamque inclytam domum Auſtriæ, ſit proſecuta, non ſine graui animi diſplicentia et perturbatione Maieſtas Cæſarea pernitioſum iſtud bellum inter Maieſtatem veſtram, et Albertum Principem, magnum Pruſſiae magiſtrum nuper exortum accepit: cum ob eius fraternum in maieſtatem veſtram amorem, et eius felicitatem, et proſperitatem haud ſecus atque propriam ſemper exoptat: tum quod magno magiſtro, ſine Principum et totius nobilitatis Germaniae offenſa, qui illi, atque eius ordini plurimum ſunt affecti: atque ex debito officii ſui penitus deeſſe vix poſſent. Quibus accedit huius belli immanitas atque crudelitas, eo quod inter chriſtianos et eos, qui tam arctiſſimo ſanguinis vinculo coniuncti ſunt, geritur. Nec minus etiam reſpublica chriſtiana ex hoc bello patitur diſpendii ac detrimenti. Quippe cum in occulto non ſit, quam late hinc Moſci et Tartari, illinc Turcae et Valachi, ampliſſimam Maieſtatis veſtrae ditionem ambiant, eiusque fines confingant, ſitibundis faucibus illis perpetuo inhiantes, immanissimae

nissimæ atque insatiabiles bestiæ, omnibus mortalibus infensi, ac perpetui Christiani nominis hostes, cum quibus quam strenue atque feliciter Maiestas vestra sæpenumero sit congressa, iisdemque potentissimis hostibus sese, regnique sui vires, veluti totius Christiani orbis antemurale & vnicus propugnator obiecerit, eos non sine suorum sanguine fuderit, & paruis copiis innumeros illorum exercitus Christo duce prostrauerit & profligauerit, tot insignes Maiestatis vestræ victoriæ non sine eius celeberrima fama & nomine atque immortali gloria late per vniuersum orbem sparsa vberius testantur: inde fit, quod talem ac tantum principem de republica Christiana optime meritum a tam honestis, & felicibus rerum publicarum studiis atque successibus ad priuata atque intestina bella trahi, hoc est, vniuersorum salutem & commodum priuatis contentionibus turbari atque impediri, Christianorum arma, paulo ante hostibus suis formidabilia & perniciosa, nunc inter sese dimicare, & quæ prius in hostem exercebantur, nunc in fratrem Christianum sæuire, quis non doleret? quis non detestaretur? quis reipublicæ Christianæ casum in tanto discrimine satis deplorare posset? arrectis auribus & votis intentus nunc est Tartarus veteris cladis a Maiestate vestra receptæ haud immemor atque vltionis sitibundus, exitum rei cautius obseruat Moscus, expectat hoc idem Turca & Valachus, vt concisis ac debilitatis intestinis inter se bellis Christianorum viribus, infusa barbarorum suorum multitudine & inualidos obruant, & maiore spe ac minore sui periculo penitus excindant.

Hic bellorum Christianorum tam expectatus finis, hæc illa insignis, pro qua certatur gloria, hæc tam opima Christianis detracta spolia, paulo post etiam hostibus suis præda futura; quamuis Deus sua misericordia (vt precamur) hæc mala longius abesse faciat. De humanis tamen casibus humano more loqui aliquando præstat. Nec satis probe rebus suis consulunt, qui arridenti fortunæ, & potentiæ suæ fiducia freti, ac tutiores sibi visi, quoduis periculi contemptores, aduersantis fortunæ impetum (quæ dicto citius subinde mutatur) non formidant, non obseruant, non late prospiciunt. Quod sæpe cum multorum pernicie bellorum docuere euentus: quorum vt initia feruida, & spe victoriæ tumida, ita exitus solent esse varii & incertissimi, hæc apud se Maiestate Cæsarea altius pensante, & perniciem, quæ & priuatis, & publicis rebus ex hoc bello oriri posset, accuratius animo versante, visum est, & pro fraterno suo in Maiestatem vestram amore, & qua in rempublicam afficitur sollicitudine, posteaquam nunc Deo aspirante imperii coronam & moderationem feliciter suscepisset, nihil amplius temporis prætermittere, sed præsenti malo auctoritate sua interposita occurrere, & ad huius belli incendia restinguenda omnem curam impendere sese debere, ne recens malum longius serpat, & grauior vis belli ingruat. Quandoquidem sero adhibita remedia nonnunquam soleant esse difficiliora, & minus vtilia: voluitque eius rei causa nos ad Maiestatem vestram proficisci, vt vna cum Serenissimis Hungariæ & Bohemiæ Regis oratoribus etiam ad hunc finem ad Maiestatem vestram destinatis, negotium istud suæ Cæsareæ Maiestatis nomine soliciti curaremus, & quantum fieri posset, Deo annuente, ad tranquillos exitus, & honesta media pacis, vel induciarum reduci, studeremus.

Hortatur igitur eam ob rem Maiestas Cæsarea, quo maiore studio potest, Serenitatem vestram, velit suæ Cæsareæ Maiestatis & Reipublicæ contemplatione arma deponere, & iis tractatibus locum dare, publicumque commodum suo priuato anteferre, vtcunque etiam iusta forte causa ad hoc bellum suscipiendum sibi videatur prouocata, plus etenim gloriæ & laudis apud vniuersos sibi pariet, si veluti Christianus Princeps, quod nomen etiam vsque nunc immaculatum apud cunctos retinuit, ab iis, quæ forte sibi licere existimat, Reipublicæ amore abstinuerit: omnes Maiestati vestræ plurimum debebunt, quæ omnium commodis sua posthabuit. Erit quoque istud perpetuum virtutum suarum etiam apud posteros

 monumen-

monumentum, quando honestas condirionibus, inita cum magno magistro pace, ad priora & intermissa bellorum studia contra inimicos fidei reuertetur, in quibus arcendis & subigendis plus ad victoriam procul dubio a Deo auxilii & fauoris a Christianis Principibus est habitura. Talis triumphus Maiestatem vestram adhuc manet, hæc est victoria Maiestate vestra, & tam Christiano Principe digna, quæ non Christianorum, sed eorumdem hostium sanguine fuso apud cunctos mortales clara & celebris habeatur, & a Deo, in hac vita felicem Regni moderationem consequatur, & alibi æternis præmiis & perpetua immortalitatis corona donetur. Dabitque Maiestas vestra maiorem ac certiorem Maiestati Cæsareæ de se spem atque expectationem, quoduis fraternum officium ab ea posse impetrari, quando in hac re, qua nihil optatius nunc habet, honestis ac fraternis votis suis se videbit minime frustratam. Hoc tametsi Maiestati vestræ, Principi alioquin & pace, & bello clarissimo atque expertissimo, & cui diuina quædam insita est prudentia, omniumque virtutum consummata integritas, a Maiestate Cæsarea Principe adolescente persuaderi forte superuacaneum videri possit: fraternus tamen amor & vehemens in Maiestatem vestram studium diutius silere non potuit, atque solicita in Rempublicam cogitatio Maiestatem suam Cæsaream impulit, vt ei consilium daret, a quo accipere & petere deberet: atque ea suaderet, quæ non tam existimaret esse ex Maiestatis vestræ re & dignitate, quam ex totius Reipublicæ Christianæ salute, necessitate, & tranquillitate. Ad hæc, si vti Maiestatis Cæsareæ est firma spes atque expectatio, Maiestas vestra animum applicare & fraternis suæ Cæsareæ Maiestatis exhortationibus acquiescere voluerit: nunc, aut quocunque alio tempore opportuno, quæ ad præsens negotium spectabunt, iuxta commissionem nostram Maiestati vestræ latius declarabimus, & exponemus, intellectaque circa hæc Maiestatis vestræ deliberatione, ad magnum magistrum Prussiæ nos recipiemus: pariter huic Maiestatis Cæsareæ mandata, voluntatem, & in rescindendo hoc bello desiderium declaraturi, & alia iuxta commissionem nostram acturi: sperantes excellentiam suam, & Maiestatis Cæsareæ voluntatem, & honesta media pacis, & induciarum nequaquam spreturam.

Quantum vero ad nos attinet, & si cognoscamus hanc rem grauem atque difficillimam ingeniorum nostrorum vires longe excedere, postquam tamen Maiestatis Cæsareæ nobis hanc prouinciam imponere placuit, eo alacriore animo hanc vtcunque grauem suscepimus, quo seruitutis nostræ deuotionem Maiestati vestræ in hac re ostendere ex animo desideramus. Nihil studii & laboris, quantum ingenium nostrum consequi potest, & negotia ipsa admittent, prætermissuri: quo Maiestatis vestræ dignitati & commodo quam maxime consulatur. Deum optimum maximum omnibus votis precandis dignetur huic negotio suam misericordiam aspirare, & felicibus auspiciis feliciores tribuere successus, & exitus: vt tandem concordibus armis & animis Christiani Principes inter se conueniant, in exterminium & perniciem hostium sui nominis, atque stabilimentum ac incrementum & perpetuam tranquillitatem suæ Reipublicæ Christianæ.

CAROLUS V. Romanus Cæsar ALBERTO Marchioni Brandeburgensi, magistro Cruciferorum in Prussia.

VEnerabilis Princeps, consanguinee charissime: cum nos nutu Dei optimi maximi a quo omnia fiunt communibus Principum Electorum suffragiis in Regem Romanorum, futurumque Imperatorem electi simus, nostri officii esse duximus, pacem & concordiam Christianorum Principum procurare: quo facilius concordibus armis atque animis expeditio contra Christiani nominis hostes suscipi posset. Et cum intelligamus inter Serenissimum Regem Poloniæ, fratrem nostrum charissimum, & deuotionem tuam super iuramento quodam præstando non nihil differentiæ

differentiæ adesse: cupercmus plurimum huiusmodi discordiam sedari, præsertim cum edocti fuerimus Cæsaream Maiestatem præclarissimæ memoriæ dominum atque avum nostrum colendissimum ad te quoque super ea re literas dedisse. Quapropter hortamur deuotionem tuam magnopere, vt dicto serenissimo fratri nostro debitum, & præsertim, quod prædecessores tui Regibus Poloniæ præstare soliti sint, etiam præstes, & te erga eum ita exhibeas, vt iunctis armis isthic fidei hostibus occurrere, & terrori esse possitis: et si quid forsan dissidii inter eundem Regem et te remanserit, daturi sumus operam cum primum in Germaniam venerimus, quod dante Deo prope diem futurum speramus, vt huiusmodi inter vos quæstio amice & pro dignitate vtriusque componatur. Quare nobis pollicemur, quod pro tua & fratrum tuorum in nos obseruantia, nobis in hac re satisfacies: quod quidem erga deuotionem tuam vniuersumque istum ordinem benigne & omni gratitudine recognoscemus. Datum &c.

Pax perpetua inter SIGISMUNDUM I. Regem & Regnum Poloniæ, & magistrum Prussiæ, eiusque ordinem Crucifericum Cracouiæ 1525. confecta.

IN nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam, omnium rerum, quæ sempiternæ sunt futuræ, nulla firmitudo certior excogitari potest, quam ea, quæ fit literarum monumentis prodita ad memoriam posteritatis. Cetera enim facta humana, quantumcunque memorabilia, aliis modis, quam literis, æternitati consecrata, aliquot quidem seculorum decursu durare possunt: quae vero literarum officio memoriæ mandantur, nunquam intereunt, ipsaque vetustate fiunt augustiora. Proinde nos SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, nec non Terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ, Russiæ, ac omnium Terrarum Prussiæ, Pomeraniæ, &c. dominus & hæres, manifestum facimus vniuersis: quia cum acta essent plurima bella inter prædecessores nostros Reges et Regnum Poloniæ, ac magistros et ordinem dictum S. Mariæ Theutonicorum in Prussia: de proprietate ipsarum Terrarum Prussiæ certantes, eaque non penitus extincta inter nos, et illustrem dominum Albertum Marchionem Brandeburgensem et magistrum ipsius ordinis recruduissent, cum magno Reipublicæ Christianæ incommodo et detrimento: proindeque et summus Pontifex, et Cæsarea Maiestas serenissimusque nepos, dominus LUDOVICUS Hungariæ et Bohemiæ Rex, nos ad ineundas quadriennales inducias et arbitralem cognitionem subeundam hortati essent et induxissent: qua demum magnis impedimentis non secuta, et tempore induciarum expirante, venissent ad nos illustres principes dominus Marchio Brandeburgensis, in Silesia Ratiboriensis Iägernsdorff: in Prussia Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum, Dux: Burgrabius Norembergensis et Princeps Rugiæ. Et FRIDERICUS, Dux Legnicensis et Brigensis ac inferioris Silesiæ capitaneus, necessarii et affines nostri charissimi, de pace et concordia stabili ac firma sedulo agentes. Tandem post multos tractatus et rationes vtrinque expensas ad infrascriptas conditiones et capitula ipsius pacis et concordiæ deuenimus, omniaque et singula condiximus et vtrinque firmauimus in hunc, qui sequitur, modum:

In nomine Sanctæ et indiuiduæ Trinitatis Amen. Nos GEORGIUS, Dei gratia Marchio Brandeburgensis in Silesia Ratiboriensis Iagendorff, in Prussia Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubarum, Sclauorum etc. Dux, Burgrabius Norembergensis et Princeps Rugiæ. Et nos FRIDERICUS eadem gratia Legnicensis et Brigensis ac inferioris Silesiæ capitaneus, recognoscimus et significamus omnibus et singulis præsentem concordiam seu contractum visuris, audituris, siue lecturis. Quia nos ex infrascriptis sequentibus rationibus, quæ nos tanquam Principes Christianos promouerunt, eandem sequentem concordiam et contractum inter sere-

nissimum & excellentissimum principem & dominum, dominum Sigismundum Regem Poloniæ & suæ Maiestatis hæredes, & successores Reges Regni Poloniæ ex vna, & illustrissimum principem & dominum, dominum ALBERTUM Marchionem Brandeburgensem Theutonici ordinis generalem Prussiæ magistrum, & eius ordinem militarem, terrigenas & ciuitatenses, ex altera, partibus, concepimus, tractauimus, & composuimus. Et in primis id præcipue ac potissimum considerantes, omnes dissensiones, bella, contentiones, & conflictus inter regiam Maiestatem & dominum magistrum, eiusque terrarum incolas hinc ortas & emanatas esse, eo, quod non vnus princeps hæreditarius omnium terrarum Prussiæ gubernator hucusque extitisset, dictaque Prussia diuersorum procerum capitibus gubernata esset, vnde terrarum ipsarum incolæ perniciosis inter sese bellis & contentionibus digladiabantur, & prælia commouebant: ex quibus magna effusio Christiani sanguinis, damnaque & nocumenta incolis, orphanis, & viduis plurima sunt illata. Similiter considerantes, quod præfatus dominus magister, frater et auunculus ac sororius noster retroactis temporibus, quando officio magisterii fungeret, multifarias fatigas et labores hucusque subiuit apud omnes status Christianorum principum, videlicet summos Pontifices, et Cæsaream Maiestatem, sacrum Romanum imperium, et Electores imperii, nec non apud nobilitatem Germaniæ, eosdemque omnes sæpius requirendam operam diligentem impendit, sperans eosdem inuigilaturos, quo ipsæ seditiones et controuersiæ ac dissensiones secundum continentiam infrascriptæ perpetuæ pacis per Serenissimam Maiestatem felicis recordationis Casimiri Regis olim, Thorunii confectæ, et iuxta compromissum in proximo quadriennio per Cæsareæ Maiestatis et Regiæ Serenitatis Vngariæ oratores in præsentia sanctissimi domini Leonis Papæ Legati etc. Thorunii factum componerentur et concordarentur, id tamen ex interuenientibus bellorum motibus et cæteris variis admodum arduis negotiis, quibus Cæsarea Maiestas et Serenissimus dominus Rex Hungariæ hactenus impliciti ac distracti fuerunt, hucusque impeditum et indiscussum permansit: nos tamen considerandam huiusmodi ordinationem optimam fuisse, compromissum paucis diebus ad finem et terminum vltimum deducere statuimus. Nam vbi negotia indiscussa permansissent, formidandum fuit, ne Regia Maiestas et Regnum Poloniae ac magister cum terris Prussiae iterum ad maiores armorum tumultus, praelia, et contentiones ac humani sanguinis effusionem redirent, in damnum et iacturam totius Reipublicae Christianae. Ad praecauendum igitur huiusmodi mala et incommoda, pacisque studio intendentes, quo in futurum perpetua Christiana pax inter Regiam Maiestatem et eiusdem Maiestatis haeredes, successores Regni Poloniae Reges, et inter magistrum Prussiae et eiusdem Terrarum incolas, vtrinque interuenire ac disponi possit: considerantes etiam, quia et nunc Reuerendus dominus Stanlius, Praepositus Vesprimiensis, Serenissimi Regis Hungariae, domini, domini nostri clementissimi, tanquam dicti compromissi arbitri, internuntius pacis, ac missus orator ad Sacram Maiestatem Regiam Poloniæ ac magistrum Prussiae fratrem et auunculum ac sororium nostrum, quo se ad concordiam et ipsum contractum per nos factum beneuole submitterent, et gratiose ac benigne eidem consentirent, rogauit et requisiuit: nos tanquam mediatores, reconciliatores pacis, ex supra dictis causis et rationibus sequentes articulos, quos, salubri viae concordiae intendentes, Christianos, decentes, idoneos cognouimus, inter Sacram Maiestatem Regiam, et dominum magistrum, vtriusque accedente consensu, fecimus et disposuimus, et prout infra continetur ordinauimus et confecimus. In primis, quod omnes dissensiones in iis bellis inter Regiam Maiestatem, dominum magistrum, duces Masouiae, episcopos Varmienses et Culmenses et caeteros omnes, eorumque subditos exortae, per sequentem transactionem in vniuersum sublatae sint, et neutri partium in malo reminiscendo imputari debent. Item, quod loca, castra, et oppida cum omnibus attinentiis

attinentiis & pertinentiis in his bellis vtcunque alias vtrinque intercepta, cum bombardis maioribus, quemadmodum in prima occupatione arcium & oppidorum inuentæ sunt, restitui: bombardæ etiam vncales, quas Hokenbuchs vocant, eo pacto, vt penes modernos officiales restabant, similiter reddi debent. Si vero quicquid bombardarum maiorum deesset, debent officiales per iuramenta interrogari, vt mediis eorum iuramentis dicant, quid illic inuenerint. Quod autem bombardas in castro Hollando demolito inuentas attinet, debent sine diminutione ad manus illustris domini Marchionis Alberti restitui.

Præterea debent omnes & singuli ex nobilitate, ciuibus, & colonis, omnis promissionis & iuramenti, quibus præsentibus bellis aut citra alias circa hæc tempora a suis ad alienos dominos se contulerunt & obligarunt, liberi & soluti esse, & reputari.

Cæterum quod ad neglecta seruitia attinet, debet a Regia Maiestate & Duce de Prussia, illis, qui ea neglexerint ex gratia condonari, & bona seu possessiones eorum reddi. Cæterum quod liberos eorum attinet, qui condemnati ob perpetratum facinus poenas dederunt, bona immobilia vtrinque reddantur, & patrum facinus honori puerorum nihil noceat: nec apud quempiam in aliquo præiudicet.

Item debet Regia Maiestas illis de Neumarkt, similiter Marchio Albertus Gilczenburgensibus & Hoenstrinensibus, nec non omnibus ciuitatibus ecclesiasticis & sæcularibus, nobilibus, plebeis vtriusque partis subditis, qui ex timore defecerint, parcere & condonare: nullaque indignatione reminisci, nec cuiquam, vt hoc vindicet, permittere: sed ex clementi voluntate, sub vtrisque hinc inde sigillis & literis sententiam ferre, quod hoc ipsis & liberis eorum in nullam dehonestationem, aut incommodum vergere debeat.

Item quod ad ecclesiasticorum bona & iurisdictionem attinet, debet Dux Prussiæ ad requisitionem ecclesiasticorum vnicuique iustitiam, vt Christianum æquum & iustum est, administrare. Cæterum bona reditus & census sub Duce Prussiæ siti episcoporum Varmiensium, vel eosdem ecclesiasticos attinens, debent vicissim ex omni parte restitui. Si vero Dux, vel nobiles sui, curatos, vel alios in ecclesiastica beneficia collocare vellent, qui hominibus Christiane prouiderent, eos episcopus iuxta antiquam consuetudinem instituere ac inuestire debet.

Item si possent domini Pontifices constanter docere, quod ecclesiastici in terris domini Ducis commorantes secus quam Christiani ac contra ordinationem et constitutionem vniuersalis sanctæ ecclesiæ Christianæ se gererent: debet dominus Dux vna cum dominis episcopis iuuare, vt tales debita castigatione emendentur.

Item si quispiam ciuium aut rusticorum duos annos ante proxime gestum bellum vsque huc domino suo se subduxisset, et absque voluntate eius aufugisset, repetiri debent dominis suis sine omni medio restitui, et exinde nulla partium alterutri suos detinere. Qui autem vi ab vtraque parte abacti sunt, ii debent publicis mandati literis ad dominos suos dirigi, seu remitti.

Item debet dominus Albertus Marchio, Regiæ Maiestati et Regno Poloniæ iuramentum, vti naturali et hæreditario domino suo, præstare: et se in posterum erga eius Regiam Maiestatem in omnibus, sicut principem vasallum erga dominum suum hæreditarium de iure decet, obedientem exhibere. Debet præterea Marchio Georgius suo et fratrum nomine vexillum contingere. Debent similiter Marchiones, Casimirus et Ioannes, sigillis et literis suis intra annum huiusmodi contractum agnoscere, et acceptare.

Item debet Regia Maiestas ex aduerso Marchioni Alberto infrascriptas terras, ciuitates, castra, et vicos, videlicet tria oppida et castrum *Konigsberg: Lochsteten, Vargen, Girmau, Pubetten, Rudaw, Schokken, Kaymen, Kremitten, Vuldaw,*

daw, *Tapiaw*, *Taplawken*, *Narbetten*, *Insterburg*, *Allenburg*, *Vensteruw*, *Gordawen*, *Angerburg*, *Mordenburg*, *Labiaw*, *Laukisten*, *Tilseth*, *Ragnet*, *Rossiten*, *Vintberg*, *Mimel*, *Brandenburg*, *Kreutzburg*, *Fredland*, *Demenaw*, *Barten*, *Letzen*, *Balge*, *Heylige*, *Beyhell*, *Zintten*, *Landsberg*, *Preuscherlaw*, *Bartenstyn*, *Schesten*, *Saynsburg*, *Reynn*, *Rastenburg*, *Liek*, *Iohunsburg*, *Holland*, *Liebstadt*, *Mulhausen*, *Mormige*, *Passenkeym*, *Ortelsburg*, *Osterode*, *Hagensteyn*, *Neidenburg*, *Soldaw*, *Ilgenburg*, *Schippenbeil*, *Teuschstheylaw*, *Preuschmark*, *Lubemul*, *Salfeld*, *Risenburg*, *Marienwerder*, *Tiremberg*, *Labtaw*, *Schanberg*, *Bouunden*, *Iorgenburg*, *Resenburg*, *Gordensene*, *Neuhaus*, *Freyenstadt*, *Solaw*, *Vischhausen*, *Bischofwerder*, *Mednaw*, tanquam Duci in Prussia in legitimum et hæreditarium feudum conferre, et eiusmodi infeudationis literas ab vno fratre ad alium et eorum hæredes, tanquam super indiuiso feudo, iuxta tenorem transactionis conficere.

Item si quando memorati quatuor principes et Marchiones, Albertus, Georgius, Casimirus, Ioannes, et eorundem legitimi feudi hæredes omnes, sine legitimis feudi hæredibus decederent, tunc, et non antea, debent suprascriptæ terræ Prussiæ ad Regiam Maiestatem et Regnum Poloniæ hæreditariæ redire et recedere. Si vero filiæ superessent hæc debent ducalis dotis pecunia a Regia Maiestate absolui et prouideri.

Item debet Regia Maiestas Marchionem Albertum, suos hæredes, et omnes incolas supra scriptarum Terrarum Prussiæ, in eorum priuilegiis huic transactioni et superioritati Regiæ Maiestatis non repugnantibus, conseruare: et alias ab iniqua violentia defendere et manutenere.

Item debent tam ordinis quam nobilitatis et ciuitatum prædictarum terrarum Prussiæ mandatarii nuntii pro se, hæredibusque et successoribus suis consentire, et inscribere, quod seipsos, haeredesque et successores suos post obitum quatuor praedictorum principum et suorum legitimorum feudi haeredum ad Regiam Maiestatem et Regnum Poloniae ac ipsius haeredes debita fidelitate et subiectione, vti ad eorum naturalem ac haereditarium dominum, et nullum alium, tenere debeant, et velint. Ita denique, quod Regia Maiestas suprascriptas terras Prussiae cum aliquo linguam Germanicam callenti, et in eodem Ducatu bene possessionato, qui omnia officia administret, procurare debeat. Et si Maiestas Regia consiliarios suos deputauerit, quod nobiles et ciuitates, ecclesiastici et saeculares, omnium ordinum Terrarum Prussiae Duci ex Prussia iuramentum praestare debeant, quod tunc ex singulis districtibus duo ex nobilitate, ac ciuitatibus nomine aliorum omnium, quemadmodum hic praesentes se inscripserunt, literis quoque et sigillis suis huiusmodi concordiam recognoscere debebunt, et quum Principi de Prussia iuramentum praestabunt, quod tunc medio huiusmodi eorum praestito iuramento, etiam concordiam se seruaturos promittant.

Item quod Princeps de Prussia primum et proximum locum in consiliis, terrarum comitiis, et publicis conuentibus apud Regiam Maiestatem habere debet.

Item quod Princeps ex Prussia, haeredesque et successores Principes ex principatu et Terris Prussiae praedictis nihil vendant: verum si ad hoc ingens vrgeret necessitas, debebunt hoc Regiae Maiestati, tanquam domino suo haereditario ante vnum annum prius denuntiare. Quod si Maiestas sua emere nollet, extunc ipse Princeps vendendi habeat potestatem: regalibus tamen Regiae Maiestatis feudi et obsequiorum iuribus saluis. Et praeterea, si Dux ipse Prussiae vrgente necessitate praemeretur, poterit arces et oppida sua vasallis suis locare et impignorare, vt eaedem terrae vnitae et indiscissae, quemadmodum nunc sunt, permaneant.

Item quod ad obsequium attinet, ex quo Terra Prussiae in magnum detrimentum peruenit, promisit Regia Maiestas Marchioni Alberto sex annorum libertatem se ex gratia daturam. Vbi autem Regia Maiestas et Regnum Poloniae a

quibuslibet

quuibuslibet, cuiusuis dignitatis aut conditionis illi fuerint, occasione huius transactionis et concessionis feudi impugnaretur: extunc Dux in Prussia cum successoribus in propria persona vna cum omnibus suis subditis pro summis viribus Regiam Maiestatem etiam intra hoc sex annorum libertatis spatium adiuuare, et illi consulere sit obligatus. Similiter Regia Maiestas & Regnum Poloniae erga Ducem in Prussia & ipsius terras in hoc casu facere debebit.

Si autem contingeret, quod Regia Maiestas aut Regnum Poloniæ, extra hunc contractum ab infidelibus & alias vrgeretur, & Regia Maiestas Poloniae in propria persona cum omnibus suis subditis in castra proficisceretur: tunc Dux in Prussia cum successoribus suis obligatus esse debet, Regiam Maiestatem cum centum instructis equis, vsque ad terminos Terrarum Prussiæ insequi.

Si vero Dux in Prussia a Regia Maiestate vltra fines transire requisitus fuerit, extunc huiusmodi centum equites instar aliorum Maiestatis suæ equestrium militum regiis stipendiis militare debebunt. Casu autem, quo Regia Maiestas vrgenti necessitate plures quam centum equites a Duce in Prussia educi desideraret, quotquot centenarium numerum excesserint, a tempore exitus domiciliorum suorum, regio stipendio, vt præmissum est, militabunt. Si vero in facultate Ducis ex Prussia non fuerit plures, quam centum equites, educendi, non debet propterea ipsum Maiestas Regia vlterius vrgere.

Item quod ad iurisdictionem inter Regiam Maiestatem & Principem Prussiæ attinet, ita obseruandum est, si contingat, quod Regia Maiestas Principem, aut vicissim Princeps ipse Regiam Maiestatem in causis personas vtriusque partis concernentibus conuenire vellet, debet Maiestas Regia consiliarios suos Marienburgi aut Elbingi collocare, iuramentisque, quibus suæ Maiestati obnoxii sunt, absoluere, & rursum ad iuste iudicandum obligare. Et quicquid tunc a prædictis consiliariis Regiæ Maiestatis & Principis pronunciatum & decretum fuerit, ratum esse debebit, & sine contradictione seruari.

Si vero quispiam de sorte seu conditione principis sæcularis, aut ecclesiastici status in Prussia supradictum principem de Prussia super quauis re conuenire prætenderet, debebit Maiestas Regia sex ex consiliariis suis & Princeps in Prussia totidem ex suis ad iudicium, vt præmittitur, obligare, & iuramentis astringere: & quicquid ipsi æquum esse decreuerint, & pronunciauerint, ei vtraque pars acquiescere, & sine vlla tergiuersatione id ratum habere debebit.

Si autem aliquis, qui de sorte principum non fuerit, contra Ducem in Prussia quampiam actionem instituere vellet, hoc coram vasallis principis facere debet, quos princeps ipse collocare, & ad iudicium obligare tenebitur. Si quis autem occasione huiusmodi iudiciorum in casibus principis personam attingentibus sibi iniuriam factam, aut se grauatum existimaret esse, poterit ad consiliarios (quos Regia Maiestas & Dux in Prussia quotannis ad festum Francisci, cum id necessitas exigerit, Marienburgum mittere debebunt) prouocare, qui super ea re cognoscendi potestatem habere debent. Quod si ibi cognitum fuerit appellationem prouocantis friuolam & illicitam esse, debebit illa pars iudicio decem marcas Pruthenicales pendere, & parti aduersæ ad refundendum expensa litis & ad parendum priori sententiæ obligata esse.

Vbi vero actiones emergerent, incolas Terrarum Prussiæ & eorundem possessiones vtrinque contingentes, vnusquisque in eo iudicio, vbi bona seu possessiones sitæ fuerint, aut reus domicilium habuerit, conueniri, & ad extranea iudicia trahi non debet.

Item neutrius partis subditi, nec etiam eorum bona, ex quo in locis, ad quæ spectant, iustitia obtineri possit, in alienis iudiciis arrestari, aut detineri debent.

Item quod deinceps omnes incolæ terrarum Prussiæ vtrinque reciproca vicissitudine in terra & mari sine impedimento negotiationes exercere, veteribus

 stratis

ſtratis proficiſci, & curribus tranſire, nec non in priuilegiis ſuis hoc caſu permitti debent.

Cæterum fora in villis contra fas & antiquam conſuetudinem inſtituta, deinceps vbique aboleri, & in ciuitates, ad quas ſpectant, reponi debebunt.

Item quod profundum Balgen ad mare recens Habet vbicunque alias profunda, id eſt, oſtia maris fuerint, caput Vislæ, & omnia flumina omnibus Pruſſiæ incolis, vt in ipſis nauigare & traiicere poſſint, libera ſint. Et peregrini mercatores nec in Konigsberg, nec Braunsberg, Elbingum, Gdanum, aut in vllam aliam ciuitatem proficiſci cogantur, ſed debent libere, non coacti, prout ipſis placuerit, velificare, & nauigare. Attamen ſine antiquorum teloneorum et priuilegiorum detrimento.

Item nulla telonea, depoſitiones, vel alia grauamina in Terris Pruſſiæ contra antiquam conſuetudinem et priuilegia ab vlla partium inſtitui debent, ſed vetera telonea permanere. Si autem ab alterutra partium a tempore transactionis Regis Caſimiri telonea eſſent inſtituta, ea quoque hinc inde abrogari debent. Si vero ſucceſſu temporis contingeret, quod Regia Maieſtas et ſimiliter Dux in Pruſſia ad requiſitionem vtriusque ſubditorum ſuorum alicubi noua telonea aut emporia ad vtilitatem Terrarum Pruſſiæ inſtituere deſtinarent, tunc debet Regia Maieſtas Ducem Pruſiæ vocare in locum opportunum, et ambæ partes ſuper ea re concordandi et tranſigendi poteſtatem habere. Si etiam aurigæ, vel nautæ huiusmodi telonea præterirent, non debent eis bona adimi, ſed tantum naues, currusque auferri.

Cæterum quod ad bona naufragantium attinet, debebit id cum iisdem ſecundum veterem introductam conſuetudinem, ex quo idem in Zelandia, Holandia et Brabantia conſuetum eſt, etiam obſeruari, ita tamen quod a nautis nihil plus extorqueatur.

Item debet vtraque partium aduerſus alteram, nunc et deinceps publicarum ſtratarum prædones, et alios terris perniciem inuehentes, ad receptandum et promouendum abſtinere. Sed qui vnius partis profeſſus hoſtis ſit, debet etiam ab altera parte pro eius diffidato hoſte et damnificatore cenſeri.

Item quæuis partium poteſtatem habere debet hoſtes et noxios ſuos in bonis alterius partis perſequendi, et in quibus iudiciis apprehendentur, in illis ſiſti, et iuxta ipſorum demerita iuſtificari debent.

Item Dux in Pruſſia, præterea Elbingenſes Gdanenſes et Thorunenſes omnem monetam cudere abſtineant, ita quod Regia Maieſtas intra hinc et feſtum Pentecoſtes ſequentis anni diem ſtatuat ſe ratione huiusmodi monetæ clare concordandi.

Item quod Dux Pruſiæ omnibus priuilegiis et iuribus huic contractui repugnantibus, ſeu ea ſint ea a Pontificibus maximis, Imperatoribus, Principibus, vel Regibus Poloniae profecta, nunc et in perpetuum renuntiare, et ea in manus Regiae Maieſtatis conſignare debet. Si autem quicquam in eiusmodi priuilegiis contineretur, quod huic transactioni non repugnaret, ſed Duci Pruſiæ et terris occaſione finium, et aliorum iurium et priuilegiorum neceſſarium eſſet, debebit Maieſtas Regia eiusdem tenoris ſub literis et ſub ſigillo Maieſtatis ſuæ ea denuo concedere.

Item quod Regnum Poloniae et Terrae Pruſiae, pro ſe et eorum ſucceſſoribus ſufficienter ſe inſcribere debent, quod hanc inſtitutam transactionem, in omnibus ſuis partibus, punctis et articulis, fideliter perpetuo et irreuocabiliter ſeruare, nec vnquam contrauenire aut agere debeant, aut velint: hoc puncto ſingulariter adiuncto, ſi caſus mortis principum, quos Deus pro ſuo arbitrio, conſeruet, ſe offerret, quod Terræ Pruſiæ Maieſtati Regiæ et Regno Poloniæ, et nulli alteri adhærere debent.

Poſtremo ſi quisquam cuiusquam dignitatis aut conditionis exiſteret, hunque

que contractum impugnare vellet, debent tres Marchiones, quos hæc concordia pariter attingit, vna cum Duce de Prussia cum omnibus, quos ad hoc permouere poterunt, Regiam Maiestatem iuuare, & super hoc respondere.

Huic suprascriptæ Christianæ concordiæ & vnitati, Regia Maiestas Poloniæ, & Dux Prussiæ in omnibus articulis, clausulis, conditionibus, punctis, superius expressis, Regiam ac Ducalem dignitatem, Christianamque bonam fidem perpetuo & fideliter interponendo, inuiolabiliter pro se & successiue posteritatis eorum hæredibus successores Reges Poloniæ & Duces Prussiæ ratam & firmam habere, & obseruare polliciti sunt, ac promiserunt. Pro maiori præfatorum fide & securitate Regia Maiestas, similiter Dux Prussiæ, huiusmodi pactum, concordiam, & vnionem manu eorum propria subscripserunt, & Sigilla ipsorum nostris adhærentia subappendi fecerunt, & huiusmodi contractus binæ literæ concordationis seu vnionis, sub eodem verborum tenore confectæ, cuilibet parti vnæ præsentatæ sunt. Datum & actum Cracouiæ, Sabbato in vigilia Palmarum, quæ fuit octaua mensis Aprilis. Anno Domini. 1525.

Nos itaque SIGISMVNDVS Rex Poloniæ, de concilio & consensu Consiliariorum nostrorum Regni Poloniæ, omnes & singulos memoratos articulos, vt præmittitur, medio Illustrium Principum prænominatorum Georgii Marchionis Brandeburgensis, & Friderici, Ducis Legnicensis, inter nos, & Illustrem dominum Albertum Marchionem Brandeburgensem Magistrum, ac Ordinem eius in Prussia actos, conditos & conclusos in omnibus & singulis eorum punctis, clausulis, continentiis, prout iacent, acceptamus, ratificamus, approbamus, laudamus, & confirmamus, ipsosque perpetuum firmitudinis robur obtinere volumus. Promittentes in verbo nostro Regio, ac sub fide boni ac legalis, & ingenui Principis, pro nobis atque successoribus nostris Regibus Poloniæ ac Regno, & dominiis [illegible] tris, quantum nos & illa concernunt, nos omnia suprascripta, in præinsertis literis atque articulis condictis & conclusis expressa, firmiter & inuiolabiliter obseruare, exequi, & adimplere, neque illis quoquomodo contrauenire de iure, vel de facto, directe & indirecte, omni dolo & fraude penitus seclusis. In quorum omnium et singulorum fidem, robur, et testimonium præmissorum præsentes literas manu nostra propria subscripsimus, illasque Sigillo nostro Regio & Consiliariorum nostrorum sigillis communiri fecimus. Datum Cracouiæ die Dominico Palmarum, Anno Domini 1525. Regni vero nostri anno 19. Præsentibus, &c.

Rex SIGISMVNDVS Terras Prussiæ dat in feudum.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam, Nos SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithuaniæ, nec non terrarum Cracouiæ, &c. dominus & hæres, vniuersis et singulis præsentibus & futuris harum seriem inspecturis, manifestum facimus: Quia cum olim multæ & graues controuersiæ, multaque et reipublicæ Christianæ perniciosissima bella gesta fuissent, inter prædecessores nostros Reges Poloniæ, ac Magistros et Ordinem dictum S. Mariæ Teuthonicorum, super proprietate in terris Prussiæ, Regibus et regno Poloniæ ius suum hæreditarium pro virili tuentibus, Magistris vero ac ordine suis veris ac legitimis hæredibus et dominis parere recusantibus, atque iis tantis controuersiis, tantisque bellis eo res deducta fuisset, vt diuino fauore iustitiæ Regni nostri opitulante, et pax confecta, et Magistri ac Ordo, totaque ipsorum ditio in subiectionem et homagium Regibus et Regno Poloniæ deuenisset, idque longissimo tempore tentum et obseruatum esset: Successu vero temporis nouæ controuersiæ de ipsa proprietate, ac demum bellum inter nos Regnumque nostrum, et Illustrem dominum ALBERTVM Marchionem Brandenburgensem, Magistrum generalem ac Ordinem eius, suscitatum esset, cum maximo Reipublica christianæ

ſtianæ incommodo. Proindeque ſummi Pontifices videlicet LEO decimus, ADRIANVS ſextus, et modernus CLEMENS ſeptimus, demum inuictiſſimus CAROLVS Romanorum Imperator et Hiſpaniæ Rex catholicus, nec non Sereniſſimus nepos noſter dominus LVDOVICVS, Hungariæ et Bohemiæ Rex, ac pleriqne Germaniæ Principes, ſummo ſtudio apud nos egiſſent de concordia, et pace componenda. Quae denique concordia cum medio illuſtrium Principum dominorum GEORGII Marchionis Brandenburgenſis, in Sileſia Ratiborienſis Iägendorff, in Pruſſia Stetinenenſis, Pomeraniæ, Caſſubarum, Sclauorum, &c. Ducis Principis Rugiæ ac Burgrabii Nurembergenſis, & FRIDERICI Ducis Legnicenſis & Brigenſis & Capitanei inferioris Sleſiæ, tractata & concluſa eſſet, veniſſetque ad nos ipſe Illuſtris dominus ALBERTVS, Marchio Brandemburgenſis et Magiſter generalis, cum nonnullis membris Ordinis et ſubditis ſuis, plenam et omnimodam facultatem ab Ordine et vniuerſis ſubditis eius habentibus, ſe nobis vti vero et legitimo hæredi, et domino ſuo ac terrarum omnium Pruſſiæ ſubiicientibus, ac eaſdem terras ſibi in feudum dari enixe, et ſuppliciter, primum eius Conſiliarii Proceres et ſubditi, demum ipſe Illuſtris dominus ALBERTVS Marchio a nobis petiuiſſent, declarans ſe nobis et Reipublicae Regni noſtri hoc pacto magis ex vſu fieri poſſe, pacemque firmiorem futuram. Nos rationem habentes in primis vtilitatis ipſius Reipublicae chriſtianæ, quæ in tanta infidelium tempeſtate, non niſi pace et concordia inter ſe chriſtianorum Principum ſeruari poteſt, demum obaudire nolentes, vt poſtulata Sanctiſſimi domini noſtri Papæ, Cæſareæque et catholicæ Maieſtatis, ac Sereniſſimi domini nepotis noſtri, domini LVDOVICI Hungariæ & Bohemiæ Regis, aliorumque Principum chriſtianorum, qui hactenus omni conatu hanc differentiam & bellum ſiſtere & componere inter nos ſtuduerunt, ac denique gratificari & commodare volentes dicto Illuſtri Principi Domino ALBERTO Marchioni Brandenburgenſi, vti nepoti noſtro ex ſorore chariſſimo, eiusque Domui de Onſpach, annuimus non grauatim precibus eius Illuſtritatis, & ſubditorum ipſius, illique & eius veris maſculini generis & legitimis feudi hæredibus ex lumbis eius procedentibus, terras, ciuitates, oppida, & arces infra ſcriptas in perpetuum, & indiuiſum feudum dedimus, & conceſſimus, & ipſum de illis per vexilli noſtri traditionem inueſtiuimus, harumque ſerie literarum damus & concedimus: videlicet arcem Konigsberk cum tribus ciuitatibus, item arcem & oppida Lochſtete, Vargen, Girmaw, Pubetten, Rudaw, &c. vt in præcedentibus concordiæ literis ſunt deſcripta. Cum omnibus & ſingulis ſubditis, vaſallis, fructibus, dominiis, ſuperioritatibus, libertatibus, & iuribus, vna cum omnibus arcibus, ciuitatibus, foris, villis, manſis, Curiis, molendinis, molendinorum locis, cenſibus, vectigalibus, reditibus, teloneis, ſeruitiis, feudis ſpiritualibus, & ſecularibus, lacubus, fluminibus, piſcationibus, aquis, aquarum decurſibus, ferarum luſtris, ferarum meatibus, venationibus, ſyluis, nemoribus, paſcuis, pratis, actibus etiam, cum omnibus metallis, quæ modo ſunt, ſeu in futuro fieri poſſunt, auro, argento, cupro, ſtanno, plumbo, ſalinis ſupra & ſubtus terram, ſimiliter vna cum omnibus & ſingulis eminentiis, iuribus, & pertinentiis vniuerſis, nullis exceptis, ſicuti eiuſmodi terras priores Magiſtri generales, & idem Ordo habuere, & vſque ad præſens nouiſſimum bellum geſtum vſu & fructu tenuerunt, in poſterum, perpetue & hæreditarie in commune & indiuiſum feudum tenendum, habendum, fruendum, vtendum, & poſſidendum. Vbi vero ipſe Illuſtris ALBERTVS Marchio & Dux in Pruſſia, ſine legitimis maſculis feudi hæredibus, vel eius legitimi maſculi, feudi hæredes, non relicta prole virili deficerent, extunc ſupradictæ terræ, ciuitates, & oppida et arces in omni forma & modo, quemadmodum eas ſupradictas Illuſtris ALBERTVS Marchio habuit, ad Illuſtrem Principem Dominum GEORGIVM Marchionem Brandenburgenſem & ipſius legitimos ſexus maſculini feudi hæredes venire, &

deuolui

deuolui debent. Si vero etiam Marchio GEORGIUS ſine legitimis feudi hæredibus maſculis, vel eius hæredes poſt eius obitum ſine legitimis maſculi generis legitimis feudi hæredibus, ex humanis concederent, dictæ terræ, ciuitates, oppida, & arces ad Illuſtrem Principem Dominem CASIMIRUM & eius maſculos feudi hæredes deriuari ac deuolui debent. Si autem prædictus Marchio CASIMIRUS ſine prole maſcula feudi hærede decederet, aut eius feudi hæredes poſt ipſius mortem liberos maſculos, feudi hæredes, poſt ſe non relinquerent: tunc nominatæ terræ, ciuitates, oppida, et arces in Pruſſia, ad Illuſtrem Principem Dominem IOANNEM Marchionem Brandeburgenſem et eius veros legitimos maſculini generis feudi hæredes deuolui debent, ita quod dictæ terræ, ciuitates, oppida, et arces, vbi diuina ordinatione huiuſmodi caſus futuris temporibus accideret, de fratre in fratrem prædictos et eorum legitimos feudi hæredes maſculos cedant, et deuoluantur, ſine noſtro, hæredumque et ſucceſſorum noſtrorum Regum ac Regni noſtri Poloniæ impedimento. Ita tamen cum, et quoties ſe obtulerit eiuſmodi caſus deuolutionis de vno in alterum, prædictos fratres et eorum legitimos feudi hæredes maſculos, debebunt illi, et quiſque eorum debebit nobis et ſucceſſoribus noſtris Regibus ac Regno Poloniæ, infra tempus debitum ac legitimum debitam ſubiectionem, et feudi obligationem, ac homagium præſtare. Quod ſi prædicti quatuor fratres de domo Onſpach, diuina voluntate ſic diſponente, ſine maſcula prole feudi hærede legitima ex lumbis eorum ordine ſupraſcripto procedente, aut eorum huiuſmodi proles ſimiliter ſine maſculo feudi hærede legitimo, ex lumbis eorum procedente, decederet: Tunc omnes et ſingulæ terræ, ciuitates, oppida, bona, et arces ſupraſcriptæ ad nos, et ſucceſſores noſtros Reges et Regnum Poloniæ, ſine omni impedimento ac contradictione deuolui ac redire debent.

Debebit item ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio et Dux in Pruſſia, eiuſque prænominati ſucceſſores et feudi hæredes, pro hac noſtra in ſe beneficentia nobis et Regno noſtro tale obſequium præſtare, quod vbi ratione huius concordiæ et conceſſionis feudi a quocunque cuiuſuis eminentiæ et conditionis Principe, ſeu potentatu impeteremur, aut ſucceſſores noſtri impeterentur, tenebitur ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio, aut eius prædicti ſucceſſores Duces in Pruſſia, in propria perſona nobis et Regno noſtro, vbique vna cum omnibus ſuis adeſſe. Quod viciſſim nos et ſucceſſores noſtri Reges ac Regnum Poloniæ in eodem caſu facere debebimus et debebunt.

Vbi autem contingeret, quod nos vel ſucceſſores noſtri Regnum Poloniæ altera quauis ex cauſa, tam ab infidelibus, quam ab quocunque alio hoſte impeteretur, et ipſi in perſona propria ad bellum cum ſubditis noſtris proficiſceremur, aut ſucceſſores noſtri proficiſcerentur, debebit Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio et Dux in Pruſſia, aut eius prænominati ſucceſſores Duces in Pruſſia nobiſcum cum centum equitibus armatis proficiſci, et intra limites terrarum Pruſſiæ nobis ſeruire. Quod ſi educere extra terminos Pruſſiæ illum aut eius ſucceſſores, nos et ſucceſſores noſtri vellemus, extunc ad eoſdem centum equites ſtipendium tale præbere, quale dari aliis noſtris mercenariis equitibus eſt ſolitum, tenebimur. Vbi vero nos vel ſucceſſores noſtri vellemus ipſum Dominum ALBERTUM Marchionem aut eius nominatos poſteros nobis et ſucceſſoribus noſtris maiori comitatu ſeruire, debebimus nos et ſucceſſores noſtri iis omnibus militibus, quos vltra centum prædictos conducere poſſet, mox poſt egreſſum a domibus ipſorum ſtipendium, quod noſtris militibus dabitur, illis, quam diu ſeruierint, perſoluere. Si autem plures quam centum prædictos equites ipſe Illuſtris Dominus ALBERTUS Marchio, aut eius ſucceſſores Duces in Pruſſia, educere non poſſent, non debebimus nos, aut ſucceſſores noſtri, ab illo et eius poſteris Ducibus in Pruſſia plura exigere.

Præterea non debebit ipse Illustris Dominus ALBERTUS Marchio et eius nominati feudi hæredes, successores Duces in Prussia, quicquid ex terris, ciuitatibus, oppidis, arcibus, et bonis prædictis vendere. Verum si ad hoc illum, et eius successores, ingens vrgeret necessitas, tenebitur nobis et successoribus nostris, tanquam dominis suis hæreditariis, ante omnia denunciare. Quod si nos ipsi emere non curauerimus, aut hæredes et successores nostri non curauerint, in hoc casu ipse Dominus ALBERTUS Marchio et Dux in Prussia, aut eius legitimi feudi haeredes seu successores, cuicunque voluerint vel potuerint, liberam vendendi habebunt facultatem. Regalibus tamen nostris feudi et obsequiorum iuribus semper saluis remanentibus.

Poterit etiam ipse Dominus Dux in Prussia, et eius feudi haeredes, vbi eos necessitas vrgens premeret, ex bonis suis praedictis, quantum opus foret, impignorare, suis duntaxat subditis et Vasallis, vt eadem bona vnita et indiuisa permaneant. Quae etiam omnia et singula suprascripta, et quaecunque alia, quae Vasallus et feudalis Princeps erga suum naturalem Dominum haereditarium et superiorem dominum praestare ac obseruare tenetur, debebit ipse Illustris Dominus ALBERTUS Marchio et Dux in Prussia, ac eius feudi haeredes legitimi successores, firmiter et inuiolabiliter adimplere. Nosque vicissim illum et successores eius omni gratia et fauore Regio complecti, ac illos in iuribus et immunitatibus ipsorum conseruare, pro nobis et successoribus nostris Regibus et Regno Poloniae pollicemur. In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium Sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Cracouiae feria secunda post dominicam Palmarum proxima. Anno Domini 1525. Regni vero nostri anno 19. Praesentibus, etc.

Rex dabit ALBERTO Duci Prussiae 4000. florenorum Rhenensium.

SIGISMUNDUS, etc. Significamus tenore praesentium vniuersis. Quia cum diuino fauore Illustris Princeps Dominus ALBERTUS Marchio Brandeburgensis ac in Prussia Stetinensis, Pomeraniae, Cassubarum, Sclauorum, &c. Dux, Burgrabius Nurembergensis et Princeps Rugiae, nepos noster charissimus, post controuersiam ad quam nobiscum deuenerat, tandem ad nos veniens medio Illustrium Principum Dominorum GEORGII, Marchionis fratris germani, ac Friderici Ducis Legnicensis sororij sui, se nobis reconciliauerit, magnaque ac euidentia testimonia et indicia de sua erga nos fide ac propensione exhibuerit, volentes eius Illustritatem in terris Prussiae, quas illi in feudum dedimus, et quae bellica saeuitia magnum detrimentum sunt passae, releuare, ac illum nobis et Regno nostro maiori beneficentia deuincere, dandum et donandum illi duximus annuum stipendium, quatuor millium florenorum Rhenensium in auro, vel pro singulis aureis XXVIII, grossos integros monetae et numeri Regni nostri praesentis, harumque serie literarum damus, donamus, et assignamus, ad terminos vitae Illustritati suae, per nos et successores nostros quotannis soluendum, ita videlicet, quod primam ratam anni huius soluere debebimus ad festum S. Michaelis proxime futurum, alteram vero ratam ad festa Paschae anni Domini 1527., et deinceps singulis annis sequentibus ad festa Paschae dictam summam quatuor millium florenorum Rhenensium soluere nos et successores nostros Reges Poloniae submisimus, et praesentibus submittimus, ac obligamus, promittentes in verbo nostro Regio pro nobis et successoribus nostris Regibus Poloniae, quod eam donationem et firmam habebimus, et illi semper, quoad sua Illustritas vixerit, satisfaciemus, et successores nostri Reges Poloniae satisfacient. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum est praesentibus appensum. Datum Cracouiae feria IV. post Dominicam Palmarum, quae fuit XII. Aprilis, 1525. Regni nostri 19.

Prius

PRIVILEGIUM DUCI PRUSSIÆ DATUM.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Ad perpetuam rei memoriam, Nos SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, nec non terrarum Cracouiae, Sandomiriae, Lanciciae, Cuiauiae, Russiae, totius Prussiae, Culmensis, Elbingensis, Pomeraniae, etc. Dominus et haeres, manifestum facimus tenore praesentium. Quia licet quasdam terras nostras haereditarias in Prussia Illustri Principi Domino ALBERTO, Domino Marchioni Brandenburgensi, & Duci in Prussia, &c. iure feudali concessimus, in earumque possessionem illum per consiliarios nostros induci fecimus, & eius concessionis, ac articulorum, & conditionum inter nos transactarum illi sufficientes nostras literas dedimus, in quibus præter alia, etiam immunitates illi a nobis concessæ sunt descriptæ, tamen cum contractus, cum illo per nos factus, velit, vt, si quidpiam in priuilegiis illis contineretur, quæ nobis restituit, & quibus renunciauit, quod huic ipsi contractui & transactioni non repugnaret, sed quod ipsi Duci ex Prussia & terris eius occasione finium et aliorum iurium et priuilegiorum necessariorum esset, quod id nos sub literis et sigillo nostro denuo concedamus: Ideo nonnullas infrascriptas prærogatiuas et immunitates prioribus literis contentas eius Illustritati renouandas, addendas, et denuo concedendas duximus, & tenore præsentium concedimus, ita sane, vt ipse Dux ALBERTUS, similiter et hæredes eius, terram concessam ab omni exactione & seruitio, exceptis his quæ nominatim in contractu concordiæ expressa sunt, liberam teneat & immunem, & coram nullo alio, si ratione ipsius terræ impeteretur, quam coram nobis, aut successoribus nostris, Regibus Poloniæ, respondere teneatur, atque vt liceat eidem, vna et hæredibus suis, per totam terram nunc concessam, ad commodum suum passagia et telonea ordinare, secundum contractus præscriptum, nundinas et fora statuere, monetam cudere pro contractus formula. Talia et alia iura taxare, directuras per terram in fluminibus, et in mari, sicut vtile visum fuerit, stabilire. Denique iurisdictionem, potestatemque illam habeat, et exerceat in terris suis, quam aliquis Princeps Regni nostri melius habere dignoscitur in terra quam habet. Quatenus autem initæ concordiæ, & contractui, non aduersetur, vt bonos vsus et consuetudines ponat, assisas faciat, et statuta, quibus omnes eius subditi pace tranquilla gaudeant, et vtantur. Postremo concedendam etiam duximus, et concedimus, tenore præsentium eius Illustritati atque nobilibus, suis omnibus, libertatem ducendi et transuehendi per regnum et dominia nostra, terra vel aqua, omnes et singulas res, quæcunque ad vsum et necessitatem propriam eius Illustritatis atque eorundem nobilium, non autem ad mercaturam exercendam, opportuna et necessaria fore videbuntur; et his pariter omnibus, qui ex alienis prouinciis commigrare vellent, in terram et ditiones eius Illustritatis, equestris duntaxat conditionis seu nobilibus, liberam damus res omnes illorum proprias secum transferendi per Regnum & dominia nostra, absque solutione cuiuslibet telonei, et citra vllum impedimentum, facultatem et prærogatiuam. In cuius rei testimonium Sigillum nostrum est præsentibus appensum. Actum et datum in ciuitate nostra Marienburgensi sabbato proximo ante festum S. Trinitatis. Anno Domini 1526. Regni vero nostri anno xx. vt supra in literis feudalibus Ducis Pomeraniæ.

NOBILITAS CUM CIVITATIBUS APPROBANT CONCORDIAM.

NOs infra scripti ERHARDUS electus Pomesaniensis, FRIDERICUS Dominus de HEYDEK, ordinis Teuthonicorum in Prussia, HENRICUS de KITTLICZ, GEORGIUS de KYMHEIM, nomine Nobilium: NICOLAUS RICHAN, magister ciuium ciuitatis antiquæ, CRISPINUS SCHENBERGE, Consul in Kuribhoff nomine maiorum

iorum & minorum ciuitatum in Prussia: palam facimus & recognoscimus, quia cum retroacto tempore multa, grauiaque bella, inter Serenissimos Poloniæ Reges, et inclytos Teuthonici ordinis Magistros magnos, tantis odiis, inueteratisque dissidiis in vtriusque populi, & Polonici & Pruthenici, calamitatem gesta sint, vt parum hactenus profuerint contractus, et pacis foedera summorum Pontificum, Imperatorum, Regum auctoritate semper interposita. Cuius mali origo hinc dimanauit, quod Prussiæ terra (nam de eius propinquitate tantopere pugnatum est) rectore hæreditario caruit, cum hinc Reges Poloniæ, illinc magni Magistri & militaris ordo, ius suum prætenderent, mallentque armis, quam pia Christianaque concordia, negotium transigere. Proindeque peruenit eorum malorum non parua portio ad nostram vsque ætatem. Siquidem paucis ab hinc annis, oborto iterum ea de re bello, concurrentibusque, infestis signis, Serenissimo Rege SIGISMUNDO, & Illustrissimo Principe ALBERTO magno Magistro: quanta vastitate vtraque terra affecta sit, ostendunt ipsæ ruinæ & calamitas miserorum. Sunt vastati agri, abducti coloni, effusus sanguis Christianus, vim passæ mulieres, stupratæ virgines, prophanatæ sacræ ædes: præterea alia scelera et bellorum incommoda perpetrata, quæ etiam audire, ne dum fieri, in populo christiano mens horret. Cuius belli immanitate moti, et miserorum fortunam miserti, summus Pontifex, sacratissima Cæsarea Maiestas, Serenissimus Hungariæ Bohemiæque Rex, ad inducias quadriennales vtramque partem piis rationibus flexerunt, eo proposito, vt quadriennio illo induciarum veterem discordiam omnino tollerent, et pacem firmam inter nos finitimas gentes componerent. Erat spes bona nobis, fore, vt aliquando concordia pro discordia veniret. Cæterum cum Christianus orbis vndique bellorum tumultum, variisque perturbationibus vexaretur, factum est, vt tam pium consilium tantorum rectorum rerumpublicarum de concordia statuenda impediretur, quando quidem quadriennium induciarum irritum abiit, vt eius fine pro pace bellum videretur renasci, quod sane ita erat in manifesto, vt aut ipsum noua cum calamitate Christianorum fuisset suscipiendum, aut in contractum Thorunensem, cui titulus est, perpetuæ pacis, coniurandum. Quando igitur versaremur inter duo eiusmodi pericula, vt aut arma patriæ nostræ intoleranda deinceps forent capessenda, aut necesse esset consentire in concordiam et prædictum contractum perpetuæ pacis, nec in aliam partem se flecti permitteret Serenissimus Rex Poloniæ et inclytum eius Regnum: Respexit Deus propiciis oculis in pias preces calamitate afflicti populi, deditque ex improuiso pios ac prudentes pacis per alium modum procuratores, Illustrissimos Principes et dominos, Dominum GEORGIUM Marchionem Brandenburgensem etc. et Dominum FRIDERICUM, Ducem Legnicensem, etc. quos vetus discordia et periculum redeuntis belli non minus mouit, quam si eorum res ageretur: quum sint vtrique partium sanguine et affinitate coniunctissimi. Hi diuina inspiratione inuenerunt articulos transactionis et pacis cum iustos, tum Christianos. Qui si bona fide custodiantur, non erit amplius timor de periculo renascituri belli.

In primis autem sua prouidentia curarunt, quo restingueretur fons, vnde hactenus tot mala fluxerunt, scilicet, vt habeat terra Prussiæ Principem hæreditarium, qui iustis de causis superiorem recognoscat Serenissimum Regem Poloniæ et inclytum eius Regnum. Quando quidem certis iam indiciis et argumentis haud fallacibus iam tandem euidenter cognouimus, fundum et solum terræ Prussiæ intra fines, limites, et circulo ditionis inclyti Regni Poloniæ contineri, et concludi. Quando autem nihil potius esse debet Christianis pectoribus, quam cum omnibus, si fieri posit, in primis vero cum vicinis, in pace et tranquillitate viuere, quoque nobis Magister noster Christus, et eius discipuli, tanta cura et studio commendarunt: Volentes accurrimus ad per tam pios Principes oblatas

latas pacis conditiones, qua hactenus indigni visi sumus, et nunc diuina commiseratione donamur: idque eo libentius fecimus, quod nos ad eandem transactionem amplectandam clarissimus vir, Dominus IOANNES STATILIUS Præpositus Vesprimiensis, Secretarius & Orator Domini LUDOVICI, Regis Hungariæ et Bohemiæ, Regis Domini nostri gratiosissimi adhortabatur duplici nomine, tum quod ad percutiendum foedus pacis missus esset, tum quod propositi articuli transactionis iusti ac Christiani a præfato Serenissimo Rege iudicarentur, qui ceu alter summorum arbitrorum concordiæ statuendæ in quadriennalibus induciis nihil æque ad se pertinere affirmauit, quam, vel in ipsis induciis, vel post finem earum, inter Principes vtrinque sibi coniunctissimos, & populos vicinos, pacem procurare. Ideo consensimus & consentimus in transactionem & concordiam inter Serenissimum dominum SIGISMUNDUM Regem, & inclytum Regnum Poloniæ, ex vna, et Illustrissimum Principem Dominum ALBERTUM, Marchionem Brandenburgensem, &c. hæredes & successores, ex altera partibus, super feudo, iuribus, & proprietate prædictæ terræ Prussiæ, ac aliis punctis, articulisque per præfatos Illustrissimos Principes Dominum GEORGIUM Marchionem, &c. FRIDERICUM Ducem Legnicensem, pacis mediatores, anno 1525. die nona Aprilis Cracouiæ ad nostram petitionem & placitum conceptam, & confectam, ipsamque in omnibus punctis & articulis, proinde ac si inserta hic esset, nostro, constituentium, hæredum, & successorum nomine, laudamus, approbamus, & cum magna hilaritate animique gratitudine suscipimus, & amplectimur, pro nobis, præfatis constituentibus hæredibus & successoribus nostris, sincera & Christiana fide, & sub honore nostro, nec non iurisiurandi sacramento firmiter & constanter promittentes, & efficaciter nos obligantes, quando eandem concordiam transactionemque, vt præfertur, in omnibus & singulis articulis & conditionibus fideliter & irreuocabiliter sine fraude & dolo ratam & gratam habere, & perpetuo obseruare, nec vnquam per nos, aut submissas personas, quouis prætextu siue colore, publice vel occulte ipsi contrauenire volumus, nec debemus, renunciantes præterea omnibus & singulis iuribus & priuilegiis, & exceptionibus, quibus eandem concordiam impugnare, & infringere possemus. Porro si Illustrissimus Princeps Dominus ALBERTUS Marchio Brandenburgensis, &c. in Prussia Princeps, &c. quem de voluntate præfati Serenissimi Regis Poloniæ SIGISMUNDI, in hæreditarium dominum suscepimus, & præsentibus suscipimus, nec non Illustritatis suæ veri & legitimi feudi hæredes masculi, & subinde Illustrissimi Principes Domini GEORGIUS, CASIMIRUS, IOANNES, vna cum omnibus suis legitimis feudi hæredibus e vita migrauerint, & præfata terra Prussiæ ipsis in feudum concessa, iuxta inscriptionem prædictæ transactionis ad Serenissimos Reges & Regnum Poloniæ deuoluta fuerit: quod nos Serenissimis Regibus eisdem, & Regno Poloniæ, cui nos vnanimiter sponte & ex certa scientia, vna cum prædicto Principe nostro, tanquam superiori domino, subiecimus, & ex nunc subiicimus, nec cuiquam alteri adhærebimus, obediemus, et subiecti erimus. Sed eosdem Serenissimos Reges, et inclytum Regnum, pro dominis nostris, quo ad vtile et directum dominium, merum et mixtum imperium, in perpetua subiectione profitebimur, et recognoscemus. Saluis tamen semper manentibus omnibus et singulis transactionis articulis, quibus in hoc casu terræ Prussiæ cautum est. In quorum omnium fidem et robur nos suprascripti Oratores, nomine constituentium et nostro, has literas sigillorum nostrorum appensione, muniuimus. Datum Cracouiæ die IX. Aprilis, quæ erat dominica Palmarum. Anno Domini 1525.

SIGISMUMDUS I. IOANNI DANTISCO apud Romanum Pontificem Oratori de pacificatione Prussiæ.

CUm induciæ cum Magistro Prussiæ expirarent, ageretque cum summus Pontifex, tum Cæsarea Maiestas, Serenissimusque Dominus Rex Hungariæ, nepos noster, apud nos de induciis prorogandis, ad quas subditi nostri consentire nequaquam voluerunt, iudicantes eas bello futuras nocibiliores, proindeque nos ad prosequendam rem nostram armis instituerennus: venit ad nos id sentiens ipse Magister cum Illustribus Marchionibus GEORGIO et FRIDERICO, Duce Legnicensi, transegitque nobiscum coram de tota controuersia: præstito nobis debito suo, et datis illi per nos in feudum terris, quas prius ante bellum nouissimum possedit.

De religione vero nihil inter nos est actum, tum quia interesse nostra non videbatur, tum quod etiam ordinis institutores non fuerimus, tum vero quod fere in tota ditione ordinis prorsus de tota religione catholica sit actum, et deploratum. Proindeque abusi sumus ea conditione deprauati temporis, in rem pacis, cum res aliter transegi nullo pacto potuit.

Proinde, si qui isthic hos actus nostros in re Pruthenica suggillare vellent, habes, quo innocentiam nostram tueri possis. Nam nos ordinis curatores non sumus, sed hæreditarium ius nostrum duntaxat semper exegimus: Religio catholica nobis semper cordi fuit, pro qua nequaquam dubitamus vel sanguinem nostrum profundere, tantum abest, vt illi nostra opera vel consensu quicquam esset per hanc transactionem detractum.

CONSTITUTIONES MILITAREM ET CIVILEM ORDINEM, TOTAMQUE PRUSSIAM CONCERNENTES.

SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Poloniæ, Magnus Dux, etc. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis, quia consulere volentes, multiplicibus erroribus et abusibus, qui cum in diuinis, tum etiam humanis rebus, inoleuerant in terris et ciuitatibus nostris Prussiæ, venimus huc ad easdem terras, omnibus aliis negotiis nostris intermissis, et auspice Domino Deo recte omnia, quæ reformatione indigebant, confecimus. Præter ea etiam ad futurum deinceps bonum regimen, constitutiones et ordinationem opportunam in ipsis terris relinquere operæ pretium esse duximus. Proindeque de consilio et consensu omnium Consiliariorum et Nunciorum communitatis, tam militaris, quam etiam ciuilis ordinis, infra scriptas constitutiones edidimus et promulgauimus.

In primis quisque PALATINUS habeat apud se exemplum, seu copiam, priuilegii terrarum Prusfiæ, et illud vnicuique petenti ostendet, et coram eo legi faciet, quod nos manutenere, et secundum ipsius tenorem, dignitates, officia et capitaneatus, solis indigenis conferre dignabimur.

Cæterum cum ius Culmense, quo potissimum Prussia vtitur, scripturis saltem authenticis nusquam reperiatur esse sancitum, multaque propterea oriantur incommoda: Venerabiles et egregios deuote nobis dilectos TIDEMANNUM GISE, Custodem et Canonicum Varmiensem, MATHIAM SLEWNICZKI, Canonicum Gneznensem, ACHATIUM FRENUT, Canonicum Varmiensem, FRANCISCUM SOLDAW, et PHILIPPUM HOLKNER designauimus, vt hoc anno ad calendas Octobris Mariemburgi conueniant, et eiusmodi ius cum eius constitutionibus passim colligant diligenter, conscribantque, vt deinde typis excussum et euulgatum ad omnium notitiam perueniat, firmiterque a cunctis obseruetur.

Iudicia autem terrestria in singulis Palatinatibus quotannis bis seruentur, ita, vt in Palitinatu Culmensi primum iudicium feria tertia post dominicam quasimodo geniti, secundum autem feria tertia post Lamperti celebretur. In aliis autem Palatinatibus iuxta veterem consuetudinem celebretur, ex quibus quidem iudiciis terrestribus apppellatiōnes ordinarie fiant ad conventus generales terrarum Prussiæ. A conuentibus autem generalibus ad regium tribunal nostrum, donec ab alterutra partium conformes sententias obtinuerit.

Vt autem friuolæ et temerariæ appellationes nonnihil cohibeantur, quisquis a iudicio terrestri ad conuentum generalem appellauerit, tres marcas in iudicium reponat. Si vero a conuentu generali ad nos appellatum fuerit, sex marcæ deponantur, et si appellans coram iudice appellato succubuerit, in vsum publicum iudicii, in quo erant repositæ, cedant, alioquin parti restituantur.

Nec Palatini iudicent causas ad ius terrestre spectantes, nisi de consensu partium, et prouocantes ad iudicium terrestre remittant, exceptis causis leuioribus, quæ videlicet valorem decem marcarum non excedant. Hæc quidem fine strepitu iudicii de simplici & plano ab eis componi possunt. In causis autem sanguinis & de facto recenti depræhensis, indilatam iustitiam ministrent: nec partes contendentes ad componendum amice inter se controuersiam cogant, nec exigant vllas pœnas nisi per iudicium decretas. Quarum pœnarum tertia pars iudicio terrestri, reliquæ duæ partes Palatino loci cedant.

Palatini & Capitanei citati, tam in iudicio terrestri quam conuentuum publicorum respondere sunt obligati, exceptis actionibus super bonis nostris regalibus emergentibus. Capitanei autem iuxta continentiam priuilegii terrarum Prussiæ sint indigenæ possessionati, ratione quarum possessionum suarum sint iudicio terrestri subiecti.

Statuimus præterea, vt communibus consiliariorum votis Notarius terrestris nobilis possessionatus linguas necessarias callens, & alias, ad hoc officium eligatur, qui, cum iuratus fuerit, exclusis tam ecclesiasticorum Prælatorum, quam ciuitatum ac aliorum, Notarius solus secretorum consiliis et conuentuum publicorum iudiciis intersit. Literas & acta iudicialia diligenter conscribat, ac iura partium in iudicio producta fideliter custodiat.

Vt autem temerariæ lites amputentur, commissarios siue iudices delegatos non deputabimus in causis ad iudicium terrestre spectantibus, et minus in eo iam pendentibus, nisi per appellationem ordinariam, de qua superius dictum est, a sententia definitiua seu interlocutoria iam lata ad tribunal nostrum deuolutæ fuerint, exceptis causis limitum, bonorum nostrorum regalium: nec iudices delegatos seu commissarios, a quibus semel appellatum est, in eadem causa denuo deputabimus, aut causam ad illos remittemus. Non enim verisimile aut honestum videbatur, quod iudex pristinam suam sententiam retractet, aut aliter iudicet, quam antea iudicauerat.

Conuentus autem publici, seu generales, iuxta proximam ordinationem nostram in Prussia quotannis bis celebrentur. Verno videlicet tempore Dirsauiæ, ad diem S. Stanislai: tempore autem autumni in Graudentz ad diem S. Michaëlis. Conuentus autem, peculiariter per nos instituendus, locum & diem ex nostro arbitrio sortietur.

Ad prædictos conuentus omnes causæ, tam ex ciuitatibus, quam iudiciis terrestribus, per appellationem deuoluantur, et etiam siue speciali commissione nostra iudicentur. Deinde vero, & non antea, ad supremum tribunal nostrum remittantur parte prouocante: cui ad prosequendum appellationem a iudicibus legitimus terminus præfigatur. Quam appellationem, si intra vnius anni spacium non prosequeretur, prior sententia, iuxta iuris communis dispositionem, in rem transeat iudicatam, & executioni demandetur.

Ante conuentum vero publicum per nos et successores nostros singulariter instituendum, in singlis palatinatibus, Culmensi videlicet, Mariemburgensi & Pomeraniæ, fiat nobilitatis conuentio particularis, quam secundum morem antiquum Palatini ex singulis districtibus Palatinatus sui ad aliquem locum conuenientem literis suis conuocent: vt nuncii ad huiusmodi conuentum mittendi eligantur. Qui autem vocatus non comparuerit, pœnam duarum marcarum pendet. Cuius medietas Palatino eius loci, altera vero medietas ærario publico proueniat.

At cum frustra sententiæ ferantur, nisi legitime executioni demandentur, volumus & irrefragabili constitutione sancimus, vt deinceps vnusquisque cuiusuis conditionis vel eminentiæ fuerit, rei iudicatæ sine omni contradictione cum effectu pareat, & obsequatur. Alioqui locorum Palatini nullo alio a nobis mandato expectato, legitimam executionem faciant: adiuncto sibi vbi causæ conditio postulauerit, capitaneo et nobilitate illius districtus: aut etiam, si necessitas exegerit, omnibus & singulis nostris vasallis seu nobilibus illius Palatinatus, quos ad assistendum illi sub iurisiurandi debito & amissione feudorum obligatos esse decernimus. Si vero maiori potentia sit opus, negotium ad nos referri volumus: vt opportunis rationibus rebus prouideamus. Palatinos similiter ad huismodi executiones faciendas, iustitiamque oppressis administrandam, iurisiurandum nobis præstitum adigat. Quos etiam si remissiores fuerint, quinquaginta florenorum Hungaricalium pœna plecti volumus. Cuius mulctæ medietas parti, cui iustitia denegata est. Altera vero medietas ærario publico terrarum Prussiæ cedat. Vbi autem quis executioni violenter resistere conuictus fuerit, poena banni, siue proscriptionis, ac bonorum confiscatione puniatur, ex quibus bonis parti læsæ primum fiat satis. Quod reliquum fuerit fisco applicetur.

Statuimus præterea, vt nullus capitaneus, nobilis, ciuis, aut quiuis alius cuiuscunque conditionis existat: personis, castris, domibus, aut possessionibus alicuius vllam violentiam inferre, incursiones facere, in publicis stratis insidias ponere, præsumat, alioquin super his conuictus, iuxta antiquum plebiscitum terræ Culmensis capitali poena puniatur.

At cum aliquis nobilis decreto publici conuentus, iudicio Palatinorum aut terrestri capitur, sub certis poenis in potestatem aut carcerem ciuilem non tradatur: sed in manus Palatinorum. Si quis autem in ciuitate, vbi nulla arx est, capiatur, & autoritate conuentus, Palatinorum, iudicii in carcerem ciuilem coniicitur: in potestate eorundem, & non ciuitatis permaneat, fideiussoria tamen cautione a carcere huiumodi liberetur, nisi causa fuerit criminalis, alioquin sub poena viginti florenorum Hungaricalium, quorum medietas Palatino, altera parti læsæ cedat, absque vlla remissione persoluentur. Nobiles & eorum subditi auctoritate seu potestate ciuili non capiantur, detineantur, aut arrestentur: nec vicissim nobiles autoritate propria capiant, aut detineant ciues, aut eorum subditos, sed vnusquisque coram iudicio suo ordinario conueniatur, & iustitiam requirat.

Præter ea ne in fluminibus Prussiæ præsertim nauigabilibus, & item Fehres, Bree, & Bda, ac etiam Redæ in districtu Puczkouiensi obstacula fiant, vt tam piscibus quam nauibus & lignis liber transitus permittatur: nisi quis speciale priuilegium super hoc habuerit.

Nobiles autem qui habent priuilegium piscandi in lacubus nostris regiis, & testibus fide dignis probare possunt, se fuisse in possessione piscandi: & quorum vel limites, aut ager stagnis nostris regiis adiacet, his quidem piscatio permitti debet, sed paruis retibus duntaxat ad vsum & mensam eorum propriam: non autem ad vendendum. Ea tamen conditione, vt retia Castrensia primos in hyeme habeant tractus, & quod tempore, quando pisces qui Germanice *Bressen*, Polonice

vero

vero *Klefzcz* vocantur, semen aut foetum emittunt, nulli liberum sit in lacubus nostris Regiis piscari: ne huiusmodi piscium foetura in augmentando impediatur.

Præter ea vt ecclesiastici bona terrestria ecclesiis adscribenda, & approprianda, siue incorporanda, absque speciali consensu nostro a modo, non nisi a suis vasallis emant, nec obsequia nobis ex ipsis debita intereant, pro se vero priuatim illa emere possunt, quæ si in vita sua non alienauerint, aut cuipiam non donauerint, ad eorum propinquos & consanguineos deuoluantur.

Similiter, ne ciuis, aut ignobilis quispiam bona terrestria emat. Si vero iam empta possideat, non per conducticias personas, sed proprias, seruitia seu obsequia debita ad bellicam expeditionem de ipsis, sub eorundem amissione, præstet.

Nec omnino liceat a modo rusticis feras in nemoribus venari, nec laqueos in syluis, & agris ponere, canes aut retia venatoria habere, alioqui in potestate dominorum sit Bombardas, canes, & retia huiusmodi auferre: & pro qualitate excessus mandatum præuaricantes in decem marcis pecuniæ domino fundi applicandis, toties quoties, punire, exceptis fossis pro luporum captura, quas tamen sine præiudio cuiusuis quilibet cum consensu dominorum suorum habere potest. Simili modo, nec Palatini, Capitanei, aut Nobiles, alter in alterius fundo absque voluntate domini fundi venari, nec in syluis feras domare, aut circuire debet, quod Klopfen vocant, sub amissione retium, equorum, & curruum. Bombardis autem nemo omnino, nec in propriis, nec alienis syluis sub pœna centum florenorum Hungaricalium, irremissibiliter soluendorum a modo vtatur. Cuius mulctæ medietas nobis, altera ærario publico terrarum Prussiæ proueniat.

Volumus item, vt in conuentu generali proximo, per vniuersos Consiliarios harum terrarum omnium, rerum vendibilium æstimatio, & iusti precii constitutio fiat: vtque diligentior respectus ad mensuras, & omnia pondera habeatur: vt dolus ac deceptiones malitiæ vitari possint.

Item vt Palatini & Capitanei diligenter fines terrarum obseruent, ne prædones & grassatores ingrediendo & egrediendo impune grassentur.

Item ne rustici cum cuspidibus, lanceis, gladiis, aut similibus armis publice aut priuatim incedant, easque deferant, nisi a dominis suis ad venationem vocati fuerint.

Districtius etiam inhibemus, ne Poloni a modo ab opificiis ciuitatum quarumlibet arceantur, sed pari conditione cum Germanis & aliis nationibus admittantur, non obstantibus huiusmodi opificiorum contrariis constitutionibus, sub poena L. florenorum Hungaricalium qui eos non receperint, infligenda: perque loci capitaneum pro fisco regio exigenda.

Ex quo item multorum quærimoniis accipimus, quosdam officialium nostrorum, præsertim Tucholienses, prætextu mandati prohibitorii, de inuectione salis peregrini in Poloniam, innocentibus, si quidem finibus terræ appropinquent, salem adimere. Quod quia iniquum est sub graui indignatione nostra prohibemus, ne de cætero cuiquam adimatur, nisi vltra fines transgresso.

Nobiles præterea districtus Slochow, instar rusticornm, vt ligna ad arcem ducant, aut alia seruitia rusticalia faciant, cogi nolumus: sed antiquam consuetudinem seruandam esse decernimus.

Ad præcludendas autem varias hinc inde obloquendi vias, & controuersiarum occasiones, quæ solent oriri a ciuitatibus & oppidis contra nobiles & tabernatores, tam sæcularium quam spiritualium, qui coquunt, & aliis per tunnas vendunt cereuisiam: ita ordinatum est, quod nobiles pro vtilitate eorum propria coquere libere possunt ipsam cereuisiam, & si quid ex illa eis superabundauerit, id vendet ad suas tabernas, verum negotiationem cereuisiæ non exerceant, quod statu eorum foret indignum. Tabernatores vero, qui vltra milliare distant ab

oppidis vel ciuitatibus, & qui habent in suis priuilegiis facultatem eoquendi cereuisiam, coquere illam possunt, quantum ad propinandum in eorum tabernis sufficiet, nequaquam tamen per integras vel medias tunnas vendendi ipsam cereuisiam habeant: sub poena decem marcarum toties, quoties huic constitutioni contrauenerint soluendarum.

Cum etiam mercatores & præsertim peregrini, siue exotici homines, in nobilitaris ac ciuitatum iniuriam pelles, frumenta, lupulum, linum, & alia mercium genera in villis ac pagis clam & publice coëmere, & negotiationes illicitas exercere soleant: auctoritate nostra regia firmiter prohibemus, ne id de cætero fiat. Statuentes, vt deinceps subditi dominorum merces, & res suas vendibiles, in proximas ciuitates ducant, & in foro publico venales exhibeant, legitima tamen dominorum suorum cum pellibus ferarum et bestiolarum syluestrium habita ratione. Alioqui emptoribus equos, & currus, venditoribus autem res venditas a præfectis nostris adimi et confiscari volumus.

Mandamus insuper, & ita omnino habere volumus, vt Palatini, debitores decimarum aratralium, & quorumuis ecclesiasticorum prouentuum censuras contumaciter sustinentes, ad huiusmodi debitorum solutionem remediis opportunis compellant: ne ecclesiastici prouentibus sibi debitis fraudentur.

Postremo ad tollendum errorem & incommoditatem ex varietate, vtilitate, & adulteratione monetæ prouenientem, vnanimi consilio decretum & constitutum est: vt abolita in Prussia moneta vetere, triplex noua sub nostris & terrarum Prussiæ insigniis cudatur: videlicet grossi, solidi, & oboli, siue denarii, ita vt viginti grossi vnam marcam: quadraginta autem grossi, siue duæ marcæ, florenum Hungaricalem constituant. Tres vero solidi grossum, & sex oboli solidum. Sitque ea moneta in grani valore & æstimatione par Polonicæ, & similiter noua cudenda est, æqualiter proportionata: vt scilicet grossus Polonus Pruthenicum æquet, & solidus ternarios duos, obolus vero obolum valeat. Curratque huiusmodi moneta Pruthenica, regio edicto per totum Regnum, Mazouiam, & Lithuaniam, hoc tamen Illustris Prussiæ Dux vsque ad festum S. Martini proximum in deliberationem accepit.

Quæ omnia & singula, vt præmissa sunt, in omnibus suis punctis, conditionibus, & articulis rata & firma esse volentes, de certa nostra scientia & deliberatione, consensuque, tam Consiliariorum nostrorum status vtriusque, quam etiam Nunciorum omnium terrarum nostrarum Prussiæ, statuimus et decernimus robur debitæ firmitatis habere, debere. Harum testimonio literarum quibus sigillum nostrum est impressum. Actum et datum in ciuitate nostra Gedanensi feria tertia proxima post festum diuisionis beatorum Apostolorum. Anno domini 1526. Regni nostri anno xx.

SIGISMUNDUS REX AD CONSILIARIOS TERRARUM PRUSSIÆ DE DECIMIS EPISCOPO VLADISLAVIENSI PENDENDIS.

MAgnifici & generosi sincere nobis dilecti. Accepimus literas vestras, quibus nescimus prolixe ne magis an indigne nobis, cum aduersus decretum nostrum, quod de soluendis decimis domino Episcopo VLADISLAVIENSI anno superiore iuste & æquanimiter tulimus, respondetis, idque agitis, docentes, nos quasi nouum aut desultorium Christianum, de lege gratiæ, de sublato sacerdotio Leuitico, de non contribuendo pastoribus, nisi pascant, & aliis tritis iam apostatarum cantilenis: non temperantes interim ab aculeis in suum Episcopum, et Pastorem. Vnde vehementer miramur, quæ est ista noua christiana ratio: Quia per legem gratiæ, quæ tantum legi iram operanti contradicit: per libertatem Euangelicam, quæ solum seruituti peccati opponitur, duplex, idque ingens peccatum

aduersus

aduersus diuinas & humanas leges committitis. Alterum non reddendo proximo suo, atque adeo pastori quæ sua sunt: alterum literis & decretis Principis sui non parendo. Si per legem gratiæ liber est populus a soluendis decimis, quæ ministris Dei debentur: eadem lege liber erit a soluendis tributis, quæ aliis ordinibus & potestatibus debentur. Nam lege gratiæ omnes pariter Christiani in vnam libertatem sunt asciti. Si ob hoc, quod sublatum est sacerdotium Iudeorum, non plus habeant Sacerdotii Christiani sacerdotes, quam id, quod commune est omnibus, neque iis suos prouentus deberi: pari ratione abolito regno Iudaeorum Christiani non plus erunt Reges, quam cæteri Christiani, nam per legem gratiæ omnes ex æquo regale sacerdotium esse censentur. Quod si Christiani Principes decimas & prouentus successoribus Apostolorum non recte contulerunt, minus recte Apostolis ipsis primi illi Christiani pretia bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est, Pontificem ob non redditas decimas populum excommunicare, maius erit nefas, quod Apostoli ob negatam pecuniam ecclesiæ dicatam, vtraque morte condemnabant. Si non pendendum est pastori, nisi pascat, & doceat: non pendendus erit etiam a plebe suus census ordini seu statui militari, nisi militet, & populum Dei tueatur: si denique non sunt validæ dotes & privilegia maiorum & antecessorum nostrorum ecclesiis collata, cuius erunt firmitatis illa aliis ordinibus sub paribus signis, pari atramento, & pelle, concessa? atque hæc sunt illæ euangelicæ rationes, quæ nunc orbem terrarum seditionibus, tumultibus, periuriis, & sacrilegiis implent.

Graui igitur & molestissimo animo ferimus, quod aduersus decretum nostrum tales literas, talibus impiis dogmatibus consutas, miseritis, quæ non solum indigna sunt auribus nostris, & ab vniuersa ecclesia catholica damnata: sed etiam a nobis, & aliis Christianis Principibus publicis edictis vetita. Et proinde denuntiamus vobis hanc immutabilem sententiam, & voluntatem nostram, quod decretum ipsum nostrum iuste & legitime latum nulla ex parte mutaturi, neque dominum Episcopum, & iura ipsius nostro debito patrocinio deserturi sumus.

Et si in ea contumacia perseuerare volueritis: nos id, quod ad iustum & christianum Principem attinet, exequimur. Datum Petricouiæ decimo Ianuarii Anno Domini MDXXVIII.

ARTICULVS III.

An Dux Prussiæ ad electionem Regis Poloniæ pertineat? quodque ab eo ad regiam Maiestatem, vel alioquin communes illorum commissarios, appelletur. Præter ea Regis Maiestas literas publicæ fidei aliqua iniuria in Prussia grauatis dabit.

RESPONSVM DATVM ORATORIBVS DVCIS DE PRVSSIA SVPER FACVLTATE ELIGENDI REGIS.

Quod legatio Illustrissimi domini Ducis Prussiae in primis continebat, de facultate eligendi Regis: super eo negotio expendens Maiestas regia vna cum vniuersis consiliariis suis singularem in se & regnum suum propensionem eius illustritatis, proindeque cupiens illi hac in re ex animo gratificari, reuoluit Maiestas sua vti se facturam receperat, cum iura & priuilegia, tum vero acta & consuetudines regni veteres, comperitque adeo diligenter cautum & obseruatum esse omni tempore, ne quis alius excellentioris ordinis præter consiliarios regni ius eligendi Regis haberet, vt etiam & duces Masouiæ, qui principes erant indigenæ Regii, & vetustissimi generis, vt denique & filii Regii domini naturales huius regni, post obitum patris neque locum, neque vocem eligendi Regis habere potuerint. Sed et magistri Prussiæ, qui homagia Regibus et regno Poloniæ præstabant, non solum vt principes, sed etiam vt consiliarii regni, qui pari modo

loca in Senatu habebant, hoc ipsum ius electionis obtinere non potuerunt. Proinde cum illustrissimus dominus Dux Prussiæ, vt prudens Princeps, satis intelligat, nihil esse perniciosius in omni republica, quam aliquid aduersus leges & instituta vetera, perpetua serie et vsu approbata, committere, neque aliunde grauiores casus et perturbationes oriri, boni consulere dignetur eius illustritas, quod Maiestas regia et vniuersi consiliarii regni, quam eius illustritati integerrimo animo afficiuntur, non possunt eam rem vt insolitam et institutis regni aduersam concedere. Præsertim cum id in omnibus conuentibus exigant vniuersi regnicolæ, vt nihil aduersus iura et morem regni veterem statuatur.

Neque mirum aut indignum videri debet eius illustritati, quod habens locum suum in consiliis, terrarum comitiis, et conuentibus generalibus, ad electionem Regis non pertineat: cum itidem non pertinebant antecessores eius illustritatis, ac Duces Mazouiæ, et hic fuit mos et vsus in hoc regno, ab initio receptus et obseruatus. Sed et in Germania, vbi vigent leges cæsareæ, non omnes principes ius habent eligendi Cæsaris, qui locum suum habent in conuentibus publicis. Similiter in regno Bohemiæ, et alibi, quod notius est, quam vt explicari sit opus. Alioqui nisi res esset aduersus iura et instituta regni, quæ Maiestas sua nollet vlla in parte turbari et labefactari, libentissimo animo Maiestas sua et consiliarii vniuersi gratificarentur eius illustritati, propter hanc illius erga Maiestatem regiam et regnum eius, quam omnes cognoscunt, propensionem et obseruantiam, neque vllo pacto sibi aliter eius illustritas persuadere dignetur.

A DVCE PRVSSIÆ AD REGIAM MAIESTATEM APPELLETVR,

QVAE ETIAM LITERAS PVBLICAE FIDEI DABIT. RESPONSVM ORATORIBVS DVCIS PRVSSIAE IN CONVENTV PETRICOVIAE DIE X. IANVARII DATVM.

Quod ad appellationes ab illustrissimo domino Duce Prussiæ ad Maiestatem regiam interpositas, et interponendas pertinet: nemo vel mediocriter in iure versatus ignorare potest, proprium esse ius vniuscuiusque superioris domini, vt ad ipsum a quouis subiecto et vasallo appelletur. Quippe quod non aliunde magis dominium et subiectio dignoscitur. Cum itaque priuilegium eius illustritati concessum clare testetur, eius illustritatem se cum omnibus conseruare debere erga Maiestatem suam, vti fidelem subditum et vasallum de iure decet, et articuli transactionis satis declarent, Maiestatem suam ea duntaxat priuilegia et immunitates eius illustritatis confirmasse, qui huic transactioni et superioritati Maiestatis suæ non repugnarent: neque de appellationibus, quæ iure et consequentia propria ad superioritatem pertinent, aliquid est exceptum: nemini dubium esse debet ad Maiestatem suam ius appellandi pertinere, quemadmodum et alia omnia superioritatis iura pertinent, quæ non sunt in priuilegio nominatim exemta et excepta. Siquidem sublatis appellationibus nullum extaret veræ superioritatis vestigium.

Similiter et de dandis a regia Maiestate saluis conductibus intelligi debet, ea enim res non modo conueniens est et iusta, sed etiam pro conseruando communi statu et tranquillitate apprime necessaria. Ex denegatis enim appellationibus et saluis conductibus a superiori dominio, oriri solent diffidationes, deprædationesque communium subditorum, ex quibus et ad bellum plerumque peruenitur. Maiestas vero regia neque debet neque vellet vlla in re aduersa eius illustritati ac subditis eius vnquam deesse. Quare hortatur Maiestas sua eius illustritatem, vt quæ propria sunt Maiestatis suæ et iuris eius superioris, his eius illustritas non nitatur Maiestatem suam priuare, et transactionem factam, quæ satis clara est, istis disceptationibus in alium sensum torquere, et labefactare in præiudicium Maiestatis suæ et communis boni status detrimentum. Quod si

si vtique molestum id esse deberet eius illustritati, quod merito esse non debet, neque illam iustæ rationes Maiestatis suæ permouerent, licet esset cum dispendio iuris et auctoritatis Maiestatis suæ, tamen potius quam eius illustritati Maiestas sua displicere in hoc deberet, ita se conseruare dignabitur in causis, tam appellantium, quam etiam qui sub saluis conductibus iustitiam quærunt, vt est in causis, si quæ inter Maiestatem suam et eius illustritatem inciderent, expressum in priuilegio transactionis articulo decimo septimo, qui incipit: *item quod ad iurisdictionem inter Maiestatem regiam & Principem attinet*, &c. deputare videlicet dignabitur consiliarios suos et illos, quo ad eiusmodi actus a iuramento sibi obnoxio absoluet, et iustitiam ministrare præcipiet.

Eos vero iudices cum in causis propriis eius illustritas suscipere non recusabit, in alienis merito refutare non debebit.

ARTICVLVS IIII.

SIGISMVNDI REGIS AD ARCHIEPISCOPVM, MAGISTRVM, ET RELIQVOS ORDINES LIVONIAE LEGATIONIS FRAGMENTVM.

Quia sacra Maiestas sua Reuerendum dominum *Iohannem*, Archiepiscopum Rigensem, et Episcopum Therbatensem, occasione nonnullarum differentiarum in Liuonia exortarum, molestationes nonnullas tanto viro indignas pati accepit, eius Maiestas officii sui esse existimauit, vt, quoniam Rigensis et Terbatensis ecclesiæ iam dudum protectione Regum Poloniæ ac Lithuaniæ Ducum vtuntur, causæ atque differentiis ipsius domini Archiepiscopi non deesset, ne quid in eius præiudicium atque iniuriam ageretur. Ideoque hos nuncios suos ad dominum Liuoniæ Magistrum, et hunc conuentum Maiestas eius misit: qui actionibus iis contra reuerendissimam Paternitatem suam instituendis interessent, referrentque Maiestati suæ, quid de ipsa causa et reuerendae dominat. suæ statu decerneretur.

AD ARCHIEPISCOPUM LIVONIÆ LEGATIONIS FRAGMENTVM.

Nuncii sacræ Maiestatis regiæ omnia pro honore et commodo Reuerendissimi domini Archiepiscopi agent, dum modo vicissim dominus Archiepiscopus in his rebus, quibus subditi se grauatos merito conqueruntur, iusto moderamine vtatur: ne Maiestas sua rem videatur postulare indecentem.

CAPITVLVM IIII.

DE INFEVDATIONE CASTRI BYTOW ET CIVITATIS LVNEBVRG.

Ad perpetuam rei memoriam. Nos SIGISMVNDVS etc. vniuersis et singulis præsentibus et futuris harum seriem inspecturis manifestum facimus, quia vigentibus olim bellis inter serenissimum felicis memoriæ CAZIMIRVM Regem, parentem et prædecessorem nostrum, ac inter ordinem dictum sanctæ Mariæ Teuthonicorum in Prussia, illustris olim Princeps dominus ERICVS Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux et Princeps Rugiæ, multa in ipsis bellis et controuersiis, fauoris, beneuolentiæ et obsequii sui erga praedictum serenissimum parentem nostrum officia exhibere, et suppetias non vulgares illius Maiestati defunctae aduersus hostes eius praestare solitus erat, ac ob eam causam illi arcem Bytow vna cum oppido, ibidem consistente, nec non ciuitatem Lunenburgk cum vniuersis fructibus et prouentibus ad illam pertinentibus, idem serenissimus parens noster ad arbitrium et beneplacitum suum concesserat, vt id literis et aliis monumentis abunde constat. Deinde vero ad eam beneuolentiam et coniunctionem, quæ inter serenissimos prædecessores nostros et

prædictum dominum Ducem ERICUM ac posteros eius intercesserat, etiam affinitas et necessitudo accessit, quæ ad hæc vsque tempora mutuis officiis et amore coaluit, ità vt prædictas arces et oppida repetita quidem aliquoties, tamen non grauatim, et nos, et serenissimi fratres ac prædecessores nostri possidere a nominatis Ducibus Pomeraniæ citra iurium regni sui detrimentum ferebant. Cum postremo nos ad has terras nostras Prussiæ venientes inuiseret officiosissime illustrissimus Princeps dominus GEORGIVS, Stetinensis, Pomeraniæ, Cassubiæ, Vandaliæ Dux et Princeps Rugiæ, nepos noster ex sorore charissimus, et suam ac illustris fratris sui germani domini Bernimi singularem erga nos propensionem animi et obseruantiam declarauit, remisitque nobis et successoribus nostris de dote illustrissimæ olim dominae Annae, sorori nostrae, a praefato serenissimo domino rege Casmiro patre nostro promissa quatuordecim millia aureorum Hungaricalium: volentes vicissim erga illustritates eorum vberiorem amorem nostrum testari, et illas, earumque successores nobis ac regno nostro arctiori beneuolentia et coniunctione deuincere, attamen iuribus regni nostri non deesse, illis & earum hæredibus masculis, arces & oppida prædicta Bytow & Lunenburgk cum omnibus, & singulis eorum subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, eminentiis, censibus, prouentibus, iuribus et pertinentiis vniuersis, sicuti illa ad arbitrium et beneplacitum, vt dictum est, serenissimorum prædecessorum nostrorum, et nostrum hactenus vsu et fructu tenuerunt, de consilio et consensu dominorum consiliariorum, tam spiritualium, quam sæcularium regni nostri, tenendo, habendo, fruendo, vtendo, et possidendo, in perpetuum iure feudi pro nobis et successoribus nostris Regibus Poloniæ dedimus, et concessimus, ac illos de iis ipsis arcibus et oppidis Bytow et Lunenburgk inuestiuimus, et tenore præsentium damus et concedimus, illosque et eorum hæredes de ampliori gratia et beneuolentia nostra ab omni iuramento, nec non tributis et exactionibus quibuscunque, nobis et posteris nostris ratione dictarum arcium & oppidorum præstandis, dimittimus, & liberos facimus, pollicemur præterea dictos Principes in prædictis arcibus & eorum pertinentiis, quantum in nobis est, defendere et tueri, tenebuntur tamen & obligati esse debent præfati domini duces, & eorum successores ad singulas successorum nostrorum Regum Poloniæ coronationes vel venire ipsi, vel consiliarios aut officiales suos mittere, qui hoc ipsum ius feudale de præfatis arcibus et oppidis ad regnum nostrum pertinens, ita vt iam dictum est, recognoscent, et literas eius recognitionis et renouationis ipsius feudi, quæ gratis debent illis dari, a nouis regibus accipient. Quo si aliqua legitima causa impediti hoc officium et debitum in coronationibus successorum nostrorum non fecerint, nihil ea neglegentia illis detrimenti afferre debebit, dummodo alio breui tempore post coronationem id præstare curauerint. Vbi vero ipsi Principes domini GEORGIUS & BERNIMUS, Duces Pomeraniæ, sine legitimis masculis feudi hæredibus, vel eorum legitimi masculi feudi hæredes non relicta prole virili, decederent, stirpsque & progenies eorum mascula & legitima deficeret, extunc predictae arces & oppida Bytow & Lunenburgk cum omnibus suis bonis, subditis, Vasallis, fructibus, libertatibus, iuribus, eminentiis, pertinentiis vniuersis ac cum pleno iure et possessione citra omnem difficultatem ad nos et posteros nostros Reges Poloniae redire debebunt: salua tamen iurisdictione interim perpetuo prouentibus, decimis seu episcopalibus cum villis, et bonis, piscaturis ac libertatibus ad reuerendum IOANNEM Episcopum et ecclesiam Vuladislauiensem ex antiquo pertinentibus. In cuius rei testimonium sigillum nostrum est praesentibus appensum. Actum et datum in ciuitate nostra Gedanensi, die inuentionis S. Crucis. Anno domini 1526. Regni nostri anno XX.

CAPI-

CAPITVLVM V.

LITERÆ FEUDI ET HOMAGII DUCIS OSZUIACIMENSIS ET ZATORIENSIS.

IN nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam nos, CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ etc. dominus et hæres, notum facimus per præsentes nostras litteras omnibus & singulis, quibus expedit. Quod veniens ad præsentiam nostram præclarus dominus *Venceslaus* Dux Oszuiacimensis & Zatoriensis &c. frater noster dilectus, cupiens & petens regno nostro vniri & incorporari, literas & priuilegia quorundam Regum Bohemiæ in præsentia nostra posuit & ostendit, quatenus ipsum & ipsius successores in eisdem priuilegiis, & in aliis libertatibus conseruaremus, & confirmaremus, in protectionemque & tuitionem nostram, ac regni nostri reciperemus, prout ipsum, ipsiusque successores, antecessores Reges Bohemiæ tenebant, & tuebantur. Nos vero priuilegiis ipsius visis, & sufficienter examinatis, tanquam iustis & rationi consonis, tum & petitioni ipsius acclinati, attendentes ipsius liberum accessum & vnionem ad nos & regnum nostrum, ipsum dominum *Venceslaum* Ducem Oszuiacimensem & Zatoriensem in nostram & regni nostri tuitionem & protectionem recepimus et recipimus, ac priuilegia per Reges Bohemiæ sibi & suis antecessoribus data & concessa confirmauimus & confirmamus. Insuper & a iuribus nostris feudalibus, quomodocunque ad nos spectantibus & pertinentibus, a bello, dum & quando expeditio bellica fieret & contingeret, aliarum terrarum regni nostri, a contributione seu datia omni, in quam terræ regni nostri consentierint ex quacunque causa seu modo, ceterisque seruitiis & grauaminibus quocunque nomine vocantur, seu in futurum vocabuntur, tam de persona, quam de bonis mobilibus & immobilibus liberum fecimus, dimisimus, & in futurum facimus, & dimittimus. Et si quispiam habens bona in prædicto Ducatu ab obedientia domini Ducis Zatoriensis se subtraxerit, & ad nos recurrerit: talem non suspiciemus, neque defendemus, sed remittemus & compellemus eum ad obedientiam domini Ducis Zatoriensis. Et si aliquando aliquis nobilium, aut plebeiorum, de eodem Ducatu Zatoriensi ad nostram vel regni nostri iudicium prouocauerit & appellauerit: sic prouocantem & appellantem non admittemus ad nostram audientiam seu iudicium, sed remittemus, & in futurum mandamus remitti, ad eundem Ducatum Zatoriensem, vt ibidem in omni negotio per subditos prædicti domini Ducis iustitia petentibus administretur: & generaliter ipsum dominum Ducem, & ipsius successores, tum & Ducatum Zatoriensem, seu dominium, in omnibus iuribus & priuilegiis conseruamus, & in perpetuum volumus conseruari, quæ ab antiquo ad ipsum, et dominium ipsius pertinebant et spectabant. In cuius rei testimonium etc.

LITERÆ SUPER DUCATUM ZATORIENSEM. M.CCCC.LXXXXIV.

IN nomine Domini amen. Ad perpetuam rei memoriam, quoniam humani generis actiones memoria perpetua indigentes plerumque ab hominum notitia dilabuntur, nisi scripturarum seu testium munimine fuerint renouata: Proinde nos IOANNES ALBERTVS Dei gratia Rex Poloniæ, nec non terrarum Cracouiæ, Sandomiriæ, Siradiæ, Lanciciæ, Cuiauiæ: supremus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ: nec non Culmensis, Elbingensis et Pomeraniæ dominus et hæres etc. Significamus tenore præsentium quibus expedit vniuersis, præsentibus, et futuris, harum notitiam habituris. Quomodo quamuis a multis iam retroactis annis terra seu Ducatus, vna cum Duce Ducibusque, Zatoriensis cum omnibus eorunde m iuribus, inscriptionibus, et cum omnibus et singulis terrigenis, nec non ciuitate Zathor, aliisque oppidis, et cum castro seu fortalitio eodem nomine Zathor dicto, aliisque omnibus fortalitiis, nec non villis, hæreditatibus, possessioni-

bus, et omnibus eorundem censibus seu vtilitatibus, fluuiis, filuis, eorumque vsibus tam ducalibus, quam etiam aliorum quorumcunque terrigenarum et subditorum cuiuscunque conditionis existant in toto ambitu dicti Ducatus consistentibus, cum omni iure, proprietate, et dominio, nobis, ditionique nostræ seu Regibus et toti Coronæ Poloniæ pertineant, et Coronæ nostræ præfatæ subiecti, cum omnibus eiusdem Ducatus subditis tam spiritualibus quam sæcularibus. Quam incorporationem, vnionem, confoederationem, et subiectionem vetustam, semper ratam, firmamque et inuiolabilem perpetuoque duraturam habuimus, habemus, perpetuoque habere volumus: nihilominus præclarus Dux *Ianussius* eiusdem Ducatus Zatoriensis modernus dominus, hæres, & possessor ex successione suorum parentum Ducum Zatoriensium procedens, vna cum illustri Ducissa domina Barbara consorte sua legitima, easdem veteres inscriptiones, incorporationes, vniones, et subiectiones, constantes et recognoscentes nouis se inscriptionibus, foederibus, ligis, venditionibus, atque subiectionibus pariter cum præfato pleno et integro Ducatu Zatoriensi nobis et omnibus successoribus nostris Regibus et toti Coronæ Poloniæ cum plena potestate et auctoritate, perpetuoque duraturis matura deliberatione et consiliis, quibus intererat, præhabitis voluerunt inscribi, tantoque firmius incorporari, et subiici, prout iam nunc se inscribunt, et prout propriis inscriptionibus præfati Ducis *Ianussii*, consortisque suæ præfatæ, nec non omnium terrigenarum pariter et ciuitatensium præfato Duci *Ianussio* subiectorum, sufficienter est firmatum et expressum. Proinde vt hæc vnio, incorporatio, inscriptioque præfati Ducis *Ianussii* et consortis suæ, necnon totius Terræ et Ducatus eiusdem venditio, realisque satisfactio per nos sibi facta ad effectum deducatur, sitque solidior & firmior perpetuo & in æuum, recognoscimus nos apud præfatum Ducem *Ianussium*, tanquam apud verum et indubitatum hæredem præfati Ducatus Zatoriensis, et apud illustrem Barbaram consortem suam præfatam, emisse præfatum Ducatum Zatoriensem vna cum castro seu fortalitio, et ciuitate tota Zatoriensi, et cum omnibus bonis, possessionibus, villis tam ducalibus quam terrigenarum et subditorum quorumcunque, quicunque seu quæcunque in præfato Ducatu consistunt, emptione, venditioneque perpetua et irreuocabili, perpetuo et in æuum, pro octuaginta millia florenorum Hungaricalium auri veri puri et iusti ponderis. Pro quibus sibi iam plene ex toto satisfecimus realiter et cum effectu: prout ipse Dux *Ianussius* vna cum præfata sua consorte eandem satisfactionem et solutionem propriis litteris et sigillis, consortisque eiusdem vna cum terrigenis et subditis suis fatetur et recognoscit: nosque et futuros successores nostros Reges & Coronam Poloniæ de accepta satisfactione et solutione quitauerunt, et liberos dimiserunt. Et tamen præter hoc, tenore præsentium promittimus, quod nos et successores nostri Reges, et tota Corona Poloniæ pro finali satisfactione præfati Ducis *Ianussii* et consortis suæ præfatæ pro dicto Ducatu Zatoriensi et bonis ad ipsum pertinentibus, debemus, tenemur, tenoreque præsentium pollicemur, et tenebimur, nosque obligamus præfato Duci *Ianussio*, et dictæ consorti suæ, pro quolibet anno dare et soluere de zuppis nostris Vielicensibus et Bochnensibus ducentas Marcas pecuniæ communis monetæ et numeri Polonicalis, et sedecim bancos salis donatiui, vsque ad extrema tempora vitæ eorum, seu vtriusque, seu ad mortem præfatorum Ducis *Ianussii* et consortis præfatæ eiusdem. Ita tamen, quod pro quolibet quatuor temporibus singulorum annorum per quinquaginta Marcas, et per quatuor bancos salis, dare eisdem, seu vtrique eorundem, vel alteri eorundem qui supervixerit, præfatas ducentas Marcas, dare et extradere tenemur, et debemus, tenebimurque et debebimus. Et similiter nostri successores Reges, et tota Corona Poloniæ, dare eisdem, vel alteri eorum modo supra scripto soluere et complere tenebuntur. Si vero, quod absit, pro aliquibus quatuor temporibus vsque per vnum integrum annum præfatum censum ducentarum Marcarum, et sedecim bancos salis, prout præmissum est, soluere neglexeri-

glexerimus, vel non curauerimus, vel successores nostri neglexerint, vel non curauerint, extunc post cuiuslibet anni integri decursum, post huiusmodi negligentiam sequentem in aliis ducentis Marcis præfato Duci *Ianusfio* & suæ consorti succumbemus, & successores nostri succumbent. Post præfatorum vero Ducis *Ianussii* et Barbaræ consortis suæ legitimæ obitum, extunc præfatus Ducatus Zatoriensis cum castro et ciuitate, et cum omnibus terrigenis, omnibusque bonis et subditis, tam spiritualibus quam sæcularibus, cuiuscunque conditionis existant, cum omni iure hæreditario, proprietate et dominio, cum titulo re, iureque venditionis, et emptionis in manus nostras, vel successorum nostrorum Regum, et toti Coronæ Poloniæ perpetua et irreuocabili successione, iureque hereditario perueniet, et deuoluetur. Quem iam exnunc, prout extunc, et extunc prout ex nunc, ipse dux *Ianussius* vna cum consorte sua præfata nobis, Regibusque et toti Coronæ Poloniæ condescendit, et resignat, et ita, sicut præmissum est, condescendunt et resignant. Et præter hoc, præfatus Dux *Ianussius* vna cum consorte sua proprio iuramento corporali, hanc venditionem, emptionemque, nec non inscriptionem et subiectionem, conseruationemque irreuocabilem atque perpetuam iam approbare, confirmare, et roborare effectualiter de facto debet et tenetur, debentque et tenentur. Et similiter Burgrabius castri seu fortalicii et omnes terrigenæ, ciuesque Zatorienses, iurare debent nobis, regibusque et toti Coronæ Poloniæ nunc iam et in posterum, quoties opus fuerit, ad tenendam nobis, regibusque et toti Coronæ Poloniæ fidem seu fidelitatem, et tam præfatus dux *Ianussius* vna cum consorte sua specialibus literis, suis, nec non omnes et singuli terrigenæ eiusdem ducatus Zatoriensis etiam propriis literis inscribere se debent, et propria sigilla ad literam pargameneam appendere, promittendo obedientiam, fidelitatemque nobis Regibus et toti Coronæ Poloniæ præstandam, & post mortem præfatorum Ducis *Ianussi* et consortis suae praefatae nulli alteri possessionem dicti castri, ciuitatisque Zatoriensis et totius terræ seu ducatus Zatoriensis dare, facere, et resignare, nullique fidem & fidelitatem ac obedientiam præstare et facere, quam nobis Regibus & toti Coronæ Poloniæ debent & tenentur, quiliberque eorum debet, & tenetur. Qui etiam terrigenæ omnes & quilibet eorum debet & tenetur, debebuntque & tenebuntur, specialiterque pro Burgrabio dicti fortalitii siue castri & ciuitatis Zatoriensis & pro semetipsis, iam nunc, et quoties opus fuerit, seu quoties præfatus Burgrabius mutari et instituí debebit, etiam viuente præfato duce *Ianussio*, cauere ei, fideiubere atque corporaliter iurare: quod prælatum castrum fideliter tenebit, et nulli alteri in præfato casu mortis præfatorum ducis *Ianussii* et consortis suæ, quam nobis Regibus et toti Coronæ Poloniæ condescendere et resignare debebit, et tenetur. Debet etiam et tenetur præfatus Dux *Ianussius* vna cum præfata consorte sua in vita sua, quamdiu omnipotens Deus eam ei concesserit, nobis nec non Regibus et toti Coronæ Poloniae in omnibus aduersis assistere, et nos contra omnem inimicum iuuare, vna cum præfatis terrigenis et subditis suis, seu cum toto suo ducatu et eiusdem incolis, quando, et quoties opus fuerit. Nos vero etiam præfatum ducem *Ianussium*, suosque terrigenas & subditos, totumque ducatum tenere et conseruare debemus et tenemur sub nostra terrestri, et totius Regni Poloniæ, tutela: et eum ab omnibus inimicis suis opprimere eum volentibus sibi assistere, & eam pariter et consortem præfatam eiusdem defendere et tueri pollicemur, et tenemur. Volumus etiam, vt in necessitate alicuius disturbii terrestris, vel cuiuscunque guerræ aut intranquillitatis, ipse Dux *Ianussius* in castrum et fortalitium, ciuitatemque Zathor gentes nostras immittere debeat libere ad requisitionem nostram, vel nostri capitanei Cracouiensis, vt tanto securius ab hostium incursu ipsum castrum et fines Regni nostri tutius, et in meliori pace conseruare valeant, ad quod etiam faciendum se sua inscriptione vna cum præfata sua

conforte fubdiderunt. Ex quo autem præfatæ illuftri Barbaræ conforti domini Ducis Ianuffii pro dote et dotalitio fuis, quæ habebat in præfato Ducatu Zatorienfi fibi infcripta et reformata, per nos et per Coronam noftram feu Regnum Poloniæ completis præmiffis, eft fibi fatisfactum. Ex tunc præfata Duciffa Barbara tenebitur, teneturque litteris fui mariti domini Ducis Ianuffii, nec non etiam fuis propriis præfatam fatisfactionem recognofcere, nobisque litteras fuæ reformationis reftituere, et easdem infcriptiones dotis et dotalitii præfatis litteris extinguere et mortificare. In cuius rei teftimonium figillum noftrum præfentibus eft fubappenfum. Actum Cracouiæ, feria tertia ante feftum S. Petri ad vincula, anno domini MCCCCLXXXXIV. Regni vero noftri anno II. præfentibus magnificis et generofis *Ioanne* de *Pilcza* Ruffiæ, *Dobeslao* de *Kurozuanki* Lublinenfi palatinis, *Petro* de *Kurozuanki* Thefaurario Regni Poloniæ et Cracouienfi capitaneo, *Petro Myfzkowfki* Vielunenfi et *Nicolao Strzezowfki* Sanocenfi caftellanis, *Stanislao* de *Chodecz* capitaneo exercituum noftrorum in terris Podoliæ, *Andrea Kofzcyelecki* Bidgoftienfi et *Ioanne Dunyn* de Viazd, capitaneis, cæterisque dignitariis, confiliariis, et cubiculariis noftris fide dignis teftibus. Datum vero per manus venerabilis *Gregorii* de *Ludbrancz* Skarbimirienfis et S. Floriani in Kleparz præpofiti, Regni noftri vicecancellarii, fincere nobis dilecti.

VENDITIO DVCATVS OSZVIACZIMENSIS REGI POLONIÆ CASIMIRO.

IN nomine domini amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ne temporum labentium curfus rerum geftarum memoriam fecum rapiat, et illos obliuionis errore confundat, mentibus humanis illud diuinitas infpirauit, præftititque remedium vt actiones, ordinationesque humanas per temporis lapfum perituras, et venditionum, emptionumque contractus, ne a pofteris reuocentur in dubium, conftans apex roboret litterarum, et fides teftium iugiter renouet et confirmet. Proinde nos IANUSSIUS, Dei gratia Dux et dominus Ofzuyaczimenfis, fignificamus tenore præfentium, quibus expedit vniuerfis et fingulis, præfentibus et futuris, publiceque recognofcimus et fatemur. Qualiter matura deliberatione cum illuftribus fratribus noftris, baronibus et confiliariis noftris præhabita, etiam in optima valetudine conftituti, nullo dolo, fraude, aut ingenio feducti, nec per errorem aut improuide, fed de mera et fpontanea voluntate Ducatum noftrum et terram noftram Ofzuyaczimenfem, quæ portione paterna nobis obuenit, fereniffimo Principi et domino, domino CASIMIRO, Dei gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ, haeredi Ruffiae, et domino Pruffiae, Regnoque fuo et Coronae Poloniae, pro quinquaginta millibus marcarum latorum grofforum Pragenfium, numeri Polonicalis, quadraginta octo groffos in quamlibet marcam computando, (quae quidem quinquaginta millia marcarum grofforum ab eodem domino CASIMIRO Rege et Corona Poloniae nos integraliter et effectualiter in pecunia parata et numerata pro huiusmodi Ducatu tuliffe, et leuaffe, et percepiffe praefentibus recognofcimus, et profitemur) vendidimus, praefentiumque tenore vendimus, et venditione perpetua, et irreuocabili praefato fereniffimo Principi et domino, domino CASIMIRO Regi et Coronae fuae Poloniae de illo cedimus, et ipfum refignamus, et infcribimus, cum omnibus et fingulis dicti Ducatus et terrae Ofzuyaczimenfis caftris, fortalitiis, ciuitatibus, oppidis, villis, teloneis, cenfibus, prouentibus, vtilitatibus, fructibus, feruitiis, homagiis, allodiis, exactionibus, collationibus, iuribus patronatus, culpis, emendis, pifcinis, molendinis, lacubus, agris, pratis, filuis, borris, venationibus, aucupationibus, mellificiis, pafcuis, rubetis, mericis, fluuiis, torrentibus, aquarumque quibuslibet decurfibus, montibus, fabricis, ferrifodinis, plumbifodinis, auri et argenti, aeris et cuiuslibet metalli fodinis, monetis, iudiciis et bannis, feu inhibitionibus venationum, et pœnis

nis inde ſequentibus, conſuetudine vel de iure vtilitatibus, honoribus, conuentionibus, honorantiis, feudis, feudatariis, vaſallis, vaſallariis, nobilibus, ruſticis et plebeis, hominibusque habitantibus, & habituris, cum poteſtate ibi mercata publica & nundinas celebrandi, faciendi, datias, pedagia, gabellas, & alia omnia onera realia & perſonalia, ordinaria, extraordinaria, atque mixta, quocunque nomine nuncupentur imponendi, exigendi, & exigi faciendi, cum mero & mixto dominio, ſupremo & infimo, omnimoda iurisdictione, plena gladii poteſtate, & exercitiis eorundem, cum vniuerſis aliis vtilitatibus, quae ibi hactenus ſunt, & in poſterum naturaliter, aut induſtria humana fieri poterunt, quibuscunque nominibus aut cognationibus, vel vocabulis nuncupentur, prout idem Ducatus & terra longe late, & circumferentialiter in baſſo & plano, in gadibus & limitibus, & terminis eſt diſtinctus, cum omni iure ducali, dominioque mero & mixto, ſupremo & infimo, titulo & proprietate prout eandem terram & Ducatum nos & noſtri praedeceſſores tenuerunt & habuerunt, nihil nobis aut noſtris ſucceſſoribus cuiuscunque dominii, iuris, feudi ſuperioris, & proprietatis, tituli, & memoriae in eodem Oſzuyaczimenſi Ducatu quomodolibet reſeruando, per dictum ipſum CASIMIRUM Regem & ſuam Coronam Poloniae, ſuosque ſucceſſores Reges Poloniae habendum, tenendum, poſſidendum, & ad vſus ſuos beneplacitos conuertendum renuntiantes publice, & per expreſſum omni iuri, titulo, feudo, dominio, & proprietati, quod hactenus illic habuimus, & progenitores, anteceſſoresque noſtri habuerunt, pure, ſimpliciter, & de plano, & ſine aliqua conditione, ius, titulum, dominium, proprietatem, atque feudum dicti Ducatus et terrae Oſzuyaczimenſis eidem ſereniſſimo Principi domino CASIMIRO Regi, et ſuae Coronae Poloniae reſignantes, abſoluentes, omnes et ſingulos Barones, nobiles, ſcultetos, ciues, oppidanos, et kmetones, incolas et ſingulas perſonas eccleſiaſticas et ſaeculares, quocunque nomine cenſeantur, aut quacunque dignitate vel conditione perfulgeant praefati Ducatus et terrae Oſzuyaczimenſis a noſtra obedientia et feudo, iuramento, et fidelitate, ac obligatione eosdem Barones et nobiles, ſcultetos, ciues et oppidanos, kmetones et incolas, perſonasque ſpirituales et mundanas eiusdem Ducatus, in obedientiam, feudum, et vtilitatem praedicti ſereniſſimi domini, domini CASIMIRI et ſui Regni ac Coronae Poloniae ſubiicimus et ſupponimus per praeſentes. Et ne in poſterum dubitari quomodolibet poſſit, quo iure, titulo, et conditione, caſtra, ciuitates et oppida, atque villae in dicto Ducatu et terra Oſzuyaczimenſi conſiſtentia, per nos eidem ſereniſſimo domino, domino CASIMIRO Regi et ſuo Regno ac Coronae Poloniae venditae et reſignatae, et ſubiectae ſunt, conditionem eorum pro futura memoria duximus praeſentibus exprimendum. Inprimis quidem fatemur, quod caſtra principalia Oſzuyaczimenſia et valentes huiusmodi Ducatus, et terrae praedictae cum duabus ciuitatibus ſeu oppidis, videlicet ipſa Oſzuyazim cum teloneo et molendinis, et Kanthi cum teloneo et molendinis, nec non villae *Bielany*, *Lauki*, *Babicze*, *Lipnik*, *Oſyek*, *Breſczye*, *Monouicze*, *& Dwory*, ſunt, eſſeque debent de mera proprietate, titulo atque dominio praefati domini CASIMIRI Regis et ſui Regni ac Coronae Poloniae, quoniam cum praefata caſtra, ciuitates et oppida, telonea atque villae nulli alteri niſi nobis ſunt cenſuales et obnoxiae ac ſubiectae, praefatus etiam dominus Rex cum omnibus pertinentiis, appendentiis, et emolumentis ea poſſidebit. Item recognoſcimus et publice profitemur, quod etſi villae *Polanka antiqua*, *noua Polanka*, *Vuloſyenicza*, *Poramba*, *Grodzyecz*, *Sparouicze*, *Nidek*, *Vitkouicze*, *Glabouicze*, *Bulouicze*, *Czanicze*, *Maleck*, *Czacuga*, *Nouawyeſz*, *Roczing*, *Sbroſkouice*, *Brzezinka*, *Rayſko*, *Francyſkouicze*, *Przecyeſſyn*, *Skiedziey*, *Vithkouice*, *Vilamouice*, *Helcznarouice*, *Bynakow*, *Dzuekoſſe*, *Mikluſſouicze*, *Piſſarouicze*, *Halcnow*, *Biiertolouice*, *Komorouice*, *Zebraca*, *Reſtwina*, *Rabkouice*, *Starawyeſz*, *Ianaſſouice*, *Tharmaſſy*, et aliae omnes in praedicta terra Oſzuyacimenſi conſiſtentes per certos terrigenas, et nobiles Ducatus

prædicti teneantur et inhabitentur. Quia cum nos et progenitores supremum ius ducale fere in illis omnibus habuimus, caeterosque census, tributa, labores, seruitia, et obuentiones ex illis iure nostro ducali percipiebamus: vnde etiam villas praedictas in signum altioris firmitatis cum omnibus censibus, prouentibus et oneribus eisdem domino CASIMIRO Regi et Coronæ Poloniæ resignamus, et eisdem renuntiamus. Item omnes litteras, priuilegia, munimenta, inscriptiones, obligationes, contractus et quascunque scripturas; quas nos vel consanguinei fratres aut successores super dicto Ducatu eiusdem titulo et proprietate, et dominio habuimus, habemus, vel habebimus, quem in derogationem, vel læsuram iuris, proprietatis, tituli et dominii praefati domini Regis et sui Regni, ac Coronae Poloniæ in dicto Ducatu Oszuyaczimensi, et praesenti nostrae resignationis vergenda, vel quomodolibet facienda, et quae nobis aut fratribus, vel consanguineis nostris possent prodesse, & dicto domino CASIMIRO aut Coronae Poloniae obesse annullamus, cassamus, extinguimus, et mortificamus, easdemque nullius decernimus et profitemur roboris vel momenti, suspectasque, et vitiosas declaramus. Item vt huiusmodi nostra venditio et resignatio præfato domino Regi et suo Regno, et Coronæ Poloniae de dicto Ducatu Oszuyacimensi facta, iuxta desiderium cordis nostri funiculo multiplici roborata, perpetua, atque pacifica, nullum futurae litis, inquietationis, aut dubietatis habens respectum perseueret: promittimus, spondemus, nosque verbo ducali circa fidem nostram et honorem sine dolo et fraude cautione promissione astringimus et obligamus, quod venditionem et resignationem nostram de dicto Ducatu et terra Oszuyacimensi per nos, vt praemittitur, dicto serenissimo Principi domino CASIMIRO Regi et suo Regno ac Coronae Poloniae factam, illustres Principes domini *Venceslaus* Zatoriensis, *Przemislaus* Thoslensis, germani nostri Duces, omnesque consanguinei nostri affines et proximi gratam, ratam, firmam habebunt, tenebunt, nec in aliquo directe vel indirecte quæsito colore occasione huiusmodi venditionis et resignationis contrauenient, aut eam impedient quouis modo. Nosque praedictum serenissimum Regem et suum Regnum, ac Coronam Poloniae ab omnibus impedimentis, litibus, molestationibus, perturbationibus, infestationibus, offensis et iniuriis, tam a praefatis dominis, *Venceslao* et *Przemislao*, germanis nostris, quam ab omnibus consanguineis et proximis nostris, et a quacunque persona, cuiuscunque conditionis existat, et quacunque fulgeat dignitate, spirituali siue saeculari, a quibus occasione praefatae nostrae venditionis resignatio et contractus praefati Ducatus et terrae Oszuacimensis ipse serenissimus dominus Rex et Regnum ac Corona Poloniae, laesi, molestati, perturbati, offensi, et impediti fuerint, ipsum dominum serenissimum Regem, suum Regnum et Coronam Poloniae nos intercedere, et euincere, nullam interponendo praescriptionem iuxta ius nostrum ducale tenebimur, eliberateque sub fide et honore. In cuius rei testimonium sigillum nostrum ducale praesentibus est subappensum. Datum in Gliuice feria secunda ante festum S. Mathiae Apostoli, anno Domini MCCCCLVII. Praesentibus strenuis, generosis et nobilibus, *Ioanne Sassowski*, *Zauisza Bohemo*, *Nicolao de Kamien*, *Krystek Schelhem de Schothmank*, *Misliborio de Orzesse*, *Ioanne Karnic de Sambork*, *Michaële Lasskowski*, *Nicolao Myskowski*, *Nicolao Sassowski*, *Ioanne Vuyec de Thomica*, *Procopio de Suyantoslouice*, *Hinkone Swyatlik de Zasi*, *Ioanne Tema*, *Vrbano de Kopcouice*, *Michaële de Zauyerce* notario nostro, et aliis fide dignis testibus circa praemissa.

Nos IANVSSIVS, Dei gratia Dux Oszuyacimensis, recognoscimus tenore praesentium quibus expedit vniuersis, tam praesentibus quam futuris, notitiam praesentium habituris; Quod a serenissimo Principe domino CASIMIRO Dei gratia Rege Poloniae, magno Duce Lithuaniae, haerede Russiae, Prussiaeque domino, et a Regno, Coronaque sua Poloniae quinquaginta millia marcarum lato-

tum

rum grossorum Pragensium numeri Polonicalis, quadraginta octo grossos in quamlibet marcam computando, in vim, totalis & integræ solutionis pro terra & Ducatu Oszuyacimensi, per nos ipsi serenissimo Principi domino CASIMIRO Regi & Coronæ Poloniæ venditis, recepimus, & de manibus magnificorum & strenuorum ac nobilium dominorum *Ioannis de Czyssow* castellani & capitanei Cracouiensis, *Gregorii de Branyca* castellani Radomiensis, *Andreæ de Tenczyn*, *Ioannis de Rytwiany* capitanei Sandomiriensis, *Ioannis de Tarnow*, *Ioannis de Melstyn*, & *Grot de Ostrow*, in effectu leuauimus. Vnde & eundem serenissimum Principem dominum CASIMIRUM Regem Poloniæ &c. & suum Regnum, Coronam suam Poloniæ, Nos *Ianussius*, Dux prænominatus, quietamus, & absoluimus, quietatosque & absolutos pronuntiamus per præsentes. Omnesque litteras, & obligationes cuiuscunque existant tenoris, quas præfatus Dominus Rex & suum Regnum, & Corona Poloniæ, aut sui fideiussores nobis super solutionem dictarum quinquaginta millium marcarum latorum grossorum, aut illarum aliqua portione, dederunt, mortificantes, & cassantes præsentium per tenorem, profitentes illas nullius esse efficaciæ, roboris, vel momenti, & iam præfatum dominum CASIMIRUM Regem & Coronam Poloniæ nobis occasione emptionis terræ Oszuyacimensis recognoscimus, & profitemur in aliquo non teneri. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est appensum. Datum Cracouiæ feria quinta post Cinerum, anno Domini MCCCCLVII.

IVRAMENTVM DVCIS ZATORIENSIS.

EGo I. Dux Zatoriensis iuro, quia fidelis & obediens ero cum omnibus subditis Ducatus mei, & cum Ducatu meo serenissimo Principi domino A. &c. Regi Poloniæ &c. gratiosissimo, & ipsius successoribus Regibus, et Regno, ac Coronæ Poloniæ, pro bono statu Maiestatis Regiæ et Reipublicæ Regni Poloniæ et pro vtilitate Maiestatis Regiæ, et Regni consulam, et quæ sentio Maiestatis Regiæ successoribus et Regno Poloniæ nocitura præcustodiam, et pro posse meo auertam, ac omnia fideliter ad partem Maiestatis Regiæ et Regni Poloniæ agam fideliter et obedienter, mandatis Maiestatis Regiæ et successorum suorum parebo, et ea implebo, litteras meas iuxta contractum per olim serenissimum dominum IOANNEM ALBERTVM inter me, et Regnum factum, sub meo et subditorum meorum sigillis dabo Maiestati Regiæ ad thesaurum, Regni, subditosque vniuersos meos ad iurandum iuxta contractum inducam, et iurari, aliaque quæ ex conditiamine debeo facere, faciam. Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Christi crux.

IVRAMENTVM TERRIGENARVM DVCATVS ZATORIENSIS.

EGo P. iuro quia fidelis ero serenissimo Principi et domino, domino ALEXANDRO Dei gratia etc. gratiosissimo et Regno ac Coronæ Poloniæ et post mortem Ducis IANVSSII Zatoriensis domini mei gratiosi, neminem alium, quam ipsum dominum ALEXANDRVM Regem et successores Poloniæ pro domino suscipiam, et me ei subiiciam, ac pro posse meo procurabo omne bonum, et auertam omne malum, quod sciuero, imminere Regiæ Maiestati, et suo Regno Poloniæ, omniaque faciam fideliter, obedienter, et diligenter, quæ ad subditum bonum et fidelem pertinent. Sic me Deus adiuuet, et hæc sancta Christi crux.

CAPITVLVM VI.

DE XIII. CIVITATIBVS SCEPVSII.

TAmetsi Reges Poloniæ, et semper fere, contra omnes hostes vicinos in statione excubare oporteat, et solum eorum prouentu metallorum, prouinciis ad meridiem

ridiem et occidentem sitis, sterilius esse videtur: nihilominus CASIMIRUS tertius Rex Poloniæ, confectis tot bellis, factis præter ea aliis tot sumptibus, Regi Hungariæ magnam pecuniæ vim mutuo dedit: in qua etiam Scepusii XIII. ciuitates iure obligationis ac hypothecæ in possessionem accepit. Et quia ad tempus præstitutum æs ei restitutum non est, aliæque conditiones contractus et inscriptionum in thesauro regio repositarum, expletæ non sunt, Scepusium ipsum poenis ac vadiis in ipsis litteris obligationum contentis et interpositis, tantum immersum, illigatumque habet, vt si redimendum esset, vnius Regni pecuniæ ad illud eliberandum vix sufficerent, propter quas obligationis conditiones et nodos, non tantum vsusfructus, qui ex obligatione possessori venit, verum etiam ipse fundus, qui æquiualenti summa ab emptore acquiritur, Regis et Regni Poloniæ proprius esse censetur.

CAPITVLVM VII.

DE DVCATV MASOVIÆ.

SIGISMVNDI REGIS AD MASOVIAM LEGATIO.

Res ipsa per se nota est, nec dubitaturum aliquem inter nos arbitror, qui modo mediocri rerum peritia imbutus sit: quomodo aliquot retro sæculis gens et lingua nostra in has oras et regiones, quas modo incolimus commigrauerit, sedesque hic in his locis fixerit, cumque in infinitam pæne multitudinem coaluisset, omnesque finitimas nationes sibi infensas esse prospexisset, id quod lex naturæ et reliquarum gentium mos suadet, ad vnum omnia deferre constituerat, vt ita vni, qui sit optimus, summa rerum tradita eius imperio pareret. Sic enim et aduersariis resistere, et tranquillius vitam agere se posse existimauerit. Cuius rei argumento sunt, multæ et vetustæ litteræ veterum Regum, et Ducum signis communitae, quæ tum per arces, tum vero per templa religiosissime custodiuntur. Satisque constat Meschkonem primum, eundemque piissimum Ducem, et BOLESLAVM primum Poloniæ Regem, omnes fere episcopatus istos, qui nedum in Regno Poloniæ, sed etiam in finitimis prouinciis habentur, fundauisse, puta archiepiscopatum Gneznensem, episcopatum Cracouiensem, Vladislauiensem, Posnaniensem, Vratislauiensem, Culmensem, Lubucensem, in Pomerania Caminensem et alios plurimos. Cuius Regis imperio, cum vniuersæ gentes linguæ nostræ parerent, incredibile dictu est quam longe, lateque terminos ditionis suæ propagarent: et quanto terrori vicinis nationibus existerent. Tandem vero (vt fere omnibus rebus vsu venit) dum eadem gens nostra in arcem summæ potentiæ, decorisque euaserat, vt sunt res humanæ fluxæ, et fragiles, extincto illo ipso, tam prorege, quam Rege in deterius prolabi, et in diuersas factiones, qui Ducatus vocabantur, scindi cœpit. Ita quod ex vno, eodemque amplissimo Regno multi Ducatus succreuerant. Demum cum successu temporis homines multitudinis Principum pertæsi essent, sublatis e medio multis, iterum res omnis in potestatem vnius, hoc est, Regis, deuenerat.

Tamen Ducatus ipse Masouiæ singulari quadam prouidentia diuina vsque in hæc tempora seorsum ab Regno Poloniæ auulsus sub imperio Ducum Masouiæ vigebat, quatenus stirps mascula non defuerat. Cum vero Deo ita ordinante nuper stirps illa ducalis in Masonia penitus extincta esset, iure naturæ et gentium æquum est, vt membrum a corpore suo iam dudum separatum rursus tandem corpori suo vniretur et sub imperium vnius capitis, hoc est, serenissimi domini domini SIGISMVNDI Regis Poloniæ domini nostri gratiosissimi & Coronae regni Poloniae adiungeretur. Quod negotium tentatum quidem est in proxime præterito Cracouiensi conuentu cum oratoribus Ducatus Masouiæ per Regiam Maiestatem, et senatores Regni: sed oratores ipsi Masouiæ renitebantur, nec super eisdem rebus aliquid tractare volebant, afferentes se nullam facultatem, vel mandatum super eiusmodi rebus habere ab his qui eos miserunt. Quare Maiestati

suæ

suæ supplicauerunt, vt totum hoc negotium vniendi & incorporandi Ducatus Masouiæ ad regnum & ducatum ipsum, & ad incolas eius, dimitteret, & conuentum talia tractanda Varsauiæ indiceret. Quod sua Maiestas ex singulari sua clementia effecit, conuentumque hunc Varsauiensem indixit, & agi voluit. Nosque huc ad vos in eo negotio misit, vt vobiscum super eiusmodi rebus ageremus. Cum itaque sua Maiestas regia plane perspiciat indecorum & paene absurdum esse, si pars suo toto non congruat, suadet & hortatur, imo praecipit, vt cum (Deo volente) iam vnius capitis & corporis membra effecti estis, etiam vnis legibus atque institutis vtamini, eis videlicet quibus mater ipsa nostra Polonia, reliquæque terræ Masouiæ, puta Plocensis, Gostinensis, Ravensis, Sochaczoviensis, & Belzensis, vtuntur: præcipue quod ad expeditionem militarem & bellicam attinet, cupit sua Maiestas, vt eo quo iure & ordine cum vniuersis terris Regni Poloniæ subeatis, & inuicem super his rebus conferatis, & omnia hæc de quibus supra mentio habita est, in præsentia nostrum constituatis & firmetis.

Id cum effeceritis multum honoris & dignitatis atque commodorum rebus vestris inde accedet, libertatibusque & cæteris summis prærogatiuis, quibus nihil est dulcius, perfruemini: & Regiæ Maiestatis domini mei clementissimi gratiam vobis conciliabitis, vobisque ac posteris vestris, tum & bono ac tranquillo statui vestro optime consuletis

ALIA LEGATIO.

POst dictam gratiam regiam, & literas fidei oblatas, dicendum, satis esse iam declaratum, terras Masouiæ vnum esse corpus & vnam hæreditatem regni Poloniæ, vnam gentem, vnam linguam, vnos dominos ipsorum ab initio semper extitisse: partito vero regno inter Duces, vt alias terras, ita et ducatus, terrasque Masouiæ, decedentibus masculis iure feudi ad corpus vnitatem regni denuo rediisse, quæ omnia ex litteris, inscriptionibus, & exemplis ita clare constant, ita in recenti memoria existunt, vt nullis rationibus & argumentis inficiari possint.

Cum itaque placuit diuinæ Maiestati reliquam masculam sobolem Ducum Masouiæ ab humanis auferre, & reliquas terræ Masouiæ iure feudi, & iuxta inscriptiones veteres ac recentes in Maiestatem regiam & Regnum Poloniæ recidissent: licet Maiestas sua potuisset e vestigio possessionem earundem terrarum accipere, & illis, sicuti reliquis terris & subditis suis, imperare, tamen voluit Maiestas sua, vti decet clementem & benignissimum principem, rem alioquin iam prius transactam iterum placide & æquanimiter transigere. Non enim dedignata est Maiestas eius primum legationibus benignissimis illos ad debitum ipsorum cohortari, deinde etiam ipsamet ad eos descendere, & iustis rationibus, modisque clementissimis ius suum & debitum illorum ab eis exigere: quibus cum iuste reluctari non potuissent, tandem vniuersi iusiurandum Maiestati suæ & Regno suo Poloniæ praestiterunt.

Quamuis autem petiissent tum & pariter in conuentu Cracouiensi dari sibi in Ducem & dominum illustrissimum Principem SIGISMVNDVM AVGVSTVM, filium Maiestatis suæ charissimum, tamen Maiestas eius id tum illis, & demum in conuentu Cracouiensi denegauit, quod nollet videri is, qui iuribus regni sui quicquam detraheret, quin magis conducere putet, vt filio suo & omnibus subditis suis regnum & dominia vnita, quam scissa & diuisa, relinqueret.

Siquidem Ducatus Masouiæ mera est haereditas & corpus Regni Poloniae possessusque est ab initio a praefatis Ducibus iure feudi. Quo quidem iure iam maior pars ipsius ducatus antea successiue ad praedecessores Maiestatis suæ & Regnum Poloniæ recidit. Nempe terra Rauensis, terra Sochaczouiensis, terra Gostinensis, terra Plocensis, terra Visnensis, quæ omnes terræ sunt Masouiæ, sed eo

iure ad regnum deuolutæ, atque id non solum mascula stirpe non deficiente, sed etiam fratribus superstitibus partitis inter se bonis, sibi inuicem nunquam succedere potuerunt, eoque minus nunc succedere possent, cum vniuersa stirps mascula defecit. Quod scientes & intelligentes domini Duces nouissime defuncti, obtinuerant a Maiestate sua,eam gratiam magnis precibus & seruitiis suis, quod ipsi duo fratres sibi inuicem succedere potuissent, & concessum illis erat hoc priuilegium a Maiestate sua, non sine magnæ clementiæ testimonio, prout litteræ eo nomine confectæ satis declarant.

ARTICVLVS I.

CONFIRMANTVR IVRA MAZOUITARVM.

Sigismundus Petricouiæ 1529. Ex statuto Masouiæ.

OMnia iura, priuilegia, donationes, consuetudines, libertates, prærogatiuas, & successiones omnes omnium nobilium, quorumuis subditorum nostrorum in Ducatu Masouiæ, tam publice quam priuate, iuste & legitime datæ & emanatæ,in quorum seu quarum extant possessione pacifica, in vita Ducum & dominorum suorum, confirmamus, & in robore conseruamus perpetuo. Similiterque omnia statuta terrestria eiusdem Ducatus, consuetudines & articulos, quo ad iudicia terrestria & castrensia in omnibus causis, controuersiis, & rebus quibuscunque in suo ordine antiquo, statuto, tenore, & consuetudine conseruamus & confirmamus, iuxta antiquam eiusdem Ducatus consuetudinem, quibus non debent derogare nouæ consuetudines regni perpetuo.

IVRAMENTVM PRÆSTITVM PER SVBDITOS DVCATVS MASOVIÆ

FERIA QUINTA IN VIGILIA EXALTATIONIS S. CRVCIS MDXXVI.

Iuramentum Masouitarum.

EGo S. spondeo & iuro, quia serenissimo Principi & domino, domino SIGISMVNDO, Dei gratia Regi Poloniæ, magno Duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, &c. domino meo gratiosissimo, eiusque Maiestatis successoribus Regibus Poloniæ fidelis, obsequens, & subiectus ero, ac omne bonum & commodum suæ Maiestatis successorum ipsis Regum et Regni Poloniæ procurabo, ac promerebo, et quæ sensero illis nocitura fore præcustodiam, et præcauebo, ac pro posse meo auertam, omniaque fideliter et obsequenter curabo et faciam, quæ ad bonum et fidelem subditum pertinent, ita me Deus adiuuet et sancta Christi crux.

DVCATVS MASOVIÆ MAIORI POLONIÆ ADSCRIBITVR.

COnsentimus, vt iste Ducatus adiungatur et adhæreat, sicut et aliæ terræ, terris maioris Poloniæ, quando praesertim et Ducum tempore Duces ipsi erant cum terris maioris Poloniæ tempore belli. Nec ob aliam causam terra Vischnensis ipsis terris maioris Poloniæ sit adiuncta.

RATIO TAMEN ÆQUA MASOVITARVM HABERI NON POTEST ATQUE POLONORVM DVRANTIBVS CONSTITVTIONIBVS ILLORVM.

NUntii ex terris Masouiæ cum multa a nobis postularent, quæ concedi solent per nos aliis subditis nostris regnum incolentibus, et statutorum communi iure fruentibus, a nobis hoc responsum tulerunt, quod dum sunt iure et consuetudine ab aliis regni nostri subditis seiuncti, non in omnibus eorum eadem ratio haberi possit, quæ habetur subditorum regni. Sed si aliquando iuribus et consuetudinibus se coæquare regni nostri subditis voluerint, quod in eorum arbitrio est positum, tum eorum ratio æqualis cum aliis est futura. Interim autem in eorum moribus, iuribus, priuilegiis, et consuetudinibus, priuilegio nostro confirmatis, illos conseruabimus.

CAPITV-

CAPITVLVM VIII.

REX SIGISMVNDVS DVCI BARENSI AD QVASDAM INSCRIPTIONES CONSENTIT.

SIGISMVNDVS Dei gratia Rex Poloniæ manifestum facimus per præsentes vniuersis. Quia pro necessitudine et amore mutuo, qui nobis est cum illustrissima Principe, domina ISABELLA Mediolani et Barii Duce matre, et socru nostra charissima, illi gratificari volentes, vt in vita sua possit partim de seruis suis, partim etiam de religione et sacricolis bene mereri, et suæ suorumque saluti consulere, tenore præsentium consentimus, vt, quandocunque illi libuerit, possit inter seruos, et ad pia opera, quemadmodum illi melius videbitur, decem millia aureorum in auro ex prouentibus annuis Ducatus Barensis distribuere, vel ad distribuendum inscribere seu obligare. Promittimusque verbo nostro regio pro nobis, et illustrissimo filio nostro SIGISMVNDO, nos eandem distributionem seu obligationem per eius illustritatem factam, firmam et ratam habituros. In cuius rei testimonium sigillum nostrum præsentibus est impressum. Datum Cracouiæ die IV. Februarii. Anno Domini MDXXIII. Regni vero nostri XVII. SIGISNVNDVS Rex significat.

VNIVERSITATI CIVIVM CIVITATIS BARENSIS ET MODVNENSIS.

MAgnifici, nobiles, et egregii, fideles nostri dilecti. Accepimus litteras quibus nobis dolorem vestrum de obitu illustris Ducis Isabellæ, et fidem vestram erga nos declaratis, de qua non aliter nobis persuademus, neque dubitauimus, quin in eo euentu vos ita exhiberetis, vti probos et fideles subditos decet. Nos etiam volumus ea erga vos gratia, & æquanimitate vti, et tales vobis officiales præficere, vt nobis subesse nunquam iure vos poenitere queat.

IOANNI DANTISCO ET LVDOVICO DECIO IOSTO ORATORIBVS SVIS.

NObiles fideles dilecti, hesterno die allatæ sunt nobis litteræ Iosti ex Bario, quibus significat statum illius, et omnes res recte se habere, nihilque aduersi illic ortum, præter tumultum contra Iosue, qui et ipse tandem est sopitus. Allatæ quoque nobis sunt litteræ a ciuitatibus Barensi et Modunensi, quibus fidem suam erga nos abunde testantur, quam, et aliorum pariter Iostus ipse declarat; praetereaque scribit esse magnas querimonias omnium subditorum aduersus Iosue, et alios officiales. Proindeque efflagitant, vt cum illis iustitia ministretur, petitur confirmatio iurium et priuilegiorum, petuntur boni et æquanimes officiales. Quocirca omnium prima erit illic cura vestra, vt videlicet compositis et sopitis rebus, si quæ in perturbatione sunt, iustitiam vnicuique ministretis, et officiales tales constituatis, quorum probitas et fides spectata est, et populo essent ex sententia. De priuilegiis confirmandis respondimus, nos id facere velle, quod et vos illic eis polliceamini, et transumpta illorum nobis mittatis, quibus visis libenter confirmabimus, quæcunque iusta et honesta fuerint.

CAROLO V. CAESARI.

SErenissime ac excellentissime Princeps. Significatum est nobis nuper ex Mediolano illustrissimum dominum Mediolani Ducem petere decreuisse, vel forte iam petiuisse a Maiestate vestra, vt consilio regni Neapolitano demandare dignetur, quo Ducatum Barensem, ad nos iure legitimæ successionis deuolutum, acciperet in sequestrum: in quo idem dominus Dux Mediolani nescimus quid iuris sibi competere asseuerat, et deducere nititur, illustrissimam olim dominam Isabellam de Arragonia Ducem Mediolani et Barii socrum nostram non hæreditario iure,

ſed duntaxat vitæ ſuæ ſpatio illum poſſediſſe. Nos non dubitamus ius certum et indubitatum penes nos et ſereniſſimam dominam BONAM coniugem noſtram eſſe. Quod quidem non verbis ſed litteris, non vnis, ſed pluribus, ſine controuerſia probare poterimus, quorum beneficio poſt mortem ipſius olim dominae matris et ſocrus noſtrae poſſeſſionem illius Ducatus continuauimus, quaque priuari citra inſignem iniuriam noſtram non poſſumus. Cum enim ad disquiſitionem ventum fuerit, melius diplomata, ſeu priuilegia noſtra, quam nuda verba, vim iuris et iuſtitiæ declarabunt.

LEGATIO SIGISMVNDI REGIS AD CAROLVM V. CAESAREM DATA STANISLAO BOREK CANONICO CRACOVIENSI.

CVm proximis his menſibus illuſtriſſima domina ISABELLA de Arragonia, Ducis Mediolani et Barii ſuæ ſerenitatis mater, et ſocrus, ab hac vita diſceſſiſſet, relicto iuſto et haereditario iure Ducatus Barenſis ſereniſſimae BONÆ, coniugi ſerenitatis ſuae, filiae vero ſuæ, ad capiendamque poſſeſſionem ducatus, ſerenitas ſua ipſius ſereniſſimae coniugis nomine, nuntios et procuratores, nulla mora facta, miſiſſet, illique, ea ipſa poſſeſſione accepta, et aliquanto tempore continuata, rerum et negotiorum eiusdẽm ducatus curam et adminiſtrationem ſuſcepiſſent, vicerex veſtrae Maieſtatis regni Neapolitani eandem poſſeſſionem illis ademit, et ſequeſtrem conſtituit, qui ad diffinitionem eidem ducatui præeſſet: quaſi lis eſſet ſub iudice, cum reuera nulla vnquam fuerit, nec eſſe poſſit.

Totum enim ius ipſius ducatus apud ſereniſſimam dominam Reginam eſt ex legitima ſucceſſione: cuius vim et ſeriem ex litterarum et priuilegiorum exemplis, quæ mecum attuli, veſtra Maieſtas probe cognoſcet.

Miratur autem vehementer ſereniſſimi domini mei celſitudo, cur et qua ratione tanta iniuria ſit ei irrogata: cum totius orbis hominum ius eſſe peculiare non ignoret, poſſesſionem bonorum nemini niſi ad disquiſitionem vocato, iureque victo adimi ſolere. Si enim illuſtrisſimus dominus Mediolani Dux aliquid iuris haberet, quo ſibi perſuaderet hunc ipſum ducatum fore ſuum: aliis modis, quam vi, iuſtitia ſua ſibi quaerenda erat.

CAROLO V. CAESARI SIGISMVNDVS PRO RESTITVTO DVCATV GRATIAS AGIT.

SErenisſime ac excellentisſime Princeps etc. nuntius noſter quem in cauſa Barenſi ad veſtram Maieſtatem miſeramus tandem rediit: duas res gratiſſimas afferens: quarum haec potisſima eſt, quod declarauit veſtram Maieſtatem in ea beneuolentia erga nos permanere, quam nobis ex ea ſanguinis coniunctione, quae nobis cum illa intercedit, pollicebamur: eſt deinde nobis per quam gratum quod veſtra Maieſtas Ducatum Barenſem nobis reſtituere dignata eſt, non adeo propter ea commoda, quae illinc habituri ſumus, quam quod hi disſidentes animos noſtros inuicem videre vellent, qui alienis malis laetari ſolent. Agimus igitur veſtrae Maieſtati quas maiores poſſumus et debemus gratias, relaturi etiam quacunque parte et occaſione id facere poſſumus, vt amori noſtro nunquam intermorituro, ſed perpetua ſerie permanſuro ad ſummam coniunctionem nihil defuturum eſſe videatur. Caeterum quia is orator noſter, qui iampridem apud veſtram Maieſtatem fungitur munere, ſibi a nobis iniuncto ob eas necesſitates, quae ſubinde ſe offerunt, adhuc munus ipſum aliquantiſper eſt obiturus, referretque a nobis nonnulla veſtrae Maieſtati: idcirco rogamus illam plurimum, dignetur eius verbis, qua ſolet benignitate, aeque ac noſtris propriis fidem adhibere. Valeatque felicisſime Maieſtas veſtra et voto ſuo in omnibus optatis potiatur, nosque habeat commendatos. Datum etc.

EIDEM

EIDEM CAROLO V. CAESARI.

SErenissime ac excellentissime Princeps &c. rediens dudum ad nos a vestra Maiestate nuntius et secretarius noster BORGIUS, declarauit nobis a Maiestate vestra, nos in possessionem Ducatus nostri Barensis & Principatus Rossani restitui mandauit, & litteras ad eam rem opportunas nobis attulit, de quo officio & amore fraterno Maiestatis vestræ fuimus admodum consolati, & illi e vestigio gratias quas debuimus per litteras nostras egimus: verum facti nunc sumus certiores illinc ab officialibus & procuratoribus nostris, ipsam possessionem nobis vigore litterarum Maiestatis vestræ restitutam denegari, remque prætextu quarundam litterarum aliarum Maiestatis, quæ ex diametro sunt contrariæ inuestituræ, & aliis litteris nobis concessis in longum produci. Quibus scriptum dicitur (quod admodum nobis mirum videtur) vt nisi vocato prius illustrissimo domino Duce Mediolani, de restituenda nobis possessione nihil fieret: vt hac mora & difficultate iniecta pariant nobis aliquod incommodum, hi qui & fauorem nobis Maiestatis vestræ inuident, & nostram mutuam coniunctionem, & necessitudinem ægre patiantur. Cum autem & nos vocati non fuerimus quando possessio nobis indicta causa adimebatur, qui ad illam legitime successimus, obtinuerimusque insuper investituram a Maiestate vestra, facto illi debito homagio, quæ concedi non solet nisi possessoribus, vel quibus possessio iure debetur. Proindeque sequestrum cum ipsa inuestitura nequaquam cohærere potest. Quocirca rogamus etiam atque etiam Maiestatem vestram vt fratrem nostrum honorandissimum, non patiatur nos ita & coniunctionem & necessitudinem nostram mutuam apud se per æmulos nostros labefactari, vt etiam illud saltem quod nobis iure optimo debetur, & Maiestas vestra iam semel concessit, & restituendum commisit, consequi nequeamus: iubereque dignetur Maiestas vestra denuo, vt citra istas productiones & difficultates, nobis ipsa possessio bonorum nostrorum reddatur, qua potiti, parati erimus coram Maiestate vestra aut eius collaterali consilio, non ipsi solum illustrissimo domino Duci Mediolani, sed etiam vnicuique alteri pro iure nostro respondere.

CAROLO V. CAESARI SIGISMVNDVS REX.

SErenissime ac Excellentissime Princeps, fecerunt nos certiores officiales & procuratores nostri, hactenus arcem Barensem non esse nobis restitutam, non possumusque non vehementer mirari, vt cum semel Maiestas vestra Cæsarea pro sua æquitate ac in nos animi sui propensione, super inuestituram ipsius arcis Barensis dederit assensum, & beneplacitum suum, vnde fit istud impedimentum, quo minus decretum Maiestatis vestræ Cæsareæ locum habeat. Propter ea rogamus Maiestatem vestram omni studio, vt tandem possessionem eiusdem arcis Barensis nobis reddi & libere dimitti faciat, & vt Maiestas vestra Cæsarea aures hominibus maleuolis non accommodet, qui inter nos dissidium quærunt, coniunctionemque ac mutuam beneuolentiam & necessitudinem nostram dirimere contendunt, faciet Maiestas sua, rem sua virtute et nostra in se perpetua obseruantia dignam.

LEGATIONIS AD CAESAREM FRAGMEMTVM.

NVntius noster hoc aget diligenter, vt restituamur in possessionem Ducatus Barensis, et si Dux Mediolani aut quiuis alter prætendit se aliquod ius habere ad Ducatum ipsum Barensem, cum vocabit nos, aut serenissimam coniugem nostram dominam Reginam in ius, stabimus paratissimi omni iudicio.

Et cum Maiestas Cæsarea vult ministrare iustitiam illustrissimo domino FRAN-

cisco Duci Mediolani de Ducatu Barensi, roganda erit, vt similiter administrare velit nobis iustitiam in Ducatu Mediolanensi et in dotibus auiæ serenissimæ coniugis nostræ dominæ Reginæ, hoc est, in ciuitate Cremonensi, quoniam Maiestas sua Reginalis plus iuris habet ad Ducatum Mediolanensem quam habet Dux FRANCISCVS in Ducatu Barensi. Aequum enim est et valde conueniens, ut cum Maiestas sua Cæsarea, vult ministrare iustitiam in vno, velit etiam ministrare illam, et in alio.

Item excusabit nos nuntius, quod tam diu homagium debitum Cæsareæ Maiestati non præstitissemus, nam id non negligentia vlla, sed cum propter longinquitatem itineris tum propter multas occupationes bellicas et curas, quibus ad hoc tempus districti fuimus, facere distulimus. Nunc vero mittimus mandatum sufficiens ad illud præstandum, nam de iure, viuente illustrissima olim matre nostra domina ISABELLA, praestare non attinebat, nec eramus obligati. Iurabitque nuntius homagium nomine reginalis Maiestatis prius, et demum si necessarium erit, iura etiam praestabit nostro nomine postremo. Quamuis autem in vita eiusdem illustrissimæ matris nostræ, populi et vasalli Ducatus nostri Barensis promiserunt et rogauerunt solenni stipulatione, quod serenissimam dominam Reginam, post mortem et felices dies dictæ illustrissimæ dominæ ISABELLÆ Ducissæ, habituri essent in suam veram et vtilem dominam dicti ducatus ac ciuitatum et terrarum ad illam spectantium, tanquam vnicam legitimam et vniuersalem hæredem illustrissimae olim dominæ Ducissæ, eique praesenti, recipienti, et stipulanti ad sancta Dei euangelia corporaliter manibus iunctis tacta, sponte iurauerunt, et iuramenta corporalia praestiterunt. Quia tamen id fecerunt absque consensu Cæsareae et Catholicæ Maiestatis, roganda erit Maiestas sua Caesarea et Catholica, consentire dignetur et admittere, vt dicti vasalli et populi denuo iuramentum faciant, et promittant modo, quo supra dictæ serenissimæ dominæ Reginæ, quod eam recognoscent veram dominam et patronam dictarum ciuitatum et terrarum, eique de omnibus et quibuscunque fructibus, reditibus, introitibus, et prouentibus illarum respondebunt, et responderi facient secundum iura et constitutiones Regni Neapolitani, sicuti decet vasallos fa ere et exequi.

Item impetrandæ erunt commissiones efficaces, vt praefecti Caesareæ Maiestatis non molestent deinceps nos in ducatu ipso Barensi, sed vt deinceps securum illum semper habeamus ab omni perturbatione.

Item quoniam illustris olim mater nostra moriens, multas donationes et legata fecit testamento suo seruitoribus suis, et aliis multis personis etiam ad vitam illarum, alienando multos prouentus Ducatus nostri Barensis, quod facere non potuit obstantibus pactionibus et conuentionibus matrimonialibus, quæ inter nos et illam intercesserunt: roganda erit Maiestas Cæsarea ne einsmodi testamentum et legata approbet, et confirmet, et si forte iam confirmauit et approbauit, ignara existens de iure nostro et pactione praedicta, vt cassare et inualidam facere priorem suam confirmationem surreptitie obtentam, nostra et iustitiæ causa dignetur: prout apparet in capitulis matrimonialibus quæ ostendentur.

Item petet nuntius noster a Maiestate Cæsarea, quod restitui faciat quatuor pascua montis serici, quæ sunt ablata nomine Maiestatis suæ Caesareæ, eo praetextu, quod prius ad vsum Maiestatis suæ tenebantur.

Omnia autem supradicta aget nuntius, et tractabit communi consilio et opera cum *Ioanne Dantisco* nuntio nostro, quem antea ad Maiestatem Caesaream misimus.

Iustitia autem, quam serenissima coniunx nostra domina Regina habet ad ciuitatem Cremonam, est ista: ea enim ciuitas Cremona data fuit in dotem ab illustrissimo domino Duce PHILIPPO Vicecomite, illustrissimæ dominae BLANCÆ filiæ suæ, quae collocata erat in matrimonium illustrissimo Comiti FRANCISCO SFORCIÆ proauo

proauo suæ Maiestatis, ex quo connubio nati sunt filii multi, qui omnes habuerunt dominium & prouentus dictæ ciuitatis pro rata parte: ex istis autem successoribus non extat persona aliqua legitima, nisi ipsa Serenissima domina Regina, & Dux FRANCISCUS; propterea medietas est de mera iustitia suæ Maiestatis, imo & plusquam medietas, ea ratione, quod fœlicis memoriæ illustrissima domina Isabella Ducissa, suæ Maiestatis mater, fuit filia illustrismæ dominæ Hyppolitæ Sforciæ Ducissæ de Calabria, filiæ legitimæ dictæ dominæ Blancæ, & ob id dicta serenissima domina Regina, haberet iustitiam & ius in duabus partibus, ex tribus dictæ ciuitatis.

MANDATI FRAGMENTVM

SEd cum illustris dominus Dux Sforcia pro Ducatu Barensi, ad quem nullum ius habet, nos impetat, nos vero ad Ducatum Mediolani plenum & perfectum ius habeamus, nihilominus tamen pro Ducatu Barensi respondere non abnuimus, modo rogamus Cæsaream Maiestatem, quam & tu verbis nostris roges, ut cum primum de Ducatu Barensi nobis lis mouebitur, sua Maiestas vnico atque eodem iudicio, vnoque actionis contextu, causam etiam Ducatus Mediolanensis atque ita & ciuitatis Cremonensis, ad quam etiam ius habemus, diiudicare, determinare, & difinire iubeat: id nos paribus, vel etiam maioribus officiis & meritis suæ Maiestati rependere semper præsto erimus.

SIGISMVNDVS COMITI DE NASSAU

Illustrissime princeps nobis charissime, facti sumus certiores, illustrissimum principem FRANCISCUM Sforciam velle nos impetere, & in ius vocare pro Ducatu nostro Barensi, cui nos non abnuimus quidem respondere iure, & iustitiam nostram declarare, verum cum nobis etiam ius competat ad Ducatum Mediolanensem & ciuitatem Cremonensem, Rogamus plurimum tuam Illustritatem, facere velit operam suam apud Cæsaream Maiestatem, vt cum nobis instituetur actio pro Ducatu Barensi, committere dignetur Maiestas sua Cæsarea, quo vno eodemque iudicio, pro Ducatu quoque Mediolanensi ac ciuitate Cremonensi, ad quam etiam ius clarum habemus, cognoscatur & definiatur: informabit de his & aliis nostris negotiis plenius tuam Illustritatem, orator noster Magnificus Ioannes Dantiscus, de mente nostra sufficienter instructus, quem benigne audire, & plenam illi fidem adhibere velit: nos vero vicissim omnibus in rebus, quibuscunque poterimus tuæ Illustritati hanc operam referre curabimus, Datum.

CAPITVLVM IX.
DE SAMOGITIA & POMERANIA.

SI Cosmographi non seorsim Samogitiæ & Pomeraniæ meminisse solerent, diuersumque genus hominum Samogitas a Lithuanis, & Pomeranos a Pruthenis asseuerarent: & nisi præter ea ita rem sese habere ipse quoque audiam: certe ego eas Prouincias, ipsam videlicet Samogitiam sub capitulo de Lithuania, cuius vtique pars esse præsumitur: & Pomeraniam sub capitulo de Prussia, cui saltem contermina est, reposuissem: ne nimium diligenter prouincias Regni enumerando, vel cymini sector, vt est in prouerbio, vel intempestiuus opum Regni ostentator, cautis lectoribus, vt hospitibus delicatis esse videar. Ac proinde iam longe alia scripturienti, pene oblito in memoriam earum prouinciarum recordatio subiit. Vtcunque autem illæ prouinciæ, suis Magistratibus ac Iuribus diuisæ, ac descriptæ sint: eum tamen nulla publica literarum monimenta de eis habeam, meminisse potius hic earum prouinciarum, quam ipsa earum Iura, quibus Regno cohærent, recensere cogor, hoc unum interea sufficere

 arbitratus

arbitratus, si earum alterani Regum Poloniæ, alteram autem Ducum Lithuaniæ, semper proprias ac tributarias fuisse, & esse, meminero

CAPITVLVM X.
DE MOLDAVIA SIVE VALACHIA
HOMAGIVM PALATINI MOLDAVIÆ

Post plures tractatus inter Serenissimum P. & D. D. CASIMIRUM tertium, Regem Poloniæ & Barones Poloniæ, suæ Serenissimæ Maiest. et Regni nomine ex una, & inter magnificum Ioannem Stephanum Palatinum Moldauiæ, armigerosque ipsius, suo & terræ Moldauiæ similiter nomine parte ex altera, partim personaliter, partim etiam per Regiæ Maiestatis nuncios, diebus aliquot ab aduentu ipsius in præsentem diem habitos, dominus Palatinus Moldauiæ qui supra, propter defensionem a Poloniæ Regno habendam, feria secunda proxima post festum natiuitatis Virginis gloriosæ Mariæ, ad homagium serenissimo principi Domino CASIMIRO Poloniæ Regi etc: inclytæque suæ Polonæ Coronæ præstandum, se, posteros, & terram suam iuramento ad fidelitatem, subiectionem, & obedientiam perpetuo seruandam, habendam & obstringendam consensit, hora tertiarum, eademque die hora meridiei, vel paulo serius homagium et corporale iuramentum præstitit, iuxta informationem per Maiestatem Regiam datam. Primum itaque Maiestate Regia, cum adhuc ille abesset, solium suum in Corona qua coronatus est, ascendente, ibique in apparatu integro, quem circa coronationem induit, sedente, Maiestatis sede septa spiritualibus & sæcularibus Prælatis & Summatibus infra scriptis, Stephanus Palatinus a Maiestate Regia per magnificos nuncios ad veniendum, faciendumque, ea quæ debet, auisatus et conductus cum omnibus suis armigeris, Boiaris, uulgari eorum lingua dictis, eques venit: ad latus vero per vnum suum fidelem habebat, cui Banderium quoque magnum sericeum coloris rubri, in quo arma Terræ Moldauiæ pulchre auro depicta erant, præferebantur. Sui vero omnes terrigenæ bona hæreditaria, in Moldauia habentes, et alii omnes Curienses notabiliores, Banderia parua, quilibet suum equum insedendo, manu tenebant. Ipsius, et Regiis clangentibus tubis, accedensque ad solium Maiestatis Regiæ, ex equo descendit, dein Banderium manibus corripuit ac mox cum Banderio versus solium processit, id etiam sui omnes post eum fecere: immediateque solium accedens, flexis suo more genubus et capite prono, Banderium vsque ad terram inclinat, similiterque facientibus subditis: tenorem homagii his verbis proferebat, Maiestate Regia immota sedente, sed stantibus dominis: his verbis in facie Maiestatis Regiæ.

Clementissime mihi Rex, ego Serenitati Vestræ homagium facio, et præsto cum omnibus terris, et hominibus meis, et peto tuitionem Serenitatis Vestræ, et circa iura, in iureque meo et dignitatibus conseruari. Hic adhuc banderium tenuit, pro genu autem flexione, de ritus sui more, capite inclinato, tacto signo crucis sanctæ, iusiurandum fecit corporale, his verbis:

Gratiosissime Rex, ego homagium præsto, et iuro, ac etiam promitto fideliter sine dolo et fraude Vestræ Serenitati, successoribusque Serenitatis Vestræ Regibus, et sacræ Coronæ Regni Poloniæ, cum omnibus terris, baronibus, et hominibus meis, fidelitatem, esseque fidelis et obediens Serenitati vestræ successoribus, et Coronæ Poloniæ Regni. Sic me Deus adiuuet, et sancta Christi crux.

Mox iuramento finito, hæc respondit Maiestas Regia verba, residens in sede Maiestatis suæ: Nos te et terras tuas in nostram protectionem recipimus, et circa omnes dignitates et iura omnia terrarum tuarum, tanquam Palatinum nostrum relinquimus.

His dictis osculata est eum Maiestas Regia.

Osculo

Osculo facto, recepit Banderium Maiestas Regia manibus, de Palatini manibus, in manusque Mareschalci Regni illud dedit. Hic primum armigeri omnes Palatini Moldauiæ stantes circa solium Maiestatis, sua banderia parua e manibus in terram strauerunt, Mareschalcoque Regni prædicto banderium magnum de solio Maiestatis, iuxta ac conclusum erat, ad Thesaurum Regium deferente, et parua illa per cubicularios Maiestatis Regiæ collecta, itidem ad thesauri locum ferebantur seruanda. Noluit quippe Palatinus et armigeri sui consentire, vt intra tractandum diriperentur: quin petiit, ipsorum vt Banderia homagialia honeste seruarentur: propter maioris amicitiæ auctoramentum. Quo facto Maiestas Regia non longe a se Palatinum tamquam amicum & suum homagialem penes se locauit, & consedentibus illis, armigeri ipsius omnes sub forma iurauerunt tacta cruce.

Nos Barones, Vasalli, & tota terra Moldauiæ præstamus homagium nostro & totius communitatis Terræ Moldauiæ nomine, Serenissimo Principi Domino, CASIMIRO & Successoribus Regibus Poloniæ & Coronæ Regni Poloniæ, promittimusque & iuramus omnem fidelitatem, subiectionem, & obedientiam in perpetuum Serenitati Suæ, Regno, & Regibus Poloniæ. Ita nos Deus adiuuet, & sancta Christi crux.

Quod quidem iuramentum, quidam eorum manibus cruci appositis, quidam uero expansis supra, fecerunt. Eo facto Regia Maiestas omnes Palatini armigeros, uniuersam deniq; Curiæ suæ iuuentutem, militiæ symbolis insigniuit.

Huius actus Regij & Poloniæ Regni, tam notabili celebritati pro ceremoniarum more, Reuerendissimi & Reverendi in Christo Patres & Domini, ac Magnifici, Venerabiles, Strenui, Generosi, ac Nobiles interfuere: Ioannes Vatropa Archiepiscopus Leopoliensis, qui sancta tenebat ad Iuramenta. *Matthias de Stara Lomza* Episcopus Camenecensis, & Ioannes Targouicki Electus Chelmensis, eidem Suffragantes: *Iacobus de Dembno* Castellanus & Capitaneus Cracouiensis, qui ceruici Regio sacrum imponebat dirigebatque diadema. *Matthias de Bnin* Posnaniensis, *Ioannes Amor de Tarnouu* Cracouiensis, *Spytko de Iaroslauu* Sandomiriensis, qui Sceptrum Regni gerebat, differebantq; quippe hi Domini Cracouiensis, & Posnaniensis, Palatini, quod uterque illud ferre nitebatur, alter alteri se præferendo, unde unanimi consensu Palatino Sandomiriensi Sceptra dedere pro hac uice duntaxat, *Ioannes de Pilca* Russiæ generalis, *Iacobus de Buczacz* Podoliæ, & *Dobeslaus de Bussouu* Belzensis Palatini, *Raphael de Iaroslauu* Sandomiriensis, qui etiam Regni Mareschalcatum gerebat, *Nicolaus de Kurozuanki* Siradiensis, *Ioannes de Koscielec* Dobrinensis, *Nicolaus de Zmigrod* Præmisliensis, *Michael de Buczacz* Haliciensis, Castellani: *Creslaus de Kurozuanki* Decanus Gnesnensis, Cancellarius: *Petrus* de eadem *Kurozuanki*, Thesaurarius qui sub hac differentia pomum tenebat, Cancellario ipso homagii & Iuramentorum formam atque tenorem pronunciante, *Gregorius de Lubraniec* Præpositus Skarbimiriensis, Vicecancellarius Regni Poloniæ: *Stanislaus de Brosno* Mareschalcus, Ambrosius Pampouski incisor Curiæ Maiestatis Regiæ, *Ioannes Podlodowski* Zarnouiensis, *Ioannes Oleski* Malogostensis, Castellani: *Nicolaus de Tenczyn* Gladifer, *Ioannes de Tarnouu* Vexillifer Cracouiensis, aliique quam plures Nobiles iuuenes, & Regni indigenæ fide digni.

CAPITVLVM XI.

DE DVCATIBVS PRÆDICTIS A REGNO, AB SESEQVE DISLIMITANDIS.

LITVANIAM A MAZOVIA COMMISSARII DISLIMITENT.

Sigismundus Cracouiæ 1510.

PRouidentes difficultatibus & grauaminibus subditorum nostrorum Regni & Magni Ducatus Lithuaniæ, quæ occasione granicierum inter eadem domi-

nia & Masouiam, tum inter Magnum Ducatum & Regnum sæpe contingunt, uolumus & decernimus, vt quoties opus fuerit, per nos Commissarii deputentur, & mittantur nostris expensis prouidendi, ad faciendas easdem granicies et iniurias componendas, occasione illarum hinc inde exortas, quatenus absque quærentium onerum Iustitia eis ministretur.

DE EODEM.

Sigismundus Petric. 1529.

Dietæ & Iudicia antiqua inter Ducatus Lithuaniæ, Prussiæ & Masouiæ, in locis solitis pro omnibus iniuriis & uiolentiis subditorum ex utraque parte fieri debent de caetero, & innouari, iuxta antiquam consuetudinem & processus Terrestres.

DE EODEM.

Sigismundus Cracoviæ 1543.

Commissarios iam nunc ad fines Regni emittemus, qui tam de finium regundorum, quam de aliis causis nomine iniuriarum suscitatis certum aliquid constituerent. Quocirca iam eos nominare, & dare uolumus.

DE EODEM.

Sigismundus Augustus Petric. 1550.

Quia tenemur paci & tranquilitati subditorum nostrorum consulere, Commissarios ad dislimitanda dominia Regni nostri a uicinis dominiis, puta Hungariæ, Marchiæ, Silesiæ, Pomeraniæ, Lithuaniæ, & Prussiæ, necnon ad resarcienda damna et iniurias mutuas designauimus: Cui quidem nostro instituto vt quam citissime satis fieri possit, dabimus operam diligentem. Commissarii autem nostri etiam diligenter curabunt, vt pro iis damnis, quæ per communes Commissarios Serenissimi Regis Romanorum, & nostros in Silesitis sunt decreta, hominibus nostris satisfactio iusta & competens impendatur.

X I.

IOANNIS CRASSINII POLONIA.

AD SERENISSIMVM ET POTENTISSIMVM, HENRICVM PRIMVM VALESIVM, DEI GRATIA VTRIUSQUE POLONIÆ REGEM.

Bononiæ, Apud Peregrinum Bonardum, Venia ab Superioribus concessa.

SERENISSIMO PRINCIPI D. HENRICO VALESIO, DEI GRATIA VTRIVSQUE POLONIÆ REGI POTENTIS.

IOANNES CRASSINIVS EQUES POLONVS S. D.

QUANTAM, & quam uberem universus terrarum orbis, ex felicissima post hominum memoriam Maiestatis vestræ in Regem Poloniæ electione, voluptatem ceperit; vel ex eo facile quisque iudicare potest, quod tanta rei fama accepta; nunc certatim omnes, & de Polonia, & de universa Reip. Polonæ administratione, auidissime percontantur. Cum enim expectatissimus

tissimus atque optatissimus nuntius in hæc loca venisset, Maiestatem Vestram mirifico vniuersorum Poloniæ ordinum consensu ad regnum euectam, & mox incredibili omnium lætitia regalibus ornamentis affectam esse; non tam singuli amplissimæ dignitatis sublimitatem in ea admirabantur, quum quantum id esset, quod Deus præstantissimis ipsius virtutibus detulisset, diligentissime inuestigabant. Fit enim, vt propter mediocria nostrorum hominum cum Occidentalibus populis commercia, & tanta locorum interualla, non minus illæ gentes, in iudicandis Reipublicæ nostræ negotiis ignorationis, quam vanitatis habeant. Quod cum iam inde, postquam in Italia versari cœpi, ita se habere animaduertissem, non cogitare non potui, quonam pacto, & communi exterarum gentium vtilitati consulere, & nobilissimæ Gallorum nationi, quæ nunc incredibili cognoscendarum Polonicarum rerum studio flagrare dicitur, pro virili mea parte gratificari possem. Decebat enim me, qui in imperio Maiestatis Vestræ natus, & Ecclesiasticis honoribus auctus sum, omne meum studium ad excolendam inprimis regiae dignitatis amplitudinem, deinde etiam ad illustrandam patriam (qua nobis nihil carius in vita esse debet) conferre. Quæ causa effecit, vt hoc de Polonia scribendi negotium, vrgente potissimum CAROLO SIGONIO praeceptore meo, viro politiorum Litterarum in tota Europa facile principe, non inuitus susceperim. Qua in re si quid ingenio aut doctrina assecutus sum, Deo inprimis OP. MAX. cuius auspiciis omnia geruntur, deinde felicibus Maiestatis Vestræ regni primordiis, tunc demum etiam Francisco Crassinio Episcopo Cracouiensi, & Severiensis prouinciæ Duci, patruo meo, qui me ab ineunte ætate mea, in optimis Litterarum disciplinis erudiendum curauit, acceptum refero. Fateor quidem me rem non omnibus absolutam numeris, quod mihi per ætatem non licuit, perfecisse: tamen vel eo potissimum nomine mihi ipsi gratulor; quod hic meus quantuluscunque labor, ad illustrandam Poloniam, nostratium hominum ingenia inflammaturus sit. Ex hoc certe qualicunque meo opere exteri homines intelligent: Maiestatem Vestram, non fabulosi aut obscuri nominis Regem esse, sed qui numerosissimis populis, & amplissimis prouinciis imperet; & pulcherrimam atque latissimam Europæ regionem Sarmatiam, priscis incognitam scriptoribus, iusto dominatu teneat. POLONIAM autem vt in Vestro Clarissimo Nomine publicarem, ve hoc potissimum in causa fuit; quod Polonia regi Polono pulchre conueniat, & quod Maiestas vestra Polonæ gentis nomen, apud exteras nationes, post partam regiam dignitatem mirifice illustrauerit. Precor DEVM, vt quemadmodum Illa singularibus ipsius auspiciis ad summum dignitatis fastigium ascendit, ita etiam eiusdem diuini numinis beneficio felicissime in primis commendati regni gubernacula gerat, deinde etiam ex omnibus, quibus hoc regnum cinctum est, barbaris nationibus, amplissimos triumphos agat Bononiæ. XX. Mensis Maii, Anno salutis humanæ M. D. LXXIIII.

MAIESTATIS VESTRÆ

Deuotissimus Subditus

IOANNES CRASSINIUS.

IOANNIS

IOANNIS
CRASSINII POLONIÆ
LIB. I.

QUIBVS TERMINIS REGNVM POLONIÆ CONTINEATVR.

CAPVT I.

DE Polonia, quæ antiquitus Sarmatia dicta est, scripturi: operæ pretium duximus, non Poloniam tantum, quæ est totius Sarmatiæ Europeæ caput, & Regina: sed etiam singulas vniversæ ditionis Polonicæ prouincias, describere. Ac primum omnium constat, Poloniam esse regionem maximam; quæ innumerabiles, moribusque, ac lingua, differentes inter se gentes, rara quadam felicitate, in unum amplissimi regni corpus, congregauit: vniusque Regis imperio obtemperare coegit. Quæ quidem, nunc in eam amplitudinem excreuit:, ut totum illud terrarum intervallum, quod est inter Oderam, & Vistulam, fluvios; & a Vistula ad Borysthenem, a Ponto Euxino, ad mare Balthicum, & ab extremis Lithuanorum finibus, ad Moscorum, & Suecorum usque regna, Regis Poloniæ imperio contineatur. In eo Sarmatiæ Europeæ spacio, maximæ & frequentissimæ regiones, Polonia, Lituania, Russia, Prussia, Masouia, Samogitia, & Livonia, in unum fortunatissimi regni corpus, coaluerunt. De quibus, & si opus est negotii plenum, in disceptationem venire: elaborabimus tamen, & situm harum prouinciarum, solique ubertatem, mores gentium atque instituta, Reipublicae gubernacula, & quare Rex Polonus in eas regiones habeat imperium; exteris hominibus, quorum causa hanc scribendi prouinciam suscepimus, demonstrare. Sed nos ad Reginam totius Sarmatiæ Poloniam accedamus. Quidquid autem de Reipublicæ Polonæ gubernaculis dicetur, idem etiam fieri, & in aliis Poloniæ Regno contributis prouinciis, intelligendum erit.

DE POLONIA MORIBVS, ET ORIGINE POLONORVM.

CAPVT II.

POlonia, olim Sarmatia, nunc autem novo gentis vocabulo, (a Pole) quod planiciem & venationem quoque sonat, dicta Polonia: eo quod & plana maiori ex parte, & exercendis venationibus aptissima sit, in maiorem, & minorem dividitur Poloniam. Hæc ab occasu habet, maximam omnium Europæ provinciarum Germaniam: a meridie Hungariam, ab exortu solis, Polonia respicit Lituaniam; ad septentriones Prussiam, ad sinum Balthicum sitam. Regio vniversa, & ubertate agrorum, & multorum magnorum, ac celebrium fluviorum frequentia, & metallorum copia, & hominum atque oppidorum numero, & cultissimis gentis moribus, maxime præstat. Quæ cum sub frigido coelo frequentibus Boreæ flatibus sit exposita, nullam fere in vniversum vinearum culturam exercet. Quare potus genti communis est cerevisia, ex aqua, tritico, vel hordeo, & lupulo, cocta. Bibitur et optimus medo, qui ex aqua, melle, lupuloque conficitur. Viri nobiles, & ditiores, vino ab exteris Hispanis, Gallisque per Oceanum: ex vicina Hungaria, & Germania plaustris advecto, utuntur. Habitus nationis plerunque oblongus, neque Hungarico, et Dalmatico, valde dissimilis. Color gentis, ut omnium Septentrionalium, albus. Homines vtriusque

sexus

fexus, plerumque proceræ ſtaturæ, robuſti, & eximia forma præditi. Viri in uniuerſum natura fortes, & ad omne genus periculi ſubeundum, animoſi. Ignominiam, quæ etiam nota infamiæ appellatur, publico legum decreto inuſtam, veneni inſtar deteſtantur. Gens in uniuerſum, cultum corporis diligit. Illuſtres, & nobiliores viri, induuntur ſumptuoſiſſime. Veſtes quidam ſericeas, alii item aureas textiles, margaritis diſtinctas, pellibusque Zebellinorum, aut Martarum ſuffultas: pectoralia aurea, vel argentea, ab iugulo umbilico tenus (ita. n. veſtium fibulas faciunt: cingulos aureos, aut argenteos inauratos, unionibus figuratos habent. Gladios magni precii incuruos, quos Perſicos acinaces vocare lubet, in aureis, vel argenteis vaginis, recondunt; vaginas & manubria enſium, adamantibus exornant. Equis pretioſe phaleratis inſident. Equorum colla, et pectora, laminis aureis vel argenteis pellibusque nobilium animalium circumducunt. Sellas, ſupercilia, caudasque equorum: gemmis diſtinguunt. Multi, equos variis tingunt coloribus. Eſt illis ſplendida ſupellex domeſtica, abacus argenteus, ſunt & aulæa, inſano ſumptu comparata. Epulæ miro ordine, incredibilique pompa, inferuntur: convivia non tam edendo, quam cum lectiſſimis virginibus, & matronis confabulando, in multas horas protrahuntur. Vniverſa natio læta admodum, ludis, choreis, et compotationibus, ſæpius indulget. Hoſpites, & extraneos, laute habent: & non ſine muneribus, quandoque dimittunt. Gens in vniverſum prudens, & literarum amatrix. Quamobrem, et regionum viſendarum cauſa, multi nobiles, et primores adoleſcentes, lares paternos deſerunt, & magnam ſecum omnium doctrinarum copiam, et optimarum rerum uſum non mediocrem, domum referunt. A Polonia dicti ſunt Poloni. Polonos autem, Slavicam, ſeu Slavonicam gentem, conſtat eſſe. Slavi, a (slava) quod gloriam, & celebritatem ſonat, appellati. Hi ut quidam volunt, imperante Mauritio Imperatore, a Boſphoro Cimmerio, Tanaique fluvio, (qui Europæ et Aſiæ terminus eſt) profecti; Dalmatiam & omnem Illyrici oram, depulſis atque trucidatis Romanorum præſidiis, occupaverunt; Prouincia vniverſa, eorum nomine appellata. Altera Slavorum pars, in Poloniam & magnam Germaniam, divertens: duas maximas gentes, Bohemos, et Polonos, condidit. Sed nobis, Martinum Cromerum, rerum a Polonis geſtarum ſcriptorem illuſtrem, qui ab his non valde diſſentire videtur, ſequi libet. Is enim refutatis, non levibus argumentis, aliorum opinionibus, diligens veritatis perſcrutator, Slavos ex Ruſſia, quæ vetuſtis authoribus eſt Roxolania, non ſolum in Mæſiam, Daciam, Pannoniam, & vniverſas Illyriorum prouincias: ſed etiam in Poloniam, quæ tunc forte habitatoribus vacua erat, & in Bohemiam migraſſe credit. Sed quibus primum temporibus, aut unde, Slavica gens, in Roxolaniam venerit; et antiquos illos Sarmatas (ſi qui modo alii fuerunt) deleverit, non conſtat. Roxolanorum tamen nomen, quod Ruſſorum appellationi convenit, non eſt incognitum antiquis ſcriptoribus: Ptolomæus enim, et C. Plinius, Roxolanos populos, in Sarmatia ad latus Mæotidis paludis collocant. Et Cornelius Tacitus, Othonis Sylvii Imperatoris, qui octavus poſt C. Iulium Cæſarem imperavit, tempora deſcribens: Roxolanos Sarmaticam gentem, cæſis priori hyeme duabus Romanorum cohortibus, magna ſpe in Mæſiam irrupiſſe, affirmat. Strabo lib VII. Roxolanos ad aquilonarem regionem ſpectantes, inter Tanaim, et Boryſthenem, paſci ſcribit. Quando vero Slavinorum populi ex Ruſſia in Poloniam, cæterasque regiones, conceſſerint: inter authores non convenit. Cum enim barbari eſſent, rebus potius præclare gerendis, quam memoriæ hominum commendandis, vacarunt. Cromerus tamen vir graviſſimus, qui primus omnium, hiſtoriæ veram lucem attuliſſe videtur; eos populos qui nunc Poloni et Bohemi, dicuntur: circiter Attilæ, Hunnorum Regis tempora, vel paulo poſt progreſſos e Roxolania, et Sarmatia, ceterasque Slavici generis nationes, vacuas Vandalorum ſedes occupaſſe, et in

interiorem Germaniam arma victricia intulisse putat. Ut vt res se habet, verisimile est, Slavos ex Russia prodiisse. Qui cum in Poloniam Lecho, in Bohemiam Cecho, ducibus germanis, venissent: primus apud Polonos Lechus, apud Bohemos item Cechus, vtriusque gentis per manus tradita opinione, regnasse creditur. Slavicæ linguæ vsus, hodie quam latissime patet. Ut enim Slavica gens, ita et Slavonica lingua, per innumeras fere terrarum orbis regiones, propagata est. Dalmatæ itaque, Bosnenses, Servi, Bulgari, Mysii, Rasciani, cæterique Byzantium usque Istri, Carni, Carniolani, Carinthii, Vindæ mari Balthico vicini populi, Pomerani, Bohemi, Moravi, Lusacii, Silesii, Roxolani, Moschi, quorum et in Asia, et in Europa, latissimum est imperium: Circasii, Quinque montani ad Pontum habitantes, denique ipsi, de quibus scribimus, Poloni, Slavonicæ gentis nomen agnoscunt, Slavicaque lingua, quamvis variantibus inter se aliquantum dialectis, utuntur. Sed et Turcarum genti, familiaris est sclavonicus sermo, et in aula Byzantina, gratissimis excipitur auribus. Cuius rei eam esse puto causam, quod Turcarum Rex, Slavinorum regiones fere vniversas, non invasit modo: verum etiam in suam ditionem penitus redegit. Multi etiam Slauici nominis nisi sectam professi Mahumetanam; Turcarum Regis stipendia merentur. Sed nos, quos ritus Poloni sequantur, ostendemus.

DE SACRIS POLONORVM RITIBUS, ET RELIGIONE CHRISTIANA SUSCEPTA.

CAPVT III.

Diutissime olim gens Polona, propter innatam barbariem, et feros mores, annalium Polonicorum testimonio, falsorum Deorum cultum amplexa est, quae tandem anno ab hinc sexcentesimo, repudiatis Iouis, Martis, Plutonis, Cereris, Dianae, Veneris, cæterorumque monstrorum ritibus; auctore Miecislao Duce, Christianorum sacra adsciuit. Primus omnium Miecislaus sacro baptismatis fonte ablutus; hunc vniuersa prouincia secuta. Ioannes, decimus tertius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex maximus, primos Italici, Gallici, Germanicique generis, Episcopos, in Poloniam misit. Eorum opera, et vniuersa gens, ad Christi fidem accessit, et Miecislaus Dux; propagandæ religionis Christianæ cupidissimus, plærasque Ecclesias pontificales, non construxit modo, sed etiam amplissimis opibus, dotauit. Ex eo tempore, natio Polona, Apostolicæ sedis Romanæ, (ex cuius gremio sacrorum ritum accepit) cultrix tenacissima fuit: ita, vt et piissimæ religionis cultu, et Christianarum virtutum obseruantia, antecelleret: nunc proh dolor, improbissimis haereticorum opinionibus, qui proprios sensus, authoritati patrum præferunt quadam ex parte seruit. Non enim solum omnes fere peregrinas admittit sectas, sed etiam nouas sibi, easque ab omni homine Christiano alienissimas, quotidie confingit. Verum ea nunc est, de Henrico - Valesio, Catholico Rege, omnium Christianorum opinio atque fiducia, ut ipse unus sit, qui et labantem religionem Catholicam erigere, et huic fundi nostri calamitati mederi possit. Sed quod prius mihi dicendum erat, illud nunc silere haud possum: nimirum, quod ipsius primi Ducis Christiani temporibus, apud Polonos inoleuerat: vt homines nobiles, sacratissimo missæ sacrificio adstantes, cum euangelium dicturus sacerdos, prima verba pronuntiaret, gladios mediotenus stringerent: respondeat vero ministro rursus reconderent. Incredibilis religiosissimæ gentis pietas, constans, et perpetuum tuendæ religionis Catholicæ studium, ostendebat. De religione hactenus, ad primas Poloniæ urbes accedamus.

DE PRIMARIIS

DE PRIMARIIS POLONIÆ VRBIBVS.

CAPVT IV.

ANtiquisſimam omnium Polonicarum urbium Gneſnam, annalium Sarmaticorum teſtimonio, cenſemus. Ea ab Lecho, primo Polonorum Duce condita, & ab (Gniasdo) quod nidum ſignificat, appellata, principum ſedes quam diutiſſime extitit. Quod ſi verum eſt, Polonos Duce Lecho, ex Roxolania in Poloniam migraſſe, circiter Attilæ Hunnorum regis tempora; conſequens erit, vt dicamus etiam, eodem temporis interuallo, hoc eſt ipſo regni ſui exordio, Gneſnam, ab eodem aedificatam eſſe. Hoc certum eſt, omniumque opinione Polonorum receptum, Gneſnam conditorem habuiſſe Lechum, & ab (Gniasdo) quod nidum ſonat, ſumpſiſſe appellationem. Forte enim in eo loco Lechus, aquilarum nidum reperit. Quare ex eo tempore, Principibus Polonis, alba Aquila erecta, expanſis alis, inſigne manet. Sed quæ nunc potiſſimum Gneſnæ ſpectatur eccleſia metropolitana, ſede Archiepiſcopali, & Adalberti martyris ſepultura, antecellit. Adalbertus, ſecundus in ordine, primum Pragenſis Epiſcopus, deinde regnante Miecislao Duce; qui primus Chriſtianis ſacris apud Polonos initiatus eſt: defuncto Roberto, primo eius Eccleſiæ antiſtite, Gneſnenſis Archiepiſcopus fuit; fidemque Chriſti in Polonia mirifice propagauit. Qui cum Pruthenos, gentem feram, ad mare Balthicum ſedes habentem, ad Chriſtum pellicere conaretur: ab immaniſſimis barbaris, crudeliſſimis confectus vulneribus, anno chriſti, nongenteſimo nonageſimo ſeptimo occubuit. Eius corpus a Boleslao Poloniæ Duce; qui primus ab Othone Rufo, eius hominis tertio, imperatore Romano, Anno poſt Chriſtum natum, Milleſimo primo, in civitate Gneſnenſi Rex eſt appellatus: tanto auri pondere, quantum corpori reſponbebat, redemptum. Eſt autem Archiepiſcopus Gneſnenſis Legatus natus & totius regni Primas. Sed qua parte poſt Regem in Polonia eſt Princeps, ſubtracto e vivis Rege, munere apud Polonos fungitur regio: mittendarum ad exteros legationum, cuſtodiendorum finium & promulgandorum Comitiorum, ius habet: Regem electum pronuntiat, ſacro oleo inungit, regioque diademate exornat. Huic primæ apud Polonos ſignificandæ dignitatis cauſa, ab magiſtro Archiepiſcopalis curiæ, ſublatus praefertur baculus: manducaturo tympana militaria verberantur. Qui honor cum maximus ſit, ſoli Archiepiſcopo Gneſnenſi, in tota Polonia, penes Regem habetur. Aula nulla poſt regiam, præterquam Archiepiſcopalis cenſetur. Quare cæterorum Epiſcoporum, & principum familiares: non aulicos, ſed ſamulos vulgo appellamus. Decreta eſt præterea communibus totius regni legibus, in eos poena; qui præſente Archiepiſcopo, vel cæciderint aliquem, vel gladium ſtrinxerint, vel quod etiam eſt levius, obſcænos ſermones miſcuerint. Magna quidem & ſingularia extant, Polonorum Regum, erga vniuerſum Eccleſiaſticum Ordinem beneficia. Quæ ſi mihi ſingula percenſenda eſſent; multorum dierum, multorumque uoluminum, non unius operis negotium eſſet. Silere tamen ea non poſſum, quæ in publicos totius regni inſerta annales, incomparabilem Cleri dignitatem magnopere augere videntur. Primam itaque Boleslaus primus Rex, hoc in genere laudem ſibi vindicat; qui & confecuto regio Diademate; incredibiliter gentis Polonæ nomen apud exteras nationes illuſtravit; & inter cætera præſtantiſſimæ ſuæ uirtutis edita facinora, omnibus in Polonia Sacratis hominibus, vniuerſa Regibus Polonis præſtanda vectigalia, iure ſempiterno remiſit: & ab omnibus, omnium onerum officiis, immunes declarauit. Henricus Archiepiſcopus Gneſnenſis, Theodorici Ducis Bernenſis filius, qui circiter milleſimum duceteſimum annum, Gneſnenſis

ecclesiæ præsul fuit: opera & auctoritate sua; qua plurimum valebat perfecit; vt Lesci Albi Polonorum monarchæ, qui tunc apud Polonos summum obtinebat principatum, atque omnium Ducum, Procerumque Polonorum consensu, & communi totius Poloniæ decreto: viri ecclesiastici, una cum omnibus subiectis Ecclesiarum hominibus, ab vniuersa principum, & qui eorum nomine ius dicunt præfectorum, iurisdictione, liberi essent. Vladislaus Iagello, Magnus Lithuaniæ Dux, abdicatis sceleratis gentilium ritibus; sacro baptismatis fonte ablutus, & regnum apud Polonos adeptus est. Anno millesimo trecentesimo octuagesimo sexto. Eo demum anno, qui proxime sequutus est; profectus in paternam Lithuaniæ regionem, non solum omnem illam gentem Christo Deo dicauit: sed etiam multis extructis sacris aedibus, & diuitiis ecclesiastici ordinis hominibus attributis, omnes Ecclesiarum agros, ab uniuerso onere, & ab omni pensione, & iurisdictione principis, & profanorum, lata lege liberauit. Verum & in Comitiis regni, apud Iedlinam pagum venationibus nobilem, in Polonia celebratis; omnibus Ecclesiis, regiorum vectigalium immunitatem, rari & singularis exempli Rex, liberaliter concessit: & superiorum regum beneficio nactam libertatem approbauit, Anno millesimo quadringentesimo trigesimo. Quid dicam de Alexandro, optimo & religiosissimo Rege? qui vt ne Vladislao Iagelloni auo suo, singulari in Deum pietate, cedere uideretur; vniuersa omnium regum, Ecclesiastico ordini indulta privilegia, in Comitiis regni Lublinensibus, magna sui nominis laude confirmauit anno millesimo quingentesimo sexto. Et cum tunc forte, inter Proceres, & Episcopos, de ratione sedendi in Senatu & de Ecclesiasticis agris, controuerteretur; sanxit, vt Episcopi in senatu vtrumque regis latus tegerent, fundi vero ecclesiarum, ab omni regni militia perpetuam haberent vacationem. Nihil nunc dico, de insignibus cæterornm regum sacrato ordini donatis priuilegiis: quæ præstantem hanc Cleri autoritatem, incredibiliter confirmant. Illud tamen præterire non possum; non minorem fuisse illorum regum in tuenda Ecclesiastica dignitate, quam in attribuendis castellis, vicis, & pagis, (quibus Deo dicati uiri uitam sustentarent) religionem. Quam ob rem, cum Ecclesiastici agri potiorem totius regni partem occupare censeantur: & Archiepiscopi Gnesnensis Primatis, & cæterorum Poloniæ antistitum, amplissimas ditiones, ex quibus illis ingens auri pondus quotannis uenit, maximos esse principatus, nemo est rerum Sarmaticarum peritus, qui non dixerit. Iacobus Uchanscius, eques Masouius, nunc Ecclesiæ Gnesnesis, clauum tenet; cuius præstans & egregius tuendae religionis catholicæ ardor, & in rebus gerendis prudentia: si unquam alio tempore, in electione Henrici Valesii Regis, magnopere enituit. Cæterum Gnesnensis ciuitas metropolitana, Polonorum principum regia erat. Sed cum Cracus Dux, quem Bernardus Vapouius historiographus Polonorum, circiter Septingentesimum a Christo nato annum, imperasse apud Polonos scribit: Cracoviam, totius septentrionis vrbem nobilissimam, ad ripam Vistulæ fluminis aedificasset; & publicis atque privatis aedificiis exornasset mirifice, in eam sese, sedemque suam, primus omnium transtulit. Mansit regia principum sedes Cracouiæ, ad Popieli senioris, Poloniæ monarchæ, vsque tempora: qui montanæ pertæsus regionis, in qua urbs Cracouia sita est, regium tribunal Gnesnam retulit: atque inde paulo post, mutato consilio, Crusuiciam, nunc ignobile opidum transtulit. Sed illud inde quoque, volente Piasto principe, (qui ex infima plebe creatus monarcha, circiter octingentesimum sexagesimum primum annum ad gubernationem Poloniæ adscitus est) Gnesnam priscam Lechi Ducis regiam, relatum. Fuit autem ex eo tempore Gnesna, multorum principum, regumque domicilium, & in qua reges solenni ritu inungebantur. Verum Vladislaus cognomento Locticus Rex, relicta Gnesna, sedem regiam, atque ipsa regni insignia, Cracouiam retulit: primusque regum in ea vrbe, regio diademate insignitus est. Anno

est anno Christi millesimo trecentesimo vicesimo. Ab eo tempore, vrbs Cracouia, regia sedes semper fuit, ad nostra usque tempora. Quæ quidem, posteriorum regum sumptibus ad eam amplitudinem uenit: vt cum Italicis, & Germanicis elegantioribus, certet: & inter cæteras septentrionales, principem teneat locum. Primum eius vrbis ornamentum, pulcherrima totius regni arx, in colle Vauelo ab incolis dicto sita, iudicatur: quæ incredibili Sigismundi primi Regis constructa sumptu, non incolarum modo, verum etiam externorum oculos, in admirationem rapit. In arce, aerarium regni, in quo diadema regium, cæteraque regalia insignia, & antiquitatis Polonæ monumenta, custodiuntur, cernitur. In Cathedrali arcis ecclesia, quod olim Gnesnæ fieri solebat, reges sacrantur. In Ecclesia Stanislai martyris preciosissimis illustratum vnionibus sepulchrum, argenteæ diuorum aræ, insigne ab incredibili operis artificio, & preciosa suppellectili, Sigismundi primi Regis sacellum, & antiquissima de hostibus capta vexilla, Stanislao dicata spectantur.

In secretiori templi scrinio, sacratissimæ crucis portio, ab Casimiro magno Rege, ex Roxolanica Leopoliensi præda; Anno Christi millesimo tercentesimo quadragesimo illata videtur. Sunt et bini claui, quibus Christus Seruator noster cruci affixus fuit: quorum alterum Otto Ruffus Imperator, una cum D. Mauritii lancea, Anno Millesimo primo, Boleslao Regi dono dedit: alterum, Martinus eius nominis quintus, Pontifex maximus, per Latinum Vrsinum Cardinalem, Episcopum Hostiensem, Vladislao primo ex Lituana gente regi, misit Anno millesimoquadringentesimo uigesimo quarto. In eodem templi ærario, auri, argenti gemmarumque Massæ seruantur. D. Stanislaus, ex nobili apud Polonos Prussorum domo, cognomine Scepanouius, Cracouiensis Episcopus fuit. Qui dum Boleslaum secundum Regem, propter incredibilem feritatem, et detestandas libidines, obiurgat: et ab illicito grassandi et scortandi genere, Ecclesiasticis poenis auertere nititur, sceleftissimi tyranni gladio obtruncatur: cum vix triennio, Episcopi munere functus esset: Viri Sanctissimi caedes Anno Chisti millesimo septuagesimo nono patrata. Hic anno denum Millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Innocentii quarti Pontificis maximi auctoritate, diuis adscriptus est. Sed augustissima regni ciuitas Cracouia, tribus oppidis contiguis, Casimiria, Cleparia Stradomioque frequentissima efficitur. Casimiria Stradomio, et interlabente Vistula fluuio, qui receptis amplius quatuordecim magnis fluminibus, apud Dantiscum vrbem in mare Balthicum effunditur; ab Cracouia separatur. Amplissimus pons; ex vna parte migrandi in aliam, facultatem præstat. Casimiriæ coniunctus est Hæbreorum vicus, qui cum ante in vrbe promiscue cum Christianis habitarent: seditionibus coacti popularibus, multis magnis, et elegantibus aedificiis, propinquum Casimiriæ locum, compleuerunt. Multæ autem sunt in vniuersum nobiles per omnes vrbis regiones ædes: sed spatiosissimum, et elegantissimum forum, ædificiorum splendore antecellit. Ædes prætoriæ una cum amplissimis, et splendidissimis mercatorum tabernis in ipso fori umbilico conspiciuntur. Sunt et illustria pleraque templa, diuorumque Floriani, et Iacincti reliquiæ, illa ornamentum vrbis; hæc hominum religionem augent. D. Floriani Sacratissima ossa ab Lucio eius nominis tertio Pontifice maximo, Casimirus Poloniæ princeps impetrauit. Ægidius Mutinensis Episcopus Legatus, Lucio e rebus humanis erepto, Cracouiam detulit. Iacinctus D. Dominici vitæ institutum professus, cum grauissimos pro Sacratissima Christi religione, in Polonia & Roxolania, subiisset labores: Anno Christi millesimo Ducentesimo quinquagesimo septimo, e viuis subtractus: post mortem, propter Sanctimoniam actæ vitæ, & ostensa prodigia, inter sanctos haberi cœpit. Vrbis Cracouiensis Episcopus, cum propter primariæ in Polonia ciuitatis Episcopalem dignitatem, tum vero etiam ob maximas opes, inter Poloniæ Episcopos supremum honoris gradum vendicat. Ecclesiæ Cathedralis

Prælati & Canonici, in magna sunt apud Polonos dignitatis & facultatum opinione. Nemo enim nisi eques sit ex vtroque parente, & nobilitatis suæ insignia sufficientibus testimoniis demonstrauerit, in Collegium Canonicorum adscribitur. Instituta sunt nihilominus, aliquot pro candidatis humili loco natis Sacerdotia. Canonicatus omnes, & vt vulgo appellant prælaturas, Summus Pontifex, & Episcopus diuisis inter se temporibus conferunt, primariis aliquot sacerdotiis exceptis, quarum Rex ipse conferendarum potestatem habet. Boleslaus Pudicus, Cracouiensis, & Sendomiriensis prouinciæ Dux, qui cum quinquaginta duos annos, minoribus Polonis inperasset, Anno Chisti, Millesimo ducentesimo septuagesimo nono, vitam cum morte commutauit: Episcopum, & ecclesiam Cracouiensem, singularibus exornauit priuilegiis. Episcopum quidem ducali iure vti, in vniuersa sua ditione iussit. Etsi, postca Sbigneus Olesnicius, Cardinalis, & Episcopus Cracouienlis, Ducatum Seueriensem ab Venceslao Cesinensium Duce, ære priuato comparauit, & ex eo tempore, Episcopi Cracouienses, Duces Seueriæ, appellari cæpti: Sbigneus Cardinalis, uir fuit omni laude, prædicationeque, dignissimus: vt pote qui Ecclesiæ vindex, atque defensor acerrimus, & libertatis Polonæ auctor apud Reges studiosissimus, extiterit. Obiit autem, Anno Christi Millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto. Omnibus præterae diœcæsis Cracouiensis Sacris Ordinibus, eorumque subiectis hominibus, Boleslaus princeps, vectigalia, seruitutis onera, & portoria remisit: & ab omni sua, suique magistratus iurisdictione liberos declaravit. Prælatis item & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, senos ex equestri ordine, duodenos de plebe, ab expeditione bellica, ministerii sui causa, liberandi potestatem fecit: minorum vero Collegiorum Canonicis, dimidiam eius numeri partem. Nostra tempestate, ecclesiæ Cracouiensis Episcopatum gerit, Franciscus Crassinius de Crasne, eques Masouius, qui in obeundis Sigismundi Augusti Regis nomine, apud Maximilianum secundum Imperatorem, legationibus; & tractandis maximis Reipub. negociis, summam sibi apud omnes laudem comparavit. Castellanus Cracouiensis, in senatu regni, penes Episcopos est princeps. Palatinus, secundum post eum dignitatis gradum, tenet. Præfectus vrbis, capitalium causarum curam gerit sunt & ciuibus peculiares magistratus, quos consules & proconsules, vocant, qui ex arbitrio Palatini creantur. Est Cracouiæ bonarum artium gymnasium, Vladislai primi Iagellonis Regis liberalitate, circiter Millesimum quadringentesimum primum annum, conditum. Ibi Mathematicarum, Theologiæ, Philosophiæque studia maxime florent. Legum quoque sacrarum cupidos, Pontificium ius docetur. sunt item plæraque Collegia ubi frequentes literarum studiosi degunt: & leuibus sane propter summam annonæ vilitatem, sumptibus. Quare concludendum est, Cracouiam, inter Polonicas vrbes, dignitate, opibus commerciorum & opificiorum varietate, incolarum & externorum numero, rerumque omnium ad victum & cultum corporis pertinentium abundantia, primam esse. Mercatores quidem diuissimi sunt, & cum externis quoque magna negotia habent. Fuit olim Verincus quidam natione Germanus, ciuis, Cracouiensis, qui cum Casimirus magnus Rex, Elisabethæ Boguslai Ducis Stetinensium filiæ, nepti suæ, quam Carolo quarto Imperatori coniungebat, nuptiarum festos dies celebraret, Imperatorem, Ludouicum Hungariæ, Casimirum, Poloniæ Sigismundum Gottorum siue Danorum, Petrum Cypriorum Reges, domi suæ conuiuio excepit; Regi Polono domino suo plus centum millibus aureorum nummum dono dedit; Cæsarem, cæterosque Reges paulo minoribus affecit muneribus. Annus quo hæc gesta sunt, millesimus tercentesimus sexagesimus tertius post Christum natum fuit. Altera Poloniæ vrbs est Posnania, quam Varta celebris fluuius alluit. Hæc post Cracouiam, & superbarum ædium splendore, atque magnificentia, & mercatorum atque opificum omnis generis

numero,

numero, & omnium rerum ad luxum, & usum necessariarum copia, cæteras Poloniæ ciuitates antecellit. Episcopus Posnaniensis, cum magna apud Polonos dignitate, magnas quoque opes coniunctas habet. Hodie Adamus Conarius, eques Polonus, in quo incredibilis uirtus, cum summa nobilitate certat, Episcopi munere fungitur. Palatini Posnaniensis; illustris est in senatu regni auctoritas. Castellanus etiam regni senator censetur. Penes has duas primarias vrbes, cernitur Vladislauia, ad Vistulam fluuium sita; quæ & si superioribus nulla ex parte comparanda videtur, Episcopali tamen Cathedra est insignis. Episcopus Vladislauiensis, qui & Cuiauiensis, & Pomeraniæ nuncupatur: cum sit ex principibus Poloniæ Episcopis, amplissimam habet diœcesin. Dantiscum etiam, vrbs totius aquilonaris regionis nobilissima, & uniuersæ fere Europæ emporium frequentissimum, Vladislauiensi Episcopatu continetur. Nunc ad eius Episcopatus gubernacula sedet, Stanislaus Carncouius, equestri apud Polonos, in prouincia Dobrinensi ortus familia; vir & religione, & illustribus apud exteros Reges perfunctis legationibus, clarissimus. Sunt præterea, pleræque nobiles in Polonia ciuitates; quæ etsi vrbium nomen non merentur, Palatinorum tamen, & Castellanorum, amplissimæ, & frequentissimæ prouinciæ, ab illis sumunt appellationem. Palatini, lingua patria (Voieuodæ) quod militiæ duces significat; amplioribus regio nomine præsunt prouinciis: Castellani, angustiorum regionum sunt præfecti. Frequentissimi nihilominus passim spectantur pagi, & innumera propemodum Castella, quæ quamvis ex rudi plerumque lignorum materia, sint constructa: habitatoribus tamen, & rebus ad propagandam hominum uitam necessariis, magnopere abundant. Illustres autem rariores esse vrbes, penes principes, & nobiliores uiros, culpa residet. Illi enim non ciuitates regias, (quemadmodum consuetudo apud Italos & Hispanos obtinuit) sed oppida & pagos hæreditarios, (mercatorum esse, & opificum degere in urbibus existimantes) colunt. Visuntur etiam per uniuersam Poloniam innumera fere summisque aucta opibus, religiosorum uirorum, & sacrarum uirginum Caenobia. Sed Cistercienslum familia, ædificiorum splendore, & amplissimis præstat facultatibus. Abbates in vniuersum monachorum suffragiis electi: Regio & Episcoporum iudicio confirmantur, habitu religioso uti, & in monasteriis uitam agere, constricti. Arces, si quæ sunt in Polonia, non ad sustinendam diuturnam obsidionem: Sed ad reprimendos tantummodo primos hostium impetus valent. Summæ totius regni uires, non in munitissimis castrorum propugnaculis: sed in validissimis, & expeditissimis nobilium uirorum turmis, constitutæ sunt. Quotiescunque enim hostes adesse nunciantur; iustus in vnaquaque Poloniæ prouincia, ex solis nobilibus, ad resistendum, signo dato, conflatur exercitus. Hæc de vrbibus Polonicis dicta sunto; superest vt Remp. Polonam depingamus.

DE REIPVBLICÆ POLONIÆ FORMA.
CAPVT V.

Reipublicæ Polonæ primordia, mihi in annalibus Polonorum diligentius inuestiganti: eam, iam inde a primis crescentis regni exordiis, imperio principum administratam esse ocurrit. Quæ enim de Lecho primo gentis duce, vulgo circunferuntur; non regium, sed potius principis titulum, illi videntur adscribere. Sed quamdiu is apud Polonos regnauerit, quosque liberos reliquerit, & quando ipsius posteri imperauerint; nemo hactenus, quod sciam, litterarum monumentis, mandauit. Sublata Lechi prole, unius principis imperium aspernata gens Polona, duodenos ex omni Procerum numero Duces, (quos Palatinos appellauit) delegit; illisque uniuersæ Reipublicæ commisit administrationem. Sed quando hoc factum sit, & quamdiu Palatinorum dominatus manserit, non constat. Hoc tamen certum est, neque hac Reipublicæ gerendæ ratione, Polonos fuisse contentos. Quamobrem regnandi potestas, iterum ad unum delata est. Cra-

cum hunc fuisse, Polonica testatur historia, Cracouiensis vrbis conditorem, quem non nulli Grachum exulem Romanum uolunt esse. Sed falso. Cracus, si Vapouio, historiographo Polono, credimus: circiter septingentisimum a Christo nato annum, ad gubernationem Poloniæ adscitus est. Extincta Craci stirpe, Respub. Polona, denuo ad duodecim Palatinos recidit. Suppresso deinde Palatinorum imperio; Præmislaus, homo plebeius, sed astutus, propter rem contra Hungaros bene gestam: post septingentesimum, quinquagesimum, vel sexagesimum, humanæ saluris annum, omnium suffragiis princeps creatus. Hunc alii atque alii longa temporum serie secuti principes, ad Boleslaum usque ducem, Reipublicæ Polonæ clauum tenuerunt. Boleslaus primus, ab Othone Ruffo Saxone, eius nominis tertio, Imperatore Romano, abiecta Ducis appellatione, in ciuitate Gnesnensi, Rex, socius, & amicus Romani imperii appellatus est. Anno Christi millesimo primo successerunt Boleslao cæteri Reges, ad Vladislai principis usque tempora; qui post patratam a Boleslao secundo Rege, Stanislai Episcopi necem, Regium neglexit titulum, & princeps appellari uoluit. Eius exemplum secuti alii, Principum titulo contenti fuerunt. Successit tandem Præmislaus, qui resumpta, & renouata, apud Polonos regia dignitate; communibus Procerum, & nobilitatis iudiciis Rex electus; ab Iacobo Archiepiscopo Gnesnensi, coronatus est, Anno millesimo ducentesimo nonagesimo quinto. Caeteri qui in Polonia regnarunt, ad hodiernam usque diem Reges appellati. Quæ cum ita sint, constat Poloniam regnum esse, Regioque gubernari imperio. Sed mihi nunc, de antiquis & recentioribus Rerumpublicarum, et regnorum gubernaculis, cogitanti: uenit in mentem, regiam hanc nostram Rempublicam Polonam, (quæ non unius ciuitatis continetur mænibus, sed per omnes totius regni prouincias, est diffusa) post tot diversas, multiplicis administrationis rationes, constitutam tandem esse sapientissime. Aristoteles quidem Philosophorum princeps, quatuor Reipublicæ administrandæ formas depingit. Aut enim populus libertatis consectator, Reipublicæ gubernacula vendicat, vel summa rei, penes paucos est, opum studiosos priuatarum: aut praestat optimatum imperium: vel ad unum Reipublicæ defertur gubernatio. Gens Polona, nullam peculiarem istius administrationis partem secuta; populum quem plebis nomine complectitur, ab uniuersa rerum publicarum procuratione, abesse iussit. Turpe est enim, ex ignobili plebis faece, creari magistratus: & eos uicissim cernere, ad Reipublicæ gubernacula constitutos: qui & seruiunt quæstui, & in sordidis occupantur opificiis. Accedit, populum neglecta communi utilitate, priuatis rationibus, priuatæque incumbere auaritiæ. Quod enim est omnium, nullius esse existimatur. Plebs item fluxa, & volubili est fide, & nunc in hanc, nunc in alteram partem, facillime traducitur. Quod si superiorum temporum monumenta euoluamus, Romana Respublica terrarum orbis imperatrix, Tribuniciis plebis furoribus profligata, cum libertate amplissimi imperii dignitatem amisit. Nihil nunc dico, de proximis patrum nostrorum memoria, rerum publicarum euersionibus, quas insanissimis plebeiorum consiliis, & superbis cum nobilibus concertationibus, cecidisse manifestum est. Noluerunt etiam Poloni, superiorum Palatinorum admoniti insolentia, paucis hominibus Reipublicæ mandare gubernacula. Saepe enim usu uenit, vt isti tales despectis imbecillorum uiribus, contra uiros honesta conditione natos grassentur, eorumque facultates appetant. Optimatum in Polonia auctoritas, qui ex patribus & nobilitate constant, regio imperio; Regia potestas uicissim senatus & equestrium hominum libertate temperatur. Quare concludendum tandem est, pulcherrimam hanc Regiam Rempublicam Polonam tali esse conditione, vt Rex quidem, liberis Patrum, & nobilitatis electus suffragiis, & ab Archiepiscopo Gnesnensi regni Primate, coronatus, sit omnium princeps, & dominus, qui amplissimi senatus, & clarissimæ nobilitatis, adiutus consiliis, vniuersam totius regni molem sustineat. Nec

iniuria,

iniuria. Vertitur enim nimia regum poteſtas in furorem, gignit libidines, omnium ſcelerum, omniſque iniuſtitiæ eſt ſeminarium; niſi ſapientiſſimis Senatorum, & nobilitatis animaduerſionibus, intra æquitatis terminos contineantur Sed quia maximæ apud nos ſunt Regibus opes, quæ ad opprimendam publicam libertatem, interdum adminicula ſolent eſſe non vulgaria: non vectigalia modo, præfecturæque omnes, nobilibus uiris mandantur, ſed & vitæ quoque Regiæ cuſtodia nobilitati credita. Illi enim, qui liberis omnium ordinum electus eſt Rex ſuffragiis; non ad euertenda priuilegia, ſed ad propagandas immunitates incumbendum eſt. Secus certe in regnis uſu uenire ſolet hæreditariis; ubi Reges, impune faciendi omnia poteſtatem habent. Neque ego negauerim, totius terrarum orbis Reges, Dei Optimi Maximi nomine imperare, Deos tamen non eſſe. Cum itaque, iam inde, a primis Polonorum primordiis; Senatus, & Nobilitas vniuerſa Polona, ſui muneris admonerent Regem: Rex grauiſſimorum conſiliis uirorum niteretur, illi viciſſim Regiæ Maieſtatis ſplendorem ǝrueriti eſſent, ſola ex omnibus regnis Polonia, ſalua, incolumis, & ab omni iniuria, & detrimento integra, uiuit ſuis legibus, & cætera dignitatis, & libertatis ornamenta, ad hanc usque diem conſtantiſſime retinet. Soli etiam Dei beneficio præter cæteras gentes Poloni, eligendi Regis facultatem habent.

DE ELECTIONE ET CORONATIONE REGIS.

CAPVT VI.

IS qui apud Polonos Reipublicæ gubernacula gerit; non naturæ legibus, quemadmodum cæterarum gentium Reges, in paternum & auitum regnum ſuccedit: ſed communibus Senatorii, & equeſtris ordinis ſuffragiis, publicaque totius nobilitatis acclamatione, Rex eligitur. Senatores: Archiepiſcopi, Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & Supremi Regni officiarii, cenſentur. Equites, ſiue nobiles, conſecutam ſemel uirtute maiorum nobilitatem, perpetuo hæreditariis iure uſurpant. Quod ſi ſuperiores Reges, continuato plerumque temporum contextu, Rempublicam Polonam adminiſtrarunt; hoc non legibus hæreditariis, quas ſibi uendicare prohibentur, ſed eorum præſtantiſſimis virtutibus, & innatis Nobilitati Polonæ erga Regiam Prolem ſtudiis, adſcribendum eſt. Nati enim paternæ uirtutis hæredes, iudicantur; et quod in parentibus admirari, hoc & de filiis eorum ſperare, ſolemus. Qua quidem conſtanti totius gentis opinione, Piaſtorum ſtirps, quingentorum; Iagellorum familia, ducentorum fere annorum ſpatio in Polonia regnauit. Electionis certe uniuerſa ratio, eam ob cauſam inſtituta; vt ſi qui Reges, aut ab officio deflectere, vel publicas oppugnare libertates vellent; hac ſaltem lege, & liberorum charitate, in officio continerentur. Quem admodum ergo, olim Romani Imperatores, prætorianorum militum ſuffragiis, Cæſares appellabantur; ita nunc Rex Polonus, eligitur Senatorum & Nobilitatis iudiciis. Creandi Regis cauſa, uniuerſæ Poloniæ Comitia indicuntur: in comitiis, de ſubrogando Rege diſceptatur. Cæterum longe maiori apparatu, maiorique Procerum & Equeſtrium hominum frequentia ea celebrantur: cum non Regis Poloni filium aut fratrem; ſed alium quempiam, eligere contingit. Tunc enim, cum res ſit ſummae conſiderationis, Summique conſilii, ingens nobilium uirorum numerus, ad celeberrimi ſpectaculi famam confluere conſueuit. Mos eſt apud Polonos antiquus, vt cum creandi Regis cauſa conueniunt; in patentibus potius campis, quam in urbibus, deliberare malint. Erigitur itaque in ampliſſima planicie Senatui tentorium: Pontifices, Proceres, Equiteſque, circumquaque caſtra locant: firmiſſimique præſidii cauſa, validiſſimis & numeroſiſſimis militum turmis vallantur. Uniuerſa de Rege conſultatio; ab invocando Numine Diuino ſumit exordium: deinde externorum audiuntur legationes: tandem Regni peti-

tores appellantur: qui aut extranei principes, vel etiam Regni Proceres, Equitesque esse solent. Datur principibus aliquot Senatoribus, singulorum prædicandi uirtutes prouincia; utilitates, & incommoda explicantur: postremo exquiruntur ab Senatoribus & vniuersa Nobilitate suffragia. Hic est demum apud Polonos legitimus Rex, in quem, uniuersi totius Regni Ordines, consentientibus inter se iudiciis conuenerint. Perfecta electione solenne iusiurandum repetitur ab Oratoribus electi Regis, siqui forte adsunt; Rex ab Archiepiscopo Gnesnensi Regni Primate pronunciatur; & per Supremos Mareschalcos cunctæ denuntiatur Nobilitati: decretum totius electionis conficitur: & singulorum Procerum sigillis obsignatur. Hoc ordine, nostra ætate electus est Rex, Henricus Valesius, Andium, Borboniorum, & Aruerniorum Dux; Caroli noni Christianissimi Gallorum Regis frater; cui nemo Christianorum Regum, vel in tuenda religione Catholica studio, vel altitudine ingenii; vel etiam rerum gestarum gloria, conferendus esse uidetur. Postquam vero Rex est apud Polonos declaratus, antiquissima Christianorum Regum consuetudine, sacro oleo ungitur, Regiisque illustratur insignibus. Quam obrem Comitiis denuo promulgatis; singuli ex omnibus Regni prouinciis Pontifices, & Proceres, in urbe Cracouiensi primaria, fælici Sarmaticæ gentis domicilio, adesse iubentur: frequentissimi undique Senatores, & splendidissimæ equestrium hominum turmæ, conueniunt. Archiepiscopus Guesnensis, ab uetusta superiorum temporum memoria, coronandi Regis ius habet. Is ergo Pontificibus, Principibus, & Nobilitatis stipatus corona; adiuuantibus in solennibus cærimoniis Episcopis, assentiente uniuerso Equestri Ordine, in Cathedrali urbis Ecclesia, Regem sacro oleo inungit, Regioque diademate exornat, Sacramento fidei adigit, ita vt libenter iuret, se Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem defensurum, pugnaturum aduersus Sacrosanctæ religionis Catholicæ hostes; leges, libertatem, priuilegia Ecclesiastici, & profani in Polonia Ordinis conseruaturum. Tunc demum Archiepiscopus, Regia Insignia, Regi de manibus tradit. Ensem uidelicet, quo irruentem in Poloniam barbarorum colluuiem reprimat; Sceptrum, vt religiose subiectis gentibus imperet; Orbem aureum, cum præfixa cruce gemmis distinctum, vt Sarmatiam permultas terrarum orbis Regiones continentem, summa Virtute regat. Postremo Regem in excelso Regum solio sedere iubet. Atque ita Rex Polonus, legitime primum electus, deinde rite coronatus; ab Archiepiscopo Guesnensi, qui Romani Pontificis vice fungitur, & ab vniversa Nobilitate Polona, regnandi potestatem sumit & auctoritatem; & verus, atque legitimus princeps, censetur.

DE REGIA POTESTATE, ET OPIBVS IN POLONIA REGIIS.

C A P V T VII.

VNiuersa Reipublicæ Polonæ ratio hnc spectare uidetur, vt Regi apud Polonos, sit constitutis legibus imperandum. Ex quo longe diuersa esse cæterorum gubernacula regnorum, constat. Ibi enim quidquid Regibus placuit, iuris habet uigorem: hic non modo nullam Rex sine Senatus consilio, & Nobilitatis assensu, fert legem: sed & certis legibus obtemperare iubetur. Incredibilis tamen est Regum in Polonia potestas, summusque Regiæ Maiestatis cultus; cum ex præscripta communium Sanctionum forma, regnare iudicantur. Quod enim omnium caput censetur, maxima est penes Reges iuris dicendi auctoritas. Et quamvis nihil in quempiam, sine auctoritate iudicii statuant acerbius; condonandi tamen mulctas, & ab legibus patrata nece uindicandi libertatem habent. Eorum est etiam, ad repentinos Reipublicæ casus, hostium urgente periculo, universam Nobilitatem, signo dato, ad arma uocare, & irruentibus inimicorum copiis, sub uexillis opponere: mercenarium militem conscribere, creare

militiæ

militiæ magiſtros, exauctorare exercitum, & in violatores bellicarum ſanctionum animaduertere. Sed omnium potiſſima eſt, Regum in creandis magiſtratibus, & conferendis honoribus facultas. Vt enim a primis exordiar, omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, primosque Eccleſiarum Prælatos, beneficio ſedis Apoſtolicæ, appellant. Palatinos, Caſtellanos, Mareſchalcos, Cancellarios, Procancellarios, Theſaurarios, qui ſunt Regni Senatores, ex arbitrio ſuo faciunt. Gubernatores, Capitaneos, Iudices, cæterosque regionum magiſtratus, in ſingulis præficiunt prouinciis: Secretarios, ſupplicum libellorum Magiſtros, & reliquam curialium miniſtrorum turbam, creant: homines plebeios, propter egregia æque in bello ac in pace edita uirtutis facinora, iure nobilitatis ornant: Caſtella, pagos, vicosque Regales, uiris de Republica benemeritis vtendos concedunt: Proſcriptorum, et ſine legitimis hæredibus decedentium agros, nobilibus uiris iure ſempiterno donant. Omnes demum legationes, leges, litteræ, ſingula priuilegia, et vniuerſa bellorum fœderum, et induciarum negotia, Regio nomine conficiuntur, & regiis ſigillis obſignantur, ita tamen, vt plus in ijs omnibus, tota Reipublicæ univerſitas, quam Rex ipſe, poteſtatis habeat. Hæc tanta, tamque excellens, Regiæ auctoritatis dignitas non mediocribus quoque opum præſidiis, fulta eſt. Permultæ enim præclariſſimæ, in ampliſſimo maximi atque opulenti Regni Imperio, urbes: frequentiſſima Regia per omnes prouincias oppida; vici et pagi propemodum infiniti; portoria ex mercatura, locupletisſimos cenſus pariunt. Magna quoque pecuniarum uis, ex fortunatisſimis ſalis, (quod admirabili naturæ beneficio, e profundisſimis terræ uenis, ſaxorum in morem eruitur) argenti, plumbique ſecturis, in Theſaurum Regium quotannis infertur. Certos tamen annuos reditus, et peculiarem nummorum cenſum deſcribere; nec poſſum, nec audeo. De hoc dubitandum non eſt, excreuiſſe regias opes, ad multa centena aureorum nummorum millia. Sed incredibilis annonæ uilitas, ſummaque Eccleſiarum, et Nobilitatis priuilegia faciunt: ut minores ſint noſtris, quam cæteris Regibus cenſus. Vt enim de libertate Eccleſiaſtici ordinis taceam, Nobilitas univerſa, omnibus ſoluta uectigalibus, bellica tantummodo munera: priuatis obire ſtipendiis, tenetur. Agricolæ equeſtrium hominum, vix ſenos, in ſingula iugera, ſolidos; agnoſcendæ regiæ poteſtatis cauſa pendunt: regia item plebs, moderatum vectigal ſoluere adſtricta. Licet tamen, interdum regibus apud Polonos, ex ampliſſimi conſilii ſententia, vniuerſis totius regni Ordinibus, imperare tributum, quod quidem in communes, et potiſſimum bellicos totius Reipublicæ uſus, confertur. Verum tamen Rex Polonus, innumerabili uoluntariorum militum fretus equitatu, ſuperat omnium Chriſtianorum Regum, in unum locum congeſtas opes; ſuperat diuitias. Is enim ex omnibus apud Chriſtianos inuenitur, qui ex ſolis nobilibus, priuatis ſumptibus Regni militiam exercere adſtrictis; centum quinquaginta, grauioris et leuioris armaturæ, equitum millia, cogere: et in aciem ſecum, ſi res ferat, educere poſſit. Mirum id cupiam uidebitur. Sed me non inania potius Polonæ gentis præconia, quam commune, et conſtans totius Sarmatiæ iudicium; quod ex deſcripta ſingularum prouinciarum militia conſtat; ſcribere mortales credant. Teſtes hic mihi adeſſe uolo, homines Italos, Gallos, Hiſpanosque; qui regiones, Sarmaticas non uiderunt modo, ſed etiam ad unguem perluſtrarunt. De Germanis, et Hungaris, atque Bohemis, haud loquor: illis enim propter uicinitatem, Regis Poloni uires notiſſimæ ſunt. Hi omnes, uno ore confitebuntur, uera eſſe quæ ſeribimus. Verum quidem eſt, Polonos nobiles, non niſi ad propulſandam hoſtium uim, intra Sarmatici regni fines, propriis militare ſtipendiis; quod ſi ad inferendum, exteris gentibus bellum, ultra Poloniam proficiſci iubeantur: ſingulis ternis menſibus, quinos aureos nummos, ſtipendium in haſtam accipiunt. Hoc itaque inuſitato apud cæteras Chriſtiani orbis nationes, bellandi genere; Reges Poloni, et potentiſſimi, et locupleti-

ssimi omnium regum, iudicantur. Quis est enim per Deum immortalem, in toto terrarum orbe Rex, qui non vniuersas Regni opes, in alendis exercitibus, absumat. Soli omnium, Dei beneficio, in Polonia Reges, & instructissimum omni armorum, & nobilium equorum genere, colligere exercitum: & cum quotiis potentissimo hoste decertare, sine ullo ærarii sui præsidio valent.

DE SENATV ET MAGISTRATIBUS POLONICIS.

CAPVT VIII.

AVgustissima est Senatorum regni aqud Polonos dignitas; vt quæ primum post Regem amplitudinis locum uendicare, sine aliqua controuersia concedatur. Sunt autem principes Regni Senatores, Archiepiscopi, & Episcopi, propter admirabilem Ecclesiastici Ordinis Maiestatem, & opes maximas, totius Regni bases: qui in Senatu, vtrumque Regis latus tegunt. Secundas Palatini auctoritatis partes vsurpant. Hic est antiquissimus in Polonia magistratus; vtpote penes quem, sublatis olim principibus, summa Reipublicæ administratio, bis fuit. Nunc restricta potestate, & iurisdictione, non Senatores tantum regni, sed etiam amplissimarum regionum præfecti, ac iudices; & quæ in eorum prouinciis conscribitur nobilitas, in bello sunt Duces. Proximi Palatinos sequuntur Castellani, Cracouiensi excepto, qui Palatinos omnes antecedit, & quibusdam aliis, qui Palatinis sunt permixti. Hi non castris, vti etymologia uocis sonat, sed minoribus nomine regio præsunt prouinciis. Cæteri Senatores, Supremi totius Regni Officiarii, appellantur. Quorum alii sunt Poloniæ, alii Lituaniæ Mareschalci; alii item Cancellarii, & Procancellarii, ærarii Præfecti cæteri. Duæ sunt Mareschalcorum classes, Summorum, & Curialium. Ad hos, dicere ius curialibus; delinquentes mulctare, facinorosos afficere suppliciis, curare totius aulæ tranquillitatem, partiri inter Proceres & aulicos regios vrbium ædes, pertinet: & vt quisque, officio suo apud Regem fungatur, prouidere. Singuli sublatos incedenti Regi baculos, prætendunt. Sed in publico Regni consilio, supremi Poloniæ, & Lithuaniæ Mareschalci, vtriusque gentis Senatores dicere sententiam, & quos non in Senatum adscriptos animaduerterint, imperant discedere. Quod si forte his abesse, contigerit, Curiales Mareschalci, eorum partes exequuntur. Bina maiora Poloniæ & Lituaniæ sigilla, vterque Cancellarius; ambarum nationum Procancellarii, minora seruant. Omnium auctoritas legibus exæquata. Sed Cancellarii & Procancellarii munere, sacerdotes, & Laici, alternis uicibus, in Polonia funguntur. Curant autem regias conscribere epistolas, literas, leges, priuilegia, Senatus consulta, decreta, non modo regio iussu conficiunt: sed etiam obsignant, & ne quid contra leges publicas committatur diligentissime obseruant. Ad eos primum scriptæ Regi epistolæ deferuntur: illi lectis literis Regem conueniunt, & vniuersam earum seriem ex ponunt. Proponunt etiam in Senatu, Regio nomine, consultationum summam: externorum Regum respondent oratoribus: legatos in peregrinas prouincias mittendos, de omnibus legationum capitibus instruunt: Regique in gerendis Reipublicæ gubernaculis, quotidiano consilio opitulantur. Quare cum quis ad supremos & extremos aspirat honores, Cancellariorum, et Procancellariorum, studiis nititur. Omnes regii et Reipublicæ census, tributa, et vectigalia omnia, ærarii Præfectis mandantur. Ad eos annui deferuntur redditus: illi in regios, et Reipublicæ usus partiuntur. Is est potentissimi regni Senatus: ea Senatorum appellatio. In eam uero nunc excreuit magnitudinem, ut non Poloniæ tantum, de qua nunc nobis est sermo: sed etiam omnium, quæ in idem Reipublicæ Polonæ abierunt corpus prouinciarum; de quibus postea dicemus: Senatores, amplissimo Senatu continentur. Duo sunt in vniuerso Regis Poloniæ Imperio Archiepiscopi, Gnesnensis

Regni

Regni Primas, et Archiepiſcopus in Roxolonia regia Leopolienſis. Epiſcopi in uniuerſum tredecim, Cracouienſis, Poſnanienſis, Vladislauienſis, Vilnenſis, Plocenſis, Varmienſis, Præmislienſis, Luceorienſis, Culmenſis, Samogitiæ, Kiiouienſis, et Camenecenſis. Hos ex ueteri priuilegio, Caſtellanus Cracouienſis ſubſequitur, militarium procerum princeps: deinde Palatini, et intermixti Palatinis Caſtellani; tunc demum alii Caſtellani, et ſupremi Regni Officiarii, continuata ordinis ſerie ſuccedunt. Omnibus eadem eſt perpetua et conſtans tuendæ publicæ libertatis et propagandi Regni uoluntas: in Senatu cum de Republica deliberant, libere, et ſaepius acerrimæ ſententias dicunt. Regem imprudentius répugnantem obiurgant: atque uno conſenſu ſanctiſſima maiorum inſtituta, et vniuerſas communis patriæ leges, inſuperabiles defendunt. Nec iniuria: omnes enim, ex præcipua, et illuſtri, totius regni Nobilitate, generis et uirtutum commendatione delecti: exacto fidei ſacramento, in Senatum adſcribuntur. Ex ampliſſimis etiam opibus, et copioſo militarium uirorum præſidio, praealti in Senatoribus ſpiritus excitantur. Multi enim centenos nobiles, et inferioris conditionis famulos, totidemque patrios, et ex omni regionum ſobole maxime generoſos, ac inſano ſumptu toto terrarum orbe conquiſitos equos, priuatis ſumptibus alunt. Primoribus certe octoginta, et quadraginta, mediocribus duodena, triginta, et dena, poſterioribus quaterna, et terna, aureorum nummorum millia, quotannis ueniunt. Quam etiam ob rem tanta ſunt apud Regem ueneratione, vt Pontifices *dominos*, Palatinos, Caſtellanos maiores, ſummosque Regni Officiarios, *magnificos*: minores autem conſiliarios, *generoſos, & fideles* in literis appellet. Venientibus ad ſe, non fine magna oris ſuauitate, cum grauitate coniuncta, aperire caput, et in proximo diſcumbendi loco poteſtatem facere conſueuit. Sunt et cætera quoque ſummæ auctoritatis apud Polonos officia: ſed ſplendidiſſimus militiæ totius regni Ducis, in exercitu magiſtratus, penes quem in acie ſumma rei reſidet, potiſſimum excellit. Quare hoc tam illuſtri honoris gradu, non niſi principes donantur Senatores. Præſtant et militiæ Duces, vulgo Campeſtres appellati. Nobiliſſimus etiam quisque, maioris Poloniæ præfectura, augetur. Summus Regis Secretarius, ad tractanda grauiora regni negotia, in conſilium admittitur. Supplicum libellorum Magiſtri, ſubditorum querelas ad Regem deferunt. Ciuitatum, et oppidorum Capitanei, ſalinarum et metallorum præfecti; et dignitate, et opibus antecellunt. Illis capitalium iura negotiorum; his ex metallorum ſecturis regii cenſus committuntur. Neque ignobilis eſt Enſiferi Regni, dignitas. Vexillifer curiæ Regiæ, curiale vexillum in bello defert. Sed ex cæteris quoque regionum officiis, non mediocris nobilibus uiris dignitatis ſplendor accedit. Sunt autem prouinciarum officiarii, Iudices, Pincernæ, Succamerarii, Dapiferi, Vexilliferi, Scribæ, Tribuni militum, et cæteri: qui una cum Iudicibus prouincialibus, qui Nobilitati ius dicunt, particularia exercent iudicia. Omnes Secretarii, commendatam ſibi ab Rege et Cancellariis ſcribendi prouinciam, exequuntur. Regii cubiculi, ſtabuli, culinæque magiſtri: ſua quoque obeunt munera. Nobiles aulici et ſtipendia regia merentes, in præſtandis quotidianæ ſeruitutis Officiis, Regi operam nauant. Cubicularii, vel potius Veredarii, qui cum Epiſtolis regiis per omnes regni prouincias diſcurrunt, et ſatellites Regiæ vitæ cuſtodes, poſtremas dignitatis partes uſurpant. Totus ſane Regiæ aulæ comitatus, ſuperiorum Regum memoria, M. D. equitibus quandoque etiam binis equitum millibus abundabat. Tantus eſt enim apud Polonos, ſeruiendi natiuis Regibus ardor, tantumque gratificandi ſtudium; vt cum innumeri Regiam, æque in bello, ac in pace, priuatis ſumptibus aucupentur gratiam: libenter etiam facultatum ſuarum iacturam faciant.

DE NOBILITATE

DE NOBILITATE POLONA.

CAPVT IX.

OMnes illustres, & ciuilioris uitæ cultrices nationes: iam inde ab exordio terrarum orbis, pulcherrimum nobilitatis ornamentum, in primo humanæ faelicitatis domicilio collocauerunt. Cum enim aliqui mortalium essent; qui excellenti rerum ab se gestarum gloria cæteris antecellerent, iustaque uirtutibus præmia deberi apud omnes iudicarentur; sapientissima uetustas, eos qui in toga aut etiam in bello quidpiam præstitisſent egregium, ad excelsum nobilitatis gradum extulit. Et quoniam indignum erat, illustria clarissimorum hominum facinora, una cum eorum vita occumbere; diuturna constantique omnium fere gentium consuetudine in usum uenit; vt parentum uirtute parta nobilitas, ad legitimos quoque eorum hæredes transmittatur, & optimo sane consilio. Fortes enim plerunque ex fortibus procreantur. Etenim si semen uberi iniectum agro, copiosum reddit fructum, et ex optimis animantibus generosa gignitur soboles: quanto magis id consentaneum est, vsu uenire in hominibus, ut ex fortibus fortissimi proueniant: & cum sibi præclarissimas maiorum imagines, ob oculos uersari animaduertunt, eorum præstantissimas uirtutes imitari uelint. Nostra quidem tempestate; vt de antiquis Græcis & Romanis taceam; in omnibus Christianarum gentium Regnis, & apud plerasque liberas urbes, summa est antiquæ nobilitatis auctoritas: uiri autem illustres, ac nobili loco orti prima rerum gerendarum uendicant gubernacula; incredibilis est apud Gallos veræ nobilitatis splendor: Germani nobilitatem amplectuntur: Hispani ornamento gaudent nobilitatis: Itali ab Romanis vsque iura nobilitatis deducunt. Sed Venetorum antiquissima post hominum memoriam Respublica, summum dignitatis honorem nobilitati detulit. Ibi enim penes nobiles uniuersæ Reipublicæ, administrandæ cura manet; ex quibus Sapientissimus toto terrarum orbe constat Senatus; qui diuisis mirifico inter se ordine magistratibus & felicissimam, atque ipso situ admirabilem vrbem Venetam, & cæteras ditioni Venetæ subiectas prouincias, ualidissimas Classes, & potentissimos exercitus, summa cum laude gubernat. Poloni vero præter cæteras gentes, antiquam, & per manus traditam a maioribus posteritati nobilitatem, Diuini alicuius Numinis instar colunt. Propterea, quod apud illos non nudis tantum modo auorum imaginibus, facultatumque præsidiis; sed etiam legibus ipsis cum libertate coniunctis, uiri nobiles ab ignobili plebis fæce distinguantur. Nobilitas quidem vniuersa, Regum principumque auctoritate est introducta. Illi enim plerosque uiros fortes, propter res pro patria præclare gestas, singularibus nobilitatis affecerunt ornamentis: magnum quidpiam, & augustum ducentes, & mutare obscuram popularium conditionem; & ad excelsam principis dignitatem propius accedere. Quare cum quis ab Rege creabatur eques, non insignia modo nactæ nobilitatis (quæ vulgo gentilitia arma appellantur) accipiebat: sed & totius nobilitatis Polonæ legibus, atque immunitatibus donabatur. Signa quidem omnium familiarum nobilium (ne quis priuata auctoritate suis subnixus opibus, in ordinem irreperet equestrem) in archiuo Regni seruantur: priuilegia vero fere uniuersa, uisuntur in publicis totius Regni sanctionibus. Magna sane extant, Polonorum equitum erga natiuos Reges merita, summa & incredibilia uirtutis testimonia. Si enim inuestigare velimus, per quos fuerit olim Respublica Polona fundata, eiusque imperium latissime propagatum: intelligemus nihil apud Polonos post hominum memoriam posse inueniri, ad tuendam Regiam dignitatem opportunum, in quo non sese uniuersæ Nobilitatis studium, omni ex parte effuderit. Et vt multa paucis

complectar,

complectar, quidquid Polonicæ ditionis, a Ponto Euxino ad Oceanum Germanicum usque censetur; uera Polonæ Nobilitatis uirtute, maximisque priuatarum opum sumptibus, Regibus Polonis comparatum est. Quamobrem tanta vicissim profecta sunt ab illiis, in omnem equestrium hominum Ordinem beneficia, vt uere illud possit affirmari, (procul absit dicto inuidia) nullam esse in toto terrarum orbe nobilitatem, quæ cum hac, & summa uiuendi libertate, & illustribus certare priuilegiis queat. Quid enim primum commemorem, maximam illam, summa Regum indulgentia, & diuturna consuetudine, introductam totius Nobilitatis auctoritatem; qua illi est in subiectam plebem, vitæ necisque concessum ius: popularibus autem iurisdictioni equitum adscriptis, appellandi Regem erepta facultas. Qua quidem equestris ordinis potentia, nihil maius, aut magnificentius excogitari potest. Augustior tamen eorum censetur potestas; qui non oppidanis tantum, & agricolis: sed etiam nobilibus viris, pari libertate in ditionibus suis ius dicunt. Et in Polonia quidem Cracouiensis, in Masouia Plocensis, in Prussia Varmiensis, Episcopi: Præpositus item Ecclesiæ Plocensis; id sibi iuris uendicant. Et si autem difficile sit, ingenio, copia, facultate, singulas omnium Regum leges, decreta, Senatus consulta omnia, animo complecti: silere tamen non possum singularia Polonæ Nobilitatis priuilegia; ex quibus ueluti fontibus quibusdam, reliqua libertatis equestris capita profluxerunt. Ordiar igitur ab eo potissimum Ludouico maximo Vngarorum, & Polonorum Rege; qui a Polonis propter admirabilem regiæ uirtutis opinionem, & rerum gestarum gloriam, ad amplissimi Regni gubernacula adscitus: Regium diadema suscepit. Anno millesimo tercentesimo septuagesimo primo. Is vt sibi Polonos obstringeret beneficiis, multis magnis & illustribus Nobilitatem Polonam donauit immunitatibus. Ac primùm quidem vectigalia Regia, Equitibus Polonis omnibus, eorumque subiectis hominibus iure sempiterno remisit. Pensionem Regiam, quæ vulgo rastralis dicitur, agricolis nobilium uirorum, itá diminutam reddidit; vt iam illius nomine non nisi seni in singula iugera solidi, pendantur. Quod cum leuissimum sit tributum, agnoscendæ modo Regiæ Maiestatis gratia numeratur. Tulit etiam legem in gratiam Polonæ Nobilitatis; ne magistratus et præfecturæ omnes extraneis, immo ne quidem incolis, ab illustri Ducum genere ortis, in Polonia mandarentur. Annus, quo hæc Cassouiæ in Vngaria Polonis Equitibus donata sunt; millesimus tercentesimus septuagesimus quartus, post Christum natum fuit. Quid uero quæso est, quod ad amplificandam equestris Ordinis libertatem magis pertineat? quam quod illi, Vladislai primi ex familia Iagellonum Regis, priuilegiis partum, ad hanc vsque diem firmissimum manet. Quid inquam hoc Rege Equites Poloni adepti non sunt? et ad illustrandam eorum dignitatem magnificum, et ad augendam rem familiarem peropportunum. Huius itaque memorabiles illæ extant, latæ in Polonia apud Iedlinam pagum Anno Millesimo tercentesimo tricesimo, ex communi totius Regni consensu sanctiones. Arces et præfecturæ omnes; non extraneis, neque Polonis ex Ducibus ortis; sed nobilibus tantum uiris committantur. Singuli Equites, priuatis sumptibus Regni fines tueantur: quod si extra fines militare iubeantur, quinos aureos nummos, in equum stipendium accipiant. Capti intra Regni limites, Regio aere redimantur; extra fines uero non redimantur modo; verumetiam incommoda uniuersa, quæ ex hoc accepissent, illis sarciantur. Qui hostes ab Equitibus capti fuerint, eorum sint serui. Nobilibus subiecti agricolæ ab omnibus vectigalibus immunes sunto. Rastrale tributum, ab illis qui ampliores colunt agros, persoluatur. Equitem Polonum possidentem agros, ne liceat indicta causa in carcerem detrudere, aut supplicio afficere; furibus, prædonicam exercentibus, ædium incendiariis, interfectoribus voluntariis, virginibus, et matronis uim inferentibus, exceptis. Bona Equitis, ne Rex absque iudicii auctoritate publicare queat.

care queat. Cum de controuersiis quibusque; causa in iudicio non decisa, uiri nobiles inter se conuenerint: vt ne ab illis mulctæ iudiciariæ Regio nomine exigantur. Sanxit etiam, vt ne quam Rex, nisi ex amplissimi consilii sententia, monetam in Polonia cuderet. Sunt et cæterorum Regum planè regia, erga uniuersam nobilitatem, regiæ gratiæ monimenta; sed ea nos breuitatis causa omittenda putamus. Ex his sane, et aliis quoque Regum Nobilitati datis priuilegiis, consecutum est; vt in Polonia, uiro nobili splendidius et honorificentius nihil sit. Plebs uniuersa summo Equestrem Ordinem prosequitur honore. Equites autem cum incredibiliter liberalitatis atque munificentiæ excellant laudibus: numerosam alere familiam, incolas pariter ac extraneos domi habere lautissime, et non sine muneribus quandoque dimittere solent. Multi sunt illis in uniuersum, in oppidis, & pagis haereditariis, in quibus agunt; armentorum, & nobilium equorum greges, venatio piscatioque frequens. Opulentiores, certum uirorum, & militarium equorum numerum, ad subitaneos belli casus sustentant. Hæ sunt autem plurimarum illustrium, ac nobilium familiarum uires, eaque potentia: vt cum regnante Ludouico Rege; Anno millesimo tercentesimo septuagesimo septimo, in expeditione contra Roxolanos suscepta, inter Polonos & Vngaros iurgium ortum esset, & res ad arma spectare uideretur; solam Topororum domum, (ex qua nunc Comites Tencinii maxime florent) septem habuisse uexilla, memoriæ proditum sit. Albertus Laschius, Palatinus Siradiensis, Nobilis Polonus, vir nobilitate sanguinis, bellica laude, & rerum gestarum gloria clarissimus; iustum ex Polonis, Hungaris, Germanis, Italis, Hispanis, Gallisque, suis fretus opibus, conscripsit exercitum, Anno millesimo quingentesimo sexagesimo primo: Iacobum Heraclidem Cyprium, cæsis Valachorum copiis, pulsoque gentis Duce Alexandro, non modo introduxit in Moldauiam; sed etiam vniuersam illam nationem in eius uerba iurare coegit. Sed cum ille post modum, non magno interiecto tempore, promissis quibus se Laschio obstrinxerat, non stetisset; & homo externus, gentem alias natura feram, nulliusque fidei, tractaret durius; iusto Dei iudicio, eorum arma in se conuertit & in partes innumeras dilaniatus, mortem subiit turpissimam. Quod si quis quærat, quæ sint apud Polonos in tanta nobilium multitudine, primariæ & illustres gentes? huic ego ita respondendum puto, illas in Polonia dici clarissimas familias; quæ continuata fere serie, perpetuoque temporum contextu, illustribus Regni magistratibus, ac honoribus, perfunctæ sunt. Eas ego nec possum, et si possem percensere nollem. Si enim quispiam in ipso scribendi cursu præteritur, nefas: sin uero ordinis inuertitur ratio, odii et obtrectationis plenum est. Hoc caput est, innumeras esse nobiles in Polonia familias; quæ et primum nobilitatis domicilium tenent, et magnitudine opum cum Italicis Neapolitanis Ducibus, et Germanicis tenuioribus, certant. Vniuersi nihilominus equites Poloni, pari nobilitatis iure et vnius libertatis legibus exæquantur.

DE POLONICA PLEBE.

CAPVT X.

VNiuersa Polona plebs, ex oppidanis constat, et agricolis. Oppidani vrbes, et oppida, agricolæ rura colunt. Sed sunt qui Regiæ, sunt item qui Antistitum, Procerum, Cleri, et Equestrium hominum iurisdictioni parent. Oppidani quidem, quos etiam ciuitatum incolas appellare libet; non præfectos modo, qui illis dominorum nomine ius dicunt: sed etiam peculiares habent magistratus: qui Proconsules, Consules, et Scabini, vulgo appellantur. Nemo fere ex his inuenitur, qui vel quæstui non seruiat, vel ignobilia non exerceat opificia. Quare alii mercatores, opifices item alii censentur. Habitu cultuque corporis, plebeii ab vniuersa Nobilitate distinguuntur; huic debitum ubique honorem deferunt.

Cultissimis

cultissimis sunt præditi moribus, & diuitiis ac preciosa suppellectili; in frequentioribus Regni vrbibus magnopere abundant. Vitam quoque lautam propter summam annonæ uilitatem, & rerum ad uictum pertinentium copiam, plærunque agunt. Solebant olim oppidani in Polonia regii, magno facultatum dispendio, ad supremum Magdeburgensis in Germania ciuitatis tribunal, prouocare. Sed eam Polonici nominis indignitatem, primus omnium Casimirus magnus Rex, summo in arce vrbis Cracouiensis Saxonico iudicio constituto, optimo consilio deleuit. A quo tamen ad Regem prouocare licet. Verum, quæ plebs regiam agnoscit iurisdictionem; amplioribus libertatis priuilegiis, quaui quæ Proceribus nobilitatique seruit, munita est. Cum enim præfectus aliquem regius contra ius uiolauit, Regis appellandi facultas est; sed cæteri Principibus, Equitibusque, subiecti homines, extremam, & iniquam quandoque dominorum sententiam amplecti coguntur. Ad hanc tantam tamque duram, introductam antiquitus, miseræ plebis seruitutem, si quando Tyrannicum accedit imperium: cum incredibili laborum, onerum, mulctarumque pondere coniunctum est. Nulli etiam, inuito fundi patrono, ex agro discedere permittitur. Quod si interdum abeundi impetratur potestas: precium seruorum in morem persoluitur. Verum quod magis, & plane impium est; licet domino subiectum sibi hominem, non facultatibus tantum exuere omnibus: sed etiam contra omnia diuina & humana iura, impune afficere supplicio. Quod qui faciunt, & potentia abutuntur, ad miserorum hominum calamitatem, remque suam familiarem, plebi grauissimas iniurias inferendo, amplificant: non homines, sed belluæ, non iusti patroni, sed crudelissimi Tyranni censendi sunt. Omnibus præterea popularibus, & ignobilibus uiris, & Reipublicæ tenere clauum, & nobilia obire munera, & illustria habere sacerdotia uetatur. Primariæ tamen vrbes, ad communia Reipublicæ Comitia legatos mittunt, quibus etiam de grauioribus negotiis, una cum cæteris totius regni Ordinibus assentiri permittitur.

DE COMITIIS POLONICIS.

CAPVT XI.

QUibus superiora Poloniæ nostræ capita perspecta sunt: non erit etiam coniicere difficile; Regem apud Polonos gentem liberam, non suis priuatis, sed publicis patrum & nobilitatis consiliis, totius Regni summa gerere gubernacula; vniuersam omnium magnarum rerum molem sustinere. Quoniam uero omnes fere Senatoria & equestri dignitate, illustres uiri, per singulas amplissimi regni diffusi regiones, uicos & castella sparsim habitant hæreditaria: decretum est, vt cum postularent grauiora Reipublicæ negotia, conuocandi Senatus, & adsciscendæ ad consilium Nobilitatis, penes Regem potestas esset. Quod quidem consultandi institutum, vt olim non ualde dissimili ratione apud Romanos, ita nunc apud Polonos quoque, Comitiorum obtinuit appellationem. Videtur autem Regia Polona Respublica instar alicuius magnæ vrbis, quæ non contigua, sed sparsa per agros habeat ædificia, a maioribus nostris instituta esse. Equites enim Poloni, huius maxime Reipublicæ ciues, in omnibus regni Sarmatici regionibus, ædes colunt paternas, magnis locorum spatiis inter se diuisas: sed non secus tanquam unius ciuitatis essent habitatores, vnam uiuendi consuetudinem, easdem leges, & de communi salute deliberationes habere consueuerunt. Ita tunc cum publica vniuersæ Reipublicæ celebrantur Comitia; istius tam uastæ ciuitatis incolæ, & magistratus omnes, in vnum aliquem locum, ueluti forum quoddam, conueniunt. Quomodo autem soleat Rex; Senatui & Equitibus Polonis, indicere Comitia, aperiendum est. Et si enim summa sit penes illum promulgandorum Comitiorum auctoritas: nihil tamen etiam inconsulto

Senatu, de re tanti momenti statuit. Qua propter communicato primum per literas, cum Primoribus regni Consiliariis negotio, epistolæ regiæ vulgo Comitiales appellatæ, Senatoribus, & nobilitatis Officiariis omnibus, mandantur; quibus & de præscripta Comitiis vrbe, ac die, & de particularibus, in singulis regni prouinciis agendis conuenticulis, significatur. Mox ad constitutam in omnibus regionibus diem, totius Nobilitatis concilia habentur: legati ex omni equestrium hominum Ordine allegandi ad Comitia, cum potestate deliguntur. Rex ad singulas Palatinorum prouincias, Oratores mittit, qui & consultationum Comitialium habendarum summam, & promulgatorum causam Comitiorum, vniuersæ Nobilitati regio nomine exponunt. Quibus perfectis, itur ab Senatoribus, & prouincialibus nobilium legatis, ad constitutam Comitiis vrbem. Coacto celebri Antistitum, Procerum, & Equestrium nunciorum consilio, prima celebrandis Dei Optimi Maximi sacris dies conceditur, postera frequens in curiam conuenit Senatus: in amplissimo Rex ab omnibus prouinciarum legatis Senatu salutatur: vniuersa deliberationis Comitialis capita iubente Rege recitantur; tunc demum Senatorum audiuntur iudicia; postremo Rex suam omnibus aperire sententiam solet. Vniuersa Comitia in duo scinduntur consilia, alterum Senatus, cui Rex ipse præsidet: legatorum prouincialium Cætus alterum appellatur. Sed quem admodum Senatores, ita & illi disceptandi de Republica una cum Rege ius habent. Quare vtrique consilio, siue Ordini, deliberationes proponuntur; vtrique de Republica ferunt suffragia; & quemadmodum Senatorum, ita etiam Oratorum Equestrium necessarius in omnibus assensus requiritur. Dignitas quidem Senatoria antiquissima est; Legati vero prouinciarum nouo quodam, & inusitato ante Reipublicæ instituto, regnante Casimiro eius nominis tertio Rege, circiter Millesimum quadringentesimum sexagesimum octavum annum initium sumpserunt. Cum enim Rex apud Visliciam oppidum, minoris Poloniæ conuentum ageret; vt militibus exolueret Pruthenicis stipendia, vectigal ab omnibus eius regionis Ordinibus petebat. Illi nihil se de re tanti momenti, sine maioris Poloniæ assensu, statuere posse affirmabant. Quare placuit tunc primum, & Regi & Senatui; binos ex omni nobilitate oratores, singularum nomine prouinciarum, ad Comitia Petricouiensia mitti; quibus imperandi vna cum Rege, & vniuerso Senatu moderati tributi potestas esset. Creuit eorum cum tempore auctoritas. Nunc enim, non de vectigalibus tantum, sed etiam de omnibus totius Regni negotiis disceptare solent: nullaque legitima fine illis Comitia habentur. Eos uniuersa Polona Respublica, communis libertatis custodes, apud Regem esse voluit. Et cum olim Regis, & Senatorum, alternis vicibus tibiæ essent, iam & Regem, & Senatum sui muneris admonere; & utriusque mores grandi supercilio notare consueuerunt. Eos ego illorumque laudarem potestatem, ni sibi quandoque (quod ab eorum officio alienissimum est) de religionis quoque Christianæ doctrina, ritibus, ac cæremoniis, differendi prouinciam temere arrogarent. Constat igitur Polonica Comitia vniuersa, ex Rege, Senatoribus, & prouincialibus Equestrium Hominum legatis conflata esse. In quibus, cum de summa rerum potissimum agatur, publicæ de amplissimi consilii sententia leges eduntur; communia totius regni ab Rege exercentur iudicia; noui ex arbitrio Regio creantur magistratus: bellum si quod faciendum est, constantissimo omnium Ordinum consensu decernitur; sed & externorum quoque Regum de rebus magnis audiuntur legationes, fœderaque & induciæ stabiliuntur. Imperantur etiam nonnunquam, postulante Rege, omnibus totius Regni Ordinibus vectigalia. Omnia denique, quæ ad constituendam, & formandam Rempublicam Polonam pertinent, in Comitiis Regni diligentissime curantur.

DE RATIONE

DE RATIONE MILITANDI APVD POLONOS, ET PRÆCIPUIS POLONORUM EXPEDITIONIBUS.

CAPVT XII.

OMnes optimæ apud fingulas terrarum orbis gentes Respublicæ, tunc ab omnibus maxime iudicantur felices, ac beatæ; cum & fapientiffimis in pace grauiffimorum hominum confiliis, & firmiffimis in bello militarium uirorum præfidiis, nituntur. Quod quidem non inepte in hanc, de qua nobis eft negotium, Polonam Rempublicam cadere uidetur. Quæ cum Prudentiffimum toto terrarum orbe habeat Senatum, cuius Rex ipfe caput cenfetur; fortiffimis quoque Equeftrium hominum copiis, ab omnibus quibus undique cincta eft barbaris nationibus, tutiffimam fe effe arbitratur. Defcripta enim uniuerfa imperii Polonici ditione, in triginta fere prouincias, quas Palatinatus vulgo uocant; ita iam inde a primis nafcentis regni exordiis conftitutum eft; ut cum in fingulis regionibus, Equitibus Polonis, regio nomine fignum belli datum effet; mox Palatinorum qui illis præfunt militaria vexilla fequerentur; Palatini autem omnes collectis in univerfis prouinciis exercitibus, regi adeffent. Solet uero Polona Nobilitas, ad arma euocari hoc modo. Cum vel ad inferendum, vel reprimendum forte bellum, (Wici) fumma omnium totius Regni ordinum uoluntate, proficifci Rex decreuit; innumeras fere omnibus Capitaneis, & gubernatoribus epiftolas per celeres tabellarios transmittit. Hæ apud omnes vfitato antiquitus uocabulo litteræ reftium appellantur. Præfecti eas uiciffim cæteris regionum officiariis, & nobilibus uniuerfis, vt proximus quisque eft mittunt; illi ad alios fine mora transferendas curant; ita vt nemo in tota Polonia eques inueniatur, cui tandem ille redditæ, non fuerint. Summa epiftolarum hæc eft; vt finguli Poloni nobiles, regiis lectis litteris armis, equis & rebus ad continuandam diuturnam militiam bene inftructi neceffariis, Palatinos copiarum Duces, fequantur; illi deinceps una cum Caftellanis, cæterisque militiae præfectis, quorum in omnibus prouinciis habetur copia, regiis fefe omnes uexillis coniungant. Confueuit autem nonnunquam fingulis, quandoque binis, interdum etiam ternis eiusmodi litteris, bellum in Polonia denunciari. Scilicet oportunitatis, locorum, temporis, & hoftium ratione confiderata. Grauiffima eft quidem in earum contemptores epiftolarum conftituta pœna. His itaque uoluntariæ nobilitatis fretus copiis, (quæ fi ex vniuerfa maximi atque opulenti regni ditione, in unum locum conueniant; centum quinquaginta millium equitum, numerum conficiunt) Rex apud Polonos bellum gerit. Quod fi tam numerofo auctus equitatu, in alienas regiones proficifci ftatuerit; fingulis nobilibus uiris, quinos aureos nummos in haftam ftipendium foluere cogitur. Multi autem funt apud Sarmatas optimorum militum præftantiffimi ordines. Exercitus quidem fere omnes, ex equitibus & peditum legionibus conftare folent. Equites alii fplendentibus protecti armis; equos ad ftatariam pugnam idoneos habentes, quorum anteriora ferreis laminis tegunt, Cataphracti appellantur. Hi primum haftis, deinde duobus gladiis, altero oblongo & quadrato, quo punctim; altero autem incuruo & breui, quo cæfim feriunt; committere prælium confueuerunt. Pixidibus etiam breuibus Germanico, & ferreis clauis Vngarico more, cum opus eft rem gerunt. Clypeis quoque corpora tegunt. Alterum leuis armaturæ equitum genus, vfitato apud Polonos, & Vngaros, nomine Vfarorum nuncupatur. Ifti loricati galeatique fere omnes, uelitares haftas, & clypeos Turcarum inftituto deferunt. Curuaris enfibus vtuntur. Quidam arcubus Scytharum more, nonnulli etiam breuibus fcloperis hoftem petunt. Poftremum equeftris militiæ genus, Cofacorum vulgo appellatum, frigoris, inediæ, laborisque patientiffimum eft. Cofaci

ad instar fere Tartarorum leuissime omnium armantur. Equos perniciſſimos habent, & exercendis minutis prœliis aptiſſimos. Ephippia equorum in eum uſum accomodata; vt ſe in omnes partes nullo negotio uertere, arcumque ſtringere queant. Arcubus potiſſimum pugnam ineunt, & frequentiſſimo ſagittarum imbre uiros, & equos ſimul conficiunt. Acinacibus ſcythicis accinguntur. Haſtas quoque breues habent. Magna iſti, cum inimicas aggrediuntur regiones, ferro, & flamma omnia miſcentes, itinera faciunt. In celeritate, & ſalus exercitus, & uincendi tota ſpes collocatur. Deferunt ſecum in vaſtis Podoliæ ſolitudinibus, in quibus cum Tauricanis Tartaris continenter bellum gerunt, in ſacculis quibusdam, panem, carnem ſuillam ſalſam, ſal mixtum pipere. Præterea unusquisque habet ſecurim, fomitem; vt ſi quando ferarum, quarum in illis deſtitutis, habitatoribus campis ingens eſt copia, conficere contigerit, tum ignem excutiant, & conditam ſale pipereque prædam coquant. Solent etiam Poloni, peditum legiones, in quibus pars ſcloperarii, pars etiam ſunt haſtati, conſcribere; & ad longinquum bellum ſecum deducere. Quibus validus, & numeroſus omnis generis tormentorum apparatus, commendatur. Eorum etiam opera uniuerſo exercitui itinera ſternuntur, extruuntur pontes, atque ipſæ denique vrbes, & arces oppugnantur. Neque inacte inutilis prorſus eorum uirtus iudicatur. Equitatui tamen vniuerſi Sarmatæ maxime confidunt; peditatus non tantopere vt apud Italos, & Hiſpanos æſtimatur. Verum ubi totius exercitus uires in unum locum conuenerunt, perpetuo carrorum munimento caſtra uallantur; portis aliquot ad inſtar alicuius Ciuitatis adapertis; in quibus æneárum machinarum magna uis, collocatur. Sarmatæ enim ingentem quadrigarum numerum, quibus homini iumentoque uictus fertur, ad longinquum bellum ſecum ducere: & in multos dies propter longitudinem itineris, & locorum ſterilitatem, commeatum prouidere conſueuerunt. His itaque perpetua ſerie catenatis, tanquam firmiſſimis quibusdam propugnaculis caſtra muniuntur. Hæc eſt apud Polonos belli gerendi ratio. Magnam quoque conſecuti ſunt bellicæ laudis exiſtimationem; plurimis, & difficillimis expeditionibus. Bohemos enim, Boleſlao primo eius nominis, optimo & fortiſſimo Rege duce; capta eorum metropoli Praga, cæteriſque urbibus ad deditionem compulſis, imperio ſuo parere coegerunt: pulſoque gentis Principe, Boleſlao, Vldericum alterum ipſius filium, iure beneficiario præeſſe vniuerſæ prouinciæ, iuſſerunt. Anno Chriſti milleſimo tertio. Roxolani etiam gens fera, & bellicoſa, eiusdem Regis auſpiciis, apud Axiacen fluuium memorabili prœlio ſuperati; bisque iterum bellum renouantes fuſi. Kiiouia, Roxolaniæ regia celeberrima olim vrbs, cuius amplitudinem, ſplendorem, & elegantiam prope incredibilem, ingentes adhuc ruinæ teſtantur; admirabili Polonorum uirtute conterrita, in poteſtatem Regis Poloni conceſſit, eius victoriæ vt perpetua extaret apud poſteros memoria, tres ferreas columnas, Boleſlaus Rex in Boryſthene fluuio collocauit: Anno milleſimo octavo. Memorabilis eſt, & illa fortiſſimi Regis expeditio; qua ſuſcepto aduerſus Saxones bello, omnem illam regionem ad Albim, & Salam fluuios, & Cherſoneſum Cimbricam, quæ hodie Dania uocatur, incredibili celeritate ſub Imperium ſuum ſubiunctam, poteſtatis ſuæ fecit. Vrbes illius prouinciæ maximas, ſolo æquauit; gentem vniuerſam ad accipiendam Chriſti doctrinam compulit. Poſtremo fixis, memoriae cauſa, in Salæ ripa tribus ferreis columnis, victor cum uictoribus Polonis in Sarmatiam rediit, Anno Milleſimo duodecimo. Neque minori uirtute aut felicitate, ferociſſima, & Chriſtiano nomini inimiciſſima Pruſſorum gens, quæ aliquot ante annis. D. Adalbertum Archiepiſcopum Gneſnenſem trucidauerat; Polonorum armis ſubacta. Eius enim ulturus necem Boleſlaus Rex, cum omnem illam regionem, una cum maximi roboris exercitibus, hoſtilem in modum peruagatus eſſet, ad extremum ſupplicibus Pruſſis, & tributa ſoluere promittentibus, pacem dedit: neque aliam pœnam uictor impoſuit uictis;

fuit victis; quam vt repudiato falsorum Deorum cultu, & abiecta superstitione, Christo Deo initiarentur. Huius victoriæ monimentum bellator inclytus ferream columnam in Ossa flumine locauit, anno paulo post millesimum duodecimum. Boleslai secundi Regis, singularem eximiamque virtuten tacitus præterire non possum; qui post susceptum regnum, anno millesimo quinquagesimo octauo, non multo interiecto tempore eosdem Prussos, Polonorum vectigales, iugum Polonicum excutere conantes, non longe ab Ossa fluuio, insigni prælio deuicit, agros hostium cadaueribus strauit, fluuios eorum sanguine infecit; deuictos in fidem, & clientelam Polonorum recepit. Post confectum Prussicum bellum, fortissimus Rex, ANDREAM Vngarorum regem, ad Tybiscum siue Cyssam amnem (qui e Sarmaticis montibus, qui Hungariam a Polonia diuidunt, ortus in Danubium effunditur) cum maximis Germanorum, & Bohemorum auxiliaribus copiis, ad internecionem profligauit; Belam Vngariæ Ducem, Andreæ Regis fratrem, cuius causa illud bellum susceperat, in paterno, & auito Hungarorum Regum solio liberaliter collocauit. Sed & Roxolanos, Sarmatiæ populos, cum antea quoque sola nominis, & exercitus sui fama fugere coegisset; Kiouiamque eorum metropolitanam vrbem receptam, Iaroslao gentis Duci reddidisset, anno demum millesimo septuagesimo quarto, cum validissimis, & numerosissimis eorum turmis deleuit. Kiouiam maximam, & frequentissimam totius Sarmatiæ vrbem, quæ ab illius fide etiamnum discesserat, diuturna obsidione ad deditionem compulit. Ingrediens autem cum victore exercitu, in portam vrbis ferream, gladium vibrauit: quod proauum item suum fecisse acceperat. Atque ex eo tempore Roxolania, amplissima, & feracissima Europæ regio, Polonorum vectigalis facta. Quod si mihi Boleslai eius nominis tertii, Polonorum monarchæ, æternis dignissima laudibus bella, in vnum angusti operis volumen concludenda essent; incredibilem apud omnes nationes admirationem excitarent sui. Sed nunc breuior esse cogor. Dicam tamen, id quod ab optimis auctoribus memoriæ proditum est: singulari, & prope incredibili huius principis virtute, Henricum quintum Romanorum Imperatorem, apud Vratislauiam, Silesiæ metropolim, acie fusum, castris etiam exutum esse. Cum enim Henricus Cæsar, vano, & insolenti animo, Poloniam sub imperium suum subiungere meditaretur: iamque aliquot Polonicæ ditionis munitiones occupasset; Boleslaus cum prius præstolando auxiliares suorum copias, vniuersam prælii fortunam detrectasset: ad extremum cum ab Imperatore iniustas sibi, & Polono nomini indecoras pacis conditiones præscribi animaduerteret: collatis signis, cum potentissimo Cæsaris exercitu conflixit, & victoriam longe memorabilem, deletis hostium copiis ipsoque Cæsare in fugam acto, reportauit, anno Christi millesimo centesimo nono. Locus vbi pugnatum est, caninus campus ad hodiernam vsque diem ab incolis appellatur. Germani enim insepulti, canibus cibum præbuerunt. Cum autem ingens ad eum locum canum numerus, ex circumuicina regione, ad deuoranda cæsorum cadauera confluxisset; difficilem viam pauco hominum comitatui faciebat. Qua propter planicies illa, quæ quinque millium passuum interuallo, ab vrbe distat Vratislauia; ab Germanis, & Polonis, caninus campus nuncupatur. Nihil nunc dico quomodo Dania, siue Dacia quæ etiam Cimbrica Chersonesus dicitur fortissimi principis auspiciis, atque ipsis victricibus Polonorum armis sit perdomita. Verum vt omnia planius percipiantur, exordium susceptæ expeditionis, repetendum esse nobis paulo longius videtur. Erat apud Boleslaum Petrus quidam Comes, illustri apud Danos ortus familia, cuius pater Guilhelmus, summis erat apud Henricum Danorum Regem præpositus regni gubernaculis. Forte autem accidit, vt Henricus Rex scelestissimis fratris Abeli manibus trucidaretur. Scribit Guilhelmus ad Petrum filium, in Poloniam, vt cum aliquanta militum manu quam primum accurrat: gazam regiam, quam tunc in potestate habebat,

te habebat, auferat; ne ab immanissimo parricida raperetur. Petrus quod per se ipse præstare non poterat, non difficulter Boleslao persuasit; vt is propagandæ Polonici nominis gloriæ causa, eam expeditionem susciperet. Classe itaque apud Dantiscum maritimam Prussiæ vrbem, comparata; Boleslaus secundà vsus tempestate, in Daniam delatus est. Expositoque in terram exercitu, cum prius etiam Danorum procerum voluntates sibi conciliasset; vniuersam in suam redegit potestatem: interfectore Henrici regis in turpissimam fugam acto. Et vt singulare victoriosissimi monarchæ, apud exteras gentes clementiæ extaret monumentum: totam Daniam, quam in manibus habebat, sua sponte Danorum genti reddidit; regisque creandi illi potestatem fecit. Atque ita rebus omnibus ex animi sententia confectis, ingentique thesauro secum ablato, victor in Poloniam reuertit, anno Christi vicesimo quarto supra millesimum centesimum. Verum, vt ceteros taceam fortissimi Ducis triumphos, (neque enim me Polonorum res gestas, sed potius Poloniæ imaginem quandam scribere profiteor) vnus omnium, qui apud Polonos regnarunt, quadragies septies acie victor Boleslaus, totidem quoque vicibus, de omnibus fere Polonici nominis hostibus triumphauit. Sic vt antiquis Ducibus, Alexandro Asiæ domitori, C. Tullio Cæsari, Pompeio, Anibali, rerum gestarum gloria, non modo exæquandus; verum etiam anteferendus esse videatur. Neque mihi hoc loco singularem omniumque sæculorum prædicatione dignissimam, Vladislai Loctici regis virtutem, prætereundam existimo, qui maximas easque virtute bellica præstantes Marianorum militum Prussiensium copias, impari suarum manu, apud Blerum, maioris Poloniæ pagum, deleuit, anno millesimo tercentesimo tricesimo primo. Fuerunt exinde res gestae, Vladislai primi ex familia Iagelloniorum regis illustres; qui et pietate et virtute bellica insignis, pæclaram ab se maximæ victoriæ memoriam reliquit. Germanos enim Teutonicæ militiæ religionem professos, ingenti pugna victos, cæso in acie VLRICO, magno religionis magistro, apud Gruneualdum Prussiæ oppidum, ad ad internecionem profligauit: quo in prælio quinquanginta hostium milla trucidata esse, capta item quadraginta millia memoriæ proditum est. Annus quo hæc acta sunt millesimus quadringentesimus decimus, post pactum Virginis fuit. Ex ea victoria Prussia fere vniuersa, Prutenicæ militiæ equitibus erepta; in potestatem regis Poloni concessit. Quid ego hic singularem, et prope diuinam Vladislai secundi ex Iagellonum gente, Vngariæ, et Poloniæ regis, virtutem commemorem? qui in ipso iuuenilis ætatis flore Polonorum creatus Rex, ab Hungaris etiam ad regnum adscitus, plurimis, et difficillimis cum Turcis præliis, immortalem sui nominis famam, posteritati consecrauit. Atque in primis (vt reliqua, quæ per Duces gessit, prætеream) in montis Hemi vallibus, cum Amurathis secundi Turcarum regis Duce Carambeio, summa virtute, maximaque Polonorum militum laude conflixit; cæsoque Turcarum exercitu, atque ipsó Carambeio capto, de hostibus christiani nominis acerrimis, amplissima trophæa Christo Deo dicauit. Hoc in conflictu pedites Poloni, cominus cum Turcis pugnantes, equorumque hostilium inguina breuibus quisbusdam contis suffodientes equitibusque ipsis crura præcidentes, bonam suo regi operam nauarunt, anno Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio. Fecit posthæc anno proxime subsequuto pacem cum Amurathe Vladislaus, et quidem grauibus Turcarum genti conditionibus. Dimissus etiam Carambeius, precio quinquaginta millium Ducatorum redemptus. Verum ea pax diuturna non fuit, cum eam Vladislaus, in gratiam Ioannis Palæologi, imperatoris Constantinopolitani, Eugenii Pontificis, Philippi Burgundiorum Ducis, et Venetorum violasset. Quamobrem pugnatum est denuo, apud Varnam ciuitatem, antiquitus Dysionopolim vocatam, cum Amurathe Turcarum Tyranno; maximis Polonorum, et Hungarorum viribus, vbi Rex ipse Vladislaus, fortissime dimicans, cum vniuerso quem circa se habebat Polonæ nobilitatis robore, cecidit: Vngaris vna cum Ioanne Hunniade Matthiæ regis patre, bona ex

parte

parte fuga dilapsis. Plures tamen ex Turcis, quam ex nostris eo in prælio occubuerunt. Perpetrata est hæc Christianorum strages anno salutis humanæ millesimo quadringentesimo quadragesimo quarto. Fuit, et longe insignis, Casimiri eius nominis tertii regis, in Silesiam aduersus Matthiam Vngarorum regem suscepta expeditio; non tam vlla memorabili parta victoria, propter Polonos proceres Matthiæ regis auro corruptos, quam ingenti copiarum mole. Quae ex Polonis quidem sexaginta bellatorum millia, ex Boëmis autem qui Vladislaum Casimiri filium, regem suum sequebantur, viginti millium numerum constituebant. Verum hoc bellum pactis inter reges induciis diremptum est circiter millesimum quadringentesimum septuagesimum quartum, ab orbe redempto annum, secuta est exinde memorabilis Ioannis Alberti Regis, aduersus Turcas Christianæ religionis hostes expeditio; et quidem infeliciter, cum parum absuerit, quin ab Valachis, quos in societatem belli trahebat, fere circumuentus esset. Stephanus enim eius gentis Dux, indigne ferens se ab rege oppugnatum, et prouinciam suam fere vniuersam euastatam esse; cum Rex nulla re memorabili contra Turcas gesta, per Bucouinam filuam reuerteretur, ex insidiis regium exercitum maximo affecit incommodo; vbi plerique ex nobilitate Polona desiderati sunt. Habebat autem tunc Rex (annalium Polonicorum testimonio) in exercitu octoginta millia pugnatorum; exceptis lixis, et aurigis, qui dimidium eius numeri conficiebant: carrorum vero, quibus castra vallantur, triginta millia. Quod quidem eo lubentius retulimus, vt ea, quæ de summa regis Poloni potentia dicta sunt, non ex vulgi opinione, sed ex ipsis historiarum monumentis confirmationem habeant: Neque tunc sane totius regni Sarmatici vires in vnum locum coiuerant. Aberat enim fortissimus leuis armaturæ Lituanorum equitatus; desiderabantur magni roboris Prussorum phalanges: Masouii etiam paucis exceptis domi se continebant; Liuonienses nondum in potestate regis Poloni erant; qui si Ioannem Albertum secuti fuissent, regius exercitus dubio procul ducentorum armatorum millium numerum superasset. Annus quo Ioannes Albertus rex, cum Valachis infeliciter pugnauit, millesimus quadringentesimus nonagesimus septimus fuit. At Sigismundus primus Poloniæ Rex, rei militaris peritia, magnitudine animi, et felicitate rerum gestarum, veterum imperatorum gloriam æquauit. Basilium enim potentissimum Moschouitarum Ducem, superato Borysthene, Duce Constantino Ostrogio, apud Orsam oppidum, cum maximis eius gentis copiis profligauit: ita vt cæsorum numerus ad quadraginta fere millia, captorum vero ad quatuor millia peruenerit. Accidit autem hæc Moschorum clades, anno Christi millesimo quingentesimo decimo quarto. Huius victoriæ gratia decretæ fuerunt, ab Leone decimo, Pontifice optimo maximo, in vrbe Romana supplicationes: publica totius vrbis gratulatione, veluti deuictis cæsisque Romanæ Ecclesiæ hostibus. Neque vero hoc primum aut postremum præstantissimæ suæ virtutis facinus fuit. Scytas enim Roxolaniam prouinciam ferro, et igne vastantes, apud Visniouecium castellum superauit: Valachos, auxiliaribus Turcarum copiis instructos, Ioanne Tarnouio duce, ad Obertinum deleuit. Moschouitas iterum, capta atque euersa arce Starodupo, ingenti strage deuicit: Prussiam mandata ipsius detrectantem maximo bello perdomuit. Et vt multa paucis complectar, tot sunt huius regis victoriæ, quot regni Poloniæ hostes: tot item triumphi, quot ab eo barbararum gentium deleti exercitus: ita vt Sigismundi beneficio, deletis circumquaque hostibus, tunc primum Polonia exoptatam pacem nacta sit. Postremum fuit nostra memoria illustrium apud Polonos expeditionum opus Sigismundi secundi Augusti regis, susceptum aduersus Liuonienses Cruciferos bellum, quod quidem propter incredibilem regiarum copiarum numerum, (centum enim millia bellatorum in exercitu habere ferebatur) non Polonorum modo, sed etiam externorum oculos, qui eo contemplandi causa confluxerant, summa affecit admiratione. Tanta ergo regii exercitus mole, magnus Liuonicæ

militiæ magister Firstenbergus conterritus, ad regem in castra venit supplicisque habitu ad genua regis prouolutus, veniam deprecatus est, et se suaque omnia in potestatem regiam vltro dedit. Sed nos longius quam instituerامus prouecti sumus; scilicet, vt exteri homines intelligerent, Polonos, et rei militaris peritia, et numero militum, et rerum gestarum gloria omnibus omnium ætatum temporibus semper floruisse.

DE VBERTATE POLONIÆ

CAPVT XIII.

Regio Poloniæ in vniuersum plana, et campestris, siluas quoque frequentissimas habet; quibus nihil ad amoenitatem, vel ad vsum potest esse præclarius. Fluuii celebriores, et ad deferendos lintres idonei, Vistula, Odera, Varta, ingentem piscium copiam suppeditant. Salmones, et Sturiones, nobile piscium genus, Vistula præbet. Visuntur passim et crebri lacus, piscatura illustres. Ex piscinis arte hominum effossis, in quibus aggeribus terræ quibusdam aqua continetur; piscium multitudinem ferme incredibilem expiscantur. Vnde magnæ incolis opes. Aquas calidas sanandis corporibus humanis vtiles Polonia non habet. Siluæ venationem ceruorum, aprorum, damarum, vrsorum, luporum, vulpium, castorum, martum, et leporum affatim subministrant. Apes in ipsis arborum cauis, probatissima mella conficiunt. Campi tritici, siliginis, hordei, millii, lini, cannabi, et omnis generis leguminum, admirabilem producunt copiam. Ferax est optimorum fructuum; Ficus, amygdala, castaneæ nuces, aurea, citria, et Punica mala, limones, et capparæ desiderantur. Porro quidquid aucupio capitur, et quod ad mensas delicatiores expetitur, nihil est quod in Polonia desiderare possis. Turdi, anates, pernices, anseres, cothurnices, grues, leuissimo precio distrahuntur. Capitur quoque auis subnigra puniceis superciliis, quæ incredibili pulparum sapore, Phasianorum excedit dignitatem. Hæc *Plinio*, *erythrotaon*, Polonis, *Cietrzew* vocatur. Gallinæ, capones, non minus plebeiorum, quam nobilium virorum epulæ censentur. Maioris minorisque pecoris incredibilem copiam, in exteras regiones, Germaniam, Boëmiam, et Morauiam Polonia mittit. Equorum pernicium greges, propemodum infinitos alit. Eos regio edicto ex prouincia abducere minime licet. Reperiuntur, plumbi, argentique simul, æris, cupri, optimique ferri secturæ: Sed nullum tota regione gemmarum, vel preciosi lapilli vestigium Sal candidum, optimique saporis, in profundissimis terræ cauernis, saxorum in morem exscinditur. Ex quo magnum regi Polono vectigal. Aurum etsi inueniri posset, negligentia tamen incolarum non eruitur. Habet Polonia præstantissimi generis cæruleum colorem, vulgo *Lazurium* vocant, necnon sulphuris, aluminis, vitriolique venas. Vino, oleoque natiuo caret, quod ab externis populis petit. Creticum subdulce ex Græcia, partim terrestri itinere per Valachiam, et Roxolaniam: partim etiam per immensum Oceanum eductum Creta per Gaditanas fauces aduehitur. Vites in selectioribus hortorum agris voluptatis gratia plantantur. Ceræ mellisque, quod non tam in manufactis agrestium aluearibus, quam in ipsis arborum cauis conficitur, ingens est copia. Frumentum omnis generis, asseres pro fabricandis nauibus, picem; cineres pretiosos, ex quibus selecti fiunt colores, linum, cannabum, lanas, coria animalium, massas ceræ ingentes, Poloni, secundo Vistula flumine, Dantiscum quotannis mittunt. Ad eam vrbem, quæ ab littore maris Balthici quinque millium passuum distat interuallo; vbi Vistula magnam aquarum molem secum trahens in Oceanum euoluitur; ex remotissimis Lusitaniæ, Galliæ, Flandriæ, Hollandiæ, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæ, Suetiæ, Noruegiæ, Daniæ, Germaniæque prouinciis mercatores commeare solent. Obseruatum est autem, ducenta, et tercenta maiora,

maiora, & minora mercatorum nauigia, vno eodemque tempore Dantiscum appulisse. Omnes fere exportandarum frugum gratia potissimum veniunt, quas Polonia ceteræque regni Poloniæ prouinciæ, tot terrarum orbis regionibus abunde suppeditat. Vicissim autem Poloni, ab illis gentibus, aromata omnis generis, saccharum, vuas passas, ficus passas, aurea, citria & Punica mala, Oliuas conditas, Limones, capparas, amygdala, anisum, cumetum, coriandrum, haleces, oleum balenæ, ceteraque eiusmodi: pannos item preciosos, plurimam vestem sericam, nobilesque telas, gemmas quoque, & vniones, aurum denique ipsum signatum accipiunt; quæ omnia tot bona Polonis natura inuidit.

IOANNIS CRASSINII
POLONIAE LIBER II.
DE LITHVANIA
De moribus, origine, & sacris Lithuanorum ritibus.

CAPVT I.

SUperiori libro satis, vt arbitror, dictum de Polonia, & vniuersa Reipublicæ Polonæ administratione. Superest, vt, quemadmodum propositi nostri exigit ratio, de singulis Poloniæ regno contributis prouinciis, disseramus. Regio est in Sarmatia Europæa, & singulari vbertate agrorum, & omnium rerum ad tuendam hominum vitam pertinentium opima, Lithuaniae nomine appellata: Moscouitis, Liuoniensibus, Roxolanis regiis, Prutenis, Samogitis, & Masouiis contermina. Vasta quidem, & campestris, pabulique ferax, sed nemorosa; æstate autem pluribus in locis palustris: Niuibus enim (quod in regionibus frigidis vsu venit) ardore solis colliquatis, & resoluta per omnes campos glacie, agri passim in paludes abeunt. Fluuios illustriores, & ferendis lintribus aptos, Chrononem, Naruam, & Beresinam, in quibus incredibilis est piscium copia, habet. Sunt & vastæ magnitudinis lacus, piscium omnis generis feracissimi. Triticum, siliginem, & omne genus leguminis, vsque ad abundantiam Lithuania producit. Mel, ceram, cinerem faciendis coloribus idoneam, picem, asseres ad fabricandas naues, ipsas denique fruges, secundo flumine Narua, qui in *Vistulam* effunditur, Dantiscum maritimam Prussiæ vrbem quotantis mittit. Vitibus Lithuani carent, neque vllam vinearum exercent culturam. Potus genti communis, vt Polonis, birra, atque cereuisia, ex tritico, vel hordeo decocta. Præstantissimus medo ex melle lupuloque coctus, in conuiuiis circumfertur. Nobiliores, & opulentiores, vino ab externis accepto vtuntur. Nulla auri, argentiue, vel ignobilioris metalli tota regione vena, ferro excepto. Sale natiuo caret, quod ab externis petit. Vno nobilissimarum pellium beneficio, tot negata naturæ iniuria commoda sarciuntur. Martum enim, castorum, Hermelinorum, Aspreolorum, nigrarum, & albarum vulpium, luporum, panterarum vrsorumque pelles, Lithuani in omnem Europam mittunt. Hercinia silua bonam Lithuaniæ partem occupat. Ea immanibus feris præter eas, quæ in Germania, Polonia, Italia, Galliaque reperiuntur, plenissima; iubatos bisontes ferocissima taurorum specie, cornibus quandoque sic diductis, vt tres proceræ staturæ viros, eorum interuallum capiat: Alces item ceruina effigie, colore tamen ad albedinem inclinante, & cornibus nonnihil differentibus producit. Alces pernicissime currunt, verum ad instar equi gradarii. Caro bisontis, & alcina, inter delicatioria obsonia apud Polonos, & Lithuanos apponitur. Sed ex pellibus alcinis optimi conficiuntur thoraces; quibus Poloni, & Lithuani milites in bello vtuntur. Vngulæ alcinæ, si recte, & statis temporibus abscindantur; certissimum aduersus comitialem morbum antidotum præbent. Habet Lithuania equos siluestres, habet & ingentis magnitudinis vrsos; quos ioculatores

latores ab ineunte ætate saltus quosdam, & choreas edoctos per omnem fere aquilonarem regionem cicumducunt, lucri gratia. Auium quæ aucupio capiuntur incredibilis est numerus. Gallinæ, capones, anates, anseres, ceteraque ad victum pertinentia exiguo veneunt precio. Maioris, minorisque pecoris summa est copia. Volunt Lithuanos Romanorum exules esse. Neque id omnino fabulosum est, cum eorum lingua, non paucas habeat admixtas Latinas voces, corruptas tamen magisque Italicum, aut Hispanicum sermonem, quam Latinum, redolentes. Nonnulli Libonem aliquem Romanum, ad ea littora maris Balthici, quæ ad orientem solem spectant, & Roxolanis finitima sunt, appulisse, & prouinciam de suo nomine Liboniam, seu Liuoniam appellasse suspicantur. Atque inde dilatatis finibus eosdem Romanos, qui Libonem secuti erant, magis corrupto vocabulo Lithuanos appellatos, alios qui in Prussiam secesserunt antiquum Prussorum nomen retinuisse. Lithuani enim, Liuonienses, & Pruteni, si de antiquis earumque regionum incolis loquendum est, eadem fere lingua vtuntur. Nam qui in Prussiam, & Liuoniam posteriori tempore colonias deduxerunt Germani, Teutonicum sermonem propagarunt. Quam ob rem valde mihi errasse videntur illi, qui Lithuanos omnes Slauonica lingua vti scripserunt. Verum quidem est, nobiliores Polonicum, & Roxolanicum sermonen vsurpare: sed plebs peculiare Lithuanicum idioma habet. Quidam ex eo Lithuanos Romanorum exules esse contendunt, quod Lithuaniæ nomen, paucis immutatis literis appellationi Italiæ non absurde conueniat. Quomodocunque res se habet, nos quando hæc Romanorum migratio extiterit, dicere non habemus. Cæterum Lithuani, cultu corporis, genere armorum, ipsis denique moribus, nihil fere a Polonis differunt. Equitatu maxime valent. Vnde magna regi Polono auxilia. Equorum, & hominum tanta multitudo, vt eos posse conficere quadraginta equitum millia ab expertissimis prouincialibus acceperimus. Equi eorum elegantes, robusti, & velocissimi habentur. Raro illis est quies, nam continuum fere cum Moscouitis de finibus bellum gerunt. Vnam, & eandem Reipublicæ administrationem, eosdemque cum Polonis magistratus habent. Nobilitas tamen vniuersa, secus atque apud Polonos, Ducum, Comitum, Baronum, Equitumque titulis comprehenditur. Poloni enim præter equestrem dignitatem, ceteras veluti antiquo gentis instituto odii plenas, detestantur. Magnæ proceribus Lithuanis opes, nec desunt qui vel exercitum aliquandiu alere possint. Vnde ridiculum est, quod ab aliquibus memoriæ proditum reperitur; nullum esse apud eam gentem pecuniæ vsum. Duces proceresque insignes hodie apud Lithuanos censentur. Dux in primis Slucensis, qui incredibili priuatarum opum apparatu, vel aliquibus Italicis Germanicisque principibus exæquari potest. Duces item ex illustrissima Radiuilorum familia; ex qua Sigismundus secundus Augustus Rex, lectissimam feminam Barbaram vxorem duxit. Eius gentis lumen singulari ingenii atque prudentiæ laude, nunc floret, Nicolaus Radiuilus, Dux de Olika, iuuenis omnibus belli pacisque artibus apprime instructus. Magna quoque est clarissimæ Chotkieuiciorum Comitum gentis, apud Lituanos dignitas: in qua comes Ioannes Chotkieuicius, summus magni Ducatus Lithuaniæ Mareschalcus, Samogitiæ prouinciæ Capitaneus, & amplissimi principatus Liuonici regio nomine gubernator, veluti iubar quoddam vniuersæ Lituaniæ lumen subministrat. Cuius viri tanta est in rebus gerendis dexteritas, tantæ sunt opes, vt haud sciam, an aliquis in amplissimo regni Polonici senatu inueniatur; in quem natura tot ingenii fortunæque bona contulerit. Sed quanto præstantior est Principum, nobiliumque Lithuanorum auctoritas; tanto deteriori plebs vniuersa conditione censetur. Nam vt quisque seruorum caterua stipatus, agricolæ alicuius ædes ingreditur: impune quiduis agere, & agricolam ipsum pulsare licet. Colonis ad dominos absque muneribus aditus non patet: domini agricolas, & laboribus quotidianis,

nis, & grauibus torquent exactionibus. Vltimi omnium Europæ gentium, qui repudiato falsorum Deorum cultu Christo Deo descripti sint, fuere Lithuani, Vladislai primi Iagellonis regis tempestate, qui cum magni Ducis nomine vniuerse imperitaret Lithuaniæ, a Polonis ad regnum adscitus, abiecto gentilium ritu, sacro fonte ablutus, vniuersam illam gentem, Christianis sacris sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ more initiari curauit, anno millesimo tercentesimo octogesimo septimo; sed nunc plerique, Roxolani maxime incolæ, introductum olim Græcorum ritum sequuntur, Episcopis eius sectæ obtemperantes, qui ab Constantinopolitano Patriarcha suam petunt confirmationem. Irrepsit etiam iu Lithuaniam patrum nostrorum memoria, omnium fere hæresium fex, magno Reipublicæ Christianæ detrimento. Sunt tamen hoc tempore in illa prouincia viri religiosi ex societate nominis Iesu, qui vberes in vinea domini quotidie edunt fructus. Eorum enim opera, Lithuania, pertinaces Græcorum opiniones repudiare, & insulsos hæreticorum errores bona ex parte abiurare cœpit.

DE NOBILIBUS LITHUANIÆ VRBIBUS.

CAPUT II.

Vilna illustrissima in Lithuania vrbs, & totius prouinciæ metropolis intra colles, vbi Velia, & Vilna flumina miscentur: & descriptione ædificiorum, pulchritudineque & populi frequentia, amplitudine ipsa, singulas quidem Lithuaniæ ciuitates superat, cum ceteris vero nobilioribus septentrionis vrbibus, dubio proculpotest comparari. Duas arces habet maximis Lithuanorum principum sumptibus constructas, magnitudine operum, & ædificiorum splendore conspicuas. Multa per vrbem insignia diuorum templa, plurimæ superbae in singulis ciuitatis regionibus, procerum, nobilium, ciuiumque ædes. Est enim & magnorum Ducum, & Episcopi sedes. Episcopum primus in ea Vladislaus Iagello, Poloniæ Rex, instituit, multis Episcopo & vniuerso ecclesiastico ordini attributis diuitiis, anno salutis humanæ millesimo, tercentesimo octogesimo septimo. Sunt & pleraque religiosorum virorum cœnobia; sed Franciscanorum obseruantium, omnia eius vrbis opera antecellit. Plura in vniuersum Roxolanorum, qui Græcanicos ritus sequuntur, quam Romanæ obedientiæ templa. Floret hodie Vilnæ collegium Societatis Iesu omni optimarum disciplinarum genere; ab Valentino eius vrbis Episcopo institutum. Doctorum hominum, qui publice bonas litteras profitentur, & nobilium scholasticorum ea frequentia, vt non scholam aliquam priuatam, sed florentissimam Academiam dixeris. Est enim ea ciuitas, multa omnium rerum commoditate insignis. Mercatorum atque opificum omnis generis, & ex omni gente incredibilis numerus. Rerum in foro venalium ea copia, vt vel maximus exercitus non difficulter sustentari queat. Victualia ære veneunt exiguo, si ceterarum regionum sumptus æstimaueris. Palatinus Vilnensis militarium procerum Lituanorum, in senatu regni est princeps. Castellanus inter maiores regni consiliarios numeratur; Præfectus ciuitati, regio & magni Ducis nomine, præest. Prope Vilnam Tartari, gens Scythica, supra Vacam amnem agros colunt; Mahumethanae superstitionis asseclae. Eos Vitoldus Lithuaniae Dux ex media Scythia abductos, cum vxoribus, & pueris, in media Lithuania collocauit: Christianae salutis, millesimo tercentesimo nonagesimo sexto. Viuunt ii suis legibus, & ex aequo cum Lithuanis magni Ducis imperium agnoscunt. Boni sunt patres familias, neque rei militaris ignari. Conscribuntur aliquot ex eorum numero turmae, quibus Rex in bello vti consueuit. Caeterum Lithuania præter Vilnam plerasque non ignobiles haber ciuitates, & oppida cum castris nobilissima: quae si mihi singula percensenda essent, aliud me scribere volumen necessum esset. Ex hoc manifestum est, falsam esse eorum opinionem, qui rara in Lithuania oppida,

quam reluctantibus, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo. Erepto e rebus humanis Vladislao rege, Casimirus non modo apud Lithuanos principatum stabiliuit; verum etiam a Polonis Rex electus, regio diademate insignitus est, anno millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo Extincto Casimiro rege, vniuersi Lithuanorum ordines, Alexandrum filium patris morientis mandato, Ducem sibi creauerunt, qui postea prosperiori vsus fortuna, Ioanni Alberto regi, in regnum Poloniæ successit, anno millesimo quingentesimo primo. Alexander, Rex Poloniæ regnum, & magnum Lithuaniæ Ducatum, morte sua Sigismundo fratri reliquit. Sigismundi primi regis regnum, vna cum vniuersa Lithuania, Sigismundus Augustus filius excepit. Qui, cum nostra memoria, magnum Lithuaniæ Ducatum, arctiori quodam societatis vinculo cum amplissimo Poloniæ regno copulare, & antiqua inter Polonos, & Lithuanos pacta renouare cuperet; indictis Lublinum, Roxolaniæ ciuitatem, generalibus totius regni comitiis, de amplissimi consilii sententia legem tulit, vt Lithuania deinceps regni Poloniæ prouincia: & ex Lithuanis, & Polonis, sub vno rege, vna gens esset. Adde, vt Rex Polonus, vtriusque nationis suffragiis in Polonia eligeretur: & qui in regem Poloniæ electus esset, is etiam magni Ducis Lituaniæ titulum, & vniuersam Lithuaniam obtineret. Ex quibus omnibus satis quisque intelligere potest; regem Polonum non immerito magni Ducatus Lithuaniae dominatum vsurpare; cum singulari primum Iagielloniorum regum beneficio, qui legitimi Lithuaniæ Duces, & hæredes fuerunt; deinde etiam summa, & constanti omnium Lithuaniæ ordinum voluntate, in vnum regni Polonici corpus fuerit redactus.

DE ROXOLANIA.

CAPVT IV.

Russia, siue Roxolania, quam Moschouitæ Roxolanorum populi *Rossiam* antiquitus appellatam volunt; quasi gentem dispersam vel disseminatam, id quod etiam etymologia vocis sonat; quidquid terrarum est, inter mare Balthicum, Liuoniam, Sueciam, oceanum glacialem, Rha fluuium, Mæotim Paludem, Pontum Euxinum, montes Sarmaticos, Poloniam, Lithuaniam, & Samogitiam, complectitur. Quæ quod amplissimis contineatur finibus; in duas regiones, siue in duo imperia diuiditur. Altera est enim Roxolania, quae Carpathios montes non longe ab vrbe attingit Cracouia, & secundum fluuium Tyram, ad Valachorum regionem, ex altera parte ad Borysthenem, & Pontum Euxinum porrigitur; & ad vtramque Axiacis fluminis ripam vergit. Altera, quae vltra Borysthenem ad Tanaim vsque extenditur, & ab Tanei ad Astrachan nobile emporium, vbi a Medis, Persis, Armenis, Schytis, & Moschouitis nundinæ celebrantur. Sita est Astrachan in citeriore Rha fluminis ripa, ad eius fere ostia, scinditur autem Rha fluuius, qui & Volga appellatur, non magno interiecto ab illa vrbe spacio, in septuaginta ramos, plurimasque facit insulas totidemque ostiis nauigabilibus, in mare Hyrcanum euoluitur. Quæ cum ita sint; prior Roxolania, quam regiam appellare libet, regni Polonici pars censetur, illa vero, quæ vltra Borysthenem fluuium ad mare Caspium, & Persarum vsque regna extenditur, magni Moscouiæ Ducis imperio paret. Hæc quam regiam vocamus, Leopoliensi, Lublinensi, Belsensi, nec non Podoliæ, Voliniæ, Kiouiæ, Circassiæ, & Podlachiæ regionibus comprehenditur. Diues est pecoris, cuius tantam nutrit copiam, vt, veluti Bauaria sues, ita hæc boues, & infinitos propemodum ouium greges, multis Europæ nationibus abunde suppeditet. Equi Roxolanici pernicitate, & elegantia, Hispanicis, & Turcicis vix cedunt; robore autem illos longe superant. Cera, melle, & sale Roxolania in vniuersum abundat. Ex melle optimus decoquitur medo. Vino natiuo caret: Habet probati ferri, nec non candidissimi alabastri venas, cetera desiderantur metalla.

talla. Piſcium omnis generis incredibilis copia in quibus potiſſimum incolarum conſiſtunt opes. Lucii, quos etiam lupos appellamus, nullibi plures, aut delicatiores. Tota regio fecunda, ita vt ſemper viliſſimo precio fruges, carnes, ceteraque ad victum pertinentia, ibidem veneant. Nobilium animalium pellibus ſcatet. Venatione ferarum nulli prouinciarum cedit. Reperiuntur in vaſtis Podoliæ ſolitudinibus, biſontes, alces, & equi ſilueſtres; quorum frequentiſſimi greges, cum noctu ad aquas potandi cauſa conueniunt; vel maximos exercitus, quos ibi Rex aduerſus continuas Tauricanorum Tartarorum prædationes alit, falſa hoſtilium copiarum imagine decipiunt. Sunt & circa Boryſthenem oues ſilueſtres, capreolorum ſtaturam non excedentes, curtioribus tamen pedibus, perniciſſimi curſus, & altiſſimorum ſaltuum. Cornua in altum porrecta, quibusdam circulis notata conſpiciuntur: ex quibus Roxolani transparentia cultellorum manubria eleganter conficiunt. Vniuerſa hæc Podoliæ prouincia, multis nobilibus irrigatur fluminibus; lacus piſcoſiſſimos habet: vbertate agrorum omnes totius Europæ regiones ſuperat: nemoribus ſparſim ornatur amœniſſimis. Qua tamen Scythiam reſpicit, magna ex parte habitatoribus caret; ita vt accuſanda ſit noſtrorum hominum negligentia; qui eos ſinunt immanibus feris patere campos, ex quibus homines ingenio, ac induſtria præditi, magnos, & vberes fructus percipere poſſent. Hodie tota regi Polono ſubiecta Roxolania ab Roxolanis, antiquiſſimis eius regionis incolis, & a Polonis, quorum poſteriori tempore deductæ fuerunt coloniæ, excolitur. Roxolani quidem, habitu cultuque corporis, genere armorum, lingua, & moribus, nihil fere ab aliis Slauonicæ linguæ populis diſcrepant. Ante ſexcentos annos, imperantibus apud Græcos Baſilio, & Conſtantino fratribus, Chriſtianis ſacris initiati ſunt, eo potiſſimum tempore, quum Græci antiſtites, ab eccleſia Latinorum diſſentire cœperunt. Quo fit vt Græcorum olim imbuti ſuperſtitionibus, nunc etiam Romanæ eccleſiæ principatum ſuperbe & pertinaciter negare non vereantur. Obſequuntur ſuæ ſectæ epiſcopis, qui ab Conſtantinopolitano patriarcha, confirmationem petunt. Poloni enim, qui in Roxolania degunt, Latinorum ritum ſequuntur, & Latinis epiſcopis obtemperant. Princeps totius regionis ciuitas Leopolis, ab Leone Duce condita, Archiepiſcopum habet Romano Pontifici ſubiectum. Frequens Turcarum, Græcorum, Armenorum, Scytharumque mercatorum ad eam conuentus. Agris exornatur fecundiſſimis, qui fruges, cum nobiliſſimis fructibus, affatim producunt. Piſcium ea copia, vt inde in omnem fere Sarmatiam, magno incolarum lucro mittantur. Verum vbi Roxolani Moldauos ſpectant, Camenecium nobilis cum caſtro ciuitas, & Epiſcopi Romanæ obedientiæ ſedes; non tam arte hominum, quam ſingulari naturæ beneficio inexpugnabilis efficitur. Eſt enim in excelſæ rupis vmbilico conſtructa, foſſas habens profundiſſimas, non humano exciſas artificio, ſed ab ipſa rerum omnium parente natura productas. Saxum ingentis magnitudinis, & mœniorum, & propugnaculorum vicem ſuſtinet. Fuit olim Kiouia, nobiliſſima Roxolanicæ gentis metropolis, quam ampliſſimam, & omni ſuperborum ædificiorum ſplendore olim extitiſſe ornatiſſimam, ingentes adhuc ruinæ, quæ in ruderibus viſuntur, referunt. At nunc amiſſo priſtino dignitatis ſplendore, ciuitas eſt epiſcopalis cum inſigni caſtro, quam Boryſthenes fluuius alluit. Vaſtæ ſunt Kiouienſis regionis ſolitudines; attamen pleriſque in locis feliciſsime excolitur. Palatinus prouinciæ Kiouienſis, cum ſumma in vniuerſa regione poteſtate, magnum quoque in ampliſsimo regni Poloniæ ſenatu dignitatis gradum obtinet. Hodie Palatini munere fungitur, Conſtantinus Oſtrogiæ Dux, vir et inſigni præſtantisſimarum virtutum laude, et rei militaris peritia illuſtris: cuius præclarisſima ſtirps, propago, ab antiquisſima Kiouienſium Ducum domo; qui olim totius Roxolaniæ dominatum habebant, originem ducit. Sed qua Ruſſia Polonis, et Hungaris eſt propinquior, Præmiſlia ciuitas cum arce non ignobilis, et

Epiſcopi

Episcopi sedes conspicitur, quæ ab septentrionali latere *Sano* fluuio, qui ex Sarmaticis montibus, non longe ab fontibus Tybisci oritur, magno incolarum commodo alluitur. Ab ea vrbe, aliquot dierum itinere Lublinum peruenitur, quo loco, stato anni tempore insignes celebrantur nundinæ, ad quas ex variis terrarum orbis prouinciis mercatores Moschouitæ, Lithuani, Tartari, Liuonienses, Pruthe-ni, Roxolani, Germani, Hungari, Armeni, Turcæ, Valachi, atque Ebræi confluere solent. In Volinia frequentissima totius Roxolaniæ prouincia, Luceorium vrbs pontificalis cernitur. Ceteræ ciuitates parum nitidæ. Quare concludendum est, Roxolaniam totius regni Polonici regionem fertilissimam, Russos vero inter omnes Sarmaticas gentes (Polonos excipio) bellicosissimos esse.

QUARE REX POLONUS VENDICAT DUCATUM ROXOLANIÆ?

CAPUT V.

RUssia quos primum ab omni hominum memoria Duces nacta sit, auctores, qui ad nostras peruenerint manus, nun memorant. Etenim barbara Roxolanorum gens, ante susceptam Christi fidem characteribus carebat, quibus præclaræ maiorum res gestæ, ad posteritatem transmitterentur. Eorum quidam annales, in septentrionali Roxolania, quam nunc Moschouiam appellamus; RURICUM, SINAUM et TRUBORUM fratres; in australi vero, quæ modo regni Polonici prouincia censetur, CHIUM, SCIECUM, et CHOREVUM cum sorore LIBEDA, circiter octingentesimum sexagesimum primum, ab orbe redempto annum imperare cœpisse asserunt. Sed quinam hos perpetua successionis serie sint consecuti, difficile est, in tanta scriptorum inopia, ex obscuritatis tenebris eruere. Hoc tamen ab optimis auctoribus memoriæ proditum est, fuisse olim apud Roxolanos viros principes; qui se et Ducum, et Monarcharum, et regum titulis exornauerunt. Colomanus enim, Andreæ Hungariæ regis frater, cum Haliciam ab Roxolanis, ad principatum expetitus venisset, ab Episcopis, quos in comitatu suo habebat, ritu solemni coronatus, et Rex Salatiæ siue Haliciæ, quæ ciuitas est in Roxolania, ad radices Sarmaticorum montium, appellatus est, circiter millesimum ducentesimum annum. Ex quo tempore Vngari reges, etsi postea Russia omni prorsus exciderunt, regni tamen Salatiæ siue Lodomeriæ titulum, semper vsurpauerunt. Extincto Colomanno Haliciensium rege, Daniel Romani Roxolanorum Ducis filius, magnam sibi apud eam gentem comparauit potentiam. Et vt maiori esset, et augustiori apud vicinas nationes dignitate; Legatione ad Opissonem legatum Apostolicum in Poloniam missa, cum promitteret, se ad auctoritatem sedis Romanæ accessurum, regium titulum pro se, et vniuersa sua posteritate ab eo impetrauit. Verum vt primum voti compos est factus, promissis quibus se legato pontificio, obstrinxerat, non stetit. Ceteri qui apud Roxolanos imperarunt vel Duces, quod aliquem principatum obtinerent, vel Monarchas, quod ceteris principibus præessent, sese appellauerunt. Quo iure autem, vel quomodo Russia, in potestatem Polonorum concesserit explicandum est. Multa sæpe memorabilia, Poloni reges cum Roxolanis principibus bella gesserunt. Nam et Boleslaus primus Poloniæ Rex, vt supra docuimus, ingentes eorum copias, apud Axiacen fluuium profligauit, et metropolitanam gentis vrbem Kiouiam, ad deditionem compulit, anno millesimo octauo. Boleslaus secundus pari fortunæ vsus beneficio, capta denuo Kiouia (quæ ab obsequio Polonorum principum defecerat) Russorum vires vniuersas fregit, anno millesimo septuagesimo quarto. Atque ex eo tempore Roxolania Polonorum facta tributaria, regibus Polonis obnoxia fuit; ita tamen, vt suos eorum indulgentia Duces haberet. Qui discerpto post hæc in plerasque minorum principum ditiones Polonico imperio, Polonorum iugum pedetentim excusserunt. Sed non diu inulta eorum mansit

perfidia: Luburtus enim, Gedimini Lithuanorum Ducis filius, ducta in vxorem Vladimiriensium Ducis filia, omnem eum Roxolaniæ tractum, qui Lithuanis finitimus est, in suam redegit potestatem. Donec tandem Casimirus magnus Poloniæ Rex, Roxolaniam australem, & regiam ipsius vrbem Leopolim, maiorum suorum negligentia amissam, recuperauit; excepta ea parte, quæ Lithuanicæ ditionis erat, quam illis ex pacto ad biennium intactam reliquit, anno Christi millesimo tercentesimo quadragesimo. Et vt omnem Roxolanis omnibus eriperet reluctandi occasionem, Russiam subactam ab se in formam prouinciæ redegit, creatisque Polonorum more magistratibus, Roxolanos omnes in vnum regni Poloniæ corpus adscripsit. Ex eo tempore Roxolania australis consilio publico a Polonis nunquam defecit. Ad extremum Vladislaus Iagiello magnus Lithuaniæ Dux a Polonis ad regnum adscitus, non Lithuaniam modo & Samogitiam vniuersam, sed etiam eam Roxolaniæ partem, quam ditione tenebat, regno Poloniæ iure sempiterno contributam regibus Polonis subiecit, anno millesimo tercentesimo octogesimo sexto. Ab eo tempore Roxolania regia, Polonis semper regibus paruit. Etsi interdum aliqua eius portio, nonnullis principibus iure beneficiario fuerit concessa. Ita vt cognoscere possimus, qua ratione eius regionis dominatus, ad regem Polonum pertineat.

D PRUSSIA.

CAPVT VI.

PRussia siue Borussia, regio totius regni Polonici florentissima, ab oriente sole Lithuaniam spectat, a meridie Polonis contermina, ab septentrione Liuonienses, & ab occidente Pomeranos respicit. Mare Balthicum, quod & Venedicum, & Codanum sinum appellant, prouinciam alluit. Sinus Balthicus, ex Britannico mari sumit exordium. Eius ostium ad occidentem solem non longe ab Cimbrica Chersoneso, quam hodie Daniam vocamus, spectatur; sed qua parte contigit Prussiam, plerisque sinuosis flexibus amœnam, & opportunis portibus commodam facit. Non arbitror, quaqua patet Sarmatici regni imperium, regionem aliquam reperiri, quæ cum hac, & illustrium vrbium atque oppidorum frequentia, & ingentibus incolarum diuitiis conferri queat. Quod si singularem terræ vbertatem, maioris minorisque pecoris incredibilem copiam, venationem, piscationem, ipsam denique totius regionis summa cum voluptate coniunctam amœnitatem, spectare velis, vix illam aliqua in tota Europa prouincia superabit. Succinum antiquis *Glessum* appellatum, in littore maris Balthici, Pruteni legunt. Nulla tota regione vinearum cultura, vinum ab externis importatur. Potus genti communis, vt Polonis, cereuisia. Nulla metallorum sectura, ferro excepto. Cæterum regio hæc, quam nunc Prussiam appellamus, olim ab aliis quam modo populis habitata fuit; qui Prussi siue Borussi, vel etiam Borusci, auctore Erasmo Stella dicti sunt. Ptolomæus Boruscos populos in Sarmatia Europæa ad septentrionem ponit, in ea ora, quam nunc Liuonienses, & Moschouitæ occupant. Ex quo probabile est, eos aliquando inde profectos, non solum vniuersum illum terrarum tractum, quem nunc Lithuani, & Samogitæ tenent, verum etiam totam eam regionem, quæ penes maris Balthici littus, vsque ad Vistulam, et Ossam fluuios excurrit, in suam ditionem redegisse, et Borussos siue Prussos, parum immutato nomine, appellatos esse. Quæ cum ita sint, constat barbaram Prussorum gentem victricibus primum Polonorum principum armis, deinde etiam ab Germanis Marianæ militiæ adscriptis subactam, et Christianis sacris initiatam; ad extremum etiam totam ferme deletam esse. Exstant tamen adhuc exiguæ eius nationis reliquiae, in vicis et pagis Varmiensis, et Sambiensis prouinciae; quae in sermone cum Lithuanis et Samogitis mirifice conueniunt. Successerunt in

antiquas

antiquas Prussorum sedes, Germani atque Poloni: qui nunc etiam prouinciam colunt. Equites Teutonici, Germanorum; Poloni reges, Polonorum colonias in Prussiam deduxerunt. Fratres Teutonicos S. Mariæ militiam professos, ex Syria ab Saracenis eiectos, CONRADUS Masouiæ ad propulsandam Prussorum vim accersiuit, circiter millesimum ducentesimum vicesimum octauum annum. Qui post exstirpatam barbaram gentem, multis extructis ambitiosis vrbibus, Germanicum sermonem in Prussiam introduxerunt. Magnæ olim erant Teutonicorum equitum opes, neque minor potentia, quam regibus. Multa illis cum Polonis bella intercesserunt. Ad extremum victi, quod se aduersus legitimos Prussiæ patronos, vitio ingratitudinis contaminauerant; facultatum suarum iacturam fecerunt. Nostra tempestate Prussia vniuersa, in regiam, & Ducalem diuiditur Prussiam. Hæc regium: illa Ducis. imperium sequitur. Dux ipse regis Poloniæ beneficiarius, &, vt vulgo appellant, *Vassallus* censetur. Tota regio quatuor quondam episcopalibus ecclesiis, vipote Varmiensi, Culmensi, Pomesaniensi, & Sambiensi insignita fuit: nunc ad Varmiensem & Culmensem redacta, Varmiensis ecclesia, iure suo vtitur, neque alterius præter quam summi Pontificis Romani, & Poloni regis maiestatem agnoscit. Episcopus in vniuersa fere episcopatus sui dioecesi, ecclesiasticum, & temporarium ius exercet. Episcopalis splendor, summis auctus opibus, senatoria, in amplissimo regni Poloniæ consilio, dignitate exornatur. Hodie Varmiensem episcopatum vendicat Stanislaus Hosius, S. R. E. Cardinalis, & magnus Pœnitentiarius, princeps post hominum memoriam, ad tuendum sacratissimæ religionis Catholicæ cultum, & ad omnes falsorum dogmatum radices euellendas, atque exscindendas natus; qui & singulari in Deum pietate, & præstantissimis in lucem editis operibus, Polonæ gentis nomen, apud exteras nationes, mirifice illustrauit. Hæc, quam nos regiam appellamus Prussiam, Culmensi, Mariæburgensi Michalouiensi, & Pomeraniæ prouinciis continetur. In regione Pomeranica, cuius etiam titulum Rex Polonus vsurpat, Dantiscum vrbs, quæ & Gedanum, & Gdanum nuncupatur, inter cæteras Prussiæ ciuitates principatum tenet. Putatur ab Vissimiro principe, ex stirpe Lechi, primi Polonorum Ducis, post deuictos Danos condita. Vnde a Danis Gdanum appellatum. Quæ ciuitas nunc non modo septentrionis, verum etiam totius fere terrarum orbis emporium frequentissimum, iudicatur. Sita est ad radices montium, ab littore maris Balthici quinque millium passuum interuallo; vbi Vistula celeberrimus Sarmatiæ fluuius, in Oceanum euoluitur. Perducta ex mari in vrbem fossa, centenarum intra mœnia subuehendarum nauium, commoditatem subministrat. Propugnaculum in ipso maris portu exædificatum, multis impositis machinis bellicis, armato milite custoditur. Vrbs vniuersa Polonorum regum exornata priuilegiis ad eam dignitatem venit; vt hodie descriptione ædificiorum atque pulchritudine, commerciorum & opificiorum varietate, incredibili incolarum, & externorum numero, & ingentibus ciuium diuitiis, paucis omnino Europæ ciuitatibus cedat. Ceteras vero Sarmatici regni longe superet. Spectatur in primis primarium vrbis fanum, immenso sumptu, tamque admirabili arte constructum; vt paucis in toto terrarum orbe templis conferri possit. Præcipuum clarissimi templi ornamentum, æneum baptisterium, & singulari operis artificio, & incredibili propemodum precio, omnia totius Europæ baptisteria superat. Ædes quoque prætorias maximo auri pondere exædificatas, vna cum superba turri videre licet. Publicum vrbis palatium, quod vulgo *Geldam* appellant, inter illustria numeratur ædificia. Burgrabius cum Proconsulibus, et Consulibus ciuitatem regio nomine administrant. Ciues Germani omnes, Teutonica lingua, sed corrupta aliquantum, Flandricæque non dissimili, vtuntur. Magnus Dantiscum externorum mercatorum concursus. Vnde ingentes ciuibus opes. Totus fere septentrio, vna cum vniuersa Gallia, Anglia, Scotia, et Lusitania eo mercatum venit. Vinum Creticum, cæteræque pre-

 ciosiores

ciosiores merces, ex Creta per immensum Oceanum eductæ per Gaditanas fauces, aduehuntur. Ciuitatis ea nunc est potentia, vt iustam, quotiescunque necessitas postularet, apparare classem queat. Sed eas potentissimæ vrbis vires; si quando ab obsequio Polonorum deficere cogitaret, Rex Polonus, non difficulter comprimere potest. Interdictis enim mercibus, quæ ex vniuersa totius regni Polonici ditione, secundo Vistulæ flumine aduehuntur, Dantiscanorum potentia, et opes simul intereunt. Neque enim externi mercatores Dantiscum accederent; ni incredibilis frugum, ceterarumque mercium copia, ex vniuersa Sarmatia suppeditaretur. Habet præterea Prussia, plures nobiles ciuitates. Ex quibus Elbinga in littore maris, publicarum iuxta, ac priuatarum ædium magnificentia et copiosis ciuium opibus antecellit. Torunia in ripa Vistulæ fluminis, splendidis ciuium ædibus, et mercatorum frequentia spectabilem se reddit. Mariæburgum nobile oppidum, et arx amplissima, magni Magistri Prutenicæ militiæ olim sedes, munitissimum totius Prussiæ propugnaculum: quod cum vi capi nunquam posset, per deditionem in potestatem Casimiri tertii Poloniæ regis concessit. At in Prussia Ducali Regiusmons ciuitas maritima, generalis studii domicilium, et principis sedes spectatur. Sigismundus primus Poloniæ Rex, Albertum Marchionem Brandeburgensem, et magnum Teutonicorum equitum in Prussia Magistrum, sororis suæ filium Ducem in Prussia creauit, bonamque regionis portionem ipsi, et fratribus eius Casimiro, et Georgio, in mares dumtaxat liberos, iure hæreditario, in feudum, vt vocant, concessit. Magni magistri appellatio in Ducis nomen, quo omnis deinceps reluctandi occasio tolleretur, commutata. Albertus noua auctus dignitate, Teutonicæ religionis habitum deposuit. Albertus Fridericus filius, qui nunc viuit, paternum excepit principatum. Sed vt ad vniuersam Prussiam reuertamur, existimo nullam in tota Sarmatia inueniri regionem, quæ simili spacio tantum oppidorum contineat. Sed et quinquaginta nobiliora Prutenorum oppida, Friderici tertii imperatoris temporibus, eiectis Teutonicis equitibus, in potestatem Casimiri tertii Polonorum regis, vltro venerunt. Ex quo tempore Prussia fere vniuersa Marianorum militum pertæsa tyrannidem, et iniusto Friderici imperatoris offensa decreto, qui Prutenis omnibus sexcentorum millium florenorum mulctam irrogauerat: et gentem vniuersam, magno ordinis magistro, in seruitutem addixerat, ab immanibus et iniustis dominis, ad legitimum Poloniæ regem, publico consilio defecit.

QUAM OB REM REX POLONUS, DUX et DOMINUS TOTIUS PRUSSIÆ CENSETUR.

CAPUT VII.

Russia, quonam pacto in potestatem Polonorum regum concesserit, facile ostendam; si prius, quomodo barbara Prussorum gens, victricibus Polonorum, et Marianorum militum armis sit perdomita, exposuero. Boleslaus primus Poloniæ Rex, ne longius exordium repetamus, et vniuersam Prussiam, Polonis regibus fecit tributariam, et barbaram Prussorum nationem, sacris Christianorum ritibus initiari curauit: circiter millesimum decimum sextum annum. Casimirus etiam primus eius nominis Polonorum Rex, maximas Prussorum copias, quæ Maslao, Masouiæ Tyranno suppetias ferebant, collatis cum hoste signis, ad internecionem profligauit: fractisque totius gentis viribus, debita sibi tributa pendere coëgit, anno salutis humanæ millesimo quadragesimo tertio. Boleslaus Crispus Poloniæ princeps, Prussos sacram Christi fidem, quam abiurauerant, recipere; et ad obsequium Polonorum redire compulit, anno millesimo centesimo sexagesimo quarto. Abiecerunt tamen, non magno post interiecto tempore, Christianam religionem Pruteni; immo et Polonis principibus, succedentium temporum

porum interuallo, obtemperare se velle negarunt. Eos Casimirus Poloniæ princeps, magnis affectos cladibus ad officium reuocauit, et superiorum annorum tributa persoluere coëgit, anno millesimo centesimo nonagesimo quarto. Excusserunt nihilominus post hæc etiam Polonorum principum iugum, et magnis Conradi Masouiæ Ducis ditiones affecerunt incommodis. Qui cum se aduersus continuas barbarorum prædationes, non satis tutum esse arbitraretur; fratres Teutonicos S. Mariæ militiam professos, qui amissa Ptolomaide, Saracenorum armis ex omni Syria pulsi erant, ab vrbe Romana in auxilium euocatos; Culmensi prouincia, et vniuerso illo terrarum spacio, quod inter Vistulam, Mocram, et Deruanciam flumina, continetur, donauit; his conditionibus, vt contra barbaram Prussorum gentem summis viribus atque conatibus bellum gererent. Vbi vero illam domuissent; Culmensem quidem regionem restituerent; ceteram vero de barbaris captam prouinciam, secum, vel cum posteris suis, ex æquo partirentur. Adde vt cum Polonis aduersus Polonorum hostes essent,maxime autem illis contra barbaros opem ferrent. Quod si aliquando violassent conditiones conuentas beneficia amitterent, et pœnam, quæ ingratis ex iure gentium debetur subirent. Hæc ita tunc inter Conradum Ducem, et fatres Teutonicos, quibus Hermannus de Salza magni magistri nomine præerat, approbante Gregorio nono Pontifice maximo, conuenerunt, circiter millesimum ducentesimum vicesimum octauum post Christum natum annum. Quo tam singulari religiosissimi principis affecti beneficio fratres Teutonici literas quoque sub aurea bulla ab imperatore Friderico, eius nominis secundo, impetrauerunt: quibus ille confirmauit vniuerso ordini possessionem prouinciæ Culmensis, et quidquid ille deinceps in Prussia adepturus esset; itemque regionem, quæ est inter Prussiam et nouam Marchiam, quam illi Conradus Masouiæ Dux esset donaturus. Qua quidem in parte magnum mihi errorem commisisse videntur; cum nec Cæsaris illæ ditiones essent, nec imperator ius aliquod in eas prætenderet. Vt primum ergo Prussia, Polonorum beneficio Marianis militibus cessit; viri nobiles, et rei militaris periti nihil prius habuerunt, quam vt exstructis subitariis aliquot propugnaculis, barbarae Prussorum genti bellum facerent. Pugnatum est aliquandiu summis vtrisque viribus: et nunc his nunc illis victoria cessit. Ad extremum fortuna fratribus arrisit, omnemque Teutonico ordini, exstirpata et ad internecionem ferme deleta Prussorum natione, Prussiam subiecit. Post partam bello victoriam, sacra Christi religio, et lingua Germanica introducta. Creuit ex amplissimis opibus, et consecuto totius regionis imperio, Teutonici ordinis potentia. Otium cum summis coniunctum facultatibus, et conuentas fratrum cum Conrado Masouiæ Duce violandi conditiones, et aduersus Polonos Prussiæ patronos belli gerendi occasionem præbuit. Multa Mariani milites cum Polonis regibus bella gesserunt, ita tamen, vt sæpius victi quam victores discesserint. Vno apud Gruneualdum Prussiæ oppidum prælio, VLADISLAUS IAGELLO Poloniæ Rex, quinquaginta hostium millia cecidit. Tota Prussia excepto Mariæburgo praeclarissimæ victoriae fortunam secuta, quae tamen post ad Teutonicos equites rediit; satis eam Casimiro tertio Poloniae regi, Vladislai filio, destinantibus. Cum enim vniuersi Prussorum ordines, iniqua Teutonicorum equitum exagitati tyrannide, iniusto etiam Friderici imperatoris decreto, qui eos magno ordinis Magistro seruorum in morem addixerat, offensi essent: sex et quinquaginta nobilioribus oppidis, in suam potestatem redactis, eiectisque impotentibus dominis, Casimiro Poloniae regi deditionem fecerunt, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto. Rex acceptata deditione, cum exercitu in Prussiam profectus, a Proceribus, Nobilitate, et Ciuitatibus, solenne iusiurandum exegit. Episcopi etiam Prutenici abiecto culto Teutonico, cum suo quisque sacerdotum collegio, in verba regis iurarunt. Prussia vniuersa, de amplissimi consilii sententia in vnum regni Polonici corpus adscripta. Vectigalia et portoria Prutenis omnibus

remissa. Omnes Prussorum ordines magnis aucti priuilegiis. Conati sunt nihilominus Teutonici Equites, Prussiam ex manibus Polonorum regum vindicare. Et principio quidem fortuna illis fauere visa est, cum Casimirum regem, iniquitate potius locorum, quam vera virtute victum, cum vniuerso Polonorum exercitu, apud Choiniciam oppidum, in fugam coniecissent, multasque praeterea Prussiae munitiones, vt est varia Martis fortuna, recepissent. Ad extremum tamen fracti victricibus Polonorum armis, pacem cum Casimiro rege fecerunt, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto, decima nona die mensis Octobris. Culmensis, Michalouiensis, Mariaeburgensis, et Pomeraniae regiones, Casimiro regi cesserunt. Caetera Prussia, cuius caput est vrbs Regiomontana, Teutonico ordini relicta, his editis legibus; vt Prutenicae militiae Magister et vniuersi Mariani milites, in fide et clientela Polonorum regum semper essent. Magister ordinis, sacramentum fidei regibus Polonis solemni ritu praestaret et Princeps atque consiliarius regni esset; et in amplissimo regni Poloniae senatu, primum penes regem ad laeuam locum obtineret. Primi Teutonici ordinis Commendatores, vt consiliarii regii censerentur. Quidquid Prutenicae militiae Equites barbaris adimerent, in vnum regni Polonici corpus coalesceret, tota Teutonicorum in Prussia religio, nullius in terris praeterquam regis Poloni Maiestatem, salua Pont. Max. auctoritate, agnosceret. Ad professionem ordinis, vt Polonis iuxta, ac Germanis aditus pateret. Cruciferi regi Polono contra quemuis hostem adessent. Magister Teutonici ordinis ne inscio Rege officio priuaretur. Munitiones ex vtraque parte interceptae bona fide redderentur. Quod si ab aliquo alio tenerentur, vt coniunctis recuperarentur viribus. Donationes, venditiones, et alienationes bonorum, belli tempore damno alterius partis factae, ne vllum robur haberent. Nobilibus profugis, et exulibus, agri adempti restituerentur; plebeis autem hominibus illae tantum, quae ante initium illius pacis venditae non essent. Pro distractis agris liberum esset pecuniam numerare. Perduellionis culpa, vt omnibus ex vtraque parte condonaretur. Culmensis Ecclesia, vt amotis religiosis Cruciferis, ad iurisdictionem metropolitanae ecclesiae Gnesnensis rediret. Vincentius Chelbassa secretarius regius, Culmensis et Pomesaniensis Episcopus esset. Eo e rebus humanis erepto, Pomesaniensis episcopatus Teutonicis equitibus cederet. Agri ecclesiastici, vtrinque suis ecclesiis redderentur. Portoria noua ne imperarentur. Captiui ex vtraque parte dimitterentur. Itinera publica, vt essent libera. Conuentas inter Casimirum Poloniae regem et ordinem Teutonicum pacis leges; vt omnes Episcopi, Duces, Palatini, Castellani, Commendatores, Equites, et ciuitates, iureiurando approbarent. Haec ita tunc, adiectis in violatores pacis poenis, conuenerunt. Ex quo tempore Prussia vniuersa, in potestatem, fidem, et clientelam Polonorum redacta, crudelibus bellis finem imposuit. Nata apud Prutenos Dei beneficio tranquillitas, etsi aliquando Teutonicorum equitum leuitate fuerit turbata; ad extremum tamen salua illis, et integra permansit; ad Sigismundi primi Poloniae Regis vsque tempestatem. Quo tempore ALBERTUS Marchio Brandeburgensis, magnus Teutonicorum in Prussia Magister, obtemperare se velle Polono regi negauit. Certatum est aliquandiu, magnis vtrinque conatibus, Germanis principibus Alberti partes fouentibus. Cessit tamen ille Poloni regis potentiae; et repudiato magni magistri officio; Ducis in Prussia titulum et bonam Prussiae portionem, ab Sigismundo Rege iure beneficiario accepit; data fide, quod Polonis regibus dicto audiens futurus esset. Exstincto Alberto Duce, ALBERTUS FRIDERICUS filius, in paternum successit principatum. Qui cum Sigismundo Augusto Poloniae regi defuncto, solemne nostra memoria praestitisset homagium: nunc etiam in potestate Henrici Valesii optimi et fortissimi regis libenter acquiescit. Atque ita Prussia, victricibus primum Polonorum armis subacta, deinde Polonorum beneficio Marianis

militibus

militibus concessa, atque illis quodam tempore, quod in legitimos Prussiæ patronos reges, arma conuerterant, erepta postea tamen restituta, deinde publico primum, & constanti vniuersorum totius Prussiæ ordinum consensu, qui Marianos milites eiecerant, ab Casimiro tertio, Poloniæ rege, in deditionem accepta, postremo etiam summa Teutonici in Prussia ordinis voluntate, ad Polonorum regum imperium iure optimo accepit.

DE MASOVIA.

CAPVT VIII.

Masouia doctissimorum virorum, & fortissimorum militum, feracissima in Polonia prouincia; cum antea communi totius Poloniæ nomine censeretur, tunc primum peculiarem adepta appellationem, cum Maslaus, Miecislai Polonorum regis pocillator, erepto e rebus humanis rege, circiter millesimum tricesimum quartum annum, ardenteque ciuilibus bellis Polonia, eius regionis dominatum arripuit. Vnde ab Maslao, qui & Masos dictus est, appellata Masouia. Maslaus vero Casimiri primi Poloniæ regis virtute, vna cum auxiliaribus Prussorum copiis superatus, tandem etiam ab illis supplicio affectus, vitam cum principatu simul amisit, anno millesimo quadragesimo tertio. Exstincto Maslao Masouia ad amplissimi regni corpus rediit; nomen tamen semel acceptum, ad hanc vsque diem constantissime retinet. Eius prouinciæ singulares, quibus a natura exornatur, vbertatis laudes, nihil attinet percensere: cum & se ipsam quam commodissime sustentet, & incredibilem frugum, pecoris, cæterarum mercium copiam exteris gentibus transmittat. Illustratur in primis tribus præcipuis Sarmatiæ fluminibus, Vistula, Narua, & Bugo, quorum etsi primam sibi Poloni, Lithuani, & Roxolani, vendicant originem, nullibi tamen plenius & spaciosius fluunt, piscibusque & maioribus, & melioribus abundare censentur. Siluæ amœnissimæ, quà Prussiam spectat, ferarum omnis generis venationem subministrat. Vros sola Masouia habet, quos ibi patrio nomine Turos vocant: qui, cum sint boues siluestres, nihil fere ab domesticis bobus differunt: præterquam quod omnes nigri sunt, & ductum quendam instar lineæ ex albo mixtum per dorsum habent. Cinguli ex eorum coriis facti, cum quibus feminæ præcinguntur, partum promouere existimantur. Vrorum custodia, quod paucissimi sint, & in precio habeantur, certis quibusdam vicis atque pagis incumbit. Primaria totius Masouiæ vrbs, & metropolis VARSAVIA, ad ripam Vistulæ fluminis exædificata, cum olim Masouiorum Ducum sedes esset, nunc ptopter insignem maximi fluminis opportunitatem, celebrandis generalibus totius regni comitiis, commodissimum habetur domicilium. Amplissimus totius septentrionis pons, ex trabibus ingentis magnitudinis constructus, in Vistula flumine cernitur, Sigismundi Augusti Poloniæ regis opus. PLOSCUM episcopalis ciuitas ad eundem fluuium sita, sede Pontificali, & insigni Canonicorum collegio celebris, secundas post Varsauiam dignitatis, & splendoris partes vsurpat. Hodie eius vrbis Episcopatum administrat, PETRUS MISCOVIUS eques Polonus, qui ad illustrem præclarissimi generis nobilitatem, præstantissimarum quoque doctrinarum laudem adiunxit. Cæterum Masouiæ, quod a propriis olim Ducibus fuerit administrata, Ducatus titulum sortita est. Duces Masouii socii, & beneficiarii Polonorum regum fuerunt. Exstinctis autem patrum nostrorum memoria, Stanislào & Ioanne Ducibus, quod in illis mascula Masouiorum Ducum stirps defecisset: Sigismundus primus Poloniæ Rex, totam Masouiam in formam prouinciæ redactam, ex amplissimi Consilii sententia, Poloniæ regno iure sempiterno adscripsit. Quam vna cum regno ad Sigismundum Augustum filium transmisit; ille immatura morte præuentus, Masouiæ Ducatum, vna cum ceteris regni Poloniæ prouinciis Henrico Valesio regi reliquit, qui nunc regnat.

DE SAMOGITIA.

CAPVT IX.

SAmogitia, quæ ab vna parte mari Balthico alluitur, regio est Lituanis contermina, Prutenis & Liuoniensibus intermedia. Ferax frumenti, & leguminum, sed nulla celebri vrbe, nulloque illustri oppido insignis. Siluis, & nemoribus sparsim exornatur amoenissimis; in quibus horrendæ quandoque *visiones* fieri solent. Multa ferarum venatio. Melle candidissimo, optimique saporis, & quod parum admodum ceræ habeat. Gens in vniuersum proceræ staturæ, & bellicosa, plerosque tamen pygmæos, quos vulgo *nanos* vocant, videre licet. Equi totius prouinciæ fere omnes pusilli; frigoris, inediæ, laborisque patientissimi. Eam nationem, falsorum Deorum superstitionibus dicatam, Vladislaus Iagello, Poloniæ Rex, ad Christum vocauit, circiter millesimum decimum tertium annum. Colebant autem pro Diis, quemadmodum & Lituani, serpentes, eos domi veluti penates nutriebant, & in fœno iacentibus sacra faciebant: immo, & solem, & siluas diuino cultu prosequebantur. Post introductam sacram Christi fidem, Episcopus ex auctoritate summi Pontificis Romani genti vniuersæ præfectus; prouincia in duodenas paroecias distincta. Capitaneus, qui est ex principibus regni Poloniæ senatoribus prouincialibus regio nomine ius dicit. Hic est perpetuus apud Samogitas magistratus. Totius autem regionis dominatus eodem quo & magnus Lithuaniæ Ducatus iure, ad Regem Polonum pertinet.

DE LIVONIA.

CAPVT X.

LIuonia, extrema Sarmatici regni prouincia, firmissimum olim, ad sustinendam, & propulsandam barbarorum vim, Christiani orbis propugnaculum: ab septentrione finitimos habet Roxolanos, qui hodie Moschouitæ nuncupantur. Moschouitarum nomen recens est, quanquam, & apud Lucanum de Moschis, Sarmatarum affinibus, mentio fiat, & Plinius Moschos ad Phasidis fontes supra pontum Euxinum ad orientem solem constituat. Vrbs Moschouia, regioni, & genti simul nomen dedit. Ea est omnium totius aquilonis regionis ciuitatum longe maxima, vtpote quæ secundum Moschi fluminis ripam, ad spacium quinque milliarium extenditur. Ædium in vniuersa vrbe multitudo, quadraginta millium, & mille quingentarum numerum superare creditur. Huius gentis Princeps supra centum & quinquaginta millia equitum ad bellum ducere, & cum Polonis ac Lithuanis de finibus, cum Tartaris autem ad vindicandas eorum continuas incursiones, dimicare consueuit. Ab occidente Liuonia mari Balthico secundum longitudinem alluitur. Mare Balthicum multis illustribus maximisque scatet insulis; ad quas breui nauigatione ex Liuonia peruenitur. Ibi Noruegia, ibi etiam Gottia, Gottorum origine illustris, spectantur. Hodie principes Liuoniensium vrbes Riga, Riualia, & Torpatum censentur. Riga gentis metropolis, ad ripas Dunæ fluminis, non longe ab ostiis, celeberrimum septentrionis emporium, primas dignitatis, et diuitiarum partes vendicat. Prouincia vniuersa cum singulari terræ vbertate fecunda, et insigni equorum, pecoris, atque nobilium animalium copia præstans; tum vero etiam plerisque illustribus vrbibus potens, optimis portubus commoda, et frequentissimis arcibus munitissima iudicatur. Fluuios nauigabiles, et ferendis lintribus idoneos, Rubonem, et Neruam habet. Eam fratres Teutonici S. Mariæ militiam professi, victricibus subactam armis, sacram Christi fidem suscipere coëgerunt; deductisque in prouinciam Germanicæ nationis coloniis, præstantissimis ciuitatibus atque oppidis communitam, tribus eti-

am

am pontificalibus ecclesiis, Rigensi, Riualiensi, et Osiliensi mirifice illustrauerunt. Sæpius ab illis cum Moschouitis dimicatum; plerique tamen insignes Teutonicorum habiti ex ea gente triumphi enumerantur. Nostra autem memoria cum Sigismundi secundi Augusti, Poloniæ Regis, legatum cæcidissent; & Vilhelmum ex Marchionibus Brandeburgensibus, ecclesiæ Rigensis Antistitem, regium affinem, vna cum Christophoro Mechelburgensi Regulo, in vincula coniectos carceribus mancipassent, magni, & vix non exitiosi aduersum se belli occasionem præbuerunt. Eorum enim facinoribus Rex potentissimus, maiorem in modum irritatus, maximo ex Polonis, & Lithuanis collecto exercitu, vlcisci iniurias illatas decreuerat. Verum *Vilhelmus Firstembergus*, magnus Liuonicæ militiæ Magister, cum se tantis Poloni regis copiis, quas tunc maximas, & paratissimas in conspectu hostium habebat, imparem fore sibi persuaderet, imperata potius facere, quam ad vniuersam prælii dimicationem venire maluit. Quamobrem acceptis ab rege conditionibus, non modo Archiepiscopum Rigensem, & Mechelburgensem Ducem liberatos dimisit; verum etiam, quod magis est, ipse cum vniuersa prouincia in fidem & clientelam regiam, quamuis tunc non omnino pleno iure, concessit. Anno autem, qui proxime subsequutus est, cum magnus Moschouiæ Dux Torpatensem in Liuonia vrbem occupasset, & antistitem eius diœcesis cepisset, Liuonienses in angustum redacti, annuente Ferdinando Imperatore Romano, toto iure sese regi Polono subiecerunt. Neque ita multo post, magnus Liuonicæ militiæ Magister Firstenbergus, vna cum Felino arce, in qua se imprudentius incluserat, magno Moschouitarum tyranno deditionem fecit. Liuonia, cum propter maximas ab immanissimo hoste illatas clades, tum etiam ob profligatam Catholicam religionem, summis affecta incommodis. Cui, vt aliquod salutare remedium Sigismundus Augustus Rex sapientissimus adferret, & regionis florentissimæ vires sparsas ad neruum aliquem colligeret; GOTTARDUM KETLERUM nobilem Vestphalum, Curlandiæ et Semigalliæ in Liuonia Ducem creauit, exacto ab eo fidei sacramento, quod in potestate, et clientela Polonorum Regum semper futurus esset. Totius autem Liuoniæ gubernationem IOANNI comiti CHODKIEVICIO viro prudentissimo, et in rebus bellicis exercitatissimo mandauit, ex quo tempore Ducatus ille, qui et amplissimi Regni titulum, propter magnas ciuium opes, et incredibilem maximarum vrbium potentiam meretur, Regis Poloni imperio in hunc vsque diem obtemperauit. (130)

FINIS.

(130) Ante quam de iis, quæ in CRASSINIO emendanda videntur, dicam, haud ab re erit, de ipso prius libelli huius auctore facere sermonem. Sed pauca tantum possumus de vita eius dicere, adminiculis destituti, & si SIMON STAROVOLSCIUS epitaphium eius *in monumentis Sarmatarum* non conseruasset, tacere fere deberemus. Est vero illud huius tenoris:

IOANNI KRASINSKI *a Krasne*
Cantori, Canonico Crac. et Gnesnen. Regio Secret. ingenio acri, lingua prompta, viro ad omnia summa nato, deque Eccl. Dei optime merito, STANISLAUS a KRASNE, Palatinus Plocen. capitaneus Blonen. Fratri desideratiss. monumentum posuit. Obiit Anno Domini M. DC. XII. die XIII. Mensis Aprilis.

Crassinius noster fuit nepos episcopi Cracouiensis, qui eum ad excolendas litteras in Italiam ablegauit.

Poloniam hanc CRASSINII quod attinet, phœnix est librorum, & nullibi in Polonia conspicitur. Non nisi tria exemplaria in vita sua vidit illustrissimus Episcopus Kiouiensis, *Zaluscius* comes, nempe in bibliotheca *Ottoboniana*, & *Casanatensi* Romæ, & *Krasiniana* in *Nowawies* in Polonia, præter duo, quæ antea possidebat, exemplaria, quorumque alterum bibliothecæ regiæ Dresdensi fuit donatum, alterum a celsissimo pie defuncto episcopo Cracouiensi e bibliotheca *Zalusciana* sumtum, &, nescio quo in loco, perditum fuit. Nunc iterum illustriss. episcopus Kiouiensis possidet exemplar, in Gallia ante aliquot annos emtum, quod vero nondum in Polonia adest. Non parum igitur mihi molestiæ creauit libri huius raritas, qui vix exemplum huius libri scriptum manu obtinere potui, quod tandem litteratissimus HENRICUS IONATHAN CLODIUS, Serenissimo regi Polono Dresdæ a bibliotheca & epistolis secretioribus, suppeditauit, secundum autographum ab eo correctum, cui gratias, ea, qua par est, humanitate, agere hic debui.

Fuere quidam, qui Crassinium huius libelli esse auctorem negarunt, quorum quidem princeps est *Thuanus*,

Thuanus, lib. I. commentariorum de vita sua pag. 17. edit. Londinensis, qui id ex ore SIGONII accepisse perhibet, quam ob causam etiam in catalogo bibliothecæ Thuaneæ part. 1. p. 439. iuxta inscriptionem huius libri: *Ioannis Crassinii Polonia. Bonon. 1574.* hæc verba adposita sunt: (*Carolus Sigonius auctor est.*) *Thuanum*, virum fide dignum, alii sequun, idem scripserunt, vt PLACCIUS, DECKHERR, aliique, quos prætereo. Sed his omnibus non obstantibus certom esse videtur; *Crossinium* non *Sigonium* libelli huius verum esse aucturem. Hoc facile nunc probamus, & maximum ex ipsa ad *Henricum Valesium*, Polnniæ regem, *Crassinii* dedicatione sumimus argumentum, dicentis. *quæ causa effecit, vt hos de Polonia scribendi negotium, vrgente potissimum* CAROLO SIGONIO, *præceptore meo, non inuitus susceperim.* Quis esset tam durus, ne dicam audax, vt Crassinium aperti mendacii in dedicatione ad regem, viuente *Sigonio*, insimolaret, qoem sibi aoctorem, vt hunc libellum scripserit, fuisse, clare dicit. Certe plus fidei mererur *Crossinius* ipse, qoi se auctorem libri coram rege suo, coram præceptore suo, profitetur, quam *Thuanus*, qui audita dicit, & male rem, de qua statim dicemus, intellexit. Deinde verisimile minime videtur, *Sigonium*, quamois litteratissimum, tam exactam rerum Polonarum cognitionem habuisse. Sed *Crassinius* ea, qoæ deficiebant, potuit suppeditare. Potoit certe, qui & scribere potuit, vsus tam diu tanto præceptore. Quando igitur Crassinius & voluit & potuit scribere, & se scripsisse dixit, cur iniuria *Crassinii* bonc libellum *Sigonio* tribuamus, qui se nunquam illios aoctorem dixit. *Muratorius*, sagax ille & diligens rei litterariæ scriptor, in vita *Caroli Sigonii*, operibus eius præfixa, ne verbum quidem hac de re dicit, mentionem faciens libri *Zamoscii de Senatu Romano*, qui Sigonio etiam attribuitur, qua de re tamen Muratorius doctissimus dubitat, hæc adiiciens verba: *mihi Italica eruditio nihil ministrat, vnde ista aut confirmentur, aut falsi arguantur.* Nullus dubito, *Sigonium* vltimam ad Crassinii discipuli sui Poloniam addidisse limam, qui, cum ei ad scribendum hunc librum auctor fuerit, sine dubio tanquam persuasor & præceptor opos prius vidit, legit, correxit. Hoc *Thuanus* ex eo sciuit, qui ob id libellum Sigonio præceptori, non Crassinio discipulo male tribuit. Quæso autem, quinam est libri auctor, illene, qui omnia conquirit, elaborat, & digerit. vel ille, qui deinde legit, & quædam limat? *Thuani* igitur testimonium non tam suspectom, qoam male dictom mihi videtur. Sed de hoc satis.

Præter hunc libellum *Crassinius* scripsit:

II. *Orationem ad senatum & equites Polonos, de electione* HENRICI VALESII, *Poloniæ regis*, septem & decem paginis constantem, & in 4. *Bononiæ apud Peregrinum Bonardum* a. 1573. impressam, qoam vidit acutissimos librorum perscrutator, illustriss. ZALUSCIUS, episcopus Kiouiensis, in bibliotheca quatuor nationom, Parisiis.

III. *Vitas Archiepiscoporum Gnesnensium*, manu scriptas auctoris, & in bibliotheca *Zalusciana* asseruatas. Illustris ac Reuerend. Canonicus IANOCIUS noster dicit quidem in relationibus bibliothecæ Zaloscianæ, part. I. p. 17. Crassinium qooque *Commentarios belli Livonici* scripsisse: cum vero nemo eos viderit, vel extare illos probare possit, in medio id relinqoo.

Nunc ea, quæ præ ceteris lima critica indigent, adiiciemos.

Libro I. cap. IV. p. 392. auctor dicit: *defuncto Roberto, primo eius ecclesiæ antistite*, nempe Archiepiscopo Gnesnensi. Sed quem fugit, primum archiepiscopum Gnesnensem fuisse VNIBALINUM, secundum HATTONEM, & tertium demum ROBERTUM. vid. *Mizlers Warschauer Bibliothek* part. 3. p. 177.

Lib. I. Cap. IV. p. 396 *Abbates in vniuersum monachorum suffragiis electi.* Nostris temporibus hoc obsoletum. Nam Rex nunc in vniuersum omnes abbates nominat, Roma confirmat. Lib. I. Cap. VII. p. 399. *Regis est, mercenarium militem conscribere, exauctorare exercitum.* Hoc ius regium per sic dicta *pacta conuenta* subsequentia fuit abolitum. Ibidem pag. 400. *homines plebeios iure nobilitatis ornant*, & hoc ius regiom nunc abolitum.

Lib. I. cap. IX. pag. 405. *Albertus Laskius Iacobum Heraclidem Cyprium introduxit in Moldauiam.* LASKIUS non IACOBUM, *didascalum* dictum, sed fratrem eius *Ioannem Heraclidem* in occupanda Valachia adiuuit. vid. A. M. Gratiani de Ioanne Heraclide Despota Vallachorum principe libros III, nuper a IANOCIO nostro, Canonico, ex typographia Mizleriana editos.

Lib. I. cap. X. p. 405. *Vniuersa Polona plebs ex oppidanis constat & agricolis.* Crassinius illa animi præconcepta, vt & nunc multi in Polonia, opinione laborauit, ciuitatum incolas omnes pertinere ad plebem, & contra rei naturam, mercatores, opifices, & ingenue natos haud a rusticis distinguit, qood exteris hominibus videtur plane incredibile. Qualis differentia inter mercatorem honoratiorem, qui ingeoue natus & bene educatus varias scientias didicit, & nobiliter viuit, & inter nobilem inter rusticos educatum, omniumque scientiarom præter agriculturam, ex vsu tantum male cognitam, expertem, qui in pago vitam parce & rusticorum more agit. Hic tamen qui rustice viuit, est nobilis, & ille qui nobiliter se gerit, rusticos censetur, sed ab illis in Polonia tantum, qui litteras & iura ignorant. Sed ciuitatum incolæ quæstui seruiunt, quod est ignobile. Vel nobiles, qui boues, equos, emunt, & iterum cum lucro vendunt, quæstui non seruiunt?

Ibid. p. 406. *quod impium est, licet domino subiectum sibi hominem non facultatibus tantum exuere omnibus, sed etiam contra omnia diuina & humana iura, impune afficere supplicio.* Hoc non licitum esse, in annotatione ad Cromerom p. 175. monstraui, & si verum esset, non prærogatiua aut honor, sed summa iniuria esset & podor, si nobilitas Polona contra omnia diuina & humana iura impune peccare posset. Persuasum mihi habeo, vt ii, qui Catholicæ genti Polonæ, nationi politæ & generosæ, eiusmodi diabolicam legem attribuunt, summe eam afficiant iniuria, quia eo ipso nobiles Polonos erga diuina & naturalia iora rebelles dicunt, omniumque bonorum odia in eos excitant. Sed in sinu gaudeo, inclitam Polonam gentem horrendo hoc crimine iniuste insimulari.

Ad extremom moneo, varios me in Crassinii Polonia inoenisse errores, tum quæ Latinitatem, tum quæ orthographiam attinent. Cum absens eram per aliquot hebdomadas impressæ fuere plagulæ aliqoot ab litera Eeeee, vsque ad litteram Kkkkk. In his si lector errores typographicos inueniat, veniam precor, sed ii iam in litera Lllll, non oboenient, quam cum seqoentibus ipse iterum correxi. Crassinius sæpius *martarum*, loco *martum* in gen. pluralis, *Salmones*, pro *Solmones*, *canabbum* pro *cannabum*, *erythrotoo* pro erythrotaon &c. dixit. ne dicam plura, qoæ emendaui, sed barbaris vocabolis nonnullis Latiniora substituere meum non erat.

SIMONIS

XI.

SIMONIS STAROVOLSCII POLONIA

Nunc denuo recognita & aucta accessit tabula geographica & index rerum locupletissimus cum Præfatione

HERMANNI CONRINGII

WOLFERBYTI

Sumptibus Conradi Bunonis Anno 1656.

HERMANNUS CONRINGIUS,

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

Vae tibi nunc exhibetur Starovolscianae Poloniae editio, Lector optime, illa expressa quidam est ex ista, quae ante hosce quatuor annos, cura GEORGI Forsteri, Gedani in Prussia prodiit in lucem; innumeris tamen locis emendatior est, atque ad vsum ciuilem aptior: locupletior quoque saltim ob indicem & mappam, quae maxime desiderabatur in libello chorographici praecipue argumenti. Auctorem ipsum Polonum esse palam est. Eius viri doctrinam & mores non patiuntur nos ignorare, praeter hunc libellum, etiam alia illius nonnulla, Eques praesertim Polonicus, Elogia bellica virtute illustrium Polonorum, & Hecatontas scriptorum Polonicorum: in quibus Latina eloquentia, prudentia, studium libertatis, amor patriae, odium Protestantium immane, perinde vt Romanensium sacrorum inconsulta veneratio, nusquam paene non elucent.

Hunc libellum initio quidem conscripsit Rege adhuc SIGISMUNDO: at passim interpolavit, quo tempore Polonis rex praefuit Vladislaus, anno circiter seculi huius quadragesimo. Qua re interdum multa turbata sunt: vtpote, quum rerum statuspassim mutaverit paucos intra annos: libellus vero nunc Sigismundi, nunc Vladislai tempora referat: & quidem posteriora haec interdum non expunctis prioribus; auctoris ipsius incuria, an culpa librarii, incertum. Occupatur porro libellus potissimum quidem ἐν τῇ χωρογραφίᾳ *omnium Polonici regni, quod sane amplissimum est, regionum prouinciarumque; idque adeo argumentum ita plene pariter nitideque exsequitur, vt aliorum industriam longe superauerit. Attingit vero etiam alia quam multa, quae ad rempublicam atcinent, non minore felicitate. Nam & praeclare sentit saltim de plerisque, & sine fuco sententiam promit in publicum; quorum alterum prudentis, alterum generosi est animi. Ipsa sane etiam reipublicae patriae vitia vsque adeo non dissimulat, vt nisi illa iam tum nimium quantum in vniuerso orbis conscientiam venissent, possit videri peccasse in patriam isthac propalatione. Nec vero arcana ciuitatis mala fas est nudare: tegenda illa sunt, pallianda, etiam purpurisso nonnunquam fucanda, si res ferat. Quorum nihil tamen patitur historia, nudam quippe veritatem professa: in iam apertis quoque reipublicae id conari, ridiculum est. Infestus auctoris in Protestantes animus (quem cui scholae debeamus, haud temere quem latet) saepenumero iudicium, cetera satis exquisitum,*

ktum, transversum rapit, ac linguam foeda deturpat maledicentia. Quam iniquus sane sit in Rigam Livoniae metropolin, vel ex vno Paulo Piasecio discas, etsi & hic Romana sacra amplexus sit, imo suae gentis Episcopum egerit. Non tango hominis vlcera reliqua: quum hoc vnum satis ostendat, quam ille in similibus nihil mereatur fidei. Et vero aliis quoque in libris suis, perinde turpi maledicentia in Protestantes iniurius est. Quam intoleranda enim illa sunt conuitia, quibus tanquam gemmis Hecotontodem suam illustrauit! dum Lutherum lutulenti subulci*: Melanchthonem, Pomeranum, aliosque, nunc* cœnosororum VVitebergensium porcorum, *nunc* lutulenti Saxonicorum porcorum gregis, *nunc* lenonum Saxonicorum, perditorum ac perfidorum hominum, *aliisque ex triuio petitis contumeliis incessit. Ceterum in omnes Germanos quoque quam sit maligno animo, imo quam contemptim tantum non omnes populos exteros prae suis Polonis habeat, vel hic ipse libellus loquitur. Non est tamen, quod illa nos moueant, quo minus auctorem in praeclarorum scriptorum censum recipiamus; imo quo minus hunc libellum annumeremus melioribus rerumpublicarum descriptionibus.*

Nec vero libellus pretio suo fraudandus est, propter ea quod naeuis illis sit deformis: perinde vt nec ideo meretur reiici, quoniam reipublicae Polonicae omnia non est persecutus. Nam hoc quidem ipsi commune est cum omnibus rerumpublicarum descriptoribus: quorum tamen nonnulli laudem sibi aeternam iure sunt hinc consequuti. Multa scilicet pertinent ad plenam reipublicae alicuius notitiam: id quod libro de ciuili prudentia pluribus docemus: illorum vero nonnulla non est fas vulgare, alia occultiora sunt, quam vt facile possis assequi: quorum proinde silentium per iniuriam cui vertas vitio. Quin tamen longe vberiora & licuisset, & potuisset & debuisset de Polonica republica Starovolscius dicere, haut diffitemur; eoque ab omni illum culpa vacuum non pronunciauerimus. Maiore sane industria locum hunc tractauit Martinus Cromerus, vir cum antiquitate comparandus. Vel ideo tamen Storovolscium Cromero ipsi praetuleris, quod hic doceat nos recentissima, quaeque adeo hodie magis ex vsu sunt: ille vero ea tradat, quorum pars eximia in desuetudinem iam abiit: vt solent respublicae pleraeque perpetuo quasi motu agitari, nec vnquam stabili pede consistere; etsi eorundem vocabulorum inanis species imprudentibus illudat. Non vna vero ratione poterit nunc Starovolscius prodesse in publicum. Nec enim non quiuis curiosior desiderabit scire causam lapsus illius, quo nunc concidit, illa hactenus robustissimis annumerata Polonica respublica. Illam vero quasi oculis spectandam exhibet hic libellus interim, dum describit vires, opes, militiam & regimen Polonicum. In hunc scilicet modum habentibus sese alioqui ciuitatis rebus, fieri non potest, vt vel salus ipsa eam conseruet; tantum abest, vt non concidat respublica, si quo grauiore malo praeter solitum afficiatur.

Simul itaque isthoc exemplo alii, ad res suas cautius meliusque instituendas, excitari poterunt: ac proinde ex Starouolscio discere omnibus in promptu erit, quae fugienda & vitanda sint sibi rebusque publicis suis, nisi parem cum Polonis fortunam velint experiri. Taceo nunc, quod ipsa Poloniae vicinitas merito saltim omnes illos, qui ad clauum Imperii sedent, ad reipublicae vicinae notitiam inuitet: quum non satis sit ad id, vt ciuitati alicui exacte consulas, res domesticas nouisse; verum ad omnes etiam alias, quibuscum potest commercii aliquid intercedere, sit respiciendum. Quidquid huius sit, neminem lectionis & operae in Starovolscium impensae vnquam poenitebit. (131)

(131) SIMON STAROVOLSCIUS inter Polonos polygraphorum princeps, haud contemnendus quondam in Sarmatia scriptor, & vir in rebus litterariis Polonis quam optime versatus, quanquam non semper adeo accuratus. Communi laborauit polygraphorum vitio, qui multa scribentes non omnia recte digerunt, de cetero de literis in Polonia praeclare meritus. Adiicio hic breuem SIMONIS STAROVOLSCII, eiusque operum notitiam ex illustrissimi & Reuerendiss. *Ios. Andr.* comitis *Zaluscii*, Episcopi Kiouiensis, *bibliotheca Scriptorum Polonorum* depromptam, huius tenoris:

Simon Starovolscius, ortus est ex peruetere ac praeclara LODZIARUM familia, quæ nauis piscatoriæ gerit insigne. Puer domi omnes eas artes didicit, quibus prima ætas institui atque erudiri solet. Profectus deinde Cracouiam, doctissimis tunc hominibus, & litterarum studiis affluentem, grauioribus disciplinis operam dedit. Relicta vrbe, a IOANNE GOSTOMSCIO, Ordinis Cisterciensis, Abbate Vanchocensi conductus, in eo cœnobio fratres religiosos iuniores, cum philosophiam, tum theologiam edocuit. Exinde a Ioanne CAROLO CHODKIEVICIO, exercitus Lituani imperatore euocatus,

tus, ei fuit a fcribendis epiftolis, & notandis rebus præclaro geftis. Defuncto eo, Germaniam, Italiem, Galliam & Belgium, capiendæ melioris culturæque doctrinæ caufe, perluftreuit. Redux ALEXANDRO KONIECPOLSCIO, caftellani Cracouienfis, fummique copiarum Polonarum ducis, filio, ftudiorum eius moderator, morumqoe cuftos honorarius fuit additus. Deniqoe fecris initistus ordinibos, infigne Tarnouienfis ecclefiæ fecerdotium obtinuit. Poftremo Cracouienfis Canonici dignitatem eft adeptus. Summo ingenio fuit, & eleganti eruditione, ftudioque in rempoblicem & religionem plane edmirabili. Quocirca a principibos viris, præmiis donatus eft, atque in deliciis habitus. Dilectus maxime eft a PETRO GEMBICIO, Antiftite Crecouienfi, qui CAROLO GUSTAVO, Sueciæ Rege Polonom regnom armis occupante, Ecclefiam fibi concreditem, STAROVOLSCII fidei commifit. Res digne memoria eft, quam VESPASIANUS a Kochow KOCHOWSKI, auctor grauiffimus, in annalium Poloniæ, climactere fecundo, p. 57. his refert verbis: Ingreffus arcem Cracouienfem CAROLUS, Bafilicam quoque D. STANISLAI Cathedralem inuifit, vtique videndi curiofitate ductus, non religione. Qui manu ducebat, SIMON STAROWOLSKI erat, Canonicus tum Cracouienfis, probum & eruditum caput, fpectatu dignora antiquitatis monumenta, Regi exquirenti oftendens, fed præcipue fepulkre Regom Polonorum, cum breui cuiusqoe eloquio, hiftorierum ipfe peritiffimus. Sors, an ordo fecit, vt ad monomentum VLADISLAI LOCTICI veniretur; *Hic Rex*, inquit STAROVOLSCIUS, *ter regno pulfus, ter idem recuperauit*, cui CAROLUS: *at CASIMIRUS vefter, femel exectus, haud amplius recuperare amiffum quibit*. Tum fenex, feu fatidico fpiritu, feu extremo iam fenio liber. *Quis fcis? nam & Deus potens eft, & fortuna variabilis.* Perftrictus refponfo Rex, curiofitati fuæ, & fermoni meno ducentis finem, elio diuertens impofuit; donec peragrat templum capite intecto, & quidquid STAROVOLSCIUS narraret, attentiffime aufcultans. Mortuus eft autem STAROVOLSCIUS Aprili menfe, eius anni, qui fuit poft C. N. quinquagefimus featus, fupra mille & fexcentos. Patre hoc ex panegyrico, qoem FRANCISCUS VOLSCIUS, Ordinis Fratrum minorum reformatorum, in cœnobio Crecouienfi ecclefiaftes, STAROVOLSCIO lingua vernacule dixit. Ex quo facile agnofces errorem PETRI HYACINTHI PRUSCII, in elogiis Polonorum, fanctimonia & doctrina illuftrium, patrio fermone editis, p. 304. mortem STAROVOLSCII in annum MDCLVIII, reiicientis; cuius auctoritate deceptus Achatas nofter, perilloftris & admodum Reuerendus IOANNES DANIEL IANOZKIUS, in der Nachricht von raren Polnifchen Büchern, part. I. 59. eundem annum STAROVOLSCIO fatalem perhibuit. Hic STAROVOLSCIUS complura, variæque eruditionis volumina reliquit. In Bibliotheca noftra, fequentia feruantur.

SERMONE LATINO.

I.

Simonis Starovolfci, de rebus Sigismondi primi, Poloniarum Regis inuictiffimi, virtute & aufpicio geftis, Libri quatuor. Cracouiæ. In Officina Lazari, Matth. Andreouienfis excudebat. Anno 1616. 4. *Hicce liber omnium a Starovolfcio editorum eft rariffimus.*

II.

Euchariſticon, Illuftriffimo ac Reuerendiffimo, Domino, D. Martino Szyfzkowski, Epifcopo Cracouienfi, Duci Seuerienfi, Cancellario Academiæ Cracouienfis Ampliffimo. A Simone Starovolfcio fectum dicatumque. In primo Epifcopatus fui ingreffu. Cracouiæ, in Officina Lazari, apud Matthiam Andreouienfem. Anno D. 1617. 4.

III.

Simonis Starovolfci Peno Hiftoricum, feu, de dextra & fructuofa ratione hiftorias legendi, commentarius. Permiffu Superiorum. Cum Priuilegio, Venetiis. MDCXX. Apud Hæredem Damiani Zenerii. 8. mai. *Editio rariffima.*

Editio fecunda, ab ipfo auctore recognita & aucte. Romæ, expenfis I. Baptiftæ, & Iofephi Corui. Typis Ignatii de Lazaris. MDCLIII. Superiorum permiffu. 12. *Hæc editio quoque perrare.*

IV.

Simonis Starovolfci mellifloos Bernardus, feu de laudibus & vita melliflui ecclefiæ Doctoris. D. Bernardi, Oratio. Cracouiæ in Officina Matthiæ Andreouienfis, Anno D. 1622. 8. *Liber rariffimus,*

V.

Simonis Starovolfci Oratio, in obitum magnanimi Herois, D. Io. Caroli Chodkieuicii, Comitis in Saklow, Myfza & Bychow, Palatini Vilnenfis, Capitanei Derbatenfis, Luhofanenfis, Velenenfis &c. Supremi Magni Ducatus Lituaniæ, & ad bellum Turcicum, Regni Poloniæ Exercituum Generalis, necnon terræ Liuoniæ Gubernatoris. Cracouiæ. In Officina Typogr. Matthiæ Andreouienfis, Anno D. 1622. 4.

VI.

Simonis Starovolfci Camaldola Argentini, fiue de laudibus inclyti Camaldulenfis Ordinis, FF. Eremitarum prope Cracouiam, in monte argenteo, Orationes IV. Cracouiæ. In Officina Typogr. Matthiæ Andreouienfis. Anno D. 1623 4.

Editio fecunda. Cui addita eft laudatio funebris Nicolai Volfcii, Fundatoris illorum Camaldulenfium. Cracouiæ. In Officina Francifci Cæfarii. Anno 1650. 12.

VII.

Simonis Starovolfci, centum Scriptorum Polonicorum Illuftriom Elogia & Vitæ. Francoforti. Sumptibus Iacobi de Zetter. Anno 1625. 4. *Editio admodum rara.*

Editio fecunda. Permiffu Superiorum, & Priuilegio. Venetiis M. DCXXVII. Apud Hæredes Damiani Zenarii 4. mai. *Editio optima eaque rariffima.*

Editio noua. Wratislauiæ MDCCXXXIV. apud Ioannem Iacobum Kornium.

VIII.

Simonis Starovolfci: de claris Oratoribus Sarmatiæ, Florentiæ. Ex Typographia Zenobii Pignorii. Superiorum permiffu. 1628. 4.

Editio noua cum præfatione Laur. Mizleri de Kolof, Regni Poloniæ Hiftoriographi & Medici Varfauienfis. Varfauiæ A. MDCCLVIII. Ex typographia Mizleriana.

IX.

Simonis Starovolfci Eques Polonus. Venetiis MDCXXVIII. apud Francifcum Baba. 8. mai. *Inter nitidiffima & rariffima Starovolfcii opufcula eft numerandus.*

X.

Laudatio funebris, piæ & felici memoriæ Illuftris: quondam viri D. Nicolai de Podha, ce Wolfki, Supremi Regni Poloniæ Marfchalci, Crepicenfisque, Olftinenfis, Odolanouienfis, atque Rahftinenfis Præfecti. A Simone Starovolfcio dedicata. Anno Domini; MDCXXX. Cracouiæ, in Officina Typ. Mathiæ Andreouienfis 4.

XI.

In obitum Sereniffimi piiffimique Principis Sigismundi III. Poloniæ & Sueciæ magni Regis, SIMO-

NIS STAROVOLSCII oratio. Antuerpiæ. Ex Officina Plantiniana Balthasaris Moreti. MDCXXXII. fol.

XII.

Simonis Starovolſci, Sarmatiæ Bellatores, Coloniæ Agrippinæ apud Henricum Crithium ſub ſigno Galli. Anno MDCXXXI. 4. *Editio perelegans & admodum rara.*

Editio noua Wratislauiæ. MDCCXXXIV. apud Ioannem Iacobum Kornium 4.

XIII.

Simonis Starovolſci, Declamatio contra obtrectatores Poloniæ. Cracouiæ. In Officina Typogr. Mathiæ Andreouienſis. Anno MDCXXXI. 4. *Liber rariſſimus.*

XIV.

Simonis Starovolſci, Polonia. Coloniae. apud Henricum Crithium. Anno MDCXXXII. 16.

Denuo recognita & aucta. Dantiſci, Sumptibus Georgii Forſteri, S. R. M. Bibliopolæ, MDCLII. Cum Priuilegio S. R. M. 16.

Tertia Editio. Cui acceſſerunt Tabulæ Geographicæ, & index rerum locupletiſſimus. Cum Præfatione Hermanni Conringii. Wolferbyti. Sumptibus Conradi Bunonis. Anno MDCLVI. 4. *Editio optima eaque rariſſima.*

Editio noua. Wratiſlaviæ. MDCCXXXIV. apud Ioannem Iacobum Kornium 4. *Hic liber omnium a Starovolſcio editorum, optimus, ſummaque diligentia & nitide admodum ſcriptus.*

XV.

Simonis Starovolſci, Acceſſus ad iuris vtriusque cognitionem. Diuiſus in quatuor breuiſſimos tractatus, quorum primus eſt, de iure in communi; ſecundus de iuſtitia; tertius de iure ciuili, quartus de iure canonico. Primum Romæ, typis Vaticanis MDCXXXIII. deinde Cracouiæ, typis Mathiæ Andreouienſis. Anno Domini MDCXXXIV. Superiorum permiſſu. 12. *Romana editio rariſſima.*

XVI.

Simonis Starovolſci panegyricus, Sereniſſimo atque potentiſſimo Principi, Vladislao Sigismundo, ob virtutem omnium votis acclamato Polonorum Regi, ob iura hæreditatis legitimo Suecorum Monarchæ, ob regiam indolem electo magno Moſcorum Duci, ob adſtatam felicitatem bellicoſiſſimorum in Aquilone populorum, Gothorum, Vandalorum, atque Sarmatarum Imperatori, inclyto, pio, felici, auguſto, bono orbis Chriſtiani nato, conſecratus. Antuerpiæ, ex Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti. MDC. XXXIII. fol. *Hic panegyricus inuentu difficillimus.*

XVII.

Simonis Starovolſci, lachrymæ in obitum Sereniſſimi Alexandri Caſimiri, Poloniæ & Sueciæ Principis. Cracouiæ in Officina Matthiæ Andreouienſis. Anno MDCXXXIV. fol.

XVIII.

Simonis Starovolſci, oratio de glorioſa Aſſomptione auguſtæ Dei Genitricis Mariæ. Cracouiæ. in Officina Typogr. Matthiæ Andreouienſis. Anno MDCXXXVIII. fol.

XIX.

Simonis Starovolſci, commentarius in IV. Libros inſtitutionum iuris ciuilis. Cracouiæ. Typis Franciſci Cæſarii. Anno Domini, MDCXXXVIII. 8. *Liber rarus.*

XX.

Elogium funebre magni olim Senatoris, Thomæ Zamoſcii Sarii, ſupremi Regni Poloniæ Cancellarii, Kniſienſis, Rabſtinenſis, Socalienſis, Neoforienſis, Præfecti, Cracouienſisque Satrapiæ Prætoris: A Simone Starouolſcio ſcriptum, in Officina typographica Academiæ Zamoſc. imprimebat Andreas Iaſtrzembſki Anno Domini MDCXXXVIII. fol.

XXI.

Simonis Starovolſci, laudatio almæ Academiæ Cracouienſis. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii S. R. M. Typogr. Anno Domini MDC. XXXIX. fol. *Liber rariſſimus.*

XXII.

Simonis Starovolſcii, veſtis Mariana, ſeu oratio, ſacrum Reginæ cæli habitum, volgo ſcapulare dictum, deſcribens. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDC. XXXX. fol.

Editio ſecunda. Romæ. Ex Typographia Andreæ Phæi. MDCXLVI. Superiorum permiſſu. 16.

XXIII.

Simonis Starovolſci, inſtitutorum rei militaris. Libri VIII. Quorum I. Generalem belli deſcriptionem continet, II. Ducis qualitates, & officia comprehendit. III. Delatum militum, diſciplinamque, eorum edocet. IV. Claſſicum ſonat, & acies inſtruit. V. Nauale prælium deſcribit. VI. Solertia Ducum facta oſtendit. VII. Subruendarum, atque defendendarum vrbium rationes monſtrat. VIII. Dubia nonnulla ad militarem prudentiam ſpectantia reſoluit. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXXXX. fol. *Editio rara.*

Editio ſecunda. Florentiæ. MDCXLVI. Superiorum permiſſu. Sumptibus Ioannis Baptiſtæ & Ioſephi Coroi, Bibliopolarum Romæ, 8. *Editio rariſſima.*

XXIV.

Vita & miracula ſerui Dei, Vincentii Kadlobkonis, Simone Starovolſcio ſcriptore. Cracouiæ, in Officina Chriſtophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLII. 4. *Inter rariſſima Starovolſcii ſcripta referendum. Krauſe in præfat. ad Dlugoſſi Tom. II. p. 18. vocat librum nuſpiam apud nos reperiendum. vid. eiusdem umſtändliche Bücher Hiſtorie. part. II. p. 303. confer etiam Götzens Merkwürdigkeiten der Königl. Biblioth. zu Dresden, Tom. III. p. 136.*

XXV.

Magni Antiſtitis, Iacobi Zadzicii, elogium & vita, a Simone Starovolſcio conſcripta. Cracouiæ. in Officina typographica, Franciſci Cæſarii. Anno MDCXLIV. 4. *Liber rarus.*

XXVI.

Simonis Starovolſci, ad Principes chriſtianos, de pace inter ſe componenda, belloque Turcis inferendo, protrepticon. Prodiit Gedani circa annum MDCXLV. abſque vlla anni locique mentione 4. *Hæc Editio nitidiſſima & rariſſima.*

Editio ſecunda, Viennæ Auſtriæ, typis Matthæi Cosmerouii. Anno MDCLV. 12. *Hæc editio quoque rara.*

XXVII.

Muſices practicæ Erotemata. In vſum ſtudioſæ iuuentutis, breuiter & accurate collecta, a Simone Starouolſcio, eccleſiæ Collegiatæ Tarnouienſis Primicerio. Cracouiæ. Ex Officina Franciſci Cæſarii; S. R. M. Typogr. Anno MDCL. 8. *Liber rariſſimus. Primicerii dignitas ſignificat einen Domsänger, qui in eiusmodi eccleſiis ſemper canonicus.*

XXVIII.

Iobileus, ſeu Remiſſa noxarum. Per Simonem Starouolſcium, Primicerium Tarnouienſem. Pro poenitentium, ac poenitentiariorum cognitione, enodata. Cracouiæ, in Officina Franciſci Cæſarii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCLI. 12. *Liber rarus.*

XXIX.

Simonis Starouolſci, monita legalia, methodum in vtroque iure ſtudendi præſcribentia. Cracouiæ. apud Viduam & Heredes Franciſci Cæſarii, S. R. M. Typogr. MDCLII. 12.

XXX.

XXX.

Epitome Conciliorum, tam Generalium, quam Prouincialium, in Græca & Latina Ecclesia celebratorum, quæcunque reperiri potuerunt. Itemque Vitarum Romanorum Pontificum, Epistolarum, Decretalium & diuersarum Sanctionum eorum. Cum Chronologica & Historica obseruatione. A Simone Starovolscio, Primicerio Tarnouiensi, Libris XXVI. comprehensa. Romæ. MDCLIII. Sumptibus Ioannis Baptistæ, & Iosephi Corbi Bibliopolarum. Typis Ignatii de Lazaris. Superiorum permissu. fol. *Opus rarissimum.*

XXXI.

Simonis Starovolsci, Breuiarium Iuris Pontificii, in vsum simplicium Parochorum, Libris septem, simpliciter collectum. Romæ. Sumptibus Io. Baptistæ & Iosephi Corbi, Bibliopolarum. Ex Typographia Francisci Monetæ. MDCLIII. Superiorum permissu. 4. *Liber rarissimus.*

XXXII.

Monumenta Sarmatarum, viam vniuersæ carnis ingressorum. Simone Starovolscio, Primicerio Tarnouiensi, collectore. Cracouiæ. In Officina viduæ & hæredum Francisci Cæsarii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCLV. fol.

XXXIII.

Vitæ Antistitum Cracouiensium, per Simonem Starovolscium, C. C. Primicerium Tarnouiensem, editæ. Additis hexastichis, excellentis olim viri, Christophori Contscii, Philosophiæ Doctoris. Superiorum permissu. Cracouiæ apud Viduam & Hæredes Francisci Cæsarii, S R. M. Typ. Anno Domini, MDCLV. fol.

SERMONE POLONO

XXXIV.

Epistolarum Turcicarum volumen. Cracouiæ, in Officina typographica Matthiæ Andreouiensis. Anno Domini MDCXVIII. *Liber perrarus.*

XXXV.

De corrigenda Reipublicæ Polonæ forma, poëma. Impressum Anno Domini MDCXXV. 4.

XXXVI.

De laudibus S. Benedicti, concio. Cracouiæ, ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLI. 4.

XXXVII.

Oratio, in exequiis magni Præsulis, Iacobi Zadzik, Episcopi Cracouiensis, Ducis Severiæ, habita. Cracouiæ, ex Officina Christophori Schedelii. S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCLII. 4.

XXXVIII.

Sermones de Sanctis, Cracouiæ, ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLV. fol.

XXXIX.

Sermones in dies Dominicas. Cracouiæ, ex Officina Christophori Schedelii, S. R. M. Typogr. Anno Domini MDCXLVIII. fol.

XL.

Sermones, pro diebus, B. Virginis MARIÆ sacris Cracouiæ, ex Officina Francisci Cæsarii, S. R. M. Typogr. Anno Domini, MDCXLIX. fol.

XLI

De Aula Constantinopolitana relationes. Cracouiæ, ex Officina typographica Francisci Cæsarii. Anno Domini, MDCXLVII. 4.

Editio secunda, Ex eadem Officina Anno Domini, MDCXLIX. 4.

Tertia editio. Cracouiæ, ex Officina Francisci Cæsarii, S. R. M. & illustris. Principis Episcopi Crac. Typographi. Anno MDCCXV. 4.

XLII.

Bonus miles. Superiorum permissu. Absque anni & loci mentione. 4. *Rarus Liber.*

XLIII.

Dissertatio, de exactionibus militaribus. Absque anni & loci mentione. 4. *Libellus rarissimus.*

XLIV.

Dissertatio, de moneta. Omissa quoque, cum anni, tum loci mentione. 4 *Rarissimus Starovolscii scriptis annumeranda.*

XLV.

Consilium, de prohibendis populationibus Tartarorum. Prior editio, sine loci & temporis nota, exiit. 4.

Secunda editio, Cracouiæ, typis Adalberti Gorecii, excusa est, Anno Domini, MDCLXXI. 4.

XLVI

De reformandis gentis Polonæ moribus. Opus sæpius excusum. Postrema, eaque optima editio, cura & liberalitate Stanislai Witwicki, Episcopi Posnaniensis, Varsauiæ, ex Typographia Collegii Scholarum piarum prodiit. Anno Domini MDCXCII. 4.

Est quoque penes nos, eiusdem operis Latina versio, propria, vt opinor, Starovolscii manu scripta, publici tamen iuris nondum facta.

SIMONIS STAROVOLSCII
POLONIA
Siue status
REGNI POLONIÆ
DESCRIPTIO.

POLONIA, antiquis *Sarmatia Europaea* dicta, vti nunc a sapientissimo Rege Sigismundo III. moderatur, octo in vniuersum Prouincias sub vno sceptro continet; moribus, legibus, lingua, ex parte differentes: viuendi vere genio, libertatis prærogatiua, capessendorumque in republica honorum aptitudine, omnes ex æquo pares, & iuribus necessitudinum inter se inuicem adstrictas. Hoc est, *Poloniam vtramque*, *Lituaniam*, *Russiam*, *Prussiam*, *Masouiam*, *Samogitiam*, *Pomeraniam & Livoniam.* De quibus singulis, quamuis & sigillatim & in communi, plurimi viri prudentes, tum nostrates, tum extranei, scripserint; quia tamen assidua est harum sublunarium rerum mutatio, & poten-

tissimorum quorumuis imperiorum fatalis quædam hæc conditio, vt singulis fere seculis ac ætatibus accipiant nouas inclinationes, aut incrementa: Ideo, qualem nunc patria nostra sortiatur statum; qualesue seruent sub coronam aggregati populi mores & consuetudines inter se; quas vires, quas opes, quod regimen, quam religionem, quos denique vicinos habeant, & quam potentes: hoc speciali libello perstricta, posteris tradere constitui. Vt candidus lector, conseruatam hactenus, prout a maioribus nostris accepimus, imo auctam Sarmatiam nostram videns, non prudentiæ alicui humanæ (vt solent moderni politici) aut potentiæ amplissimi Regni, hoc adscribat, sed diuinæ prorsus benignitati, quæ veros sui cultores, quamuis in faucibus immanissimorum hostium positos, incolumes pro sua misericordia seruat, & a primo gentis auctore Lecho, in hodiernum, liberos atque florentes, nec vllius vnquam iugo pressos, circum vicinis etiam populis, fœderum leges præscribere sinit.

SITUS POLONIÆ.

REgnum *Poloniae*, cum adiacentibus sibi prouinciis, extenditur in longum, a tricesimo octauo gradu, ad quinquagesimum quartum, ab occasu æstiuo versus ortum hibernum, amplius quam per ducenta quadraginta milliaria Germanica. In latum vero a montibus *Carpathiis*, vsque ad mare *Balthicum* seu *Venedicum*, per ducenta plus minus milliaria. Ab occasu cingitur *Marchia Brandeburgensi*, & *Pomerania vlteriore.* A septentrione *mari Venedico* & *Sarmatico*, cuius aduersa littora *Gotthi* atque *Suedi* tenent. Ab ortu *Moscouia*, & campestribus *Scytharum* solitudinibus. A plaga demum Australi, *Valachia*, *Vngaria*, atque *Silesia.* Regio tota fere plana & aprica est, nisi qua ad fines *Vngariae* accedit, montana & syluestris. Quo longius autem inde recedit, eo lenius decliuis est, magisque culta, & meliore gleba. Nisi quòd in meditullio minoris Poloniæ *Caluus mons* supereminet, in quo monasterium est *S. Crucis* nomine, lignoque, in quo Saluator noster pependit, celebre: reliqui colles fere in toto Regno sunt porius, quam montes. Syluestris sane fuit superioribus temporibus pleraque omnis Polonia; sed nunc vbique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis abundans. Et quamuis cœli intemperie nimium laborat; pomaria nihilominus non infrequentia & fructuosa passim habet: in quibus pyrorum, malorum, prunorum, persicorum, cerasorum, & nucum bonitas & varietas certat cum Vngaricis & Italicis. Sunt & vites pluribus in locis, quarum vuæ esui quidem non insuaues sunt, præsertim si æstas & autumnus temperiem suam seruent: sed vinum inde expressum acerbius, vbi defecatum est. Neque negat solum Polonicum castaneas, mora, cotonia, ficus, amygdala, crocum, oryzam, pepones, melopepones, herbas & flores omnis generis, & alias hortenses Italiæ delicias, palati nariumque lenocinia. Nec metalla fossiliaque desunt, vt suis locis dicetur, plumbi, ferri, æris, cupri, argenti & auri. Auium quoque & altilium, magnam habet copiam: Itemque iumentorum omnis generis, & ferarum; ceruorum videlicet aprorum, vrsorum, luporum, sciurorum, dorcarum, leporum, onagrorum, bisontium, caprarum, vrorum, pantherarum, mardurum, vulpium, rosomacorum, lutrium & castorum. Similiter piscium diuersorum, quotquot nominari possunt: nam fluuiis, lacubus, piscinis atque stagnis supra modum abundat. Inter fluuios tamen præcipui sunt: *Vistula*, *Donaietius*, *Sanus*, *Nieper*, *Varta*, *Notissius*, *Duna*, *Nemenus*, *Nester*, *Prutus*, *Bugus*, *Bohus*, *Pripetius*, *Narva*, *Drevantia*, *Beresina*, *Boristhenes*, omnes fere nauigabiles. Sed sigillatim quamlibet prouinciam cum suis qualitatibus videamus.

MAIOR POLONIA.

TOta in vniuersum Polonia extenditur in longum per nonaginta milliaria Germanica;

Germanica; incipiens a *Marchia Brandenburgensi* ab occidente, vsque ad *Vistulam* fluuium, qui e *Carpathiis* montibus profluens, *Russiam* a *Polonia* disterminat, & quatuor a *Resovia* milliaribus *Sano* illabitur. Latitudinem vero habet 50. milliaria a prædictis montibus *Carpathiis*, vsque ad oppidum *Parovtam*, in confinibus *Lituaniae* positum. Diuiditurque in *maiorem & minorem*. MAIOR versus occasum est, tota fere plana & fluuiis irrigua, nisi quod *Cuiaviae* nonnulla pars clivosa est, collibusque molliter & ad fertilitatem commode distincta. Habet a meridie *Silesiam*; *Marchiam* ab occasu & *Pameraniam vlteriorem*: *Prussiae* partem & *Masoviam* a septentrione, a quibus *Vistula* disterminatur: ab ortu vero *minorem Paloniam*, variis, iisque ignotis terminis diuisam, sed quos inter *Pilcza* fluuius præterlabitur. Tota autem hæc *maioris Poloniae* amplitudo, in *octo satrapias* diuiditur: in *Palatinatum* videlicet *Posnaniensem*, (cui & *Wschovviense* territorium adiungitur) *Calissiensem*, *Lanciciensem*, *Brestensem*, *Junovladislaviensem* (& hæ duæ satrapiæ vulgo *Cuiavia* dicuntur) *Siradiensem*, *Rauensem* & terram *Vielunensem*.

Prouinciæ metropolis POSNANIA est, ad fluuium *Vartam*, longitudinis gradu 39. latitud. 52. sita, a qua & districtus nomen habet, primumque sibi locum inter satrapias vendicat. Vrbs quidem ipsa parua est, sed pulchra satis, & commerciis emporioque Germanorum exculta, suburbia amplissima habet; vbi & templum Cathedrale cum collegio Canonicorum, & aula Episcopi, inter paludes situm est; vulgo *Valisoviam* dicunt, quæ instar oppidi locum munitioni aptissimum habet. *Joannes Lubranscius* Episcopus loci, memoria omnium seculorum & laude vir dignissimus, publicum ibi Gymnasium, patrum memoria, erexit, Cracouiensisque Academiæ (quæ semper habita est domicilium omnis sapientiæ, & in qua ipse quoque omni meliori doctrina perpolitus, I. V. lauream promeruerat) Professoribus curandum reliquit. Quod deinceps *Adamus Conarius*, eius successor, augustiori structura exornauit, Comes vero *Rosrazevius* maioribus stipendiis auxit. Vnde quamuis Clerici *Societ: Jesu* in vrbe ipsa habeant suum collegium, in quo studiosam iuuentutem erudiunt; floret nihilominus in suburbano *Lubranscianum* Athenæum, certatim eo nobilitate concurrente, ob mathematicas disciplinas, & iuris prælectiones. Florent & in monasteriis studia religiosorum; Sed præcipue apud Dominicanos sodales theologia, magno auditorum concursu viget: pietas æque apud omnes.

Septem inde milliaribus *GNESNA* distat, cuius Archiepiscopus ecclesiæ Polonicæ Primas est, & Regni totius primus Princeps: olimque vrbs ipsa Regni caput erat, quod nimirum a *Lecho* gentis auctore primum erecta esset, & a regiæ auis omine auspicato nomen sortiretur. Nidus enim in Sclauonico, *gniasdo* dicitur. Cum autem ille in eo loco nidos aquilarum plurimos reperisset, vrbem quam inibi condidit, a nidorum multitudine *Gnesnam* appellauit: pro insigni autem militari, *aquilam albam* assumpsit, quo etiamnum regnum Poloniæ vtitur. Archiepiscopus igitur Gnesnensis, a concilio Lateranensi, in spiritualibus vices summi Pontificis gerit, & *Legatus Natus* appellatur: in politicis autem, præcipue interregni tempore, *Proregis* auctoritatem habet. Et prout collegium illius, ob excellentiam suæ Metropolitanæ ecclesiæ, præter aliarum Cathedralium morem, Cancellarium cum dignitate habet, qui munimentorum & libertatis illorum (omnes enim nobiles esse debent, nec ad præbendas admittuntur plebeis orti parentibus, in vllo Capitulo Cathedrali, in tota ferme Polonia, nisi certus Doctorum numerus, assignatus ex fundatione,) custos quodammodo est: sic Archiepiscopus ipse, supra dignitatem & prærogatiuam aliorum Antistitum, aulicos, cubicularios pueros, aliosque ministros & satellites, more regio habet, & qui inter eos eminent, Cancellarium specialem, atque Mareschalcum. Quorum ille, iudiciis spiritualibus, quæ ad curiam Archiepiscopi deuoluuntur, cum au-

ctoritate præeſt: hic, cum in publicum Princeps prodit, baculum ſeu virgam illi præfert, prout Regibus ipſis præferri in Polonia mos eſt, & aulam ipſius totam ipſe moderatur. In Metropolitana itaque *Gneſnenſi* eccleſia, Divi *Adalberti*, Archiepiſcopi olim loci illius, honorantur reliquiæ, ſepulchro in medio templi pulcherrime exſtructo; pro quibus aſſeruandis, ſereniſſimus Rex *Sigiſmundus* III. tumbam argenteam donauit precii haud contemnendi; cum & antea ciſtæ argenteæ incluſæ fuiſſent, ſed non ita affabre extructæ. Habetque ſane templum illud inæſtimabilem theſaurum in vaſis aureis, argenteis, & gemmatis, quæ veteres Principes & Archiepiſcopi tabulis legarunt; & nuper defunctus *Henricus Firlei* præter alia vaſa & veſtes pretioſas, quas Eccleſiæ illi donauit, dedit etiam tiaram ſuam epiſcopalem, viginti quatuor millibus florenorum æſtimatam.

Cætera oppida *ſatrapiae Poſnanienſis* ſunt, *Coſtenum*, *Uſchouia*, *Slupcia*, *Pyſdra*, *Coninum*, *Kcina*, *Kazimiria*, *Nacum*, *Curnicum*, quæ & muris exornata ſunt, & non infrequentia habentur: reliqua vero omnia ſine vllis mœnibus ſunt, & nec niſi ligneis ædificiis conſtant, præter templa, & caſtella, ſiue arces adiunctas, aut monaſteria Abbatiarum præpinguium, quale eſt, *Landenſe*, *Obrenſe*, *Lubinenſe*, *Bleſouienſe*, *Vongrouecenſe*, *Paradiſenſe*, *Mogilnenſe*, *Tremeſnenſe*, *Praementenſe*, & reliqua Ordinum mendicantium.

Senatores vero huius ſatrapiæ ſunt, *Archiepiſcopus Gneſnenſis*, *Epiſcopus Poſnanienſis*, *Palatinus Poſnanienſis*, *&* *Caſtellani* ſeptem, *Poſnanienſis*, *Miedirecenſis*, *Rogoſnenſis*, *Stemenſis*, *Praemetenſis*, *Criuinenſis* & *Santocenſis*. Sunt & *officiales* tam terreſtres, quam caſtrenſes; *Praefectique* ciuitatum partim cum iuris dictione, partim ſine iuriſdictione, vt in omnibus regni prouinciis habere mos eſt. *Poſnanienſis* nihilominus *praefectus* prærogatiuam habet hanc, vt *Generalis* maioris Poloniæ dicatur, & in aliquot diſtrictibus ſuam iuriſdictionem exerceat.

CALISSIUM vrbs ad fluvium *Przoſna* inter paludes ſita: muro latericio, cum turribus, cincta, aliquot religioſorum monaſteria & templum Canonicorum habet; itemque Collegium *Societatis Jeſu* ſumptuoſiſſimum, quod *Stanislaus Karncovius*, Archiepiſcopus olim Gneſnenſis, vir rerum ciuilium cognitione, cum eruditione eximia, tum prudentia, integritate, aliiſque dotibus, in Republ. clarus, ſuis ſumptibus exſtruxit, & inibi ſepeliri voluit. Regio ſicut & tota maior Polonia, frugibus, piſcibus & pecoribus abundans eſt; minoribus oppidis admodum frequens, quorum præcipua ſunt, *Stavum*, *Colum*, *Coſminum*, *Dobra*, *Grabouia*, *Opatouecia*, *Pleſouia*, *Odolanouia*, cum arce in paludibus ſita, & *Chocia*, in qua nuper Reverendiſſimus Epiſcopus Cracovienſis *Andreas Lipſki*, eccleſiam collegiatam & præpoſitum infulatum, ſumptu ingenti fundauit. Haud procul inde conſpicitur *Goluchouia*, arx Comitum a *Leſno*, recentiori architectura exſtructa: itemque parte ab alia *Crotoſinum*, cum horto pulcherrimo Comitum *Rozrazoviorum*, & oppidum *Borek*, imagine miraculoſa *B. Mariae* percelebre; ingens enim e tota Polonia eo hominum deuotorum concurſus fieri ſolet, qui ſingularem ibi numinis fauorem experiuntur. Eſt & *Olobocum* duobus milliaribus a *Caliſſio*, monaſterium monialium prædiues, & pulchre in modum caſtelli ædificatum. Habet autem ſatrapia hæc *Palatinum* proprium, & *Caſtellanos ſex*, *Caliſſienſem*, *Gneſnenſem*, *Landenſem*, *Nacielſenſem*, *Biechovienſem* & *Camenenſem*.

SIRADIA, ad *Vartam* fluuium poſita, in *quatuor territoria* ſatrapiam ſuam diuidit; in *Siradienſe* videlicet, *Schadkovienſe*, *Radomſcenſe*, & *Petricovienſe*. Habetque præter *Palatinum*, *Caſtellanos quatuor*: *Siradienſem*, *Roſpirenſem*, *Spicimirienſem*, & *Conarienſem*: Oppida vero præcipua, *Vidaviam*, *Vartam*, *Pabianice*, *Laſcum*, vbi olim *Joannes Laſcus* Archiepiſcopus Gneſnenſis, hæres comitatus illius, Præpoſitum infulatum ditiſſime fundauerat: auxerunt autem eccleſiæ ſuppellectilem, illuſtres illius fratres, collatis ampliſſimis donariis. Septem autem milliaribus inde eſt *Petricovia*, vrbs non inelegans, in qua *Regni Tribunal*, ſeu

parlamentum,

parlamentum, singulis annis celebratur; & aliquot stadiis inde *Byki*, arx Baronum eiusdem cognominis, pulcherrime exstructa. Est & Abbatia insignis *Vitroviensis* in proximo: & paulo remotius Italicæ architecturæ palatium *Crumen'e*.

Huic palatinatui adiacet *Terro Vielunensis*, quæ proprios *magistratus* habet & *Castellanum*; diuiditurque in *territoria*, *Vielunense* & *Ostressovienses* quæ aliquot oppida in se (præcipue *Boleslavetiam* cum arce munitissima) continent, atque pagos infinitos. Ipsa vrbs *Vilunia* pulchras domus latericias habet, & templum Canonicorum fabricæ antiquæ, itemque monasteria aliquot elegantia: sed quæ omnia superat illud *Zloczoviense* FF. Minorum de Obseruantia.

RAVENSIS satrapia habet *Palotinum* & *Castellanos tres* (in tot enim *territoria* diuiditur) *Ravensem*, *Sochaciouiensem* & *Gostinensem*. Oppida præcipua sunt, *Rava*, ligneis quidem ædificiis constans, sed populara satis, arcem muratam habet, in qua prouentuum e bonis regiis solutioni militum, quarta pars deponitur: Sic enim Reges superiores voluerunt, vt assiduæ in *Podolia*, contra barbarorum excursiones, excubiæ fierent. In eadem arce communissime asseruantur captiui hostes patriæ, si sunt personæ honoratiores: qualis nostra ætate ibi fuit, filius naturalis *Caroli* Regis Sueciæ, bello *Livonico* cum aliquot legionum præfectis captus; & nuper *Baudisius*, *Gustavi* Regis Sueciæ militum Tribunus, itemque *Streffius*, *Teuflius*, & alii alarum ductores, bello *Prussico* capti. Collegium hic studiosorum frequentissimum *Societatis Jesu* clerici habent. Sed longe populosius est *Lovicium*, residentia Archiepiscopi Gnesnensis, quinque milliaribus *Rava* distans. Nundinæ quotannis ibi fiunt celebres, vnde ciues quoque mercaturæ addicti. Arx Archiepiscopalis in mediis paludibus sita, pulchra ædificia habet, itidemque Canonici & ciues nonnulli: Ecclesia namque collegiata ibi est, satis argento & vestibus sacris diues: similiter monasteria & templa alia. In agro *Loviciensi* nobilium auicularum, quæ *Sniegulae* vocantur (quasi *nivales* aues dixeris, vt *Cromerus* auctor est: quod non nisi sub hyemem excipiantur & cum hyeme simul dispareant;) famosa est captura: alibi eas conspici aut capi negant incolæ loci illius. *Volboria* quoque Cuiaviensis Episcopi residentia, palatium pulchrum ad aquas situm habet, & oppidum ipsum habitatoribus plenum. Est etiam alicuius notæ *Gombinum*, *Sochaciovia*, *Gostininum* (nobilitatum carcere *Demetrii Suiscii* Magni Ducis *Moscoviae*, qui ibi in arce longo tempore asseruabatur, & tandem pædore consumptus vitam exspirauit.) *Squernevicia* haud inelegans palatium Archiepiscopi Gnesnensis continens; *Biola*, Chelmensis Antistitis ditio; vnde conspicitur *Radzeiovia*, eiusdem cognominis Palatini Lenciciensis arx pulcherrima, hortos fontes & pomaria amænissima habens.

Tum *Viasdum* oppidum arcis elegantia conspicuum, quasi ad læuam *Rauae* ciuitatis positum. *Ravensi* vero satrapiæ vicina est LENCICIENSIS, in *tria* similiter, prout & illa, *territoria* diuisa, *Lenciciense* videlicet, *Brezinense*, & *Orlouiense*. Præterque *Palatinum*, *quatuor Castellonos* habet, qui ad senatum regni spectant, *Lenciciensem*, *Brezinensem*, *Inovlodensem* & *Conariensem*. Præcipua districtus vrbs *Lencicia* in paludibus sita, templum Canonicorum longe extra vrbem in loco sane inexpugnabili habet, si eum vel leuis ars architectonica iuuisset; ipsa nundinis celebris & comitiis nobilitatis illius palatinatus, qui ibi sua iudicia peragunt. Est & *Piontkum* ab vna, atque *Vnieiovia* parte ab altera, ciuitates Archiepiscopi Gnesnensis non contemnendæ, in quarum posteriore, arx ad *Vartam* affabre facta, conspicitur: in priore autem monasterium FF. S. *Pauli* primi Eremitæ.

Sequitur *CUIAVIA* in *duos Palatinatus* diuisa, *Brestensem* nimirum & *Iunivladislauiensem*; regio frumenti, pecoris & piscium ferax; lacus etenim innumeros habet, eosque piscosos valde, quos inter præcipuum locum *Goplus* habet, quinque milliaria patens in longum, semis in latum.

Et BRESTENSIS quidem satrapia *vnum Palatinum*, *tres* vero *Castellanos* habet, *Brestensem* videlicet, *Crusvicìensem* & *Covalìensem*: *territoria* autem *quatuor*, *Brestense*, *Crusuicìense*, *Couoliense* & *Praedecense*. In *Brestensi*, *Vladislavia* est, sedes & oppidum Episcopi Cuiauiensis & *Pomeranioe*, templum Cathedrale, veteris quidem fabricæ, sed varia suppellectili, ac præcipue vasis argenteis ditissimum habens. Circa, domus Canonicorum, schola & seminarium; arx vero ipsa ad *confluentem Vistulae* sita, sicut & oppidum, domus latericias complectens. In eodem littore conspicitur *Nisovia*, tota murata, nec valde longe *Racìensium*, arce pulcherrima exornatum; item *Radzieiovia*, *Sluzevia*, atque *Breste* ipsum, vallo, muris, & fossa cinctum, latericiisque domibus interiectu trabium exornatum. Regio hæc, ferendæ segeti habiles campos ostendit, omniumque frugum copiam habet, quæ non modo in domesticos vsus suppetant, verum etiam *Dantiscum* ad nobilem illum mercatum secundis amnibus deuehantur.

Eodem modo IVNIVLADISLAVIENSIS satrapia *tria territoria* complectitur, *Bydgostense*, *Bobrovnicense* & *Iuniuladislauiense*, quod statim a *Goplo* lacu & oppido *Crusvicia*, vsque ad *Vistulam* & fines *Pomeraniae* extenditur, habetque complura oppida & villas, quamuis ligneas omnes: & præter *Palatinum*, *tres* ad consilium regium *Castellanos* mittit, *Iuniuladislauiensem*, *Bydgostensem* & *Conariensem*.

Crusvicia quæ ad *Brestensem* palatinatum spectat, & in *Iuniuladislauiensis* satrapiæ finibus posita est, habet templum extra oppidnm, *S. Petri*, e quadrato lapide extructum cum collegio XXIV. Canonicorum & arcem latericiam in *insula lacus Goplensis*, in qua olim Regem *Popielium*, diuina vltione permittente, mures deuorarunt, quod plurimos consanguineos suos, regnandi cupiditate, veneno in conuiuio sustulisset.

Bydgostia est ciuitas murata, collegio Clericorum *Societatis Iesu* nobilitata, habetque maximam copiam salmonum; sicut & *Pacostia* rhumbum. Sunt & alia ibidem non contemnenda loca, populationesque bonæ, vt *Gnievcouia*, *Vratislavia*, *Solecia*, *Dibovio atque Strelce*, vbi monialium totius *maioris Poloniae* ditissimum monasterium habetur.

POLONIA MINOR.

TAm in longum, quam in latum, quinquaginta fere milliaria Germanica, *MINOR POLONIA* habet; & in *tres* communissime *satrapias* seu palatinatus diuiditur, *Cracouiensem*, *Sendomiriensem* & *Lublinensem*, hoc ipso ordine, quo nunc sunt enumerati, versus aquilonem & ortum æstiuum sitos. Et a septentrione quidem *Masouiae* atque *Podlachiae* tractui, ab occidente *maiori Polonioe*, ab ortu *Russiae*, a meridie vero *Vngoriae* & *Silesioe* finitima est. Quoque propius accedit ad fines *Vngariae*, hoc magis montana est & syluestris: quo longius autem inde recedit, eo lenius decliuis est, magisque culta, & meliore gleba. Tametsi in meditullio quoque *Sendomiriensis* terra, aliqua ex parte leniter montosa, seu verius cliuosa apparet: Vno *Caluo monte* excepto, in quo monasterium Benedictinorum est, S. *Crucis* nomine lignoque celebre; tum aliud ad radices eius, duobus milliaribus inde S. *Catharinoe*, FF. Minorum de obseruantia.

CRACOVIENSIS palatinatus, præter suos *quatuor districtus* (*Crocouiensem* videlicet, qui *duo territoria* complectitur, *Xianzense* & *Prossoviense*; *Lelouiensem*, *Biecensem* & *Sendecensem*, in quos diuiditur,) etiam *tres ducatus* in se continet, *Osuecimensem*, *Zotoriensem*, *Seueriensem*, qui partes sunt *Silesiae*, & comitatum *Scepusiensem*, qui est pars *Vngariae*, *tredecim oppida* continens, inter quæ *Lubovlia* præcipuum locum sibi vendicat, arcem munitissimam, & in ea perpetuas excubias habens; *Podolinecia* quoque collegio piarum scholarum percelebris. Reliqui

qui vero omnes huius satrapiæ districtus, *tres & nonaginta papulatianes*, præter pagos & villas continent, templis, monasteriis, & castellis exornatas. Ac præter istas, sunt etiam arces in editioribus locis & rupibus extructæ, *Melstinum*, *Rabstinum*, *Tencinum*, *Landiscorana*, *Moravica*, *Xiansia*, *Ogrodenecia*, *Lipovecia*, *Ociecium*, *Visnice*, *Pilcia*, *Sorstenum*, *Bobrek*, *Spitkavice*, *Soben* & cetera. Sed sunt & monasteria ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum exædificata, & vicis pagisue non longe distantibus frequentata, *Tinecense*, *Mogilense*, *Bielanense*, *Caluoriae*, *Miechauiense*, *Sielecense*, *Visnicense*, *Siriciense*, *Hebdouiense*, *Atuernense*, *Stanantecense*, *Andreouiense*, *Prerouiense*, *Gidlense*, *Mstouiense* & *Czenstochouiense*.

CRACOVIA, caput prouinciæ & regni totius metropolis, posita longitudinis gradu 42. latitud. 50. quæ cum ædificiorum priuatorum iuxta ac publicorum splendore atque munitione, tum rerum omnium ad victum cultumque corporis pertinentia, & mercium exoticarum copia, hominumque frequentia & ciuilitate facile cum claris *Germaniae Italiaeque* vrbibus comparari potest. Habet adiuncta sibi duo oppida, a meridie *Caziniriam*, a septentrione *Clepardiam*, arcem vero in rupe, quasi medium, *Vistulae* imminentem, ac magnificis ædificiis exornatam. Ibidemque Basilicam S. *Stanislai*, in qua eius sepulchrum nuper a *Martino Szyschouio* loci Episcopo sumptuosissime restauratum est; cum etiam antea tumbam argenteam multaque aurea vasa cultui diuino sacrata habuerit: sed ea longe auxit piorum Regum e *Iogellanica* prosapia liberalitas, tum *Sigismundi* III. eiusque filii *Vladisloi* IV. pietas. *Sigismundusque senior*, præter donaria alia in crucibus aureis et vestibus gemmatis oblata, argenteum altare, ad *Diui* sepulchrum erexit; eiusque deinde filia, *Anna* Regis *Stephani* vxor, aliud argenteum altare in capella *Annunciatae Virginis*, vbi *regum sepultura* est, patris sui manes venerata, statuit: tectoque deaurato Oratorium illud condecorauit. Taceo hic tot reliquias *Sanctorum*, auro, argento, gemmisque preciosissimis exornatas; taceo cruces lapidibus et margaritis lucentes, quæ tot millibus aureorum æstimantur; taceo mitras episcopales, casulas, et pluuialia ex ipsissimis gemmis facta; cum hæc precium fere omne superent, faciantque eo maiorem stuporem mirantibus, quo magis considerantur et diligentius inspiciuntur. Hoc dicam, quod ditissime etiam in Europa prouisis ecclesiis cum hac nostra commune non est, quod in ea videlicet perpetuo cantetur et nusquam silentium fiat, sacerdotibus in certas classes ob id dispositis, qui per totam noctem psallunt. Cumque *centum* circiter singulis diebus in ea sacrificia peragantur, *acta* Missæ ordinariæ cantantur a sacrorum mystis, et ex eis *duae* concentibus musicis. Episcopus ipse, *tredecem* ciuitatum dominus est, et ducatus *Seueriensis* supremus princeps. Capitulum, quod 36. Canonicis constat, cum reliquis inferioris ordinis sacerdotibus, tantundem in reditibus, quantum et Episcopus, habent. Omitto hic alias *quinque* ecclesias tam in arce, quam in vrbe sitas, quæ proprios Canonicos et Capitula sua habent. Omitto monasteria ditissima, et paroecias vrbis; inter quas principem locum tenet illa in circulo Cracouiensi, *Beatae Mariae Virginis*, quæ Archipresbyterum infulatum habet, et ob cleri numerositatem, similiter prout et in arce, totis noctibus assidue laudes diuinas concinit.

Venio ad *Academiam*, eruditorum omnis generis fertilissimam officinam, quæ totius *Sarmatiae* sidus lucidissimum est, pariter vt olim *Graeciae* oculus *Athenae*. Hæc in vniuersum *vndecim collegia* habet. *Collegium maius* in quo *Philosophi*, et *Collegium Iurisperitorum*, in quo eius artis *Professores* habitant et prælegunt. *Medici* enim, quia communissime vxorati sunt, *extra Collegium* manent quisque in domo propria. *Bursa Iurisperitorum*, seu *Collegium Dlugossionum*, in quo Astreæ candidati manent. *Collegium pauperum* seu *Bursa Iagelloniana*, *Collegium Philosopharum* seu *Bursa Noscauiana*, *Collegium Hierusalem* seu *Bursa Olesniciana*, *Collegium Zitinianum* nouiter erectum, *Collegium Staringilianum*, *Smiescauicianum*,

 et

et *Collegium* seu *Classis artium humaniorum.* His adiungi possunt 14. *scholae grammatices*, sparsae per vrbem, in quibus alias etiam superiores artes Academiae Magistri docent, sub vno capite Magnifico Academiae Rectore; singulaeque Facultates, certis legibus suos regunt, et studium magna sedulitate dirigunt ita, vt nullus fere ecclesiasticae Polonicae dignitatis ordo sit, in quo non reperiantur, qui in alma hac vniuersitate exercitati non fuerint. Faxit immortalis Deus, vt florentissimae Academiae gloria, quae tam multorum in se amorem, variis exercita aerumnis conuertit, et pietatem excitat, nulla aut fortunae aut inuidiae vi vnquam collabascat.

Sunt et *Monasteriis* Religiosorum mendicantium studia tam *Philosophiae* quam *Theologiae* florentissima, apud *Augustinianos* in monasterio S. *Catharinae*, apud *Franciscanos*, tam conuentuales, quam de obseruantia, apud *Carmelitas Discalceatos* in suburbano, apud *Ignatianos*, ad *sanctae Petrum* maiorem, apud professos *sancti Pauli* primi Eremitae, in *Rupella*, atque alibi apud alios. Sed maxime apud *Dominicanos* ad aedem SS. *Trinitatis*, qui antiquitus eruditione simul et vitae integritate excelluerunt, et etiamnum habent praelectores viros omni iudicio doctissimos, et vna verbi DEI praedicatores celeberrimos

Sed et *corpora Sanctorum* quiescunt in hac vrbe plurima, ac praecipue quae miraculis clarent, sunt, *sancti Stanislai*, S. *Prandothae*, S. *Ioan. Grothii* in arce, S. *Hyacinthi & Ioannis Episcopi* apud Sodales Dominicanos, S. *Isaiae Confessoris* apud Augustinianos Eremitas, S. *Stanislai Cazimiriensis* apud Canonicos Regulares, S. *Simonis Lipnicae* apud Minoritas de Obseruantia, qui omnem aetatem suam, tam in seculari, quam monastica vita, magna puritate et innocentia peregit, ita vt cunctis exemplo esset. *Sanctus* quoque *Ioannes Cantius* Academicus, vir vti eximia vitae sanctimonia, sic et praestanti excellens doctrina apud S. *Annam* quiescit, et cum illo plurimi pietate insignes viri: *Antonius Anapachaniae*, *Rochus Posnaniensis*, *Simon Halicius*, aliique plures alibi, morum suauitate, et vitae inculpatae innocentia celebres: vt *Stanislaus Kokoszka*, *Bartholomaeus Bontkouius*, *Ioannes Velicius*, *Sebastianus Nucerinus*; sed principaliter apud S. *Marcum*, *Michael Gedrucius*: Reliqui, quorum praeter summam vitae integritatem, doctrina quoque varia et recondita fuit, sunt scripti in libro vitae.

Sunt et *Confraternitates* piorum hominum in hac vrbe celeberrimae, quae solemnioribus festiuitatibus, iuxta veterem ritum, diuersis coloribus in processionibus vestiuntur, videlicet: *Confraternitas Rosarii* colore rubro, *Confraternitas Misericordiae* colore viridi, *Confraternitas Scapularis* colore coeruleo, *Confraternitas compassionis Christi* colore nigro, *Confraternitas Italorum* colore niueo, *Confraternitas Corporis Christi* colore niueo cum caputiis rubris, *Confraternitas sanctae Sophiae* colore albo nitido, *Confraternitas sanctae Annae* albo obscuro, *Confraternitas sanctae Monicae* colore lazuro etc.

Sed nos, facta obiter religiosae pietatis mentione, quae ad eandem normam in omnibus *Poloniae* vrbibus seruatur, ad reliquam huius nobilissimae satrapiae descriptionem procedamus. Habet itaque illa praeter *Episcopum*, *Castellanum*, et *Palatinum Cracouiensem* alios *quatuor Senatores* ad consilium Reipublicae pertinentes, *Castellanum* nimirum *Voinicensem*, *Osuecimensem*, *Sandecensem* et *Biecensem*; Praeterque alios *magistratus* terrestres, et castrenses, (quos inter *Generalis Praefectus Cracouiensis*, est primarius custos ac defensor, non tantum arcis regiae, in qua corona asseruatur, verum etiam pacis atque tranquillitatis publicae: Vnde iurisdictionem habet late patentem, non modo in agrestes et oppidanos, verum etiam in equestris ordinis homines) *Magnum Procuratorem Cracouiensem* numerat, qui sartorum tectorum arcis et redituum Principis curam habet. Arxque ipsa *Cracouiensis* peculialiter *decem* custodes habet, qui *Burgrabii* sumpto a *Germanis* vocabulo appellantur, pacisque iuxta ac belli tempore, nocturnas atque etiam diurnas,

quando

quando opus est, excubias per se, vel per administros suos seruant; debentque omnes nobiles esse.

Nec est prætereundum, quod præ omnibus Regni *Poloniae* satrapiis, vna *Sendomiriensi* excepta, huic soli omnia metalla fossiliaque contigit possidere: plumbi & argenti apud *Ilcussiam*, *Slavcoviam*, *Severiam* & *Novogoram*: æris atque auri ad *Novotargum*, & in montanis circa *Sandeciam*: salis metallici, instar ingentium saxorum, apud *Bochnam* & *Velifcam*: marmoris omnis coloris, apud *Seleciam*, Carmelitarum Discalceatorum Eremitorium: nitri apud *Visliciam*: vitrioli apud *Bieciam*: cupri & carbonum ad ignem fouendum apud *Tincinum*: chalybis apud *Podolenteciam*: ferri vero simplicis & vasorum vitreorum officinas, apud *Olstiniam*, tum & aliis compluribus in locis.

Quæ vniuersa quamuis, sed in submontana regione potissimum, hortis haud incultis, (vt hic de suburbanis *Cracoviensibus* taceam) & pomariis fructuosissimis referta sunt: in quibus castaneas, mora, cotonea, ficus, amygdalas, pepones, melopepones, herbasque ac flores omnis generis, *Italiae* delicias reperias. Et in primis CREPICIIS *hortum*, vt vulgo dicunt, *Italicum* cultissimum videbis: itemque palatium laquearibus deauratis, recentis architecturæ, tum quoque monasterium & templum Canonicorum regularium, sumptu & cura excellentissimi o'im viri, & cuius nomen famaque nec vetustate obrui, nec obliuione deleri poterit, *Nicolai Volscii*, Regni *Poloniae* supremi Marschalci, exstructum. Et in vicinia Castelli viuarium diuersorum animalium amplissimum, in quo nostris temporibus, præter castores, capras, damas & danielos, mille sexcentis solum modo cerui ipsi numerabantur. Eiusdem illustrissimi viri studio, & magnificentia CLOBUCII, templum & monasterium, similiter Canonicorum regularium, & palatium penes affabre factum & *hortus*, vt dicunt, *Italicus* conspicitur.

Sequitur *CZENSTOCHOVIA*, oppidum quidem bona cereuisia, quæ non tantum per *Poloniam*, sed etiam per vicinas *Imperii Germanici* prouincias distrahitur, percelebre. Monasterium vero extra oppidum in *Claro monte* situm, egregieque nunc restauratum & munitum, *B. Virginis* miraculosa imagine, a S. *Luca* Euangelista depicta, fere toti Christianitati notam. Solent enim eo, e longissimis partibus Europæ, deuoti homines, aut saltem donaria sua mittere, difficultatibus aliquibus impediti. Hinc thesauros ibi ingentes in gemmis, auro, argento, & vestibus sacris videbis, Religiosorumque inibi degentium, S. *Pauli* primi Eremitæ, frequentiam non contemnendam. In proximo templum S. *Apolloniae*, & turris conspicitur: atque inde FF. Dominicanorum residentia *Gidlensis*, itidem *B. Virginis* imaguncula miraculosa percelebris; vbi & Carthusia nouiter exstructa est.

Ad *confluenta* deinde *Vartae*, oppidum *Mstovia*, Canonicorum regularium, ditio amplissima, qui Præpositum infulatum loco Abbatis habent; & ad manum dextram inter siluas, arx in scopulo eminentissimo *Olstinja*: Tum procedendo versus ortum æstiuum, S. *Annae* templum *Priroviae*, sub cura FF. minorum de obseruantia, piorum hominum assiduis peregrinationibus famosissimum.

Ad fluuium vero *Pilciam*, *Novopolia*, nidus *Koniecpolsciorum* cum arce elegantissima, & castellum *Potok* conspicuum, eiusdem familiæ amoenissima possessio.

Lelovia deinde sequitur, territorii caput, & muro vetusto permunita. Hinc *Pilcia*, *Zbaravii* Ducis ditio, templum Canonicorum in oppido habens, in monte vero munitissimum propugnaculum, ad praesentem Geometriam dimensum; intus palatium superbissimum, & hortus more *Italico* excultus.

Inde versus meridiem eundo, primum occurrit *Ogrodzeniecia*, in scopulo arx *DD. Firleorum* vetustissima; deinde oppidis aliquot ignobilioribus interiectis *Severia* caput amplissimi cognominis Ducatus, arcem habet satis munitam in *insula* vnius latissimi stagni; & aliam *Lipoveciae* in scopulo eminenti, famosam carceri-

 bus

bus *insolentioris Cleri* Dioecesis Cracouiensis. Cum enim Episcopus Cracouiensis supremus Princeps sit Ducatus *Severiensis*, qui aliquot oppida continet, *Lipoveciam* inter illa, tanquam viciniorem vrbi *Cracouiensi*, vbi communissime iudicia peraguntur, incarcerandis *licentiosis Clericis* antiquitus deputauit.

In eodem Ducatu est *Slaucovia*, fodinis argenteis percelebris, ac ob id multum Episcopis Cracouiensibus amata. Vicina illi *Ilcussia* vrbs regia, itidem plumbi atque argenti fodinis diues & famosa; ciues habet, vt in luxu plus nimium superbos, sed ad deuotionem & pietatem nihilominus pronos, & bene moribus politos; vrbem ipsam mœnibus cinctam, & domus pulchre e laterculis factas: panis hic semper optimus & caro bubula, vt etiam *Cracouiam* ipsam superent, a qua vix quinque milliaribus distat. Quo spacio videbis tot castella, tot monasteria, totque palatia nobilium, sacerdotum, mercatorum, & in primis *Tencinum*, in monte eminentissimo situm, arcem pulcherrimam comitum ab illa cognomen suum deriuantium, originem vero a *Lecho* ipso gentis *Polonae* auctore: deinde ad sinistram *Piescovam* scalam, inter siluas arcem in rupe prærupta sitam: Itemque *Ocieeium*, arcem simili situ gaudentem: Et a tergo quasi *Rabstiniam*, *Ilcussiae* imminentem. Versus autem *Cracouiam* procedendo, *Moraviciam*, *Balicios*, *Midlnicos*, palatia pulcherrima, & ante ipsam iam vrbem, *Voliam* castellum elegantissimum, industria *Italorum* opificum exstructum. Tum denique in suburbano, *Lobzovia*, palatium sumptuosissimum regium, & hortus vndequaque cultissimus. Ad occidentem vrbis, vno milliari conspicitur in monte eminentissimo *Argentineo* nuncupato, patrum *Camaldulensium* Eremitorium, prædicti viri excellentissimi *Nicolai Volscii* sumptibus magnificentissime exstructum; vbi est quod viator miretur, cum sint omnia adamussim, iuxta proportiones geometricas in fabricando obseruata. Medio quasi milliari inde *Tinecium*, Benedictinorum ad *Vistulae* præterlabentis littus monasterium, Abbatem *quinque* ciuitatum, & *centum* villarum Dominum habens, qui est perpetuus Canonicus Cracouiensis. Et pergendo ad confinia *Silesiae*, palatium *Spitcoviense* ad eiusdem *Vistulae* confluuium occurrit: deinde arx *Bobrcensis*, in Ducatu *Osvecimensi*, vt ipsam *Osvecimiam* inter paludes sitam omittam. Inque Ducatu *Zatoriensi*, palatium *Ofstcense* haud indecore permunitum. Similiter in comitatu *Zivecensi* monasterium Canonicorum regularium, & palatium pulcherrimum in *Sucha*. Arx deinde *Landiscoronensis* in rupe excelsa, per tot milliaria vndique conspicitur; tum in ditione illius, *Mons Calvariae*, ad Illustri olim viro *Nicolao Zebridovio*, Palatino Cracouiensi appellatus, inque eius hæreditario fundo a viris religiosis, piorum deuotioni locus delectus, obseruata omni similitudine situs, cum situ vrbis *Hierosolymitanae*, in qua Christus Dominus operatus est salutem nostram. Ergo collibus impositis suis cognominibus oratoria sparsim per campos pulcherrima extruxit: in monte vero ipso *Calvariae*, monasterium sumptuosissimum FF. de Obseruantia erexit; impetrata a summo Pontifice gratia, quo a peregrinantibus ea loca licite visitari possint: Fitque eo maximus hominum concursus, non e *Polonia* tantum, aut vicinioribus locis, sed ex *Vngaria*, *Transylvania*, *Silesia*, *Moravia*, aliisque remotioribus populis.

Ab alia parte vrbis *Cracouiensis*, est Abbatia diues, monasteriumque Cistercensium, satis munitum & pulcherrimum *Claraetumbae* seu *Mogilense*: Et aliud ex opposito fere, *Vistula* tatummodo superata, *Staniontecense*, Monialium *D. Clarae*: Tum in siluis palatium regium *Niepolomicense*, venationes diuersarum ferarum & hortum excultum habens; Et siluis superatis quarto ab vrbe milliari aut quinto, Præmonstratensium Abbatia *Hebdoniensis*. In submontanam vero regionem vergens *Velisca*, ciuitas salis metallici fodinis nota per Europam, vel ex solius *Rhetici* Mathematici celeberrimi descriptione: itemque *Bochnia*, æmula *Veliscae*, iisdem fossilibus abundans. A cuius latere dextro versus *Vngariam*, primo conspicitur *Dobcicia*, ciuitas cum arce: deinde *ScIricium* intra montes, Cistercensium

ftercienfium Abbatia non contemneuda. Et verfus ortum in *Vifnicia*, Comitis *Lubomirfcii*, Cracouienfis Palatini, arx munitiffima, & PP. Difcalceatorum in vno monte vicino Eremitorium: vtraque modernæ architecturæ, excellentiffimas picturas diuerfaque marmora, & artificiofos in hortis aquæductus continens.

Omitto oppida ignobilia, & veteris fabricae arces: omitto villas & domus nobilium affabre factas, cum non in vrbibus modo, fed etiam in villis, lautius nunc & quodammodo magnificentius habitare noftri homines ftudeant; præcipue autem in fatrapia *Cracouienfi*, quæ & *Germaniae* vicinior aliis eft, & Italos mercatores atque opifices, quorum opera & induftria in ædificando vtitur, complures femper habet. *Sandecia* itaque in fubmotana hac regione, ciuilitate alias circumuicinas populationes fuperat, quæ & Abbatem Præmonftratenfium monachorum, & ecclefiam collegiatam habet; & homines Mercurio deditos, non pigros aut agreftes, vti communiter fiunt montani omnes, fed politos, induftrios, & negotiis fuis intentos. Vrbs muro cincta ad ripam *Dunatecii*, in loco amœniffimo, quafi vno milliari in profpectu veterem *Sandeciam* habet, vbi moniales Præmonftratenfes ditiffimum tota *Polonia* monafterium incolunt. Quinque milliaribus inde *Biecia*, vrbs pulchra & loco munito fita, fui territorii, prout & *Sandecia*, caput; tandem *Tucholia*, *Zmigrodum*, *Dembovecia*, *Ducla*, & *Tarnovia*. Ecclefia collegiata marmoribus perpolitis confpicua, tum muris ædificiisque vrbis, atque extra paulo in monte eminenti arce perinfignis, cui viuarium ampliffimum adiunctum, confpicitur. Eft hic in fuburbano FF. Minorum de obferuantia & monialium *D. Benedicti* haud inelegans, & in templo Canonicorum, fepultura *Tarnoviorum* comitum, & *Ioannis* vltimi Ducis *Oftrogii*, varie marmoribus exornata, & tota fane Phidio opere fculpta.

Ad feptentrionem itaque procedendo, inter nobiliora oppida huius palatinatus cenfentur effe *Opatouecia*, *Cofcia*, *Profovia*, *Miechovia*, militum fepulchri Chrifti ditio, qui in ea monafterium multis poffeffionibus ditatum habent, præpofito infulato fuperiori vtentes. *Xianfia* monafterium Auguftinianorum, & palatium marmoribus pulcherrime variegatum, extra fepta oppidi habet. *Andreovia* Abbatia prædiues, & oppidum non contemnendum. *Scarbimiria* frugum diues, & collegio Canonicorum honorata. *Chroberfcum* arx pulchra Marchionis *Mifcovii*, atque eiusdem ciuitas *Pinczovia*, palatium fuperbiffimum continens, in quo maxime balneum a poëtis celebratur. Terra abundat lapide viuo pro fabricis exftruendis apto, & agros per totum fertiliffimos habet.

Sed iam tranfeamus in SENDOMIRIENSEM palatinatum, qui in *octo territoria* diuiditur, *Sendomirienfe* videlicet, *Radomienfe*, *Stenzicenfe*, *Corcinenfe*, *Vislicienfe*, *Chencinenfe*, *Opocinenfe & Pilfnenfe*. Habetque *Senatores* ad confilium Reipublicæ fpectantes numero *nouem: Palatinum* in primis, tandem *Caftellanos* fequentes, *Sendomirienfem*, *Vislicienfem*, *Radomienfem*, *Zavichoftenfem*, *Zarnovienfem*, *Malogoftenfem*, *Polanecenfem & Cechouienfem*. Abundat metallis, auri, argenti, æris, & lazurii apud *Kielcios*: plumbi & argenti apud *Chenciniam*: ibidem marmoris nigerrimi & viridis atque rubei apud *Cunoviam*: ferri & chalybis ad *Vonchociam*, *Bodzantinum*, *Sydloveciam*, atque alibi paffim. Sicut & pomaria fructuofa vbique reperias, fed maxime in fuburbanis *Sendomiriae* ipfius & *Zavichofti*, in quibus pirorum, malorum, prunorum, perficorum, cerafforum, & nucum bonitas atque varietas certat cum *Vngaricis* & *Italicis*. Sunt & vites, quarum vuæ non infuaues funt, præfertim fi æftas & autumnus temperiem fuam feruent; fed vinum inde expreffum acerbius, vbi defecatum eft. Vrbs in fcopulo eminenti pofita ad *Viftulam*, profpectum amœniffimum habet, fatifque ciues politos fortitur, cum magna ibi femper nobilium fit frequentia, ob affiduam iurisdictionem *magiftratuum* prouinciæ ibi refidentium. Eft quoque ibi & collegium Canonicorum locupletiffimum & collegium Clericorum *Societatis Jefu* iuuentutem docentium,

centium, & collegia religiosorum virorum, & arx regia satis pulchre fabricata, in qua residet *Praefectus*. Secundum illam est OPATOVIA *quatuor* inde milliaribus distans, in loco fertili & amœno sita; itidemque templo Canonicorum, viris religiosis, & populi frequentia vrbs insignis, atque munitio *Viazdensis* nouiter erecta. *Radomia* territorii sui caput, muro cincta, templum minoritarum inter alia, pulcherrimum habet. Oppidum *Iedliyko* dictum gymnasium Academicum celebre, et templum affabre exstructum. *Tarlovia* quoque templum inter nouas fabricas magnificentissimum. *Solecia* ad *Vistulam* sita, arcem a Duce olim illustri, *Christophoro Zbaravio* restauratam et recentiori architectura exornatam, hortoque cultissimo auctam continet. *Ilza* vrbs, domibus latericiis elegans, Episcopi Cracouiensis est, ollas pulcherrimas toti *Poloniae* subministrat; cui arx adiuncta veteris quidem fabricæ, in loco editiori, sed pro commoditate aulæ Episcopalis satis auguste exstructa. Ad eam pertinet *Cunouia*, marmoribus omnis generis et omnis coloris percelebris. Illi vicina *Vonchocia*, monachorum Cisterciensium Abbatia pinguis, aquisque irriguis et hortorum amœnitate læta: Habet in fundo suo lapidem, pro fabrica optimum, itemque cotes acuendo ferro, qui per totam *Poloniam* distrahuntur. Ferri autem officinae, passim ibi per siluas et montes sparsæ reperiuntur, sed præcipue in ditione Episcopi Cracouiensis, qui suam residentiam *Bozentini* communiulinc habere solet: ciuitas est haud inelegans, muro et vallo septa, palatium pulchrum, et hortos Episcopi continens; estque quasi ad radices *Calui montis*, quo in tota *Polonia* altior non inuenitur. In iugo ipso, Benedictinorum Abbatia est, celebris ligni S. *Crucis* veneratione; Populus enim ex tota *Polonia* eo concurrere, et vota sua exsoluere solet, miraculorum quæ ibi patrantur fama assidua concitatus. Itidem ad radices montis celebre est monasterium S. *Catharinae*, FF. S. *Francisci* de Obseruantia, prout et alia complura per circuitum sparsa. Et versus occasum procedendo, *Kielciis* (Ecclesia hic collegiata pulchra, et palatium episcopale marmoribus exornatum ad symmetriam *Italicam*) æris et cupri, lazuriique fodinæ famosæ, Episcopi Cracouiensis sunt: prout *Chenciniae* plumbi, argenti, atque marmoris diuersi, tribus milliaribus inde, Regis ipsius. Arx ibi in monte prærupto sita, iuris ditionem in totum illum districtum exercet.

Sequitur *Malogostia* titulo *Castellani* nota, aliaque plurima ignobilia oppida: inter quæ *Sulovia* alicuius nominis est, quod Abbatem Cisterciensium Monachorum habeat, dominum aliquot circumuicinarum ciuitatum. *Drevicia* castro antiquo notabilis, sicut et *Inovlodia* ad fluuium *Pilcam* sita: sed vtriusque claritatem obscurat *Sidlovecia*, Ducum *Radivillorum* non contemnendus comitatus, et bonas piscinas, et frequentes ferri fodinas, et silnarum copiam, et pulchra vrbis ædificia habens. Hæc in septentrionaliori parte huius satrapiæ, quæ quasi pro additamento, *Vistula* superata, districtum *Stenzicensem* habet; in transitu vero ipso *Secechovienscm* Benedictinorum Abbatiam, ad ipsam fluuii ripam sitam; et paulo superius *Ianoveciam*, arcem in editiore ripa haud inelegantem habentem. In *Stenzicensi* vero tractu, arx *Vislicensis*, primum inter omnes nobilium villas locum habet, quoad elegantiam fabricæ; reliqua omnia vetusto more, in toto illo territorio ædificata.

Cum itaque per medium quasi palatinatum *Sendomiriensem*, a meridie ad septentrionem *Vistula* decurrat, et hanc partem, quæ versus occidentem est, per medium etiam *mons Caluus*, ab ortu in occasum secet: enumeratis notabilioribus locis, quæ in parte Boreali erant; nunc ea, quæ in Austrum vergunt, breuiter percurramus. Ac primum ad montis ipsius radicem *Slupeciam*, Abbatis S. *Crucis* oppidum haud ignobile intueamur; deinde *Lagoviam* Episcopi Cuiauiensis ciuitatem, ollis conficiundis, quæ per *Poloniam* distrahuntur, celebrem.

Hinc sequitur *Racovia*, nidus *Arrianorum*, olim populosa ciuitas satis, et Synagoga

nagoga impiorum, gymnasioque inficiendæ verius, quam erudiendæ iuuentutis, apud suos sectatores famosa; sed nunc expulsis publico comitiorum decreto blasphemiæ magistris, tota in Catholicæ ecclesiæ gremium gratia & assistentia diuina reuocata, & cura pietateque sanctæ memoriæ Antistitis *Iacobi Zadzicii* templo magnifico, & circa eam clero religioso, conspicua.

Vicina illi *Sydlovia*, muro vetusto circumdata, & insuper arce itidem munita, Catholica; & quæ parte quasi ab vna, post multa alia oppida ignobiliora & villas, *Pocrivniciam* Cisterciensium ditissimam Abbatiam habet; parte vero ab alia, arcem *Rytvianensem* comitum *Tenciniorum*, & ab illis exstructum in siluis eremitorium Patrum *Camaldulensium, sancti Romualdi* sectatorum.

Est ibidem monasterium, in vicinia FF. *sancti Pauli* primi Eremitæ, *B. Sophiae*, quod similiter prædictorum *Camaldulensium* fundator, Illustrissimus comes *Jo. Tencinius*, palatinus Cracouiensis, variis pro sua deuotione donariis exornauit. Sequuntur alia celebriora oppida, *Osiecum*, *Stasovum*, *Polanecia*, *Paczanovia*, *Stobnicia*, *Olesnitia*, *Ossolinium*, palatium elegans, & monasterium Dominicanorum *Climuntoviae*, atque ecclesiam collegiatam cum præposito infulato habens. *Corczynum* territorii caput, arcem loco munito inter aquas habens; & *Vislicia* demum, mediis in paludibus sita, vbi templum Canonicorum ex lapide quadrato, & Cleri habitationes bene extructas videbis; tum infinitam multitudinem serpentum, aliorumque insectorum passim, sed quæ a Pontifice Romano, vt scripturæ registratæ testantur, excommunicata, incolis minime nocent, transportata vero statim emoriuntur. *Sborovia* arx antiqui operis, est quasi media inter *Visliciam* & *Corcinum*, viuaria animalium amplissima, & piscinas optimas circumcirca habet.

Sed ad trans *Vistulanam* partem huius amplissimæ satrapiæ transeamus, quæ inter oppida *Pilsnam* territorii caput numerat, templum pulchrum & organa celeberrima habentem. Deinde *Sendisoviam*, *Zarnoveciam*, *Socoloviam*, *Praeclaviam*, *Zaclicynum* foro pulcherrimo conspicuum, & *Lezaiscum*; tum templo parochiali, militum sepulchri Domini, illustre; tum extra oppidum monasterio FF. Minoritarum, ad quod populi vndique deuotionis ergo in *Beatiss. Virginem*, cuius imago ibi miraculosa asseruatur, concurrunt, per omnes circumuicinas prouincias celebre. Sunt & arces nobilium in hoc districtu non contemnendæ plurimæ, sed hæ *tres* præcipuæ censentur esse, *Rzemienium* munitissimum, *Vieviorka* amœnissima, & *Baranovia* elegantissima. Sed quas nuper ab *Ossolinio* palatino Sendomiriensi *Christophoria* elegantissime exstructa superat.

Tertia & vltima pars *minoris Poloniae* LUBLINENSIS satrapia, cui adiuncta est Terra *Lucouiensis*, circiter *duo millia* domus nobilium habens. Et cum tota *minor Polonia* vnum tantum Episcopum Cracouiensem habeat, qui *mille octodecem* templa (inter quæ *tredecim* ecclesiæ collegiatæ sunt) sua iurisdictione complectitur, idcirco Lublinensis quoque palatinatus eidem Episcopo subiectus existens, præter complures ciuitatum *Praefectos*, & varios *magistratus*, *duos* tantum in sua amplitudine *Senatores* habet, *Palatinum & Castellanum Lublinensem*. Porro *Lublinum* ipsum long. 45. fere gradu, lat. amplius 51. quamvis non adeo spaciosum sit, ita bene tamen exædificatum est, vt vix vlli totius *Sarmatiae* vrbi cesserit, vel amoenitate situs, vel cœli salubritate, vel fœcunditate soli, vel aliarum quarumlibet rerum vitæ degendæ conducibilium, aut etiam ad splendorem & luxum pertinentium vbertate. Habet templa & monasteria magnifice exstructa: habet ecclesiam collegiatam: habet collegium Clericorum *Societatis Iesu* frequentissimum: habet ter in annum nundinas celeberrimas, ad quas concurrunt *Angli*, *Scoti*, *Itali*, *Germani*, *Moscovitae*, *Persae*, *Armeni*: habet *Parlamentum*, seu *Iudicia Tribunalicia* totius *Poloniae*, atque ex eo maximam frequentiam nobilitatis. Secundum post eam locum tenet *Cazimiria*, ad *Vistulae* ripam ciuitas pulcherrime exædificata, & satis mercatoribus abundans. Reliquæ sunt *Opolia*, *Curovia*, *Crasnicia*,

cia, *Levartovia*, *Vrzendovia Lenczna.* Sed inter quæ *Czemiernicos* primo loco adſcribemus, ob pulchritudinem palatii, ab egregio olim & excellentis prudentiæ viro *D. Henrico Firleo*, Archiepiſcopo Gneſnenſi, magnificentiſſime exſtructi: tum ob amoenitatem hortorum. Quamuis & *Dombrovicia*, earundem *DD. Firleorum* arx non inelegans habeatur.

LITVANIA.

Siluestris ſane fuit ſuperioribus temporibus pleraque omnis *Lituania*, ſed a *Sigismundi Senioris* temporibus ad hodiernam vsque diem, optimorum Regum ſtudio, diuturnam pacem nacta, nunc vbique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax, & pratis, hortis, pomariis, abundans; villis, pagis, oppidis, caſtellis, recentiorisque fabricæ ædificiis, non modo in vrbibus, ſed etiam in prædiis refertiſſima: Fluuios complures, & lacus ingentes, ſed piſcoſos, paſſim habet. Extenditurque a confinio ſatrapiæ *Lublinenſis*, vsque ad terminos *Livoniae* in longum per nonaginta milliaria Germanica, in latum per quadraginta & amplius; a finibus *Pruſſiae* ab occaſu, ad *Albae Ruſſiae*, (quae ad magnum Ducatum *Lituaniae* ſpectat) conterminia verſus ortum: Et diuiditur communiſſime in *hos tres palatinatus*, *Vilnenſem*, *Trocenſem*, & *Breſcianenſem.*

VILNENSIS ſatrapia ſeu palatinatus, primum in Magno Ducatu *Lituaniae* locum tenet. Habetque Epiſcopum, (qui ſe Ducem *Iuanum* ſcribit) ita late ſuam iuriſdictionem extendentem, vt tota *Lituania* atque *Alba Ruſſia*, quæ tot ſatrapiis conſtat, vsque ad confinia *Moſcoviae*, non niſi illius *Vicarii* ſeu *Officiales* ſacris Chriſtianis præſint & inuigilent: nullius alterius Diæceſis interuenit. Habet & *Palatinum*, atque *Caſtellanum*, qui ad *Senatum Regni* ſpectant; ſed *Palatinus* ipſe quoque & vrbis *Vilnae Praefectus* eſt, exercetque iuriſdictionem ſuam in omnes, exceptis *magiſtratibus* aliis, qui ibi ſuam reſidentiam habent. Nam & *Parlamentum* ſeu *Tribunal* totius *Lituaniae*, prout cum adiacentibus ſibi prouinciis extenditur, ibidem celebrari mos eſt. Vrbs magnitudine non ſuperat *Cracoviam*; ſed quia forum ſtrictius habet, videtur plateas ex eo longiores ducere, a porta nimirum *Rudnicenſi* vsque ad *arcem inferiorem*; vbi templum Cathedrale eſt, & in eo corpus integrum S. *Cazimiri* Principis *Poloniae*, Fratris Germani *Sigismundi ſenioris*, Regis olim *Poloniae* ſapientisſimi, qui eum a *Leone* X. Sanctorum catalogo inſcribi curauit. Huic tanquam auo ſuo ſereniſſimus Rex *Sigiſmundus.* III. tumbam argenteam nuper, tria millia librarum ponderis habentem, fieri curauit: itemque altare argenteum, capellam marmoris exquiſitiſſimi: campanam ingentem, (ſimilem Cracouienſi illi, quæ a *Sigismundo* I. facta, nomen illius retinet) votum, expugnati *Smolenſci*, ad quam pulſandam *viginti quatuor* robuſti homines requiruntur: & demum ſub titulo & patrocinio illius, baſilicam *Italicae* architecturæ, *ſocietatis Ieſu* Clericis, in medio vrbis foro, magnificentiſſime erexit. Quæ prædicta *Societas*, Collegium ſtudioſorum a Rege *Stephano* fundatum, in platea *Caſtrenſi* ſuperbe ædificatum, ad *D. Ioannis* templum parochiale posſidet, nouitiatum vero in alio loco habet. Collegium iſtud ſub titulo *Vniverſitatis* erectum eſt a *Gregorio* XIII, anno 1579. vrgente in primis fundatore *Valeriano* Epiſcopo Vilnenſi, & *Stephano* Rege, aliiſque viris piis; de quo vide *Albertum Koialovicium*, *Societatis Ieſu* Theologum, eiusdem Vniverſitatis Procancellarium, in *miſcellaneis* rerum, ad ſtatum eccleſiaſticum in Magnum Ducatum *Lithaniae* pertinentium. Theologiam hic profitentur *ſex* Profeſſores, *ſeptimus* linguam ſacram: Philoſophiam *quinque*; ius vtrumque *quatuor*, humaniores litteras *ſeptem*: Arces in hac vrbe Regia *duae* ſunt, *ſuperior* vetuſti operis & plane iam deſolata: *inferior* autem proportionatæ geometriæ, & ſatis pro regio comitatu auguſta. Reliquorum nobilium

nobilium palatia minora, sed pulchre fabricata, sicut & ciuium priuatorum domus, qui post illud incendium grande, quo vrbs tota perierat, anno 1610. cum bellum cum *Moschis* haberemus, elegantius lapidibus & laterculis ædificare cœperunt. Sunt hic monasteria complura, tam *Graecorum*, quam *Latinorum*. Erat & synagoga *Calvinistarum*, qui itidem suum gymnasium habebant, peritis ex *Germania* suæ impietatis magistris, (namque vrbs ista plurimos, & opifices & mercatores, *Germanos*, *Scotos*, & *Anglos* habet) Sed itidem decreto comitiorum regni, prout & Racouiensium *Arrianorum* funditus extirpata est. Bombardæ bellicæ æneæ, & sclopeta minora, hic præstantissima conficiuntur, tum alia quoque militum vtensilia & arma. Quatuor ab vrbe milliaribus est in siluis *Rudnikum*, aula regia ornatissima & hortus amœnus, & venationes ferarum & viuaria illarum amplissima habens. Inter oppida autem, *Lida* atque *Osmiana*, quæ sunt territoriorum capita, & Ducis *Radiuilli*, *Bierze*, cum arce munitissima præcipua censentur esse; reliqua fere omnia lignea sunt, & parui momenti.

TROCENSIS satrapia *Palatinum* tantum & *Castellanum* habet, quamuis illi subsit Terra *Grodnensis*, quæ etiam sibi territorium *Volcovifcense* adscriptum iacet, & vtraque illarum *Magistratus* proprios habeat, superetque magnitudine ipsum districtum *Trocensem*: Quia tamen in *Lituania* non est mos *minores Castellanos* creare, prout in *Polonia*, ideo quælibet satrapia *duos* tantum *Senatores* habet, *Castellanum & Palatinum*.

Ciuitas itaque *Trocensis* quatuor a *Vilna* milliaribus distat; estque posita *inter paludes* inaccessibiles, quæ etiam intensissimo frigore non plane congelantur; & arcem quamuis vetustam, bene tamen munitam habet; tum monasterium Benedictinorum satis firmum. Hic in templo parochiali imago *B. Virginis* miraculis clara habetur, quo de longinquo fideles concurrere deuotionis causa solent, diuersaque beneficia & extraordinarias gratias, orantibus, in prædicto loco, aut votum coram illa imagine concipientibus, DEUS omnipotens largiri solet.

Grodna autem ad fluuium *Crononem* seu *Memenum* sita, arcem haud inelegantem in loco editiori habet, extructam a Rege *Stephano*, qui ob venationes ferarum maiorum, puta alcium, vrorum, atque vrsorum, libentius hic immorabatur. Serenissimus autem Rex *Sigismundus* III. pontem *Memono* imposuit, ligneum quamuis, sed ita affabre factum, vt similem *Polonia* non habeat. Complura hic monasteria sunt, & templum parochiale pulchrum. Ignatiani quoque collegium non ita pridem, pro studiosa iuuentute hic erexerunt.

BRESCIANENSIS quoque palatinatus, *Lublinensi* satrapiæ vicinus, easdem fere qualitates, quas & reliqui districtus *Poloniae*, possidet; oppida lignea & villas habet, pecoribus & frugibus abundantes, præcipue *Camenetiam*, *Cobriniam*, *Ianoviam*, quibus arces impositæ sunt, *Voiniam*, *Rosofiam*, *Vlodavam*, *Bialam*, vbi palatium Ducum *Radivillorum* pulcherrimum est, & nunc gymnasium publicum erectum, vocatis ex Academia Cracouiensi Magistris et Professoribus in omnibus disciplinis peritis.

Reliqua omnia ignobiliora sunt, præter *Brescie* ipsum, quod arcem in scopulo inter *Bugum & Muchavecium* fluuios, sitam habet: Itemque palatium regium nouæ architecturæ, extra ciuitatem cum hortis delicatis. Sunt et hic scholæ Ignatianorum, monasteriaque religiosorum virorum non contemnenda. Sed et *Iudaei* hic scholam suam in tota Europa celebrem habent, solentque conuenire eo ex *Italia*, *Germania*, *Morauia*, *Silesia*, non modo studiosorum, sed et promotionum causa, vt *Rabini* post modum fiant, et domum reuersi, synagogas dirigant. *Berezae* Eremitorium Carthusianorum fundauit *Leo Sapieha*, Procancellarius M. D. *Lituaniae*, suntque vicinæ aliquot Abbatiæ Ord. S. *Basilii* vnitorum.

Pinscensis amplissimus districtus, *proprios* tam terrestres, quam castrenses *magistratus* habens, huic satrapiæ adiunctus est, sed siluis nimium inumbratus, et paludibus

ludibus; immersus; piscium, mellis, et ferarum copia percelebris, tametsi et fruges non maligne proferat, et ceram, sebum, lupulum, in *Silesiam*, atque in *Prussiam Dantiscum* mittat. Habet *Pinscum* oppidum homines industrios, et mercaturae adeo deditos, vt et in *Moscouiam*, et in *Germaniam* sæpissime cum suis mercibus excurrant. Sed vt plurimum religionis sunt *Graecanicae*, Episcopumque proprium habent. Vbi et Ignatianis collegium Dux *Stanislaus Radiuilius*, Cancellarius *Lituaniae* erexit.

RVSSIA.

Prout Regni *Poloniae* amplissima *Russiae* regio subiicitur, extenditur in longum ab ora *Pocucensi*, ad confinia *Liuoniae*, per ducenta plus minus milliaria; in latum vero a *Polonia minori*, aut *Lituania*, versus ortum vsque ad vastos *Tartarorum* campos, aut *Moscouiam*, per centum viginti. Diuiditurque in *Russiam albam*, quæ ad Magnum Ducatum *Lituaniae* spectat, et in *Russiam rubram*, quæ proprie dicitur *Roxolonia*, et ad *Poloniam* pertinet. Nam tertia pars, vltra *Tanaim* et fontes *Borysthenis* posita, dicitur *Russia nigro* ab antiquis, a recentioribus autem vulgo obtinuit, *Moscouiam* appellari; quod totum illud imperium, quaqua latum est, ab vrbe et fluuio *Moscua*, dicatur communiter *Moscouia*: quæ olim *Sarmatia Asiatica* vocabatur. Nostra autem *cis Borysthenica Russia*, *Sarmatica Europaea*; et *Polonia* ipsa proprie *Vandalia*. Tota hæc in vniuersum regio, frugum, ferarum, pecoris, piscium et mellis copiam infinitam habet; præsertim in *Podolia*, vbi ex dictamno et aliis bene olentibus herbis ac floribus ab apibus colligitur. Nobiles audaces sunt et strenui omnes, quin et agrestes ad bellum prompti, loricis, scloperis, hastis, aliisque plurimis armis, præcipue autem cuspide venatorum et pharetra vtuntur.

RVSSIA RVBRA.

Nobilissima hæc prouincia, lacte et melle abundans, ab Austro *Vngariam*, *Moldaviam* et *Bessarabiam* habet; ab Euro *Scythiae* deserta et potentissimum *Moscouiae* Principem, a septentrione *albam Russiam*, *Stiro* et *Pripecio* fluminibus disiunctam, ab occasu vero *minorem Poloniam*, *Vistoca & Vepro* fluuiis quasi notioribus terminis diuisa. Complectiturque in se *septem* amplissimas *Satrapias*, *Russiae Palatinatum* in primis, deinpe *Podoliae*, *Volhyniae*, *Belzae Braslaviae*, *Kioviae*, et terram *Chelmensem*, *Haliciensemque*.

RVSSIAE satrapia habet *Senatores*, *Archiepiscopum Leopoliensem*, *Episcopum Praemisliensem*, *& Kiouiensem*, *Palatinum Russiae*, *& Castellanos quatuor*, *Leopoliensem*, *Praemisliensem*, *Haliciensem*, *& Sanocensem*; quia in totidem etiam *districtus* seu *territoria* diuiditur.

Et *primi* quidem *districtus* primaria vrbs *Leopolis* est, sita longitudinis gradu 46. lat. 49. Habet propugnacula satis firma, et arces duas, habet, vti diximus, sedem Archiepiscopi *Catholici*, *& duorum* Episcoporum, nempe *Armenici*, atque *Russici*. Hæreticos autem nusquam admittit, nec admisit, ob quod maxime a *Sixto* V. laudata fuit, et insignibus illius donata. Viros litteratos permultos habet, libenterque promouet, et amat eo concurrentes, atque ex eo, emporio ciuiumque elegantia et humanitate maxime floret. Ignatiani hic collegium studiosorum habent; sed et Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Bernardini, aliique studia *Theologica* atque *philosophica* diligentissime tractant. *Humaniorum* vero *artium* gymnasium vrbis, optimos præceptores ex Academia *Cracouiensi* sumit. Nundinæ hic brumales, pro festo *S. Agnetis* celebres fiunt: solentque eo ex *Vngaria*, *Moldauia*, *Turcia*, atque aliis orbis partibus ditissimi mercatores venire. Cum autem præter fluuios infinitos, habeat *Roxolania* piscinas ingentes, et stagna arte manuque

facta

facta fere innumerabilia, quæ pisces omnis generis pinguissimos proferunt; idcirco illi hyberno tempore sale conditi, (cum omnes recentes comedi, & seruari ob multitudinem non possint) vasis ingentibus, cum ad alias ciuitates, tum maxime nundinarum tempore *Leopolim* conuehuntur, atque demum inde per totam *Poloniam* distrahuntur. Templa in hac vrbe pulchra sunt, & vestibus sacris atque vasis argenteis aureisque satis bene ditata. *Societatis Iesu* Clerici, inter reliqua clenodia, casulam gemmis totam atque lapidibus pretiosis variegatam habent, æstimatam aliquot myriades florenorum. Similiter templa alia, multos calices aureos, multaque vestimenta sacerdotalia, margaritis distincta habent: sed præcipue templum cathedrale, mitram episcopalem ingentis precii, gemmis exornatam. FF. vero minores de Obseruantia, qui extra vrbis muros sunt, templumque magnificentissimum sibi non ita pridem exstruxerunt, inter alias sanctorum reliquias, habent quoque sui instituti Fratrem vnum, ad altare maius sepultum, beatum *Ioannem Duclensem*, miraculis clarum. Qui dum viueret, in diuini verbi prædicatione inexhausti plane laboris erat; Eaque fuit in homine iam inde a primis annis pietas, & innocentissima sanctitas morum, vt priscorum *Anachoretarum* eximium in eo specimen eluceret. Oppida præcipua huius *districtus* sunt, *Gliniani*, *Zloczovia*, *Zborovia*, *Grodecia*, *Komarna*, *Zolkvia*, arcem pulcherrimam, atque hortos amœnos, templumque vario marmore exornatum habens; quamuis & aliæ ciuitates, cum adiunctis sibi castellis, non sint plane ignobiles, inter quas *Javorisvia*, celebris tepidarum aquarum scaturigine, in pago *Sklo* dicto, ebullienti, vtili valde ad curandos varios hominum morbos; vt libro suo testatur, magnæ experientiæ Medicus, *Sixtus Leopoliensis*.

Secundus satrapiæ huius *districtus* est *Praemisliensis*; vrbsque ipsa *Praemislia*, arce in scopulo sita, & *duobus* Episcopis, *Latino* siue *Catholico*, & *Russico* ritus *Graecanici*, cohonestata est. Adsunt & Ordines religiosorum diuersi, præter venerabile Canonicorum capitulum. Est & collegium pro studiosa iuuentute *Societatis Iesu* Clericorum: sunt & *magistratus* diuersi, tam castrenses, quam terrestres: suntque demum ciues mercaturæ dediti plurimi: nundinasque celebres quolibet anno habent. Castella hic passim nobilium munitiora videbis, ob frequentes *Tartarorum* incursiones, muris, & propugnaculis firmata, *Bialoboki*, *Sosnicia*, *Dombrova*, *Vherce*, *Prochnicum*, *Laski*; sed quæ inter excellit *Crasicinum*, recentioris fabricæ ad *Sanum* fluuium, palatium, vno aut altero milliari a *Praemislia*. Oppida vero celebriora sunt *Samboria*, pulcherrimum Minoritarum monasterium habens: *Fulstinia*, *Dombromilia*, *Visnia*, *Zidaczovia*, *Moscisska*, *Dubiecia*, *Canczuga*, *Praevorscia*, *Jaroslavia*, nundinas pro festo assumtionis *B. Mariae Virginis* in toto Regno, *Poloniae* celebriores habens; vbi præter alias merces, e *Perside*, *Constantinopoli*, *Venetiis*, *Moscovia*, *& Amstelodamo* apportatas, solent amplius quadraginta millia boum venalium fieri, & medium tantum equorum. Ignatiani hic collegium studentium habent, domumque residentiæ extra vrbem; & virgines Vestales monasterium regia plane munificentia exstructum: neque arcis fabrica & munitio contemnenda est, quam *Sanus* alluit ab ortu: vrbs autem posita ab occasu. Sequitur *Lancutum*, templis ab egregio viro *Stanislao Lubomirscio*, Palatino Cracouiensi magnifice exstructis, tum Palatio magnifico munitioneque fortissima, & hortis amœnis exornatum.

Resovia arce eleganti & monasteriis, nundinis itidem vernalibus pro festo *sancti Alberti* clara; lacticiniorum hic & linteaminum magna fieri solet copia, quod in toto tractu isto *Germanae* gentis homines pagos inhabitent, capti in bello quodam a *Cazimiro* magno Rege *Poloniae*, deductique e *Saxonia* cum liberis & vxoribus, vt eam oram incolerent, vt domicilium proprium: Hi itaque pecorum & lini curam magnam habent, & nundinarum tempore, cum ad alia circumuicina oppida venum comportant, tum maxime *Resouiam & Iaroslauiam*.

Tertius Palatinatus *Russiae districtus* est *Sanocensis*, montibus *Vngariae* vicinus, atque ipsi *Transylvaniae*: ac ob id totus per colles dispositus, excepto qua *Crosnam* protenditur: quæ vrbs in hoc tractu fere principalior, emporium *Vngarorum* habet. Quamuis illi passim merces suas & vina, in oppidis submontanæ regionis deponant, huc tamen veteri consuetudine vt plurimum aduehunt. Quare & ciues hic paulo ditiores aliis, & nundinæ apud illos reliquis viciniæ populationibus longe celebriores. Habet hic quoque *Sodalitas Iesu*, collegium artium humaniorum. *Sanocum* vero ipsum, quamuis territorii caput, multo iam inferius est quoad ciuilitatem, & frequentiam habitatorum; arcem tamen in saxo supra *Sanum* fluuium sitam non contemnendam habet: sicut & aliæ ciuitates eius tractus, *Brozovia*, *Rimanovia*, *Dinovia*, *Lesko*; quæ indies, ob metum *Tartarorum*, munitiones suas firmiores faciunt.

Quartus Russicae satrapiae districtus est *Haliciensis*, montibus *Transylvaniae* ab occasu hyberno, a meridie autem *Moldaviae* faginis siluis cinctus; *Tyra* fluuio rapidissimo e montibus *Carpathiis* orto, versusque Eurum in mare *Euxinum* decurrenti, quasi per medium sectus, cuius pars australior, quæ trans *Tyram* est, posita, vulgo *Pocucia* appellatur. Oppida præcipua habet *Haliciam*, a qua denominatur, olim regni *Russici* caput, Rexque proprie *Haliciensis*, non *Russiae* (quia hæc tota in plurimas *tetrarchias* scissa, *proprios duces* habebat, sed quos inter primatum & quasi monarchiam *Duces Kiouienses* tenebant,) nuncupabatur; vt latius hac de re historiæ: sed nunc ne vestigia quidem priscæ illius magnitudinis apparent. Arx est ad *Tyram* sita alicuius notæ, sed oppidum ciues habet subrusticos, agriculturæ non Mercurio deditos. Similiter *Sniatinum*, ad *Prutum* fluuium situm, quod proprie est *Pocuciae* caput; soletque nundinas semel in annum non incelebres habere, quod *Valachi* emporium ibi suum, tanquam in vicinia faciant. Vnde boum, ceræ, mellis, & equorum generosissimorum copia ingens eo adduci solet. *Colomia* non infrequens ciuitas ob salis cocti copiam, quod inde per totam *Russiam* & *Lituaniam* distrahitur, quarum omnes fere sale carent, nisi hic & in *Praemisliensi* districtu conficitur. Sunt itaque pagi nonnulli apud *Haliciam*, in quibus ex aqua e profundis puteis hausta sal decoquitur, & partim in modum farinæ, vel niuis, minutum relinquitur, partim in frustula conformatur, & sic diuiditur; conficiturque pluribus in locis *Russicae* huius satrapiæ, nempe apud *Riboticios* in tractu *Praemisliensi*, apud *Dobromiliam*, *Samboriam*, & *Solum*, quod etiam a *sale* nomen habet. In desertis quoque campis *Vkrainae*, seu *vlterioris Podoliae*, prope *Boristhenem*, est lacus quidam, cuius aqua sereno & ardente sole, in Solidum salem concrescit, quo circumiacentes accolæ vtuntur. Sed ad rem nostram. In *Pocucia* nobiliora loca fuit *Martinovia*, *Dolina*, *Strium*, arcem in paludibus sitam habens. Cis *Nestrum* autem aut *Tyram*, *Podocum* arce munita, & templo sodalium Dominicanorum a *Stephano Potocio*, Palatino Braslauiensi, qui ibidem fato functus quiescit, egregie exornatum. Eiusque successorum oppidum & arx *Monasterzisca*, *Vscie*, *Dobrovoda*, aliaque complura castella; inter quæ *Buczavia* arce firma conspicua, itemque *Podhaiecia* muro cincta & propugnaculis, atque in vicinia arx *Zavalovia* non inelegans: tum *Brezanum* ciuitas populosa, & templum pulchrum, & palatium splendidum atque bene firmum habens.

Sequitur deinde *Podolia*, continuis barbarorum incursionibus & præliis famosa; quæ, si optata pace posset ita frui, vt occidentaliores Europæ populi, certe nec *Italiae*, aut *Vngariae*, soli vbertatem & diuitias inuideret. Habet et marmora diuersa, atque alabastrum in diuersis locis. Diuiditurque in *tria* quodam modo *territoria*, *Camenecense*, *Trembouliense*, & *Laticzoviense*. *Camenecia* est vrbs cum arce, natura loci manuque permunita, triginta milliaribus bene longis distans a *Leopoli*, versus ortum hybernum, longitudinis gradu 49. lat. 48.

Habetque

Habetque & ipsa *duos* Episcopos, *Catholicum* vnum, & *Armenum* alterum; gens enim hæc lucri causa libentissime in Regno *Poloniae* immoratur, & merces nobis varias, partim e *Perside*, partim e Regnis *Turcae*, præcipue autem equos generosos adducit. Habentque hic, prout & in aliis vrbibus *Russiae* maioribus, suum *magistratum* seu *Seniores* nationis, qui fidem *Regi* & *Vrbico magistratui* pro reliquis spondent, & in vitia gentis suæ ipsi animaduertunt. *Societas* quoque *JESV* collegium hic suum habet, & instruit artibus iuuentutem. Secundo ab vrbe lapide, est arx *Potociorum*, *Panioucε* dicta, a *Joanne Potocio*, insigni nostra ætate bellatore, Palatino Braslauiensi, recenti architectura exstructa, celebris oppugnatione *Turcica*, cum anno 1621. bellum cum illis grauissimum, ad *Chotimiam* in *Valachia* haberemus.

Trembovla vero, *Laticzovia*, *Husiatinum*, *Barum*, a Regina *Bona*, olim fundatum, vbi etiam *Jesuitae* pro iuuentute informanda collegium habent, *Czartcovia*, *Janovia*, *Zinkovia*, *Miendzibozia*, *Jesupolis*, *Grodecia*, *Jaslovíecia*, *Satanovia*, *Zvanecia*, *Tarnopolia*, *Kitaigrodum*, *Dunaigrodum*, & alia complura, huius Dynastiæ oppida, singula fere ob *Scythiae* infestationem, & quasi assidua bella, non male permunita sunt; habentque arces sibi adiunctas firmissimas, & incolas bello natos, Martique deditos. *Senatores* huius satrapiæ sunt *tres*, qui ad Reipublicæ consilium pertinent, *Episcopus Camenecensis*, *Palatinus Podoliae*, & *Castellanus Camenecensis*.

BRASLAVIENSIS palatinatus vltra *Podoliam*, in confinio *Tartarorum* positus, egregias populationes plurimas, atque arces permunitas habet, quas inter eminent, *Morachua*, *Jarosovia*, *Zitomiria*, *Sarogrodum*, *Felstinum*, *Cimielnicum*. *Braslavia* ipsa, ad *Bogum* fluuium sita, atque *Vinnicza* conuentuum nobilitatis, atque iudiciorum deputatus locus; vbi *Societatis Jesu* quoque Clerici, erudiendæ iuuentutis, collegium egregium habent. *Senatores* hic *duo*, *Palatinus* & *Castellanus*; *Districtusque* satrapiæ *duo*, *Vinnicensis* & *Zitomiriensis*.

Similiter *Tartaris* vicinus est palatinatus KIOVIENSIS, sed qui parte ab altera *Moschum* quoque habet, & quasi per medium maximo fluuiorum *Borysthene* secatur. Vrbs *Kiovia* ampla & populosa satis, olim sedes Ducum suorum, qui toti *Russiae* seu *Sarmatiae*, tam in *Asia*, quam in *Europa* imperabant, *Romanisque* ipsis, ac postea *Graecanicis* imperatoribus graues; cæterum nunc vix ruinæ veteris illius magnitudinis apparent, eæque paucæ: omnia tempus rerum edax absumpsit. Est hic Archiepiscopus *Russorum*, omnium quotquot in Regno *Poloniae Graecanici* ritus Episcopi sunt, Primas seu Metropolita, qui Romano Pontifici obedientiam nunc præstat. Est & Episcopus *Catholici* ritus, qui cum *Palatino* & *Castellano* vrbis, ad *Senatum* Regni pertinet. Templa hic tam *Russorum* quam *Latinorum* compluria, sed quorum vnum Archimandrita, cum monachis suis schismaticis, & rebellibus sedi Apostolicæ, occupat; habetque *centum* pagos maximos adscriptitios. Sunt hic speluncæ naturaliter factæ, in quibus olim corpora Ducum *Kiouiensium* reponebantur, hodieque visuntur nonnulla integra, quæ illi pro sanctis venerantur; Extenduntur que illæ cryptæ, seu subterraneæ vti ferunt, vsque in *Moschoviam* per aliquod decumas milliarium. Monachi illorum (*S. Basilii* instituti) qui durissimam vitam agunt, intrant eas tempore quadragesimali; ibi solitarii pœnitentiam peragunt. Alii vadunt in deserta, cilicio & catenis ferreis induti, interdum vsque in *Scythiam remotiorem*, vbi Euangelium prædicent, & martyrio coronentur: Ignatianorum opera, qui *Kioviae* suum collegium habent, ad ecclesiæ vnitatem reducti. Habentque plurima monasteria in *Russia*, sed quorum alia iam sunt in vnione cum ecclesia *Romana*.

Satrapia hæc late extenditur, tam versus *Euxinum* mare in meridiem, quam versus occidentem & septentrionem, ad *Lituaniae* & *Albae Russiae* confinia: habetque & populata, arcibus adiunctis permunita oppida plurima, præcipua ve-

ro *Canioviam*, *Circassiam*, *Bohuslaviam*, *Pereslaviam*, *Bialocerquam*, *Stepanouiam*, ex arte vallo & fossis munitam, *Fastoviamque*, Episcopi Kiouiensis residentiam, vnde *Jesuitae* suum collegium *Kioviam* transtulerunt. In hac satrapia, & in supradicta *Braslaviensi*, plebs assiduis bellis exercitata, militares animos gerit, & tam ex oppidis, quam ex pagis, in insulas *Borysthenis* congregatur, dantque nomina militiæ gratis, & se *Cosacos* vocant, seruataque disciplina veteri, partim in *Scythiam* pedes excurrunt, & prædas inde abigunt, partim in *Turciam* per mare, aut si quo iussi a Rege fuerint.. Fit autem eorum numerus ad quadraginta millia, qui omnes fere in hyberna domo sua abeunt, paucis relictis in custodiam insularum, ne a barbaris occupentur: militantque *Reipublicae* absque vllis stipendiis, sola præda contenti. Quo tamen alacriores ad seruitia fierent, solet illis Rex semper bello peracto, certam aliquam pecuniae summam, ad reficienda arma donare, quo maiorem numerum exercitus scribant.

Sed reuertendo quasi domum, occidua *Kioviae* est VOLINIAE satrapia, quæ in *duos* maximos *districtus* diuiditur, *Cremenecensem* & *Luceoriensem*. Habetque *Senatores tres*, *Palatinum & Castellanum Volhiniae*, & Episcopum Luceoriensem, qui cathedram suam cum capitulo in arce vrbis habet; ibidemque *Societatis Jesu* Clericorum collegium pro studiosis. In vrbe autem ipsa Episcopus *Russorum*. Nec multum inde procul est ciuitas *Volodimiria*, in qua itidem *Russorum* Episcopus sedem suam habet, & iurisdictionem late exercet. Reliquæ ciuitates sunt *Rubesovia*, *Socalia*, veneratione miraculosae imaginis *B. V. M.* nobilis; Solet enim eo magnus hominum concursus semper fieri, votorum exsoluendorum causa, procurantibus sacra religiosis viris S. *Francisci* de obseruantia, quos vulgo Bernardinos dicimus. Hi igitur in insula fluuii *Bug*, magnificentissimum templum piorum eleemosynis, & monasterium propugnaculis firmum, ob metum hostium, paucis abhinc annis erexerunt, templumque illud totum pulcherrimis picturis, vasis argenteis atque aureis, vestibusque sacris gemmatis, ad stuporem breui tempore exornarunt. Sequitur *Czartoriscum*, *Olescum*, *Crilovia*, ciuitates egregiæ & arcibus munitissimis conspicuæ. *Brodi* oppidum a *Stanislao Koniecpolscio*, Castellano Cracouiensi & exercituum Duce supremo, insigni fortalitio, ecclesia collegiata, & gymnasio publico condecoratum. Vnde non procul *Podhorcense* palatium, cum hortis & aquæ ductibus egregiis, conspicitur. Dux quoque *Stanislaus Radivillus*, Cancellarius *Lituaniae* supremus, in eadem satrapia ciuitatem suam *Olicam*, arce munitissima, atque elegantissima ecclesia collegiata, suppellectili aurea celeberrima, & Academia bonarum artium illustrem, nostra ætate admodum reddidit, erecto ibidem Præposito infulato & monte pietatis.

Sequitur *Cremenecia*, territorii sui caput, arcem in saxo eminentissimo ostentans; deinde *Visniovecia*, *Zaslavia*, *Constantinovia*, *Balsica*, *Dubna*, *Ostrogium*, *Zbaravia*, quælibet arcem munitissimam & ornatissimam habens, vtpote singulæ vetustissimorum Ducum *Russorum* sedes primariæ & lares. Et *Ostrogium* sane parte ab vna (quamuis remotius paulo) *Dormanum*, monasterium *Russicum* pulcherrimum habet, in quo instituti S. *Basilii* monachi, sub proprio *Hegumeno*, in schismate ab ecclesia *Romana* viuunt, habentque possessiones amplas: parte ab alia *Miedireczum* oppidum munitissimum, in quo Franciscanis conuentualibus, vltimus de familia *Joannes* Dux *Ostrogius*, Castellanus Cracouiensis, sumptu (vt ita dicam) regio, templum & monasterium exstruxit. In vrbe autem ipsa, neptis illius nuper Ignatianæ societatis Clericis, collegium pro erudienda iuuentute, & templum magnificentissimum erexit, in quo mariti sui ossa *Caroli Chodkievicii*, viri bellica virtute incomparabilis, cum lachrymis reposuit.

Jam vero BELZENSIS satrapia, *Leopoliensi* districtui, & *terrae Chelmensi* vicina, in meditullio quasi *Rubrae Russiae* posita, vrbem ipsam inter paludes sitam

(vbi

(vbi sodales Dominicani templum antiquissimum possident) & ab ea cognominatos *duos Senatores* habet, *Palatinum* & *Castellanum Belzensem*; diuiditurque facile in *quatuor territoria*, *Belzense*, *Buscense*, *Grodlense*, & *Grabouiecense*, in quibus tot oppida & pagi, sed hæc prædicta *quatuor*, vt suorum territoriorum capita sunt, ita & præcipua aliis censentur esse, arcesque sibi munitas adiunctas habent.

Vltimum locum *Terra Chelmensis* tenet, inter *Lublinensem satrapiam* & *Lithuaniae* confinia posita, *Volhyniam*, versus ortum, respicit; Vrbsque ipsa *Chelmensis duos* Episcopos habet, vnum *Catholicum*, cuius Cathedra non ita pridem *Crasnostaviam* translata est: & alterum *Russum*, qui ibidem manet, & templum suum cathedrale tenet. Igitur in *duo territoria* diuisa, *Chelmense* videlicet, & *Crasnostaviense*; *duos* quoque *Senatores* habet, *Episcopum*, & *Castellanum Chelmensem*. Oppida præcipua *Chelma* ipsa, *Rozana*, *Vlodavia*, *Crasnostavia*, ad *Veprum* fluuium sita, vbi & Cathedra Episcopi, & arx palatiumue recentioris architecturæ sunt. Hic Diuæ memoriæ Archidux *Maximilianus*, cum ad regnum *Poloniae* paucorum temeritate vocatus, cum exercitu hostiliter veniret, a *Joanne Zamoscio* profligatus, captusque asseruabatur sub custodia.

Qui quidem prædictus *Zamoscius* in vicinia pene statim, vrbem *Zamoscium* in rure suo hæreditario, munitissimam fundauit, & mœnibus, fossis, vallo atque propugnaculis ex arte præsentis geometriæ communiuit; inque ea templum Canonicorum (quorum Decanus infulatus est) pro summa in DEUM pietate, magnificentissime erectum, omnibus requisitis sufficientissime locupletauit. Et vt erat maximus ingeniorum liberalium educator, artiumque omnium & elegantiarum pater, euocatis *Cracovia* viris doctissimis Academiam instituit; & non *Zamoscium* modo suum, sed totam etiam *Russiam*, Musarum splendore illustrauit. Addidit collegium sacerdotum & seminarium clericorum *Catharina Ostrogia*, *Thomae Zamoscii* regni cancellarii vxor, auctusque numerus Professorum & Canonicorum egregie.

Circumcirca sunt non contemnenda quoque oppida, vt, *Scebresinum*, *Turobinum*, *Tamogrodia*, *Tomasovia*, *Ctesovia*, aliaque complura; sed omnia fere ad ditionem, *Zamoscii* spectantia, vbi & hortos cultissimos, & piscinas restagnantes, & diuersorum animalium viuaria, & ferrarias officinas passim videre licet.

Similiter quoque & in *Vchanie*, vbi illustris olim vir, *Nicolaus Danielowicz*, Regni thesaurarius, templum magnificentissimum exstruxit, & cum preciosissimis aliis donariis, tum argentea supellectili, insigniter ditauit. Palatium etiam hic visitur superbum, & horti amœnissimi; quod commune est omnibus magnatibus *Sarmatiae*.

Hic addendam duximus *satrapiam Czerniechoviensem* vltra *Borysthenem* positam, quam *Vladislaus IV. Moschis* ademtam, regno *Poloniae* adiunxerat, atque præter ciuitatum *Praefectos*, *duos* in ea *Senatores*, *Palatinum* videlicet. & *Castellanum* constituerat, eisque loca in *Senatu* Regni assignauerat; *Catholici* ritus compluribus in locis templis excitatis, fundatoque, pro erudienda iuuentute, collegio clericorum *Societatis Jesu Novogrodiae*. Sed iam ad *Albam Russiam* procedamus, quia *Czerniechoviensis* prouincia, proprie *Russia Nigra* posita censenda est.

RUSSIA ALBA.

QUæ Magno Ducatui *Lithuaniae* adiacet subiacetque, *Russia* vulgo dicitur *alba*; partim quod incolæ eum colorem præferant; partim quod niuibus campi cooperti diutius quam alibi durent, & inspectantibus omnia alba repræsentent, vt etiam in naturam animalium color iste transeat; siquidem ibi & lupos & vrsos, lepores, vulpes, aliaque, tam domestica, quam siluestria, animalia passim alba videre est, quæ nihilominus in aliis, locis nata alium colorem habere solent. Regio est omnium rerum, quæ ad victum spectant, feracissima, siliginis, hor-

dei, auenæ, tritici, ciceris, cannabis, lini, mellis, lupuli, ceræ, pecoris, piscium, auium, & ferarum: hæque sunt diuitiæ ipsorum, quas partim *Duna* fluuio, in *Liuoniam* ad emporium *Rigense* transmittunt, partim *Nemeno* per *Lithuaniam*, *Regium montem* in *Prussiam*. Diuiditur autem hæc nobilissima prouincia, in *sex* maximos *Palatinatus*, seu *satrapias*, quarum prima populosior ceteris est NOVOGRODENSIS; quæ in *duos districtus* diuiditur, in *Novogrodensem & Slonimensem*: vterque plurima oppida continet & bene populata, sed præcipua hæc sunt: *Novogrodkum*, vbi alternatis vicibus cum oppido *Minsco*, *Parlamentum* totius Magni Ducatus *Lithuaniae* celebratur, & Ignatianorum residentia habetur, præter alia monasteria *Graeci & Catholici* ritus. *Slonimum*, *Rozana*, *Seletia*, *Mysza*, *Lachovicia*, a felicis olim memoriæ viro, *Carolo Chodkievicio*, Generali exercituum *Lithuaniae*, palatio pulcherrimo, & propugnaculis, ex recenti dimensione factis, firmissime communita. Similiter *Nesuizia*, Ducum *Radivilorum* nidus, vbi excellentissimus ille, & cum omni antiquitate comparandus vir, *Nicolaus Christophorus Radivillus*, *peregrinus* cognominatus, (quod habitu peregrini *terram sanctam* adierit) complura monasteria sumptuosissima, xenodochia, seminaria, collegiumque *Societatis Jesu* clericorum, & bursas studentium, plane regali animo & sumptu erexit, inque ceteris possessionibus suis, templis passim refectis, aut a fundamentis excitatis, palatium Ducale loco munitissimo moderna architectura exstruxit: Similiter prætorium vrbis, & arcem *Myrh* dictam, quarto ab vrbe lapide, cum prædiis, villis, hortis, pomariis, piscinis, & viis quaqua versum per aliquot milliaria, ad regulam rectissime dispositis, fossas a parte vtraque & arbores fructiferas apposuit, inque media *Sarmatia Italiam* nobis exhibuit. Nouem inde milliaribus distat *Sluckum*, vrbs omnium quæcunque in *Polonia* sunt maxima, sed tota fere lignea templo Catholicorum excepto, & palatio Ducis. Hæc olim, & iam patrum nostrûm memoria, principem absolutum, sed Regi *Poloniae* feudatarium, cum amplissimis possessionibus habebat, sed stirpe non ita pridem deficiente, cessit cum omnibus adiacentiis suis, in familiam Ducum *Radivilorum*.

In *Slonimensi* vero districtu *Rozana*, *Sapieharum* nidus, cum ædificiis magnificentissimis, tum viarum rectissima dispositione percelebris est, monasteriumque Basilianorum Catholicæ ecclesiæ vnitorum, *Diuae Virginis Mariae* imagine miraculosa, per totum Regnum *Zirovicii* claret.

Secunda satrapia est MSCISLAVIENSIS, *Pripetio* fluuio a meridie, & *Borystheni* ab ortu, quasi triangulari forma, adiacens, siluis tota inumbrata & aquis immersa; diuiditurque in *duos* districtus amplissimos, *Mscislaviensem & Modzirensem*: & more ceterarum satrapiarum *Lithuaniae* atque *Russiae*, *duos Senatores* habet, *Palatinum & Castellanum Mscislaviensem*. Oppida autem præcipua, *Cleckum*, *Oururkum*, *Homliam*, *Criczouiam*, arcibus pulcherrimis & bene muniris exornata, tum *Ostrskum*, *Mscislaviam* ipsam & *Modziriam* in mediis paludibus sitam. Ager tamen vbique, vel innata fecunditate, vel accuratiore hominum cultu benigne sementem reddit; pecorumque omnis generis & armentorum abunde habet; sed maxime volucrum & ferarum siluestrium.

Tertius Palatinatus est VITEBSCENSIS, sicut & ille superior, ad *Borysthenem* versus Eurum positus, qui itidem in *duos* districtus bonos diuiditur, *Vitebscensem & Braslaviensem*; præterque has duas ciuitates, aut verius vnam *Braslaviensem* (nam *Vitebscum* ipsum, ob occisum Beatum virum *Josaphat*, Archiepiscopum *Ruthenici* ritus Polocensem, quod eos ad vnitatem ecclesiæ Romanæ induceret, amisit iura ciuitatis, & est redactum in pagum, sola arce regia cum iurisdictione relicta) & oppida ignobiliora, habet *Mohiloviam* vrbem amplissimam, mercatoribusque plenam, emporio *Moscovitarum* claram; præcipuæ siquidem preciosioresque pelles, quæ ex *Moscovia* veniunt, per eorum manus, tam in

Polonia

Polonia, quam in *Germania* distrahuntur. *Vitebscum* ipsum, collegium *Societatis Jesu* habet, ex fundatione *Alexandri G:sieuski* Palatini Smoleuscensis, reliquaque huius prouinciæ oppida & ciuitates, diuersorum religiosorum domicilia, conuentus, & monasteria. Tum palatia nobilium, & arces bene munitas, ipsasque populationes fossis & propugnaculis cinctas.

MINSCENSIS satrapia quartum locum obtinet, præterque suum districtum, habet etiam *Borisouiense* territorium, omnium frugum copia diues. *Minscum* arcem bene munitam inter aquas habet; aliudque propugnaculum inferius, non contemnendum. Est hoc enim *Russis* in more, vt quasuis principaliores ciuitates suas duplici munitione firment, communissime inferiori & superiori arce. Vnde & *Barisouia* quoque ad fluuium *Berezinam* sita, duplex propugnaculum habet, sicut & *Minscum*; quod tamen ciues politiores continet, ob concursum nobilitatis, *Tribunali* seu *Parlamento* totius *Lithuaniae* ibi durante. Sic enim consuetudine obtentum est, vt vno anno *Parlamentum Vilnae* resideat, altero *Minscii*, aut *Novogrocii*, vicibus alternatis celebretur. *Toloczinum* quoque hic, *Smolniany*, *Coidanovia* & *Turkum*, haud incelebria oppida habentur. Reliqua fere omnia ignobiliora, monasteriis tamen & palatiis Magnatum referta.

Quintum locum occupat POLOCENSIS satrapia, *Polockumque* ipsum, ad *Dunam* fluuium positum, vrbem mercatoribus plenam habet, & duplici propugnaculo seu arcibus firmam, Archiepiscopi *Russici* sedem in se continet; in qua nostris temporibus *Beatus Josaphat* collocatus, ab impiis Schismaticis *Vitebscii* interfectus, ad meliorem vitam transiit. Corpus eius huc translatum, maximis miraculis claret. Habent etiam in hac vrbe *Societatis Iesu* Clerici, vtiles in vinea Domini operarii, collegium studiosorum, a *Stephano* Rege erectum. Nec longe admodum *Visiatum*, ciuitas egregia cum arce. *Starzicia Velisia*, caput unius districtus ad eandem satrapiam spectantis: & *duae* incomparabilis olim *Herois Caroli Chodkievicii* munitissimæ ciuitates, *Solovia* atque *Bychovia*, in quibus non modo propugnacula exarte recentiori, sed & templa, monasteriaque ab illo, noua architectura sunt erecta. Tum monasterium Carmelitarum Discalceatorum *Glebocii*, & Franciscanorum conuentus *Ozguae*; præter Abbatias Ord. S. *Basilii*.

Vltima eaque maxima satrapia est SMOLENSCENSIS, Ducatum *Severiensem*, Terram *Czerniechoviensem* (vtraque autem hæc *septuaginta* arces continent) & districtum *Orsaneusem* in se complectens. *Smolenscum*, ad *Borysthenis* ripam in loco editiore positum, muro *sex* cubitos lato, *quinquagintaque* duabus turribus firmum, speculam & propugnaculum in medio vrbis, in monte excelsiore habet: continetque circiter *quatuor millia* domuum, præter aulas nobilium & templa religiosorum, tam *Russorum*, quam *Catholicorum*: Inter quæ vnum est Ignatianorum, cum collegio pro studiosa iuuentute, & sedes Episcopi *Russici*, qui in spiritualibus subiacet Archiepiscopo Polocensi, tanquam suffraganeus, & vterque agnoscit pro capite Romanum Pontificem. *Catholicum* vero Episcopum nuper fundauit *Vladislaus* IV. vna cum collegio Canonicorum, profligatis inde numerosissimis exercitibus *Moscovitarum*; Idque ex destinatione patris sui *Sigismundi* III. qui conuentum Ord. Præd. fundauerat. Sunt & *Graeci* ritus monasteria sexus vtriusque, & FF. Min. de Obseruantia: prout & *Dorohobusi* atque *Starodubi*, aliisque in locis, *Dombrowna* quoque oppidum non contemnendum: Sicut et *Orsza* ad *Borysthenem* sita (in qua itidem *Societatis Iesu* Clerici Gymnasium publicum habent) quæ semper fuit in ditione Regis *Poloniae*: *Smolenscum* autem cum toto Ducatu *Severiensi*, ante annos circiter centum, interceperat *Moschus*, sed *Sigismundus* III. Rex noster modernus, anno 1611. bello recuperauit, et insuper terram *Czerniechoviensem*, *Rumnensem*, et *Sterpicioviensem* ab hoste extorsit, et *Smolenscensi* satrapiæ adiunxit.

PRUSSIA.

PRUSSIA.

PRussia quamuis eodem cum *Polonis* regno contineatur, peculiare tamen consilium publicum, peculiares leges, peculiaria iudicia, comitia, ærarium, ac belli gerendi rationem diuersam antiquitus habet; estque amplissima regio, plerisque sinuosis flexibus vbique amœna, & opportunis portibus maris *Balthici* maxime commoda. In latitudinem 50. in longitudinem vero circiter sexaginta milliaribus extenditur. Et ab occasu *Pomeraniam*, ab Austro *Masouiam*, *Lithuaniam* cum *Samogitia* ab ortu, e septentrione demum mare *Balthicum* seu *Sarmaticum* habet; atque vrbium illustrium, oppidorum, arciumque frequentia, opimis incolarum diuitiis, opibusque ac terræ ipsius vbertate, supra modum claret. Metallorum quidem ferax non est, sed pecoris omnigeni inæstimabili copia, piscationibus, venationibusque & siluis fructuosissimis, atque aëris demum temperie, cum amœnitate coniuncta, prædita est. Merces quas e *Polonia*, *Russia*, & *Lithuania* accipit, maximo suo commodo trans mare mittit; & vicissim in *Poloniam* importat, quidquid *Europa* vniuersa, & *India* diues gignit, omnia fere per commutationem a transmarinis mercatoribus accipiens. Hinc vulgo simul & nobilitati res ibi lautior, quam in reliquis partibus Regni, vestitusque & habitatio cultior; quod totum prisca frugalitas, non modo conseruat, sed etiam indies auget.

Habet autem *Prussia* præcipua flumina *duodecim*, *Vistulam*, quæ *Silesiam*, *Poloniam*, *Masouiam* & *Prussiam* præterlabitur, *Nemenum*, ex *Alba Russia*, per *Lithuaniam* & partem *Samogitiae* decurrentem, *Dereuanciam*, *Elbingam*, *Vesferam*, *Passariam*, *Allam*, *Praegelum*, *Ossam*, *Drebnicam*, *Lucam* & *Lauiam*. Præter ea lacus plurimos, piscibus omnis generis exundantes; in his nominatissimus est *Habus*, ad quindecim milliaria in longitudinem, in latitudinem vero duo milliaria plus minus habens: angusta valde insula *Neringa* a mari disiungitur; vbi succinum siue electrum (*ambram* etiam externi vocant, quam fluctibus appulsam, ad littora homines nudi obuiam euntes, paruis retibus excipiunt & extrahunt; mollem primum, sed mox in aëre durescentem, quæ torno deinde ac scalpro varie conformatur) sicut & in omnibus *Prussiae* littoribus colligitur. Est & alius lacus aliquanto amplior isto, cognomento *Curouiensis*, sed in *Prussia Ducali*: reliqui omnes fere minores.

Duplex autem est *Prussia*, *Regia* & *Ducalis*: sic dictæ, quod hæc *Ducem Marchionem Brandeburgensem*, Regi *Poloniae* vectigalem, pro Domino agnoscat; illa, directe Regno *Poloniae* incorporata, neminem pro principe superiore, nisi Regem ipsum veneretur. Et *Ducalis* sane minoribus oppidis frequens est admodum, & quidem nec incultis, nec immunitis, quæ vltra *sexaginta* numerantur: habetque metropolim *Regium montem*, vrbem emporio claram, tribusque oppidis & arce magnifica insignem; longitudinis gradu 43. lat 54. In qua Academiam quoque *Albertus*, ex *Magistro Ordinis Teutonici* primus *Dux* factus, anno 1544 erexit: sed quia hæreticis professoribus regendam commisit, ideo hucusque incognita habetur, nec efflorescit ingeniis. Ciues ibi etiam variis sectis infecti, templa, *Lutheri* adhuc temporibus, Catholicis erepta, suis prædicatoribus gubernanda dederunt. Quare serenissimus Rex *Sigismundus* III. cum a *Duce* illo anno 1621 homagium *Varsauiae* reciperet, legem imposuit, vt Catholicis liberum religionis exercitium maneret. *Duxque* ipse templum illis a fundamentis erigeret, & omnibus requisitis ornaret, clerumque insuper sufficientissime ditaret. Quod primo statim anno factum est, vt in possessionem venit; alias enim Ducatu ipso priuari debebat, sicut etiam, si subditis suis prouocationes ad Regem, in causis maioribus prohibuisset.

Regia

Regia autem *Prussia*, *tribus* satrapiis distincta est, *Culmensi*, *Marieburgensi* & *Varmiensi*. *Michalovtense* autem territorium est in satrapia *Culmensi*, quæ ad meridiem spectat. *Varmiensis* ad Aquilonem, subiecta Episcopo suo, & sacro ecclesiæ eius collegio, Regis *Poloni* maiestatem agnoscentibus. Media est *Marieburgensis*, quæ sola fere plana & declivis est. Reliqua *Prussia* pleraque omnis collibus molliter, & ad fertilitatem amœnitatemque, commode distincta est.

CULMA igitur primæ satrapiæ caput, ad *Vistulae* ripam sita, pro sua amplitudine infrequens ciuitas est, & Episcopo paret, qui inde nomen habet: quamuis Cathedra eius sit in oppido *Culmensi*, vno milliari inde distante. Templa tamen pulcherrima, preciosisque vestibus sacris ornata habet, inter quæ minimum est illud Monialium, sed omnium, tam quoad possessiones, quam ad vasa sacra ditissimum. Vbi inter vestimenta alia vsui sacrorum dicata, habent quoque casulam, totam adamantibus maximis preciosissimisque exornatam, circumductam autem circumcirca catena aurea, pulcherrimis gemmis distincta. Huius satrapiæ oppida præcipua sunt: *Brodnicia*, *Grudentum*, *Radinum*, *Golubia*, *Rogozna*, *Brathianum*, *Covalia*, *Copriunicza*, *Lubavia*, Episcopi Culmensis, quæ omnia fere mœnibus cincta sunt, & arces validas beneque exædificatas habent. Sed primarium locum obtinet *Torunia*, vrbs in ripa *Vistulae* sita, longitudinis gradu 41. latitud. 32. nulli ex vrbibus *Germaniae* pulchritudine, munitione & diuitiis cedens. Plurima hic templa *Catholica*, & *Societatis JESU* Clericorum gymnasium non infrequens; sed mercatores communissime & magistratus hæretici sunt, habentque gymnasium suum, in quo humaniora diligentissime tractant; in sacris autem ordinarie controuersias Cardinalis *Bellarmini* prælegunt. Habent & bibliothecam instructissimam, in qua duæ *Ciceronis* epistolæ in tabulis cereis scriptæ asseruantur. Prætorium quoque in hac vrbe est elegantissimum, in medio foro situm, quale nullibi videbis; ingressis enim stuporem iniiciunt pauimenta, parietes, laquearia, trabes, vt nihil ad perfectionem architecturæ requiratur.

Secundæ satrapiæ caput est MARIEBURGUM, cum ipsum per se mœnibus turribusque permunitum, tum arce amplissima (in qua præcipui ex hostibus captiui communissime asseruantur) & munitissima nobile, situm ad *Nogatum* brachium *Vistulae*, sexto ab vrbe *Gedano* milliari: propterque adiacentis *Zulavae* vbertatem, pagorumque in ea frequentiam & cultum, copiosum satis & frequens. Est autem *Zulava* insula in palustri olim restagnantis *Vistulae* solo, operibus & præalti ac firmi aggeris obiectu effecta, quæ magno hominum labore, & non sine periculo, ab inundatione fluminis defensatur. Est duplex, maior vocatur hæc, quæ *Marieburga* adiacet. Minor autem ea, quæ ad *Gedanum est*, inter alterum eiusdem *Vistulae* brachium, & est quidem tota in possessione & libero vsu ciuium *Gedanensium*, sed antiquitus maior eius pars ecclesiæ parochiali debebatur. Oppida huius satrapiæ sunt primaria, *Stuma*, *Gnievum*, *Navum*, *Stargardia*, *Orneta*, sed præcipue *Elbinga*, bene permunita & copiosa, splendidisque ciuium opibus, & mercatorum diuitum frequentia clara, in qua præter vrbis *Consulem*, *Angli* quoque suum *magistratum* habebant. Fundauerat hic *Albertus* primus *Dux Prussiae* Academiam, anno M. D. XLII. sed quia *Lutheri* discipulis gubernandam commiserat, ideo ignobilis hactenus fuit.

Tertia satrapia est VARMIENSIS episcopatus, seu principatus singularis, habens nobilitatem ab omni regiorum magistratuum iurisdictione exemptam, qui iure municipali eodem, quo & ceteri *Prussi* vtuntur. Primaria vrbs est *Heilsberga* domicilium Episcopo, (cathedra enim supra *Fraumbergam* est) munitionibus & propugnaculis bene firma. Deinde *Brunsberga* ad *Pessariam* sita, adeo frequens copiosa & permunita, vt inter primarias vrbes *Prussiae* numerari queat. Collegium *Jesuitarum* habet a *Hosio* Cardinali fundatum. His vrbibus non multum cedunt, *Guttestadia*, *Allestemum*, *Resla*, *Vormita*, *Melsacum*, *Vatemberga*, *Sebergum*, &

aliæ ciuitates, Capitulo directe subiacentes. *Senotus* itaque *Prussiae*, quos *Consiliariós* terrarum *Prussiae* vocant, constat *duobus* Episcopis, *Varmiensi* (qui princeps & moderator reliquorum est) & *Culmensi*; Palatinis *tribus*, *Culmensi*, *Marieburgensi*, & *Pomeranico* (*Pomerania* siquidem iisdem quibus & *Prussia* legibus vtitur, & quasi pro vna prouincia cum *Prussis* computatur, solo titulo *Pomeroniae* excepto) *Castellanis tribus*, *Culmensi*, *Elbingensi*, & *Gedanensi* (hi supra nominati *octo Senotores*, ad senatum quoque reipublicæ pertinent) & totidem *Subcamerariis*, *Culmensi*, *Marieburgensi*, & *Pomeranico*; *tribusque* demum primariis ciuitatibus, quarum non mediocris est potentia, *Torunensi*, *Elbingensi*, & *Gedanensi*. Præter hos autem magistratus, habent *Prussi*, *Thesourorium*, *Praefectos* arcium, *Gladiferos*, *Judices* & *Scabinos*; verum ii non pertinent ad consilium. *Palatini* autem, qui iurisdictionem exercent, maiorem hic in *Prussia* auctoritatem habent, quam in cetera *Polonia*.

POMERANIA.

Pomeraniae nomine generaliter id totum vocatur, quidquid a *Vistula* incipiens, vsque in *Cimbricam*, littori maris *Bolthici* adiacet, quod, postquam in *Germonicae* gentis ditionem cessit, cuilibet parti, inter fluuios maiores in mare decurrentes sitæ, peculiare nomen, vel ab euentu, vel a loci natura, pro libitu imposuerunt. Proprie autem nunc *Pomerania* dicitur ille tractus, qui inter *Oderam* & *Vistulam* fluuios extenditur ad littus *Balthicum*: cuius partem citeriorem Rex *Poloniae* possidet; vlterior proprium principem habet, ad *Imperium Germanicum* spectantem. Qui tamen nomine olim *Limburgi* & *Bithoviae*, Regis *Poloni* beneficiarius fuerat, iurauerat que ritu solenni in verba eius, quemadmodum & *Dux Prussiae* (sed nunc iam ad coronam *Poloniae* rediit, & prouinciæ *Prussiae* adscripta est, sub iurisdictione Palatini *Pomeroniae*.) *Regiae Pomeraniae*, quæ iisdem moribus & legibus cum *Prussia* est, nec nisi titulo solo ab illa differt, & fluuio *Vistulo* disiungitur. *Gedanum* vrbs metropolis est, longitudinis gradu 41. lat. 54. maris *Balthici* emporium celeberrimum, coria & varietate mercimoniorum, partim maritimorum, ex toto occidente & septentrione, partim terrestrium, ex diuersis mundi partibus, & fluuiatilium, maxime *Vistulae* præterlabentis opportunitate abundans; adeo vt ædificiorum tam priuatorum, quam publicorum pulchritudine, incolarum & externorum multitudine, ciuium diuitiis, propugnaculorum firmitate, machinarumque & instrumentorum bellicorum numero, cum præcipuis *Europae* vrbibus certare possit. Quæ cum hæretica tota sit, *Officialem* tamen seu *Vicarium* Episcopi patitur, & coram illo omnes hæretici variarum sectarum causas disceptant, præsertim in materia matrimonii. Quamuis enim hæc satrapia proprium Episcopum non habeat; in spiritualibus tamen tota subest Episcopo Vladislauiensi, seu *Cuiaviae*, qui se etiam Episcopum *Pomeraniae* scribit, & in ea non contemnendas possessiones habet; etiam in suburbanis *Gedanensibus*, vbi templum & collegium pro erudienda iuuentute Ignatiani habent; Dominicani autem, Carmelitæ & Moniales in vrbe ipsa, sicut & Vicarius Episcopi. Gymnasium hic *Lutheronorum* celebre est, itemque horologium vrbis affabre elaboratum, & palatium publicum vulgo *Gelda* dictum.

In ipso quoque maris portu, propugnaculum munitissimum exstructum, *Pharum* vocant, & firmo præsidio custoditum, vbi interdum *quingentas* vna die cum mercibus naues appulsas videbis, quæ a præsidiariis excutiuntur, & portorium persoluunt. Conebatur huc *Suecus* bello durante irrumpere, sed a regiis fortiter exceptus, naues aliquot & Admiralem amisit, qui cum sua prætoria igni exustus fuit; reliquæ fugatæ & submersæ, captæ vero *septem*. Abundat autem magnopere hæc prouincia, piscibus, frugibus, fructibus & siluis; diuiditurque in

septem

ſeptem territoria, & totidem iudices habet, in *Sluchovienſe*, *Tucholienſe*, *Sweconſe*, *Dirſavienſe*, *Zukovienſe*, *Paceuſe*, & *Mirachovienſe*; Quibus etiam *Craina* & *Caſſubia*, tractus terræ non contemnendi, adiunguntur: in quorum illo priore, Abbatia Coronouienſis prępinguis eſt; in iſto præfecturæ aliquot regiæ.

Puckum præcipuum oppidum ſatrapiæ, cum arce munitiſsima ad mare ſita, quam interceperat *Suecus*, vti locum ſibi ad inuadendam totam prouinciam valde opportunum, ſed virtute noſtrorum expulſus, multis militibus ſuis amiſſis. Nec multum illi cedit *Sluchovia*, *Stargardia*, *Neimburgum*, *Meva*, *Schoinicia*, *Dirſavia*, quæ arces ſibi adiunctas habent; reliqua non item: niſi quod *Amſterinum*, bello hoc famam aliquam inter cetera ſibi paria videtur acquiſiuiſſe, quod in eo duas *Sueci* legiones, *Konieepolſcius* Polonici exercitus Generalis, integras ceperit, armiſque & ſignis ſpoliatas dimiſerit omnes, præter ductores ipſos.

Habet Abbatias quoque hæc prouincia prædiuites, affabreque facta monaſteria, *Olivae*, *Peplinitae*, Ciſtercienſium: *Zarnovitciae* ad littus maris, & *Zukoviae*, monialium, & quod vnicum tantum huius ordinis in tota *Pruſſia* eſt, prope *Dantiſcum*, Carthuſianorum.

MASOVIA.

IN meditullio quaſi regni *Poloniae* ſita eſt *Maſovia*, *quatuor* ſatrapiis diſtincta, *Plocenſi* nimirum Palatinatu, *Podlachico*, & eo, qui peculiariter *Maſoviae* nomen retinet, atque terra *Dobrinenſi*.

DOBRINENSIS occidentalis eſt, inter *Cuiaviam* & *Pruſſiam* poſita; inque tria *territoria* diuiditur, nempe in *Dobrinenſe*, *Ripinenſe*, & *Lıbnenſe*, ſiluas fructuoſas complures habet, & lacubus piſcoſis in primis abundat: præterque hæc *tria* oppida, quæ ſuorum territoriorum diximus eſſe capita, nullum aliud celebrius habet, niſi illud, quod vulgo *Skompe* vocatur, in quo Minoritæ imaginem *Beatiſſimae Virginis* miraculoſam aſſeruant, fitque eo magnus populorum concurſus, ex circumiacenti vicinia deuotionis ergo. *Gurzno* etiam oppidum Epiſcopi Plocenſis, (qui in toto illo tractu iuriſdictionem ſuam exercet) eſt alicuius momenti, multoſque pagos ſubiectos ſibi habet. *Senatores* Terræ *Dobrinenſis* ſunt *Caſtellani tres*, *Dobrinenſis*, *Ripinenſis*, & *Slonnenſis*.

Hinc verſus ortum procedendo, inter *Viſtulam* & *Pruſſiam* iacet, *Palatinatus Plocenſis*, qui in *quatuor territoria* diuiditur, *Plocenſe*, *Zaucrenſe*, *Mlavenſe* & *Stenenſe*. Habetque *Senatores quinque*, *Epiſcopum*, *Palatinum*, & *Caſtellanum*, *Plocenſes*: deinde *Ratianzenſem* & *Sieprcenſem*, *Caſtellanos*. Oppida fere omnia ignobilia ſunt, præter *Sieperciam* (vbi imago miraculoſa *Beatiſſimae Virginis* habetur, fitque hominum concurſus magnus) & *Ploſcum* ipſum, baſilica nobile & Epiſcopo, ſitum in ripa eminentiore *Viſtulae*, vnde proſpectus in partes omnes amœniſſimus, quem eo iucundiorem faciunt naues, aſſidue huc illuc tranſeuntes, & pomaria per circuitum vrbis diſpoſita, fructus ſapidiſſimos proferentia. Templa hic plurima, & bene ditata, præcipue Monialium S. *Mariae Magdalenae* in ſuburbano, & Benedictinorum Abbatia in arce, vbi Baſilica quoque ipſa haud inelegantis ſtructuræ, diues argento & clenodiis, inter quæ viſitur etiam caput S. *Sigiſmundi* Regis, a Sereniſſimo Rege *Sigiſmundo* III. loco illi, (quod nimirum Baſilica ipſa ſit ſub titulo S. *Sigiſmundi* erecta) non ita pridem donatum, thecæ auri obryzi incluſum, & plane regali munificentia, gemmis & lapidibus precioſis exornatum. Capitulum hic fere æquales reditus cum Epiſcopo habet; nam Præpoſitus ipſe integrum territorium poſſidet, eſtque ſupremus Dominus nobilitatis illius, quæ ibi manet. Sicut & Epiſcopus, *Pultovienſis* territorii ſupremus eſt Princeps, nec ab illo datur prouocatio ad Regem: Sed ita nobiles ſunt illius ſubditi, ſicut & Epiſcopi Varmienſis; aut Cracouienſis, in Ducatu *Severienſi*.

Iesuitae hic collegium erudiendæ iuuentutis habent; ſed et gymnaſium caſtrenſe, ſub cura venerabilis Capituli, qui eo magiſtros ex Academia *Cracoviae* euocant.

Vrbs ipſa ciuili populo abundat, qui partim agros & hortos pomiferarum arborum colit, partim mercaturæ ſtudet, ad quam gnauiter exercendam loci opportunitas, ipſeque inprimis *Viſtula* onerariarum nauium capaciſſimus incolas inuitat. Salmonum hic & ſilurorum copioſior fit ex piſcatione prouentus, menſe Martio præſertim: Sed & *Trutta* hic ab egregia pulparum pinguedine maxime commendatur.

Sequitur *Maſovia* ipſa, quæ *Epiſcopum* nullum, *Palatinum* autem *Generalem* habet, atque *Caſtellanos ſeptem*, *Cyrnenſem*, *Varſovienſem*, *Viſnenſem*, *Viſogrodenſem*, *Zacrocimenſem*, *Ciechanovienſem*, & *Livenſem*. In ſpiritualibus autem, partim ſubeſt Epiſcopo Poſnanienſi, partim Plocenſi, partim Luceorienſi. Et quia ampla prouincia eſt, ideo in *duodecim territoria* diuiditur, in *Cyrnenſe*, *Viſnenſe*, *Zembrovienſe*, *Varſovienſe*, *Nurenſe*, *Viſſogrodienſe*, *Zacrocimenſe*, *Ciechanovienſe*, *Lomzenſe*, *Rozanenſe*, *Macovienſe* & *Liuenſe*. Præterque prædicta oppida, quæ ſuorum territoriorum capita ſunt, habet complura alia notabiliora multo, vt *Pultoviam*, Epiſcopi Plocenſis reſidentiam, latericiis domibus, & arce in ſcopulo pulchre exſtructa, hortiſque ac pomariis amœniſſimis nobilem, quaſi in inſula *Narvae* nauigabilis fluuii ſitam, in qua & *Societatis Jeſu* Clerici inſigne ſtudium habent, & collegium Canonicorum templum magnificum beneque prouiſum. *Czernienſcum* vero ad *Viſtulam* ſitum, habet abbatiam Canonicorum regularium ditiſſimam. Tandem *Minſcum*, *Varcam*, *Vengroviam*, *Garvolniamque* optima cereuiſia oppida celeberrima: ſimiliter *Stanislavoviam*, *Brocum*, *Viſcoviam*, *Serciczam*, *Lomzam*, collegio Ignatianorum inſignem; atque demum *Varſoviam* ipſam, centrum Regni Poloniæ, atque ob id comitiorum locum priuilegiatum, vt ex omnibus prouinciis æqualis ſit commeantibus diſtantia. Eſt enim ſita longitudinis gradu 43. latit. 52. quadraginta milliaribus a *Cracovia* & *Poſnania*. Habetque palatium amplum quadratum, recenter a ſereniſſimo Rege *Sigismundo* III. ſumptuoſiſſime exſtructum, cum antea tota fere fabrica lignea fuerit: itemque extra vrbem aliud, *Viasdoviae*, *Viſtulam* proſpectans, inter hortos amœniſſimos. Templa quoque magnifica habet, inter quæ primarium S. *Joannis Baptiſtae*, Canonicorum ſecularium, picturis & veſtibus ſacris precioſis, pro regia maieſtate exornatum. In ſuburbio *Cracovienſi* dicto, verſus *Viasdoviam*, eſt trophæum victoriæ de *Moſchis*, capella nimirum, pulchre iuſſu regio frabicata, in qua repoſitus quieſcit *Jo. Demetrius Suiſcius*, magnus Dux *Moſchorum*, & tot populorum *Aſiaticorum*. Imperator, qui captiuus vitam in carcere *Goſtiniae* finiuerat; vna cum fratribus duobus.

Sunt & in ſuburbiis complura procerum palatia, ſolerti artificum *Italorum* ingenio exſtructa, ſed quæ inter regia villa a *Vladislao* IV. nuper exſtructa, interiori elegantia eminet. Tum coloſſus ille, quem Diuo *Sigismundo* III. patri ſuo recenter erexit. Habet *Maſovia* tota *quinque & quadraginta millia* equeſtrium familiarum, quarum ſi quælibet vnum ſaltem virum, equo armiſque decenter munitum, præberet, quantus in patriæ defenſionem exercitus illico fuiſſet? Et ſunt plurimi, vt cuiusque cenſus eſt, qui poſſunt integras etiam turmas armare: præter pedites, quos duplo maiori numero, vrbana ruſticaque plebs præbere poſſet. Sola ſiquidem *Praſnienſis* regio *ſeptem millia* equeſtrium familiarum perhibetur continere; e quibus nulla tam egens eſt, quin equitem vnum in publico tumultu armet. Quos inter vetuſtiſſima *Romanorum Valeria* familia, coruum pro gentiliciis inſignibus geſtat, & fœcunda ſobole eſt, vt ad *duo millia* familiarum prope accedat. Gens pugnaciſſima, & quæ a perdita audacia, mortis contemtrix habetur.

Vltima

Vltima prouinciæ *Masoviticae* satrapia PODLACHIA, in spiritualibus tota Episcopo Luceoriensi subiecta, *duos* tantum *Senatores* habens, *Palatinum & Castellanum Podlachiae*. Diuiditurque in *tres* quasi *districtus*, *Drohiczynensem*, *Mielnicensem*, atque *Bielscensem*; quæ etiam tria oppida sunt principaliora, reliqua non item, præter *Halovacze*, *Surasium*, *Visokie & Knisinum*. *Ticocinum* quoque oppidum non est postremo censendum, ob elegantiam palatii, inter paludes loco munito exædificati, architectura recentiore, studio & munificentia illustrissimi viri *Christophori Viesiolovii*, Magni Ducatus *Lituaniae* Curiæ Marschalci, qui etiam quarto inde milliari, *Bialostocum* castellum pulcherrimum possidet, vbi templum, ad elegantiam modernam cum omni sacro apparatu exstructum conspicitur. Et paulo inde longius, *Supraslum Russarum*, in siluis ditissimum monasterium, in quo S. *Basilii* professi, sub obedientia ecclesiæ *Romanae* habitant: sitque eo maximus hominum concursus, miraculis in dies inclarescentibus.

SAMOGITIA.

Satrapiam ea nullam habet, sed *Praefecturas* permultas: summusque eius *Toparcha*, vulgo *Capitaneus* locum in senatu regni, cum *Episcopo & Castellano* habet, cum præter ipsum, nullius vrbis aut regionis *praefecto*, locum habere in *Senatu* liceat, nisi fuerit aliqua alia dignitate maiore ornatus: puta *Cancellarii*, *Marschalci*, *Palatini*, aut *Castellani*. Regio hæc satis ampla & fertilis est, sed siluis tota inumbrata: a septentrione *Livoniae* contermina, marique *Balthico*: ab Occidente *Prussiam Ducalem* in vicinia habet: a meridie & ab ortu *Lituaniae* adiacet. Ciuitates tam Regis, quam nobilium complures habet, sed penitus omnes ligneas; præter *Caunum*, ad *Crononis* seu *Nemeni* littus sitam, collegio *Societatis Jesu*, & monasteriorum celebritate illustris; in qua *Germani* mercatores, superiori ætate lateribus & lapidibus elegantius ædificare cœperunt: nunc reliqui incolæ quoque eodem studio tenentur, illosque superare contendunt. Sed turba in humilibus casis habitat, quæ, vt plurimum ad lacus, riuos, & flumina sitæ sunt, stramentis aut asserculis intectæ: præter prædia, domosque nobilium, quæ ampliores sunt & cultiores. Terram non ferro, sed ligno proscindunt, quæ tamen non est arenosa, sed tenax & fertilis satis. Equos adeo paruos habent, vt vix credibile sit ad tantos labores eos posse sufficere, quibus foris in bello ad trahenda onera, domique in colendis agris vtuntur. Episcopum habent *Romanae* obedientiæ, qui, vti diximus, cum suo *Castellano & Capitaneo* ad *Senatum* Regni pertinet, & cathedram suam atque residentiam *Medniciae* tenet. In vicinia vero eius est præpositus infulatus ordinis S. *Augustini*, cruce rubea signatorum, quos non ita pridem, quidam e prosapia Ducum *Gedruciarum*, in rure suo hæreditario, adscriptis amplissimis possessionibus fundauit; quod nimirum in ea religione olim auum suum paternum, *Beatum Michaëlem* haberet: qui *Cracoviae* in conuentu S. *Marci* multis, cum viueret virtutibus claruit, & non sine sanctitatis opinione in eodem cœnobio, vbi strenuum religionis pugilem se præbuit, e viuis sublatus quiescit. Ad cuius tumulum etiam num quoque varia miracula patrantur, DEO sanctorum suorum gloriam in dies augente. Est & collegium *Societatis Jesu* Clericorum, pro studiosa iuuentute a magno illo Heroe *Carolo Chodkievicio*, *Crosis* erectum. Qui cum ardentissimus veræ pietatis cultor esset, etiam *Cretingae*, vbi sepeliri optabat, FF. S. *Francisci* de obseruantia magnificentissimum monasterium, ad littus maris exstruxit, & diuite suppellectili, in vasis tam argenteis, quam etiam aureis, liberalissime dotauit. Sunt & alia plurima religiosorum virorum frequentia insignia, vti est *Calvariae* conuentus Dominicanorum, *Virzbolaviae*, *Lincoviae*, *Gitovianis*, *Rosienis*, *Varnis*, *Telsiis*, atque alibi.

LIVONIA

L I V O N I A.

VLtimo Regno *Poloniae* accessit *Liuonia*, seu *Liefiandia*, regio amplissima, siliginisque & frumenti perdiues, pecoribus ac iumentis domesticis omnis generis maxime abundans (quæ omnia deinde fluuiis *Duina* & *Nerva* ad portus maris, atque inde in *Hollandiam*, *Scotiam* & *Angliam* transmittit) lacubus fluuiisque piscosis, & siluis ad venationem idoneis referta: in quibus habet vrsos, alces, vulpes, lynces, marturos, castores, & omnis generis animalia, quæ ex *Moscouia* veniunt; siquidem eam ab oriente contiguam sibi habet, & *Nerua* tantum fluuio ab illa separatur. A septentrione cum *Sueciae* regno & *Finlandiae* Ducatu, per maris *Balthici* sinum viciniam gerit: ab occidente nonnihil *Prussiae* adhæret. A meridie vero *Samogitiae* & *Lituaniae* iungitur. Extenditurque in longitudinem nonaginta milliaribus Germanicis, in latitudinem vero quinquaginta. Et diuiditur in *octo territoria*, *Lettlandiam* videlicet, *Vtkelandiam*, *Curlandiam*, *Semigalliam*, *Estlandiam*, *Virlandiam*, *Harriam*, *Gervandiamque*: quæ singula nunc bellis per tot annos sæuientibus cum *Sueco*, atrocissime vastata sunt, & a diuersis principibus possidentur, hoc est, a *Moscho*, *Sueco*, *Dano*, & Rege *Poloniae*, qui præcipuas ibi arces & ciuitates possidet: habetque in ea *septem Senatores* ad consilium regni generale pertinentes, puta *Palatinum*, *Castellanum & Episcopum*, *Vendensem*, *Palatinum & Castellanum Parnaviensem*, *& Palatinum* atque *Castellanum Derpatensem*, ac præterea vasallum non contemnendum, Ducem *Curlandiae*, *& Semigalliae*. *Riga* totius prouinciæ metropolis, quam fluuius *Duina* amplissimus, vna cum arce alluit: vrbs ipsa muro firmissimo, propugnaculisque & turribus densis vndique munita; item, vallo inexcusso, tribus ordinibus tormentorum apto, fossisque duabus ex vtraque parte circumducta, & stipitibus acutis circumsepta: Instrumentisque insuper bellicis, ac tormentis æneis, & commeatu copioso, tum militibus stipendiariis, pacis & belli tempore bene prouisa. Magnum in ea est & celeberrimum emporium: & quamuis duobus milliaribus distet a mari, naues tamen omnigenæ, facillime de mari sub ipsa vrbis mœnia deueniunt & redeunt. Vbi vero fluuius mari illabitur, est arx *Dunamunda* inexpugnabilis, natura opportunitateque loci, duobus a *Riga* milliaribus. In ea omnes naues ex vltramarinis regionibus venientes, merces suas indicare, teloniaque persoluere coguntur: iterumque excutiuntur in *Blokaus*, munitione sita medio loco inter *Rigam & Dunamundam*. Hæc igitur tam diues atque potens vrbs, diuersas hæresium sectas in se continens, moleste ferebat valde, quod piissimus Rex *Societatis Jesu* Clericos illis dedisset, & collegium pro instituenda iuuentute in vrbe fieri iussisset. Similiter quoque *Pernaviae*, *Derpati & Vendae*. Quare metuentes sibi, ne cura horum patrum, hæresis ipsorum exstirparetur, tempore, quo nos cum *Turca* bello grauissimo in *Valachia* occupati fuimus, concitatis circumuicinis vrbibus ad rebellionem, *Suecum* ad se cum exercitu euocarunt, &, vt fautorem ac promotorem suæ religionis portis apertis admiserunt; vnde nobis postea bellum cum ipso difficillimum, non in *Livonia* modò, verum etiam in *Prussia*, simili scelere hæreticis vrbibus eum ad se euocantibus, per annos aliquot durauit. Quod postea induciis diremptum fuit, & *Riga* ipsa cum aliis nonnullis maritimis locis, in *Sueci* potestate mansit. Sunt etiam plurimæ aliæ in hac prouincia vrbes & arces optime munitæ, & ex laterculis omnes pæne factæ: inter quas censetur quoque *Kircholmia*, ad *Duinam* fluuium, duobus milliaribus a *Riga* versus orientem sita; ad quam felicis olim & piæ memoriæ, Dux exercituum *Lituaniae*, *Carolus Chodkievicius*, cum *tribus* suorum militum *millibus*, aggressus Marte aperto *Carolum Sudermanum*, patrem *Gustavi*, sic eum acie vicerat, vt *novem millia* cæsorum essent, *quatuor* autem *millia* captiuorum.

Penes

Penes eundem *Duinam* superius procedendo, est arx *Kokenhausum*, et paulo longius *Volmaria* ciuitas, & castrum; vtraque similiter clade *Suecorum* ingenti nobilitata: ad illam enim *septem millia* vna die transmarinorum militum cæsa fuere: ad istam vltra *duodecim millia* occisa, vix duodecim horis elapsis. Sequitur *Derpatum*, insignis vrbs, & arx in colle munitissima, *Moscouiae* contermina, cuius præfecturam, quod hostis esset in vicinia, ipse prædictus *Chodkieuicius* gessit, qui & totius *Liuoniae* gubernator fuit. Quamuis alius fuerit prouinciæ *Derpatensis Palatinus*, subditorum defensioni a Rege institutus: sicut & *Vendae* atque *Parnauiae*. Et *Venda* sane vrbs insignis est, & arcem firmissimam habet; vbi Rex *Stephanus*, *Liuouia a Moscho* recuperata, *Episcopum Catholicum* instituerat, quod tota prouincia varias hæreses amplexa, nullum *sacerdotem Catholicum* haberet. Erat ibi & collegium *Societatis Jesu*, sed pulsi ab hoste in *Lithuaniam* redierunt omnes; Episcopus autem in *minori Polonia* abbatiam Cistercienfium præpinguem Suloiuiensem, sustentandi sui honoris causa, a Rege obtinuit. *Parnauia* demum vrbs est egregia ad mare posita, quæ & arcem insignem atque bene munitam habet, ac propterea *Palatinum* gubernandæ regionis habet; quam similiter *Chodkieuicius* vi recuperauerat a *Sueco*, cæso in ea firmissimo præsidio; Sed eam iterum nunc *Sueci* habent. Reliquæ populationes & vrbes possidentur a diuersis Principibus: vt *Nerva* cum portu maris & duabus arcibus firmissimis a *Moscho*; Vrbs *Revalia* cum portu a *Sueco*: insula *Osilia a Dano*; reliquum quod *Lithuaniae* conterminum est, a Rege *Poloniae*.

Et hæc de prouinciis coronæ *Poloniae* subiectis, deque situ & natura earum: nunc breuiter videamus & examinemus *Polonorum* ingenia, opes, vires, atque alia, quibus regnum suum firmant, & tantopore libertatem suam tuentur.

INGENIA POLONORUM.

Ingenia *Polonorum* sunt aperta & candida, vtque *Johannes Boterus* in suis *Relationibus*, inquit, falli, quam fallere magis apta, minimeque propterea aurpertinacia, sed tractabilia & placida: vnde in primis exemplis commouentur. Sunt autem *principibus* & *magistratibus* suis satis morigeri, æque omnium prouinciarum populi, & ad comitatem, ciuilitatem, benignitatem, & hospitalitatem prompti, ita, vt ignotos & externos non modo libenter suscipiant hospitio, sed etiam inuitent, & omni officio prosequantur: Et non solum ad conuictum atque familiaritatem quorumlibet faciles, verum ad mores & imitationem eorum, cum quibus viuunt, externorum præsertim, flexibiles. Teneram ætatulam litteris addiscendis impendunt, vt *vernacula* & *Latina* lingua legere & scribere sciant: vnde ne in medio quidem *Latio* tam multos reperias, cum quibus Latine loqui possis, & vbi tam in *Cancellaria* Principis, quam in curiis *Parlamentorum*, inferiorumque omnium iudicum subselliis causas decisas, & monimenta lingua Latina descripta videas. Adultiores, si plebeii sunt, agrorum cultiuationi, opificio, aut mercaturæ sese addicunt: nobiles vero, militiæ, sacerdotio, & ministeriis opulentiorum. Vtrique autem libenter peregrinantur, & earum gentium linguas, ad quas perueniunt, cupide & facile discunt. Sunt enim docilia hominum ingenia, & valent quocunque intenduntur: sed tamen alienis inuentis perdiscendis ea magis accommodant, quam vt noui aliquid ipsi excogitent, & excellere magnopere vlla re studeant. Nihilominus non defuere nobis insignes *Mathematici*, *Astrologi*, *Dialectici*, *Oratores*, *Poëtae*, & *Philosophi*; tum *Medici*, *Jurisconsulti* atque *Theologi*, qui & Rempub. & Ecclesiam, ingeniis suis atque scriptis illustrarunt. Ac supersunt etiamnum clara patriæ suæ lumina, quorum monumenta, quanquam nondum in lucem prodierunt, laude tamen, quam merentur, non carebunt. In

In opificiis attamen nostrates minus elaborant, sed externis plerisque opificibus antiquitus vsi sunt, & vtuntur etiam nunc non paucis.

Rem porro familiarem diligentius curare, non ita pridem occepimus, idque ab extraneis, passim quæstus causa ad nos concurrentibus, concitati: vnde velut inuidia quadam, parandis diuitiis & auaritiæ totos iam nos ita dedimus, vt, quod olim *Senatoris* filiæ *centum* marcarum dos fuerat, nunc simplicis alicuius nobilis filiæ (quinimo & mercatoris iam) *centum millium* florenorum dos esse soleat.

Et non modo præstantiores genere, exoticis pannis & pellibus vtuntur, verum etiam inferiores & plebeii, serico, purpura, & auro vestiuntur: passimque iam equos argento exornari, in vasis argenteis comedere, argento altaria etiam in villis & pagis onerare, argentoque, auro, margaritis & gemmis vestiri mos inoleuit: nec restat aliud, nisi vt aurum & argentum comedamus; cum maiores nostri satis haberent, si ex agris & prædiis suis honeste cum familia viuerent, non luxum externorum aut splendorem consectarentur: Vnde litium nunc origo & ciuium assiduæ discordiæ. Nec rei militaris tanta cura, quanta superioribus seculis exstitit, cum quisque priuatum commodum sectetur, & cupiditate ductus lucrum, non gloriam, aut famam bonam quærat. Exstitere tamen semper, & etiam nostra hac ætate, multi virtute bellica præstantes viri (de quibus sigillatim, prout & de viris eruditis, scripsimus) vt *Moschouiticis*, *Liuonicis*, *Tartaricis*, *Turcicisque* expeditionibus, atque hoc vltimo bello *Prussico*, videre licuit. Nec emarcuit vulgo in *Polonis* vigor ille animorum, laudisque bellicæ studium, si modo virtuti sua premia non deessent.

VICTUS ET VESTITUS.

Victus genti nostræ dapsilior fere omnibus aliis Europæis, atque ita in mensis ditiorum exquisitus, vt potissimam prouentuum suorum partem Magnates, in aromata & vina insumant. Antiquitus siliginei panis, & cereuisiæ ex hordeo aut tritico factæ, promiscuus erat omnibus vsus, & quasi quotidianus: nunc iam non elegantiores tantum, sed vulgus etiam ipsum, pane triticeo, atque vino in conuiuiis vtitur; præsertim in vrbibus maioribus, & qui viciniores sunt *Hungariæ*. Et plebs quidem vicana, succidia, veruecina, bubula, vitulina, lardo, lactariis, pisciculis, oleribusque potissimum mensam instruere solet, quarum rerum fora in pagis quoque, apud templa & parœcias festis diebus instituuntur. At vrbanis et nobilitati multo delicatior victus, mensæque eorum cum altilibus omnigenis, tum feris animalibus, auibusque et piscibus lautis, vsque ad luxum interdum, onerantur, aromatumque diuersorum, saccari, vini, confectionum, et aliorum exoticorum condimentorum, aut bellariorum maximus quotidie vsus. *Russis* tamen et *Lithuanis*, apud quos permagna est apum et mellis copia, mulsum itidem, prout et cereuisia, cum lupulo et aqua decoctum, in frequenti vsu est, *medonem* vulgo vocant.

Vestium vero genus, neque vnum est, neque certum, aut suum cuique ordini, conditioni, ætati et generi hominum: sed prout cuique diuiti, aut pauperi placet. Exoticis tamen delectantur vt plurimum nobiles; milites autem potissimum inuentores fiunt. Sic quum bellum nobis cum *Moscho* fuisset, illorum more latas oblongasque togas, pellibus preciosis, mardurinis, Pantherinis, aut zobelinis suffultas, prægrandesque pileos gestauimus. Postea vero quam cum *Turcis* in *Valachiae* rem gessimus, equorum ornatus, sagos militares, nonnullasque oblongas, curtas, et astrictas vestes ab illis, atque eorum sociis *Tartaris*, desumpsimus. Mox bello in *Prussiam* contra *Suecum* translato: laxiores caligas, coriaceas, pallia atque alia vestium genera, *Germanico* habitui similia, nobis fecimus.

Atque

Atque sic spatio decennii vnius, ter, aut quater habitum vestium nostrarum correximus, aut verius corrupimus permutando: cum statim licentiam militarem sequuntur, qui domi mansere, iuniores præsertim, ne dignoscantur, aut certe vilipendantur ab illis, qui alicui expeditioni interfuerunt. Idem sane faciunt et feminæ, atque omnes Europæarum matronarum habitus sibi vsurpant, & ad suum patrium accommodant, prout cuique, tam diuiti, quam pauperi, libet. Communissime tamen omnes pannis extraneis, puta *Germanicis*, *Flandricis*, *Gallicis*, *Anglicis*, *Hispanicis*, atque *Italicis* vtimur: maxima autem pars sericis diuersorum colorum, & panno aureo. Nec obstat pretium, quod e longinquo ista veniant, cum reperiantur nonnulli, qui interdum *sexaginta* vestibus quam preciosissimis pro sua persona comparatis, etiam famulos suos similibus induant, & potissimam partem bonorum suorum in id ipsum impendant, vt splendide cum suo comitatu vestiantur, tam feminæ, quam viri. Ad exornandos siquidem gladios suos, pileos atque equos, non minus preciosis gemmis vtuntur & auro, quam & filiæ, aut vxores ipsorum; quæ clenodiis, torquibus, monilibus, annulis, alioque mundo muliebri nimium delectantur. Et vidimus nonnullas sæpius, nec valde diuites tamen, totam suam vestem gemmis & lapidibus pretiosis, vsque ad talos exornauisse; lex tamen sumptuaria, nescio quo pessimo fato nostro, in comitiis Reipublicæ non præscribitur, cum passim videamus, nimio isto luxu maximas quasuis familias, ad summam deinde egestatem peruenire, cum ingenti opprobrio & dehonestamento maiorum suorum. Et non in vestibus modo hunc nimium luxum, & prodigalitatem quodammodo habemus, sed in ædibus quoque & fabricis ligneis, quæ nihil sunt, nisi rogus apte compositus ad comburendum: in suppellectili varia, in conuiuiis & commessationibus; passimque iam laquearia nunc, & in priuatis domibus auro teguntur: parietesque ædium non proceres modo, aut principes viri, sed mercatores iam & vrbica plebs, pretiosissimis aulæis ac tapetibus vestiunt: Nec in vrbibus modo, sed etiam in villis lautius habitare student, *Italorum* fere opificum opera & industria. Iam autem iter facientes, feminæ quidem carpentis, rhedis, cisiis, aut curribus iunctis *sex* equis vehuntur: mares vero, vel iisdem, vel equis potius. Pedestrem incedere per viam, longiorem præsertim, minus honorificum vulgo habetur. Prodeuntem in publicum nobilem virum iuxta ac feminam assectis maribus, feminam vero etiam puellis pedissequis stipari moris est. Et in eum vsum alit quisque domi suæ famulitium pro modo facultatum, quos simili colore vestium, non sine sumptu & luxu vestitui vsitatum est. Plebeiis minor est hac in parte cura fastus, atque pompose ambitionis, exceptis vrbanis feminis, quæ & ipsæ bene cultæ, & vna aut altera pedissequa comitatæ, incedere student.

NOBILITATIS PRÆROGATIVA.

Populus *Polonus* in equestrem ordinem, siue nobilitatem, atque plebem distinguitur primo; deinde in ecclesiasticum & secularem statum. Nobilitas ad regimen atque defensionem patriæ segregata, plebs ad agriculturam, mercaturam, & opificia: ex vtrisque autem ad colendum Deum sacerdotes fiunt. Nobiles antiquitus vocabantur milites, nunc communissime dicuntur Equites; ab equestri militia, cui sunt obnoxii. Habentque multas & magnas prærogatiuas, quæ partim *Regum* & principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus & institutis inualuere. Censenturque ii tantum nobiles esse, quorum maiores virtutis ergo in eum ordinem allecti, gentilitio signo donati sunt: aut qui nunc ipsi hoc meruere virtute sua, & publico Ordinum Regni consensu, militiæ a principe sunt adscripti. Præstabilius tamen habetur, nobilem natum esse, quam factum. Nasci autem patre simul & matre nobilibus oportet, legitimo coniunctis

matrimonio; quia nothi, nobilibus quamuis & illustribus orti, non censentur in familiis, neque nobilitatis prærogatiuis fruuntur. Porro amittitur nobilitas his duobus modis, Principis decreto nimirum, ob admissum dedecus, et atrox aliquod facinus, et sordidi quæstus cupiditate; si quis videlicet desertis militiæ et agriculturæ studiis, mercaturam amplectatur, aut cauponationem, artemue aliquam mechanicam, exerceat. Est autem pari dignatione omnis Polonica nobilitas: nec vllum patritiorum, comitumque, aut Ducum discrimen; omnes iure æquali et libertate gaudent: omnes vna simul *Regem* sibi eligunt, leges in comitiis per suos *Tribunos* sanciunt, bella vicinis indicunt, fœdera cum illis statuunt, tributa imponunt, cudendæ pecuniæ modum præscribunt, et omnem penitus Reipublicæ administrationem in manibus ipsi habent. *Rex* tantum cum *Senatu* iudiciis et deliberationibus præsidet, et quæ illi concluserint, moderatur, et sua auctoritate pondus addit, nomenque tabulis et titulum Regium præscribit. Item, honores et beneficia distribuit, magistratus creat; et bonos præmiis pro libitu, malos vero pœnis, non nisi cum scitu omnium ordinum regni afficit; ne forte, si ipse vitæ et necis iura teneret, ad tyrannidem prolaberetur. Vnde neminem e nobilitate captiuare potest, etiam crimine perduellionis, nisi iure conuictum: nec captum capite plecti, nisi sententiis *Senatorum* rogatis; qui itidem sunt ex nobilitate delecti, et paribus prærogatiuis cum illis viuunt. Quare multos ex humili loco ac tenui fortuna videbis, non modo ad mediocres, verum etiam ad summos nonnunquam honores, amplissimasque facultates et opes, *Regum* beneficentia, ob virtutem prouectos, paucos autem ob scelerum atrocitatem ab illis punitos; quod a nobilitate maxima semper honestatis ratio habeatur, etsi in summa paupertate. Fraudem facere, promissum fallere, peierare, mentiri, probrosum et infame est, et si quid eiusce-modi in probri loco cuiquam obiiciatur, præsertim ab eiusdem ordinis viro, non tam legibus et magistratuum iudicio, quam ferro manuque vindicatur, cum autem *Rex* causas et actiones nobilium, per appellationes ad iudicium suum deuolutas, expedire ob occupationes, quæ illi semper maximæ non vsquequaque potuisset, consultum illi esse volentes iustitiæ et rebus suis, eam iudiciorum formam, non ita pridem adinuenerunt, quæ alibi *Parlamentorum* est, apud nos *Tribunal* appellatur: quo singulis annis, ex singulis prouinciis, omnium consensu viri e nobilitate præcipua eliguntur, et ad loca tam perpetuo destinata mittuntur, vt causarum differentias secundum leges et statuta decidant. Quod cum sit vltimæ nstantiæ, prouocatio ab eo non datur, nisi ex paritate sententiarum causa aliqua remittatur ad comitia, *Regi* et *Senatui* discutienda atque determinanda: Cùm extra Comitia, *Rex* fisci tantum causas cognoscere potest, aut differentias inter tenutarios in bonis suis regalibus: tum quoque ciuitatum, oppidorumque Regni controuersias, quæ iure *Saxonico* vtuntur. Quod si *Rex* quandoque ab officio suo deflecteret, et vel in iudiciis, vel in aliis rebus ac modis, publicas libertates suorum opprimere aspiraret, auctoritate *Senatoria*, qui ad hoc attentandum iuramento sunt obligati, et per vices in Regia manere tenentur, facile prohibetur: sæpiusque illi acerrime sententias dicunt, cum de republica deliberant, et *Regem* imprudentius regnantem obiurgant, atque sic vno consensu sanctissima maiorum instituta et communis patriæ charissimas leges, ad extremum vitæ defendunt.

LEGES ET STATUTA.

Leges olim Poloni scriptas nullas habuëre, sed ab origine imperii, vsque ad *Casimiri Magni* tempora, ius omne in Principis arbitrio erat. Licetque ante eius tempora, et Christiani iam per longam ætatem fuissent, et literarum scientias optime callerent, vt passim in *Senatu* et *Magistratibus*, tam secularibus, quam spiritualibus

ſpiritualibus, reperiantur Doctores legum & artium magiſtri, prout in veteribus monumentis cuique videre licet: Nuſquam tamen lex aliqua, aut ſtatutum Principis, ſcripto promulgabatur, ſed moribus tantum & conſuetudinibus antiquis regnum adminiſtrabatur: lites vero & cauſæ priuatorum, arbitrio bonorum virorum determinabantur, qui Principis iuſſu, prouinciarum iudices erant. *Caſimirus* itaque *Tertius*, ob prudentem regni adminiſtrationem, *Magnus* cognominatus, primus ipſe, et nobilibus leges certas ſcriptas dedit, et vrbicæ plebi, iura a vicinis *Saxonibus* accipere ex facili permiſit, quod aſſiduis ſupplicationibus *Germanorum*, qui paſſim tum in *Poloniam* habitatum lucri cauſa veniebant, ſollicitaretur, vt ſimilem patriæ ſuæ vrbium adminiſtrationem haberent, et inter *Sarmatas* iurium ignaros, *Conſulum & Advocatorum* honore, aduenæ eminerent. Atque hinc mos inualuit, vt omnes *Poloniae* ciuitates, in hodiernum iure *Saxanico* (quod vulgo *Magdeburgenſe* vocatur, quia ex illa metropoli tum *Saxoniae* vrbe fuit allatum) tum *plebiſcitis* quælibet propriis, et *Conſtitutionibus Regiis* vtantur. Nobiles autem, tam ad regimen politicum, quam ad priuatorum cauſas determinandas, *ius peculiare* ſuum habent; partim a *Regibus* ſuperioribus, qui poſt *Caſimirum Magnum* vſque ad ætatem *Sigismundi Auguſti* incluſiue regnarunt, vigore legis traditum; quod volumine ſingulari a viris doctis complexum, *Statutum Regni* vocatur: partim quod recentioribus, et noſtris iam temporibus, ipſimet ſibi in Comitiis publicis, approbantibus tamen *Regibus* cum *Senatu*, conſcripſerunt, et vocantur *Conſtitutiones*. Quæ pro rei et temporis exigentia, ſæpius immutantur, abrogantur, aut reaſſumuntur, omnes ex æquo prouincias regni obligando, licet nonnullæ iura ſua pragmatica habeant; præſertim *Lithuania & Volhynia*, quæ in deciſionibus cauſarum propria ſtatuta ſua obſeruant: tum *Pruſſia* quoque, *Ducalis* iuxta ac *Regia*, quæ omnis ferme *iure municipali* vtitur, quod vulgo *Culmenſe* vocatur; tribus ciuitatibus exceptis, *Elbinga, Brunsberga & Fraumburga*, quæ *ius Lubecenſe* amplexæ ſunt.

REGIMEN POLITICUM.

P*Oloniae* regimen eſt compoſitum de *tribus* primis et ſimplicibus Rerumpublicarum formis, quæ vel *vnius*, vel *paucarum* imperio, vel *multarum* omniumue quadam æquabilitate iuris continetur. Habemus ſiquidem *Regem*, non ſucceſſione, ſed electione creatum, qui eſt abſolutus executor legum in comitiis ſactarum. Habemus *Senatum*, e præcipua nobilitate ſelectum, et ad cuſtodiam earundem legum deputatum. Habemus *Municipales Nuncias* liberis vniuſcuiusque prouinciæ ſuffragiis electos, et ad ſtatuendas in comitiis leges, velut *Tribunos* aliquos deſignatos, qui et *Regis* potentiam, et *Senatus* nimiam auctoritatem reſtringunt.

Et ſic vnanimi omnium ſtudio, certis ſane iisque anguſtis finibus, regia poteſtas, in ſacrum et equeſtrem ordinem, et vtrique ſubiectos homines, atque bona, circumſcripta eſt. Ac in ſacerdotes quidem, iam inde ab initio ſuſceptæ religionis Chriſtianæ, *Rex* nihil prorſus iuris habet. De equitis vero capite & fama, non niſi in comitiis cum *Senatu* iudicat: certis aliquot cauſis exceptis. *Senatu* vero & *Tribunis* inconſultis, neque bellum cuiquam facit, vti ſupra diximus, neque fœdus publice cum quoquam icit, neque tributa, vectigalia ac telonia noua inſtituit, neque leges nouas ſcribit, aut monetam ſignat, neque alienat quicquam de bonis regni, neque tranſcribit quemquam in ordinem equeſtem, neque rem vllam maiorem ad Rempublicam pertinentem ſtatuit aut facit. Bene autem ipſe *Epiſcopos & Abbates* nominat, *Palatinos*, & *Caſtellanos*, *Marſchalcos*, *Cancellarias*, *Theſaurarios*, *Ducesque* militiæ creat, reditus coronæ diſpenſat, & præfecturas diſtribuit, comitia indicit, magiſtratusque omnes & iudices eligit. Denique vniuerſos

fos Reipublicæ honores, folus, prout illi placet & lubet, confert: habetque in manu omnes modos remunerandi, beneficioque afficiendi quoscunque voluerit.

Porro *Senatores*, qui *Regi* adhibiti funt, vt & confilia actionesque eius ad falutem Reipublicæ, & iudicia ad iuftitiæ & æquitatis trutinam dirigerent, numerantur ex omnibus prouinciis collecti, tam fpirituales, quam feculares, *centum quinquaginta.* Namque *tres* nouiter addidit *Vladislaus IV*, puta *Epifcopum Smolenfcenfem*, *Palatinum & Caftellanum Czerniechovienfem*, funtque ordinis *quadruplicis*, *Epifcopi*, *Palatini*, *Caftellani*, & *Officiales maiores*, qui omnes iurati ad hoc *Collegium* & ad *Confilium* admittuntur. Et perpetuum eft hoc munus, quoad viuit quisque, certis annexum honoribus & *magiftratibus*, partim *ecclefiafticis*, partim *profanis*: abrogari vero nemini poteft, nifi per maximam vel mediam capitis diminutionem, hoc eft, libertatis ciuitatisue, fiue nobilitatis & bonæ famæ, amiffionem: aut fi quis alium magiftratum honoremue adeptus fit maiorem, quem cum priori tenere iure non poffit. Sunt autem *Archiepifcopi duo*, *Gnefnenfis & Leopolienfis*. *Epifcopi quindecim*: *Cracovienfis*, *Cuiavienfis*, *Vilnenfis*, *Pofnanienfis*, *Plocenfis*, *Varmienfis*, *Praemiflienfis*, *Samogitiae*, *Culmenfis*, *Chelmenfis*, *Kiovienfis*, *Luceorienfis*, *Camenecenfis*, *Vendenfis*, atque *Smolenfcenfis* nouiter fundatus. Qui omnes, quo ordine nunc a nobis enumerati funt, eum perpetuo feruant, in *Senatu* dicendaque fententia, & in publicis celebritatibus. *Palatini triginta quatuor*: *Cracouienfis*, *Pofnanienfis*, *Vilnenfis*, *Sendomirienfis*, *Califienfis*, *Trocenfis*, *Siradienfis*, *Lancicienfis*, *Breftenfis*, *Kiovienfis*, *Inovlodislavienfis*, *Ruffiae*, *Volhyniae*, *Podoliae*, *Smolenfcenfis*, *Lublinenfis*, *Polocenfis*, *Belzenfis*, *Novogrodenfis*, *Plocenfis*, *Vitebfcenfis*, *Maffoviae*, *Podlachiae*, *Ravenfis*, *Brefcienfis*, *Culmenfis*, *Mfcislavienfis*, *Marieburgenfis*, *Braslavienfis*, *Pomeraniae*, *Minfcenfis*, *Vendenfis*, *Derpatenfis*, *Parnavienfis*, *Czerniechovienfis*, nouiter a *Vladislao IV.* inftitutus. *Capitaneus Samogitiae*, qui folus ex omnibus omnium prouinciarum & diftrictuum præfectis, *Senatum* ingreditur. *Caftellani*, tam *maiores* quam *minores*, numero *octuaginta feptem*: *Cracovienfis* (qui omnes Palatinos antecedit, primumque locum poft Epifcopos, inter feculares Confiliarios capit) *Vilnenfis*, *Trocenfis*, *Pofnanienfis*, *Sendomirienfis*, *Califienfis*, *Voinicenfis*, *Gnefnenfis*, *Siradienfis*, *Lencicienfis*, *Samogitiae*, *Breftenfis*, *Kiovienfis Inovladislauienfis*, *Leopolienfis*, *Volhyniae*, *Camenecenfis*, *Smolencenfis*, *Lublinenfis*, *Polocenfis*, *Novogrodenfis*, *Plocenfis*, *Vitebfcenfis*, *Cernenfis*, *Podlachiae*, *Ravenfis*, *Brefcienfis*, *Culmenfis*, *Mfcislavienfis*, *Elbingenfis*, *Braslavienfis*, *Gedanenfis*, *Minfcenfis*, *atque Czerniechovienfis*. Et hi dicuntur *maiores*, quia cum ceteris *Senatoribus*, tam *Ecclefiafticis*, quam *fecularibus*, ad omnia etiam fecretiffima confilia admittuntur. *Minores* vero non item, & funt ifti: *Sandecenfis*, *Medirecenfis Vislicenfis*, *Biecenfis*, *Rogofcenfis*, *Radomienfis*, *Zavichoftenfis*, *Landenfis*, *Stremenfis*, *Zarnovienfis*, *Malogoftenfis*, *Vielunenfis*, *Polanecenfis*, *Praemetenfis*, *Criuinenfis*, *Czechovienfis*, *Naclenfis*, *Rofpirienfis*, *Biechovienfis*, *Bidgoftienfis*, *Braefinenfis*, *Crufuicenfis*, *Ofvecimenfis*, *Camenenfis*, *Spicimirienfis*, *Inovlodenfis*, *Covalienfis*, *Santocenfis*, *Sochaczovienfis*, *Varfovienfis*, *Goftinenfis*, *Vifnenfis*, *Raciofenfis*, *Sieprcenfis*, *Vifogrodenfis*, *Ripinenfis*, *Zacrocimenfis*, *Ciechanovienfis*, *Livenfis*, *Slonfcenfis*, *Lubaczovienfis*, *Conarienfis terrae Siradienfis*, *Vendenfis*, *Derpatenfis & Pernavienfis*, *Conarienfis* terræ *Lencicienfis*, *Conarienfis terrae Cuiavienfis*. Hos fequuntur deinde *Officiales* Regni *maiores decem*: *Morfchalcus* Regni Poloniæ *fupremus*, & *Marfchalcus* Regni *Curiae*; *Marfchalcus* Magni Ducatus *Lithuaniae Supremus*, & *Marfchalcus Curiae* Magni Ducatus *Lithuaniae*. *Cancellarius* Regni Poloniæ, & *Vice Cancellarius*: *Cancellarius* Magni Ducatus *Lithuaniae & Vice Cancellarius*. *Thefaurarius* denique Regni *Poloniae*, et *Thefaurarius* Magni Ducatus *Lithuaniae*.

Palatini dicuntur, veterum Romanorum more, *Duces fatrapiarum*; vnde munus quoque eorum apud nos idem eft, effe ductores copiarum diftrictuum fuorum, in expeditionibus bellicis. *Caftellani* vero a *Caftellis*, fiue oppidis, quæ finguli

singuli singula habent attributa, sic appellantur: & sunt quasi *legati* Palatinorum, ductoresque & *praesides* nobilitatis, sub suo quisque Palatino: sunt autem in *Palatinatu* vno aliquando plures *Castellani*.

Officiales demum regni, ab *officiis* & functionibus quibusdam publicis, quibus funguntur, ad vniuersam Rempublicam pertinentibus, hanc sumunt communem appellationem. Sed sunt & alii *officiales* extra ordinem *Senatorium* positi, trifariamque diuisi: alii, qui totius *Regni*, aut Magni Ducatus *Lithuaniae officiales* dicuntur, vt exercituum *Generales*, *Referendarii*, *Pocillatores*, *Dapiferi*, *Vexilliferi*, ceterique similes: alii *aulae Regiae officiales*, vt *Camerarius supremus*, *Praefecti* & *Vicepraefecti stabuli*, *Culinae*, *Curruum*, *Venatores*, *Secretarii*: & alii denique *districtuum*, seu prouinciarum *officiales*, vt *urbium praefecti*, *Judices*, *Gladiferi*, *Quaestores*, *Tribuni*, aliique plures, quos *terrestres officiales* nuncupamus, qui certas suas functiones habent, in sua quisque satrapia, seu tractu, vel, vt vulgo loquuntur, terra: quarum quaelibet olim, discerpto in multos dominatus regno, suum Ducem habuit.

Omnes autem isti tales, solius *Regis* arbitrio creantur, & e sola nobilitate, qui deinde ad *Senatorias* dignitates assumuntur: quorum etiam opera *Rex*, prout illi visum fuerit, vtitur in legationibus, in commissionibus, in finibus regundis, in contributionum publicarum exactionibus, in militia, & id genus muniis publicis.

Atque ita potentissimus quamuis Rex *Poloniae* sit, & supremus omnium coronae subiectarum prouinciarum Dominus, tamen secundum legem & *Senatus* praescripta viuere tenetur: Regnumque ipsum amplissimum, licet regio imperio gubernatur, nobilium nihilominus vigilantia & libertate, tam *regia* maiestas, quam *Senatus* auctoritas quodammodo temperatur, intraque aequitatis terminos omnes ordines regni, cum ipso Rege continentur. Et cum omnibus eadem sit perpetua & constans tuendae publicae libertatis, & propagandi imperii voluntas: nihilominus regiam maiestatem sic cuncti reuerentur, amant, & honorant, vt iniussu illius nihil penitus in Republica faciant, pro eius autem incolumitate & gloria, vitam ac possessiones priuatas omnes effundere sint parati.

VASALLI.

TRes praecipui *vasalli* sunt Regni *Poloniae*: Dux *Prussiae*, Dux *Curlandiae*, & Princeps *Valachiae*. *Duo* illi haeretici sunt, *tertius* iste Schismaticus. Qui omnes etiamsi Regem, tanquam regni feudatarii superiorem agnoscant, & honoraria, pensionesque debitas, in signum subiectionis, statis temporibus praesentent; non sunt tamen viua membra regni, vt caeteri incolae *Poloniae*: non veniunt ad *Comitia* Regni, vt Principis *Consiliarii*: non habent *suffragia* in electione Regis: nec partem in *gubernatione* regni: nec pro dominis naturalibus habentur, sed pro extraneis, sicut vere sunt, quia deficiente in illis prole mascula (*Valachia* excepta) principatus illi ad Coronam directe, tanquam membra ad suum corpus, adiungentur, (vti nuperrime adiuncta est illa pars Pomeraniae, ratione cuius Duces *Stetinenses* homagium *Poloniae* praestabant.) Vnde subditi ipsorum, nunc etiam in causis grauioribus, ad Regem, tanquam ad supremum Dominum & iudicem recurrunt, nec possunt tyrannide opprimi a suis Principibus. Non item iam *Moldauiae* seu *Valachiae* populi, quia Principes ipsorum *Turcam* potius supremum Dominum recognoscunt, non, vt ante, *Polonum*; cuius modo maiestatem tantum venerantur, & velut potenti vicino, statis temporibus honoraria mittunt. Olim tributum directe persoluebant, & a *Rege* inuestiti iurabant in verba eius: nunc a *Turca* absolute Principatus insignia, & corporis custodiam habent. Quamuis foedere aequo inter *Polonos* & *Turcas*, etiam ante bellum *Chotimense* in pacem mutuam sancito, disertis verbis caueretur, ne prouinciam

 illam

illam cuiquam *Turcarum* Imperator vnquam, præter *Poloniae* Regis voluntatem committeret; vtque is, qui eam obtineret, Regi quoque *Poloniae* fidelis esset.

RELIGIO.

CHristianam religionem *Polona* gens, abiecto semel impio dæmonum cultu, *septingentis* circiter iam annis constanter retinet, religioseque colit, hæreticarum nouationum insolens & impatiens, auorum nostrorum ætate, quando *Hussus & Viclefus* virus suum in *Boëmia* diffundebant. Sed postquam *Lutherus*, cum aliis suæ farinæ hominibus, patrum nostrum memoria, per totam *Germaniam* zizania disseminauisset, quæ nobis vicina est, & commercia fere quotidiana nobiscum habet; prætextu seu verius abusu libertatis, nescio quæ non pestes *Poloniam* inuaserant, infecerantque mentes hominum nostrorum, vt per annos complures diuersi diuersa de religione sentirent, & quisque se iudicem & interpretem scripturarum putaret. Sed nunc iterum DEO bono fauente, toto in Regno *Poloniae* religio Catholica præcipua est: nec in *Senatum* admitti, aut ad minora subsellia vocari quisquam potest, nisi Romanæ professionis. Et maiores nostri, tantæ pietatis statim a recepta fide fueruut, vt ecclesiarum Antistites in *Senatu* locum, eumque primum habere voluerint, vt omnibus consiliis adhibiti præsentes, diligenter pro suo munere animaduerterent, ne quid in legibus, aut moribus populi contra ecclesiæ sancita peccaretur. Eandemque ob causam etiamnum *Tribunaliciis* iudiciis seu *parlamentis*, minoris ordinis mystas, e singulis cathedralium Capitulorum collegiis, piissimi Reges interesse iusserunt, sanctioribusque curis Regni & scripturis, prisco more, vel maxime tum, cum pertinacissimi hæretici, Antistites e *Senatu* eiicere conarentur, cum maxima potestate præfecerunt, ita, vt & *Cancellarii & Procancellarii* munus, alternatis vicibus penes *Episcopos* maneret, *Maiorque Secretarius* Regni semper ex *Ecclesiasticis* esset; frustra reclamantibus aduersariis fidei, qui sub extremam ætatem *Sigismundi Augusti* Regis sapientissimi, & potissimum interregnorum tempore, nimium inualuerant: Cæterum diligenti vigilantia sanctissimorum Præsulum, sapientiumque Regum studio (maxime vero pietate Diui *Sigismundi III.*) vix non omnes iam eradicati fuerunt. Verum *Graecanici* ritus homines, in *Russia & Lithuania* passim legibus antiquis tolerantur, sicut & *Armeni*: partim Pontifici Romano per obedientiam subiecti, partim non; qui Episcopos suos, & complures Abbates habent: & ritibus atque institutis ecclesiasticis magis, quam dogmatibus religionis, a nobis dissentiunt. Sunt quoque & *Scythae Mahometani* in *Lithuania & Volhynia*, qui suos quoque ritus & superstitiones habent; sed qui neminem a fide Catholica auocant, aut malo suo exemplo inficiunt, vt assolent Hæretici. Fides igitur Catholica in toto regno præcipua habetur, magnusque, vt par est, omnibus sacerdotibus honos habetur, solo sacerdotii nomine: & omnes Romanum Pontificem, vt summæ sedis Episcopum, vt omnium Episcoporum patrem, vt vniuersalis ecclesiæ caput, vt Apostolicum reuerenter agnoscunt.

OPES.

NEque magnæ, neque contemnendæ sunt opes *Polonorum*, sed tales, vt omnes bellorum expeditiones hactenus suismet reditibus peregerint, sumptusque quosuis maximos in coronationes, nuptias, aut sepulturas Regum suorum, ære proprio exsoluerint, nullius vicini populi auxilio egentes. Et quamuis nonnulli Reges nostri, ob nimiam prodigalitatem suam, fœderatorum aut cognatorum Principum pecuniis, ad priuatas suas necessitates aliquando vsi fuerint: nusquam tamen, vel in maximis necessitatibus, Respublica extraneorum emendicabat opem, aut mutuabatur aurum, etiam tum, cum nondum ipsa pecuniam signaret. Olim

enim

enim proprium non habebant nummum *Poloni*, sed externis, & maxime *Boëmicis* vsi sunt aliquamdiu, quod metalla minus nota essent nobis. Primus *Cazimirus Magnus* æs & argentum signari iussit, postea tandem sero *Alexander* Rex, *Sigismundusque Senior* aureos nummos cudebant: quorum imitatione Rex Serenissimus modo & argentum, ad exemplum *Germanorum*, & aurum bonitate & pondere *Vngaricorum* signari iubet. Sed vtriusque pretium sextuplo fere creuit, quam fuit auorum nostrorum memoria, vt signari cœperat: partim propter luxum & crebriorem auri vsum, exportationemque ad exteros: partim propter deteriorem reliquam monetam, cum ponderis diminutione, tum æris admixtione. Permagnus est autem nunc apud nos vsus externæ monetæ, sed aureæ atque argenteæ tantum, quæ pro mercibus vndelibet importatur: quanquam commutatione mercium permulta peraguntur. Exportantur autem e *Polonia* siligo, triticum, hordeum, auena, milium, papauer, pultes diuersæ, atque legumina, lana, linum, cannabis, lupulus, coria, sebum, alutæ, mel, cera, succinum, pix, cinis, mali, asseres, cæteraque materies fabricandis nauibus, & ornandis domibus apta. Item sal, cereuisia, vitriolum, nitrum, lazurum, coccus, æs, plumbum, ferrum, cuprum, orichalcum, carbones terrei, vasa vitrea, equi, boues, verueces, porci, lardum, aliaque innumera, quibus vicini & etiam transmarini populi a nobis indigent. Et a quibus vicissim ad nos importantur panni sericei, aurei, lanei, lineique subtiliores, aulæa, tapetes, & alia parietum, equorum, & hominum ornamenta, quorum opificia minus exquisita sunt apud nos, licet non desit materia, & aliis gentibus suppeditetur. Importantur etiam margaritæ, gemmæ, pelles preciosæ, husiones seu mariani, haleces, & alia salsamenta, & vento vel sole durati pisces marini. Ad hæc argentum, aurum, stannum, & chalybs, cum facta, tum infecta: vina demum & aromata, & varia eduliorum condimenta atque cupediæ, sine quibus bene posset stare patria nostra, si ad veterum *Lacedaemoniorum* rigorem ordinata esset. Cum itaque plures merces nostras mittamus extra regnum, quam indigeamus externis, eisque non tam ad necessitatem, quam ad luxum spectantibus, consequens est, vt non penitus inopes dicamur, respectu aliorum Europæorum, qui & mercimoniis, & opificibus diuersis, & metallorum abundantia, & œconomiæ demum diligenti administratione, multo nos antecedunt.

MILITIA.

QUia suis rebus contenti, nusquam bella offensiua vicinis populis *Poloni* inferimus, nisi forte prius lacessiti ab illis: idque potius ad vlciscendum iniurias, recuperandumque ablata, quam vt inuadamus possessiones eorum & dominemur illis. Ideo & militiam quoque nostram, defensioni verius patriæ aptam habemus, quam expugnationi vrbium alienarum, fortissimorumque propugnaculorum, qualibus vicini nostri confinia sua a nobis muniunt: proindeque exercitus nostri maiori ex parte equitatu constant, qui e præcipua nobilitate est, vt in campos apertos excurrant, procedantque obuiam venienti hosti, prius quam ille fines nostros attigerit. Pedites autem paucos habemus, eosque e plebe omnes, non ita ad pugnam, quam ad labores castrenses euocatos, vt nimirum fossas, dum opus, fodiant, vallum excitent, pontes construant, vias sternant, tormenta & impedimenta bellica conducant, atque demum castra ipsa custodiant. Quod si vero oppugnationem loci alicuius meditamur, tum e *Germania*, aut *Vngaria*, mercenarios nobis pedites adducimus, qui sunt exercitatiores nostris. Equitibus autem semper contenti sumus nostris; qui, si generali edicto ex omnibus prouinciis, ad propugnandam patriam euocati sunt, extra fines regni, vltra quinque milliaria procedere non debent: Si autem procedere necesse sit, tum statim in comitiis, quæ semper bellum præcedere debent, militem stipendiarium decernimus: Qui

quidem, cum e præcipua nobilitate conscribatur, ita in pugnis solet esse animosus, vt in maximis etiam periculis sese non deserat, neque animum despondeat: & vt audaces fortuna iuuare consueuit, validissimos hostium exercitus, exigua suorum manu in campis adoriatur, & sæpissime vincat. Sic sub *Diuo Sigismundio I.* (vt hic vetustiora omittam) *Lesniouius mille quingentis* hastatis, *quadraginta millia Moschorum* aggressus, in fugam omnes vertit, & *nouem* circiter *millia* ex illis occidit. Sic *Boratinius* similiter *duobus millibus* equitum, *tredecim millia Moschorum* adortus, miraculosam ex illis victoriam reportauit, septem *millia* occidit, & tormenta bellica omnia ademit. *Camenecius sex millibus* suorum, *viginti quinque millia Tartarorum* in acie prostrauit. *Tarnovius quatuor millibus viginti duo millia Turcarum* atque *Valachorum* cecidit, & *quinquaginta duo* tormenta bellica accepit. Sub *Augusto* autem Rege, *Sigismundi filio*, *Radiuillus septem millibus* ad *Vlam*, *tringinta Moschorum millia* deleuit, & arcem ipsam die eadem expugnauit. Et *Sapieha quinque millibus Vendam* defendit; & *viginti quatuor Moschorum* atque *Liuonum millia* vna acie prostrauit. Sub *Stephano* deinde Rege, *Zborouius* non integris *duobus millibus*, totum rebellium *Dantiscanorum* exercitum, ex transmarinis populis conscriptum, vna die deleuit, & præter captiuos, vltra *octo millia* cæsorum in acie numerauit. Denique sub auspiciis *Diui Sigismundi III.* *Zamoscius* non totis *sex millibus*, Archiducem *Maximilianum*, circiter *octodecim millia* in castris habentem, non tantum deuicit, sed & ad deditionem coëgit. *Cazigereium Scytham*, cum *septuaginta millibus* in *Poloniam* tendentem, in campis *Cicorae*, *tribus millibus* suorum, ita retudit, vt multis *millibus* in acie amissis, statim in *Tauricam* suam rediret. *Chodkieuicius* vero, *tribus millibus Suecum* in *Liuonia* adortus, *nouem* de eius exercitu ad *Kircholmiam* occidit, *quatuor millia* captiuorum habuit. Similiter *tribus millibus* equitum *Zolkieuius octuaginta Moschorum millia* inopinato ad *Clussiniam* aggressus, omnes statim in fugam vertit, & *tres Germanorum legiones* in eodem hostili exercitu captas cum Duce suo, *Comite de Pontibus*, ad Regem, *Smolenscum* duxit. *Koniecpolscius* quoque nuperrime in *Prussia quinque* equitum cohortibus, *nouem millia Gustauum* ad *Stuma* habentem, audacter aggressus, cæsis vltra *mille*, in fugam eum turpissimam vertit, & omnia tormenta bellica illius accepit. Et ad *Amerstinum* in *Pomerania*, *duas* eius *legiones* nactus, manibus non consertis, ad deditionem statim coëgit, cum non ex integro *duo millia* equitum secum haberet, peditem omnino nullum.

Sic nostri semper hostis quamuis validissimi impauidi; quem campestri prælio, licet exiguis copiis impares, alacriter adoriuntur. Et sunt *equites* ipsi quasi in *quadruplici differentia*: pedites in *duplici*. Ex *equitibus*, alii sunt *grauioris armaturae*, & alii *leuioris*: et qui *grauioris armaturae* dicuntur, alii sunt *hastati* et vulgo *Hussari* vocantur, et alii *Sclopetis* tantum armati, et vocantur *Harcabusseri*: vtrique autem isti, ferreis thoracibus atque galeis sunt vestiti. *Leuioris* deinde *armaturae* alii sclopetis oblongis, alii autem pharetris et lanceis breuioribus sunt armati: et vtrique loricis induti, atque communi nomine *Cosaci* appellati. *Pedites* vero, alii uocantur *Haiduci*, qui sunt e *Polonia*, aut *Hungaria* conscripti: alii *Cosaci Zaporouienses*, qui e partibus *Russiae* vicinis *Scythiae*, vltro nomina dant militiæ, et ducem suum proprium disciplinamque castrensem habent. Omnes autem isti, frameis incuruis, seu acinacibus, et sclopetis oblongis in prælio vtuntur: nisi quod illi priores vniformi vestium colore a Rege donantur: isti, rudi panno tecti, equos singuli fere atque currus habent, quibus deinde castra sua muniunt, et in præliis loco aggeris aut sepimentorum, contra potentiam hostis vtuntur, (sed hæc sufficienter in *Equite Polono* ad *Vrbanum VIII.* Pont. Max. perscripsimus) proque occasione et necessitate, partim in equis, partim pedites pugnant: partim denique nauiculis suis conscensis maria peruolant, et *Turcae* ditiones infestant. Vt igitur omnis fere *equitatus* noster, præter seruos, e

nobilitate

nobilitate est, sic totus peditatus e *plebe*, præter *cohortium ductores*, & *praefectos Haiducorum*. Nam *Cosacorum Zaporovienfium*, vti *centuriones*, & *Chiliarchae*, sic & *Dux* ipse, quem e medio sui eligunt, *plebeius* est; modo artis bellicæ peritus sit & fortunatus, alias deponitur statim, & alter illi surrogatur. Quem sequentes, terra & mari *Scythas Tauricanos*, atque *Turcas* assidue bello lacessunt, & maximas de illis sæpissime victorias referunt, adeo, vt iam aliquoties *Constantinopoli* nostra ætate trepidatum fuerit.

VIRES.

POloniæ vires & numero & natura sunt tales, vt pauca Europæ regna eas æquent, nullum vero superet: et si ordo, qui est anima rerum, melior apud nos esset, procul dubio nos, cunctos occidentis populos superaremus. Cum enim ad potentiam et firmitatem cuiusque status, requiratur numerositas virorum bellicosorum, abundantia commeatuum, pecuniarum magnitudo, armorum sufficientia, et frequentia munitionum, nullum prorsus ex prædictis conditionibus, debite et conuenienter habemus, quamuis singulas, præ aliis gentibus, excellentiori quodam modo possideamus.

Et quantum ad viros bello aptos, et militiæ peritos: certum est, Regem *Poloniae*, posse *ducenta equitum millia* habere absque vllis stipendiis, et oneribus publici ærarii: quorum quilibet sumptu proprio, vel eo nomine, quod nobilis sit, militare tam diu tenetur, donec vel bellum finiatur, vel a Rege in hiberna omnes dimittantur. In tanta igitur nobilium multitudine, quæ præter armorum tractionem, aliam professionem non habet, quid mirum, si *duces* bellorum aliunde non quæramus? et optimos imperatores internos habeamus? Habituri multo plures & excellentiores, si virtus vnumquemque, non diuitiæ, aut vetustas familiæ, ad dignitates et officia Reipublicæ promoueret: sed quia pauperem esse, vitio seculi probrosum est, ideo pauci in magistratibus præstantes, pauci militia clari: Itaque ingens nobilium equitum multitudo, quam diximus, ob malum Reipublicæ regimen, nullatenus simul conuenire contra hostem potest; nam aliter nudarentur prouinciæ, conterminæ potentibus vicinis, quas vtique custodire oportet, cum militem in vrbibus præsidiarium nullibi omnino habeamus, qui impetum superuenientis hostis aliquo modo reprimere posset, præter paucas cohortes in *Russia*, quæ excubant a *Scythis*. Iam autem hostes vndique potentes & parum fideles habemus, *Turcam*, *Scytham*, *Moschum*, *Suecum*, & *Germanicam* nationem: quæ licet variis fœderibus, & toties iteratis affinitatibus nobiscum iuncta sit, semper tamen Principes eorum inhiant patriæ nostræ, & in omnem occasionem sunt intenti.

Bene tamen potest, relictis ad custodiam prouinciarum aliis, *centum equitum millia* in castris Rex *Poloniae* habere: vt & *Vladislaum* olim *Iagellonem*, contra *Prussicos Crucigeros*, ad *Grunvvaldum* habuisse legimus, cum nondum coronæ *Poloniae*, *Prussia*, *Pomerania*, *Curlandia*, *Livonia*, atque *Samogitia*, populosissimæ prouinciæ, iunctæ fuissent. Contra eosdem *Teutones*, filius eius *Cazimirus*, præter *Russos* & *Lituanos*, ex sola tantum *Polonia sexaginta equitum millia* ad *Choinicium* duxerat. Huius deinde filius *Joannes Albertus*, *octuaginta nobilium millia*, ex *Polonia* & *Russia* solum, contra *Stephanum*, *Valachiae* Principem collegerat. Frater vero illius *Sigismundus I.* ex prouinciis magni Ducatus *Lituaniae*, *quinquaginta duo millia* contra *Moschum* ad *Orsam* conscripserat, cum *Livonia* nondum nostri iuris fuissent, & *Curlandia*, quæ nunc ad Ducatum *Lituaniae* pertinent. Itemque *centum millia* ad *Leopolim* habuerat, cum in *Valachiam* moueret, nulla satrapia *Lituaniae* in commilitium euocata, præter aulicos, & voluntarios, qui vltro Regem suum comitabantur. Similiter eius filius *Sigismundus Augustus*, paucis e *Russia*

 stipendiarius

ſtipendiariis, cum Duce *Nicolao Meletio* euocatis, quum in *Liuoniam* contra *Teutones Marianos*, *Lutheri* hæreſim tum amplexos, expeditionem ſumpſiſſet, *centum & viginti millia* armatorum, e ſola *Lituania*, eique adnexis ſatrapiis habuit. Jam autem noſtra ætate, *octuaginta millia* armatorum bello ciuili ad *Sendomiriam* cenſebantur, cum nihilominus potior pars regni quieſceret, nec ſumerent arma contra Regem prouinciæ, niſi proceres quidam; e quorum ordine pars maior, aut certe ſanior, Regi ipſi adhærebat. Et bello nuper cum *Turca* durante, cum *Diuus Sigiſmundus III.* generalem nobilitatis expeditionem edixiſſet, vix *tres* aut *quatuor* ſatrapiæ ad *Leopolim* conuenerant, & iam numerus ad *quinquaginta millia* (cum comitatu regio, qui pedites *Germanos* complures ſecum mercenarios duxerat) aſcendebat: quid ſi omnes regni prouinciæ, vti fuerat imperatum, conueniſſent?

Sed in iſta multitudine duo deſiderantur, quæ in bellis gerendis maxime ſunt nociua: celeritas nimirum, & obedientia; quia & tarde nobiles ſub ſigna conueniunt, comitiis primo tot hebdomadas celebratis, ſine quibus bellum edici non poteſt: & difficulter ab œconomia ſua, vxoribus, atque liberis diuelluntur, vſque tertium edictum expeditionis bellicæ, praua conſuetudine exſpectantes. Cumque iam ad locum deſignatum conuenerint, tum ſe vtriros & armatos animaduertentes, aut contra *Regem*, aut contra *Senatum* tumultuantur. Vel etiam interdum Reges ipſi tardius in expeditionem procedunt, & mora tempus elabi vltro patiuntur, ne vel a nobilitate ob malum regimen exagitentur, vel prætenſioni illorum, cum diminutione ſuorum redituum, aliquid tribuant. Vnde incommoda iſta Reſpublica proſpiciens, ſtipendiario milite ordinarie bella peragere conſueuit: generalem autem nobilitatis expeditionem, in vltimum tantum caſum reſeruauit; vt, ſi vel tributa non ſufficerent, vel hoſtis ita potens eſſet, vt ei reſiſtere conſcripto milite Generalis belli nequiret, tum ad generalem omnium nobilium expeditionem, tanquam ad vltimum remedium confugiendum putarent. Prout nuper præterito bello *Turcico* faciendum cenſuerunt; cum barbarus *ſexcentorum* fere *millium* exercitum in nos duceret, *Generalis* militiæ cum *ſeptuaginta millibus* ſtipendiariorum, extra limites regni in *Valachiam* præmiſſus fuerat, vt eum obuius exciperet: Rex autem in confiniis quaſi, ad *Leopolim*, nobilitatem conuocabat, quibuſcum ſuppetiatum, præmiſſo exercitui cum filio ire debuerat. Et ſi tum celerius, vti decretum erat in comitiis, ſuperueniſſet, profecto maiores longe progreſſus belli feciſſet, maioremque ſibi ac ſuis gloriam apud poſteros parauiſſet.

Quo autem in eiuſmodi expeditiones paratior nobilitas fieret, ſtatutum eſt iam dudum publico comitiorum decreto, vt *prima* poſt *paſchatis* feſtum *Dominica*, in ſingulis ſatrapiis luſtratio in armis fieret, & quiſque *Palatinus* ſuorum prouincialium nomina in tabulas referret. Quod tamen, æque vt & alia inſtituta patriæ, aut penitus negligitur, aut certe neglectim peragitur, pœna in delinquentes valde leui aſſignata.

Sic *pedeſtris* quoque militia *Auguſti* Regis inuento, tam ex *vrbana*, quam e *pagana plebe* delecta, fere iam euanuit, & vix aliquot *centena* tantum numerantur, eaque nullius frugi, qui *quindecim millia* ſuperare debuerant. Reliqui omnes, auaritia præfectorum, cenſum exſoluere iuſſi, & ruſticanis laboribus adſcripti, cingulum militarem depoſuerunt. Stipendiis nihilominus conſcriptos, egregie ſeſe in bellis geſſiſſe vidimus; & famem, ſitim, æſtum, frigus, laboresque caſtrenſes, multo fortiori animo pertuliſſe obſeruauimus, quam aut *Hungari*, aut *Germani*, qui aërem noſtrum pati non poſſunt, & vel diffugiunt, vel moriuntur. Quod ſi Ordines regni vellent ſerio curam rei bellicæ inire, poſſent abſque omni dubio *ducenta* & amplius, præſtantiſſimorum *peditum millia*, e pagis & oppidis deligere, quibus vel maximo hoſti patriæ poſ-
ſent

ſent facillime reſiſtere. Experimentum habemus in *Coſacis Zaporovienſibus*, qui omnes *ruſtici* ſunt, e pagis atque oppidis noſtris collecti, & nulla literatura præditi; nihilominus tamen in caſtris ſuis veterum *Romanorum* diſciplinam habent, fortitudineque bellica, & rei militaris peritia, nulli in mundo nationi cedunt. Quibus ſi e toto regno delecta iuuentus adiungeretur, & ſub *praefectis* atque *Chiliarchis* nobilibus, in arte militari exerceretur, nullus penitus in orbe Chriſtiano Monarcha, pares Regi *Poloniae* vires in ſuo regno haberet.

De commeatu vero non eſt dubitandum, quin tantam in bellis multitudinem Rex *Poloniae* alere poſſit, cum ſit cuique manifeſtum, Regnum *Poloniae* poſſe alia *duo* ſimilia regna, prout ipſum eſt, non modo frugibus, ſed & carnibus, & allio campeſtri ſuſtentare. Nihilominus nos *Poloni*, in qualibet expeditione bellica fame laboramus, atque ſæpiſſime res iam ad finem perductas, propter commeatuum penuriam, turpiter deſerimus. Quod totum procedit ex ſocordia *praefectorum* belli, aut potius Reipublicæ *Ordinum*, qui, dum aliquorſum bellum edicunt, nusquam in partibus illis de commeatu prouident; ſed quod cuique militi ſors offert, id rapit in tranſitu, & poſtea ſeſe cum equis & famulis in caſtris ſuſtentat. Fame vero oborta, aut morbis paſſim omnes intereunt, aut nolunt obedire *Ducibus ſuis*, & dilabuntur. Quodſi vero Reſpublica primum ibi de commeatu prouideret, quo exercitum mittere vellet: & commeatus ille, ob abundantiam rerum omnium, paruo certe conſtaret, & expeditionem propoſitam facile ad finem optatum deduceret.

Iam autem quoad pecuniam, parata illa in ærario nuſquam reperitur, ſed tum demum, cum bellum per comitia edicitur, prouincialibus imponitur, vectigaliaque diuerſa bello finiendo ſufficientia ſtatuuntur. Sed & hæc ipſa, vel tarde conferuntur, vel non ex integro in ærarium inferuntur, potior pars priuatorum cupiditati cedit. Quæ ſi paulo ordinatius colligerentur, atque etiam tum, cum bellum nobis nullum eſt, moderate imponerentur, et aſſeruarentur in promptuariis: profecto et exercitus noſtros celerius in hoſtes educeremus, et militem ipſum obſequentiorem in bellis haberemus; qui dum auaritia *gubernantium* ſtipendia ſibi retineri vident, facile in perniciem patriæ coniurant, quod iam ſæpiſſime ſumus experti. Hoc tamen vel maxime Regem *Poloniae* in bellis iuuat, quod *Proceres Regni*, et quique *nobiles ditiores*, ſoleant integras *equitum cohortes & alas*, ſumptu ſuo proprio in caſtra adducere, vel ſolius patriæ amore. Pauperiores vero plures vna collecti, *ducem* ſibi virum aliquem ſtrenuum eligunt, et vltro ſine ſtipendiis, belli *imperatorem* ſequuntur, ob id ipſum *voluntarii* appellati. Quod ipſum et *Coſaci Zaporovienſes* faciunt, interdum ad *quadraginta millia* pugnatorum collecti.

Quod arma autem: Hæc quisque ſibi priuatus curat e *Germania*, aut aliqua alia gente vicina portari; quia rex aut Reſpublica nullum *armamentarium publicum* habet. Sunt tamen aliquot in locis *repoſitoria tormentorum maiorum*, nuperrime a Sereniſſimo Rege *Vladiſlao IV.* inſtituta. Sed plura multo et ordinatiora *ciuitates* habent: itemque *nobiles* nonnulli et *Proceres Regni*. Qui, cum bellum edicitur, et ipſi amore patriæ in bellum eunt, et *tormenta* ſecum *maiora*, adhibitis omnibus neceſſariis conducunt. Rex autem quum nullas munitiones magnas habeat, quas armis prouidere deberet, quocunque expeditionem ſumit, habet facile armorum ſufficientiam, aut a *ciuitatibus ditioribus*, aut e ſuis *armamentariis*, quæ ſparſim pluribus in locis parua ab antiquo ſunt dilata. Cumque et *Polonia* ipſa non ſit metallorum indiga, et *Germania*, quæ illis maxime abundat, ſtatim in vicinia ſit poſita, non difficulter paratur, quod belli exigentia poſtulat, magiſtris artis ſuſoriæ, in regno exiſtentibus.

Quantum denique ad *munitiones & fortalicia*: candide fatendum eſt, illa omnino in *Polonia* nulla exiſtere, præter aliquot caſtella priuatorum; idque ſparſim

fim per prouincias et regnum, vt est *Zamosćium*, *Lanzutum*, *Zbaraßum*, *Nesuisia*, *Lachovicia*, *Medirecia*, *Dubna*, aliæque minutiores populationes.

Cæterum tamen facile potuissent excitari plures, si Respublica in id operam suam intendisset, siquidem et lapidis et calcis, et ferramentorum atque lignorum copia vbique maxima, in *Polonia* reperitur. Quum autem non simus cupidi aliena inuadendi, nostra facile vel pectoribus nostris tueri possumus, prout et hactenus tutati sumus, aperto potius Marte cum hoste decertando, quam vel propugnaculis sese includendo. Sic *Germanos* sæpius patriam nostram inuadere conantes, pectoribus nostris repulimus. Sic *Turcam* cum tota sua potentia venientem reiecimus. *Moschum* non tantum retudimus, sed totum etiam eius imperium multoties peruastauimus. *Scythas* frequentius *Russiam* incurrentes, notabiliter castigauimus. *Valachiam*, *Moldauiam*, & *Bessarabiam* etiam priuati multoties depopulati sunt, et Principes illis pro suo arbitrio imposuerunt.

Restat solummodo *Suecus*, quem et olim et nuper acie quidem semper deuicimus, eiicere prouincia omnino non potuimus; partim quod socordia quadam, ad expugnandas munitas vrbes non simus apti: partim quod hæreticis illi passim fauentibus domesticos proditores euitare nequeamus: partim quod prouinciis illis sacratorum virorum possessioni semel dicatis, non sit prosperum penitus, profanos homines iterum frui: partim etiam, quod exardescente vitio seculi; hominum cupiditate, minus publicis rebus modo simus intenti, quisque nostrum priuato commodo studet; ex quo procerum assiduæ discordiæ, nobilium inobedientia, aulæ suspiciones, Principis contemptus, rerum neglectus passim. Partim denique quod Numinis iræ difficile nos sit contrauenire; quæ ob tot scelera publica in patria nostra impunita, hoc, quem minimi semper faciebamus, hoste nos punit, et quasi publica hac castigatione ad resipiscentiam benigne impellit. Sed O mucro Domini, quo vsque non requiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile! Cogita super nos cogitationes pacis, et non afflictionis; vt des nobis finem et patientiam: et invocabimus te, et viuemus. (132)

(132) Quæ a *Starouolscii*, ad nostra vsque, temporibus in Polonia mutata sunt, vix opus est, vt annotemus, cum & neminem litteratorum ea fugiant, & infra a scriptoribus recentioribus ea ipsa dicantur. Iam non illa Liuoniæ para ad Poloniam pertinet, quæ regis *Vladislai IV.* tempore pertinuit. Iam non tres Polonia habet clientes fiduciarios, quos *Vasallos* vulgo dicunt, sed tantum vnicum, Curlandiæ ducem, nunc serenissimum *Carolum*, Augusti III. indulgentissimi patriæ patris filium dignissimum, qui tamen, vt dicam vt res est, Augustissimæ *Elisabethæ*, omnium Russorum Imperatricis, gratia magis hunc ducatum, quam Polonorum beneficio obtinuit.

Quæ *Starouolscius* de ingeniis Polonorum, de victu & vestitu, de nobilitatis prærogatiua, de legibus & statutis, de opibus, militia & viribus Poloniæ, & bona & mala, æqua sinceritate, dicit, ea ad veritatem dicta sunt omnia, adeo vt quam plurima & nunc vera sint, & verendum, ne omnia vera maneant in posterum.

XII.

ANDREÆ SWIĘCICKI (133)

Notarii terræ Nurensis

DESCRIPTIO TOPOGRAPHICA DUCATUS MASOVIAE.

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO
STANISLAO ŁUBIENSKI
DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO PLOCENSI, DOMINO
ATQUE PATRONO COLENDISSIMO.

Descriptionem Masoviæ, quam pater meus, geographorum in hoc secutus vestigia, concinnauerat quondam, & quæ huc vsque delituerat in obscuro, nunc primum in lucem profero, ANTISTES ILLUSTRISSIME. Præclarum enim arbitror, hanc regionem, quam nullus exterorum hactenus, nostrorum perpauci, idque breuiter admodum attigerint scribendo, (præsertim, cum & vera religionis luce quam pridem illustrata sit, & omnibus virtutum & humani cultus ornamentis floreat, quæque & imperii amplitudine, & rerum omnium affluentia, nulli prouinciarum in hoc regno cedat) non cognitam modo, verum oculis plane subiectam, remotioribus quoque gentibus effecisse. Quod vero in tuo potissimum Nomine adparere eam voluerim, ex decursu sermonis mei colliges, clareque leges. Virtutis atque pietatis vnicum specimen es, sapientiæ laude quam maxime flores, Episcopus preterea es huius prouinciæ: nonne tibi igitur, tam Heroi præstantissimo, quam alii cuipiam, opus istud offerre æquius est? Multis præterea, qua prouinciam hanc, qua totum Poloniarum orbem illustras ornamentis, cumulas beneficiis. Inuictas siquidem illius res gestas inuicta tua facundia, imo oraculi

(133.) *Andreas Swięcicki*, vir doctus, filios fuit *Nicolai* de Swięcice ex *Anna Nostowska*, sorore episcopi Plocensis, *Andreæ Nostowski*, cuius vitam idem scripsit, quamque filius eius *Sigismundus*, Varsauiæ anno 1637. in 4to impressam edidit, hanc autem topographiam Varsaviæ anno 1634. imprimi curauit, quæ editio ita rara, vt nemo fere litteratorum eam viderit. Niesiecius in articulo *Swięcicki* dubitat, an ea typis exscripta fuerit, sed extat hæc editio impressa in Bibliotheca illustrissimi supremi regni Mareschalci *Bielinscii* comitis. Inter quinque fratres fuit noster *Andreas* quartus, quo vero anno natus, quoque denatus, ignoramus, vt ceteras vitæ eius res circumstantes. Nullus enim scriptorum, præter *Niesiecium*, fecit auctoris nostri mentionem, neque filius *Sigismundus*, ea, quæ vitam patris attinent, memoriæ prodidit.

culi instar, vt qui non ex sermone vel narratione aliorum pendeas, sed ipse omnia habeas comperta, longo vsu iis cum interfuisti, tum præfuisti mandas literarum monumentis, atque persæpe nutantes eius res, subleuas atque sustentas, prudentia Tua & consilio. Quocirca vel hac saltem ratione, patriæ communis nomine debitam Tibi gratitudinem testari, non iustum minus quam pium iudicavi. Monebant me quoque in hac parte ornamenta prosapiæ Tuæ, quæ equidem & rara sunt, & nescio, an vnquam antehac in Polonia audita. Siquæ tamen? vt vetustiora eaque celeberrima etiam, vtque pientissimos Parentes Tuos, quibus nil sanctius, devotius, iustius, ne dicam felicius (tot enim & tam illustrium natorum esse genitores infitatæ prorsus felicitatis est) vidit atque nouit patria nostra, prætercam, an rarum & magnum non est? vos quatuor Germanos fratres, simul & semel esse Antistites, idque præcipuos, Te nimirum Plocensem, illum Vladislauiensem, simul esse vobis in senatu collegas, prudentia & auctoritate præcipuos; Alterum deinde de fratribus Tuis insigni prælatura functum, tum etiam vtriusque vestrum auspiciis, velut alis duabus suffultum, ad eandem amplitudinem tendere, alterum vitæ religiosæ suscepisse instituta, ac Jesu Sodalitati dicatum conspicimus. Soror porro germana, Virgo vestalis est. Abbatissa omnibus disciplinis honestis impense imbuta. Rarum certe! Neque hæc ideo, ac si essent ignota, commemoro, verum vt agnoscam tanquam diuina. Multa quidem alii atque divina, plerumque etiam vltra humanum fastigium de aliis predicare solent, ac in illis admirari; ego quod ad te, in his dumtaxat, quæ sunt rara, acquiesco; & quæ luce clariora. Cæterum quando quidem provincia hæc & diuini ingenii Tui monumentis, & diuinis istis ornamentis, tum etiam perpetuis beneficiis illustratur, decoratur, cumulatur; æquum itidem est, vt opus hocce, de eadem nempe, quod b. m. pater meus olim concinnauerat, famæ, gloriæ, sapientiæque Tuæ splendore adornatum in lucem prodeat. Modo illud aura fauoris Tui prosequaris, procellas quasuis liuoris ab eo propulsaturus. Vale Sitnii IV. Nonar: Junii, anno a partu virginis M.D.CXXXIV.

TUÆ JLLUSTRISSIMÆ CELSITUDINIS

Obsequentissimus Cliens

SIGISMUNDUS SWIĘCICKI, Auctoris Filius.

SIGI.

SIGISMUNDUS SWIĘCICKI
Auctoris filius.
Lectori Salutem.

QVæ hoc in opere tenuioribus notis sive literis occurrerint, Lector optime, a me adiecta sunt: non ostentationis alicuius gratia, neque laudis ambitione. Quæ enim laus e re tam exili expectanda est, vel etiam euenire potest? Neque me latet, quam esset impium, paternæ eruditioni atque ingenio, meum præferre velle. Non ea vis animi, illius vel minima quæque sunt mihi eruntque perpetuo gratissima, imo pro sacro sancto. Quid tandem causæ sit (dicet quispiam) quod in his desudarim? Cum pater meus, quæ notabilia videbantur, omiserit, vel illo superstite nondum extiterunt, quædam, etsi erant, nunc vero vel nullum vel parvum eorum vestigium appareat: idcirco quædam suppleui, quædam elucidaui, alia reieci consulto, nonnulla obscuriora declaraui succincte paucisque; eorum alia ex grauissimis scriptoribus excerpsi, alia sapientum traditione hausi, cætera magistra experientia aliquando consecutus sum. Quemadmodum autem paternæ gloriæ inuidere vel quidpiam detrahere, piaculum esse reputo, sic contra, vera prosequi, laudis existimo. Vale.

TOPOGRAPHIA
SIVE DESCRIPTIO
MASOVIÆ

MAsovia regio, Polonici regni pars, a meridie & occidente Polonia clauditur, ab oriente Lublinensem oram & IAZYGAS tangit, ab aquilone vero Prussiæ vicina est. Fuit Masovia ante Slauorum aduentum inculta & deserta regio, sed postquam Vandali, relicto patrio solo, ad quærendas nouas sedes profecti sunt, tum demum veteres Sarmatæ ex abstrusis boreæ regionibus progressi, non Masoviam modo, quæ ad vtramque vistulæ ripam patet, sed et latos ad occidentem campos, deletis Vandalorum reliquiis insedêre. Tempestate MESTONIS Regis, Sarmatia omnis publico consensu, Christianæ religionis instituta suscepit, tum primum nostri homines perspecto vicinarum gentium cultu, apertos latæ Hungariæ agros colere & ædificare cœperunt. Sunt qui existimant, eam gentem, priscis forte MASSAGETAS, vti sentit SARNICIUS lib I. annalium p. 14. & HAMATOBIOS fuisse, & inde sensim corrupto vocabulo in MASOVIORUM nomen abiuisse, sed quo argumento id factum velint, non videmus. Nos certe, qui recentia, ob idque certiora testimonia, quam subtiles coniecturas, sequi malumus, dicimus Masoviam quingentis plus abhinc annis sic vocari cœpisse, eo ipso tempore, quo CASIMIRO monacho in Gallias malignitate RIXÆ matris relegato, Sarmatica gens sine Rege fuit. Fuêre enim, qui ambitione superbiaque cœci, comparatis factionibus, regium nomen per interregnum ad se attraherent, & recens adhuc erat duodecim virorum memoria, qui extincto quondam unius principatu, quum Rempublicam auare & insolenter administrassent, oppressa obiter popularium libertate, pro æquitate optimatum, tyrannorum mores inuexerant.

Ea dominandi ſpe illecti nonnulli, occultas primum manus congregare, debiliores partim metu, partim promiſſis oneratos ſibi adſciſcere, ad extremum patriam loco prædæ habere. Tyrannorum facile primus fuit MASOS in agro Plocenſi clientelis & opibus potens, qui cum redeuntis ab exilio Regis voluntati diffideret, & quæſito impotentibus armis dominatu excludi iniquum arbitraretur, comparato magno exercitu obuiam Regi profectus eſt. Sed MASOS, qui CASIMIRUM intra religioſorum ſepta educatum, vt imbellem contemſerat, vbi ad manus ventum, resque cominus geri cœpta eſt, victus & profligatus, intenta fuga Pruſſos petiit, quem Pruſſi amice excepere, & non ſolum profugo, fugæ receptum, ſed valida etiam auxilia ad recuperandum regnum præbuere, quibus acceptis MASUS, & maioribus etiam a barbaris IAZYGIBUS impetratis copiis, quum prædando & hoſtiliter agendo, CASIMIRUM inſolentius laceſſeret: ingenti edita ſtrage ſecundo victus eſt. Pauci victorum & perſequentium Sarmatarum manus evaſere. MASOS autem, quum perditis rebus, ad barbaros iterum profugiſſet, captus ab iis, & ignobili ſupplicio adfectus, perfidiæ pariter & intempeſtiuæ ambitionis pœnas dedit. Exinde regio illa, quam MASOS dominatu complexus erat, Maſoviæ nomen accepit. Manſit Maſovia ſub imperio Piaſtidarum, ad patrum vsque memoriam. Sed e multis regulis, qui genti præfuêre, memorabilis in primis fuit CONRADUS Priſcus, qui CASIMIRO CRISPO genitus eſt, & BOLESLAI KRZIWOUSTII clariſſimi bello paceque principis nepos, PIASTI Regis Parentisque iam Poloniarum genus ad noſtra fere tempora propagauit. Cum regulorum Sarmatiæ opibus eſſet ampliſſimus (nam ſupra Maſoviam, Siradienſem, Lancicienſem & Kuiavienſem imperio tenebat), continenter cum finitimis Pruſſis bella geſſit, Magnæ quoque tum vires Pruſſorum erant, præter ea regio inacceſſa paludibus, impedita ſiluis, ab omni externa iniuria barbaros tutabatur, quum ipſi notis tramitum diuortiis, improuiſe erumpentes, in omnem Maſoviorum agrum ferro & incendiis impune deſæuirent. Sed eos tandem CONRADUS virtute CHRISTINI Luigeri, incly ti bello ducis, intra patrias paludes cohibebat. Hic ille eſt CHRISTINUS, qui auſpiciis LESCI & CONRADI fratrum, profligato & cæſo ad Zavichoſtum Romano Roxolanorum bellicoſiſſimo Rege, memorabilem victoriam reportauit, ſcilicet vt vrgente mox inuidia, e tantæ felicitatis faſtigio præceps daretur. Conradus enim, ſive quod tantæ victoriæ decus Chriſtino adſcribi ægerrime ferret, inuidia corruptus, ſiue Ioannis Andreæ ſacrati viri aſſentationibus deprauatus, Chriſtinum inſontem occidi iuſſit, mox pœnitentia ductus verſoque in conſultorem odio, Andream quoque, nihil ipſius dignitatem reveritus, impio & maximo crudeli ſuppicio, ſi religionis nomen ſpectetur, latronum in morem ſtrangulari iuſſit. Concuſſit id immanis Tyranni ſcelus, omnem ſacrati nominis ordinem, vnoque in primis Petro Gneſnenſi Archiepiſcopo adnitente, Conradus diris deuotus, totaque ipſius ditione ab ſacris ceſſatum eſt. Nec eam ignominiæ notam, Conradus non dubia religione tactus, ad ſeque ipſum rediens, diſſimulanter tulit, & ita Archiepiſcopo ſatisfecit, vt & patrimonii parte ſpoliatus, & vicinorum Pruſſorum iniuriis expoſitus, geminati parricidii pœnas daret. Siquidem Pruſſi ita deinceps Conrado graues fuêre, vt is, quum nec animi per ſe nec virium ſatis haberet, ad imploranda auxilia externa confugere cogeretur. Euocauitque ſubſidio Marianos milites Germanici generis, qui tum a Saracenis Syria vndique pulſi, nouas & ipſi ſedes condendæ coloniæ quærebant, ſed qui a Conrado acciti agroque Culmenſi & Dobrino donati, auxilio Polonis veniſſe videri volebant: poſtquam diuturno bello victis ſubactisque barbaris Pruſſiam omnem late perdomuiſſent: ex læto rerum ſucceſſu in ſuperbiam lapſi, in Polonos ipſos & Maſovios infeſta arma verterunt, tanta animorum inſania, vt quamdiu alternante vtrinque fortuna cruentiſſime certaretur, Polonique ex ſociis & beneficiariis hoſtes actos indignarentur, non niſi cum excidio Mariani nominis, optata pax adflictis fleſſiſque Sarmatiæ rebus parati potuerit.

Poſt

Post Conradum inter liberos ipsius Regnum partitur. Casimiro ad veterem Cuiaviæ Lanciciæq; dominatum, Siradia etiam accessit. Semovitus eâ tantum, quæ peculiariter Masoviæ nomen retinuit, potitus est. Verum Casimiro inter numerosam sobolem fuit vnus Ladislaus, Casimiri Magni pater, qui vel hoc vno maxime memorandus atque inclytus habetur, quod infestæ fortunæ nunquam cesserit, vnusque rem Polonam prodigiose regulorum multitudini obnoxiam, ob idque distractis viribus labentem, ad vnius nutum, & regimen iterum reuocauerit, egregio quidem auspicio, postquam Casimirus filius & Ludovicus Hungarus ex filia nepos, mox autem Iagello Lithuanus, Ludovici gener, ægre coalescenti imperio accessione fortissimarum gentium, tantum quantum nunc videmus, roboris atque splendoris attulissent. Semovitus alter e Conradi filiis excursione quadam a Lithuanis oppressus & cæsus periit. E cuius posteris ii maxime insignes extitere: Semovitus nempe Plocensis atque Ravensis princeps, qui ducta in matrimonium Alexandra, Iagellonis Regis sorore, acceptoque simul dotali iure Belzensis regionis dominatu, multiplici liberorum prouentu felix apparuit.

Divisio inter Conradi liberos.

Semovitus Plocensis & Ravensis Princeps.

Filiam vnam Cimbaream nomine, Ernesto Austrio, Norici Regulo, in matrimonium collocauit, quæ peperit Fridericum tertium Cæsarem, magnorum Regum atque Imperatorum progenitorem. Ex filiis etiam vnus Alexander purpurei galeri honorem promeritus, idem Aquileiensis Patriarcha & Tridentinus Antistes fuit. Alter cui *Ladislaus* nomen erat, in imperio patri suffectus est, quod reliquis fratribus in cœlibatu morte absumtis, neminem ipsi paterni dominatus æmulum fortuna excitasset. Ladislaus vero moriens cognominem sibi filium vnum, atque iterum alterum Semovitum reliquit, quos iuuentæ vigore, & multarum virtutum laude florentes, Gothardus Ribinius, homo multis ipsorum beneficiis obstrictus, sed ingenio malo perfidiosoque, conceptis temere quibusdam suspicionibus veneno sustulit. Inde grauis controuersia inter Boleslai patruelis liberos & reges Poloniæ orta est, quam vtrique decedentium sine prole regulorum hæreditatem ad se pertinere æquo iure æstimarent. Lis eum euentum tulit, vt recepto Belzensi in Russia, Ravensi in Masovia agro, Polonus in Plocensi, haud grauatim iure suo cederet, potitusque est Ioannes, Boleslai Warsaviensis filius, Plocensium principatu, quem tamen paulo post sine liberis decedens, vti in fatis erat, Polono regi reliquit.

Gothardi Ribinii perfidia.

Ioannes Plocensium princeps.

Cætera Masovia a Conrado Ioannis fratre ægre retenta. Intentarat enim ipsi quoque litem Ioannes Albertus Rex, quod tribus sine prole Conradi fratribus sublatis, secundum beneficiarii iuris formulam, Rex ipse hæres esset. Sed amice deinde res est transacta, quum Conradus recepisset, post mortem suam omnia Regi cessura, excepto Cyrnensi territorio, in quo duobus Conradi filiis in spem Regni antea susceptis succedendi ius concessum. Ferunt Conradum conspiratione quorundam Procerum suorum circumuentum, tam indignas nomine & auctoritate sua conditiones pacis accepisse. Iam enim Masovii acerbioris Principum suorum dominatus pertæsi, occasionem circumspiciebant, qua seruitutem excuterent, vti tunc opportune accidit. Cum Conradus Radziminium fortem virum, & tum interMasovios opibus & belli gloria nemini secundum, exutum omni fortuna spoliasset, insolenti iniuria perturbatus, ad Albertum, vti supremum Regem confugerat: publicoque in concilio, cum detegendis Conradi vitiis, tum Sarmatiæ exaggerandis suis & popularium suorum calamitatibus, ingentem Conrado inuidiam conflauerat. Erat enim Radziminius tum ipsi Regi, tum Principibus Polonorum notus, quod eum virum fortem nuper bello Valachico quingentis Masoviis equitibus profectum cum multo maioribus hostium copiis longe omnium acerrime dimicasse meminerant. Hæc prægrauabant Conradi gratiam, ita, vt

Radziminius fugit ad Albertum Regem.

senatus consultum seuerissime perscriberetur; quo Cunradus fraternis ditionibus abstinere iubebatur.

Conradi iracundia ergà Albertum.

A maioribus natu accepimus, Conradum cum ipsi legatus regius, senatus consulta recitasset, vti erat iracundia præceps, tacto gladii capulo in hæc verba prorupisse, vt diceret: Albertum imprudenter & inique facere, quod sibi contra mores & instituta omnium gentium, certissimæ hæreditatis iura præriperet, proinde si absque exercitu rem experiri vellet, se optimæ causæ confisum, cui etiam Dii immortales fauere consueuissent, paribus armis & singulari certamine cum ipso depugnaturum, fortuna iudice, non dubii iuris controuersiam nobili victoria, vel generosa saltem morte, finiturum: Dictis lachrimas adiecit, dira capiti ipsius atque adeo Iagellonio nomini imprecatus. Hæc tum verba cum risu potius quam indignatione excepta fuere, vti facere mos est iis, qui maledicta eorum obaudiunt, quibuscum iniquius agant. Cæterum Conradus extremum sibi vitæ diem adesse sentiens, conuocatis proceribus, liberos ipsis suos commendauit, singulos obtestatus vt fidem eis constanter seruarent, neque aliunde quærendos Reges arbitrarentur, donec superesset stirps sua, cuius mite imperium tot sæculis maiores ipsorum pertulissent; atque ita tranquillo animo sacris Christianis rite procuratus, Osseci in vico, adquem libenter venationum causa secedebat, mortem obiit, in regni liberorumque tutela, Annam vxorem relinquens. Ea fuit illustri loco apud Lithuanos nata, Georgii Radiuilii germana soror, Conradoque iam bis viduo, qui e prioribus tam virilibus, quam femininis sterilitate damnatis matrimoniis nullos liberos sustulerat, melioribus auspiciis nupsit, cum binos regiæ indolis mares, totidemque puellas insigni fœcunditate peperisset. Hæc tum summa æquitate iura reddebat, & virili plane animo ad omnes regni partes intentos oculos habebat, prorsus non poenitendi Regis officium implens, si fera indomitae gentis ingenia placabilitate potius & mansuetudine, quam truci seueroque imperio regi didicissent. Itaque non diu Masouii muliebre imperium tulere, idque eo magis, quod Annæ pudicissimæ alioquin feminæ, intemperantis vulgi dicacitas famam proscindebat, quasi ea Zalevio inter Masouios proceres subcrispæ promissæque comæ, & rosei vultus decore conspicuo, familiarius quam tantae fortunæ feminam Principem deceret, vteretur. Ideoque facta tumultuaria manu, frustra Deum, atque hominum fidem implorantem, cum impuberibus filiis ipsoque Zalevio, in arce Masouii obsederunt, fortes viros mulieribus parere, indignum esse, principes suos Regno non matris gynæceo debitos, incondities vocibus dedi sibi clamitantes, in eo tumultu dum vtrinque missilibus certatur, parum abfuit, quin alter e regulis sagitta, in incertum immissa, percuteretur. Mox interuentu quorundam Procerum seditio compressa est, recipiente scilicet, se filios, si ita optimatibus videretur, ad principatus administrationem admissuram, modò ab armis discedatur, & ne ea, quæ ab se bona cum gratia impetranda essent, per vim extorqueantur. Dudum iam antea Alexander Sarmatiæ Rex, benigni clementisque ingenii Princeps, mitigata fraterni decreti acerbitate, & correctis fœderibus, vti magnanimum & liberalem decuit, Stanislao atque Iohanni impuberibus Conradi filiis, iis quibus pater regnasset finibus dominatum permiserat, illum etiam imitatus Sigismundus nouus Rex, veræ virtutis studio omnium, qui tum vbique fuere Regum clarissimus, insigni benignitate regulorum opes stabiliuit, compositis scilicet per Ioannem Laskium Archi-Episcopum Gnesnensem Masouiæ rebus, demandataque reipublicæ Stanislao maiori natu cura, qui iam maturam administrando Regno indolem præferebat. Erat hic modesto ciuilique ingenio, nec tamen Martis spiritus & bellicæ alacritatis expers, vt qui præclarum postea virtutis specimen ediderit, quum copias rebellantis in Prussia Alberti Germanicæ militiæ Magistri, Sigismundi partes secutus, iusta acie ad Pitcam profligasset. Sed Ioannes, cætera fratri par & eximius, robore corporis longe præstabat.

Princeps Masouiæ Conradus Moritur. in Osieck.

Anna Conradi vidua.

a Masouiis in arce obseditur

præstabat. Nemo enim ipso validius ingentem ieretem palum, & prægrandia saxa iactare, nemo facilius crassos funes & ferreas equorum soleas rumpere, nemo arcum fortius tendere consueuerat. Ferunt eum duplici spina præditum, lato pectore, & toroso habitu, priscorum Heroum speciem retulisse; nisi submissus & repandus nasus totam iucundi alioqui vultus dignitatem, importuna naturæ iniuria defœdasset. Vterque certe domestico familiæ cultu, eruditis mundiciis, ipso denique militari apparatu, magnos reges anteibant, ob idque non iniuria in fastigio maiorum suorum, si per fata licuisset, digni videbantur.

Qua florentium fama excitus Aloysius Pechrius, cognomento Nadersbannus, inter Pannonicos proceres dignitate & opibus clarissimus, affinitatem Ducum experiuit, accepta in matrimonium sorore ipsorum Sophia, præcellentis formæ lectissimisque moribus puella, quam Stanislaus frater honoris causa, in Pannoniam cum numeroso & insigni comitatu deduxit. Eo tempore cum mutationem rerum in Masouia nemo expectaret, repente Principes in ipso ætatis flore, immani fatorum inuidia concidêre. Dum enim iuuenili procacitate amoribus inseruiunt, & intempestiuis conuiuiis atque commessationibus vtuntur, ma- ture exitio viam inuenerunt. Prior Stanislaus obiit, subsecutus est eum intra decem & octo menses Ioannes frater, & tabifico confectus morbo interiit.

Ducum Masouiæ affinitas.

Conuiuia Causa mortis.

Duplex inde opinio mortis ipsorum fuit: alii ad vini intemperantiam, quo reguli in conuiuio immoderatius vsi fuissent, causam referebant; alii rem ad inuidiam vertentes, iuuenes robore firmissimos, morbo non facile cessuros fuisse adfirmabant, nisi ad maturandam ipsorum mortem veneni vis accessisset. Deflagrauit postea publica infamia, Catharina quædam, palatini Rauensis filia, quam Conrado Oborio nuptam vidimus, quasi ea, vt acrius vreret, ad non dubiam perniciem incautos adolescentes amatoriis philtris dementasset, scilicet vt amore victi importunæ mulieri manus darent.

Principes Masouiæ intereunt.

Habitæ sunt de suspectis quæstiones, & ex iis Iazdonovius eques securi percussus, & femina Catharinæ huius familiaris, immanis supplicii pœnam tulit. Sæuitum fuisset & in ipsam Catharinam a furente infestaque plebe, nisi metus Regis dissuasisset, cuius sub tutela Catharinæ pater, totaque Rauensis prouincia iam pridem censeretur. Nulla enim gens immoderatius regum suorum interitum tulit, idque eo magis mirum videri poterat, quod qui modo Conrado inueteratæ prudentiæ Principi, ægre dicto audientes erant, adolescentes ipsius filios, velut tum primum exuta feritate tanto amore prosequerentur, postquam clementia, & animi magnitudine, & quod conciliandæ popularis beneuolentiæ multum intererat, comitate ipsa Conradum patrem, vti natura subausterum, anteissent. Augebat luctum regiæ domus orbitas. Familiam enim supra quadrigentos annos in Masouia rerum potitam, extincta virili stirpe, funditus interiisse videbant. Fuere tum, qui crederent, Catharinam altiore consilio regulos lento veneno peremisse, scilicet vt orbis & sine prole mortuis succedentem Regem detestabili officii genere demereretur, sed id insciente prorsus Rege perpetratum fuisse constat. Quid enim absurdius est? quam credere Sigismundum, tantæ pietatis & iustitiæ Regem, qui oblata a Pannoniis, Bohemis & Danis amplissima Regna cum magna continentiæ laude repudiasset, in mortem insontium regulorum consensisse, scilicet vt necatorum mediocri patrimonio cum perenni infamia potiretur. Cæterum ab excessu Masouiorum Principum Sigismundus Rex pacato agmine adueniens, tumultuantes Masouios vna nominis auctoritate sedauit. Non obscure enim Masouii fauebant Ioanni Odrowonzio, Podoliæ tum Palatino, qui nobilitate iuxta & virtute præcellens, sororem Principum natu minorem in matrimonio habebat, ideoque præclara hæreditatis nomine adeundi Principatus iura præferebat. Ægre etiam Masouii peculiari Principum suorum imperio, tot seculis adsueti, ab eo Rege iura petituri videbantur, qui opulentarum gentium imperio potitus, Masouiam

Sigismundus Rex Masouios suis moribus viuere permittit.

souiam nobilitatem infirmis opibus ægre Procerum nomen sustentantem, vel neglecturus vel contemturus omnino crederetur. Sed Sigismundi Regis ea erat animo insita aequitas, ea sapientia; vt cunctis se vultu & alloquio exhiberet. Itaque Masouios suis primum legibus & moribus viuere permittit, multa præter ea ad veteres immunitates addit, vt gentis studia redimeret, quando non armis victa, sed antiquissimis fœderum iuribus quæsita, humaniter tractanda videretur.

Contenderunt postea Masovii a Sigismundo, vt ipsis Augustum filium etiam tum impuberem Principem daret, sed negatum est, certisque rationibus demonstratum: maxime ipsis expedire eundem vt cum Polonis Regem haberent. Itaque regione in prouinciae formam redacta, & Prorex cum imperio relictus, qui genti in absentia Regis ius diceret. Primus hunc magistratum gessit Laurentius Prazmouius, idem Prorex & Palatinus Masouiæ, eius porro officii tanta erat auctoritas, vt Regis munia obiret, nec alia sententiæ eius vis, quam si ab ipso Rege lata esset, id graue impositum iugum, Masovios, alioqui per se iam seuerioris dominatus impatientes, & paribus ægre parere solitos, vsque adeo male habuit, vt postea sub interregno id magistratus nomen publico in concilio lege lata abolerent, nec iustæ eorum voluntati obuiam a Rege itum est.

Prazmouius Prorex Masouiæ.

Palatinis post Regem præcipua apud gentem dignatio, qui numero tres sunt: Plocensis, Cyrnensis qui & Masouiæ, & Rauensis; idem in senatu regio loci & dicendæ sententiæ ordo. Secundum Palatinos proxima Castellanorum auctoritas, nam & ii ad Regis consilium pertinent. Præfecti vero, iudices, proprætores, finium regundorum iudices, suis quisque in municipiis iura reddunt: præter eos, qui ad iudicia non pertinent, sed in aulæ ministerium, ab antiquo instituti fuere: Prægustatores scilicet, dapiferi, & eorum succedanei, deinde vexilliferi, quæstores, venatores, siue aucupiorum administri, ad hæc tribuni & scribæ, officiorum honoratorum nomina sunt, quorum munera percensuisse, ambitiosi, mehercules! ingenii videri posset, quando hæc omnia Martinus Cromerus grauissimus scriptor, incomparabili facundia, atque miro ordine persecutus in sua Polonia descripserit. Regionis itaque situm, oppida, clariores pagos, loca insignia, opes, mores, item & studia gentis describemus, a seuerioribus postulantes, vti a nobis nimiæ curiositatis rationem ne exigant, totum enim istud ab ingenio & liberali animo profectum est, postquam ea, quæ cum aliquo saltem legentium voluptate, non indigna cognitu viderentur, omittere patriae amor non permisit.

Descriptio Masouiæ.

Masouia igitur multis in locis numerosa est. Ager ferendae segeti habiles campos ostendit. Alibi ea soli facies est, vt fertilissimis fundis steriles passim arenae interiaceant, sed vbique tamen vel innata fœcunditate, vel accuratiore hominum cultu benigne agri sementem reddunt. Omnium frugum copia est, quae non modo in domesticos vsus suppetant, verum etiam Dantiscum ad nobilem illum mercatum secundis amnibus deuehantur, pecorum omnis generis, & armentorum abunde habet, reliquarum, quae ad vitam pertinent, rerum vsque ad vilitatem summa est copia. Venatio multiplex, sed cerui, alces, bisontes, non nisi in Sequana silua reperiuntur, in Hectorea vero silua vrorum ingentium greges inerrant. Id vnis Regibus dicatum est animal: eos enim a quopiam alio occidi proposita capitis pœna, fas non est.

Vri Masouiæ.

Hoc animal priscis temporibus Germaniae siluis familiare, nullibi nunc (quod sciam) in tota Europa, nisi in his angustiis, Hercyniae veteris reliquiis, reperitur.

Magnitudine est multo maiori supra nostros boues, forma non absimili, cæterum agilitatis prope stupendæ, vt etiam fimum inter egerendum, priusquam terram attingat, cornibus excipiant ludibundi. Pollutas domesticorum taurorum coitu feminas, odor maribus prodit, quas longe ex armentis abigunt, vt obiectæ

obiectæ rapacibus feris, viriati generis pœnam pendant. Tanto autem robore pollent, vt sublatum cornibus equitem facile prosternant. Obseruatum est sæpius, vnicum marem vrum, prostratis ac proculcatis lupis aliquot, integram victoriam retulisse. Nihil tam expetitur venatoribus quam media & villis intorta pars frontis (Polonis *Turzywicher*) præsertim si spiranti adhuc vro exscindatur: gestata enim a grauidis caruncula, abortibus resistit & facilem partum procurat. Eandem vim quoque zonis inesse putant, quæ resecto in orbem corio morientibus vris detrahuntur; obuium hominem aut feram, nisi irritentur, transire facile patiuntur, irritati furenter sæuiunt. Nec tamen Cæsarem mendacii arguerim, qui aliter scriptum reliquit, fieri enim potuit, vt animal, in illis vastis Germaniæ solitudinibus educatum, occurrentem hominem insequeretur: Nunc vri angusta inclusi sylua mitescunt necessario.]

Regio omnis in tres satrapias diuiditur: Masouiensem, Plocensem et Rauensem.

Diuisio Masouiæ.

Earum priorem, a finibus Poloniæ incipientes, describemus. Constat hæc vndecim pagis: Cyrisco, Varsauia, Zakroczymo, Wysogrodia, Ciechanouia, Visna, & Liuia, quibus Castellani cum imperio præsunt: reliquæ, Lomza, Zambrouia, Rozanum atque Nurium minoribus magistratibus parent.

Cyrsk.

[Hæc Satrapia longe quam cæteræ potentior est, nam quinque & quadraginta millia equestrium familiarum continet, quarum nulla tam egens est, quæ non vnum saltem virum equo armisque insignem præbeat, aliquæ, vt cuiusque census est, plures, nonnullæ etiam integras turmas armant. Peditem vrbana rusticaque plebs praebet.]

Is terrae tractus, qua *Radominia* flumen decurrit, Sendomiriensem prouinciam tangit, inde secundum vtramque Vistulae ripam, iam tum in boream retorto alueo tendendis vltra Wysogrodiam protenditur, mox ignobilibus iisdem a Plocensi distinctus, Prussia primum, dein Iazygibus ac Lucouiis semiRoxolana gente includitur.

Ad Radominiam in ipso Poloniae aditu *Glovaczevia* iacet, Lezencii Capitonis, conditoris sui memoria celebris, qui bello Dux fortis *Vitoldo* in Asiatica expeditione comes fuit. Arx ipsa Lezennicia non longe abest, natalis illius locus, [Secundam hæc loca claritatem accipiunt a Ma- - Lezentio fortunæ & animi bonis, longe ornatissimo, hic votis Hierosolimæ ad ipsum Christi seruatoris sepulchrum rite persolutis, dum Italiam repeteret, tædio diuturnæ nauigationis confectus, ad Zacynthum interiit] Inde cum Piliciam amnem petiueris, Bialobriga primum paruum oppidum, postea *Pribisevum* & *Wyszemirzyce*, quæ Abbati Plocensi parent.

Glowaczow.

Przybyszew.

Mox *Warka* occurrit ædificiis atque incolis oppidum frequentissimum, totus hic pene ad Piliciam tractus feracibus hortis constat, & vicinis oppidis ingentem vim cucumerum, ceparum, & omnis generis olerum, præbet.

Warka

Warka ipsa innumerabiles optimorum opificum familias habet, templa item sex, septimum augustius cum cœnobio cucullatorum sodalitii Dominicani, in quo Troideni et Semouiti Masouiorum principum, Annæque item, quæ Vitoldi soror fuit, sepulchra visuntur. Ab eo loco sex fere millia passuum *Pilicia* amnis pulcherrimus præterlapsus *Ostrolekam*, pagum, sedem a loci amœnitate & musis ipsis dignam & studiis nostris accomodam [huius pagi hæreditas cum *Margaretha Vitellia* auctoris coniuge, charissimaque matre mea, in Swięciciam Domum transierat: nunc vero discordia, an prodigalitate dicam, quorundam fratrum meorum haud scio, in aliam familiam deuenit] multis molertinarum aggeribus fractus & strangulatus, violentius, quam si libero cursu flueret, in Vistulam prorumpit, & ad multum spatium, innatum aquæ nitorem retinet, donec victus et mole aquarum Vistulæ oppressus vi ctoris fluuii colorem induat. At collis, qui pago adiacet, læto magna

Ostrołęka.

parte anni pabulo viret, manatque ab eo perpetua ſcaturigine limpidiſſimus fons Callirrhoë, vſibus meis ſeruiens, qui ſtrepente aquula in ſubiectam paludem effunditur, & inde vti cœco abſorptus cuniculo nuſquam exitum inuenit. Cyrſcum ſeptentriones ſpectat, nobiliſſimus quondam Maſouiæ ciuitatis pagus & antiquorum olim Ducum regia, nunc obſcurum oppidum.

Czerſk.

Nil in eo admiratione dignum videtur, excepta arce, non tam munitionibus quam vetuſtate ipſa admiranda, ea triplici turri a longo interuallo conſpicua, ſublimi e colle, Viſtulam pleno amne deſcendentem, vlterioreque in ripa lætiſſimas oſtentantem ſiluas deſpectat, ſub colle vinea eſt, ſtudio Bonæ Reginæ plantata & exculta. Ad occidentem ſolem hortos oppidani habent eximiorum fructuum pro ratione Sarmatici cœli feraces. Introrſus recedit Goſcinium nulla re inſigne, niſi forte in numero nobilioris artificii ponas, quod incolas habet fere omnes cribrorum egregios opifices, ea partim e ſetis equinis in telæ modum detexuntur, partim detractis maceratisque tilliæ corticibus argute plicantur: ad excernendos furfures piſtoribus experta. Penetrant illi difficilimis itineribus ad Pannonios vſque Mæſos & Triballos, magnoque diſtractis viliſſimæ notæ mercibus, auro dites in patriam redeunt, multa in illis gentibus percunctando & ſpeculando cognita referentes, quæ alias magno exploratorum periculo diſcerentur.

Goſcinin.

Hinc Grodecia VIII. millibus paſſuum abeſt, Cracouienſi viæ impoſita, lateritiis aliquot ædibus ornata, & templo item non ignobili. Oppidani quod flumine ad exercendam mercaturam carent, vni opificio ſe populariter dedunt, chordasque ſubtiles in vſum teſtudinum, ex tenuioribus arietum inteſtinis arguta manu conficiunt, quæ demum in remotiſſimas regiones diſtrahuntur. Cyrnenſe territorium a Rauenſi Mogilnica paruus amnis diſterminat, a Varſauienſi Ieziora, ſed vltra Viſtulam aliquando latius patet, vocatur illa regiuncula *Poleſie*, quod exciſis ſiluis non pridem coli cœperit.

Grodziec.

Fluminum ſunt nomina Mogilnica & Iezíora.

Oppida habet: Garuolinum, frequens alioqui & optimæ cereuiſiæ prouentu clarum ac Latoidem ad orientem Cyriſco oppoſita: in quorum circuitu longe lateque fertiliſſimus pateſcit ager, rigatur duobus amniculis Wilka & Sphydro, qui opportunis locis lacubus excepti, anguſtisque demum canalibus erumpentes, frumentarias aguntmolas, & vario piſcium genere abundant. Non procul inde ſunt Kozlouia arx cum Pariſopoli, piſcoſiſſimis vndique ſtagnis præcincta, & Sebaſtianoua: quam Sebaſtianus Branicius Poſnanienſis Epiſcopus ab ſe conditam, de nomine ſuo appellauit. Magis recedunt Kuſleuum & Serocinum, neglecti procerum Maſouiorum pagi, propior eſt Cyriſco Koſubella, Sphydro late reſtagnanti impoſita. Miniſcum paulo remotius eſt populoſum iis locis oppidum, & duabus nobilium procerum regiis memorandum: ab eo diſtat Laurentinum VIII. mill. paſſ & Oſſecycum in via Cyrnenſi ingenti ſaltu vndique cinctum. Id nulla re magis eſt memorabile, quam quod in proximo ſpectatur viuarium tranſuerſis perticis vndique permunitum: quod antiqui Maſouiæ principes, immiſſis eo ceruis & damulis, ad voluptatem inſtituere: labitur per viuarium riuulus argenteo nitore pellucidus, qui ne frigidiſſimis quidem anni temporibus in glaciem concreſcit, cum vel maximis æſtatis feruoribus gelidus omnino perhibeatur, faciles paſſim aſcenſu ripas ſitientibus feris oſtentans. Protenditur hinc ingens ſilua, quæ ab ingreſſu Maſouiæ, ſecundum Viſtulæ ripam ad Naruam vſque flumen excurrit: per eam Sphydrus Viſtulam petit, nec longe hic abeſt Karczeuium paucis habitatum incolis. Varſauia porro a Cyrſco XX. mill. paſſuum diſtat, et vrbium Maſouiæ facile princeps, noſtro æuo publici Sarmatiæ conſilii et ſenatus habendi celebris locus, ſita eſt in excelſo colle qui Viſtulæ inhærens, vorticoſi amnis impetum adeſis et euulſis paſſim cautibus nec quicquam prohibet.

Garuolin. Latovice.

Kozlow. Paryſow.

Seroczyn Czerſk. Swider. Kolobiel

Wawrzyſzew Olieck.

Karczew. Warſzawa.

A ſeptentrione venientibus pulcherrimam magnificarum ædium et turritorum templorum faciem oſtentat: cæterum ab ea parte munitionibus caret, quum

incolæ

incolae praerupti loci natura ipsoque vasti fluminis alueo satis se tutos ab omni hostium iniuria arbitrentur, ab aliis partibus duplici muro et fossa nequaquam profunda cingitur. Suburbia vero habet tanta, vt vrbis magnitudinem longe superent, in iis delicatissimi visuntur horti nobilibus arbusculis ad voluptatem consiti. Inter sacrata loca, primas tenet ingens basilica diuo Ioanni Baptistae dicata, cum operis mole, tum vetustate admiranda; haec aliquot collegia sacratorum hominum habet, qui statis vicibus ad peragenda sacra praesto sunt. Sed vnum et delectu virorum, qui ab insigni morum et doctrinae commendatione plerumque cooptantur, et censu caeteris antestat. Sunt et alia sacrata loca et coenobia, in suburbiis nempe, vnum eorum, qui Bernardini Senensis sectam habitu et disciplina profitentur, eius structurae ampla est moles, et post regiam maxime visenda. Tum etiam coenobium diuo Georgio sacrum, nec non sodalitii Dominicani atque in ipsa vrbe fratrum Eremitarum regulam diui Augustini profitentium. Praeterea aliquot insignia templa, quae prioribus saeculis religiosissimi mortales magnifice condidere. Regia ipsa olim quidem prisco artificio structa, nostra vero aetate primum opera Augusti Regis restaurata. [Nunc vero diui Sigismundi tertii studio, et solerti artificum Italorum ingenio in eam quam videmus faciem euasit.] Eiusdem diui Regis opus est pons super Vistulam sublicius, artificio struentis inprimis clarus. [Erat quondam pons per Vistulam sublicius, qui annis superioribus aquarum vasta mole atque perpetuis gurgitibus pene deiectus est, nullumque prorsus eius operis vestigium apparet et conspicitur, praeter latericiam portam.] Hanc vrbem positurus felicem, quod subuehendis commeatibus opportunissimo loco & in medio Poloniae pariter et Lithuaniae sita videretur, Augustus Rex singulari iudicio delegit, in qua deinceps vniuersae Sarmatiae comitia indicerentur, nec ipse, dum vixit, libentius vsquam moratus est. [Vti & nunc Augusti exemplum in eo sequi vidimus diuum Sigismundum tertium Regem, quem auitae virtutis aemulum Sarmatia coluit. Magna hinc opulentiae incrementa Varsauia accepit, ita vt cum aedificiorum splendore, incolarum diuitiis, & rerum omnium copia floreat, non multis Sarmatiae vrbibus cedat.]

Tarcinum & Blonie oppida, praeterea Piasecinum ad Varsauiam pertinent, hoc IX. millia passuum, illa XX. fere distant, in circuitu Varsauiae ferendis frugibus aptissimus est ager, & tritici in primis ferax. Sed circum Blonie, lignorum inopia magna est, quod excisis radicitus siluis omnia campi frumentarii occupent Ab altera Vistulae parte, latius aliquando Varsauiensis praefectura patet. Okunevum mediocrem pagum et Stanislavoviam quoque complexa, id est oppidum frequens, et Stanislao vltimo Masouiorum Duce conditore inclitum. Regionem Ranza mediocris amnis secat, qui non longe ortus, obliquis cursibus illum terrarum tractum peragrat, multosque passim lacus natura aut humana arte efficiens, Bugum fluuium petit. Siluestris non ita pridem ea regio fuit, nunc culta & frugibus fertilis visitur. Liuia deinde Iazygibus & Lucouiis proxima occurrit, oppidum frequentibus incendiis deformatum. Arcem habet natura optimo loco positum, ideoque firmam futuram, si humana industria accederet, ea praefectura non sane ampla est, excepta Liuia ipsa. Dobre, nihil oppidi nomine dignum reperitur, promiscua nobilitate abundat, quae multiplicata sobole ob idque diuisis patrimoniis, opibus parum valens, vna spiritus libertate militarique ferocia censetur. Regio a flumine nomen sortita, is est Liuecius: qui ab oriente defluens, et Iazygas alicubi a Masouiis separans, minoribus auctus torrentibus, paulo infra Cameneciam Bugo miscetur, Camenecia vero ad Bugum sita, est Nuriensis praefecturae pars, oppidum nec arte nec loci natura munitum. Nurensis praefectura a Radzymino et Serocia (quae supra confluentes Bugum et Naruam est) ad Nuretium amnem sexagin-

Tarczyn. Blonie. Piaseczno.

Okuniew. Stanislawow. Rącza.

Liwi

Liwecius.

Nurzec.

ta amplius millibus passuum patet, Nurioque Camenecia et Ostrouia constat. Sunt & procerum non adeo clari oppida nominis, Radziminum a Varsauia XX. passuum. millia distans, & Cameneciæ propior Slubouia egentissimus pagus. Incolæ in sterili arena parum agricultura proficiunt, ideoque vni piscaturæ vacant. Lampetrarum mense Martio copiosa piscatio, quæ nullibi alias toto Bugi tractu capiuntur. Plocensis antistes magnam partem regionis tenet. Wyscouia, & hac insigni tempio frequentiaque nobilius Brocum, vtrumque Bugi ripæ impositum; ad hæc Zlotoria inter paludes sita, Andreouiamque, Andreæ Cricii optimi Antistitis opus, cum amplissimis possessionibus eius ditionis sunt. Circa Ostrouiam & Nurium pauca Principi, omnia fere nobilitati parent. Brocus amnis Broculo minori fluuio compluribusque limpidissimis amniculis auctus fertiles campos secat, vltra quem regiuncula Lantouicia vocatur, agri bonitate prouentuque omnium frugum pernobilis. Episcopi Plocensis bona regionis pars imperium agnoscit, reliqua innumerabiles equitum familiæ tenent. Sylua eo loci olim ingens fuit: sed postquam Iazyges & Lithuani Christiana sacra susceperunt, Masouii Principes pacem a finitimis nacti, in vacua cultoribus loca plures colonias deduxere: nulla Masouiæ pars incolis frequentior, nobiles tenuissimi census vulgo sunt, mirumque id videri potest, quod exceptis Episcopi possessionibus non temere in tanto hominum numero plebeius occurrat, nobilitas vero, ipsis agrestibus & mancipiis egentior passim apparet, neque latrocinari, prædas ex finitimis agere ipsi probro datur. Pauperrimi homines, quod domi angusta res impediat, plerumque ad exteros profecti, ministerio potentiorum se dedunt, & a proceribus, qui vel in optima pace numerosas familias alunt, mediocri stipendio allecti,& militariter instructi, in alas equestres describuntur. Nurium a Broco XX mill. pass. totidem Brocum a Camenecia, totidem ab hac Radziminum distat. Sed Nurium quamuis rustice structum, parum nitidis ædificiis constet, tamen incolarum opibus cæteris præstat. Mercaturam ii nauiter exercent, & in fertilissima regione, vili pretio coemtam annonam nauibus Dantiscum deuehunt. Bugus enim recepto ad Bieste Lithuanicum Muchaueyo, primo Drohicinum, Iazygum Metropolim, mox Nurecium secum rapiens, Nurium præterlabitur,& ita sensim retorto in occidentem cursu Naruæ fit proximus, vt nullibi plus duobus & triginta passuum millibus ab eo distet, alicubi dimidio minus, apud Serociam denique confluunt & ad Nouoduorum vna alueo delati, tanta vi ac mole aquarum, obnitenti contra Vistulæ incumbunt, vt ad Plociam vsque dextimam ripam lambendo, colorem, qui subalter est, retineant. His tribus fluuiis non Masouii solum atque Iazyges, sed Lithuani, Volhinii, Roxolani, & Poloni, remotæ gentes mercaturam fecundissime exercent, & Elbingam Dantiscumque nobilissima totius septentrionis emporia, nauigiis deferuntur. Ab ortu pleiadum, sub brumæ vsque tempora naues vltro citroque commeant. Socii naualesinter se obuii conuiciis certant, & appellantibus contumeliose respondent. Secundo cursu remigant,aduerso velificant,subsidentibus ventis & coorta malacia, religato a summis carchesiis fune, demissisque antemnis, in helciis nituntur atque iter peragunt. Secundum Nurium ad citeriorem amnis Selinæ ripam Zembrouia præfectura sequitur, vlteriorem Iazyges Belsciani tenent. Zembrouia vti vicinitate, ita hominum studiis, agrique natura Nurensi est proxima, populosus & ipse pagus, sed in eo non omnia recenseri, nullum est vel famæ vel rerum ipsarum dispendium. Ad septentriones supra Naruam Visna est, cuius agrum Bebrias fluuius receptis Lyco et Iegrenia nauigabilis, a Iazygibus, qui Augustam nouam vrbem, Raygrodiamque et Gonianzum colunt, separat. Regio fertilis, et quā Prussiae vicina est, admodum piscosa, habet Gaiuam et Thocyloum amplissimas paludes, rigatur Vissa fluuio mediocri, et Iura, tructarum captura apud nos celebrato. Oppida praeter Visnam, cui arx adiecta est, Wansosa et Radzilouia, ingenia gentis inquieta

et

Radzymin.

Zlotoria.

Lętownica.

Nowodwor.

Augustow.
Raigrod.
Goniądz.
Wąsolz.
Radziłow.

et factiosa, cætera cum aliis Masouiis communia. Lomza ad octo millia pass: inferius ad eandem Naruam sita est, elegans sane oppidum, et post Varsauiam lateritiarum ædium structura, ciuium elegantia atque opibus, forumque item rerum venalium nulli vrbium cedens. Regia Lomzæ perampla est, olim Masouiæ principibus frequentata, nunc præfecti regii sedes, domus prætoria aliaque publica ædificia exquisite structa, in iis templum diuo Stanislao Kostcæ dicatum, quod patrum memoria Ioannes Woyslauius sacrati nominis vir, magnis sumptibus extruxit.

Ciuium domus magnificæ, cæterum in circuitu mœnia nulla, quod vnum ad summam oppidi dignitatem deest. Hac in vrbe Ioannes Bedricius domicilium habet: quem & medendi peritia clarum, & optimarum artium, poëticesque inprimis, in qua excellit, studio insignem, vt Lomzanorum primum admiramur. Est in proximo Lomzæ pagus versus Ostrouiam, qui nobis prætereundus non videtur Clescouia: nam habet insigne templum, quod patrum memoria Budinus egregiæ pietatis Presbyter, ceterum per se inops, emendicata stipe construxit, luculenter admodum & magnificentius, quam pro priuata fortuna quis crediderit, templo munitio adiecta, turritus scilicet murus, ita vt validæ arcis speciem repræsentet, ab eaque parte Rhusus & Orus parua flumina, Naruam diuersis itineribus petunt. Sed nos instituti ordinis memores, iterum nos vltra Naruam recipiemus, dicemusque a Lomza duodecim millia pass: distare Coloniam, oppidum in Prussiam vergens, piscium & salsamentorum mercatu nobile. Haud longe hinc abest perampla palus, cui Crusco nomen est, quæ largissime omnibus anni temporibus varios pisces suppeditat. Sed eorum, hyeme præsertim, vberrima est captura.

Biedrzycki.

Kleczkow.

Rus & Vrs.

Kolno.

Concreta enim in palude glacies securibus aperitur, & noto artificio immissis retibus tanta piscium vis extrahitur, vt retia interdum rumpantur, hos partim frigore duratos, partim cadis conditos, in salsamentarias totius Masouiæ tabernas diuendunt.

Coloniam præterlabitur Pysia amnis piscosus e siluis Prussiæ promanans, qui infra Nouogrodum, quod VIII. millia passuum a Lomza distat, in Naruam exoneratur. Eo loci Narua, ingenti effecto flexu, in septentrionem curuatur, attingitque Sequanam siluam Hercyniæ veteris partem, excurrit ea ad Prussos & Samogetas: varii generis feras, ceruos scilicet, bisontes, alces, onagros, & siluestres apros nutrit, reperiuntur & paruæ feles, quarum pelliculæ insigni leuore conspicuæ, ipsas Moschicas & Lithuanicas superant: Nec pantheræ & vrsi desunt, apium autem tota silua ingens est copia, quæ in excauatis arborum truncis passim mellificant. Generosi accipitres & nisi ad aucupium a nobilibus expetiti, eadem in silua suos fœtus excludunt, qui nidis implumes detracti, magna aucupum cura & sollicitudine educantur. Volucrum etiam, quos Latini & attagenes vocant, magna est copia. Id siluestrium auicularum genus ab egregia pulparum teneritudine & colore commendatum, vnis tantum procerum mensis infertur. Medium secat Homuluia limpidissimus amnis, & quod per inculta & solitudines defluat, maxime piscosus, inter pisces eius omnium consensu tructa nobilissimus habetur. Ostrołęka regium oppidum (e regione cuius Homuluia Naruæ miscetur) distat a Lomza 20. passuum millia. Selunii mox sequuntur vtrique fluminis ripæ inhærentes. Selunum caput gentis est, gens ipsa obscura, neque opibus potens, præpositi Plocensis in profano iure imperium agnoscit. Ad eundem Naruam & Rosanum oppidum frequens, et præfectura, quæ cis et vltra Naruam patet. Introrsus a flumine prægredienti Makouia occurrit, quam præterlapsus Oryx piscosus et commodus circumagendis molarum rotis fluuius in Naruam exoneratur. A Makouia Pultouiam XII. millia pass. numerantur. Ea est Episcopi Plocensis vrbs primaria atque domicilium, supra alios eius tractus maxime insignis. Alluit eam Narua sæpe vastus et hybernis aquis prætumidus, ideoque accolis

Skwa.

Ostrołęka

Sieluń.

Rożanr.

Makow.

Orzycz.

Pułtosk.

Hhh hhh nociturus,

nociturus, nisi hinc leucis, arenosis montibus, illinc ab oppido firmata prægrandibus palis multaque materia ripa coërceatur. Imminent vrbi colles perpetuo ad Naruae cursum directi dorso, qui a fano sanctae Crucis, vsque ad villam æstiuo Episcopi secessu amœnitateque nobilem, feracibus hortis vineisque exculti virescunt: ab eaque parte palus, quam Naruæ amnis emissarius implet, vrbis mœnia leni fluctu pulsat. Oppidani cum Gedanensibus commerciorum atque hospitii iura tuentur, vnde illis res familiaris in dies augetur. Collegia sacratorum hominum plura sunt, sicut& delubra: sed duo primaria, vnum eorum qui Canonici appellantur, eos ab insigni eruditione & lectissimis moribus cooptari mos. Alterum Societatis IESU, cui nuper nostra memoria, Andreas Noscouius Episcopus, partis opibus ad normam Christianæ pietatis vti solitus, amplissimam cocto latere domum exædificauit, adiectis reditibus, quæ frugi hominibus satis essent. Eo in gymnasio patres illi publice iuuentutem optimis artibus instituunt, & quod est cum insigni prouincialium commodo, literarum eruditioni Christianae pietatis disciplinam adiungunt. Canonicorum collegium insigniter ornauit Paulus Glogouius Decanus idem Plocensis, profundæ eruditionis Græcarumque pariter ac Latinarum excellenti scientia præclarus senex. Magna etiam mihi de Nicolao Swięcicio fratre meo sperare licuit, quem ego iuuenem præstanti doctrina moribusque sacrato nomine dignis ornatissimum, vti vnicum vitæ meæ solatium, immatura surreptum morte nuper amisi. Cæterum Noscouius Episcopus multis aliis substructionibus Pultouiam excoluit. Arcem flammis euersam magna ex parte restaurauit, Marianæ basilicæ adiectis proiecturis ipsisque templi fornicibus egregia pictura perornatis, eductaque altius sacra turre, multum decoris addidit. Adiunxit templo delubrum, in quo sibi viuus Mausoleum elegans & sumptuosum condidit, aramque dedicauit, ad quam expiandis mortui noxis, placandoque piis manibus, DEO sacra quotannis renouantur. Xenodochium alendis calamitosis & templum Diuæ Virgini Genitrici in suburbio a fundamentis extruxit, censuque et reditibus ditauit, vt prætereram aliis in locis piæ ipsius liberalitatis monumenta, nam ea quidem hic recensere propositi nostri non est. Arcem ipsam quis Pontificum condiderit, adhuc in dubio est. Sed Erasmum Vitellium, Raphaëlem Lescinium, Andream Cricium, et Noscouium, bonam in ea ornanda augendaque operam nauasse constat. Nouissime Petrus Myscouius Italorum artificum ingenio longe elegantiorem reddidit. Sub arce amœnissimos instituit hortos, qui alio sub cœlo natas arbores, peregrinarumque herbarum plantas benigne foueant. Eius loci singularis est amœnitas, neque alia in tota prouincia, facile inuenitur. Ad latus hortorum fanum rotundi operis visitur, studio Andreæ Cricii Episcopi conditum. Ferunt enim eum opere sane perexiguo Pantheon, Agrippæ opus, imitari voluisse, neque pudori sibi duxisse, quod Romani splendoris magnificentiam, si non insanis sumptibus, structuræ certe specie esset æmulatus. A Pultouia planities magna incipit: vnde regioni *pole* nomen inditum, ideo quod patentes et ferendæ segeti aptissimos campos nusquam siluosa ostendat. Ea tribus praefecturis constat, Cechanouia, Zakroczymo et Wysegrodia. Cechanouia amplum est oppidum ad Lydiniam flumen, arte lateritia et aliquod publicis ædificiis insigne. Sed hanc incolarum frequentia priuatarumque ædium numero facile superat Prasnysia, ingens oppidum, foro vendendis bobus clarum, aedes aliquot lateritias habet, reliquae non adeo nitidae sunt. Fertilissima regio oppido subiacet, magna omnium rerum, quae ad victum pertinent vilitas, pisces tantum e proxima Prussia petit. Prasnysia et Chorellae et Ianouia Prussiam spectant, nec a Sequana silua longe recedunt. Cechanouia Zaphcrenae regioni proprior est. A Pultouia Cechanouiam viginti quatuor millia passuum iter constat, inde ad Prasnysiam duodecim. Ea præfectura tam populosa est, vt septem millia equestrium familiarum perhibeatur

Prasnyż. Skwa. Zawkrze.

beatur continere, e quibus nulla tam egens est, quin vnum in publico tumultu armet. Romanorum familia, militari secunda sobole, ideoque et numero et viribus factionis pollens, notissima est, ii stirpem ab ipsa vrbe Roma Valeriaque familia, nobilissima gente repetunt, quum ad vetustae originis argumentum eorum in gentilitiis insignibus gestent. Reliqui, qui regionem colunt pugnaces etiam et a perdita audacia mortis contemptores habentur. Sed regio in magna frigidi coeli inclementia, qua ad Zaphcrenem et Plonscum vergit, lignorum inopia laborat, caeduae enim siluae nusquam adparent, vasta vndique planities patet. In causa est, quod terra praepingui solo, frugibus idonea ostendat arua, ob idque auaros agricolas ad culturam inuitat, postquam vberrimus frugum prouentus omni lignorum copiae praeferendus videatur. Circum villas et rura salicta propagantur, quod id genus arboris frondibus spoliatum ocyssime subinde fruticet. Nonnulli colligatis arctius straminum fasciculis furnos calefaciunt Hinc ad Vistulam contendenti, Sonchocinum occurrit, ignobile alioqui oppidum, inde Nouemiasto viginti millia passuum remota, in qua spectatur templum tumulo Boleslai principis, qui Conradi frater fuit, insigne. A Nouemaisto VIII. mil. pass. Nosellia abest. Oppidum praeter templum nil habet memorabile, cuius praepositus Abbati Ceruinensi dicto audiens est, inde recto itinere Serocia aditur, vltra quam Wera fluuius in Prussia prorumpens, peruagata Plocensi satrapia, receptisque Plona, Lidinia, et Sona, minoribus fluuiis, ad Ponmichouiam (id villae nomen est) Narvae violentus miscetur.

Romanowie.

Sechorin.

Nasielsko.

Setock.

[De Narua hoc proditur: serpentes in eo non nasci, et aliunde illatos viuere non posse, vel illico perire, Ioannes Dlugossus author est.]

Masouiorum amnium post Naruam et Bugum non postremus et Piliciae fere aequandus. Zacrocymum praecipiti in colle positum, Vistulae suis et alienis vndis amplissimo imminet, vlterior ripa depressior est, quum naturae quodam miraculo, colles ab ea parte fluminis alluuia longe praeruptarum rupium serie cohibentes ante Zakrocymum, relicta altera ripa, locum mutarint, et in citeriore ardui conspiciantur. Praeter templum et vnam priuatam domum, aedes lateritias nullas habet, frequens tamen est, et salis Polonici emporio nobile. Ceruinum eodem in colle situm iacet, a Zacrocymo octo mil. passuum, monasterium in eo est cucullatorum diui Augustini sectam profitentium. Structura ipsa lateritia et domicilio lauti antistitis non indigna. Abbas coenobii amplis immunitatibus gaudet, et magnis praesulibus par est. Visogrodia inde octo millia pass. distat, arce eleganti clara, collis oppido subiectus vineis passim et amoenissimis hortis excultus est. Praefectura Visogrodensis modicis inclusa finibus, verum fertilitatis eximiae, solum praepingue et hordei maxime ferax, oppida in ea, praeter ipsam Visogrodiam et Bodzanouum, nulla sunt. Arcem olim Orsymouia vicus habuit, sed quam ante trecentos annos Mendacus Lithuanorum Rex crudelitate et perfidia infamis, obsidione cinctam solo aequauit. Ad Bodzanouum paruus amnis decurrit, qui Masouiensem satrapiam a Plocensi disterminat. Plocensis satrapia Dobrino et Prussiae vicina est, ea ciuitas duobus pagis constat. Plocia scilicet ipsa, cui Raciazum, Plonscum, Bielscum, et Sepris adnumeratur, Zaphcre, in qua Srenscum, Mlaua et Medyboria censentur. Plonscum a Cechanouia XVI. millia pass. abest, ad Plonam amnem situm: Iudaeorum aliquot familias habet, nulla lateritia structura excepto templo insigne. Zaphcre magis in septentriones vergit, ea in regione primas tenet. Srenscum egregia arce nobile, quam patrum memoria Felix comes Srenski, palatinus Plocensis virtute et natalibus inclitus, pulcherrime exaedificauit, ita quidem, vt procerum nulla regia vel summu, vel operis elegantia nobilior tota Masouia visatur, habet et templum decorum sane, in quo sepulchrum magnifici operis spectatur, quod idem Felix comes insigni pietate construxit, auo suo vi-

Zakroczym.

Czerwiensk.

Wyszogrod.

Orsłymow.

Bodzanow.

Raciąz.

Zawkrze.

Płońsk.

Szreńsk.

 uacitatis

uacitatis eximiae, cum enim centum et quadraginta annos vixisse constat. Mlawa à Srensko mille passus distat, ad Mlauam amniculum condita. Mons in ea regione celebris Nesco, vlteriora loca Prussia occupat. Exinde Plocensis regio secundum Prussos & Dobrinios in occidentem ad Vistulam vsque procurrit, nusquam rectis tramitibus exporrecta, in meditullio Rhacizsum est Episcopi Plocensis oppidum, dispersa deinde opulentorum, procerum castella, Zelunum, Biezunium, Chamsya, & arx Carnisynum. Praeterea Dobrinum oppidum quod Crisciæ familiæ paret, protulitque patrum ætate Albertum Criscium elegantis hominem ingenii, & maximarum virtutum ornamentis illustrem [atque ætate nostra Fortunatum siue Felicem Criscium, Regni Poloniæ supremum Cancellarium, virum Tulliana sane facundia nitentem, qui procul dubio laudi atque gloriae natus esse censebatur]

Zielun. Biezun. Chamsk. Karnyszyn. Dobrzyń.

Id oppidum & ipsum est nobilissimis hortis peramœnum & in vicinia habet villam, cui Starorzębii nomen est. Alberti Starorzębii Præmisliensis Episcopi studio mirifice excultam, quæ structura ædificii, & insignium hortorum deliciis, felices Italiæ secessus æmulatur. Sepryc in ipsis Dobrini finibus populosissimum est oppidum, templum habet inter illas gentes religione celeberrimum, quod remoti populi, votis pro salute susceptis, aut grauibus morbis liberari, magna veneratione frequentant. Bilsczm a Sierpco, mille passus abest, ignobilis alioqui pagus.

Starorzęby. Sieprc.

Cæterum Plocia vetustate ipsa, situs amœnitate, religione insignis templi, ad hæc Episcopi sede, omnes Masouiæ vrbes superat. Arduo namque in colle posita est, cuius radices Vistula ingentem aquarum molem trahens lambit, pulcherrimamque efficit medio in amne insulam, mœnia antiqua vrbem cingunt, delubra Diuorum plura, cœnobia Monachorum tria sunt, quartum Virginum vestalium in suburbio. Arx ceteris vrbis operibus facile antestat, ea est Casimiri magni opus: qui, cum sublatis sine mascula prole principibus, Plocensem oram in prouinciæ formam redegisset, arcem paulo ante ligneam, cocto latere exstruxit, vt ingruentibus Prussis et Lithuanis, qui ligneam aliquoties flammis deleuerant, valida munitio obiiceretur, ipsique obiter Masouii in subito hostium superuentu tutissimum receptum haberent. Basilica in arce amplissima est, diuo Sigismundo Sequanorum regi (cuius calua argenteæ thecæ inclusa ibi spectatur) dicata, plumbeis laminis tegitur, et gemina turre conspicua formam Vaticani templi refert, templum donariis opulentum, sed maxime Verneri martyris Episcopi, geminaque regum Vladislai nempe Hermanni, & ipsius filii Cryuoustii sepultura celebre. Est & aliud templum portae adiectum, Monachisque sectae Benedictinorum attributum, quibus Abbas opulentus praeest. Sub arce forum est sacratis hominibus habitatum, in eo sunt Episcopi peramplae ædes, practerea ipsorum collegarum partim lateritiae domus, partim ligneae, eleganter tamen ad amussim dolatis tignis constructæ. Duo sunt præcipua in vrbe collegia, vnum sex & triginta, alterum duodecim sacerdotibus constat. Hoc apud diui Michaëlis, illud apud maximam Basilicam sacra procurat. Viri in ea pietatis, virtutis & doctrinæ commendatione, partim principis, partim Episcopi iudicio leguntur, nec tamen temere plebeii in eum ordinem irrepunt: nisi, si qui optimarum artium, inprimis diuinæ Theologiae, Philosophiaeque studiis exculti, nobilitatem ab eximia virtute, ipsis stemmatibus aliquando potiorem, ad promerendos honores attulissent. [Peculiari ornamento etiam est huius ciuitatis, cum Societatis IESU collegium, tum gymnasium celebre, quod aetate nostra Stanislaus Lubinius, loci istius Episcopus, vir sapientissimus & optimus princeps (quem feliciter viuentem summa intuemur cum laetitia) magnifice restaurauit, luculentis prouentibus auxit, professoribusque non literarum modo, verum pietatis etiam atque virtutis instruxit, Quod maximum, artem musices, quae iam

Plock.

tot

tot sæculis neglecta penitusque obsoleta erat, instituit, quin etiam ne post hac ars tam vtilis & necessaria (siquidem musica sida parens inopum, & apud veteres tanti olim fuit, vt iidem musici & vates & sapientes haberentur) interiret apud nostrates, pacto hoc effecit. Equidem vt alia plurima, & præclara antistitis istius opera, ita & hoc eius hac in parte studium, & insignis liberalitas in magnis & laudandis rebus ab omnibus numeratur, & reponi censetur, vtpote quæ & boni publici finem habeant, & a DEO O.M. certa & vberrima merces iis constituta sit.

Episcopus nullum in vrbe profani iuris imperium, exceptis sacerdotibus, habet: sed in suburbanis nobiles villas, & remotius in Masouiensi satrapia Dobrinoque, peramplas præfecturas & latifundia possidet. Vrbs ipsa ciuili populo abundat, qui partim agros & hortos pomiferarum arborum colit, partim mercaturæ studet, ad quam nauiter exercendam, loci opportunitas, ipseque in primis Vistula onerariarum nauium capacissima, incolas inuitat. Id vnum ad summam vrbis commoditatem deest, quod difficili aquatione vtitur, quod necesse sit vrbanam plebem leuandæ siti aliisque vsibus, in ipso flumine haustam vrceolis aquam in aduersum collem portare. Aquæductus enim nusquam tota vrbe reperiuntur, & putei quantumuis alte fossi, arduo in loco arefactis fontium venis, maligne aquas ministrant. Cæterum illic aliisque in locis nobilis in amne Vistula est piscatio. Salmonum & silurorum copiosior. Siluri mense Martio, amnis ostia gregatim intrant, & subter glaciem aduerso flumine ad Sani vsque amnis ingressum (qui supra Sandomiriam est) deferuntur. Tum vero qui amnem accolunt, defixis toto alueu sublicis, relictoque opportuno ostio, temere inuectos & frustra demum ingentium caudarum flexibus egredi nitentes, lineis excipulis prehendunt, tanta plerumque copia, vt in frusta sectis, mercis nomine, proximarum vrbium piscaria, fora repleantur. Post salmonem, qui principatum Sarmaticorum piscium vno ganeonum consensu obtinet, & tructam, atque ipsum silurum, proximæ dignationis est piscis argentearum squamarum serie pellucidus, & ab egregia pulparum pinguedine commendatus quem in aliarum regionum fluminibus non facile inueniri dicunt. Plocensis regio armis atque viris opulenta, omniaque etiam quæ ad victum sunt necessaria affatim habet. Palatinus genti cum imperio præest, ei tres parent inferiores præfecti, qui Castellani vocantur, Plocensis, Raciązensis, & Sieprcensis. Fora iudiciaria duo: Plocense & Zauscrense. Magnitudo satrapiæ plus quam dimidio Masouiensi minor. At vltra Vistulam Rauensis satrapia patet. Hæc ab occidente Cuiauiam, a meridie maiorem Poloniam, ab oriente Sandomiriensem & Masouiensem habet, a septentrione ipsa Plocensi clauditur. Ciuitatis Rauæ [quæ collegio Societatis IESU cœnobioque diui Augustini regulæ, atque arce, quam amnis nominis quoque eiusdem alluit, præcipue ornatur] tres numerantur pagi, quorum singulari peculiaris præfectus præest, Rava, Sochaceuia, et Gostininum, totidem in iis Castellani, totidem sunt prætores. Intercapedo loci, quæ Gostininum inter et Plociam est, XXIV. millia passuum constat, paulo propior huic est Gabinum, sed Gostininum, excepta arce et templo, quod quidem curiosus hospes aspiciat, nihil habet. In circuitu sunt, Scytno et Glouinum, pauloque remotior Carnosa, singulæ regulorum suorum imperio parentes. Mediam satrapiam Bzura amnis secat Rava fluuio auctus; oritur autem in Lenicicensi Polonia, et ad orientem cursum flectit, inde sinuato a'ueo in aquilonem decurrit, et eregione Wysegradiæ apud Camionum vicum Vistulæ miscetur. A Gostinino Louicium duodecem millia passuum iter constat. Tantundem interualli est Louicium inter et Sochaceuiam. Hæc regulis quondam Masouiæ frequentata, illa Archiepiscopi regia est. Donauit eam vrbem cum peramplo terrarum tractu Archiepiscopo Gnesnensi Conradus Priscus, vt pro commisso in Czaplam sacerdotem parricidio

Rawa.

Scytno. Glowin. Kiernozie.

Lowicz.

cidio, hac liberali munificentia satisfaceret. Louicium non solum eius tractus, sed aliarum etiam lignearum Poloniæ vrbium maxima est, ad Bzuram amnem sita, qui restagnans et late diffusis per arundinera vorticibus piger, arcem ambit præclaro artificio structam. Condidit eam Scotnicyus Bogoria, excoluere mox insequentes antistites, in iis Nicolaus Dzierzgouius fuit, qui pulcherrimas ædes ingens cœnaculum construxit, in quo a Lecho primo Sarmatiæ Rege, ad Sigismundum posteriorem, omnes reges et principes depicti, adiectis breuibus elogiis spectantur. Impositum cœnaculo facellum turritum, e quo longe lateque in subiacentem regionem prospectus patet. In arcis medio fons est ligneis canalibus perennes aquas ministrans, ad dextram ingressis præclarum palatium videtur, studio atque sumptu Iacobi Vchanii Archiepiscopi inchoatum, nec dum perfectum. Domus oppidanorum ex leui materia sunt, eleganter tamen structæ, et abiegnis scandulis passim intectæ. Aliquot fora sunt et vici ingentes, in maiore circo templum celebre, et erudiendis pueris gymnasium. Est et collegium Canonicorum, delubra aliquot, cœnobia duo, vnum Dominicani, alterum Bernardini sodalitii. Lautus eius vrbis populus et in aduenas hospitalis: mercaturam strenue exercent oppidani, eoque in nundinas statis anni temporibus remotarum gentium ingens fit concursus. In agro Louiciensi nobilium auicularum (quæ *sniegulae* vocantur) famosa est captura, eas alibi conspici aut capi negant; [quasi niuales aues dixeris, vt Cromerus author est, quod non nisi sub hyemem conspiciantur, et cum hyeme simul dispareant.]

Exinde secundum Lanciciensis agri fines progredienti, occurrit Iezouia exiguum castellum, quod Lubinensi (in maiori Polonia) Abbati subiectum est. Interrius paulo recedit Louicioque propior est Skiernouicia, et ipsum Archiepiscopi cum luculentis possessionibus oppidum. (Skierniewice.) Procurrit ea parte Rauensis satrapia ad Pylciam amnem, Langonice in extremis regionis finibus orientem spectat. Nouomestia porro altera, cuius mentionem alias fecimus, multo est clarior, peculiarique regulorum imperio gaudet, qui Nouomestii ab oppido appellantur. Meditullium regionis Raua ipsa caput gentis tenet, antiquorum principum regia, distat hæc a Louicia quidem XXIV. millia passuum, XII a Nouomæstia, ab amne modico vrbi nomen, qui mediam perlabitur. Murus circum circa nullus, arx tantum imminet veteris artificii aspectu horrida. Biala (quasi albam dicas) Chelmensis Roxolani antistitis iura agnoscit, non tam amplitudine, aut elegantia, quæ nulla est, quam finitimorum latrociniis apud remotiores Masouios celebrata. Nobiles ii sunt extremæ sortis, sed qui temeritate & audacia ad omne facinus obeundum promti: ditioribus terrori sunt, & barbara licentia cædibus atque incendiis inter se debachantur. Nec longe inde absunt Pomrozanie, a Mroga torrente nomen sortiti; quorum mores infames & desperata audacia, carminibus vulgi notantur. Apd eos populos, patrum memoria, homicidia ita vulgabantur, vt indecorum omnino putaretur viro nobili & cuique honoratissimo, aliquem saltem suis manibus non peremisse: sed iam & vicinorum commerciis et disciplina legum mansuefiunt fera ingenia. Ad occidentem Rauæ Bolemouia est, (Bolemow.) ad quam amniculus Raua lacum efficit satis grandem, quem magni cygnorum greges innatant, ex eo porro lacu erumpens Bzura auget amnem. Hic iam oritur famosa illa Hectorea silua, (Iaktorowka.) vrorum prouentu in orbe nostro clara, pars et ea veteris Herciniæ fuit, per hanc a Bolemouia ad Vyshiticos, (Wiskitki.) hinc per Calentinates et Drogunios saltus quos vitreus pererrat amnis, ad Msconouum penetratur. (Msczonow.) [Paulo supra Msconouum, Radzieiouice (Radzieiowice.) occurrit pagus, arcis vetustate elegantiaque, magis virtute et nominis Radzieiouiorum claritate insignis.] Abest Msconouum a Bolemouia XXIV. millia passuum. Inhumani et inhospitales, contra quam cæteris Masouiis mos est, eius sunt pagi incolae, ita vt illac transeuntes vel in fœda pluuii cœli inclementia, omnibus

bus diuerſoriis excluſi, aut ſiluam petere, aut ſub dio pernoctare, cogantur, quod et mihi aliquando illuc iter facienti accidit. Occurrit hinc Grodziſcum, oppidum illud quidem non ita magnum, ſed quod inſigne erat Thoma Okunio eius loci quondam domino, qui non magis elegantium literarum gloria, quam vitæ integritate et innocentia claruit. At in ipſo Cyrnenſis agri limite, Mogilnica (cui nomen a præterfluente amniculo inditum) ſita videtur, textrinis et rudium pannorum opificiis clara. Atque iis fere finibus hodierna Maſouia continetur.

Grodziſk.

Mogilnica.

Porro in vniuerſum Maſouii iiſdem cum Polonis moribus pariter ac lingua vtuntur. Nobilibus mos eſt, multa advenas comitate excipere, vti quisque eſt locuples, ita familiæ cultu, ſeruitorum numero, et conuictus lauticia, præterea omnis generis aucupiis, dignitatem generis tuetur, et vix nobilium numero æſtimantur, qui vel militaribus equis vel generoſis ad venandum canibus carent, qui rei familiari impenſius ſtudent, pro ſordidioribus habentur. Conuiuia frequenter ineunt, et omnis generis hilaritate certant, opipare admodum in magna omnium rerum copia epulantur. Variis obſoniis menſa ſternitur, nec deſunt transmarina gulæ irritamenta. Largius iis perpotare mos eſt, poſtquam pro parum ciuili habeatur, qui non cum plauſu propinanti reſpondeat. Cereuiſia vulgo in vſu eſt, huius liquoris difficile dictu eſt, quantum plebeiis conuiuiis abſumatur. Sæpe hilaritatem bello finiunt, et leui de cauſa per temulentiam ſæuiſſime præliantur. Pacatiores inter feſta hilaritatis pocula ad concentum monochordum choreas ducunt. Et eſt mirificum inſtrumenti muſici genus, pellis nempe villoſa prægrandi hirco detracta quam vtriculario inflante ingentique tibia grauem reboatum edente, ad ſimplices modulos rusticiores ſaltant, et quantam libet muſici concentus ſuauitatem, inſulſo iudicio præ hoc genere contemnunt. Obuii inter ſe cum multo verborum honore ſalutant, et licet tenues, cultum ſibi magnificum exhibent. Nec difficilius, vti omnis contemptus impatientes, in contumelias prorumpunt. Ad virtutis vero et decoris mentionem, periculoſa quæque aggrediuntur, in vniuerſum enim virtute et, fortibus factis cenſeri volunt, neque vel ignauiſſimus virtute ſe præditum negat. (Mendacium per contumeliam obiectum pugno aut gladio non vindicaſſe infamia eſt, itaque vel impudentiſſime mentientem toleres oportet, ni cum ipſo digladiari malis) Ad publicas celebritates et ad fora rerum venalium armati conueniunt, et leui occaſione bellum cient. Frequentiſſimus genti ſclopetorum vſus. Binos alius et quaternos geſtat, ſic vbi iurgium et rixa cœpit, ſclopetis rem maxime gerunt, vnde plurimorum cædes oriuntur. In bellis idem armorum vſus et diſciplina, vti et Polonis eſt. Cultus Turcico non abſimilis, niſi quod pro conuolutis capitum integumentis, paruis pileolis Hungarico more vtuntur. Occiput et genas atque adeo barbam, qui militiæ ſtudent, e veteri Macedonum inſtituto radunt, alii barbam ad mentum ſubtondent, ſuperiore labro, ad terrorem grandibus fetis rigente. Calceus lunatus Turcicus in vſu eſt, quem ferrea altiore ſolea fulciunt, vt et proceriores appareant, et firmiore veſtigio in lubrico nitantur. MASOVIA in tot ſæculis tres tantum inſigniores bello duces numerat: CHRISTINUM ſcilicet LILIGERUM, multis victoriis pariter ac funeſto vitæ exitu clarum, et IOANNEM SWIEACZOVIUM Sigiſmundi prioris auſpiciis, vna cum collega CONSTANTINO RUTHENO, memorabilem de Moſchis victoriam ad Boryſthenem adeptum. Tertium ætate noſtra STANISLAUM LESNOVOLIUM, qui parua manu maximis Moſchorum copiis ad Nouelam admirabili virtute ſuperatis, Leonidæ Spartani veterum Græcorum hiſtoriis celebrati, gloriam virtute æquauit; hoc ipſo multo felicior, quod incolumi exercitu, victoriæ ſuperſtes fuit; atque periti ducis gloriam reportauit.

Cæterum præterquam quod Maſouiæ nobilitas ſuopte ingenio ferox, libenter militiæ nomina dat, nunquam vel ducendis peditum ordinibus fortiſſimi

centuriones, vel ad obeunda minorum ducum munera, acerrimi alarum præfecti, Polono Regi ex hac gente defuere. Pugnax etenim et mortis contemptor populus, bellicam laudem reliquis artibus anteponit, sed manet tamen et optimis disciplinis suus honor. Latina enim lingua impense delectantur, neque fere est quisquam nobiliorum, qui eam non calleat, ita vt iam quoque vsus eius ad agrestes promanet. Iuuentus ingenio vtique docili, captuque rationis nequaquam barbaro, vbi curam intenderit, valet: itaque eruditorum maxima turba est. Plerique apud exteros libenter peregrinantur, quo aut liberalibus disciplinis exculti, aut aliqua non inhonesta cognitione aucti in patriam redeant. Hi ab reliquis suspiciuntur, ipsisque ante alios ad opulenta sacerdotia aditus patet. Nostra fere ætate, qua Latinæ literæ ab interitu vindicantur, in Masouiam quoque nobiliorum artium cultus penetrauit, multa cum laude ipsorum, qui in hac palæstra desudarunt. Quod enim vnquam tempus delebit memoriam *Stanislai Grepsii*? quem nos in Academia Cracouiensi linguam Græcam olim profitentem audiuimus. Extat eius, præter Nazianzeni carmina aliquot Latinitate donata, de Syclo in pernobili argumento libellus, sed multa graniora perfecturus credebatur, nisi eum in medio studiorum cursu, atra bile diuexatum importuna mors sustulisset. Viuunt adhuc, et insigni nominis fama fruuntur, *Iacobus Gorscius*, qui Dialecticæ artis præcepta, resecatis barbarorum Sophistarum ineptiis, egregie locupletauit, elaboratoque de periodis subtili libello, artis oratoriæ abdita, recteque et distincte loquendi viam, nostris hominibus primus aperuit. Et *Laurentius Goslicius* solerti ingenio et multis legationibus clarus, cuius de optimo senatore elegantem librum Italicis typis excusum videmus. Itemque *Varsouicii* fratres, Stanislaus et Christophorus, non magis perantiquæ nobilitatis stemmate, quam ipsa eruditionis Latinæque facundiæ laude, incliti, quorum ille versa antea in Latinam linguam Aeliani historia, desumtoque Romæ sodalium IESU habitu, idem sanctissimi viri, atque omnium doctissimi nomen tuetur: hic vero multis editis orationibus præclarum eloquentiæ suæ specimen dedit. Non iniquo etiam iure Stanislaum *Socolovium* Masouiis adnumerarim, qui quidem omnibus Platonis et Ciceronis delibatis myrotheciis, ipsisque Aristotelis præceptis valide instructus, doctissimi Philosophi et Latinissimi oratoris nomen ex Italia reportauit: huius censuram Ecclesiæ orientalis, librum de notis veræ ecclesiæ, et conciones permultas habemus. Nec obscura est fama *Stanislai Ilovii*, qui peruagatis Galliæ Italiæque multis Academiis, ad præclarum eruditionis culmen peruenerit, et Dionisii Halicarnassei aliquot lucubratiunculas, Basiliique item magni de moribus orationes Latinas fecerit. Atque horum quidem ad æstimandum ingeniorum indolem mentionem obiter fecisse sufficiet. Leges porro Masouiis et Polonis iam quidem tum, cum hæc scriberemus, paucis admodum exceptis, communes, olim vtrique populo peculiares fuere. Omnia acta decretaque Latinis literis in publicas tabulas referuntur. Sed in iudiciis potissimum causidici regnant. Hoc pestilentissimum genus hominum, lites ex litibus serendo Rempublicam mirum in modum adfligit, vt de vita fortunisque ciuium fœdissime licentur, vsque eo profecti impudentiæ, vt quas prius partes tutati sint, eas conuersis studiis, et maiore redemti pretio, oppugnare non erubescant. Saepe difficultatem actionis in immensum exaggerant, quo ampliore pretio operam venditent, et quum eruditione omni et virtute prorsus careant, pro Deorum oraculis responsa sua haberi volunt, sed raro admodum iis pacatus vitae exitus inuenitur, quum occisi improbae dicacitatis perfidiaeque, ac temere susceptarum inimicitiarum plerumque pœnas dent.

Litterati Masouii.

Plebeii vrbes pagosque colunt, mercaturae operam dant, et sedentariis artibus exercentur. Agrestes porro atque adscriptitii ea conditione sunt, vt

nobilitati

nobilitati in capita, fortunas, liberos ipsorum omnia liceant, eos plerique inhumanius tractant, et cum pœnis leuia delicta acerbe mulctant, tum operas insolentissime exigunt. Feminae nobiles eruditis munditiis et morum exquisita elegantia certant, apud eas pudicitiae maxima laus est, sed tamen iis familiariter iocari, et notos alloqui, choreasque ducere, nequaquam probro datur, quum mariti ipsarum simplicitate quadam, omnia in meliorem partem vertant, neque maligni quidquam de vxorum pudicitia suspicentur. Omnium Masoviorum peculiaris ea laus est, quod in religione ante sexcentos annos suscepta constantissime manent, et cum diuersas orbis partes libenter peragrent, nullam peregrinitatem religionum in patriam inuehant. Catholicae disciplinae placita exacte seruant, magno scilicet suo bono. Quid enim Christianae gentis professione dignius? quam sincerum, et incorruptum, Dei maximi cultum Sacrosanctaeque religionis integrum decus conseruasse. Scilicet vt propitii superi, haec quibus fluxa mortalium indiget vita, benigne largiantur, vt pace opima frui domi, concordiam tueri, foris hostium arma non timere detur, quid optatius? quam si haec qualiacumque, necessaria tamen, perpetuis deinde verae felicitatis bonis cumulentur. (134.)

(134.) Cum iam plagulæ quædam huius *Andreæ Swiencicii* Masouiæ topographiæ typis fuissent exscriptæ, exemplar illud rarissimum, Varsaviæ impressum, ex gratia illustrissimi supremi regni Mareschalci, *Francisci Bielinscii*, viri non patriæ solum, suisque, sed omnibus bonis etiam, Musisque bene cupientis, obtinui. Quæ igitur emendanda inueni, omnia ea nunc enarrabo, adiecta prius integra libelli huius inscriptione sequenti: TOPOGRAPHIA, *siue* MASOVIÆ DESCRIPTIO, auctore ANDREA SWIENCICKI, *Notario territorii Nurensis Cum licentia superiorum. Varsaviæ, apud viduam Ioannis Rossowski*, *S. R M. typographi. Anno Domini* 1634. *in* 4. plag. 7.

In dedicatione ad episcopum Plocensem, *Stanislaum Lubienscium*, virum magnum suo tempore, doctissimumque, linea 26 impressum exemplar *princeps*, manuscriptum *episcopus* habet, & in eadem præfat. lin. 9. *Ecquanam tamen*, melius dictum, quam *siquæ tamen*, secundum manuscriptum, quod certe non ex autographo, sed ex exemplari impresso descripsit homo quidam illiteratus, qui non semper intellexit ea quæ scripsit, vti variis ex locis male descriptis apparet, verbi gratia, negligens ille scriba circa finem dedicationis exarauit: procellas quasuis liuoris ab eo *propastulaturus*, loco *propulsaturus*. Sed cum eiusmodi minutiis lectores meos amplius non morabor, qui non possum non hic malam illam in Polonia vsitatam consuetudinem vituperare, quod proceres aliique, libros scriptos manu, magni sæpius pretii, illiter[at]issimis maxime scribis suisque seruis describendos tradant, quos doctissimi tantum viri exscribere debuissent, si posteritati recte consulere vellemus. Hoc in causa est, quod tam multi libri manu male scripti in Polonia inueniantur.

Auctoris filius *Sigismundus* incuriæ forte posset accusari, quia in dedicatione episcopum illustrissimum reverendissimumque recte dicens in fine illius adiecit: *tuæ illustrissimæ Celsitudinis*; Sciendum vero est, episcopos Plocenses a nobilibus subditisque suis principes appellari, quamuis hoc titulo, neque in republica vtantur, neque is ab æqualibus eis tribuatur.

Ne quid omittam, quod in gloriam inclitæ *Lubiniorum* familiæ venit, de patria semper optime meritæ, & ex qua hodiernus regni Primas & Archiepiscopus Gnesnensis, *Vladislaus Lubienski*, Mæcenas litteratissimus, & multis ab annis fautor noster singularis, oriundus, adiiciam in stemma inclitæ *Lubiniarum* familiæ Sigism. Swiencicii epigramma:

> Præcisa quid sint ceroice insignia tauri
> Quid faciat, medio vertice mucro ferox?
> Colla laboriferi gladio traiecta iuvenci
> *Lubiniæ* signant Martia gesta domus.
> Et nunc Præsule opus est in stemmate robur
> Hæreseon atrox cum ferit ense caput.

Pag. 497. lin. 9. *Non ea vis animi, illius*, sic interpunge: Non ea vis animi. Illius, vel minima quæque, sont mihi &c. in fine præfationis auctoris autoris filii, verbum *reputo* in exemplari impresso omissum fuit.

Topographiam quod attinet, varia in ea sunt corrigenda: nempe tempestate *Meconis* lege *Masconis*. Micislaos enim apud Polonos *Mesco* etiam appellatur, deinde in eadem pagina manu scriptum exemplar seduxit correctorem, vt Obelo verba hæc *apertos latæ Hungariæ*, haud notarit, substituendum enim est: *opera late Hercynia*. Masovii enim, excisis siluis agros magis colere cœperunt. Post verba: *Sunt qui existimant, eam gentem*, sequentia: *priscis forte Massagetas, vel sentit Sarnicius, lib 2. annal. p 14.* librarius inseruit. In exemplari enim impresso scriptum tantum est: eam gentem Hamaxobios (non Hamatobios) fuisse p. 480. lin. 12. lege *pugna* loco *strage*.

Ibid. lin. 20 *Prasti Regis parentisque iam Poloniarum*, ab indocto scriba verba corrupta sunt, & secundum exemplar impressum legendum: *Piasti, perantiqui Polonorum regii genus.*

Ibid. lin. 33 legit exemplar impressum *Ioannis Andreæ*, loco *Andreæ*. Pag. 481 lin. 4. post verba: *fuit vnus Ladislaus*, secundum exemplar impressum adiiciendum: *cognomento Lokt kus*.

Ibid. lin. 15. lege *Cymbarebam nomine*, pro *Cimbaream nomine*, & lin. 23. *atque alterum*, pro atque iterum alterum.

Circa finem huius paginæ locus in manu scripto corruptus, ex exemplari impresso ita restituendus: *iam enim Masovii acerbitatis principum suarum dominantis pertæsi, occasionem circumspiciebant, qua seruitutem excuterent. vt. tunc opportune accidit, cum Conradus Radz minimum fortem virum, & tum inter Masovios opibus & bellica gloria nemini secundum, exutum omni fortuna proscripsisses. Radziminus enim insolentia iniuria perturbatus* &c. Sensus quidem idem est, vti typis hic supra fuit exscriptum, sed accurationis causa, interpunctionem auctoris apponere non dubitauimus.

Ibid. p. 481. lin penult. *equitibus profectum* lege *equitibus præfectum*.

Pag 482. l. 33 *in arce Masovii*, lege *in arce Mikovia*. Ibid. lin penult. *iusta acie ad Pil am profligasses*, exemplar impressum habet *iusta acie ad Pylyam profligasset*.

Pag. 483. lin 4. *nisi submissus & repandus nasus*, lege *nisi subsimus & repandus nasus*.

Ibid. lin. 9. *cognomento Nadersbanus* secundum exemplar impressum, *cognomento Naderspanus*.

Ibid lin 21. loco *iuuenes robore firmissimos*, exemplar impressum habet *iuuenta robore firmissimos*.

Ibid. lin. 27. locn se iis *Iaedononius agues*, in exemplari impresso *Iardanovius* legitur.

Pag 484 lin.3. *vt cunctis se vulen & alloquio exhiberes*, lege secundum exemplar impressum *vt cunctis se vultu & alloquio comem retento tamen ongustæ maiestatis decoro exhiberet.*

Ibid. lin. 19. ad verba: *Plocensis, Cyrnensis qui & Masoviæ, & Rauensis, idem in Senatu regio loci & dicendæ sententiæ ordo*, hæc annotanda sunt: Palatinus Cyrnensis nunquam dicitur, id qoud obsoletum, sed nunc semper Masoviæ palatinus. In senatu regio Plocensem & Masuviæ palatinos sequitur quidem Rauensis, hac tamen ratione & ordine, vt inter Plocensem & Masoviæ palatinos, Virepscensis, & inter Masoviæ & Rauensem palatinos, Podlachiæ palatini interpositi sint.

Ibid. lin. 45. Quæ de vris dicuntur, incipiendo a verbis: *hoc animal priscis temporibus Germaniæ siluis familiore*, vsque ad verba: *Nunc vri angustis inclusi silua mitescunt necessario*, ab auctoris filio adiecta sunt, in exemplari impresso characteribus Italicis, scriptas manu literas imitantibus, exscripta, id qood *Sigismundus Swięcicki* in principio statim præfatiuns his verbis innuit: *quæ hoc in opere tenuioribus notis, siue litteris occurrerins, lector optime, a me adiecta sunt.* Cum vero exemplar impressum in manibus nondum habuissem, nostra in editione ea, quæ a filio adiecta fuerint, iisdem characteribus distinguere non potui, ideo nunc demum id hic annoto. Plagola vero. G g g g g g iam secondum exemplar impressum typis iterum fuit subiecta, ideo, quæ a filio auctoris adscripta fuerunt p. 485 iam vncis signis [ ]. includi curaui, ita vt in sequentibus nunc facile sit, filii adiecta a patris verbis distinguere.

P. 489. lin. 6. in exemplari impresso dictum est: *in iis templum Divo - - - dicatum*, in scripto manu: *templum divo STANISLAO KOSTCÆ dicatum*, quam lectionem, vti veram, retinoi.

P. 405. *Stanislai Grepsii.* Operæ pretium videtur, de claro hoc inter literatos in Polonia viro, ceterisque sequentibus, & vitæ compendia & scripta eorum hic adiicere. *Stanislaus Grepsius* Nicolai de Bodzecin auditor, multiplici laude nomen suum immortale reddidit. Artium liberalium magister vna cum Alberto Vendrogovio creatus, a patribus Academiæ Cracoviensis in publicam stipem & domum professorum maiorem vocatus fuit anno 1565. Ætatis sexto & quadragesimo mortuus, anno salotis MDLXXII, conditusque in æde S. Annæ ad parietem dextrum, addita inscriptione:

Viro Nobili Stanislao Grepsio, in vniversitate Crac. Publico Professori, Latine, Græce, ac Hebraice peritiss. Vita & Moribus philosopho, Stanislaus Socolovius, Amico & Collegæ suo posuit. Ao. Domini MDLXXII.

Scripta eius sunt: (I.) *Duo poemata Gregorii Nazianzeni Theologi; alterum de virtute hominis; alterum de vitæ itineribus, & vanitate rerum huius seculi. Scholiis explicata per M Stanislaum Grepsium, Academiæ Cracoviensis Professorem. Cracoviæ: Lazarus Andreæ excudebat.* 1565. in 8. quatuor cum dimid. Plag. In dedicatione ad Cardinalem *Hosium* appellat, eruditæ suæ diligentiæ primitias, neque ex hoc libello, profunda eius in Græcis eruditio, quam postea sibi acquisiuit, colligi potest. vid. Rever. Dn. Can. Jahozki *Nachrichten von der Zalusk.* Bibl. part. IV. p. 412.

II.) *Stanislai Grepsii de multiplici Siclo & Talento Hebraico. Item de mensuris Hebraicis, tam aridorum, quam liquidorum. His præmissa est Epitome, de ponderibus & mensuris, quæ apud profanos leguntur auctores, ex Budeo potissimum desumpta. Iuuenies hic multa hactenus nostri seculi hominibus incognita. Antverpiæ, ex officina Christophori Plantini. M.D.LXVIII.* in 8. Plagulæ decem. *Ioannes Cochanovius* sic laudat Grepsium.

Græcum te, an dicam, Grepsi facunde, Latinum
Ambigo. sermo ita erat notos vterque tibi.
At tu Sarmata eras, sed cuius ob os sua Graii
Ora obuertebant, Ausoniique sua.

Iacobus Gorscius decimo septimo anno ætatis suæ, primam in Academia Cracov. lauream accepit, & sumpta Magisterii dignitate anno 1551. ad publicam Iurisprudentiæ professionem, summa cum laude accessit, & Doctoris insignibus, Archipresbiterialique infula, tempore labente decoratus est. Quanti porro docendi prouinciam semper fecerit, ex eo certe apparet, quod lautioribus affluens fortunis, cum quietus iam viuere posset, cathedræ officio & publico docendi iuuentutem monere, se non abdicauit, ne ab honesto otio auocatus deesset per ætatem suam florescenti iuuentuti, quam semel informandam suscepisset, teste *Starovolscio* in elogiis. Defuncto Iacobo curatores testamenti monumentum in Basilica Cracov. posuerunt tali cum subscriptione:

R. Do. IACOBO GORSKI. I. V. D. Archidiacono Gnesnensi Canonico & Archipresbytero Crac. vniversitatis Professori, Procancellarioque celeberrimo, ac eiusdem octies Rectori diligentiss. discipulorum copia clariss. Scriptorique disertissimo, testamenti curatores & amici precati requiem æternam hoc monumentum posuerunt defuncto Anno M. D. LXXXV. XVII, Iunii.

Scripta eius sunt: I.) *De periodis atque numeris oratoriis libri II. Iacobi Gorscii. Cracoviæ, ex officina Mathei Siebeneycher Anno Domini* 1575. *Edit. Secunda in 8. plag.* 23.

Elegantissimus hic libellus illustri ac Magnifico Domino, vt tunc temporis scribendi mos erat, *Ioanni Chotkiewicz*, Comiti in Sklow & Myscli &c. Castellano Vilnensi, Archimarsalco Lituaniæ, capitaneo generali Samogitiæ, Livoniæque administratori & exercituum Duci, dicatus fuit, a Ioanne Wielogorsciu, iussu auctoris: Post dedicationem sequitur Iacobi Gorscii ad *Petrum* Miscovium præfatio.

II.) *Iacobi Gorski de generibus dicendi liber adolescenti dicendi studioso opus vtile & necessarium. Cracoviæ apud Matthæum Siebeneycher Anno M. D. LIX. in 8. plag.* 14.

III.) *Iacobi Gorscii de figuris grammaticis, tum rhetoricis, libri quinque, nunc recens editi. Cracoviæ in officina typographica Matthæi Siebeneycher Anno M. D. LX.* in 8. Alphab 1 plag. 4. Liber hic Abbati Thicinensis Cœnobii S. Benedicti, *Ioanni Lowczkowskio*, dicatus est, ad quem Gorscius, cum lues pestifera Cracoviam affligeret, secessit, hosque libros quinque in secesso illo composuit.

IV.) *IACOBI GORSCII Prælectionum Plocensium liber primus, siue de baptismo recens natorum.* Si quid dictum imprudenter & præter sanctæ Ecclesiæ Romanæ consuetudinem sit, pro non dicto habeatur. *Coloniæ apud Maternum Cholinum M. D. LXXII cum gratia & privileg. Cæs. Maiest.* in 8. plag. 13. Vt primum Gorscius Plociam se recepit, & in collegio amplissimo Canonicorum versari cœpit, nihil eorum, quæ officii sui esse videbantur, prætermissum a se esse voluit. Et quoniam præter munus concionandi & Ecclesiastæ officium, cui obeundo eum Episcopus Plocensis, *Petrus Miscovius*, ad quem præfatio huius libri scripta est, præfecerit, publice etiam docendi, ac explanandarum lectionum, statis temporibus, constitutionibus huius ecclesiæ. ei imponeretur officium, libenter hunc suscepit laborem. Inde hæ prælectiones trahunt originem. (b) *IACOBI GORSCII Prælectionum Plocensium liber secundus, sive de Mediatore. Coloniæ apud Maternum Cholinum. M. D. LXXX. cum gratia & privilegio Cæs. Maiest.* in 8. plag. 15. Præfatio ad serenissi-

Sereniſſimum Regem ſcripta eſt. (c) *Iacobi Gorſcii Prælectionum Plocenſium liber tertius, ſiue de Paſtore, cui in calce oratio Stanislai Socolouii de veſtitu Hereticorum & fructu hæreſeon adiecta eſt: una cum documentis, Parochis & omnibus in munere eccleſiaſtica verſantibus, neceſſariis. Cracoviae. cura & impenſis Reuerendiſſ. Do. Sto. Carncovii, Cuiavienſis Epiſcopi. In officina Lazari excuſus. M. D LXXX.* in 8 Alphab. I. Præfatio dedicatoria ad Stanislaum Carncovium, Cracoviæ, e collegio iurisconſultorum anno, 1579. calendis Septembris ſcripta. (d) *Iacobi Gorſcii Praelectionum Plocenſium liber quartus, de vſu legitimo Sacroſancti Eucharistiae Sacramenti ſub altero ſpecie, ſiue reprehenſio erroris eorum, qui eccleſiam Romanam eo nomine accuſant, quod communionem ſub ſpecie panis tantum populo dari antiquitus ſolitam, approbauerit & retineat. Coloniae apud Maternum Cholinum. M. D LXXXII. cum gratia & privilegio Caeſ. Maieſt.* in 8. plag. 18. Præfatio dedicatoria ad Sereniſſimam Reginam Poloniæ *Annam* Iagelloniam. V.) *Apologia D. Iacobi Gorſcii, pro Academia Cracovienſi, publice in renunciandis nouis Magiſtris dicta: Anno Dn. M. D. LXXXI. d. II menſis Martii. Vna cum paraeneſi ad profeſſores eiusdem Academiae Cracovienſis. Cracoviae in officina Lazari. A D. M. D. LXXXI.* in 8. Egregie hæ orationes Academiæ Cracov. illis temporibus ſtatum explicant. VI) *Iacobi Gorſcii diſputationis de Periodis contra ſe a Benedicto Herbeſto (ſi Diis placet) Neapolitano, editae, refutatio. Anno Domini 1562.* in 8. plag. 23. Epiſtola dedicatoria ad *Philippum Padnevium*, Epiſcopum Cracovienſ. ſcripta, quem doctiſſimum Præſulem Gorſcius iudicem ſibi in cauſa, quam cum Herbeſto de periodis habuit, elegit, paruo poematio per Ioannem Cochanovium ſcripto Gorſcii cauſam probauit, eique victoriam, quam de aduerſario obtinuiſſet, gratulatus eſt. Quod hanc Gorſcii cum Herbeſto de Periodis diſputationem attinet, vide egregie docti *Franciſci Richardi Gœtzii*, quondam bibliothecæ Varſ. ſubbibliothecarii otium Varſavienſe pag. 1.—21.

VII.) *Diſſertatio Laurentii Stradienſis philoſophi, ſuper diſputatione periodica Gorſcii & Herbeſti, in diatriba Antiſophiſtarum Cracovienſium. Cracoviae. M D LXIII.* in 8 plag. 5. Epiſtolam dedicatoriam Gorſcius ad generoſum iuuenem *Nicolaum Iotienum*, Capitaneum Luboſauenſem exarauit. VIII.) *IACOBI GORSCII pro tremendo & veneranda Trinitate, aduerſus quem apoſtatam FRANCKEN, ſe ipſa appellatum Chriſtianum, Apologeticus, ſiue Antichriſtianus. Sanctae Eccleſiae Romanae iudicium eſto in quo & pro qua militamus. Coloniae apud Maternum Cholinum Anno M. D LXXXV. cum gratia & privileg. Caeſ. Maieſt.* in 8 Alphab. I. plag. 7 Epiſtola dedicatoria ad Poloniæ Regem ſcripta. IX.) *Iacobi Gorſcii Dialecticae artis commentariorum libri decem Cracoviae anno 1563.* in 8. Alphab. 1. Plag. 18 Ampliſſimo viro Andreæ *Procelario*, Decano Poſnanienſi, Scholaſtico Cracovienſi, Cuſtodi Plocenſi. doctiſſimos elegantiſſimusque hic liber inſcriptus eſt. Gorſcii præfationem ſequitur Melchioris Pudlovii ad iuuenes litterarum ſtudioſos epiſtola

X.) *Iacobi Gorſcii Animaduerſio, ſiue CRUSIUS in theologos Wirtembergenſis, ſua acta & ſcripta apud Patriarcham Conſtantinopolitanum iactantes, & Stanislai Socolovii operam in edenda Eccleſiae orientalis cenſura calumniantes. Opuſculum hoc tempore variis haereſibus ſectiſque miſere diſſecto, lectu pernecessarium. Coloniae apud Maternum Cholinum A. M. D LXXXVI* in 8 plag. 22. Præfatio auctoris ad illuſtrem Dom. *Nicolaum Firlei*, Caſtellanum Biecenſem, Regni Poloniæ Referendarium ac Cazimirienſ. præfectum exarata.

Hæc ſunt ſcripta celeberrimi Gorſcii, quæ vidi, & manibus tractaui, plura autem *Starovolſcius*, quamuis confuſe, laudat, nempe *praelectiones Cracovienſes, praelectiones Leopolienſes*, de quibus neſcio, an vnquam exstiterint. Nulla enim accuratione in enarrandis ſcriptis *Starovolſcius* in elogiis ſuis vtitur. Mentionem enim facit prælectionum Plocenſium, & deinde ſeparatim enarrat ſcripta *de vſu legitimo eucharistiæ, de paſtore, de baptiſmo*, quaſi diuerſa eſſent a prælectionibus illis. Laudantur a Starovolſcio præter ea, quæ vidimus, amplius ſequentes: 1.) *Præmunitio aduerſus infaustum dogma Francken, Arriani.* 2) *Victoria Regis Stephani.* 3) *Orationes ac præfationes in varias variarum ſcientiarum ſcriptores* 4) *Præſtantiſſimorum virorum in republica polono, epiſtolæ, vltro citroque ſcriptæ, libris XXX comprehenſæ. Starovolſcius* tandem culpari forte poteſt, quando de *Gorſcio* ſcripſit: *craſſiore quamuis Maſoviæ aere natus, a puero tamen ita mitioribus artibus imbutus*, quaſi Maſouiæ aër craſſior, quam Cracoviæ eſſet. Quodſi Poloni ex diuerſis regni prouinciis oriundi, ingeniorum fertilitatem ab aere craſſiori deriuare vellent, quid Itali tandem de Polonis poſſent dicere. Aër, in corpora, non in animos, ſi diis placet, influit.

Laurentius Goslicius, Poſnanienſis Antiſtes, vir doctiſſimus ac prudentiſſimus, eximia Latinæ dictionis elegantia celebris. Res vitæ circumſtantes ex epithaphio in baſilica Poſnanienſi maxime apparent, huius tenoris: „ Illuſtri & Reuerendiſſimo Domino, *Laurentio Goslicki*, gente Grimalio territorii Plocenſis, viro pietate ſingulari, „ ingenio præſtanti, conſilio excellenti, candido, „ aperto, & animoſo, eloquentia rara, qui ſcientiarum inſignibus publice decoratus, & ab aliquot „ Sereniſſimis Poloniæ regibus in pretio & honore habitus, poſt multa, varia & eximia in republica merita, & complures in grauiſſimis & „ difficillimis regni negotiis pari fide & fidelitate „ obitas legationes, primo Camenecen. paulo „ poſt Chelmen. Eccleſiis vtiliter Epiſcopus præfuit: deinde ad eccleſiam Præmislien. promotus, ſimul claræ tumbæ monaſterium laudabiliter adminiſtrauit. Poſtremo Eccleſiæ Poſnanien. Præſul „ factus, cum eam feliciter ſex annis, menſibus circiter quatuor rexiſſet, demum deſignato & adſcito ſibi legitime coadiutore & ſucceſſore, ſeptuagenario maior, viuida ſenectute, gangrena „ neruorum tactus, in pede dextro ſenſim occupante ad extrema deductus animam DEO religioſe commendauit, & piæ plenus ſpei reddidit „ Ciazinii, Anno Domini MDCVII. vltima menſis Octob. Eidem executores cum nepote ex „ teſtamento monumentum mœſti poſuere.

Scripta eius ſunt: I) *Laurentii Grimalii Goslicii de optimo Senatore libri duo: in quibus magiſtratuum officia, ciuium vita beata, rerum publ. felicitas explicantur.* „Opus planæ aureum, ſummorum philoſophorum & legiſlatorum doctrina „ refertum, omnibus reſpubl. rite adminiſtrare cupientibus, non modo vtile, ſed apprime neceſſarium. Acceſſit locuples rerum toto opere „ memorabilium index. Baſileæ apud *Leonhardum* „ *Oſteniam*, impenſis *Roberti Cambieri*. A. CIↃ.IↃ. XCIII. in 8. plag. 21. Regi Sigismundo Auguſto auctor inſcripſit elegantiſſimum hunc librum, quem, cum Patauii maneret, exarauit. Scripſit & alium libellum, *de optimo cive*, nec non *orationem pro ſtatu Sacerdotali*, variaque carmina, quæ ſcripta videre non potui.

Varſevicii fratres clariſſimi fuere in Polonia viri. *Stanislaus* ſocietatem Ieſu ingreſſus multa ſanctitatis & innocentiæ vitæ opinione claret. Scripta eius: I) *Heliodori Æthiopicæ hiſtoriæ* libri „ decem, nunc primum e Græco ſermone in Latinum translati, Stanislao *Warſchewicki* Polono

 inter-

„ interprete. Adiectum est etiam Philippi Me„ lanthonis de ipso auctore & hac eiusdem con„ uersione iudicium. Item locuples rerum ac verborum „ memorabilium index. Nunc demum correctius & „ ad quotidianum vsum accommodatius excusæ. *Vr„ sellis* ex officina typographica *Cornelii Sutorii*. M D C I. 12. Philippus Melanchthon in præfixa ad Oporinum, Basiliensem ciuem, epistola sic de hoc libro iudicat „Oratio est „ nitida, non tumida. Et „ mira est varietas consiliorum, occasionum, euen„ tuum & adfectuum, & vitæ imagines multas con„ tinet. Interpres est Stanislaus Eques Polonicus, „ nobilitatem generis, eruditione, virtute, & facundia „ ornans." Hic liber iam Antverpiæ apud Martinum Nutium sub Ciconiis M. D. LVI. editus fuit in 12. Transtulit & Stanislaus in patrium sermonem ex Hispanico *Ludovici Granatensis Ducem peccatorum*.

Christophorus Varseuicius, polyhistor suo tempore merito habitus, totum ætatis cursum in aulis Megistanum consumsit, vt mirum de illo videatur, quomodo tot negotiis occupatus potuerit tantam in dicendo peritiam, in scribendo laborem, in tractando argumento iudicium acquirere. cum pacatiores litteræ turbas hominum maxime fugiant, queis ille immistus, immo immersus. indefatigabili pæne memoria, et alter quasi solus Cæsar, septem linguas ita calluit, vt singulas natiuas diceres. Domi non tantum clarus et illustris fuit, sed singulis fere principibus Europæ optime notus, quos partim legationis munere functus (erat enim Secretarius Regius et Canonicus Cracouiensis) partim prudentiæ acquirendæ causa peregrinatus, consulto adiit. Corpus humo mandatum, sine ullo elogio ac titulo iacet, qui tamen lucem tam multis viris, imo toti Sarmatiæ suo stilo attulit. Sunt verba Starovolscii in elogiis p. 256. edit. Venet.

Gregorius Papa XIII. litteras scripsit ad Varseuicium, testes virtutis eius, eumque hortatur, vt pergat pro Christi gloria militare.

Scripta eius sunt: I) *Christophori Varseuicii* C. „ C. de cognitione sui ipsius libri tres. His accesse„ runt alia eiusdem, partim antea quoque, partim nun„ quam alias edita opera: de morte et immortalita„ te animæ: de factis et dictis Iesu meditationes „ tres: totidemque pro Christi fide et Petri sede „ ad ordines Regni Poloniæ Orationes: in psalmos „ quos vocant pœnitentiales, et in Iubilum de nomine „ Iesu D. Bernardi paraphrasis: et B. Mariæ Virginis „ encomium. Adiecta postremo est contra *Nicolaum* „ *Regium*, Germanum, qui in eius orationes scripserat, „ eiusdem apologia: et pro auita religione retinen„ da ad *Henricum* Poloniæ Regem oratio. Omnia et „ singula subiiciuntur iudicio et autoritati Ecclesiæ Or„ thodoxæ. *Cracoviæ*. In officina *Iacobi Siebeneycher*. „ Anno M. D C. in fol. Alph. 2. plag. 6. Præfatio ad „ summum Pontificem *Clementem* VIII. scripta.

II) „ *Christ. Varseuicii* C. C. Caesarum, Regum „ et Principum, vnius et eiusdem partim generis et „ nominis, partim etiam imperii ac dominationis, vi„ tarum parallelarum libri duo, Quod quorum quod„ que contineat versa pagella monstrabit. Accessit re„ rum et verborum memorabilium locupletissimus in„ dex. *Cracoviae* in officina *Iacobi Siebeneycher* „ Anno Domini M. D C. III. in fol. Alphab. I.

Primo libro continentur: vita Darii primi, Darii vltimi, Regum Persarum, vita Augusti Cæsaris Augustuli ex Italicis, vltimi Cæsaris, Cæsarum Romanorum. Vita Constantini primi, Constantini vltimi, Cæsarum, Constantinopolitanorum. Vita Caroli Martelli primi: Caroli Martelli vltimi, Regum Francorum. Vita Berengarii primi, Berengarii vltimi, Regum Longobardorum. Libro altero continentur. Vita Balduini primi, Balduini vltimi. Regum Ierosolimitanorum. Vita Alphonsi primi, Alphonsi vltimi, Regum Arragonicorum et Neapolis. Vita Iagellonis primi, Iagellonis vltimi, Regum Polonorum. Vita Francisci primi Sforziæ, Francisci vltimi Sforziæ, Ducum Mediolanensium. Idem liber Francofurti apud Wolfgangum Richterum, sumptibus Nicolai Steinii. a. 1604. et apud eundem iterum 1608. prodiit.

III) *Christophori Varseuicii* Turcicæ quatuordecim. His accesserunt opuscula duo R. *Friderici Ceriols*. de consilio et consiliariis principis, ex Hispanico in Latinum versum vnum, et de legato legationeque eiusdem Varseuicii alterum. Omnia his rebus et temporibus accommodata. *Cracoviæ* in officina *Lazari* A. D. M. D. XCV. in fol. Alphab. 1. plag. 13 omnes sunt *duerniones* præter Q *ternio*. Sunt orationes, Philippicarum Ciceronis instar, quibus auctor Turcam bello vrgendum suadet. IV.) Christophori Varseuicii *Paradoxa*, quæ etiam diuersis locis & temporibus, semel & iterum prodierunt. Cracoviæ in officina Lazari A. D. M. D XCIII. in 4 plag. 19. *Nicolao Zebridovio*, supr. Reg. Marsalco dedicauit. Hic liber antea iam Vilnæ a. 1579. deinde Pragæ in officina Michaelis Peterle A. 1588. fuit typis exscriptus. V) *Christ. Varseuicii* de optimo statu libertatis libri duo, Cracoviæ in officina Lazari. a D. M. D. XCVIII. in 4. Alphab. 1 plag 7. *Nicolao Firleo*, Palatino Cracov. inscripti sunt. VI.) *Christ. Varseuicii* diuersis locis & temporibus habitæ quædam orationes. Pragæ typis M. Danielis Adami a Veleslaoina. in 4 plag. 7. Hæ orationes habitæ ad *Maximilianum* II. Cæsarem, in comitiis imperii Ratisponensibus & ad *Maximilianum* electum Poloniæ Regem, nec non ad *Rudolphum* II. Cæsarem.

VII.) clypeus Spiritualis. Pragæ in officina typographica Ioachimis Schumanni A. M. D. XCIII. in 12. plag. 7.

VIII.) Christophori Varseuicii. nobilis Poloni, Regii oratoris et legati exercitatissimi de legationibus adeundis luculentissima oratio. Lichæ. typis Guolgangi Kezelii. M. D C. III. in 8. plag. 11. Idem liber prodiit Dantisci, sumptibus Georgii Fœrsteri. A. 1646. cui adiectus de concilio et consiliariis liber in fine accessit *Hippolyti a Collibus* Consiliarius, qui tres libri iam antea Rostochii apud Christoph. Reusnerum a. 1597. vno volumine prodierunt. Hæc sunt scripta Varseuicii maxima ex parte, quæ vidi, deficiunt secundum Starovolscium 1) Liber *Pauli Parutæ*, ex Italico in Latinum vertit. 2) Libri rerum memorabilium. 3) Elogia illustrium Poloniæ scriptorum. 4) modus acquirendæ diuinæ gratiæ 5) de origine Polonorum, 6) de Victoria Regis Stephani, 7) de obitu et virtutibus eiusdem. 8) de morte Philippi II. Hispaniarum Regis. 9) de morte Rudolphi I. imperat. Roman. 10) de rebus gestis eiusdem. 11) de obitu *Annæ* Austriacæ Poloniæ Sueciæque Reginæ. 12) Historia Turcica. 13) Conciones de Iubilæo et ecclesia. 14) de Laudibus Tarnovii comitis.

Stanislaus Socolovius, S. Floriani Clepariæ præpositus et Canonicus Cracouiensis celeberrimi olim illius Professoris *Iacobi Gorscii* felix discipulus, præstanti vir ingenio et lingua vtraque egregie doctus. Varia scripsit, quæ omnia simul edita hac sub inscriptione: *Stanislai Socolovii*, Canonici Cracouiensis apud *Stephanum I.* Poloniæ Regem concionatoris, Opera. Cracoviæ in Architypographia Regia et ecclesiastica Lazari edita a. 1591. in fol. cum præfatione ad Sigismundum III Poloniæ Regem. Decem et septem *Socolovii* scripta, in hoc volumine sunt contenta, quæ omnia, variisque eorum editiones, inuenies in Socolovii Peregrino, siue læsæ virtutis querela, nuper demum a diligentissimo Christiano Theophilo *Friese*, ex manuscripto edito. quem vide a pag. 6. ad 33.

XIII.

XIII.

REGNI POLONIÆ MAGNIQUE DUCATUS LITHUANIÆ

OMNIUMQUE REGIONUM IURI POLONICO SUBIECTORUM NOVISSIMA DESCRIPTIO

STUDIO

ANDREÆ CELLARII, Gymnasii Hornani Rectoris.

AMSTELODAMI Apud Ægidium Janssonium Valckenier, Anno 1659.

NOBILISSIMO ET ORNATISSIMO IUVENI
D. JACOBO FORESTO
LL. STUDIOSO, FILIO NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI VIRI,
D. THEODORI FORESTI J. U. D. & Illustribus Dominis Ordinibus Westfrisiæ, seu Hollandiæ septentrionalis a Secretis.

Um adhuc in Gymnasio nostro Literario sub institutione mea versareris, Nobilissime, & Ornatissime Iuuenis, singulare tuum studium, & insiguis sedulitas, ex eruditionis eximiae desiderio tua nata, in omni genere exercitiorum, iu palaestraliteraria vsitatorum, semper emicuerunt. Excitata illa iu Te exemplis earum, qui Maiares Tui non solum nobilissimi sui generis insignia Tibi praetulerunt, verum etiam virtutibus, in quibus sola & vera est nobilitas, pietate, integritate, scientia, & eruditione omnigena praeiuerunt. Quem enim Patrem, hactenus, Dei gratia, superstitem habes? Quantus vir fuit Patruus Tuus, quem immatura mars, proh dalor! saluti Patriae nostrae iuuidit? Quanti viri Auus tuus Paternus & Maternus, de communi Patria optime meriti, ex quibus ille inter beatas iam versatur, hic adhuc in veneranda senectute Tibi superstes est: quorum celeberrima fama Patriae cancellis se includi non passa ad extremos Orbis terrarum limites se propagauit. Quanti caeteri Tui Maiores, viri omuium laude, praedicatione, literis, & monumentis dignissimi? Cunctorum celebritate, iucredibili notissimoruw praeconia & laudes decantandi partes si ego mihi sumerem, vereor, ne patius illas ingenii mei culpa, vt cum Horatia laquar, detererem, quam vt eorum aptus buccinator esse possim. Harum vestigiis laudatissimis hactenus a puero insistens magni quid de te polliceris, quod uon tantum cum Parente Tua Nobilissimo tota vestra Familia Forestorum namine inclyta exspectat; sed etiam ipsa Patria uostra summa expectatione desiderat. Macte hac virtute, Iuueuie Nobilissime, ac iu curriculo, quod ingressus es, eadem sedulitate, eodemque studio pergere non desiue, vt ad metam speratam perveniens Tuae Familiae Nobilissimae ornamentum couciliare, & Patriae emolumentum afferre queas. De sursu autem studiorum Tuorum tam feliciter ad metam aptatam properante gratulor & Tibi, & mihi, qui earum fuudamenta locanti Tibi mea qualicunque opera auxilio fui, & semper madestiam, diligentiam, ac sedulitatem Tuam amplexus sum, earum nomine uunquam non Tibi addictus, atque Patri & Aua Tuo, viris Nobilissimis, atque huic quidem τῷ μακαρίτῃ, de me aptime meritis ab iusignia sua merita abstrictus. Animi grati testem produca hanc Regni Palaniae descriptionem ex variis auctoribus a me haut exigua labore congestam, quam Tibi tanti Patris Filio, tantorum Auorum Nepoti, & a tantis Maioribus desceudenti progeniei exhibea, dica, & consecra, vt Tui & Tuorum nomine & titulo insignitus, & decaratus in lucem pradeat, ingenti tuo historias et alia eiusmadi legendi desiderio satisfaciat, et simul testetur magnum de Te bene merendi studium, et promptissimam voluutatem eius, qui Nobilitatis Tuae

Hornæ ex Musæo
XIV. Kal. Sept.

Studiosissimus
ANDREAS CELLARIUS.

NOVA DESCRIPTIO REGNI POLONIÆ, ET REGIONUM OMNIUM, QUÆ AD ILLUD PERTINENT.

Fines

POLONIÆ REGNUM inter Europæa nulli vastitate & potentiâ cedens, qua Regiones suas in Boream explicat, vbique Baltici maris fluctibus tunditur: In Occasum vergens Pomeraniæ, Marchionatui Brandeburgensi, Silesiæ, & Moraviæ, Germanicis regionibus contigua est: Meridionalibus, extremitatibus Pontum Euxinum, Valachiam, Moldauiam, Transyluaniam, & Vngariam attingit: Orientales, margines Tartariæ, & Moscoviæ finibus claudit. Et hisce finibus magnitudo eius patet, quod á Sarmaticis montibus, & Transylvaniâ vsque ad Ducatum Teschensem in Silesia, Marchionatum Brandeburgensem, ac Balthicum mare excurrens, altero latere cum Moscoviæ finibus descendit, ac vltra Borysthenem fluvium, alias Dnieper, largo tractu se dilatans ad Pontum Euxinum decurrit, extremitatesque suas per Podoliam, Moldauiam, ac Walachiam vsque in Transylvaniam, & Hungariæ comitatum Zipsensem deducit.

Magnitudo.

Longitudo eius, secundum *Simonem Starovolsciam* a 38. ad 54. gradum inter Occasum æstivum, & Ortum hybernum exporrecta 16. gradus, ac proinde 240. milliaria communia Germanica comprehendit.

Longitudo.

Latitudo autem a Carpathiis montibus ad mare Balthicum vsque ducenta fere milliaria complectitur. *Philippus Brietius Parallelis Geographiae Veteris & Novae*, longitudinem ab oppido *Schwibussen* in Marchionatus Brandeburgensis finibus ad Smolenskum in Russia sitam vrbem producit, eamque extensionem ad maiorem circulum reuocatam 11. gradus cum minutis 30. atque ita milliaria 690. leucas Gallicas 345. Germanicas 172½; Russica Worest seu Werst 910. dare tradit. Latitudinem excurrere ait a Tyræ fluvii, vulgo Dniester, ostiis ad vrbem Memel versus Liuoniam, eamque ad maiorem circulum reuocatam dare gradus 10, cum 40. minutis; aut milliaria 640: leucas Gallicas 320: Germanicas 160. Russica Worest 869. circiter. *David Froelichius Part. 2. Viatorii lib. 1. c. 11. pag. 317. seq.* Poloniam occupare refert a finibus Silesiæ, ad terminos Moscouiæ vsque inter Occasum & Ortum 120. milliaria, nec minus ab vltima Liuoniæ parte, vsque ad fines Hungariæ. Quænam autem milliaria intelligat, Germanica, an Vngarica, quæ grandia sunt, incertum est, eo quod eorum nomen non expresse addit. Longitudo inter Marchionatum Brandeburgensem & Moscouiam 240: Latitudo inter Russiam aut Pokutiæ partem ac Pernauiam in Liuonia 200. circiter milliarium interuallo a plerisque definitur. Milliaria Polonica sunt, quoduis quatuor Italica complectens, quibus Lituanica, Russica

Latitudo.

(135) Multi sunt in historia litteraria CELLARII eruditione illustres, quorum familiæ nomen antea fuit KELLER, sive KELLNER. Noster ANDREAS bene distinguendus a CHRISTOPHORO illo, Critico celeberrimo, & Halæ Saxonum eloquentiæ & historiarum professore, nec non collegii politiorum litterarum directore, qui multa eaque variæ eruditionis edidit scripta. Noster Cellarius autem, celebris etiam historicus, mathematicus, & geographus, fuit gymnasii Hornani in Hollandia rector, qui præter hanc regni Poloniæ magnique ducatus Lithuaniæ descriptionem, quæ anno 1665. idiomate Batauo donata fuit, edidit:

II) *Architecturam militarem a 1656.*

III) *Harmoniam Macrocosmicam, sive Atlantem universalem & novum totius universi creati, cosmographiam generalem & novam exhibentem, Amstelodami anno 1661. in forma regali*, quod opus ibidem a. 1708. de nouo typis exaratum fuit.

Russica, & Podolica aliquanto longiora iudicantur. Nos hic Poloniæ integræ descriptionem damus, qualis fuit, antequam externorum inuasionibus exposita lacerari cœpit. Hinc longitudo & latitudo dicta, quæ hactenus constrictiæ manent, ac manebunt, quamdiu Regnum hoc tum florentissimum, nunc miserrimum, sub onere & persecutione hostili calamitatem suam gemet.

Antiqui populi

Sarmatiæ Europææ olim haud minima pars fuit variis populis sedem præbens, vt ex sequentibus, quæ hic breuiter adducenda, clare patebit. Scytharum nomen commune olim omnibus populis septentrionalibus fuit, oblitione deletum ortis Germanorum & Sarmatarum nominibus. Dicti Sarmatæ, vt quibusdam placet ab *Asarmoth*, filio *Lectan*, nepote *Hebrus*; vel a vultu & aspectu terribili seu serpentino; σαῦρος enim lacerta est, ὄμμα oculus. Hinc Sauromatæ Græcis, Sarmatæ Latinis appellati: In *Periplo Scylacis* vero σύρμαται: ἱππομόλγοι quoque ab equis, & γαλακτοφάγοι a lacte, quæ voces eorum epitheta fuerunt, vt & aliæ eiusdemodi. Sarmatia vero in Europæam & Asiaticam diuidebatur. Illius pars Polonia, in qua *Philippus Cluverius in antiqua Germania* & alii locant Burios, Lygios, Arios, Manimos, Elysios, Naharualos, Peucinos, & alios populos Germanos, qui postea partim ipsi proprio motu in alias regiones migrarunt, partim etiam a Venedis seu Wendis propriis suis sedibus exacti sunt. Quo autem tempore hi Wendæ seu Venedi, qui postea per Germaniam sparsi Soraborum, Obotritorum, Lutitiorum, vel Luzitiorum, Ranorum, Vinulorum, Vilzorum, Veralaborum, Retauiorum, Licicauicorum, Helveldorum, & Vulcinorum nominibus innotuerunt, in Poloniam, & regiones vicinas sedes suas transtulerint, certi quid definiri & indicari nequit. *Martinus Cromerus & Salomon Neugebauer, duo Historici Polonici* arbitrantur, quod Poloni & Bohemi tempore Hunnorum Regis *Attilæ*, circa Christi annum CCCCXXX. ex Russia & Sarmatia in has regiones concesserint: Quod ipsis factu facilius fuit, quam si prius in Slauoniam & Dalmatiam longius dissitas, & Romanorum patrocinio tutas regiones profecti ex iis demum in has terras contulissent, vt nonnulli coniicere solent. *Auctor Poloniae defensae contra Barclaium* Bastranas, ex quibus *Cluuerius* perperam Germanos facit, Peucinos & Venedos eas possedisse ait regiones, quæ Poloniam maiorem, & Borussiam complexæ ad Vistulæ ostium, & mare excurrunt, cui inde Venedici sinus appellatio imposita. Illyrios autem, Thraces, Bastranas, Getas, & Sarmatas separatos licet populos, vnius tamen & eiusdem esse originis, & cognationis, vt ipsa eorum lingua communis arguit. Omnes quoque populos inter sinum Adriaticum, Macedoniæ fines, Ægæi maris litora, Propontidem, Mare Euxinum, Caucasum montem, & Caspium mare vsque ad Obium fluuium, ab Albi item amne antiquæ Germaniæ termino, vsque ad Danubii partem olim sedibus suis commoratos ab vna eademque origine profectos fuisse, & plerosque, Russos cum primis vsitatam suam linguam retinuisse. Ex nullo enim Historico liquere, quod noui populi se istuc contulerint; ac ideo certum esse, quod populi ibidem hærentes quasi Aborigines sint, & post occupatas primum terras istas sequentes populos ab ipsis descendisse. *Hactenus Author dictus.*

Sarmatia duplex.

Poloni & Bohemi.

Bastranæ, Peucini, Venedi.

Russi.

Populi, qui olim Poloniæ regnum inhabitasse dicuntur, sequentes apud scriptores antiquos occurrunt. Æstiæi Borussiam, Liuoniam, & Samogitiam incoluisse feruntur; aliter Hesti, seu Æsti, & Ostiones, quorum vestigia in Esten Liuoniæ tractu, quos in oceani litore *Cassiodorus*, ad Sinum Codanum *Eginhardus* constituit. Apud hos succinum colligi *Theodoricus in epistola* scribit. De Succino *Cluverius cap. 44. lib. 3. Germaniae antiquae.* Eos frumenta & fructus colligere, et supra reliquos Germanos laborare tradit *Tacitus*, his verbis eos Germanis accensens. In Æstiæis duo sunt Populi: Scyrri Borussiæ habitatores, Sceri *Sidonio*, quorum regio paludibus referta *Ovin* apud *Iornandem* appellatur.

Æstiæi.

Succinum.

Scyrri.

 Olim

Gothi. Olim Gothos amicitia complectentes, postea odio prosequentes; vnde *Cluveri-us* Gothos fuisse Gothones Germaniæ populos, et non e Scandia petendos arguit.

Hirri. Oseri-ca insula. Hirri apud *Plinium* solum occurrunt, Oserictæ insulæ, vulgo Oesel, quam *Plinius* Latrim nuncupatam in Sinu Clylipeno locat, et vicinorum locorum possessores. In dicta Insula Cedri genus, ex quo Succinum emanet, *Mitridates* crescere perhibet. Liuoniam et Samogitiam tenuisse Hirri creduntur. Venedæ Lituaniam in possessione habuerunt, quorum sedem his in locis fuisse, argumento est Wenden civitas, vt *Cluverius* suspicatur, qui item notat, maris eosdem accolas

Vinidi. Venedico Sinui, et Wenden Pomeraniæ Regioni, ac Marchiæ Vinidorum, in quam transmigrauerant, et vbi etiamnum Vinidi nominantur, nomen fecisse. A *Plinio* inter Sarmatas referuntur; quibus num annumerandi sint, *Tacitus* dubitat, quoniam in plaustris non viuunt, nec equis vtuntur, sed pedibus celeres itinera faciunt, et scuta gestant. Latrocinandi tamen caussa per sylvas errantes Sarmatarum mores imitari solitos refert. In his tres populi: Troglodytæ in Septentrionali parte Lituaniæ; qui, vt *Vadianus in Melam* notat, dicti ita, quod Æthi-

Troglodytæ. opicorum Troglodytarum more in specubus delitescant, non caloris, vt hi, sed frigoris declinandi causa. De ipsis, vt idem arbitratur, *Virgilius:*

Illi in defessis specubus secura sub alta

Otia agunt terra, &c.

Geloni. Geloni in parte Mazouiæ, Podlachia, & occidentali parte Lituaniæ, hostium pellibus se & equos, se capitis, equos reliqui corporis cute tegebant; *Mela Solinus* pictos nuncupat. *Virgilius 2. Georgicor. & 4.* sanguinem equorum cum lacte miscere tradit.

Et lac concretum cum sanguine miscet equino.

Neuri. Neuri in Lituaniæ parte magis Orientali, & Ducatu Smolenscensi, qui certo tempore in lupos conuertuntur, & postea ad pristinam corporis formam redeunt. Ad Borysthenem domicilia habebant. *Mela*, *Plinius*, *Solinus.*

Basternæ. Bastarnæ, Basternæ, male Blasternæ, *Valerio Flacco* metri causa Batarnæ, de quibus sermone, cultu, sede, domicilio Germanos referentibus, connubiis mixtis, quibus viuebant, exceptis, *Tacitus* dubitabat, num Sarmatis annumerandi essent. *Plutarchus*, *Polybius*, & *Liuius* Gallicam gentem dicunt, in quo se frustra torquet *Cluverius*, totam Europam Gallos peruagaros esse non cogitans. Scythas *Dio* appellat, & ab ipsis Triballos & Dardanos subactos tradit: *Strabo* Thracibus permi-

Eorum vrbes scet. Vrbes Bastarnarum fuêre Carrodunum, Limburg *Cluverio*, Crackou *Appiano* minus probabiliter: Clepidava, Camienick, aliis Clepidana, quia vndique

Gentes diversæ. Sidones. Atmones. montibus in morem Clypei vallata: Vibantauarium, aliter Vibantanarium, Bar. Gentes Basternarum diuersæ: Sidones in Russiæ nigræ partibus Borealibus, & Polonia parua prope Vistulam, vt ex *Ptolomaeo* bene statuit *Cluverius*: Atmones in Volhinia superiori, Bastarnarum pars *Straboni*, qui quo loco collocandi,

Borani. *Cluverio* dubium mouent; supra Tyrangitas forte: Borani, *Ptolomaei* Bulanes, cum Gothis in expeditionem profecti, quorum situs ignoratur: Peucini in Podo-

Peucini. lia & Bessarabia, *Straboni* Bastarnarum gens sic cognominata, vel a Peuce Insula, ex qua Triballos eiecerunt; vel melius a monte Peuce apud *Ptolomaeum.* Alii

Getæ. eosdem cum Bastarnis censent: Getarum solitudo, Territorium Oczakou cis Borysthenem inter Hierasum fluuium, & Tyram, vbi *Darius Hystaspides* bellum Scythis inferens sui cum exercitu fere toto confectus est: Vbi etiam postea *Lysimachus* a *Dromicheta*, seu *Dromichate*, Getarum Rege, viuus captus est. Carpi-

Carpiani. ani in Russia nigra, & Poloniæ paruæ partibus Meridionalibus, a *Zosimo* reliquisque deinceps dicti Carpi, in Historia Romana celeberrimi, quibus nomen natum a Carpatho monte Sarmatas a Dacis dispescente.

Tyrangi. Tyrangitæ in Volhinia inferiore, Tyrigitæ *Straboni* eos Getis connectenti,

alii

aliis Tyritæ a Tyra fluuio, quem *Iornandes* Driccam, vulgus hodie Nester vel Dniester vocat. Axiacæ, populus Tyrangitis mixtus, in regione circa vrbem Dessau, vbi Bogus & Borysthenes aquas suas conuehunt: A fluuio Axiace nomen petiit, furari quid sit ignorans, ideo nec sua custodiens, nec aliena tangens. Tyrangitarum vrbes fuêre Tyras, alias Ophinsa (perperam *Ptolomaeo* duæ vrbes) Phœnicum colonia, ideoque Tyros *Ammiano* nominata, quæ intercidit: Niconia, seu Niconium, ad Istri ostia *Stephano*, ad fluuium Axiacum *Ptolomaeo*, ad fluuium Tyram e regione vrbis Tyræ *Straboni*, hodie Nomanoster si *Nigro* fides: Hermonactis vicus postea Hermonassa *Plinio & Melae*, a quibus tamen in Mœsia collocatur, Moncastro hodie *Nigro*: Neoptolemi Turris in ostio Tyræ fluuii ab legato *Mitridatis* condita, qui Roxolanos deuicit. Periit.

Axiacæ.

Tyrangitarum vrbes.

Borysthenitæ in territorio circa Kiouiam, ita nuncupati a Borysthene fluuio quem accolebant. Hunc Hellespontium Græci, Danaster Gothi, *Iornande* teste, Danubium incolæ, quod tamen displicet *Ortelio*, nuncupant. Duo eius fontes, Occiduus Diaborysthenes, hodie Pripetus, Przipieck, alter Borysthenes, hodie Nester, et Dnester *Cromero*, Nieper *Ortelio*, & *Mercatori*. Atque hæc de populis Poloniæ antiquis.

Borysthenitæ.

Cum Polonorum origine ita comparatum est. Sarmatæ olim dicti, postea Slaui, & Slauini bis sedibus relictis, prima vice antiquas Vandalorum sedes inuaserunt, ideoque & Vandali, ac Venedi, Vinidique, vt & postea Obotritæ, Rossi, Rani &c. appellati. Cum Teutonibus hos Slauos iam permixtos, ac sub Vandalorum nomine in Pannonias primum irruentes Gothi repulerunt, in Hispaniam postea commigrantes ac in Africam transmittentes *Belisarius* eiecit. Eorum reliquias nonnullas in sedes antiquas rediisse ferunt. Num vero etiam pars aliqua tunc temporis Polonorum nomen gesserit, incompertum est. Illis ipsis temporibus ex illis circa Paludem Mæotidem, & Tanaim fluuium tractibus egressa est gens alia Slauicum idioma vsurpans; Roxolanis, seu Russis, & Ruthenis constans, qui Volgaris seu Volhiniis se associantes primo in Tauricam Chersonesum peruenerunt, ac inde potissimam Europæ partem peruadentes crudelitatis horrendae specimina passim ediderunt. Dissociati postea, & nominibus variis insigniti varias regiones in potestatem suam redegere. Russi in Septentrionem se effuderunt; Volgari Mysiam subegerunt: Moravi a Morauo in Morauia nomen inuenerunt: Volhiniorum in Polonia nomen reliquum mansit: Bohemi suum nomen & suam regionem consequuti sunt. Slauorum meminerant *Procopius & Iornandes*, quorum posterior suo tempore Slauorum nomen nouum, linguam antiquam, fuisse affirmat. In Illyrico, vbi & nominis memoria, populus hic commorans intestina seditione & simultate dissidebat. Dissidia ægre ferentes duo Principes, Czechus & Lechus, de nouis sibi sedibus prospexerunt: Magna Germaniæ parte occupata ille in Bohemia consedit: Hic promotis in Septentrionem copiis suis, & cæso Germaniæ quodam regulo, dum idoneum sibi ad habitationem locum inuestigat, in aquilarum nidum incidit, vrbemque ex augurum consilio condit, appellatam a nido Gnesnam, circa Christi annum 101. Hinc aquila candida Polonici stemmatis insigne.

Polonorum origo. Slaui.

Roxolani, Russi.

Czechus, Lechus.

Gnesna.

De nomine in diuersas auctores sententias abeunt. Polonorum nomen ab vrbecula Poloneza quidam petunt: alii Polonos dictos autumant quasi *Polachos*, i. e. posteros *Lechi*, qui *Czechi*, Bohemorum Principis frater, primus Polonis imperitauit: Sic *Cromerus* sentit, qui ideo Polonos ab Vngaris Lengel, quasi Lechel, a dicto *Lecho* dici tradit. Turcas, item Polonos, ob eandem rationem adhuc hodie Lechos aut Lechiadas appellare tradit *Zuerius Boxhornius in sua historia vniuersali p.* 70. Russi Græcam religionem profitentes, eosdem Latinæ Ecclesiæ addictos Lachos vocant, quia *Polacko* idem notat, quod Latine dicitur, pro more, aut consuetudine Latina. Sunt, & quidem doctiores, qui hanc vocem deriuant

Nomen Polonorum vnde.

a nomine Pole, quæ & planitiem, & venationem notat. Passim enim regiones pleræque æquali planitie excurrentes æquoreis suis campis commodissimam venationis occasionem suppeditant, ne de ipsis incolis dicam, qui ad venationis studium perquam propensi eiusdem exercitio mire delectantur. Nomen autem hoc octingentis ab hinc annis antiquius esse non creditur, nec facile apud exteros scriptores illis temporibus superiores inuenietur.

Lingua Polonorum.

Lingua Poloni vtuntur Slauonica, & ea quidem antiquissima, ipsisque quasi innata, cui nulla plane affinitas, neque cum Scythica, neque cum Tartarica, licet Tartari Polonis finitimi, neque cum Turcica, Persica, aut Arabica, quanquam hi populi, veri Scythæ, vno eodemque idiomate vtuntur, aut certe vniuersalis linguæ dialectis tantum differunt. Nec est, auctoritate cur quis moueatur veterum, Sarmatas cum Scythis confundentium, & passim in scriptis suis omnes septentrioni subiectos populos Scythas nuncupantium. Neminem enim fugit, quam imperiti Geographi veteres fuerint, in primis in dictarum regionum descriptione; quanta negligentia & incuria studium illud tractauerint, & quam multa falsa, ac contraria de ipsis narrauerint. Hinc *Strabo*, Græcos, inquit, a Scythis Asiæ confinibus, omnes populos septentrionales Scythas nominasse, & Romanos ea, quæ a Græcis didicerant, tanquam verissima approbasse. Superius porro auctor laudatus tradit, ea se imbutum esse opinione, quod antiquissimis illis temporibus dicti populi vniuersale aliquod nomen obtinuerint, scriptorum tamen incuria neglectum & nobis ideo ignotum: quod, si cuncta recte expendantur, omnes hi populi commode in Slovacos, Getos, Sarmatas, & Russos distribui possint, quod Slauonicum nomen non ante in superiorum scriptorum cognitionem penetrauerit, quam ipsi populi se in Romanas prouincias inuasionibus suis effundendo nomen suum ignorantiæ tenebris inuolutum in apertam lucem protraxissent. Vnde, vt porro refert, *Procopius* & *Iornandes* primi ipsorum mentionem fecere; atque hoc nomine, iis exceptis, qui in prouincias Romanas se receperunt, insigniti fuêre cæteri omnes, ac Poloni cum primis, qui in auitis sedibus constiterunt, nec minus ii, quos Germania suscepit, Morauos puta, Bohemos, Silesios, Pomeranos, qui cuncti hoc Slouacorum, aut Slauonum titulo gauisi fuerunt, id quod argumentis multis iam demonstratum esse dictus auctor asserit. Hos sequebantur Getæ aut Thraces, ad quos vetus Pannonia cum Mœsia, Dacia, & toto tractu Illyrico pertinuit. Multum mutarunt Romanam potentiam, accedente in primis Hunnorum irruptione, & imperii Turcici aduentibus diuersis ingruentibus. Ipsis finitimi fuerunt Sarmatæ, tertia gens præcipua, finibus suis determinata, ab Occasu nimirum Borysthene, vulgo Dnieper, amne, a Meridie Ponto Euxino, siue mari nigro, monte Caucaso, et mari Caspio, ab Oriente Rha fluuio, cui hodiernum nomen Vulga seu Volga, et qui ex Boreali Orbis terrestris plaga emanans fere totam Sarmatiam cinctam segregabat a Russis, quarta et vltima Slauorum gente, quos Geographi veteres Riphæós, Riphaces et Roxolanos appellitabant. Incolebant autem Albam Russiam et Moscouiticas terras, vt cæteras septentrionales, vsque ad Nouam Zemlam. Nullam tandem modo citatus Auctor conuenientiam agnoscit inter Slauos, et Scythas, quos posteriores extra Europæ fines ad Asiaticos populos remittit, omne religionis, morum, et linguæ commercium vtrisque adimens. Latissime autem explicatam asserit linguam Slauonicam, vtpote quæ ab Adriatico mari prolixo admodum tractu excurrat ad Nouam Zemlam, quod nomen Slavonicum et Windicum, nouam terram aut regionem sonat. Polonica igitur lingua est Slauonica, plerumque Patronymica, et possessiua in *ski* terminans. Sic Hispanski Hispanus, et Polski Polonus. Haud multum abit a Moscouitarum, et Bohemorum idiomate, adeo vt dialectis solis inter se distantibus linguis tres hi populi vtantur, et haud magna difficultate se inuicem intelligere queant. Vsitatæ porro et aliæ linguæ in Polonia, præcipue

Veterum Geographorum imperitia.

Slovaci.

Getæ.

Sarmatæ.

Russi.

Lingua Slauonica.

Polonica lingua est Slauonica.

Aliæ linguæ in Polonia vsitatæ.

præcipue Germanica iis in locis, quæ Pomeraniam, Marchionatum Brandeburgicum, & Silesiam contingunt. In Borussia, & finibus Germaniam ac Poloniam segregantibus, vtraque lingua Germanica & Polonica habitatoribus est familiaris. Vsurpata quoque in magnis ciuitatibus, ob magnam Germanorum passim frequentiam, & Germanica illa, in vsum adducta a mercatoribus & opificibus Germanis, qui totum Poloniæ regnum permeant. Nec minus frequens Latina, quam in scholis addiscunt Poloni pluribus in locis, ea de causa apertis, vt quicunque velit, liberos eiusdem cognitione imbuendos curare possit. Hinc & bubulci, aut aratores in campis viatoribus Polonicæ linguæ ignaris Latino idiomate viam monstrare feruntur. Nobilitas Polonica peregrinationis studio deditissima exteras regiones inuisere cum primis gaudet, adeo vt Italicum & Gallicum idioma tum in Regia, tum in ipsis magnatum aulis vigeat, præsertim postquam Reges Austriacis & Gallicis matrimoniis se implicuerunt. Hungaricam linguam eos etiam loqui audias, quibus in Hungariæ confinibus domicilia sua habentibus cum Hungaria frequens commercium intercedit.

Germanica. *Latina.*

Totius regionis qualitas & proprietas sic se habet: Qua Transyluaniam & Hungariam tangit, Carpathiis montibus incurrentibus asperior et inæqualior redditur: Inde planities vastissima excurrens vbique campos, silvas, paludes, et lacus frequentes exhibet, montibusque admodum raris assurgit. Solum ad septentrionem vergens et Borealibus ventis expositum frigidiore aëre fruitur, vitiumque ferre nescit, ac vuas austeriores producit. Terram ad Austrum proniorem, in qua palatinatus Kiouiensis, et Podolia siti sunt, et ad vineta colenda forsan aptiorem, Barbari populi incolunt, bello quam agriculturæ magis dediti. Cæterum solo admodum fertili gaudet tota regio, omnis generis frumentorum feracissima, et fructus varios ferentibus arboribus plenissima. Affluit enim tritico, auena, hordeo, siligine, olyra, pomis, piris, castaneis, malis Cydoniis, aliisque eius generis fructibus, imo omnibus iis, quæ ad vitæ humanæ necessitatem requiruntur. Pascua gramine adeo luxuriari feruntur, vt boum illud depascentium vix ventres, imo et quandoque cornua ipsa oculos effugiant. Hinc res pecuaria per totam Poloniam opulentissima pecudum et pecorum copiam incredibilem incolis suppeditat. Boum solorum vltra sexaginta millia, quotannis in Germaniam et cæteras regiones ante hæc bella præsentia emitti solita, testatur *Poloniae defensae Auctor pag.* 52. Imo quandoque numerus longe maior fuit; Taceo autem eos, qui ab incolis ipsis quouis anno consumti sunt, quorum quanta copia fuerit, quiuis facile coniectura assequi potest. In Podolia agri semel culti et consiti biennii spatio ter, et quidem nonnunquam centuplos fructus reddere feruntur. Sunt qui vnius anni cultura paratos, et consitos eodem anno etiam tertia messe demeti posse dicant. Solum vero adeo durum et tenax esse perhibent, vt ad eius arationem plures boues adhibendi sint. Porro siluis plurimis vestita, et hinc inde montibus assurgens regio feras alit plurimas, ceruos in primis, bubalos, alces, aliasque plures, vt et aues, tam feras, quam cicures, quarum ingens vbique multitudo. Paludibus, lacubus, et fluminibus quam plurimis rigatur, ingentem piscium vim vehentibus, ac thermis valetudini conseruandæ et restituendæ vtilissimis abundat. Plumbum argento commixtum, cuprum, argentum viuum, ferrum, et id genus alia ex suis visceribus eruenda exhibet. Melle, cera, pice, sale, quo Lituania sola caret, et similibus etiam non destituitur, quorundam quoque insignem copiam subministrat. Pelles, quarum exteros participes reddit, et quibus hyberno tempore magnates et diuites se vestiunt, sunt pretiosissimæ. Apes in Polonia sunt cicures siue domesticæ, et feræ, quarum illæ domi in aluearibus suis, hæ in siluarum excauatis arboribus melli conficiendo student. Vtriusque tamen generis cura debita suscipiatur necesse est. Insignis fertilitatis argumentum est, quod anno 1573. in Comitiis Varsouiensibus, cum *Henricus Dux Andegavensis*

Poloniæ qualitas. *Solum Boreale.* *Australe.* *Fertilitas.* *Pascua.* *Boum incredibilis copia.* *Agri Podoliæ.* *Syluæ Poloniæ.* *Feræ.*

gavensis Poloniæ Rex eligeretur, præter reliquam multitudinem circiter C. millia equitum quatuor milliarium spatio circumcirca vrbem quadraginta dies commorantes nullius rei penuria laborauerint.

Flumina. Flumina diuersa et grandia, varios ac multos pisces alentia, Poloniæ regnum percurrunt, quorum nonnulli septentrionem petunt, alii ad meridiem proni feruntur. Vistula. Vistula, *die Weichsel*, famosissimus amnis haud procul ab apice extremo Silesiæ cum Morauiæ, Hungariæ, et Poloniæ finibus concurrente, exoriens mox diuersorum fluuiolorum aquas collectas secum rapit, pluribusque aliis amnibus in Polonia minore abreptis, Cracouiam regalem sedem, et Sendomiri am præteruehitur; Inde per Varsauiam, vbi vrbem *Varsauiam* alluit, in Borussiam descendit, et sub Dantisco, vrbe celeberrima in mare Balticum effunditur. Warta, Prosna. Warta et Przosna fluuii ex Polonia minore oriundi, in maiore infra Pysdri vrbeculam coëunt; Ille retento nomine Notesium, seu Notez amnem ex lacu Goplo in Cuiauia effusum Notes. supra Landspergam in Electoratu Brandeburgensi absorbet, et sub dicto loco supra Custrinum Viadro, seu Oderæ, se miscet. Bugh. Bugh fluentum ex Russia rubra per Volhiniam citeriorem, Lituaniam, Podlachiam, et Mazouiam aquas suas promouet, et supra Vissegradum in Cuiauia in Vistulam insert. Pregela. Pregela Borussiæ amnis sub Regiomonte in lacum Frisch Haf, ac in mare Balticum ingreditur. Chronon. Chronon, cui hodie Memmel aut Niemen nomen, vndas suas Curonensi lacui degluttiendas tradit: Ex Lituania erumpens sub Cauna vrbe affluentis *Vilnae* ab vrbe Vilna descendentis amnis, aquas suis adiungit. Duna. Duna fluuius aquas suas ex Moscouia aduectas sub vrbe Riga in magnum sinum Liuoniæ præcipites agit. Hi sunt fluuiorum ad septentrionem vndas suas voluentium præcipui. Inter illos, Hierasus siue Prut. qui ad meridiem proficiscuntur, præcipuæ notæ sunt sequentes. Hierasus ex Carpathiis montibus per Valachiam delabens in Danubium supra eiusdem ostia illabitur. Prut hodiernum ipsi nomen est. Tyras, Niester. Tyras hodie Dniester, vel Niester ex Carpathiis montibus ortus Russiam Polonicam, Pocutiam, Podoliam et Palatinatum Bratzlauiensem peterrat, et apud Turcicam vrbem Anierman, seu Biellogrod, in Pontum Euxinum se exonerat. Bogus. Bog, alius a superiore Bugh, qui se Vistulæ miscet, ex Podolia per Bratzlauiensem palatinatum in Borysthenis ostio aquarum mole liberatur. Borysthenes. Borysthenes, hodie Nieper, ex fonte suo emergit prope pagum Dniepersko in Moscouia, a quo ex ortu in occasum ruens Vietmæam vrbem præterit, ac inter Drohobus ac Smolensko cursum suum ad meridiem flectit, anfractus suos modo in Orientem, modo Occasum emittens. Multis fluminibus secum abreptis citatissimo cursu per alueum admodum profundum aquas suas deuoluit, & quinquaginta milliaribus sub Kiouia per scopulos plures se inuicem subsequentes (Porohi loco nomen est) tanquam per gradus delabitur. Postquam scopulos euasit, in planitie aquam dilatans varias efficit insulas, Zaporohi vocatas, Cosacorum, qui inde Zaporohiani dicti, sedes, ac tandem Bog fluuii aquis in ostio receptis Ponto Euxino immergitur: Ducenta ipsum milliaria currendo conficere aiunt.

Incolæ Poloniæ. Incolas regni Poloniæ quod attinet, veteres fuere, aut etiamnum eiusdem possessores sunt. De iis superius actum est: de his nunc agendum. Totam regionem potissimum incolunt Slaui aut Wendæ, communi nomine Poloni dicti. Poloni. Germani. Germanorum quoque passim per totum regnum copia haud exigua, in primis vero mercatorum & opificum Vilnæ in Lituania, quorum plurimos ipsi Reges in regnum allexerunt. Imo & oppidula & pagi inueniuntur, præter incolas Germanos paucos alios habentes. Ii lingua sua Germanica vtuntur, cum Silesiaca, & Borussica quam proxime conueniente, etiam in montibus, & Ungariam versus, ac in ipsa Russia. Eorum sedulitas. *Martinus Cromerus Episcopus & Historicus Polonus lib.* 12. *fol.* 311. refert, quod Germanorum Regis *Casimiri Magni* opera in regnum deductorum sedulitas & labor eidem magna incrementa adiecerit, & idem multis

tis oppidis & pagis auxerint. Nam parsimoniæ magis dediti Germani, quam Poloni, & in re familiari maiorem diligentiam adhibentes, elegantiæ quoque & puritati ædium & cæterarum rerum magis student, quod facile animaduertunt, qui per Poloniam iter facientes ad Germanos potius, quam ad Polonos diuertere amant. Imo & clare patet discrimen illud ex muris & mœnibus vrbium & ædium, a Germanis constructarum; Collabuntur enim, postea quam a Polonis habitari cœperunt. Hi vero nec a Germanica lingua abhorrent, vtpote qui eidem discendæ operam & tempus impendere solent. Inter Nobilium familias diuersæ reperiuntur a Germanis ortum trahentes, ipsique Germani Cracouiæ proprio suo iure vtuntur. Præter Germanos & Itali quoque in Polonia commorantur, sed non ita freqentes. Borussorum siue Prussorum veterum, præcipue in Russia, haud pauci adhuc sedes suas habere feruntur. In eadem Russia, vt & in Podolia multi Armeni mercatores mercaturam exercere solent. Judæorum vero incredibilis multitudo per totum regnum occurrit, qui vt plurimum idioma Germanicum in sermone vsurpant, & insignibus priuilegiis & immunitatibus gaudent, olim a *Boleslao*, Calisiensi Duce, donatis, & auctis postea a supradicto rege *Casimiro*, anno clↄccclxx. fatis functo. Concubinam alebat hic rex Iudæam, quæ *Esthera* appellata duos peperit filios, *Nemiram* & *Pelcam*, filiasque aliquot, quas in Iudaica religione ipsi educare licebat. Huius gratia Iudæis Regem adeo propitium reddidit. Præter alias caussas & nimiam hanc gratiam, qua Iudæi fruebantur, barbaras nationes allexisse, vt tot ac tantis inuasionibus Poloniæ regnum inundauerint, opinatur *Iodocus Ludouicus Decius, lib. 3. vetust. Polon. fol.* 114.

Germanorum Parsimonia. elegantia.

Itali.

Borussi.

Armeni.

Judæi.

Sicuti autem Poloniæ habitatores varii sunt ac diuersi, ita etiam moribus, ritibus, ac consuetudinibus diuersimodis vti solent. Vulgus Lithuanicum pigritiæ & socordiæ deditum ob insignem stupiditatem passim male audit. Seruilis ingenii homines, quo magis fustibus contunduntur, eo maiori amore heros complectuntur. Sunt inter eiusmodi mancipia, in primis ea, quæ Rutticam religionem profitentur, quibus dura sua seruiture mortis beneficio liberatis, & bene vestitis cognati et consanguinei, cum terræ mandantur, viaticum adiungunt, et literas ad *S. Petrum* scriptas, vt ipsis facilior, et promptior ad cœlum aditus concilietur. Vnum conclaue præter varios alios, quibus inseruit, vsus, etiam homines et bestias promiscua habitatione vtentes recipit. Puerperæ triduum aut quatriduum duro scamno incumbunt, mox postea se ad labores consuetos recipientes. Lautioris conditionis Lithuani in scamno pelle vrsina vestito somnum capiunt, ac ideo cæteris se præferre non dubitant. In mollibus autem lectis dormire dedecori vertitur. Matrimonia leui admodum de causa dissociantur, ac vxoribus præter maritum, et alios adhuc habere, qui marito rerum suarum non satagenti succurrant, vitio non datur. Sed mariti cum aliis feminis rem habentes, et deprehensi infamia notantur. Vino obruti litibus et pugnis mutuis se infectantur, ac peregrini alicuius cædem sexdecim Thalerorum solutione redimunt. Moneta vtuntur, quæ *Rubius* nuncupata centum grossos valet. Capitis damnatus sibi ipsi mortem laqueo, aut quouis alio modo consciscere cogitur: Si facere id detrectet, tamdiu ab hero suo verberibus cæditur; donec sibi ipsi manus inferat. De his & aliis Lithuanorum ritibus videatur *Alex. Guagninus de rebus Poloniae: Olaus Magnus lib. 3. c. 1. Thom. Lansius in consult. de Princip: Georg. Braun in descriptione Vilnae: Salomon Neugebauer lib. 1. rer. Polon: Laurentius Mullerus in Historiis Poloniae, & Livoniae, &c.* Samaitæ vel Samogitæ A. 1386. post C. N. fidem Christianam amplexi sunt, hactenus tamen idololatria penitus non vacui, vtpote qui adhuc domesticos illos serpentes, *Givoitos* ipsis nuncupatos in honore habent. Poloni sunt bellicosi pariter & ingeniosi, ac peregrinationibus variis & longinquis delectantur. Nobilitas ciuilitati studens libertatis est amantissima, ac ideo de munitorum locorum defensione parum solicita, cum sua cor-

Polonorum mores.

Lithuanorum seruile ingenium.

puerperæ.

Samaitæ.

Poloni bellicosi.

Nobiles linguis dediti.

pora regni patrocinio sufficere arbitretur. Nobiles iuxta cum mercatoribus præter vernaculam suam & aliis quoque linguis addiscendis, Germanicæ nimirum, Gallicæ, ac Italicæ, vt & Ungaricæ, ii præsertim, qui in Hungariæ confinibus commorantur, operam nauant. Latinæ autem linguæ cognoscendæ passim vt plurimum dediti sunt, licet accentum syllabarum non adeo accurate obseruantes minus eleganter, & decore eam pronuncient. Vna porro Academia, Cracouiensis nimirum, in Polonia inueniebatur. Addidit alteram, *Stephano* Rege rerum potiente, *Zamoscius* regni Cancellarius magnus, cui in noua sua vrbe Zamoscia erectæ de omnium facultatum Professoribus prospexit. Posonia quoque iam Academia sua nobilitatur. De his suis locis dicemus. De ecclesiastico statu, & ecclesiasticis rebus ita *Cromerus lib. 25. rer. Polon. fol. 547. Ab Anno* inquit, *1363. Pontificia auctoritas in Polonia debilitata est, & electioni liberae vis illata; ita vt ex eo tempore ea sublata, vmbra modo eius quaedam penes sacra Collegia remaneat, non sine grandi non modo Ecclesiasticae authoritatis verum etiam Religionis, & Reipublicae iactura.* Eo in loco hæc prolixius tractat. Si necessitas & Rex postulet, etiam ecclesiasticis in bellum eundum est. Variæ Religiones per totum regnum vigent, inter quas Catholica primas obtinet. Nobilium tam ingens est numerus, vt eorum ducentena millia quandoque numerari perhibeant. Rex quoque centum & quinquaginta millia equitum, tam leuis quam grauis armaturæ millia, in bellum educere posse fertur. Hi stipendia non merent, sed propriis sumptibus, postquam tertio mandato mensis vnius spatio conuocati fuerint, Regi aut Regno seruitia bellica præstare coguntur. E contrario Nobiles insignibus immunitatibus & priuilegiis gaudent, sine vlla Principum, Baronum, diuitum, aut alius alicuius dignitatis superioris distinctione. Si quis nobilis extra regnum in bello captus, aut alio aliquo damno affectus fuerit, Regis est damnum sarcire, & captiuum redimere. Vno autem titulo nobilitatis Polonicæ, & Lituanicæ, etiam ipsi Duces, Principes, Barones, ac Comites cum cæteris nobilibus comprehenduntur, ac in eodem dignitatis censu habentur, vtpote qui peculiarem regni ordinem non faciunt, nec ipsis etiam nobilibus, ac cæteris equestris ordinis, aut antiquiori stemmate claris hominibus potiores aut superiores æstimantur. Ea de causa *Rodziuilius*, Ducis titulo accepto ab Imperatore Romano, facti rationem reddere coactus est coram Regni ordinibus, *quasi ille morem Reipublicae anteuerteret, vnde omnis titulata Nobilitas exularet, vt Fredro p. 92.* dicit. Titulos tamen, quorum participes facti sunt, retinent, vt patet ex titulo *Georgii Ducis Ossolinii*, Cancellarii Polonici, qui anno 1637. in conuentu Electorum Ratisponæ Imperii Romani Princeps creatus est. Senatores tamen Poloniæ, qui cum Rege suo *Sigismundo* Viennam venerant, cum nonnullis Ducum, aliis Comitum dignitas, a *Maximiliano*. I. Imperatore oblata esset, gratiarum actione humillima honores istos recipere recusarunt, nobilitatis suæ titulo contenti, vt idem *Fredro* tradit.

Academiæ.

Status Ecclesiasticus.

Religiones.

Nobiles.

Uno nobilitatis titulo omnes gaudent.

Quos Rex illustres nuncupet.

Regni tamen Mareschallum, vt & supremum Cancellarium, Rex Illustres nuncupat, vt *Piasecius* refert. Porro nullum alium ex Senatoribus regni eodem titulo dignatur, quam vnicum Castellanum Cracouiensem, qui inter sæculares Senatores primum locum obtinet. Hanc nobilitatis dignitatem tanti faciunt Poloni, vt ægerrime ignobilibus parentibus natus quis particeps eiusdem reddi queat. Peregrinus, licet nobilibus parentibus prognatus, & antiqua & admodum nobili stemmate oriundus, nonnisi multis & maximis in regnum meritis, ac communi omnium ordinum consensu hanc dignitatem, & eiusdem iura & immunitates consequitur. Spuriis nec nomine, nec insignibus prosapiæ, ex qua prodierunt, vti, nec etiam hæreditatem vllam adire fas est. Cum præter ea plerique totius regni muneribus nobiles præesse soleant, haud exiguus inde splendor ipsorum ordini conciliatur.

Reliqui

Reliqui incolæ Regni extra nobilium ordinem constituti, vel ciues sunt, ciuitates per totum regnum incolentes, vel per pagos, vicos, & rura sparsi. Nobiles & cæteri mercatores, ac ciues in ciuitatibus potioribus diuitias & bona pleraque possident. Vulgus reliquum, instar mancipiorum, dura seruitute pressum miseram vitam degit. Pars a labore non adhorrens parco ac tenui victu, non sine sudore graui comparato, vitam sustentat. Pars laboris impatiens ad furandum et rapiendum se confert, aliisque illicitis negotiationibus operam nauat. *Casparus Hennebergerus in maiori Prussiae tabula* sequentem narrat historiam. Anno 1583. minister, aut scriba cuiusdam nobilis Poloni in Borussia Regiomonti ad *Martinum Polkeinum* diuerterat, qui altera vice reuersus ab eiusdem sui hospitis vxore summam pecuniæ postulauit, quam priori vice ipsius fidei se concredidisse aiebat: quamuis in ea re mendacissimus esset. In carcerem igitur coniectus, ac inde ad iudices adductus, cum seueriore inquisitione se examinandum videret; tandem confitebatur, in Polonia in more positum esse, si quis pecuniæ angustiis premeretur, nec, vnde illa petenda, sciret, vt aliquem in iudicium vocatum pecuniæ concreditæ reum faceret, & falso aliquo teste conuinceret; vt ita in carcerem coniectus solito more certis diebus ferrea claua cruribus miserum in modum verberatis, dolore intolerabili partim, partim captiuitatis tædio vinceretur, et debiti ficti ac mendacis confessione extorta se reum fateretur, ac de eius solutione cum accusatore transigeret. Machinatione eadem se hic hospitis sui nummis insidias quidem struxisse, sed testem idoneum nancisci non potuisse, cuius adiumento hospitæ suæ innocentiam expugnaret. *Iohannes Dubrauius Olmucensis Episcopus in suis Annalibus Bohemicis* adhuc suo tempore in Polonia consuetudinem obtinuisse tradit, vt qui alterum furti accusaret, eundem ipse patibulo affigeret, si idem sibi a fure fieri non vellet. Exemplum etiam adducit præcipuæ notæ ciuis cuiusdam Vratislauiensis, qui furem, a quo quingentis florenis spoliatus fuerat, ipse in crucem agere coactus fuit. Ne tamen infamiæ notam homini factum hoc coactum inureret, publicis literis ipsi datis, & *Casimirus* Poloniæ, et huius filius *Vladislaus* Vngariæ, et Bohemiæ rex cauerunt. *D. Laurentius Mullerus in Polonica sua historia Lit. C.* memoriæ prodit: Regem *Stephanum* postea multis salubribus constitutionibus, et legibus latis antiquas partim mutasse, partim abrogasse, ac nouas et meliores in earum locum substituisse. Inter abrogatas & hæc erat, quæ nobilem cædem perpetrantem, & ciuem aut rusticum aliquem vita, etiam de industria, spoliantem, viginti florenorum Polonicorum solutione facta homicidii absoluebat. Occupauit autem eius locum seuerius statutum grauiore pœna homicidiorum illius temporis frequentiam coërcens. Porro legem habent Poloni, cuius vigore ex regno proscriptum & capitis diminutum, si in ipso regno deprehendatur, occidere cuilibet impune licet. Omnes item Magistratus, in quorum ditione deprehenditur, eundem captiuum facere, & ad meritam pœnam accipiendam custodire, eadem lege tenentur. In Regis tamen est potestate ipsi literas concedere, aut diploma largiri, cuius beneficio ipsi certum in Regno commorandi spatium, quo nemo ipsi molestus esse audet, permittitur, vt rebus suis consulat. Homicidium mulcta pecuniaria quidem punitur, cuius summam iudices constituunt, & nominant: Reus tamen in fœdum & profundum carcerem coniicitur, vbi ipsi annum vnum ac mensem vnum cum dimidio commorandum est. Non tamen quemlibet sine vllo discrimine mulcta hæc pecuniaria supplicio capitali liberat. Nam in ipso facto deprehensi homicidæ, & latrones capitali supplicio afficiuntur. Qui aliquem globo ex sclopeto emisso occidit, geminam mulctam soluere, & biennium in carcere captiuus esse cogitur. *Auctor Poloniae defensae p.*80. Antehac ab omnis generis tribunalibus ad Regem prouocare licebat. Sed *Stephano Batoreo* regnum administrante constituta sunt duo illa Parlamenta, seu tribunalia magna, Petrikouianum

Ciues. | Vulgus promiscuum seruitutem seruit. | Historia. | Mirus puniendi fures ritus. | Rex Stephanus legislator. | Lex in proscriptos. | Homicidii | Prouocatio ad Regem. Duo tribunalia magna.

ſcilicet, pro magna Polonia & Boruſſia, ac Lublinenſe pro minore Polonia, & Ruſſia: vtriuſque Iudices muneri ſuo vnum annum præſunt. Maximi momenti tamen cauſas, vt & lites ciuitatum, & redituum ad Regem pertinentium occaſione ortas, Rex ipſe cum ſenatu regni in comitiis publicis iudicare ſolet. Germanis Poloni non admodum fauent; vnde & *Paulus Piaſecius, Polonus ille Epiſcopus, in Chronicis ſuis pag. 40. Polonia*, inquit, *& Slauonia, tota gentis natura, abhorret a ſtudiis & artibus Germanorum, & quicquid venit inde, quale illud ſit, praeter operas Mechanicas, ſibi noxium reputat, & reiicit ſuſpectum.* Quicunque inter Polonos mentiendo a veritate deflectit, & mendacii conuincitur, maxima infamia notatur. Quoad cibum, potum, & veſtimenta nullæ ſunt leges, quæ abuſum eorundem & nimiam luxuriam cohibeant. Luxurioſi inde Poloni, & inter peregrinos etiam ſumptuoſi, laute viuendo, & pretioſis veſtibus vtendo multum pecuniæ conſumentes. Vt *Starouolſcius* narrat, non nobili ſolum genere nati pellibus precioſis, et pannis magno conſtantibus ſe veſtiunt, ſed et inferioris etiam conditionis homines in ciuitatibus in veſtibus holoſericis, aliiſque eius generis comparandis nullis omnino ſumptibus parcunt: Equos argenteis phaleris exornant, ex argenteis vaſis cibum capiunt, altaria, etiam in pagorum templis, argento onerant: Imo eo luxuriæ proceſſerunt, vt ipſi corpori argento, auro, margaritis, et lapidibus pretioſis ornamentum conciliare ſummopere ſtudeant, et nihil amplius reſtet, quam vt etiam auro et argento veſcantur. Ex hoc fonte luxuriæ tot inter ipſos lites exiſtere, et animoſitatem, ac fortitudinem conſuetam, qua in bello hoſtes aggredi ſolebant, euaneſcere, idem auctor aſſerit. Porro viuendi lautitiam anſam præbere Magnatibus, et Nobilibus, vt maiorem redituum annuorum partem aromatibus et ſumptuoſis condimentis ac vino impendant. Inueniuntur, qui interdum ſexaginta et amplius veſtes pretioſas et magnificas ſoli ſuo corpori accommodatas in promptu habent, ac præterea veſtitu magnifico miniſtros ſuos exornandos curant, maiorem bonorum ſuorum partem in eiuſmodi faſtum ſæpe inſumentes, vt cum vxoribus et liberis ornatu faſtuoſo decorati incedere poſſint. Tacendi ſumptus facti, ſolius faſtus gratia, in domos et ædificia ex lignis ornate congeſta, et a lignorum ſtruibus igni fouendo idoneis parum abludentia. Pedibus multum viæ percurrere indecorum æſtimatur, eaque de cauſa currus et rhedæ ſex equis iunctæ in vſum adhibentur: Viri tamen magis equis quam curribus vehi ſolent. Narrat *Piaſecius Epiſcopus Polonus*, cum anno 1589. *Sigiſmundus* Poloniæ Rex Ordinum Regni permiſſu ad *Iohannem* Sueciæ Regem patrem ſuum Revaliæ in Livonia tunc temporis commorantem veniſſet, Magnates Polonos ipſum comitantes haud exigua miniſtrorum caterua ſtipatos fuiſſe, et inter alios *Chriſtophorum Radziuilum*, Vilnenſem Palatinum, mille et amplius homines ſecum in comitatu ſuo adduxiſſe. Regis autem *Iohannis* mandato cum inter hoſpites commeatus diuideretur, ac duo boues *Radziuilii* Principis comitatui toti attribuerentur, vnum ex iſto comitatu, quod tot hominibus, qui cum principe venerant, duo boues non ſufficerent, conqueſtum eſſe, ac reſponſum ab oeconomo regis hoc tuliſſe, ſi boues non ſufficerent, et capras addendas eſſe. Innuebat autem, Suecos parſimoniæ ſtudioſiores quam Polonos eſſe, ac hos omnibus ſuis bonis dilapidatis ad incitas ſæpe redigi. Cæterum veſtes nobilium Polonorum quoad interiorem partem pellibus illis pretioſis, quæ martibus Scythicis detractæ, et in vſum paratæ ſunt, aliiſque id genus obduci, et ſæpe duobus aut tribus Imperialium millibus comparari ſolent. Portio autem eiuſmodi pellis, magnitudine dimidii pedis menſuræ vix reſpondens, quinquaginta et amplius imperialibus conſtat, vt *Defenſae Poloniae Author* ſcribit.

Poloni Germanis non fauent.

Polonorum luxus.

Lautitia in viuendo.

Ædificia ſumptuoſa.

Hiſtoria de Polonorum prodigalitate & Suecorum parſimonia.

Luxurioſi ergo Poloni et inter peregrinos etiam ſumptuoſi, laute viuendo, et pretioſis veſtimentis vtendo multum pecuniæ conſumentes. Ad ebrietatem proni conuiuiis et compotationibus crebris delectantur, ac genio indulgent. Vulgo

go ipsi solenne est quotidianis ingurgitationibus vinum adustum, aut spiritum vini destillatum haurire; vnde etiam euenire solet, vt ipsi milites in vigiliis agendis remissiores, et in locis furtioribus custodiendis ob ebrietatem negligentiores vitæ & locorum iactura quandoque comportationes suas intempestiuiores luant. Gratulatorios bonæ valetudinis haustus frequentius iterantes, & mero onerati vasis vitreis, ligneis, aut similibus, mutuos capitibus ictus infligunt, & strenue depugnant. Minister aut seruus aliquis licet triduum, quatriduum, aut plures dies ab inuiti heri seruitio abfuerit, si modo in sanitatem heri se pocula euacuasse dixerit, strenuus homo habetur, & nullo negotio veniam impetrat. Raso & caluo capite in cuius sincipite parum capillorum relictum est, Poloni incedere consueuerunt. Ideo autem hoc fieri perhibent, quoniam cepis & allio frequenter vescuntur, vt vaporibus illis grauioribus per capitis poros capillis nullis tectos exitus promptior pateat. Alii a Benedictinis hanc consuetudinem profectam, & a Rege *Casimiro* in Poloniam introductam esse dicunt Cum regium in Poloniæ regno stemma esse desiisset, dictus *Casimirus* ex Cluniacensi monasterio Galliæ, in quo Monachus viuebat euocatus, & in Regni solio regio locatus est: qua de re *Casparus Plautius in Novi Orbis navigatione* legendus. Excellentis formæ femininus sexus nonnullas quandoque suppeditat ad libidinem proniores, quæ corpus suum vulgare solent. Insignia Regni figuram exhibent aquilæ albæ coronatæ, rostrum aperientis, & patulas alas expandentis.

Vulgus ad ebrietatem procliue.

Cur Poloni capite radantur.

Feminæ.

De diuitiis Polonorum, & quidem Magnatum, *Boterus* scribens ditissimos eorum vix viginti quinque millia coronatorum excedentes reditus annuos possidere dicit. Sed eas minus ipsi cognitas fuisse arguunt longe maiores reditus annui, quibus superioribus, & proximis his temporibus ante Suecorum in Poloniam irruptionem Magnates quotannis fruebantur, non enim vnus, & alter, sed plures diuitias ingentes possederunt, & proinde etiam reditibus annuis grandibus abundarunt. *Ianussius* Dux Ostrogiensis, et Castellanus Cracouiensis, vt *Piasecius Episcopus p.* 313. indicat, cum sine mascula prole vlla, vnicam tantum filiam relinquens anno 1636. ex hac vita excessisset, tantas diuitias reliquas fecit, vt Crassi Romani opulentiæ famosæ ne minimum quidem concessisse iudicatus fuerit. Nam in expeditionibus bellicis diuersas aut plures militum legiones, quales in hodiernis bellis vsitatæ sunt, propriis sumptibus alere solitus est, et testamento ex bonis suis mandauit quotannis ali sexcentos equites armatos contra Russiæ Polonicæ hostes, quod ab illo tempore ex voluntate eius vltima obseruatum esse *idem Auctor* testatur. Porro numeratæ ipsius pecuniæ erant trecenta aureorum seu Ducatorum Vngaricorum millia, præter alios nummos, margaritas, lapides preciosos, auream et argenteam suppellectilem, et ingentem aliarum rerum copiam, quæ post eius obitum omnia in thesauro eius reperta sunt. *Idem auctor pag.* 423. sequentia commemorat. Anno 1631. vita functus est *Andreas Lipski* Episcopus Cracouiensis, nongenta Polonicorum florenorum millia, præter suppellectilis pretiosæ, aliorumque bonorum ingentem copiam hæredibus suis reliquit. *Poloniae defensae Auctor pag:* 126. *&* 127, plures in Polonia dicit tot ac tanta auita bona passim in regno possidere, vt coniuncta facile viginti aut triginta milliarium regiones et tractus effectura essent. Haud paucos item reperiri, qui mille pedites, et totidem leuis armaturæ equites, imo et ter aut quater mille Cosakos, aut Dragones ex iis in bellum emittere possint, inter quos rura et campi ipsorum proprii diuisi sunt. Hos ad expeditiones bellicas paratos semper habere dominum, qui in bellum profecturis pauxillum stipendii addere soleat. In magna Polonia, in qua res pecuaria maxime vigeat, vnum quendam in villis suis vnius hyemis spatio triginta ouium millia aluisse. *Pag.* 128. In Russia Polonica moris esse refert, vt subditi singulis septem annis rei

Polonorum diuitiæ.

Res pecuaria.

In Russia.

 suæ

suæ pecuariæ decimas exhibeant; Ex his quendam vna vice decem boum millia accepisse. Septennii autem moræ pertæsum bona sua ita partitum fuisse, vt singulis annis ipsi plures quam mille boues obtigerint. Ex piscinis annuum quoque commodum grande in possessores redundat, licet pisces vili admodum precio veneant. Præterea nobiles & cereuisiæ habent coctores qui cereuisiam ex frumento suorum Dominorum coquunt, quæ a subditis empta, & vel domi, vel in cauponis bibita reditibus nobilium annuis haud exiguum incrementum adiicit. Idem facit & vinum adustum, aut spiritus vini, passim in Polonia ex tritico paratum. Sicut autem ingentes pecuniæ sæpenumero ingentium profusionum causæ solent existere, ita quoque & hic apud Polonos idem contingit, vt *pag.* 133 *Auctor* dictus porro tradit, enumerans ministros, & seruos, quos magnates & nobiles Poloni magno numero alere consueuerunt. Mentionem autem facit cuiusdam sibi probe noti, quem singulis annis præter victum & amictum quinque vel sex Imperialium millia in Musicæ artis peritos Italos insumere ait. Inueniri quoque dicit, qui quotannis centum Dragones, plerosque Germanos, centum Cosacos, & centum Vngaros pedites, quos Haidukos nuncupant, aut custodiæ aut fastus gratia sustentare soleant; Ad comitia vero proficiscentes, aut publicis Regni muneribus fungentes comitatum suum triplo aut quadruplo auctiorem reddere. Sunt, qui ducentos, trecentos, aut plures equites secum habeant.

Piscinæ.
Cereuisia.
Vinum adustum.

Huius autem regni potentissimæ vires militares consistunt in nobilitate, quæ vnius mensis spatio per diploma & nuncios ter vocata, & congregata suis propriis sumptibus Regi aut Imperatori militiæ præsto esse cogitur. Interdum contingit, vt in vna tantum prouincia nobilitas congregetur, quam congregationem Polonica lingua *Pospolite* vocant. Ex nobilibus Quartiani sunt, qui ex quarta redituum regiorum parte sustentati semper & in omni necessitatis casu ad bellum prompti & parati esse debent, vt vocati præ aliis omnibus sine omni mora præsto esse queant. Originem suam debent Regi *Sigismundo Augusto*, ex cuius constitutione ordo hic militaris profectus, a quarta redituum regiorum, qua alitur, parte nomen accepit. In militia igitur Polonica potissimum equitatum constituit nobilitas; cui accedunt Cosaci in armorum exercitio non minus versati & magno hostes suos animo aggredientes: de quibus, vt & reliquis militibus Polonici exercitus, cuius alendi gratia omnes in Regno Poloniæ subditi, solis Doctoribus, Magistris, & studiosis exceptis, soluendis vectigalibus & tributis subiecti sunt, *Simonis Starovolsci Eques Polonus* consuli potest. Cosaci nomen habere dicuntur a voce Ruthenica Cozac, quæ militem vagum, & ex rapto viuentem significat. Ex insulis Borysthenis, de quibus supra in huius fluuii descriptione mentio facta est, primum exiisse, & adhuc in iisdem hodie habitacula sua habere feruntur, inde Zaporenses, aut Zaporouienses Cosaci etiamnum nuncupati, qui Græcam religionem profitentes, Turcis Pontum Euxinum accolentibus multum negocii facessunt, ac maximam partem Kiouiensi Episcopo subiecti sunt, libertate tamen sua gaudentes, homines indomiti, mortisque contemptores, ac mori, aut vincere certi, vnde & Cosacorum nomen sibi adsciuerunt. A Rege Poloniæ vocatos sine stipendio aliquo ipsi in bello operam nauare oportet. Finito bello dimittuntur pecuniæ summa aliqua donati, & ex ipsis præcipui muneribus affecti. Ipsorum initium aut prima mentio incidit in tempora Regis *Sigismundi* I. quo regnante Cosakorum Dux militaris fuit *Ostaphaeus Daskievicius*, ex oppidulo Ourucko oriundus. In dictis igitur insulis, quas Borysthenes alueo suo lato includit, populus hic bellicosus commoratur, ex iis Tartaros et Turcas vicinos incursionibus et depopulationibus suis infenstans. In Palatinatibus vero Kiouiensi et Braslauiensi, casas suas, domos, et agros habent. Tartaros ex Polonia aut Moscouia reuertentes ex insidiis obruere, et præda acquisita iterum spoliare solent. Insulæ enim Borysthenis dictæ quatuor tantum dierum itinere

Vires regni Militares.
Quartiani.
Cosaci.
Eorum origo, & sedes.
Duces Ostaphæus Daskieuicius.

ab

ab angustiis Peninsulæ Tauricæ absunt. Cum *Stephanus* Rex administratione Regni fungeretur, Dux ipsorum militaris fuit celeberrimus, et fortissimus ille heros *Potkova*, qui fidei publicæ nimium confisus in Poloniam venit, et ob damnum ingens, quod durante pace Turcis intulerat, magnanimitatem suam vitæ iactura luit. Dictus Rex *Stephanus* Cosacis Castellum Techtimirow cum tota diœcesi in Borysthenis fluuii litore, omnique tractu viginti milliaria Germanica intra Kiouiam complexo inhabitandum concessit, vt ibi ipsorum præfecti sedem suam haberent, et porro armamentarium esset. Ducem militiæ summum Rex ipsis præficiebat, cæteris muneribus militaribus ipsi præficiebant, quos volebant. Hi cum Duce suo, et præsidio satis firmo in Castro Techtimirouio manebant. Insulæ autem Borysthenis bis mille militibus firmabantur, qui excubias ibi agebant, et aditus custodiebant. Cæteris vero omnibus Cosacis hyberno tempore licitum erat in suas domos, et ad bona sua in Polonicis prouinciis se conferre, et res suas curare. Polonorum hostibus plurimum semper obfuêre. Etenim prona incuruatione per gramen serpendo inopinata oppressione castra hostium obruere, flumina sine, aut cum vtribus tranare, et armis tergo impositis equorum caudis adhærentes natando superare nouerunt. Lintribus suis commeatu requisito oneratis sexaginta imponunt milites, totum pontum Euxinum peruagantur, vrbeculas et pagos Turcarum depopulantur, et naues ipsis eripiunt; imo ad Bosphorum Thracium ante ipsam regiam Constantinopolim situm se conferre audent. Hoc adeo frequenter superioribus annis facere solebant, vt Imperator Turcicus, qui pacem cum Polonis inierat, eius ruptionem minaretur, et ipsæ incursiones maiora secum incommoda trahentes Polonis etiam penitus displicerent. Ea de causa exercitus Polonici Imperator summus Dominus *Koniecpolscius* publicis Regni sumptibus anno 1637. munimentum extruxit fortissimum Hudack (nouissimæ tabulæ Dantiscanæ Kudack habent) eo in loco, vbi Samara in Borysthenem se effundit: vt eo commodius, et melius domari possent, qui iam vehementer cristas erigebant, et potentiores, iam ipsis Polonis insultare incipiebant. Eosdem etiam inter vrbeculas Motzni, et Cumeychi fudit, et ex prælio Borovitzium se recipientes obsedit, ac obsessos domuit. Sed postquam anno 1638. Dux ipsorum militaris *Paulucus* Warsouiæ contra fidem publicam datam capitis supplicio affectus, & ipsis Cosacis omnes immunitates, & priuilegia cum oppidulo Techtitouio erepta sunt a Regibus Poloniæ, maiori cura & solicitudine rebus suis prospicere inceperunt. Hinc postea *Nicolaus Potocki* Polonicæ militiæ Imperator summus in expeditione contra ipsos suscepta, apud oppidula Holtew, & Lubniam, pessime exceptus, & cum exercitu magno damno affectus est. Post illa quieuerunt vsque ad annum 1648. quo *Bogdanus Chmielnicius*, qui Chmielnicki vulgo nuncupatus est, insigni contumelia affectus a Præfecto domicilii sui, quod erat Corsunii, non solum Cosacos, & totius Russiæ Polonicæ rusticos omnes ad rebellionem excitauit, sed etiam Tartarorum auxilia sibi adsciuit. Seditio hæc vt & incommoda ac damna ab eadem profecta extiterunt ex mera incuria, & imprudentia regiorum Præfectorum militiæ, qui *Stanislao Koniecpolskio* 11. Martii anno 1646. mortuo successerunt, vt *Piasecius* refert. *Chmielnicius* autem, vt *Ioachimus Pastorius in bello Scythico Cosacico lib. 1. p. 5. & 6.* commemorat, non strenuus solummodo, & rei militaris peritissimus fuit inter Cosacos miles, sed etiam in literarum studiis & disciplinis versatus, id quod apud homines istos rarum, & insuetum est. Ex gregario milite Capitaneus, & postea Cosacici exercitus ad Regni Comitia, regemque ipsum Legatus, ac tandem eiusdem Notarius factus est. Exercitus ille nullo certo numero constans superioribus annis ad sex millia militum redactus, & Supremi militiæ Polonicæ Præfecti imperio subiectus est: Ægre tamen ipsis Cosacis huic constitutioni assentientibus. Rex *Vladislaus IV. Chmielnicii* aptitudinem, & peritiam animaduertens, eundem Cosacorum

Potkoua.

Incursiones in Turcas.

Hudack munimentum.

Paulucus dux Warsauiæ capite plexus.

Poloni a Cosacis cæsi.

Bogdanus Chmielnicius.

Cosacorum exercitus.

corum exercitui, quem incrementi haud exigui accessione auxerat, præfecit. Tanto honoris gradu exornatus homo se insolenter extulisse, atque ex contentione in quam cum *Czaplinscio* subpræfecto Koniecpolsciano de finibus agrorum suorum venerat, contumeliaque, qua se affectum putabat, occasionem arripuisse fertur, publico incommodo iniuriam vlciscendi, sicuti, modo diximus, & dictus *Pastorius* prolixiore enarratione refert, vbi insularum Borysthenis etiam meminit his verbis: *Chmielnicius facile socios reperit, quibuscum in solitum Cosacorum receptum profugit, ad Insulas scilicet Zaporovianas, quas Borysthenes quinquaginta milliaribus infra Kioviam, per obiacentes transversim scopularum complures gradus (qui in lingua Slavonica* Parohi, *& inde, qui vltra hos habitant, Cosaci Zaporoviani vocantur) praecipitans, & in multas hinc alveos divisus efficit; Piscatui quidem, & fatiendis in Pontum Euxinum excursibus apportunas, caetera steriles, & inhospitas. Chmielnicius Tartaros, qui tum in camparum desertarum solitudinibus hybernabant, praedae suo more intentos in societatem traxit.* Exiguo autem temporis interuallo post *Vladislaus* Rex de vita decessit, bellum illud graue cum Cosacis fratri suo *Casimiro* IV. gerendum relinquens.

Insulæ Zaporouianæ

Cosacorum numerus.

A. M. Fredra Cosacorum numerum incertum, eorumque quandoque octodecim, interdum triginta millia fuisse dicit. Imo *Chmielnicium* vltra ducenta millia diuersis vicibus in campum deduxit, et quidem eo tempore, quo totam Russiam ad rebellionem impulit. In autumno præteriti anni 1657. fato functus esse perhibetur, vt et ante ipsum filius *Timatheus*, qui Pincipis in Moldauia iuniorem natu filiam vxorem duxerat. Sunt præter commemoratos Cosacos etiam Donenses Cosaci in Moscouia, denominati a fluuio Don, antiquis Tanai, cuius accolæ sunt. Hi prædæ inhiantes frequenter naues infestare solent, quæ secundo amne Volga in Caspium mare, aut inde eodem aduerso cum mercibus suis in Moscoviam nauigant: Vnde naues illæ sibi de præsidiariis militibus, quos Moscoviæ Imperator eum in finem alit, sibi prospicere coguntur, vt Donensibus illis Cosacis resistere queant.

Donenses Cosaci.

Exteri apud Polonos milites.

Tartari.

Exteris etiam militibus Poloni in expeditionibus suis militaribus vtuntur, Vngaris nimirum, et præcipue Germanis. Imo et Tartaros ipsos, si necessitas postulet, contra hostes suos, vt auxilium ferant, accersere consueuerunt, vt *Piasecius f. 53.* indicat. Sic nuperrime euocati opem tulerunt præsenti huic Regi *Ioanni Casimiro* contra Suecos, et discedentes magnam hominum multitudinem ex Polonia captiuam abduxerunt. Alias Polonorum hostes sunt perpetui, quamquam ea libertate hoc tempore non gaudent, quam ante hac habuerunt, postquam Turcarum Imperator Chersonesum Tauricam in potestatem suam redegit, et Tartaros illos imperio suo subiecit. Anno 1594. Sniatino per Pocuciam transeuntes, ac Haliciam prætereuntes, Carpathiis iugis superatis, Stryium petierunt, et Turcis in Vngaria auxilio fuerunt. Magnus *Chamus*, aut Scythicarum Hordarum, vel Tartarorum Princeps, centum mille et amplius equites Turcis subsidio mittere potest, vt *Fedro pag.* 123. testatur. Mirum tamen est, regionem ipsorum tam angusto spatio circumscriptam tot hominum capacem esse, præcipue si ingens captiuorum, quos singulis annis passim ex vicinis regionibus et terris abripiunt, numerus consideretur. Eos vbi relinquant, haud immerito quis rogare posset, nisi illud cogitauerit, quod eos procul dubio inter Turcas et Barbaros diuendant. Prodierunt autem Tartari circa annum Christi 1211. ex orientalibus illis regionibus ad Hyrcanum mare, et Caucasum montem sitis, occiduas terras petentes. Polouciі primi fuerunt, qui ab ipsis Volgam fluuium transmittentibus pene omnes deleti sunt. Russi quoque ingenti prælio fusi maxima multitudine irrumpentibus aditum praebuerunt ad Europam, cuius haud exiguam partem occuparunt, ex pluribus tamen locis iterum eiecti. *Ogerdus* Lituaniae Princeps anno 1331. ex toto illo tractu, qui a Kiouia vsque ad

Vnde venerint.

Oczako-

Oczakouiam vrbem, et a Putivilo vſque ad oſtium fluuii Tanais excurrit, ipſis expulſis arces Tathoviciam, Bialocercuiam, Suinigrodum et alias extorſit. Podoliam quoque ipſorum iugo liberatam inter *Coriathi*, fratris ſui, filios distribuit. Tartari enim omnes illos tractus cis et trans Tanaim, quae nunc deſerta nuncupantur, in poteſtatem ſuam redegerant, Podoliae Baſkakos, i. e. praefectos ſuos praefecerant, ac Volinienſes & Kiiouienſes ditiones expilauerant. Anno 1656. proximo Magnus Tartariae Princeps in literis ad *Ioannem Caſimirum* Poloniae Regem datis, Crimenſium, Precopenſium, Petrocenſium, Circaſſenſium, Semecenſium, Kuperacenſium etc. Chamum et Imperatorem ſe appellauit. An vero ipſi, vt Domino ſuo, cuncti pareant, iure ac merito dubitari poteſt. Armis vtuntur Tartari veneno infectis, vt et magicis artibus, quarum ope anno 1575. oppidulum Sieniawam in Podolia tam ſubito occuparunt, vt cuſtodes et vigiles vrbem captam prius ſenſerint, quam ipſos irrupiſſe animaduerterent; imo parum etiam abfuiſſet, quin et arcem ipſam in poteſtatem ſuam redegiſſent. Cum Turcis Poloni iam bellum non gerunt, ſed pacem colunt, et Legatum ſuum, non tamen ſemper, Conſtantinopoli in aula Turcica habent. De ipſorum militia ita ſcribit *Piaſecius in An. 1634. pag. 477. Perpetuum malum Caſtrorum Polonicorum, in quibus si ſint decem millia bellatorum, ad minus quinquaginta millia calonum, totidemque equorum ſupervacaneorum poſſunt numerari: Honeſtas tamen in eis eſt maior, quam in ceteris Chriſtianorum caſtris, quia nulla ſcorta circumducunt.*

Titulus magni Principis Tartariæ.

Polonorum militia.

Vt vero paucis, quae hactenus de huius gentis moribus prolixe tradita ſunt, complectar, inter ſeptentrionales Europaeos Poloni vrbanitatem ſingulari ſtudio colunt, et in honore aliis exhibendo, ac congreſſibus publicis miram grauitatem tenent, ſummo honore proſequentes eos, a quibus viciſſim honore afficiuntur. Libertatis amantiſſimi, et morum ſuorum retinentiſſimi, ingenio pollent ad omnis generis diſciplinas maxime idoneo, quibus plerique nobiles dediti ſunt. Oblongis vtuntur togis, Turcarum more, et in corpore ſuo precioſis admodum veſtibus exornando nullis ſumptibus parcunt. Magnates, Nobiles, ac diuites paſſim laute admodum, et opipare viuentes cibis lautis et delicatis multum pecuniae impendunt, et magnam aromatum copiam quotannis conſumunt. Vulgus promiſcuum et ruſtici mancipia fere ſunt, ac dura ſeruitute preſſi, vt plurimum arcte contenteque viuunt. In condiendis cibis, vt et epulis parum culti, eodem poculo potum hauriunt, et non mantilibus, ſed mappa communi digitos abſtergunt, ſummaque inciuilitate cibum capiunt. Pauci reperiuntur, qui Latinam linguam ignorent. Vrbes aedificiis ſat lautis exornatae: In agris domus frequentes ex lignis, luto et palea. Lingua Slavonica in toto regno vſitata.

Breuis morum Polonicorum repetitio.

Quoad religionem, Ethnici fuere vſque ad tempora Regis *Miecislai*, ſub quo Chriſtiani facti ſunt, quod ipſe caecus oculos recepiſſet. Vnde quotannis certo die pueri ſtatuam in aquas deiiciunt. Diu nobiles ſub initium Euangelii gladium ex parte ſtringebant. Catholico Romana religio vſque ad *Lutheri* aduentum in Regno viguit, quam Epiſcopi et Ieſuitae, quantum in ipſis ſitum eſt, hactenus conſeruare ſtudent. Inſinuarunt ſe et aliae religiones, poſtquam *Lutherus* Catholicorum dogmata oppugnare cœpit. Paſſim enim Lutherani, Caluiniani, Anabaptiſtae et Sociniani, inueniuntur. Rutheni Graecos, Armeni ſuos ſequuntur ritus. Sic Eccleſiae variis ſchiſmatibus laceratæ nutrix eſt Polonia, etiam Iudaeis plurimis referta. Quin et Mahumetanis nonnullis praebere domicilia fertur.

Religio

Totius Regni Polonici corpus ex nobilibus, et ignobilibus conſtans Eccleſiaſticos complectitur, et Seculares, ex quibus Regni Senatus, qui ex omnibus prouinciis eligitur, conflatus, vt in magni momenti negotiis Regni praeſto ſint. Senatorum quadruplicem ordinem enumerat *Starovolſcius.*

Politia.

Senatores

I. Duo

Ecclesiastici.

I. Duo Archiepiscopi, Gnesnensis et Leopoliensis. Quindecim Episcopi: Cracouiensis, Cuiauiensis, (*Posnaniensis*,) Vilnensis, Plocensis, Varmiensis, Praemisliensis, Samogitiensis, Culmensis, Chelmensis, Kiiouiensis, Luceoriensis, Camenecensis, Vendensis, et Smolenscensis.

Sæculares Palatini.

II. Triginta quatuor Vaivodae siue Palatini: Cracouiensis, Posnaniensis, Vilnensis, Sendomiriensis, Calissiensis, Trocensis, Siradiensis, Lanciciensis, Brestensis (*Cuiaviae*), Kiiouiensis, Inovladislauiensis, Russiensis, Volhyniensis, Podoliensis, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belscensis, Nouogrodensis, Plocensis, Vitebscensis, Massouiensis, Podlachiensis, Rauensis, (*Brestensis Lithuaniae*) Culmensis, Mscislauiensis, Marieburgensis, Braslauiensis, Pomeranus, Minscensis, (Vendensis, Derpatensis, Parnauiensis,) Czerniechouiensis, Capitaneus Samogitiae.

Castellani Maiores.

III. Octoginta quinque Castellani, qui vel maiores sunt, vel minores. Maiores: Cracouiensis, qui cunctos Palatinos antecedit, et proximum post Episcopos locum obtinet: Vilnensis, Trocensis, Posnaniensis, Sendomiriensis, Calissiensis, Voinicensis, Gnesnensis, Siradiensis, Lenciciensis, Samogitiensis, Brestensis (*Cuiaviae*), Kiiouiensis, Inovladislauiensis, Leopoliensis, Volhiniensis, Camenecensis, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belzensis, Nouogrodensis, Plocensis, Vitebscensis, Cernensis, Podlachiensis, Rauensis, Brestensis (*Lithuaniae*), Culmensis, Mscislauiensis, Elbingensis, Braslauiensis, Gedanensis, Minscensis, (*Livoniae*) et Czerniechouiensis. Maiores hi nuncupantur, quia iuxtà cum Episcopis et Palatinis omnibus, etiam maxime arcanis consiliis adhibentur.

Minores.

Minores, qui ad Regni consilia non adhibentur, sunt: Sandecensis, Medirecensis, Visliciensis, Biecensis, Rogoznensis, Radomiensis, Zauichostensis, Lendensis, Stremensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Vielunensis, Praemisliensis, Haliciensis, Sanocensis, Chelmensis, Dobrinensis, Polanecensis, Praementensis, Criuinensis, Czechouiensis, Naclensis, Rospiriensis, Biechouiensis, Bidgostiensis, Braesinensis, Crusuicensis, Osuiecimensis, Camenecensis, Spicimiriensis, Inovlodensis, Coualensis, Santocensis, Sochaczouiensis, Varsouiensis, Gostinensis, Visnensis, Racioncensis, Sieprcensis, Visogrodensis, Ripinensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Liuensis, Slonscensis, Lubaczouiensis, Conariensis Lenciciensis (*Siradiensis*), (*Conariensis*) (*Conariensis*) Cuiauiensis.

Summis Regni muneribus præfecti.

IV. Summis totius regni muneribus præfecti decem: Regni Poloniæ Præfectus summus, & primarius: Summus aulæ regiæ Magister; summus magni Ducatus Lithuaniæ Præfectus; aulæ eiusdem Ducatus Magister primarius Regni Poloniæ Cancellarius magnus; eiusdem Regni Vicecancellarius; magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius; eiusdem Vicecancellarius, Regni Poloniæ Thesaurarius, siue Quæstor primarius. Magni Ducatus Lithuaniæ Thesaurarius.

Archiepiscopus Gnesnensis.

Ex his munera Regni præcipua gerentibus personis Senatus Regni magnus constat. Senatores quidam centum & quinquaginta numerant, alii plures, alii pauciores. Ad pauciores autem hoc tempore redacti sunt bello præsenti, quod florentissimum hoc Regnum iam oppressit. Auctoritatem & potestatem magnam obtinet Archiepiscopus Gnesnensis, ad quem in ecclesiasticis causis prouocare licet. Ab eo datur prouocatio ad Papam causarum ecclesiasticarum iudicem summum. Perpetuus est Sedis Apostolicæ Legatus, cui in publicum prodeunti, aut aulam regiam accedenti a Senatore Regni aliquo crux præfertur, & baculus, signum regiæ auctoritatis, qualem summi Poloniæ præfecti gerunt. Ipsi in aulam regiam venienti Rex aliquot passus obuiam venit, salutatione sua consueta corpore erecto defungens. Mortui Regis vices gerit, & Senatores ad comitia conuocat, idemque etiam facit, si viuus Rex contra Regni iura & priuilegia quid committat, vt *Andreas Maximil. Fredro in gestis populi Poloni sub Rege Henrico Valesio* testatur.

Palatini.

Vaivodæ siue Palatini suarum diœcesium Duces sunt, & belli tempore militibus ex prouinciis, quibus præsunt, coactis imperant.

Castellani.

Castellani, a castris aut ciuitatibus suæ rectioni concreditis appellationem sortiti, Palatinorum sunt quasi legati, & ductores nobilium degentium in palatinatibus suis

suis, in quorum nonnullis quandoque aliquot Castellani reperiuntur. Inter Regni Præfectos primarios decem Cancellarius magnus summa auctoritate pollet. Cancellariorum autem Poloniae & Lithuaniae magnorum alteruter ex ordine ecclesiastico adsciscatur necesse est. Anno 1646 magni Cancellarii Poloniae munus summa laude gessit Dominus *Ossolinsky*, vir magnae auctoritatis & prudentiae. Ex dictis Senatoribus nonnunquam Archiepiscopi, Episcopi, Palatini & Castellanorum praecipui, ceteris exclusis, ad arcana consilia vocantur, si res peragenda arctius silentium postulauerit. Senatui magno in comitiis publicis adiungi solent nuntii terrestres, seu municipales (Landboten) ex nobilium ordine in singulis prouinciis, aut Palatinatibus electione libera designati, qui ea de causa comitiis intersunt, vt quasi tribuni iura & priuilegia Regni et populi tueantur, cum Senatoribus leges ferant, et Senatus ac Regis auctoritati modum excedenti fraenum iniiciant, vt *Starovolscius & alii* tradunt. Potestas haec Democratica initium sumpsit anno 1468. de qua *Cromerus lib. 27. rer. Polon. & Mullerus lit. F. ii.* legi possunt. In Senatu dicto locum sibi et suffragium arrogantes Borussiae et Curlandiae Duces, vt et Valachiae Princeps, quod Regni membra haud minima essent, aliquoties ius illud obtinere tentarunt, sed repulsam tulerunt, pro Vasallis Regni tantum habiti, de quibus *Starovolscius: Vasalli tres praecipui, Dux Prussiae, Dux Curlandiae, & Princeps Valachiae: duo illi haeretici, tertius iste schismaticus, qui vero iam potius Turcam supremum suum Dominum agnoscit & Polonum tantum veneratur, & velut potenti vicino, statis temporibus, honoraria mittit.* Comitiis igitur Polonorum publicis semper exclusi fuere. In comitiis dicti senatores cum nunciis municipalibus loca, et suffragia sua habent, et cum Rege de rebus regnum vniuersum concernentibus consultant, et ea decernunt, quae regno commoda, et vtilia fore confidunt. Comitia vero ipsa plerumque Varsauiae in Masouia habentur, quia ciuitas illa fere in medio regno situm suum habet. Tanta vero hominum multitudo eo confluere solet, vt locum in ipsa vrbe non habentes in campis tentoria figere cogantur.

Cancellarius magnus. *Nuncii municipales, Landboten.* *Vasalli Poloniæ.* *Comitia.*

Præter Senatores & summorum in Regno munerum curatores dictos, plures sunt alii administri minorum munerum, qui in senatum & comitia non admittuntur. Militiæ duo sunt præfecti, alter supremus, alter huic adiunctus vt legatus & vicepræfectus. Supremi militiæ gubernatoris munere multis annis functus est *Stanislaus Koniecpolsky*, qui anni 1646. mense Martio ex hac vita excessit. Plerumque autem Ministri ceteri triplicis censentur esse generis. Quidam enim totius Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ Officiales nominantur. Tales sunt: summi militiæ præfecti, referendarii, pincernæ, dapiferi signiferi, quæstores, venationum curatores, stabulorum magistri & similes. Alii in aula Regia functiones suas obeunt; vt summus Camerarius, stabuli præfectus primarius, & secundarius, culinæ, curruum, & venationis administri, secretarii &c. Cæteri in prouinciis & ciuitatibus sua munera gerunt; quales sunt ciuitatum gubernatores, qui Polonis Capitanei, Iudices, Ensiferi, Quæstores, Notarii, plerumque homines indocti, & multi alii, qui regionis Officiales nuncupantur. Suos ministros & Regina habet, quos Rex, quam diu viuit, alere solet, post ipsius vero mortem Regina ipsa sumptibus ex bonis suis vsufructuariis depromptis alit. De Regni ministris *M. Sebastianus Schrœterus in historica totius terrarum Orbis descriptione Tom. 1. cap. 11. p. 709.* hæc pauca breuiter tradit: *Palatini seu Vaiuodae, Duces copiarum, suae quisque Satrapiae, in expeditionibus bellicis, & in pace conventuum, & iudiciorum nobilitatis praesides, & Iudaeorum patroni, ac Iudices existunt. Castellani quasi Legati sunt Palatinorum, Ductoresque ac praesides nobilitatis, sub suo quisque Palatino in suo quisque territorio, ibi nullam alioqui iurisdictionem, dominium, aut curationem, praeter hanc bellicam legationem habet. Capitanei vero sunt arcium, oppidorum, ac redituum regiorum, & custodes pacis, & tranquillitatis publicae, in sua quisque praefectura, latrociniorum, furtorum, aliorumque scelerum vindices, & rerum iudicatarum executores. Ideoque iurisdictionem, &*

Minorum munerum in regno administri. *Triplices.* *Totius regni.* *Aulæ Regiæ.* *Prouinciarum, ciusque.*

coërcitionem amplissimam habent. Horum vices gerunt Vicecapitanei, Burgravii vulgo dicti, & iudices castrenses, qui sexta quaque septimana, de certis causis criminalibus, & civilibus etiam adversus nobiles, qui praedia nulla habent, ius dicunt.

Magistratus in ciuitatibus & pagis.

Tandem in ciuitatibus, pagis, & vicis, sunt Magistratus & iudicia ecclesiastica, et politica, inter quæ Cracouiense primas tenet. Ante sæcula superiora a Iudiciis Polonicis, ad Hallense aut Magdeburgense dicasterium in Imperio Romano causas provocando transferre et vltimae Germanorum decisioni subiiciendi mos erat. Sed *Casimirus magnus* Poloniæ Rex morem istum anno 1356. abrogauit, et Tribunalis Polonici sedem in arce Cracouiensi locauit, omnesque causas inposterum appellatione transferendas eo amandauit, vltima tamen prouocatione aut tribunali regio subiiciendas, aut commissariis, aut ex ciuitatibus, eum in finem lectis iudicibus. Tribunal hoc iuris supremi Magdeburgici iudicium nuncupatur, a quo ad sex ciuitatum, Cracouiae, Sandeciae, Bochnae, Veliciae, Casimiriae, et Ilcussi, in minore Polonia sitarum, sed ad nullum aliud tribnnal, appellatio dari consueuit; in iis nempe causis et litibus, quae Regni ciuitates, vicos et pagos concernunt. Exempla et praeiudicia hic vt plurimum locum habent, vt et iuramenta, et Ministri regionum, qui *Landtdiener*, dicuntur.

Tribunal Cracoviense.

An Polonia Imperio Romano olim subdita fuerit.

Regnum hoc aliquando subditum fuisse Romano Imperio, ac tributum pependisse plures scriptorum Germanicorum asserere audent, in primis autem *Melchior Goldastus Haiminsfeldius lib. 6. de Bohemiae regno cap. 10.* qui *Poloniae regnum Imperio feudatarium, & clientelare* appellat, et expressis his verbis vtitur: *Regnum Poloniae fuit successiuum & hæreditarium in Regiis familiis, Lechia, Psastia, & Iagellonia vsque ad Sigismundum Augustum regem postremum ex Iagellonia familia.* Negant tamen hoc scriptores Polonici, et Regnum Poloniae ius electionis habere contendunt. De Regis potestate limitata, de regia capitulatione, coronatione, regni reditibus, et expensis, belli gerendi constitutionibus, aliisque rebus pluribus, consulantur *Cromerus, Neugebauerus, Mullerus, & alii,* qui prolixa commemoratione cuncta illa expediunt. Hæreditariam successionem vehementer quoque oppugnat *Andreas de Pilea Corycinius, Vislicensis Castellanus, in Perspectiva sua politica,* vbi docet, quantum *Lechi* stemma detrimenti Regno Poloniae attulerit centum et quinquaginta annis, quibus hæreditaria successione Regni administrationem obtinuit. Quantum item obfuerit Aristocratia, rectio duodecim Palatinorum, ibidem demonstrat.

Status regni

Statum Regni quidam ex Monarchico, temperatum iudicant. Sed si ea, quae hactenus ex auctoribus, et experientia ipsa attulimus, probe examinauerit, minime hallucinabitur, si ex tribus mixtum asseruerit. Rex Monarcha est, sed admodum limitatus, qui beneficia conferendo nobiles suos demereri potest, vexare non potest. Senatus est Aristocraticus, aut aristocraticum quid habet. Nuncii municipales in comitiis, Regis et Senatus potestatem nimiam cohibentes, Democratiae populari patrocinantur

Regis electio.

In Regis electione demortui filiorum, si qui superstites, ratio habetur, nec facile ii prætereuntur. Viuente tamen patre nunquam successores futuri constituuntur. Si Patris in Regno successor minorennis fuerit, Curatores vel Procuratores ipsi adiunguntur, vsque ad decimum quintum aetatis annum, ad quem postquam peruenit, tutela liberatus ipse Regni administrationem aggreditur. *Cromerus lib. 21. fol. 464.* Rege sine filiis decedente, extraneum Regem creare malunt, quam ex nobilitate indigenam aliquem, quod certis rationibus adducti faciunt, licet Indigenas in rebus patriis maiore cognitione praeditos esse, et patriam ipsam arctiore amore, quam peregrinos, complecti sciant. Interea dum Regnum Rege orbum est, Archiepiscopus Gnesnensis eius vices gerit, vt supra diximus. Muneribus tamen Regni vacuis novos ministros præficere ipsi non licet, cum hoc ad solum Regem pertineat. Consuetudinem porro hanc obseruant Po-

loni

loni, vt prius Cracoviæ solennes mortui Regis exequias non celebrent, quam Rex nouus creatus sit. Post eius electionem defunctus sepelitur, & electus sequente exequias celebratas die coronationis actu inauguratur. Appetente ad electionem destinato tempore toti nobilitati interesse actui illi licet, quandoquidem cum electione longe aliter comparatum est, quam cum comitiis, ad quæ ex nobilitate delectorum, qui Nuncii municipales vocantur, numerus aliquis ablegatur. In electione & ciuitates, Cracouia scilicet, Vilna, & Dantiscum suffragia ferendi potestatem habent. Totus suffragia ferentium cœtus ita diuiditur, vt quisque, etiam ipsi Senatores regni, ad suum palatinum se conferant, & hac ratione secundum ordinem palatinatuum suffragia ferantur. Archiepiscopus solus in loco suo manet, vtpote qui omnia suffragia concludens suam mentem aperit, ac Regem proclamat, postquam a primario cuiusque palatinatus Senatore suffragia ab omnibus lata ipsi indicata fuerint, & omnes palatinatus coniunctim de suffragiis latis sermones contulerint. His peractis noui Regis legato sui Domini nomine iusiurandum flexis genibus est præstandum, quo Dominum suum conditionibus datis & constitutis, quas Cancellarii Poloniæ & Lithuaniæ Magni prælegere ipsi solent, staturum esse promittere debet. Post iusiurandum præstitum iterata proclamatione, qui electus est, Rex proclamatur. Si in loco præsens fuerit, a Senatoribus & nobilitate adductus in templum deducitur, vbi Archiepiscopus missam celebrat, & post missam celebratam Rex ad altare accedens flexis genibus eodem sacramento, quod legato suo prælectum est, Ordinibus Regni se obligat, vtroque Cancellario dicto voce clara præeunte, quorum verba pronunciando Rex sequitur. Interea dum solennis hic actus celebratur, Mareschalli, siue summi aularum Præfecti sceptra inuersa tenent, eo quod Regi corona nondum imposita est; ob quam causam etiam ipsi Regi neminem gratiosa muneris alicuius collatione honorare, nec regio sigillo vti, aut regio suo munere fungi licet. Nec Cancellariis ipsis sigillum regium vsurpare integrum est, qui Regis demortui sigilla, cum exequiæ ipsius celebrantur, frangunt, & a nouo rege coronato noua sigilla accipiunt. Literæ interim ad alios, in primis, quæ ad extraneos Principes dantur, titulo & nomine Regis designati scribuntur, ac eiusdem sigillo, quo ante electionem vsus est, obsignantur. Cum *Vladislaus* Princeps Nouembri mense anni 1632. Varsouiæ Rex eligeretur, sequente die 3. demortua Regis *Sigismundi*, & *Constantiæ* posterioris vxoris corpora inde Cracouiam deducta, ibidemque terræ mandata sunt: Rex vero *Vladislaus* in arcis templo solenni coronationis celebratione inauguratus est. Post iusiurandum ab ordinibus regi præstitum, etiam regis fratres fidelitatis & obedientiæ debitæ solenni sacramento se ipsi obligarunt, quo deuincti tenebantur, quamdiu bona in Regno possidebant, aut aliud quid habebant, cuius nomine Regi & regno obstricti erant. Ab eodem iureiurando tamen liber erat *Carolus Ferdinandus* Vratislauiæ in Silesia Episcopus, cui nihil erat in regno, cuius nomine eidem deuinctus fuisset.

Eligendi modus.

Cum post Regis *Sigismundi Augusti* ex hac vita discessum noui Regis electio instaret, Russiæ & Podoliæ palatini & castellani cum tota nobilitate Roxolana Cliniani conuentum egerunt. Alii quoque in suis prouinciis contra consuetudinem receptam conuentus celebrarunt, tandem tamen omnes Varsouiam confluentes frequentia & multitudine hominum tanta, vt, cum ciuitas tam incredibili numero recipiendo par non esset, in aprico campo tentoria sua erigere, ac more vsitato electionem instituere coacti fuerint. Quo tempore regni Senatores, & Archiepiscopus Gnesnensis, prorex, causa auctoritatis medium in castris illis locum tentoriis suis occupauerant. Leges, quæ nouo Regi iureiurando confirmandæ proponi consueuerunt, enumerat *Andreas Maximil. Fredro pag. 80. & seqq. gest. Populi Poloni sub Henrico Valesio.* Regem coronandi munus Archiepiscopo Gnesnensi incumbit;

Regis Sigismundi Augusti electio.

 tumbit;

cumbit; Cum *Henricus Valesius* clam regnum deseruisset, & Polonorum discordium pars imperatori *Maximiliano*, pars *Stephano Battorio*, Transiluaniæ palatino regni administrationem obtulissent, hic illum anteuertens Cracouiæ ab Episcopo Vladislauiensi coronatus est, quia Archiepiscopus Gnesnensis cum iis erat, qui Cæsarem elegerant. Cracouia locus est ad Regis & Reginæ coronationem destinatus, licet tamen nonnunquam præteriri soleat. Sic *Cæcilia Renata* Regis *Vladislai IV.* prior coniux Varsouiæ, & *Vladislaus*, *Iagellonis* Regis filius, Posoniæ coronati sunt. Sed *Helenae Alexandri* Regis vxori, & *Iohannis* Moscouiæ Ducis filiæ, quia Græcæ religioni addicta fuit, corona non fuit imposita. Imo reges defunctos ante coronationem sepeliendi consuetudo adeo stricte quoque non obseruatur. Nam Rex *Casimirus M.* anno 1371. post coronationem noui Regis, sumptuosis admodum exequiis terræ mandatus est.

Cracouia coronationis locus.

Regis potestas limitata.

Rex diuersis legibus obstrictus potestatem circumscriptam habet. *Piasecius Episcopus, & Regni Senator 378. pag.* scribit. Non licere Regi bona nobilium in Regno emere, aut fisco adiudicata sibi reseruare, quod & de militaribus, aut bello acquisitis intelligendum est. Eorundem bonorum emptio Principibus Regia stirpe prognatis etiam non concessa est, ita vt ipsis etiam proximas bonis suis arces & munitiones ære suo comparare integrum non sit. Sic 382. *pag.* Regem munera & bona regii iuris filiis suis, aut vxori suæ, sine Ordinum Regni permissione tribuere posse negat. Imo inconsulto Senatu regni cum nulla fœmina matrimonium inire ipsi permittitur: Hanc ipsam cautam præcauit Rex *Vladislaus*, excusans se Regi Angliæ, quod sororis suæ, & Electoris Palatini filiam vxorem ducere non potuisset: Qua de re verba hæc sunt apud *Piasecium pag.* 494. „Angliæ Rex ægre fert repulsam filiæ Palatini, licet se illi *Vladislaus* excusasset, quod isti, vti a fide Catholica multum alienæ, Senatus regni Poloniæ totus „Catholicus contradixisset, & Rex lege publica teneatur, ne accipiat vxorem, „nisi consentiente Senatu. „ Sic *Fredro pag. 95. Cum Sigismundus Augustus cum incola Fœmina priuatas nuptias egerat, quot motus tunc in Republica vidistis?* In comitiis Rex cum vniuersa Nobilitate publica negotia consiliis communicatis tractat. Quicquid decernitur, ipsius nomine executioni mandatur, & sine ipsius voluntate quicquam statui nec solet, nec potest. Summus est rei militaris Imperator. Iudiciorum partem sibi reseruat, partem aulico dicasterio concedit. Munera tam Ecclesiastica quam Politica solus, cui vult, confert, quibus conferendis Episcoporum, & cæterorum Ecclesiasticorum, in quos nihil ipsi iuris est, vt & politicorum fauorem & amicitiam sibi conciliat. Ex muneribus dictis sunt & Starostiæ, siue præfecturæ, quarum reditus ad vitam conceduntur. Si quis mortem obierit, mox alii Rex idem beneficium largiri consueuit. Nobilium commissa Rex cum regni Senatu iudicat, in magni ponderis casibus ipsius potius commissi, quam multitudinis suffragiorum rationem habens. Si forte contingat, vt moderatæ rectionis fines Rex transgrediens contra leges & statuta, quibus iureiurando se deuinxit, enorme quid committat, tota nobilitas contra ipsum congregatur, quam congregationem Poloni Rokosz nuncupant. Anno 1606. & 7. totam nobilitatem Regi, & Senatoribus quibusdam ipsi adhærentibus se opposuisse *Piasecius* refert.

In quibus valeat.

De antiquis harum in hoc Regno regionum gubernatoribus, & rectoribus nihil certi constat.

Principes & Reges Poloniæ.

Lechus est primus, a quo Regni huius gubernationem historici ordiuntur, eamque referunt ad annum a nato Seruatore nostro *Christo* 550. Eius posteri per 150. annos regno præfuisse dicuntur.

Duodecim Palatini posteris *Lechi* successerunt, quorum administratio admodum breuis fuit.

Cracus circa *Christi* annum 700. a Polonis princeps electus Cracouiam condidisse dicitur.

Lechus

Lechus II. *Craci* filius natu minor, qui *Cracum* fratrem natu maiorem in venatione clam vita spoliauit, & sine liberis diem obiit. A Bohemis quoque Ducem electum fuisse, *Duglossus* & *Vaponius* tradunt.

Venda Craci filia, & *Lechi* II. soror, quæ abhorrens a matrimonio conseruandæ virginitatis causa in Vistulam fluuium se præcipitem dedit, vt Polonorum historici narrant.

Duodecim Palatini vel Woywodæ.

Praemislus siue *Lescus I.* circa annum 760. qui sine liberis diem obiisse dicitur.

Lescus II. anno 804. miro casu ad Principatum euectus.

Lescus III. præcedentis filius, anno 810. cui fuerunt filii 21. omnes nothi, præter *Popielum* seniorem cognomento.

Popielus senior, *Lesci* III. filius, a. 815.

Popielus II. seu *iunior*, *Popieli Senioris* filius, qui anno 823. cum vxore, & duobus filiis *Lecho*, et *Popielo*, a muribus deuoratus est.

Piastus ciuis Crusuicensis, apibus alendis, et agris colendis viuens annos nouendecim principatui præfuit, et anno 861. ex hac vita migrauit.

Ziemouitus Piasti filius post triginta duorum annorum rectionem anno 892. vita functus.

Lescus IV. *Ziemoviti* filius, 21. annos Pricipatui præfuit, ac anno 913. morte abreptus est.

Ziemomislus Lesci IV. filius, 51 annos rectione functus anno 964. exuuias mortales deposuit.

Mieslaus, *Miesco*, *vel Mietzislaus* primus Princeps Poloniæ Christianus, qui annos 35. gubernauit, et anno 999. ex viuis excessit.

Hi Poloniæ Principes fuere; Sequuntur Reges:

I. *Boleslaus* I. cognomento Chrobri, seu acer, *Mietislai* filius primus, Poloniæ Rex anno 1001. factus, et anno 1025. mortuus, regni clauum tenuit 25. annos.

II. *Mietzislaus Boleslai* filius, 9. annorum rex, anno 1034. ad plures abiit.

III. *Casimirus* I. prioris filius, cum matre Rixa regno expulsus, postea Monachus factus, ac in regnum reuocatus, anno 1058. extremum vitæ spiritum reddidit.

IV. *Boleslaus* II. cognomento Audax, *Casimiri* I. filius, anno 1079. Episcopum *Stanislaum*, a quo scortationis commissæ causa reprehensus fuerat, Cracouiæ in templo interfecit, ac in Vngariam aufugit. Sibi ipsi mortem anno 1081. consciuisse dicitur. Quidam alia ratione finem vitæ ipsum inuenisse, nonnulli vero Monachum factum in Carinthia exspirasse perhibent.

Sequentes Principes fuerunt,
Polonia ad Principatum redeunte.

I. *Vladislaus* cognomento *Hermannus*, *Casimiri* I. alter filius, et *Boleslai* I. frater, non Regis, sed Principis et hæredis Poloniæ titulo vtens, ac vitæ huius statione excedens anno 1102. Postquam 20. annos dignitatem regiam gessisset.

II. *Boleslaus* III. cognomine *Criuoustus*, vel *Distortus*, magni animi, et multæ felicitatis Princeps, qui quinquaginta præliis, vt memoriæ proditum est, semper victor *Henricum* V. Imperatorem a. 1109. in Vratislauiæ vrbis vicinia superauit, et Germanos graui clade prostrauit. Post annorum 36. gubernationem anno 1139. corporeis vinculis solutus est.

III. *Vladislaus* II. *Boleslai* III. filius, *Petro*, *Dano*, vel *Dunino*, Scrinnæ Comiti, quem charissimum habuit, ducissæ impulsu, linguam exscindendam et oculos effodiendos curauit. Miser hic oculis et lingua orbatus quinque annis post Vratislauiæ in Silesia vitam miseram finiuit. *Vladislaus* cum fratribus suis bella gerens, ac tandem eiectus in Germaniam aufugit, postquam ab anno 1140. vsque ad 46. imperauerat.

IV. *Boleslaus* IV. vel *Crispus* fratris loco occupato ab anno 1146. ad annum 74. quo fatis cessit, 27. annos regendo consumpsit.

V. *Miecislaus Senex*, *Vladislai* II. & *Boleslai* IV. frater, ob potestatis abusum & malam administrationem anno 1146. depositus, 4. tantum annos cum potestate fuit.

VI. *Casimirus* II. præcedentium fratrum natu minimus annos 16. imperauit, & anno 1194. mortem oppetiit.

VII. *Lescus Albus* dicti *Casimiri* filius, cuius impuberis loco rexit patruus *Miecislaus Senex*, mox tamen sibi peruersa sua gubernatione nouum odium conciliauis, ideoque depositus, ac tertia tandem vice administrationem recuperans. Vitam deposuit anno 1202.

VIII. *Vladislaus Lascanogus Miecislai senis* filius, anno 1206. *Lesco Albo* dominatum cessit, tribus quoque vicibus dominatu potitus est, ac anno 1226. a *Suentopelco* Pomeraniæ Duce occisus vitam amisit.

IX. *Boleslaus* IV. cognomento *Pudicus*, *Vladislai Lasconogi* filius anno 1279. sine liberis mortuus, gubernando principatu 55. annos compleuit.

X. *Lescus Niger*, Cuiauiæ, Lanciciæ, & Siradiæ Ducis *Casimiri* filius, *Boleslai* IV. cognatus, Germanis solis ob fidelitatem sibi præstitam anno 1285. totam vrbem Cracouiam gubernandam commisit, ac anno 1289. viuere desiit. Post obitum eius *Boleslaus Masoviae*, post hunc *Henricus* Vratislauiæ Dux, ac tandem *Vladislaus Lotticus*, dicti *Lesci Nigri* rectionis us sibi vindicarunt.

Reges, Polonia iterum regni titulo vtente.

I. *Praemislus*, vel *Praemislaus*, *Praemisli* magnæ Poloniæ Ducis filius, et *Vladislai Spitatorii* nepos anno 1295. a Polonis Rex constitutus est, postquam hæc regio 215. annis regibus caruerat. Nullius nisi sua auctoritate Regni nomen in Poloniam ipsum reduxisse, *Cromerus Lib.* II. *att.* Alii a Papa dignitatem regiam recepisse dicunt. Septimo aut octauo regni sui mense vita orbatus, ea quidem, vt nonnulli tradunt, in bachanalibus trucidatus est.

II. *Vladislaus Locticus* anno 1296. Poloniæ Rex renunciatus, sed triennio aut quadriennio post dignitate regia iterum exutus est.

III. *Venceslaus* Bohemiæ Rex, qui prædicti Regis *Praemisli* filiam *Rixam* vel *Elisabetham* vxorem duxerat, Poloniæ quoque Rex electus anno 1300. vitæ stationem reliquit anno 1305. *Vladislaus Locticus* vero ad regnum reuersus anno 1333. supremum vitæ diem clausit.

IV. *Casimirus* II. cognomento *Magnus*, *Vladislai Loctici* filius, multis in Russiam Germanis admissis proprio suo iure vti concessit, ita vt magna ipsorum frequentia confluente multæ vrbes ibidem passim surrexerint. Liberis carens anno *Christi* 1370. sui autem regni 37. mortalium cœtui exemptus est.

V. *Ludovicus* Hungariæ Rex, *Elisabethae* sororis *Casimiri* II. & *Caroli Roberti* Vngariæ Regis filius, anno 1382. fato functus, cum 12. annos regno præfuisset. Filiæ ipsi duæ superstites fuere: *Maria* maior natu *Sigismundo* Hungariam dotem attulit, postea Cæsari Romano electo anno 1411. *Hedvigis* minor natu Regnum Poloniæ obtinuit, postea nupta *Iagelloni* Lithvaniæ Duci Magno, quibus nuptiis Polonia et Lithuania in vnum corpus coaluerunt.

V. *Vladislaus Iagello* Lithuanus, Rex electus anno 1386. regnauit annos 48. & 3. menses. Nomen *Vladislaus* ipsi impositum est, cum religionem Christianam amplexus baptizaretur. A pomis adeo abhorruisse ipsum, vt etiam odorem eorum ferre non potuerit, refert *Salomon Neugebauer lib. 5. histor. Polon. pag.* 298.

VI. *Vladislaus* III. *Iagellonis* filius natu maior, anno 1434. patri successit, & Rex Vngariæ quoque factus anno 1444. in prælio cum Turcis ad Varnam vitæ finem inuenit, postquam 10. annis Regium in Polonia munus gesserat.

VII.

VII. *Casimirus* III. *Iagellonis* alter filius, fratris *Vladislai* anno 1447. successor factus, anno 1492. morte extremum diem confecit, ac 45. annos regendo consumpsit. *Elisabetha* Imperatoris *Alberti* II. filia ipsi peperit 1. *Casimirum* cognomento sanctum, 2. *Vasa*, vel *Vladislaum*, Vngariæ & Bohemiæ Regem, 3. *Ioannem Albertum*, 4. *Alexandrum*, 5. *Sigismundum* 6. *Fridericum* Cardinalem, & Episcopum Cracouiensem.

VIII. *Ioannes Albertus Casimiri* III. filius anno 1492. electus, & post 9. annorum gubernationem anno 1501. mortuus.

IX *Alexander* eiusdem *Casmiri* III. filius, & *Ioannis Alberti* frater, 5. annos gubernauit, & anno 1506. diem obiit.

X. *Sigismundus* I. *Casimiri* III. quoque filius, & priorum duorum frater, qui Regii muneris functionem 41. annos gessit, ac anno 1548. mortem opetiit. Ætate florentem adeo robustum fuisse tradit *Neugebauer in fine lib.* 7. vt soleas equorum ferreas confringere, funes cannabinos crassos dilacerare, & scorpionem ferreum manu tendere potuerit. Ad 81. ætatis annum peruenit. Mater ipsius *Elisabetha* Cæsaris filia, & neptis, Regis soror, & vxor, quatuor Regum mater, & duorum Regum auia fuit, quod profecto memorabile & notatu dignum. *Sigismundo* autem huic filiæ erant tres.. *Catharina*, *Ioanni* Sueciae regi, *Anna*, *Stephano Bathorio* Poloniæ regi, *Elisabetha*, principi *Ioanni*, qui Vngariæ Regis titulo vtebatur, nupta.

Magnæ & memorabilis dignitatis femina.

XI. *Sigismundus* II, alias *Sigismundus Augustus*, *Sigismundi* I. filius 25. annos regno præfuit. Vxores duxerat *Elisabetham*, Cæsaris *Ferdinandi* I. filiam, deinde *Barbaram Radziuiliam* ex Lithuania, ac tandem *Catharinam* eiusdem Cæsaris filiam, & primæ suæ vxoris germanam sororem, quæ postrema ob vulgo ignotas causas Imperatori *Maximiliano* II. fratri remissa Linzii vel Lentiæ in Austria anno 1572. vita defuncta est. Eiusdem anni mense Iulio *Sigismundus* II. maritus eius Knisini ex vita excessit, & *Iagellonum* Lithuaniæ Ducum prosapiam masculinam finiuit. Quamuis autem ex antiquo *Piasti* stemmate regio in Silesia Duces Lignicenses, Brigenses ac Teschenses adhuc superstites essent, Poloni tamen peregrino et extraneo Regni curam committere maluerunt. *Sigismundi* autem et Episcoporum eiusdem temporis conniuentiæ et negligentiæ culpam imputat *Piasecius* p. 41. quod tot in Poloniam hæreses, Germanorum opera, se insinuauerint.

Diuersitatis religionum in Polonia origo.

XII. *Henricus Andegauensis* Dux, Galliæ Regis *Caroli* IX. frater, anno 1574. publica inauguratione Poloniæ Rex coronatus, qui ex Gallia Nanceium, Tabernas Alsatiæ, Heidelbergam, Moguntiam, Francofurtum ad Mœnum, Fuldam, Vacham, Eisenacum et Torgaviam profectus, et per Lusatiam inferiorem itinere facto Francofurtum petens inde Posoniam, et Cracouiam venit. . Inter Legatos ad ipsum in Galliam missos erant *Ioannes a Folstein Herbort*, Castellanus Sanocensis, et *Ioannes Zamoscius*, tunc temporis Belsensis Capitaneus, aut gubernator. Lipsiam venientes *Augustus* Saxoniæ Dux ipsos remoratus est, actioni suæ hanc excusationem prætexens, se ipsis transitum concedere non audere, prius quam sibi de Cæsaris, et Principum Imperii voluntate et arbitrio certi quid constaret. Sed dicti *Folstein Herbort* ad Saxoniæ Electorem *Augustum* missi ac iterum dimissi facundia tantum potuit, vt oratione ipsius motus, legatis liberæ profectionis copiam dederit. Cum Parisiis discessum est, Regi futuro indicabatur, ipsi etiam eos, qui catholicæ Religioni addicti non essent, protegendos fore, cui tamen propositioni se catholici legati opposuerunt, tandem tamen ea conditione assentientes, ne lex ea catholicæ Romanæ fidei incommodo futura esset. Ideo *Ioannes Zborovius Odolanovitensis Capitaneus*, qui in numero legatorum erat, religionem tamen catholicam non professus, Regem his verbis alloquebatur: Hoc di „ co, serenissime Rex, nisi tui legati, (nimirum ad Polonos, inter quos *Maulucius*, „

Henrici regis iter in Poloniam.

Legati Polonorum Lipsiæ detenti.

„ primas tenebat) has conditiones religionum diuersitatem concernentes, vt et ce-
„ tera omnia, nomine tuo probassent, Tu, si nos contradixissemus, Rex eligi non
„ potuisses: Imo si iam cuncta non probaueris, etiam Rex Poloniæ non eris. „ *Andr. Maximil. Fredro pag.* 117. Rex autem *Henricus*, vt et sequentes ipsum omnes ceteri Reges, quod *Poloniae defensae Autor contra Barclaium pag.* 114. testatur, iureiurando praestito cuiuscunque religionis addictorum defensioni se obstinxere, se in nullum, quacunque etiam ratione fieri possit, religionis causa adnimaduersuros promittentes. XXIV. Ianuarii anni 1574 Poloniæ maioris fines attigit, vnde Cracouiam solenni pompa deductus est, vt regis defuncti exequiis interesset et coronaretur. Postea rumor de morte fratris Galliæ Regis, qui sine liberis decesserat, percrebuit, de quo certior redditus literas ad regni Senatores datas post se reliquit, ac 18. Iulii, quintoque post coronationem mense, clam nocturno tempore Cracouia discessit, Cracouia Viennam, et Venetias tendens, vnde per Pedemontium in Galliam reuersus est. Discessu hoc per Poloniam diuulgato, cum Rex, vt in Poloniam rediret, frustra rogaretur, regni Ordines ad alius regis electionem se contulerunt, in partes tamen duas diuisi, quidam enim suffragiis suis Cæsari *Maximiliano* II. Regnum obtulerunt, ceteri *Stephanum Bathorium* Ungarum Regiae functioni praefecerunt.

Henricus rex clam ex Polonia discedit.

Duo reges electi.

XIII. *Stephanus Bathorius*, Transiluaniae Princeps *Stephani Battor a Somlio* Transiluaniae Vaivodae seu Palatini, et Annæ Telegdi filiæ filius, qui fauore militum, quibus frater eius *Christophorus Battor* præpositus erat, post *Ioannis Sigismundi*, filii Ungariæ regis *Ioannis* I. et Isabellæ Polonæ, obitum 21. Maii anno 1571 Transiluaniæ Princeps, et *Samuelis Zborowski* ex Polonia proscripti, et tunc temporis in Transilvania commorantis, adiumento, IX Decembris, anno 1575. Poloniæ Rex electus est. Electione intellecta non diu cessans Imperatorem diutius cunctantem præuenit, ac Cracouiæ anno 1576. coronatus est. Mox post coronationem arcem Landiscoronam (*Landscroon*) Cæsaris Maximiliani præsidio munitam occupauit, ac Cæsarianis partibus passim profligatis, omnes Cæsaris fautores ante anni 1576. exitum eo adegit, vt tam Magnates Poloni, quam ipse Archiepiscopus Gnesnensis, et cæteri, qui fere omnes, præter vnum Vladislauiensem Episcopum, Caesari fuerant addicti, deserto Cæsare, ipsi recunciliarentur. Diuturniore tamen oppositione restiterunt *Stanislaus Czarncovius*, et Dantiscani, tandem tamen etiam se submittere coacti, adeo, vt anno 1577. omnia ad tranquillitatem in toto Regno composita fuerint. Anno 1579. Rex *Stephanus* Vilna expeditionem bellicam mouens Russos, siue Moscouitas, bello aggressus est. Hi enim de Lithuania et Kyovia Smolenskum, et Seueriam decerpserant, ac *Sigismundo Augusto* regnante Polotiam vrbem cum toto tractu circumiacente Polonis eripuerant. In ea vrbe, quae conditionibus pactis sese dedidit, rex monasterium Iesuiticum erexit, totumque tractum, 17 annorum interuallo Moschouitarum iugo pressum, recuperauit. Sequente anno 1580 Moscouiticam vrbem grandem Wielkoluki obsedit, ac cum arce ignis adiumento ad deditionem compulit, licet Moscouitæ locum animose et fortiter defenderint, vt plurimum ad munitorum locorum defensiones longe aptiores, quam ad prælia in aperto campo committenda, in quibus nulli sunt. Interim caeteri ipsius Duces vrbeculae et arcis Vielisae ad Donam fluuium sitae, vt et alterius Vsviatae cum arce, deditione potiti sunt. Magnus vero regni cancellarius *Zamoscius* situ validissimam arcem Nevelam, vt et alteram Zabolociam in potestatem suam redegit. In tertia expeditione anno 1582. suscepta, Ostrouiam Poloni Moscouitis eripuerunt, et Plescouiam obsidione cinxerunt. Sed *Antonius Possevinus* a Papa *Gregorio* XIII. missus Regem *Stephanum* et Moscouitas, pace inita, ad concordiam reduxit. Anno 1584. supradictus *Samuel Zborowski* vel *Zborouius*, qui Regi in acquirendo regno opem haud exiguam tulit, ob cædem antehac perpetratam,

Bathorius Cæsarem præuenit.

Bellum Moscoviticum.

et

et nouas seditiones, quas contra Regem, et regnum moliebatur, a *Zamoscio* captus, et Regis iussu 16. Maii Cracouiae capite plexus est. Calamitatis particeps fuit frater *Georgius Zborowski* in publicis comitiis Varsouiae capitis proscriptione damnatus. Actiones hae in odium haud paruum Regem adduxerunt. Accessit et supplicium *Iwani Padkowae* Moldaui, cuius iussu Regis Leopoli capite plexi mortem nemo fere fuit, qui non aegerrime ferret. Haud parum quoque factum hoc Regis famam apud exteros celeberrimam minuit, vt *Ioan. Demetr. Solicouius*, *Archiepiscopus Leopolitanus*, in commentaria rer. Polon. pag. 105. refert: vbi *Padkowam* illum, ait, tam robusto corpore fuisse, vt equorum soleas ferreas digitis confringere et comminuere potuerit. Idem *Solicovius*, tunc temporis Secretarius Regius, vnus erat ex Polonorum legatis ad *Maximilianum* Cæsarem, qui in Bauarico quodam pago, 3. milliaribus Ratisbona distante, detenti, & Linciam in Austriam deducti fuerunt. Occasio id faciendi inde profecta, quod *Ernestus Weyher* Cæsareanum Legatum *Henricum Kurtzbachium*, qui in Borussiam a Cæsare ablegatus fuerat, captiuum factum & spoliatum adeo grauiter vulnerauerat, vi de vita periclitatus sit. *Kurtzbachio* vero, qui valetudine pristina recuperata mortis periculum euaserat, a Rege *Stephano* libertati restituto, dicti Legati a *Rudolpho* Cæsare (*Maximilianus* interea Ratisbonæ a mortalibus morte segregatus erat) Lintia quoque dimissi sunt, vt ipse *Solicovius*, pag. 38. seq. narrat. Anno 1586. 13. Decembris Rex *Stephanus inopinata Epilepsiae morbo, imprudentia Medici neglecta*, (*Piasecii* sunt verba pag. 54.) Grodnæ paucorum dierum spacio abreptus, exequiis, quas communibus Regni sumptibus Ordines celebrarunt, magnificis Cracouiæ sepultus est. Honos hic haberi iis solis Regibus solet, qui de totius Regni salute insignibus suis beneficiis optime meriti sunt. Alii vero suis propriis impensis sepeliantur oportet. Annis 10. quibus Regni Poloniae clauum tenuit, laudabili sua gubernatione haud exiguam sibi famam comparauit, grauia bella gessit, & seueriore disciplina Polonos coërcuit, in primis vero nobiles, qui nimia suarum immunitatum indulgentia freti quandoque exorbitare solebant. Supplicio capitali afficiendum curauit Castellanum quendam haud exiguae auctoritatis virum, qui nobilis cuiusdam a se interfecti, & combusti cineres furfuribus commiscuerat, & porcis comedendos obiecerat. Pari ratione capitis supplicio affici iussit Polonum quendam, ante hospitium, in quod Moscouitae diuerterant, eo quod Moscouitici legati ministro cuidam inter edendum panis arripiendi gratia manum extendenti digitos cultro petulanter, & de industria laeserat. *Chytraeus in fine lib. 25. Saxon.* Vt primum in regnum venit, *Annam* Regis *Sigismundi Augusti* iuniorem sororem, sibi matrimonio iunxit, ex qua nullos liberos suscepit, ita sine prole superstite ex hac vita migrans, & Polonos electione noua nouis curis intricatos relinquens.

Samuel Zborowski Cracoviae capite plexus.

& Podkowa Leopoli.

Legati Polonorum in Bavaria detenti.

Stephani Regis obitus.

XIV. *Sigismundus* III. *Iohannis* Sueciae Regis, & *Catharinae Sigismundi Augusti* Regis Poloniae sororis natu maioris, filius natu maximus, anno 1566. in lucem editus. Post Regis *Stephani* obitum Gnesnensis Archiepiscopus ordines ad comitia Varsouiam conuocauerat, diem Mensis Iunii 30. anno 1587. ad solennem conuentum constituens. Maxima Senatorum & Nobilium pars suffragiis suis *Sigismundum* nominatum ad Regiam potestatem promouerunt: Gorcani, & Zborouiani cum *Annibale Capuano*, Nuncio Apostolico, qui haereticis, vt *Piasecius* eos nuncupat, addictus erat, *Maximilianum* Austriae Archiducem, Imperatoris *Rudolphi* II. fratrem, Poloniae Regem creauerant. Hic cum exercitu in Poloniam irruptione facta Cracouiam obsidione circumdedit, & a *Zamoscia* Cancellario Poloniae Magno, inter Pramnickum pagum, & Biskuptum Cracouiae suburbium magna clade affectus & prostratus, obsidione soluta Czenstochouam se recepit. *Sigismundus* post discessum ex Suecia Kal. Decembris Cracouiam venit, ac 27. Decembris eiusdem anni Rex coronatus Regni possessionem sibi vendicauit. *Zamoscius*

Iterum duo Reges electi.

Maximilianus a Polonis fusus.

mojcius Cancellarius 15. Ianuarii anno 1588. cum exercitu Polonico Vielniæ *Maximilianum* Archiducem cum suis copiis deprehendit, qui subitum & inopinatum aduentum vt declinaret, & paratior ad pugnam esset, Silesiam repetiit. Ac cum & copiis, & tormentorum bellicorum maiorum numero Polonis superior esset, certissimam victoriam sibi pollicens insequentem hostem, cui admodum angustus, & grandibus ac limosis paludibus vndique stipatus agger, vix duos aut tres equites iunctos recipiens, transeundus erat, aditu non prohibuit, qui Byczynam,

Altera vice fusus, & captus.

(*Pitschen*,) quod est Silesiæ oppidulum, penetrans 25. Ianuarii *Maximilianum* exercitum prælio aggressus est, ac, Hungaris pugnare detrectantibus, in fugam coniecit. Archidux ipse cum nonnullis Magnatibus Poloniæ, fautoribus suis, in oppidulum euasit, & cum Polonis dictis deditione captiuus factus, a *Zamoscio* Crasnostauiam deductus, & in arce custodia arcta septus est: Magnifice tamen habitus, & a Cancellario Zamoscii in propria sua vrbe habitante lautis & opiparis conuiuiis pluribus exceptus, adeo vt etiam ab ipso ad lustrici patris munus obeundum inuitaretur, cum *Caesius* filius ipsi ex *Gryselide Butorea* fratris *Regis Stephani* filia natus, sacro baptismatis fonte initiandus esset. Quin ipse Rex *Sigismundus* ipsum Crasnostauiæ visitauit, & amico suo alloquio dignatus est, ac tandem *Rudolpho* Cæsare intercedente libertati pristinæ restituit.

Ac tandem libertati pristinæ restitutus.

Anno 1592. ad finem properante *Iohannes* Sueciæ rex, et *Sigismundi* pater fatis concessit.

Sigismundi iter in Sueciam prius.

Filius venia ægre a Polonis impetrata, anno 1593. in Sueciam, hæreditario iure iam ad se pertinens regnum, profectus, postquam anno 1594. ab *Abrahamo Andreae* Archiepiscopo Lutherano Upsaliæ coronationis pompa solenni inauguratus esset, Cracouiam eodem anno rediit: Anno 1598. pridie Kal. Februarii ex hac vita abiit *Anna*, Poloniæ et Sueciæ regina, post cuius obitum Rex *Sigismundus* alterum

Posterius.

in Sueciam suscepit iter, ac Suecis interea ab ipso deficientibus, Calmaria cum sorore sua *Anna* circa finem Octobris discedens, et Danticum reuersus ex eo tempore Sueciam sibi ereptam postea nunquam ingressus est. Anno 1600. Poloni cum *Michaële* Moldauiæ Voyuoda bellum felici successu gesserunt. Anno 1601. bellum Polonorum, et Suecorum in Liuonia initium sumpsit, quod sequentium annorum decursu gestum. Anno 1606. orta est seditio Rokossianorum, seu nobilium se Regi opponentium, quibus tamen Rex superior factus est. Anno 1610.

Bellum Moscoviticum,

Moscouitæ *Basilium Suyski* Magnum Ducem suum Polonis tradiderunt, ac in eius locum *Sigismundi* filium *Vladislaum* substituerunt, quem tamen Pater in Moscouiam mittere recusauit. Hinc Moscouitæ sua natura animi abiecti homines, ac ea de causa eo crudeliores, a Polonis iterum desciuerunt. Poloni Smolenskum obsidione aggressi sunt. Alter *Demetrius*, qui verum *Demetrium* a Moscouitis quidem læsum, sed tamen viuum periculo ereptum, professus fuerat, a Tartaris satellitibus suis interfectus est, postquam per aliquod tempus Magni Ducis muneri præfuisset, & bellum gessisset cum Moscouitis, quibus anno 1608. *Carolus* Sueciae Rex exercitum sub celeberrimo illo Heroe *Ponto della Gardia* auxilio miserat. Smolenskio Poloni anno 1611. potiti sunt: Praesidium vero Polonicum, in arce Moscouiae thesaurum Moscouiae diripuit, ac tandem amissis suorum nonnullis sequente anno se in Poloniam recepit, postquam diu a Moschis in arce ipsius vrbis Moscuae obsessum fuisset. Anno 1612. *Sigismundus* Rex filium suum in Moscouiam mittere, sed nimis sero, decreuit. Nam interea Moschi dictae arcis obsidionem summa contentione promouentes tandem Polonos ad deditionem coëgerunt, qui, sicuti diximus, arce pactis conditionibus dedita, in Poloniam reuersi sunt. Mox post arcem recuperatam Moschi *Michaëlem Fedorowiczium* Metropolitae Rostociensis filium Ducem elegerunt, ipsique coronam, quae adhuc

Moldavicum.

in arce supererat, imposuerunt. Eodem anno Poloni et Moldauiam amisere. Ideo missa legatione Constantinopolin anno 1613. conquesti sunt apud Turcicum Imperatorem, quod *Constantino Mohila* legitimo Principe contra pacta eiecto,

Stephanus

Stephanus Tomsza Tartarorum auxilio Moldauiae imperitaret. Anno 1616, nonnulli Magnates Poloni proprio instinctu in Moldauiam impetum fecere, ac, Turcis aliquot vicibus superatis, tandem tamen succubuere. Inuasionem hanc toti Poloniæ Turcicus Imperator imputauit, ac fœderis dissolutionem minitatus est, si Poloni ab armis Moldauiæ inferendis non desisterent. Sequente anno 1617 Poloni apud oppidulum Bussam, & prope locum eum, vbi Tyra, & Morachua fluuii, aquas suas consociant, castra locarunt, *Stanislaus Zolkievius* summus militiæ Polonicæ Præfectus cum *Scanderio Bassa*, Regis ac regni iniussu pactus est, vt nullus in eam regionem miles, qui eam, aut ipsum a Turcis eidem præfectum Voyvodam turbaturus esset, duceretur. Porro Turcis tradidit arcem Chocim, quam Ducis *Hieronymi Mohilii* ex antiqua Principum prosapia, & *Constantini* filii eius nuper occisi, hæredes adhuc in possessione sua habebant; *Nicolao Iuonio* eidem ab hæredibus præposito, quod præsidium educere iussus non statim mandato dato paruisset, supplicio capitis affecto. Eius quoque permissu Bersabea, & Rascouia, ad Polonos quosdam Magnates pertinentes, & itinere vnius diei a Techinia munimento Turcico distantes, vrbeculæ circa Tyram fluuium deiectæ & solo æquatæ sunt a Turcis, dicentibus, quod Cosacorum latibula, & in Turcarum territorio, ac iurisdictione extructæ essent. Transactio certe Polonis maxime perniciosa, qua Moldauiæ patrocinio, & dominio exuti sunt. Ipsos pari ratione & Sueci in Liuonia damno haud exiguo affecerunt. Anno 1618. Poloniæ Princeps *Vladislaus* Moscuam vrbem obsedit, & Cosaci Moscouiæ partem haud exiguam vastarunt. Moschos electionis iure sibi subiectos Princeps ille dicebat. Moschi se iureiurando, quo se ipsi deuinxerant, iam liberos affirmabant. Definito enim tempore in Moscouiam ipsum non venisse, nec etiam conditionibus ipsi in electione propositis minime satisfecisse. Bellum finitum induciis quatuordecim annorum, & 6. mensium spacio circumscriptis. Poloni retinuerunt Ducatus Seueriensem, Czerniechoniensem, et Nouogrodensem. Anno 1620. *Betlem Gabor* Transsiluaniæ Princeps, & designatus Rex Vngariæ, Turcas in Polonos instigauit, eo quod Cosaci Romano Imperatori suppetias tulerant. Supra nominatus militiæ præfectus summus *Zolkievius* 19. Septembris in Moldauia prope Cicoram cum *Skendero Bassa* graui prælio dimicauit, in quo neutra pars altera superior fuisse fertur. Poloni recedentes, ac milliare vnum Mohilouo regressi, cum se extra omnem periculi aleam constitutos in summa securitate iam versari arbitrarentur, tumultu inexspectato oborto timor Panicus castra inuasit, ac plurimi se in fugam dederunt. Quo comperto Tartari Polonos oppresserunt, & grauiter ceciderunt. *Zolkievii* occisi corpus dimidii milliaris Moldauici (quæ milliaria Germanicis aliquanto longiora sunt) interuallo a Tyræ fluuii ripa remotum hostes inuenerunt, & caput eidem demptum Constantinopolim miserunt. Sic vitæ finem adeptus est admodum senex, vtpote qui 73. ætatis annum agebat. Legatus aut vice præfectus militiæ Polonicæ Stanislaus Koniecpolski captus Bialogrodum, ac postea Constantinopolim deductus, cum *Samuele Koreckio*, *Luca Zolkiewskio*, & *Georgio Farensbachio* nigræ turri inclusus in vinculis tamdiu hæsit, donec anno 1623. cum dicta illis captiuitatis suæ sociis octoginta mille imperalium solutione redimeretur. Huic summæ accesserunt plurima ac diuersa munera & dona, quæ inter Turcici Imperatoris aulicos distribuenda erant. Mox post cladem illam Tartari 25. & 26. Septembris Poloniam inuaserunt, et praeter reliquam praedam 60. circiter currus, nobilium vxoribus et liberis oneratos nacti sunt. Captiuorum, quos abduxerunt, numerus quadringentis hominum millibus definitur, non annumeratis iis, quos incredibili multitudine, aut gladius, aut fames sustulit. Anno 1621. nouus militiae Polonicae praefectus summus *Carolus Chodkievicius* cum *Stanislao Lubomirskia* nouum in Moldauiam exercitum contra Turcam adducens, arcem Chocim, in fluuii Tyræ ripa locatam, recupera-

Bellum cum Moschis.

Et Induciæ.

Bellum cum Turcis, in quo Poloni cæsi.

Turcæ a Polonis cæsi.

uit, ac prælio cui Princeps *Vladislaus* et Imperator Turcicus ipse *Osmannus* interfuerunt, victor, Turcas Polonorum castris impetu vehementi insultantes, et fortiter repulsos magna clade affecit. Polonos tamen presserunt commeatus, et annonæ penuria, ac morbi in castris exorientes, adeo vt Princeps ipse aeger decumberet, et *Chodkievicius* summus militum Dux in arce dicta Chocim morbo correptus anno aetatis 60. vitae diem vltimum moriendo clauderet. Successit ipsi modo nominatus *Lubomirskius*, qui Turcas castra Polonica iterato impetu inuadentes magna clade repressit. Iidem Paniowce arcem frustra oppugnauerunt, ideo sine intermissione obiurgati ab *Osmanno* ipsis inertiam exprobrante, ac tantam inuidiam sibi conflante, vt a Ianitzaris Constantinopoli laqueo vita spoliatus fuerit. Tandem 9. Octobris modo dicti anni pax cum Turcis inita his turbis finem imposuit, Turcis & Vayuodæ Moldauiæ & arx Chocim redditæ sunt.

Bellum in Livonia.

Interea vrbis Rigæ in Liuonia Sueci deditione potiuntur. Anno 1625. bellum in Liuonia & Borussia inchoatum est, sequutis quoque annis regiones illas affligens, quod anno 1629. induciæ sexennes vsque ad Iulium anni 1635. pactæ sopiuerunt.

Stephanus Chmielecius.

Anno 1626 *Stephanus Chmielecius* Cosacorum Dux in Russiæ finibus Tartaros insigni victoria prostrauit, eosdemque altera apud Burstinouiam anno 1629. in fugam coniecit. Sed Kiouiensis Palatinus modo creatus, anno 30. repentina morte expirauit, heros strenuus & fortis, qui Cosacis suis imperans Tartaros male mulctauit.

Reginæ Constantiæ obitus.

Anno 1631. *Constantia* Regina corporis aliquanto pinguioris femina in festo corporis Christi, cum publicæ processioni interesset Varsouiæ, pedibus vltra mille passus confecit, & nimio solis ardore maximum calorem contraxit, Medicorum accedentem non animaduertentium & frigidum balneum adhibentium ignorantia ita auctum, vt 10. Iulii exspirauerit, summo mane ab *Vasula Meierin* ministra visura num dormiret, in lecto mortua inuenta. Paucis diebus post & *Georgius Zbaranski* Dux, & Castellanus Cracouiensis, Reginæ dictæ non admodum fauens, cum noctu somnum caperet, repentina morte extinctus est. Sine liberis decedens prosapiæ Zbaranskianæ vltimus fuit, qui *licet incontinentius vixerit*, vt *Piasecius p. 422.* ait, a coniugio semper abhorruit, & fratri permittere noluit, vt matrimonium iniret. Anno 1632, Rex *Sigismundus* monetæ cudendæ ius Ordinibus Regni concessit, quia ipso tunc temporis regnante numismatum corruptio & adulteratio maxime inualuerat.

Sigismundi regis obitus.

Tandem Kal. Aprilis eiusdem anni, cum ad 66. ætatis annum peruenisset, & 45. annos Polonici Regni clauum tenuisset, Varsoviæ e vita abiit. Animam agens filii Vladislai, qui abfuerat, aduentantis capiti manu sua Coronam Suecicam imposuit. De hoc actu ita scribit *Kobierzickius pag. 945. Sigismundus extremo colluctans morbo Varsoviae Vladislaum, & si voce compellare non posset, paterno intuitus oculo, mox gestu, impositaque desuper caput manu, Regni Sueciae legitimum haeredem, ac successorem declarauit, adstante, Georgio Boratio, viro apprime erudito, natione Sueco, inque tabulas publicas eam nuncupationem referente.* Rex hic, vt *Stanislaus Kobierzicki lib. 1. pag. 3. & 4.* tradit, suauibus & efficacibus mediis Poloniam ad religionem veram (sic Catholico-Romanam vocat) reduxit, munera publica iis concredens, qui maiorum suorum fidei, & religioni erant addicti; quo regendi mysterio sine vllo tumultu, hæreses, (vt appellat) partim oppressit, & partim pristinum suum statum regno restituit. Nam cum ipso Regni gubernationem aggrediente maxima Senatorum pars nouae religioni dedita esset, tantum singulari sua cura effecit, vt moriens duos tantum Palatinos, Califfiensem nimirum, & Belsensem, religionis dictæ propugnatores in Senatu relinqueret. Ipsi a concionibus aulicis fuit Iesuita *Petrus Skarga*, qui & apud Regem *Stephanum* eodem munere fungebatur. Corpus eius mortuum, & vestitu Regio, quo in coronatione Reges exornari solent, amictum, in triclinio arcis magnifico apparatu instructo, pomeridianis horis vnicuique conspiciendum exhibebatur. Regni Poloniæ coronam in capite habens dextra sceptrum, & sinistra globum Re-

gni tenebat: Sueciæ vero Corona ad latus in puluinari iacebat. Moscouiæ coronam, quam post regionem illam subactam ex thesauro Moscouitico nactus fuerat, thesauro Regio adiungi testamento iussit. Duas habuit vxores, & quidem germanas sorores ex familia Austriaca, quarum prior *Anna* mater fuit *Vladislai* IV, patris in regno successoris 9. Iunii Anno 1595. in lucem editi; posterior *Constantia* anno 1605. ipsi nupta peperit *Iohannem Casimirum* A. 1609. 21. Martii, qui fratri *Vladislao* in Regno successit; *Iohannem Albertum* A. 1612. *Carolum Ferdinandum* Episcopum Vratislaniensem A. 1613. *Alexandrum Carolum* A. 1614. et *Annam Catharinam* A. 1619. Prior autem vxor anno 1598. et posterior anno 1631. e vita migrauit, vtraque *Caroli* Austriæ Archiducis filia.

Sigismundi vxores & liberi

XV. *Vladislaus* IV. *Sigismundi* III. & *Annae Austriacae* filius, in comitiis, in quibus *Christophorus Radziuilius* Dux, & militiæ in Lituania præfectus summus, qui reformatæ religioni addicto cæteri omnes religionem Catholicam non profitentes adhærebant, nunciorum terrestrium, aut municipalium caput erat, Varsauiæ 27. Ianuarii anno 1633. electus, & 6. Februarii eiusdem anni Cracouiæ coronatus. Eius vitæ descriptio ex *Stanislao Kobierzickio* Castellano Dantiscano excerpta, est vt sequitur. Anno 1610. a Moschis magnus Moscouiæ Dux electus est, vt supra memorauimus. Post *Basilii* horribilis istius Tyranni, ac filii eius *Theodori* obitum, *Demetrius* quidam, Tyranni illius filium mentiens *Marinam* Palatini Sendomiriensis filiam vxorem duxit, ac Polonorum auxilio vrbem Moscuam cum arce in potestatem suam redegit. In huius interfecti locum electione substituerunt Moschi *Suyscium*, & ob tyrannidem, quam exercuit, Polonis tradiderunt, apud quos in carcere vitam finiuit. Surrexit alius *Demetrius*, a quibusdam Iudæus existimatus, qui etiam verum illum *Demetrium Basilii* filium mentiebatur. Huic dicta *Marina* lasciua femina se adiunxit Imperatricis Moschouiæ titulum vsurpans. Sed Moschi *Vladislaum* IV. *Sigismundi* filium Moschouiæ Czarum, seu Imperatorem designarunt. *Demetrius* II. autem Calugam aufugit, & a *Petro Vrozovo* Tartaro, quem ductorem & comitem conduxerat, vita orbatus est. *Marina* ipsa Donenses & Moschouiticos Cosacos in Tartaros concitauit. Cæterum ea, quæ supra narrauimus, auctor laudatus paulo aliter refert. Moschi, ex thesauro antiquo Ducum Moschouiæ aperto, Imperii ornamenta, & alia pretiosa multa *Zolkievio*, Polonorum præfecto, tradiderunt, numismata noua *Vladislai* nomine insignita cuderunt, dictum *Basilium Suyscium* ex claustro suo eductum cum fratribus *Demetrio* & *Ioanne* summo Polonorum præfecto nominato dederunt, ac Polonicum præsidium in vrbem Moscuam admiserunt. Moschis vero *Sigismundo* Regi duriores conditiones, religionem & alia concernentes, proponentibus, & *Vladislai* principis in Moschouiam aduentum vehementer vrgentibus, Rex totum negotium dilatione aliqua moratus est, ac filium in Moschouiam ablegare recusauit. Hinc Moschi noua quædam consilia captare, & ea moliri, quæ Polonis suspecta erant. Ideo *Zolkieuskio* præfecto summo præsidia in vrbe augendi, & exercitum Polonicum per arces, Moschuam vrbem cingentes, distribuendi occasio data. Tandem Poloni, Moscua vrbe incensa, cædibus horribilibus in incolas grassati sunt, adeo, vt hominum millia centum, testante eodem *Authore laudato pag. 376. lib. 6.* perierint, si eodem numero etiam vxores & liberi Moschorum comprehendantur. Alii vero sexagies mille homines numerant. Patriarcha Moschorum in carcerem coniectus ibidem finem vitæ suæ invenit. Anno 1613. 13. Iunii sequuta est occupatio vrbis Smolensko, quæ se Polonis dedidit. *In 7. lib. Author idem* indicat, quo pacto Moschouia se recolligens ad pristinam libertatem reuersa sit, occasione se recolligendi ipsis oblata a discordia præfectorum exercitus Polonici, ex qua seditiones militum natæ, cum fame horrenda, quæ Polonorum præsidiarios milites in vrbe Moschua rebus a natura humana abhorrentibus, & ipsis corporibus & cadaueribus humanis, ciborum loco vti coegit,

Eius vita.

Vladislaus Moschouiæ Imperator creatus.

Moschi ab Vladislao deficiunt.

Polonorum Tyrannis in vrbe Moscua.

Et ex eadem vrbe discessus.

Thesaurus Moscouiticus.

Exercitus Polonici reversi seditio.

vt *pag.* 449. prolixe commemorat. Sequuta est anno 1612. arcis Moschnæ certis conditionibus traditæ deditio, & Polonorum discessus, in quos Moschi contra fidem datam crudelissimis cædibus seuierunt. Rex *Sigismundus* vt stipendia debita exsolueret, thesaurum Moscouiticum militibus seditiosis loco solutionis concesserat. Constabat is ex Liuoniæ diuitiis olim Liuonibus ereptis, et vrbis Nouogardiæ magnæ auro et argento, quem *Basilius Magnus* Moscouiæ Dux annis superioribus trecentis curribus in vrbem Moscuam aduehendam curauerat. Erant in eo ex puro auro conflatæ imagines, et mensæ, ingens margaritarum copia, aurea, & argentea vasa, aureæ cruces lapidibus preciosis ornatæ, vnicornua, & aliæ grandes Moscouitici Imperii diuitiæ & thesauri longo temporis spatio congesti. Nec tamen sufficiebant tantæ diuitiæ exercitui seditioso, qui post Moscuam amissam Poloniæ Regnum inuasit, & diuersis in locis depopulatus est. Ea de causa anno 1613. Varsouiæ comitia celebrare, & pecuniam colligere Rex coactus est, qua seditiosam suorum militum rabiem sedauit. *Vltra viginti milliones, si censum in singula iugera impositum adiicias, accepere pauci seditiosi, inquit Author citatus pag.* 468. Interea temporis Moschi (*quorum fides admodum lubrica, pag.* 469.) ab Vladislao deficientes *Michaëlem Fiderovitzium*, ex antiqua Ducum Moscouiæ prosapia natum Magni Ducis munere honorarunt, cuius iussu Marina vtriusque *Demetrii* vxor Astracani, quo Caluga cum filio fugiens se contulerat, commorans laqueo suffocata, & filius patibulo affixus est. *Ita tandem impotens animi, nimiaque dominandi libidine flagrans femina immoderatae cupidinis luit poenas: pag.* 470. seq. Anno 1615. Moschi Smolenskum obsidione cingentes reiecti sunt a Polonis bellum ipsis inferentibus, quibus *Vladislaus* Dux præerat, qui annis 16. 17. & 18. illud summa vehementia gessit, & ipsam vrbem Moscuam obsidione, quanquam frustranea, aggressus est. Moscouitæ ingentium depopulationum, & damnorum pertæsi, & inducias vsque ad annum 1633. pacti, Smolenskum, Bialam, Roslauiam, Drohobusium, Sierpierskum, Trubeckum, Nouogardiam paruam in Ducatu Seueriensi, cum tota ditione cis, & trans fluuium Dzeisnam, Czerniechouiam, Monasterscum & Moroniskum vrbes & arces Polonis concesserunt. Poloni vero Moscovitis restituerunt Borissouum, Kosielskum, Mosaiscum, Mescerscum, Viasmam, (inter Smolenskum & Moscuam vrbem sitam) cum ditionibus ad ipsam pertinentibus, quorum locorum restitutio Moschis Starodubi, Poczapniciæ, Poponagoræ, Neuelæ, Siebiezi, Krasni, & Toropecensi, ac Vielisiensi ditionibus pensanda fuit. Aucta itaque tunc temporis Polonia multis regionibus insignibus fines suos in longitudine & latitudine vltra centum milliaria explicuit. Inducias autem illas promouerunt Cosaci, qui Moscouiæ oras ad Occam fluuium sitas, Calupam vrbem, & multa alia loca depopulando vastauerunt. De Turcico bello in Moldauia, a quodam Turcarum sepulchrum appellata, cui tunc temporis præfuit *Casparus Gratianus*, Grætziæ in Stiria, vt fertur natus, supra mentionem fecimus. Suo maximo incommodo ille ad id bellum incitauit Polonos, qui summi sui Præfecti militiæ Zolkiewskii (cuius caput Constantinopolim a Turcis delatum, ac postea pecunia redemptum ab ipsius vidua, cum corpore, in ciuitate ab ipso extructa, terræ mandatum est) & suorum iactura haud exigua conatus suos intempestiuos luerunt.

Marina supplicio afficitur.

Induciæ cum Moschis.

Polonia aucta.

Poloni ad bellum Turcicum incitati.

Vladislai iter in Polonia.

Post pacem cum Turcis initam *Vladislaus* princeps cum Patre Rege anno 1625. in Borussiam Golubum ad *Annam* patris sororem & amitam suam, ad quam locus ille cum ditione circumiacente pertinebat, profectus est, inde Toruniam se conferens cum Rege Bidgosti monetariam officinam inspexit, ac Osieckum, & Tauchelum, quorum illius ipse possessor fuit, alterius Regina *Constantia* cum toto regio comitatu, ipsoque Rege diuertit, qui Grocholini, et Nackeli a Castellanis, Vagrovetii ab Abbate, magnifico apparatu excepti in maiori Polonia

Gnesnam,

Gnesnam, Posonium, Curnickum, Radlinum, Corosinum, Golichouiam, Calisium inuiserunt, ac tandem Louitzio Varsouiam reuersi sunt.

An. 1624. Princeps *Vladislaus* peregrinas regiones perlustrandi cupidus itineri se accinxit, Cracouiaque se contulit in locum illum, qui in Poloniæ & Silesiæ finibus Clari Montis nomen habens *Beatae Virginis* imagine a S. *Luca*, vt *Auctor pag.* 869. indicat, depicta, & Constantinopoli in Poloniam delata nobilitatur. Inde Silesiam, & Austriam transiens Viennam venit, vbi Imperator *Ferdinandus* II. ipse, Austriacae domus antiquum thesaurum, non diuitiis tantum, sed variis naturæ, artisque miraculis refertum, *vt idem pag.* 371. *dicit*, ipsi ostendit. Hinc via ipsum ducebat Lintium, Salisburgum, Monachium, Augustam Vindelicorum, Thonawerdam, Norimbergam, Wurtzburgum, Hanoviam, Francofurtum, Moguntiam, Baccharacum, Confluentiam, Bonnam, Coloniam, Iuliacum, Aquisgranum, Viseum, Lovanium, Bruxellas, Antverpiam, & in castra Spinolae, Bredam vrbem tunc temporis obsidione cingentis, ex quibus Antverpiam & Bruxellas reuersus est. Ex ea vrbe porro iter suum instituenti in via occurrerunt Niuella, Metis, Tabernae Alsaticæ, Argentoratum, Molshemium, Sletstadium, Rufacum, Ensisheimum, Brisacum, Basilea, Solothurnum, et Lucerna, a qua vrbe per montem Gothardi Mediolanum, Genuam, Parmam, Modenam, Vrbinum, Riminum, ac Romam perrexit. Roma quoque Anconam, et inde in monasterium D. Virginis Lauretanae se recepit, ibidem S. *Vladislai* imaginem auream donum relinquens. Anno 1625 sex dierum spatio Neapolim profectus, et Romam reuersus, inde 20 Ianuarii discessit, ac per Florentiam, Pisam, Liuornum, Venetias, inde vero Grætziam in Stiria sitam, et Viennam rediit. Vienna porro Nissam in Silesiam profectus, tandem in Poloniam incolumis reuersus est. Anno 1632. valetudinis curandæ causa Egram, in finibus Bohemiæ ad acidulas se contulit. Anno 1633. coronatus est Rex Poloniæ, vt supra memorauimus. Eodem anno ante induciarum finem Moscouitæ Smolenscum obsidione circumdederunt, et Lithuaniæ fines horrenda depopulatione vastarunt. Rex *Vladislaus* cum *Christophoro Radzivilio* exercitus Lithuanici Imperatore et Palatino Vilnensi, Moschorum exercitum, in quo sex millia Germanorum militum sub famoso illo duce *Alexandro Leslaeo* stipendia merebant, circumsedit, et post aliquot mensium labores et molestias militares eo angustiarum redegit, vt gratia a Rege impetrata obsidionem solueril, et infami discessu Moscouiam repeteril. Germanorum impulsu factum esse ferunt, quibus sine tecto, sine igne indesinentibus dimicationibus cum hoste, fame, et acerba paupertate conflictandum erat, cum tamen Moschi et aëri isti, Germanis iniquiori, magis assueti, et durioris, viliorisque victus, vtpote qui leguminibus iisque sæpe non coctis, sed crudis viuebant, patientiores, molestissimos militiæ labores faciliore negotio tolerarent. Gloriosa hac victoria Rex sine prælio potitus sequentis anni mense Martio ignominioso abitu Moschos in patriam remisit. Ipsos autem Polonos commeatus penuria haud parum vexauit, licet initio aduentus totus ille tractus omnia necessaria hominibus, et equis copiose sufficeret. Sed nimia lixarum et calonum multitudo paucis diebus ea omnia consumpserat, quæ exercitui multo longius tempus sustentando paria fuissent. Domuncula lignea Regi diuersorium præbebant, tuguriola ex stramentis, arborumque frondibus contexta milites tegebant. Vigiliæ frequentes sub d o, et in frigore, in quibus visitandis Rex haud negligens fuit. Interea Turcæ apud Cameneciam Podoliæ vastationi operam dantes, vt a Moschis bellum, quod ipsis ex Polonia imminebat, diuerterent, a *Koniecpolscio* in Moldauiam reiecti sunt. Pace autem anno 1634. cum Moschis constituta regno plures regiones centum milliaria Germanica longum, et quadraginta latum districtum efficientes, Rex acquisiuit, viginti annorum spatio hactenus decerptas, et ingens sibi nomen comparauit. Pax quoque, renouata cum Turcarum Imperatore, qui eius ruptionem Bassæ Abasso imputauit,

In peregrinis regionibus.

In Germania.

Belgio.

In Italia.

Reditus per Germaniam in Poloniam.

Coronatio.

Smolenskum a Moschis obsidione cinctum.

Et ab Vladislao liberatum

Turcæ repulsi

Fratrum regis obitus.

Menſe Decembri ad finem properante diem obiit Regis frater natu minimus *Alexander Carolus, in quo prae caeteris fratribus ſumma Heroicarum virtutum ſpecimina emicabant*, teſtante Epiſcopo *Piaſecio*, qui ipſum hoc elogio extollit. Paulo poſt, 30. videlicet Decembris fati quoque rapuit inclementia fratrem alterum *Johannem Albertum* Cardinalem, et Cracouienſem Epiſcopum, qui Patauii in Italia e viuis exceſſit.

Induciæ cum Suecis.

Anno 1635. Stumdorfii inter Polonos, et Suecos pactae ſunt induciae viginti ſex annorum, nempe vſque ad 11. Julii a. 1661. de qua Piaſecius p. 480. ſeq. conſulendus.

Vladislai vxor prior & ex ea liberi.

Anno 1637. *Vladislaus* Rex vxorem duxit *Caeciliam Renatam* Imperatoris *Ferdinandi* II. filiam Varſouiæ coronatam, ex qua ſuſcepit 1. Aprilis anno 1640. filium *Sigismundum Caſimirum*, an. 47. d. 9 Augusti denatum, et filiam anno 43. quæ mox extremo die vitam clauſit. Regina prægnans anno 1744. die 24. Martii Vilnæ in Lithuania in viuis eſſe deſiit. Anno 1642. ſororem ſuam *Annam Catharinam* Rex nuptum locauit *Philippo Wilhelmo* Palatino Neoburgenſi, ingentem dotem ipſi adiungens, vt legere eſt apud *Piaſecium pag.* 504.

Colloquium Torunenſe.

Anno 1645. colloquium amicum de religione inſtituit Torunii in Boruſſia, cuius acta typis in lucem edita ſunt. Eius meminit *Piaſecius pag.* 507. Eodem anno Ducatus Opolienſis, et Ratiborienſis in Sileſia iuris ipſius facti ſunt.

Poſterior vxor.

Anno 1646. die Martii 11. Varſouiæ nuptias celebrauit cum *Ludovica Maria*, *Caroli Gonzagae* Ducis Mantuani et Niuernenſis filia, quæ 15. Iulii poſtea Cracouiæ coronata, dotem ſeptingenties mille coronatos attuliſſe fertur, (*Gal. Gualdus hiſt. part. 3. lib. 9. pag.* 429) et nullos liberos peperit. A Duce *Oſſolinio* 10. Martii Varſouiæ Latina oratione, quæ typis edita lucem vidit, Regis nomine excepta eſt.

Arrianorum & Anabaptiſtarum dogma prohibitum.

Anno 47. Varſouiæ in comitiis decreto publico Arrianorum doctrina, vt et Anabaptiſtarum dogmata per totam Poloniam prohibita, et eorum, qui his erroribus addicti erant, bona fiſco publico adiudicata ſunt: Vnde inuenti, qui eorum nonnulla precario obtinere moliebantur. *Theatr. Europ. fol.* 1371. *b.* In eodem *Theatr. fol.* 1385. *b.* legitur, Arrianos quoque, a confœderatione plane excluſos, et Ethnicis annumeratos fuiſſe. Sequente mox fol. 1386. itidem narratur, iiſdem in comitiis Nobilem quendam Polonum *Schlichtingum* nomine, qui Arrianis addictus libellum contra Catholicos in publicum emiſerat, a Senatu Poloniæ Magno capitis, famæ, et omnium bonorum condemnatum, ac libellum ipſum igne crematum, publice fuiſſe.

Vladislai obitus.

Sequente anno 1648. Rex *Vladislaus* Meretzii, quod oppidulum eſt Lithuaniæ decem ab vrbe Vilna milliaribus diſtans, febri acuta, quam Medicorum ignorantia antimonio male præparato, et ipſi propinato, anxerat 20. Martii finem vitæ ſuæ inuenit, poſtquam 52. annos, 11. menſes, et 11. dies vixiſſet.

XVI. *Ioannes Caſimirus Vladislai* frater, & *Sigismundi III.* ex *Conſtantia* altera vxore filius, anno 1609. 11. (21) Martii Cracouiæ natus, anno 1648 17. Novembris Poloniæ Rex deſignatus, & anno 49. 7. (17) Ianuarii Cracouiæ coronatus, etiam iis, qui Catholicæ Romanæ religioni addicti non erant, religionis ſuæ libertatem, & ſecuritatem iureiurando pollicitus eſt. Cum enim mox poſt *Vladislai* Regis obitum Coſaci & Tartari in Poloniæ regno horribili depopulatione graſſarentur, Catholici & Euangelici publico pacto inter ſe inito confœderationem, qua iuncti erant, in poſterum ius perpetuum eſſe & legis vim habere voluerunt, cuius vigore in futurum Euangelici, aut Proteſtantes, vt vocant, libero religionis ſuæ exercitio fruerentur, & eccleſias ſuas ab omnibus turbis & moleſtiis ſartas ac tectas conſeruarent, vt ex *Relationis Hiſtoricae Francofurtanae pag. 48. &* 49. patet.

Caſimirus in Gallia detentus.

Anno 1638. *Caſimirus* Rex per Galliam iter faciens detentus, ac ſequente dimiſſus anno 43. Romam profectus eſt, & ſe Ieſuitarum ſocietati adiunxit. Poſt alterum probationis, vt vocant, annum, cum iam profeſſionem facturus, & ſe totum Ordini illi manciparurus eſſet, Papa *Innocentius* X. ipſum prohibitum, Cardinalem creauit, cui dignitati, pileo Papæ remiſſo, paulo ante fratris *Vladislai* mortem

tem

tem renunciauit. Rex factus fratri suo principi *Carolo Ferdinando* principatus Oppoliensem & Ratiboriensem, defuncto Regi *Vladislao* certis conditionibus pignori datos, concessit, reseruata Euangelicis suæ religionis libertate, quam iureiurando firmauerat. Anno 1649. 20. (30) Maii matrimonium iniuit cum relicta fratris vidua *Ludovica Maria*, nuptiasque eodem die Warsouiæ celebrauit. Hæc anno 1650. 11. (21) Iulii, filiam *Mariam Annam Theresiam*, & anno 52. 9. (19) Ianuarii filium enixa est, qui vterque nondiu in viuis fuêre. Bella, quæ hic Rex cum Magno Moscouiæ Duce *Alexio Michaelis*, & *Carolo Gustavo* Sueciæ Rege hactenus gerit, in recenti adhuc versantur memoria, de quibus *Ioachimus Pastorius de Bello Scythico Cosacico*, *Relationes historicae*, & alii, qui de hac materia scripserunt, legi possunt.

Atque hæc sunt generalia illa totum Poloniæ regnum concernentia, quæ particularium eiusdem prouinciarum & regionum descripionibus præmittenda operæ precium duximus. Sequitur iam ipsius regni in regiones suas diuisio, & cuiusque particularis descriptio.

SINGULARUM PROVINCIARUM
SEU
REGIONUM IN
POLONIÆ REGNO
PARTICULARES DESCRIPTIONES.

POLONIÆ REGNUM a duabus regionibus, minore nimirum, & maiore Polonia exordium cœpit. Russiam meridionalem in potestatem suam redegit *Casimirus Magnus*, postquam cum *Doniele* Ducum Russorum progenies in illo ducatu defecisset. Eodem Casimiro imperante Polonis se subiecit Dux Masouiæ, quæ vsque ad annum Christi 1526. Principes suos habuit. Lithuaniam Poloniæ adiunxit *Iagello* Dux, matrimonio contracto cum *Hedwige* filia *Ludovici* Hungari, Poloniæ Regis, ea conditione, vt suas thesauros in Poloniam deferret, & Poloniæ ditiones suas adiiceret. Eæ fuerunt Lithuania, Samogitia, & Russiæ Albæ pars. *Iagellone* autem regnum administrante, Moldauiæ Woywoda, siue Satrapa, ab Hungaris interregni tempore se subducens, in Polonorum clientelam regionem illam traduxit: quo tempore & nobiles Prussi ad Polonos accesserunt, sub *Sigismundo* demum firmiorem illam coniunctionem perficientes. Prussia siquidem, Imperii Germanici olim membrum, Teutonicis Equitibus, qui ad Christianam religionem incolas conuerterant, Imperatoris *Friderici* II. tempore, obsequium præstabat. Hos dominos suos exosi incolæ, anno 1454. Polonorum subiêre dominatum, postquam Equites Teutonicos iniquioribus conditionibus pacem recipere *Casimirus* Rex coëgisset. Hic enim Prussiam, quæ Regia hodie dicitur, sui iuris fecit, reliquam vero eiusdem partem Magistro Teutonico possidendam concessit, quam sub *Sigismundo*, *Albertus* Marchio Brandeburgicus Dux Prussiæ creatus, clientela hæreditaria retinuit. Hinc Prussiæ in regiam et ducalem diuisio nata. Liuoniæ partem Ensigeris eripuêre Poloni. *Sigismundus Augustus*, *Sigismundi I.* filius, *Gotardum Ketlerum*, Liuo-

Regni Poloniæ ortus & progressus.

nici Ordinis vltimum Magiſtrum Curlandiæ et Semigalliæ Ducem conſtituit, ac Poloniae clientem fecit. Olim et Palatinus ſiue Woiwoda Tranſiluaniæ Regum Polonorum cliens fuit, ſicut et Moldauiæ ac Beſſarabiæ Principes. Sed Beſſarabia Ottomannici Imperii propria facta, Moldauia, atque Tranſilvania in eiusdem clientelam receptæ ſunt.

Poloniæ diviſio.

Polonici igitur Regni diuiſio hæc eſt:

Antiqua Polonia.

Antiquum Regnum Poloniae complectitur Poloniam minorem, cuius, vt et totius Regni metropolis, et regia ſedes eſt Cracouia: Poloniam maiorem, cum vrbe primaria Poſnania: Cuiauiam, cum principe oppido Vladislauia: Maſouiam, et in ea vrben primam Varſauiam: Ruſſiam nigram, quae et rubra, et meridionalis, et inferior, cum metropoli Leopoli: et Podoliam, in qua primas tenet oppidum Camienekum.

Vetus Lituania.

Vetus Lithuania comprehendit Ducatum Lithuaniae et metropolin Vilnam: Ditionem Lithuaniae Ruſſicam, in qua duae vrbes principes, Smolenſko, et Nouogroda Severiae: Samogitiam, cuius caput Vormatia, Vormis, ſeu Medniki: Volhiniam, eiusque primariam Luceoriam: Et Podlaſſiam cum oppido praecipuo Bielka.

Antiqua Pruſſia.

Antiqua Pruſſia in 12. Ducatus aut prouincias, a 12. Regis aut Ducis, *Videnuti* filiis denominatas, diuiſa fuit. 1. et maxime Borealis Sclauonia ſeu Schlauonia, a *Schlavone*, vbi ciuitas Ragneta ad fluuium Memel. 2. Nadrouia a *Nadrone*, vbi nullae vrbes, quia omnes deletae a Fratribus Crucigeris: poſtea tamen conditum Georgenburgum. 3. Natangia a *Natangone*, in qua Brandeburgum. 5. Sambia ab Ortu Natangiam attingens, ſic dicta a *Saymone Videneti* primogenito, aliter etiam Samlandia, Weitlandia, Eleſſaria, et Auſtrania, in qua Regiusmons vrbs celebris: In eius litore Succinum colligitur. 5. Bartonia, Bartenlandia, a *Bartone* cum vrbe cognomine, forte hodie Bartenſtein, 6. Sudauia, Sudawa, Podlachiae et Lithuaniae adiacens, a *Sudone*, vbi nullae arces aut vrbes, quas omnes Crucigeri euerterunt. 7. Galindia a *Galindo*, vel *Galindone*, verſus Meridiem, vbi nunc Ortelsburgum. 8. Varmia, Ermlandia alias, verſus Boream a *Varmone* ſic nominata, cuius pars ad Epiſcopatum Heilſpergenſem aut Varmienſem, pars ad Ducatum Pruſſiæ pertinet. 9. Hockerlandia vel Pogeſania ab *Hoggone*, quæ Elbingam vrbem habet, & præcedenti adhæret. 10. *Pomeſania a Pomedzone* cuius oppidum Marienburgum. 11. Culmenſis Ducatus a *Colmo*, vbi Culmia. 12. Michouia ſeu Michelouia a *Michelone* vbi Strasburgum. Diuiſio hæc originem ſuam acceptam fert *Videnuti*, ſeu *Videneti* filiis 12. inter quos Pruſſia a patre diſtributa eſt.

Noua Pruſſia

Noua Pruſſia eſt vel Ducalis, aut Brandeburgica, in qua Regiomons ſiue Koninxberga: & Regalis ſiue Polonica, cuius metropolis Gedanum ſiue Dantiſcum.

Regiones ex Polonia decerptæ.

Regiones ex Regno Poloniæ decerptæ ſunt, Livonia Sueciæ Regibus nunc ſubiecta, Tranſiluania, & Valachia Ottomannici Imperii clientes.

Simon Starovolſcius Poloniam diſtribuit, vt ſequitur: Poloniæ octo in vniuerſum ſunt prouinciæ: Polonia nimirum vtraque, Lituania, Ruſſia, Pruſſia, Maſouia, Samogitia, Pomerania, & Liuonia; omnes ſub vno ſceptro contentæ, moribus, legibus, lingua ex parte differentes: viuendi vero genio, libertatis prærogatiua, capeſſendorumque in Republica honorum aptitudine, ex æquo pares, et iuribus neceſſitudinum inter ſe invicem aſtrictæ. Hunc ordinem in iis ſigillatim deſcribendis ſeruabimus.

POLONIA MINOR.

Polonia Minor.

POLONIA MINOR ita dicta, vt a minore diſcernatur, a meridie Hungaricis montibus, ab occaſu Sileſiæ, a Septentrione maiori Poloniæ, & MAZOVIÆ, ac ab

ac ab ortu Podlachiae et Russiae rubrae finitima est, montibusque crebrioribus versus Hungariam assurgens, a reliquarum Poloniae regionum patulis planitiebus se explicantium natura quasi degenerat. Vistulae et aliorum fluuiorum aquis rigatur, et ex fodinis metallicis Ilkussiae, Slaucouiae, Seueriae, et Nouagorae, plumbum et argentum, ac apud Nouotargum, et in montibus circa Sandecium cum cupro aurum suppeditat: Velistae item, et Bochniae salem fossilem, Marmor variorum colorum Soleciae; salem petrae Visliciae, Vitriolum ad Bieciams cuprum et carbones fossiles proxime Tenzinum, Chalybem Podoleneciae, et ferrum, vitrumque ex fornacibus vitriariis Olstiniae et alibi subministrat. Comprehendit autem Palatinatus tres, Cracouiensem nimirum, Sandomiriensem, et Lublinensem, quorum descriptio hic sequitur.

Fodinæ metallicæ.

CRACOVIENSIS PALATINATUS a regia vrbe Cracovia denominatus Silesiam, Hungariam, Poloniam maiorem, et Sendomiriensem palatinatum attingit, ac quatuor grandes diœceses ac tres Ducatus, Osuecimensem nimirum, Zatoriensem, et Seueriensem, Silesiæ Polonicæ partes, continet. Eidem annumerantur 13. municipia cum arce Lublo, vel Lublau, Polonis Luboulia appellata, quam in Comitatu Zipsiensi sitam, præsidio perpetuo munitam, et admodum fortem, Hungari pro pecunia mutuo sumpta Polonis anno 1412. pignori dederunt. Praeter Palatinum habet etiam Episcopum Cracouiensem, et Castellanos, Cracouiensem, primum inter Senatores sæculares, et proximum post Episcopos in regni Senatu locum obtinentem, Voinicensem, Osuecimensem, Sandecensem, et Biecensem, aliasque diuersorum magistratuum muneribus fungentes personas. In ea præcipuæ notæ loca et vrbes se habent, vt sequitur:

Cracouiensis Palatinatus.

Cracouia, Cracau, Cracow, non solum minoris, sed etiam totius Poloniæ metropolis, sub latitudinis gradu 50. et scrupulo 12. longitudinis autem 42. seu 45. grad. et 30. scrup. ab insulis Canariis remoto, vt alii tradunt, sita, solstitio æstiuo sexdecim horis et dimidia lucem diurnam habet. *Posnania*, 80 a Leopoli siue Lewenburga Russica, 50. Lublino, et Vratislauia 36. Varsouia 46. Dantisco 40. milliaribus Polonicis distat. Eam descripsere varii auctores, ex quibus praecipui *Lundorpius lib. 27. Contin. Sleid. pag.* 690. *Chythraeus lib.* 28. *Saxon. fol.* 791. *Georgius Braun in Theat. Vrbium tom.* 6. *Frœlichius lib. 1. part. 2. Viatorii pag.* 310. *Thuanus histor. lib.* 56. ex quibus præcipua delibabimus. Communis autem opinio est plerorumque, quibus et *Cromerus lib. 2. rer. Polon. fol. 29.* ac *Goldastus lib. 3. de Regno Bohemiae cap.* 12. astipulantur, *Cracum* vel *Crocum* Ducem Bohemorum, et *Zechi Lechique* in vtroque, Bohemiæ nimirum, et Poloniae Ducatu successorem, in sinistra Vistulae ripa in loco, in quo domicilium habebat, hanc vrbem condidisse, et de nomine suo Cracouiam dixisse. Gnesnam enim a *Lecho* extructam, et Regni metropolin, dictus Princeps, quem circa annum 700. regnasse aiunt, reliquisse, sedemque suam hic fixisse fertur. Postea Bohemis vrbem Cracouiam subiectam fuisse arbitratur *Goldastus*, et quidem vsque ad illud tempus, quo *Mesco* Poloniae Dux eandem in potestatem suam redegit. Sequutis vero temporibus hunc Cracouiae et Sendomiriae Ducatum minori Poloniae nomine appellari cepisse. Ab hoc exordio admodum tenui, tempus, et Principum, ac Regum incolarum fauor ad tantam dignitatem et magnificentiam vrbem hanc promouerunt, vt validis suis muris, turribus, sumptuosis tam publicis, quam priuatis aedificiis, omnium rerum ad corporis vsum, voluptatemque necessariarum copia, et ciuium, incolarumque ornatu, ac ciuilitate cum plerisque Germaniae, Galliæ, ac Italiæ ciuitatibus certet; Inter Polonicas vero, et, vt *Cromero* placet, omnes eas, quæ in septentrionali plaga reperiuntur, facile primas teneat. *Cracus* e regione vrbis et Vistulæ in monte Lassotino, alias Renkauka, sepulchrum suum habet, instar montis congestum, quod adhuc hodie haud longe a S. *Benedicti* templo, eodem *Cromero* Episcopo teste, ostenditur. Collis alius haud longo ab

Cracouia.

Qui authores eam descripserint.

Eius conditor Cracus.

Craci Sepulchrum.

 vrbe

Vendæ filiæ tumulus.

vrbe interuallo remotus tumulum continere dicitur *Vendae*, Craci filiæ, virginis heroicæ, quæ virginitatis suæ conseruandae causa de ponte in Vistulam se praecipitauit, vt Poloni scribunt. Hanc tamen narrationem, aliasque plures, vt fabulas meras explodit *Philippus Cluverius lib. 3. antiq. German. cap.* 44. pari ratione et *Hagecius Cracum Lechi* filium fuisse narrans, fabulari videtur *Cromero*, qui Cracouiae fundationem ad annum Christi 700. refert. Eam *Ptolomei* Carrodunum esse *Petrus Appianus* arbitratur. Aëre fruitur admodum salubri, et puro, soloque circumiacente gaudet admodum fertili, frumentique omnis generis, fructuum, auri, argenti, ferri, lapidis Calaminaris, salis, marmoris, Alabastri, similiumque ferace. Vnde & negotiatio celebris & frequens ab incolis, atque mercatoribus Germanis & Italis in ea exercetur. Accedit piscosum flumen Vistula, quod varios incolis pisces, & quidem copiose exhibet. Vinarum, & ex terra profilientium aquarum haud exigua est abundantia. Rundissa fluuius, quo nomine eum appellat *Speculum Cosmographicum Danielis Cellarii in Theatro Vrbium*, aut Rudava, vt a vulgo, & *Cromero* appellatur, vrbem circumluit, & per eam ducitur. Ipsam vrbem quidam in tres diuersas partes diuidunt, quarum quæuis suas Curias & peculiaria iudicia habet. Alii in quinque partiuntur: Prima est ipsa vrbs Cracouia sub arce regia, ab vno latere versus meridiem respiciens vrbem Casimiriam, a qua interlabente Vistula separatur, ei tamen adhærens ponte ligneo, qui amnem sternit, & vtramque vrbem coniungit. Multis cœnobiis, templis, aliisque ædificiis sacris exornata medium locum occupat S. Mariæ templum primarium splendente plumbo tectum, & duabus turribus admodum altis superbiens, quod Archisacerdotem infula, siue mitra sacerdotali ornatum, & copiosum admodum Clerum habet. Ei adiunctum est S. Barbaræ Oratorium, ac porro cernitur S. Trinitatis templum, a quo non longe abest celebre illud prædicatorum monasterium; ostenduntur quoque, Iesuitarum templum, anno 1597. in diuorum Apostolorum *Petri & Pauli* honorem extructum, & grande minoritarum ordinis S. *Francisci* templum cum conuentu, in quo sepulta *B. Salomaea* Haliciæ regina, *Boleslai Pudici* Poloniæ Ducis soror, quæ templum S. *Andreae* in eadem vrbe condidit. Hoc sedilibus insigni artificio confectis, & visu admodum dignis superbit. Proximum est templum omnium Sanctorum, cui illud S. *Iacobi* cum spatioso Xenodochio, & altero S. Spiritus huic vicino, ac magnis redditibus annuis diuite succedit. Reliqua templa sunt S. *Marci*, iuxta S. *Stephani* cœnobium, S. *Annae*, S. *Ægidii*, S. *Mariae Magdalenae*, & plura alia. In medio foro sacellum admodum vetustum in oculos incurrit, in quo ipsa vrbe vetustiore olim S. *Adalbertus* Polonos Christianam religionem docuit, hodierno autem tempore conciones haberi solent. Porro vrbs hæc nouo quoque templo, nouoque foro decoratur, in quo medio curia litibus & iudiciis publicis inseruit, altissima turri, quadratis lapidibus artificiose & eleganter constructa se extollens, quæ etiam longe admodum ab vrbe remotis in conspectum cadit. Altera pars Casimiria, vrbs ad meridiem constituta, Regi *Casimiro Magno* conditori suo nomen suum debet, & nobilitatur templis S. Corporis Christi regularium Canonicorum Ordinis S. *Augustini*, S. *Catharinae*, S. *Stanislai* Martyris, quod in scopulo situm singulis diebus Veneris a populo frequente summa deuotione visitatur, & S. *Laurentii*. *Cromerus lib.* 12. *fol.* 306. miraculum quoddam extra Cracouiam apud vrbem Bubalo, vel Bauelo contigisse narrat, eoque motum dictum Regem *Casimirum*, vt anno 1374. templum illud Corporis Christi sumptuosum ex lapidibus coctis excitauerit, magnumque postea circa illud spatium muro circumdederit. Ibidem postea vrbem surgentem ab ipso nomen sibi adsciuisse, & Eremitarum Augustinensium cœnobio ab eodem exornatam fuisse. Præterea *fol.* 318. enarrat vrbes, & castella, quibus muros idem Rex circumdedit: Veliciam nimirum, Scauinam, Ilcussum, Bendinum, Lelouiam, Radomiam, Opesnum, Sendomiriam, Visliciam,

Aër.

Solum circumiacens.

Vrbis diuisio.

I. Pars Cracouiae.

II. Pars Casimiria.

Cuius conditor Casimirus Rex.

ciam, Sidlouiam, Vauelniciam, Lublinum, Coninum, Califfiam, Pysdros, Stavifinum, Velunum, Petricouiam, Lencicium, Plofcum, Inuvlodum, Leopolim, Senocum, Crofnam, & Cichovum. Idem Rex in hac noua vrbe Cafimiria anno 1361. Academiam inftituit, permiffione a Papa *Vrbano V.* impetrata, quam *Jagello* alias *Vladislaus* cum vxore fua *Hedwige*, quæ teftamento fuo eidem fplendida legata contulit, & anno 1399. diem obiit, circa annum 1401. tandem ad perfectionem deduxit. De ea fæpe laudatus *Cromerus lib.* 16. *fol.* 370. ita fcribit: *Per haec ferme tempora (Anno.* 1410.) *Academia Crocouienfis, ex teftomento Hedwigis Reginae, cumulotiore liberalitate Regis condita eft; duae domus, five Collegia excitato, alterum Philofophis, & Theologicis in plateo, quae Iudaeorum tunc, nunc d. Annae nomine nuncupotur; Alterum Iurifconfultis & Medicis, qua ex vrbe od orcem itur; ocreitique Magiftri, & Doctores omnis generis e Progenfi Academia, cenfusque his in perpetuum attributio Rege e Salinis, & telonio, & odiuncta omnia Sacerdotia ap. D. Florioni, praeter Praepofituram, vt vocant.* In quo eadem Academia ftatu anno 1617. verfata fuerit, defcribit ita *Georgius Braun in theatro Vrbium.* Rector vniuerfitatit omnibus perfonis eidem infertis imperat, ipfaque Vniuerfitatis multis, iisque infignibus immunitatibus gaudet. Octo iurisconfulti Collegium fuum habent in platea, quæ ad arcem ducit. Theologi & Philofophi duo Collegia poffident, in quorum maiore diuerfis domiciliis, & infigni Bibliotheca inftructo nouemdecim, & minore tredecim Profeffores erudiendæ iuuentuti operam fuam nauant. Medici partim in priuatis, partim in publicis ad Academiam pertinentibus ædibus habitant. Omnibus vero Profefforibus ftipendia, quæ merent, ex falinis, et vectigalibus foluuntur. Iuuentus autem in Dialectica, Mathefi, Philofophia, Theologia, et Eloquentiæ ftudio, fumma cura et diligentia, exercetur. In Academia *Starovolfcius p.* 15, Collegia 11. et fcholas Grammaticæ 14. per vrbem diftibutas numerat, omnes Magnifico Academiæ Rectori, tanquam vni capiti fubiectas. Cafimiriæ adhæret Iudæorum vrbs, iisdem inclufa mœnibus, in qua tanquam in peculiarem locum compacti Synagogam fuam habent, quam maxima copia ex aliis terris Iudæi aduentantes frequentant, vt in religione Iudaica inftituantur, et Rabini euadentes, ac domum reuerfi fuos eandem religionem docere queant. Olim, et ante dicti Regis tempora promifcue cum Criftianis habitare foliti poftea in eum locum conceffernnt, vt et maiori libertate gauderent, et a vulgi iniuriis fe affererent. Palatini patrocinio tutis iudex Chriftianus præponitur, qui eorum curam gerit, et in ciuilibus negotiis ipfis præeft. Inter arcem vel vrbem Cracouiam, ac pontem intercedit Stradomia municipium, in infula, quam efficiunt Viftula & Rudaua fluuii, hic vno, ille tribus eam lateribus alluens. Templa eius funt S. *Bernhardi*, S. *Agnetis*, cum virginum facrarum cœnobio, S. *Hedwigis* cum celebri Xenodochio, decrepitos, aut calamitate aliqua ad paupertatem redactos fenes recipiente & S. *Sebaftiani* cum fimili Xenodochio. Tertia grandis huius Vrbis pars ante Cracouiam verfus Septentrionem eft Clepardia, nonnullis vrbs, aliis fuburbium, nullis mœnibus cinctum, & S. *Florioni* templo nobile, de quo *Cromerus lib.* 6. *fol.* 169. tradit, quod Poloniæ Princeps *Cafimirus* a Papa *Lucio* III. impetrauerit S. *Florioni* Martyris reliquias, easque recondiderit in Cracouiæ fuburbio ad Septentrionem fito, & in vrbis formam poftea redacto, ac iam Clepardia nominato, in templum magnifice eum in finem erectum, & infignibus ornamentis facerdotalibus, ac fupellectile facra admodum pretiofa, collegioque Canonicorum facerdotali exornatum. Cætera Clepardiæ templa funt S. *Simonis*, & *Judae* cum Xenodochio, S. *Philippi* & *Jacobi*, S. Valentini, Xenodochium quoque adiunctum, S. *Nicolai* cum monafterio, ac tandem epifcopale palatium. Qua Cracouia proprie dicta occafum fpectat, & per futorum portam exitum præbet, fuburbio præcincta eft a coriariis nomen mutuante, & oculis fubiiciente S. *Mariae in arena*, & S. *Petri* templa, ac Carmelitarum monafterium. Populofum

Academia.

Iudæorum ciuitas.

Stradomia.

III. Pars Clepardia.

Suburbium Coriariorum.

pulusum superiori seculo, & maximam partem Germanis, qui adhuc proprium suum magistratum, & proprium iudicium ac ius municipale habent, refertum, incendio potissimæ suæ partis iacturam fecit, cum anno 1587. Cracouia cincta esset obsidione ab Archiduce *Maximiliano*, quem Polonorum nonnulli Regem elegerant. In consumptorum incendio ædificiorum locum successerunt hodie amœni, & pulchri horti oculos amœnitate sua recreantes, & olerum, fructuum, ac leguminum fertilitate incolis necessaria alimenta sufficientes. Extra hoc Coriariorum suburbium offert se villa regia, aut Palatium regium grande, & domus deliciarum muro septa, amœnissimis hortis, & piscinis vtilissimis referta, spectabilibusque ædificiis, & rebus pluribus aliis visu dignis affluens, quæ Lobzouia nominari solet. In ea Rex, quando Cracouiæ commoratur, frequens est, et cum Senatoribus suis de rebus grauibus consilia captat. E regione se in conspectum dant S. *Leonhardi* templum cum monasterio, vicinum Sacellum S. *Emaus* et S. *Margaritae* templum. Arx regia versus Vistulam fluuium et Stradomitam municipium scopulo aut colli insidet, præcipitio prærupto se ad flumen dictum declinanti, et molli decliuitate ad vrbem descendenti. Spatiosa, et vrbi quam arci similior, ac muris, turribus, et propugnaculis probe munita ædificiis splendidissimis, et magnifico S. *Stanislai* templo superbit, quod Sacerdotes totam noctem cantionibus sacris occupatos tenet, et thesaurum prætiosissimum, quem suo tempore ibi fuisse *Starovolscius pag.* 14. tradit, et describit, cum Regni priuilegiis, regiisque ornamentis, sceptro nimirum, coronis, et aliis eiusmodi ad Regnum pertinentibus custodit. Eaque de causa minor Polonia in concessu et conuentu Regni publico maiorem Poloniam antecedit, vtpote quæ Regibus domicilium, et sedem præbet. Episcopus Cracouiensis dicit templi caput, et summus in Seueriensi Ducatu Princeps tredecim subiectas vrbes, et 1018. templa possidet, ex quibus 13. Cathedralia numerantur. Capitulum 36. Canonicis constans cum cæteris minoribus gentium Sacerdotibus annuurum redituum largitate eadem, qua Episcopus, fruitur. S. *Stanislaus*, a quo dictum templum nomen accepit, olim hic Episcopus ob reprehensiones crebras, quibus *Boleslai* Regis vitam probrosam perstringere solitus erat, ab ipso sacri cœtus communione tandem excluso, 8. Maii. anno 1079. in S. *Michaelis* templo, supra Vistulam præcipiti, et arcem intuenti rupi imposito, interfectus, ac anno decimo post in medio templo arcis sepultus est. Sarcophagum eius ex argento puro confectum, argentei angeli sustinent, et fulciunt. *Mieslaum*, *Miescum*, aut *Miecislaum*, primum Poloniæ Ducem Christianum, qui anno 999. vita functus est, pulcherrimum templum arci contiguum condere cepisse, et Archiepiscopali dignitate, postea in Episcopalem mutata, exornasse tradunt. Episcopatum autem *Boleslaus* V. cognomento Pudicus anno 1279. multis beneficiis et immunitatibus donauit, quibus omnibus personis ecclesiasticis ab omnibus vectigalibus aliisque eiusmodi tributis Ducibus Poloniæ soluendis, vt & iudicum & magistratuum publicorum, ipsorumque Ducum iurisdictione liberis esse conceditur. Ante illud tempus etiam *Fulco*, vel *Pelca* anno 1207. vita functus, a Papa *Innocentio* III. proximum in consessu publico post Archiepiscopum Gnesnensem locum iam obtinuerat. Huius successor fuit *Vincentius Cadlubcus* cognomento, qui primus Polonorum res gestas literis tradere aggressus est. Ex 23. sacellis, Jagellonicum satis spatiosa magnitudine a *Sigismundo* I. excitatum, & a *Sigismundo* III. cupro deaurato tectum visu dignissimum est. Altare argenteum & ornamenta sacra admodum preciosa ostentat. In templo sacris plerumque operantur 80. circiter personæ, inter quas 36. sunt Canonici, 6. Prælati, & Episcopus lustralis, omnes ex nobilitate delecti. Turres eius, vt et arcis plumbum, arcem ipsam, cuprum a cœli, et pluuiarum iniuriis defendit. Arcem redintegrauit *Sigismundus* I. Rex, vt versus inscripti testantur, quorum vltimi sunt:

Villa Regia.

Arx Regia.

S. Stanislaus.

Illum

Illum ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam postposuisse domum.

Duplicibus porticibus circumducta conclauium, quibus fere omnibus sententiæ Latinæ aureis literis inscriptæ sunt, elegantia, et pulchritudine mirum in modum se extollit. *Augustinus liber Bara in Moerspurg, Ordinis S. Johannis Eques in itinerario sua scripto* refert, sub arce hac grande antrum esse scopulum longe penetrans, & æstiuo tempore admodum frigidum, in cuius introitu vinum & cereuisia promatur. Illius vero incolam Draconem olim vicinis accolis multum damni intulisse, ac tandem a sutore resina, pice, & aliis eiusmodi materiis occisum fuisse, cavernamque illam hactenus antri Draconis nomen retinuisse, nec longe a Vistula abesse. Rex *Sigismundus* III. arcem noua porta, nouis ædificiis, & noua turri vrbem spectante, & loco suo insignem defensionem conciliante splendidiorem reddidit. In templo sæpius dicto Poloniæ Reges coronantur, & sepulchra sua habent, inter quæ illud eminet, quod Regi *Stephana Bathorio* extruendum curauit *Ioannes Zamoscius* vir celeberrimus, & Poloniæ Cancellarius Magnus, anno 1604. e mortalium conturbernio ad æternitatem translatus, de quo monumento *Nathan Chytraeus Franciscus Swertius in deliciis varior. itiner. p.* 805. *seq. & pag.* 658. *seqq. & Lundorpius lib.* 26. *pag.* 66t. *Cont. Sleid. legendi.* Nonnullorum quoque Episcoporum monumenta in eodem templo cernuntur. Cum Imperator *Otto* III, vt Polonicarum rerum scriptores memoriæ prodiderunt, Poloniæ Ducem *Boleslaum Chrobry* cognominatum ad Regiam dignitatem euexisset, vnum ex clauis, quibus cruci Christus affixus fuit, et S. *Mauritii* lanceam eidem donauit, quæ dona adhuc in episcopali templo videnda exhibentur. In eadem arce præter S. *Stanislai* templum sunt et alia duo, S. *Michaëlis* nimirum, et S. *Georgii*, vt et Sacellum sub terra in S. *Vladislai* honorem erectum; Camera item appellationis, et curia prouincialis, atque aulica, ad quas omnes appellationes ex tota prouincia deferuntur. Sanctorum reliquiæ passim per vrbem variæ ostenduntur, vt S. *Stanislai* Episcopi Cracouiensis, S. *Brandothae*, et S. *Joann. Groriti* in arce, S. *Hyacinthi*, et *Iuonis* Episcopi, apud Dominicanos; S. *Isaiae Confessoris*, apud Eremitas S. *Augustini*; *Stanislai Casimiriensis* apud Canonicos Regulares; S. *Simonis* Lipnicæ apud minoritas obseruantium; S. Joann. Cantii Academici in S. *Annae* templo etc. Atque hæc de partibus huius vrbis, quæ, vt verbo dicam, potens, et magnifica sequenti elogio decoratur, in *sexta parte Theatri Vrbium*:

Elogium vrbis

Africa quid Tripolin iactas? quid Syria? nidos
Praedonum, terras, qui mare diripiunt.
Sarmatici en Tripolin positam melioribus orbis
Vistula qua Vavelum praeterit, auspiciis.
Cur Tripolis? Triplex quid vult distinctio? nempe
Hic homines, hic Rex, hic habitantque Deae.

Maxima autem ipsi accreuere incrementa ab eo tempore, quo Dux *Boleslaus Pudicus* anno 1279 mortuus, ius Saxonicum, aut Magdeburgense, quod Stenense et Germanicum vocatur, et in plerisque Poloniæ ciuitatibus, municipiis, et pagis vsitatum est, vt docet *Cromerus lib.* 9. *de reb. Polon. fol.* 246. introduxit. Eius successor *Lestus Niger* Poloniæ Dux Germanis solis, ob fidelem sibi contra *Conradum* Masouiæ Ducem præstitam operam, anno 1285, vrbis rectionem concredidit, qua adhuc *Cromeri* tempore anno 1554. fungebantur, vt ex eius *lib.* 10. *fol.* 255. patet. Idem Dux anno 1288. mercatoribus Cracouiensibus, qui anno hunc præcedente Tartaris fortiter restiterant, vrbemque maxima fortitudine defenderant, a vectigalibus, et aliis oneribus publicis immunitatem largitus fuit. Cracouiæ lacus est, in quem proiectus erat digitus S. *Stanislai*, habet is aquas, quæ si in vsum quempiam hauriuntur, noxiæ sunt, at si ad quaslibet ægri-

Ius Saxonicum.

tudines sumuntur, valde prosunt, *Johannes Longinus Canonicus Cracoviensis.* Sed hæc de vrbe hac, quam *Andreas de Pilca Corycinius* Grachouiam a *Gracho* conditore denominatam asserit, dicta sufficiant; Plura sciendi cupidos ad Auctores remittimus paucis adiungentes ea, quæ memoratu digna in eadem contigerunt.

Res in Vrbe Cracouia gestæ.

Anno 1125. tota incendio conflagrauit. Anno 1234. *Conradus* Masouiæ Dux ipsam frustra obsedit, ac primus templa profanare armis conatus est, teste *Cromero lib.* 8. *fol.* 201. Anno 1241. a Tartaris obruta fuit, qui eam ab incolis desertam incenderunt. S. *Andreae* Templum cum duabus turribus a nonnullis pauperibus, & debilibus hominibus, qui in illud fuga se receperant, & Tartaros multos propius accedentes ex superiori parte templi interfecerant, conseruatum est. Tartari vero in Silesiam, Morauiam, & Vngariam properarunt, postea ex Hungarico Cepusio in Poloniam redeuntes, & subito impetu Cracouiam altera vice inuadentes, in qua expilata plures, quam antea, homines trucidarunt. Inde per Osuecimensem Ducatum in Vngariam magna præda onusti reuertentes totum triennium ibi comparati sunt. Anno 1260. iterum hanc vrbem, in qua nemo erat, qui eam defenderet, occisis prius, quos offenderant, ægrotis, & mendicis, incenderunt, arce excepta, quam incolæ fortiter defenderant. Anno 1287, eam frustra oppugnauere. Anno 1291. in Bohemorum potestatem incidit.

Cracouia in Bohemorum potestatem venit.

Nam Ducis *Lesci Nigri*, qui Germanis tot immunitates concesserat, vrbem anno 1285. validioribus munimentis auxerat, & anno 1289. diem obierat, relicta vidua *Gryphina* clandestino nuncio ad *Venceslaum* Bohemiæ Regem, sororis suæ *Kunigundae* filium misso, ipsi Cracouiæ & Sendomiriæ Principatum, quem fictis literis sibi a *Lesco* marito suo donatum affirmabat, dono dedit, vt *Cromerus lib.* 10. *fol.* 259. tradit.

Et iterum liberatur.

Sed Regno pulsus Rex *Vladislaus Locticus*, Cracouia recuperata, anno 1320. cum vxore sua *Hedwiga* in episcopali templo, tunc temporis restaurato, & ad finem perducto, ab Episcopo Gnesnensi coronatus est.

Ius Reges coronandi

Quo tempore Reges coronandi ius, ac ornamenta Regni Gnesna Cracouiam translata sunt, & ibidem hactenus manserunt, eo quod hæc vrbs cæteris in Polonia magnitudine, et aliis commoditatibus antecellit. A. 1439. incendium duplex subito exortum magnam vrbis partem consumpsit. A. 1462. fere dimidia

Incendia diuersa.

eius pars versus meridiem, et occasum incendio periit. A. 1464. Judæi expilati, et haud pauci ab incolis interfecti sunt. Sequente anno pars vrbis haud exigua cum S. *Francisci* templo, et Stradomia tota, solo S. *Bernhardi* templo, et monasterio incolumi manente, incendio conflagrauit. A. 1473. 26. Iulii eandem Stradomiam totam ignis pessundedit. Sequenti die ex sacrarum Virginum cœnobio S. *Andreae* incendium erumpens totam plateam ad arcem ducentem, et vicinam Canonicorum vastauit, arx ipsa ægre seruata est. A. 1494. denuo incendium obortum primo partem vrbis portæ nouæ proximam inuasit, inde se per maiorem partem, quæ Septentrionem, et occasum spectat, dilatans templa, ædes omnes, et turrium, murorumque tecta combussit. Post illud tempus Iudæis, qui hactenus per vrbem dispersi habitabant, et incendio dicto durante a militibus spoliati fuerant, certus ad Vistulæ ripam in vrbe Casimiria locus, quem adhuc hodie magno numero inhabitant, assignatus est. Eodem anno in huius vrbis platea, quæ S. Spirius nomen gerit, mulier quædam enixa est infantem mortuum, cuius tergo adhærebat serpens viuus mortuum corpus rodens, et exedens. A. 1498. Vrbis Cracouiæ pars septentrionalis turribus, propugnaculis primis, vallo, et fossa firmior reddita, fluuius Rudava in vrbem deductus est, ac pleraque ædificia mœnibus proxima vlterius remota sunt. A. 1504. vrbem Casimiriam cum turribus et murorum pinnis incendii flamma vastauit, vt et anno 1509. 22. Martii Stradomiam, in qua tamen S. *Hedwigis*, S. *Agnetis*, et S. *Bernhardini* templa seruata sunt. A. 1580. 10. Octob. Lutheranos Augustanæ confessioni addictos,

dictos, viros, feminas, pueros & puellas 1800. numero, in S. *Iohannis* platea, in domo publica Landhaus appellata, verbi diuini audiendi causa congregatos, aduersarii obruerunt, haud paucos ex ipsis trucidantes, domum ipsam expilatam demolientes, & maximam tyrannidem exercentes. Quin ædes Lutheranorum ipsas inuasere, & ipsos coëgere, vt libros suos traderent, quos combusserunt. Multis quoque ipsorum occisis, Te Deum laudamus canendo, lætitiam suam ex tot hæreticorum, vt ipsos appellant, interitu ortam Pontificii testati sunt. Iidem anno 1591. maximum tumultum contra Euangelicos excitarunt, & ædem ipsorum sacram bis expugnarunt. Hunc tumultum describunt *Chytraeus lib. 29. Saxon. fol.* 825. & *Sethus Calvisius in op. Chronol. fol. 863. & Piasecius in Chronicis Polonicis pag.* 92. tradit, quod multi Lutherani, *Annae* Regis *Sigismundi* sororis addictæ Augustanæ Confessionis fauore nitentes se Cracouiam contulerint, ac ibidem Synagogam erexerint, item & aliam dissentientes sibi in religione. Plebem vero noctu Synagogas istas destruxisse & combussisse, ub hæreticis vero postea nunquam restauratas fuisse. A. 1595. 9. Iunii *Vladislaus* Rex iu arce Cracouiensi natus est. Nocte autem ipsius natiuitatem præcedente potior palatii regii pars vrbem aspiciens subito incendio exusta variis de huius regii infantis fortuna prognosticis, vt fieri solet, occasionem præbuit, tempusque ipsum docuit, non solum coniecturas illas Regis huius felicitatem vere auguratas, sed & incendium illud arci Regiæ commodum & vtile fuisse, vtpote quod cupro a Cardinali *Georgio Radzivilio* Episcopo Cracouiensi, ex nouis fodinis in Episcopatus sui campis Kielcensibus subministrato tectum, & a Rege ipso magnifice restauratum, splendidius surrexit. A. 1606. templum Euangelicorum iterum expugnatum est a Catholicis, qui muros 20. Aprilis deiecerunt, ac mortuos ex sepulchris erutos canibus, & porcis obiecerunt. A. 1645. Nuncii Terrestres postularunt, vt Cracouiensibus incolis conscientiæ, & religionis libertas concederetur, quibus Episcopi Poloniæ responderunt, conscientiæ libertatem Nobilibus tantum, et Regni ministris, non autem plebi promiscuæ concedi posse. Responsio hæc ipsis admodum displicebat, vt 5. *pars Theatri Europaei fol. 745. refert.* Proximo anno. 5. 15. Iulii *Anna* Niuernensis Ducissa Cracouiæ coronata est. A. 1652. in hac vrbe 173000. Christianos, et 20000. Iudæos peste interiisse, ac in ipso regno vltra quadringenta hominum millia gladio et peste consumpta esse aiunt. An. 1656. *Carolus Gustavus* Sueciæ Rex Cracouiam obsidione cinxit, et 16. Septembris Casimiriam, cum suburbio Stradomia, cuius maiorem Poloni ipsi deiecerunt, sicuti et Clepardium suburbium incendio deleverant, ac 8. 18. Octobris, vrbem ipsam Cracouiam deditione cepit. 9. 19. eiusdem mensis præsidium Polonicum ex vrbe discessit, vt Francofurtensis relatio verna anni 1656. narrat. Clepardiam, et Stradomiam a Præfecto et Polonis incendio vastatas, et hanc cum Casimiria 16. Septembris a Suecis, vrbem autem ipsam Cracouiam 9. Octobris ab iisdem, qui plerosque suburbiorum exustorum muros demoliti sunt, occupatam esse refert *Augustinus Limnerus.* A Suecis occupatam Poloni aliquot obsidionibus recuperare frustra tentarunt. Anno 56. Regni gladifer 31. Iulii a Suecico vrbis Præfecto cæsus, et ab vrbe depulsus est, vt quædam impressa relatio refert, quæ gladiferi illius nomen reticet, et cœnobii Tinietz in Vistulæ ripa, ac arcis Tenczyn ad *Ossolinscium* aulæ Mareschallum pertinentis, et Cracouia tribus milliaribus distantis mentionem facit. Forsan Gladifer ille est *Michaël Zebrzydovius*, vnus ex primatibus Cracouiensis palatinatus, qui anno 1651. isti muneri præfuit.

Pontificii Euangelicos Cracouiæ male tractant.

Vladislai natiuitatem præcedens incendium.

Cracouia a Suecis occupata.

Eremitorium, seu cœnobium Monachorum Camaldulensium in alto monte situm, Cracouia vno milliari versus occasum abest.

TINECIVM cœnobium Benedictinorum a præcedente dimidii milliaris intervallo

uallo femotum, et in præterfluentis Viftulae ripa fedens Abbatem habet 5. oppidorum, et 100. pagorum poffeffione gaudentem.

TENCINUM arx pulcherrima in excelfo monte fitum fuum habens in diftrictu Cracouienfi, & ad *Comites de Tenczyn* pertinens.

SCHEDLITZ pagus Cracouia aliquot milliaribus diftans.

FLEUS inter Ilcuffum & Cracouiam, a qua duobus milliaribus abeft. In hac vrbe multi Iudæi habitant, magnam plumbo mercaturam exercentes.

CLARATUMBA, vel Mogila, aut Mogillo, Cracouia vno milliari femotum cœnobium diues, pulchrum, & munitum, ac Ciftercienfis Ordinis Abbati fubiectum, quod anno 1473. incendium abfumpfit.

PROSZEVICE, Profouie, ad fluuium Suzeniauam, vbi regium palatium, in quo nobilium conuentus celebrantur.

OPATOVECIA oppidulum prope Viftulam.

SCARBIMIRIA, Skarmiers, Scarbimiers oppidulum 7. milliar. Cracouia diftitum, quo Tartari quoque anno 1240. peruenerunt. Frugum diues, Canonicorum collegio honoratur.

COSICIA in vicino tractu oppidulum.

XYAS oppidulum Michouiæ vicinum, vbi monafterium Auguftinianorum, & extra oppidum marmoribus pulcherrime variegatum palatium.

MIECHOVIA, Mechouum, Miechow, Equitum Sepulchri Chrifti oppidulum cum adhærente ditione, & Cracouia 5. milliarium fpatio femotum, in quo ex Gryphorum profapia Eques quidam nomine *Iaxa* Canonicis fepulchri Chrifti templum & habitationem ædificauit. Anno 1505. nocte 15. Augufti fequuta totum cum cœnobio, & eleganti templo, cuius tectum plumbo obductum erat, incendii flamma confumptum eft, quam calamitatem pœnam diuinam fuiffe fcribit *Matthias a Miechow vel Miechovia, artium & Medicinae Doctor, ac Canonicus Cracouienfis in Chronicis fuis Polonicis anno* 1521. *Cracoviae in lucem editis cap. vltimo libri 4.*

OGRODENECIA, Ogrodzieniec arx in fcopulo, quam Domini de Firley poffident.

PILCIA, Piltza oppidulum, & diœcefis Ducum Sbarauiorum, vbi Canonicorum collegium, palatium magnificum, amœniffimi horti Italice adornati, arx probe munita in monte cernuntur.

LEOVIA, Lelow veteri muro circumdatum oppidulum, ad decimum milliare Cracouia verfus Septentrionem recedens, quod ditioni adiectæ dominatur. In ripa fluuii Bialæ pofitum, regente *Venceslao* Bohemiæ & Poloniæ rege, anno 1305. mortuo, regno eiectus Rex *Vladislaus Locticus* cum arce adiuncta recuperauit.

MSTOVIA oppidulum Wartæ vel Vartæ fluuio affidens cum ditione ampliffima Canonicorum Regularium, qui præpofitum infulatum habent.

OLSTINA arx in fcopulo excelfo ad dextram Mftouiæ.

NOVOPOLIA ad Pilciam fluuium in vicino Mftouiæ tractu, cum caftello Potok, vnde profapia Potockiorum, qui fe ex eo loco in Ruffiam contulerunt, denominata, ad Koniecpolfcios pertinet.

Cereuifia optima.

CZENSTOCHOWA, Częftochow oppidulum, nobilitatum coctione cereuifiæ optimæ, quæ non folum in Polonia, fed etiam vicinis regionibus Germanicis venditur: Cœnobio item extra illud colli claromonti, Clarenberg, impofito, & celebri imagine S. *Mariae*, quam S. *Lucas* pinxiffe fertur, & peregrinationibus facris magna hominum frequentia vifitare folet. Cœnobium ipfum Ordinis S. *Pauli Eremitae* infigni thefauro inftructum. Sueci A. 1654. obfederunt, frigore coacti obfidionem foluere. Idem fequente 56. anno fruftra obfidere moliti funt. Dominicani Monachi in vicinia Gidlenfem commorationem habent, etiam cele-

bre

bre imagine S. *Mariæ*, multa, vt ipsi dicunt, miracula edente, vbi & Carthusianum domicilium excitatum est. Silesiae finibus haec loca sunt proxima.

OLSTYNIA, Olstyn, Olstein, ferrariis et vitriariis officinis abundat: Arx in editissimo scopulo inter siluas se exerit.

BENDZINVM, Bendschinum, oppidulum in via Oppelia Cracoviam ducente Schlaukavia 3. milliaribus semotum est, & apud fluuiolum Brendnitzam se in conspectum dat.

SLAVXAVIA, Slanucouia, Slaukaw, Slaukow, Ilkusso 2. milliaribus distans oppidulum, quod anno 1455. prædones incenderunt. Plumbi argentum continentis fodinas possidet.

ILKVSZ, Ilcussum, Ilcussia, oppidum regium in via, qua ex Silesiæ oppidis Cracouiam itur, positum, Slaucouia 2. & Cracouia 5. milliaribus abest. Fodinis argentum plumbo mixtum suppeditantibus, pane sapidissimo, & optima carne bubula nobilitatur. In Seueriensi Ducatu situm Episcopi Cracouiensis iurisdictionem agnoscit.

SEVERIA dicti Ducatus caput versus Silesiam, arcem habet insulam in medio lacu admodum lato occupantem, & probe munitam.

CHELM supra Osuecimiam oppidulum.

OSVECIMIA, Osuiecimum, Osuieczin, Ducatus Osuecimensis, vel Osuiocimensis in Silesia Polonica est metropolis, sedet fere ad fluuium Salam, qui mox in Vistulam cadit, 7. milliarium interuallo Cracouia dissidens, & ligneis ædificiis argilla circumlitis, ligneaque arce instructa Gubernatori non Palatino subiecta, & paludibus cincta est. Cracouia Viennam proficiscentibus transitum præbet, & sale insignem mercaturam exercet. Salis autem lapides illis similes, qui ad ædificiorum structuram adhibentur, viginti ad triginta centenariorum pondere in plateis iacent, attactu duri instar minerarum colore cineritio ad albedinem ducente splendent, vilique precio emuntur, vtpote quorum singulæ eiusmodi moles plerumque 10. 11. aut 12. florenis vendi solent. Prope Cracouiam ex fodinis suis eruuntur, & passim per Poloniam, aliasque regiones vendendo distribuuntur, vt refert *Augustinus Liber Baro in Motrsperg Ordinis S. Iohannis eques in itinerario suo manuscripto*. De hoc sale *Cromerus in sua Polonia*: In agro Cracouiensi sal ex terra instar lapidum, similique cum eis duritie exscinditur, etiam specubus late excauatis, multæ villæ, aliquot oppida fulcris sustinentur: fuluus est, & quasi luto aspersus. Supradictus fluuius Sala, quem *Bertius in tab. geograph. contractis pag.* 447. Solam appellat, ex Morauicis montibus erumpens haud procul ab vrbe in Vistulam se exonerat.

Sal Cracouiensis.

DVCATVS OSVIECIMENSIS Silesiæ conterminus, quem cum vrbe Germani, eodem *Bertio* teste Auschwitz appellitant, anno 1454. in Poloniæ Regis possessionem rediit, quanquam *Iohannes* Dux Osuiecimensis postea non prius acquieuit, quam pactis renouatis plus pecuniæ acciperet. Quo facto omne suum ius triennio post Regi concessit, vt *Cromerus lib.* 22. *fol.* 503. docet.

LIPOWITZ, Lipowiecz, Lipouecia oppidulum 5. milliaribus Cracouia seiunctum, in via Viennam tendente occurrit, & in ripa Vistulæ locatum est, cum arce edito scopulo imposita, cui includuntur Cracouienses Ecclesiastici, quando se male gesserunt.

BOBRCENSIS arx in Ducatu Osuiecimensi sita est.

ZATORIENSIS Ducatus sicut & præcedens Osuiecimensis, Silesiæ Polonicæ pars est, a Rege *Sigismundo I.* adiectus Poloniæ, vt *P. Bertius in explicat. tab. contr. p.* 449. & *Cromerus in Oratione, quae in exequiis dicti Regis habita est*, testantur.

ZATOR, Zatoria, Satoria, dicti Ducatus primaria vrbs cum arce, qua Skauda fluuius Vistulæ miscetur.

Osiecense palatium haud indecore munitum, in Silesiæ finibus, & Zatoriensi Ducatu.

ZIEWITZ oppidulum Silesiæ proximum cum arce, anno 1656. a Suecis occupatum, expilatum, & aliquot locis incensum, vt *eiusdem anni Relatio Francofurtana autumnalis* refert, mentionem quoque faciens oppiduli Seubusch in confinibus Cracouiensibus Iablunckam se extendentibus, cui expilato ignem quoque subiecerunt Sueci, extinctum tamen a Polonis. De Ziewitzio *Piasecius pag:* 368. anno 1624. *Constantia* Regina Poloniæ de *Nicolao Komorowskio* sexaginta millibus florenorum Polonicorum emit Ziewitcensem seu Ziuecensem comitatum milliaria 10. longitudine, & 6. latitudine sua complectentem, inter Silesiæ, & Hungariæ fines Morauiæ contiguum, & octo milliaribus Cracouia dissitum.

Constantia Regina emit Ziwecensem Comitatum.

ANDREOW, Andreouum, Andreovia oppidulum in Silesiæ & Vngariæ finibus, cum Abbatia, & cœnobio ordinis Cisterciensis, ac septem pagis ad Abbatiam & oppidulum pertinentibus. Opus & fundatio *Ianici* alias *Ianislai* Episcopi Vratislauiensis, ac postea Archiepiscopi Gnesnensis, vt & *Clementis* fratris, vtriusque oriundi ex Greifforum prosapia, in equestri ordine admodum celebri. *Cromerus lib. 6. rer. Polon. fol.* 142. Poloniæ Ordines, qui *Stephano Bathoreo* addicti erant, anno 1576. mense Ianuario conuentum armatum hic celebrarunt. Anno 1607. Nobiles Poloni, siue Rokossiani, vt vocantur, Regi se opponentes conuentum in eodem hoc loco, 28. Martii celebrandum promulgarunt.

Rokossiani.

LANDISCORONA, Landscroon, Arx Landiscoronensis, in excelso scopulo per aliquot milliaria inde remotis conspicua, in cuius ditione cernitur mons Caluariæ a *Nicolao Zebridovio* Palatino Cracouiensi ita nominatus, ob similitudinem situs, quem similem habet Hierosolymitano monti Caluariæ. In dicti montis iugo idem Palatinus erexit sumptuosissimum monasterium FF. de obseruantia, & oratoria sparsim per campos: Vnde hic locus a magna peregrinorum ex Polonia, & cæteris regnis & regionibus aduentantium multitudine, propter concessam a Pontifice Romano gratiam visitatur. *Albertus Laski* Siradiensis Palatinus dictam arcem, & tantum milliaribus Cracouia distantem, Archiduci *Maximiliano*, quem Ordinum nonnulli Poloniæ Regem creauerant, eam conseruare conatus, a Rege *Stephano* eam dedere coactus est. Eadem Sueci sub *Duglassio* 19. 29. Septembris anni 1655. potiti sunt; recuperata proditione a Polonis anno sequente, vt fertur.

Mons Calvariæ.

VELISCA, Velitzki, Vieliczka, Velicia, salis fodinis celeberrimum oppidulum, Cracouia versus ortum haud longe distans, & non satis tutam, ac periculo carentem habitationem exhibens, ob terram vndique effossam, & frequentibus cuniculis perterebratam. Anno 1510. sceleratissimus quidam fossor ex cuniculo exiens fodinis & foraminibus ignem subiecit, cuniculos montis vbique fumo, & fœtore opplentem, vt maxima fossorum a fumo impeditorum, quo minus per vsitatam viam euaderent, pars perierint. *Andreas Koscieleckius* fodinarum præfectus summo terrore perculsus, cum neminem videret, qui descendere auderet, ipse summo cum periculo descendit, comitante ipsum *Severino Bethmanno*, consule Cracouiensi, & montium illorum magistro, a quo, cum iam ob fumum ille decidisset, in ima montis profunditate seruatus est. Hi duo ignem restinxerunt, & fodinas conseruarunt. *Iodocus Ludouicus Decius de Sigismundi I. Regis temporibus fol.* 73. Anno 1644. 16. Decembris maxima calamitate iterum afflictæ sunt hæ salinæ Velicienses salem fossilem suppeditantes, quas *Piasecius pag.* 505. vnicum Europæ miraculum nominat. In Bonarouianis fodinis, ita enim eas appellat, pabuli equini aliquantum, ex imprudentia deturbatum deciderat in candelam in infima fodinæ parte ardentem, quæ tam horrendum excitauit incendium, vt fossores, qui in fodinis istis operabantur, cum equis ibi præsentibus suffocarentur. Incendium ipsum adhuc sequente anno 45. durabat, ita vt ob fumum, & fœtorem nemini ad fodinas aditus liber esset, & regium vectigal haud exiguo

Salis fodinæ.

Incendium in fodinis.

Aliud in iisdem.

detrimento

detrimento afficeretur. An & quando autem illud incendium extinctum fit, nondum mihi innotuit. Fodinis iisdem detrimentum aliquod intulisse nuper Suecos aiunt.

BOCHNA, Bochnia, salinis suis quoque celebris vrbs, Cracouia quinque milliaribus semota, quæ eo tempore, quo salis fodinæ illæ innotescere inceperunt, anno videlicet 1252. adhuc pagus erat. Sal his in locis ex profundissimis terræ visceribus erutus, equorum labore extrahitur, maximam partem Crystallo simi'is, pellucidus admodum, & duritie vix lapidibus cedens, adeo vt sub terra, in excidendo salem, fossores columnas grandes relinquant, vrbem cum pagis (quoniam fodinæ sub terra se longe, lateque expandunt) incumbentibus suffulcientes. Ex aqua quoque ex grandi puteo subterraneo exhausta sal albus excoquitur, vt *Cromerus lib. 9. fol.* 223. commemorat. *Bochna & Vieliczka*, inquit *Frœlichius*, *ob salinas celebria oppida, quorum fundamenta instar cuniculorum sunt perfossa, id o habitationi minus tuta.* De vtriusque ciuitatis Salinis consule *P. Bertium, in Poloniae descriptione, pag.* 444. eas prolixe describentem. Anno 1447. Bochna incendio periit. Hodie est vna ex sex vrbibus supremum iudicium regium Cracouiense constituentibus, a quibus nulla appellatio datur.

Sal, qui ex fodinis eruitur.

VISNICIA Wiesniecz, arx vnius milliaris intervallo Bochna distans, anno 1643. Palatini *Stanislai Lubomirskii* sedes, 21. Septembris anno 1655. a Rege Sueciæ occupata, vt Relationes Francofurtana, & Lipsiensis referunt. Dicti Palatini sedem fuisse dicit *David Frœlichius pag.* 313. *Starovolscius pag.* 22. ita dicit: *Versus ortum in Visnicia Comitis Lubomirscii Cracouiensis Palatini arx munitissima, & PP. Discalceatorum in vno monte vicino Eremitorium, vtraque modernae architecturae, excellentissimas picturas, diversaque marmora, & artificiosos in hortis aquae ductus continens.*

LOBCICIA, ciuitas cum arce.

SCIRITIUM, intra montes Cistercienfium Abbatia.

DOPTZICIUM, oppidulum & arx.

CZORSTEIN ad 12. milliare Cracovia dimota arx insidet excelso monti, cuius radices fluuius Donaiecius lauat. In hisce oris anno 1651. quidam Napierski, qui Kostka appellari voluit, seditione mota Kosacorum opem expectauit. Sed arce hac, quam occupauerat, industria & auxilio Episcopi Cracouiensis recuperata, supplicio debito facinus luere coactus est.

Donaiecius fluuius.

SANDECIA ad fluuium Donaiecium hic aliud flumen recipientem, quod quidam typus Geographicus Cropruci, alias Proprut, *Braunii theatrum urbium, parte* 6. ut & *Cromerus* Bialam *D. Froelichius Vugarus* Propradum nominat. Vngariæ, & Carpathiis montibus vicinia vrbs, probe munita, vicinas ciuili vsu superans, & mercaturam haud contemnendam exercens, situm habet satis amœnum. Abbatia Præmonstratensium Monachorum, & ecclesia collegiata exornatur, & veterem Sandeciam vno milliari a se seiunctam aspicit, vbi Præmonstratenses Moniales ditissimum tota Polonia monasterium possident. Caput est circumiacentis territorii, olim ad Cracouiensem Episcopum pertinentis, quod Rex *Venceslaus* permutatione facta sui iuris fecit, relicta tamen Episcopo, huic ciuitati, quam nouam Rex condiderat, parochum imponendi facultate. Rege *Casimiro III.* regnante *Shigneus* Cardinalis, & Episcopus Cracouiensis collegium Sacerdotum cum prælatis in hac vrbe, quam Novam Sandeciam *Cromerus* appellat, instituit. In vicinia arx Lubowlo se in conspectum dat.

Proprut fluuius.

Monasterium ditissimum.

PIENIN arx naturæ beneficio munitissima, vno & quidem arcto admodum aditu aduenientes admittens, & haud multum seiuncta a monasterio Sandeciæ celeberrimo. *Cromerus lib.* 10.

TARNOVIA oppidum ornatum Ecclesia collegiata, marmoribus perpolitis conspicua, muris quoque & ædificiis insigne tutela vtitur arcis extra muros edito

monti impositæ, vbi viuarium amplum admodum feras plures alit. In suburbano est FF. Minorum de obseruantia, & Monialium *D. Benedicti* haud inelegans monasterium, & in templo Canonicorum sepultura Tarnouiorum comitum, ac *Iohannis* vltimi Ducis Ostrogii. Anno 1402. *Petrus* Episcopus Cracouiensis, rogatu *Iohannis de Tarnouia* Palatini Sandomiriensis, qui redituum suorum partem eum in finem destinarat, collegium Sacerdotum in hac vrbe ordinauit, quam 8. milliaribus Cracouia dissitam Sueci anno 1656. occupasse dicuntur.

Comitum Tarnouiorum sepultura.

BIETZA, Biecia, Bietz, Cracouia 15. & Sandecia 5. milliaribus remota vrbs pulchra, loco munito sita, & territorii, quo cingitur, caput. In amœna planitie positam, & muro circumdatam fluuios Rapa, ex cuius spuma sulphur excoqui solet, humectat. Peculiari Castellano Regio parentis solum circumiacens omnis generis fructuum ferax est, vt ex *sexta parte Theatri Vrbium Georgii Braunii* liquet. Nomen vrbis Bietz Hungaricum potius quam Polonicum esse vult *Cromerus*.

Sulphur ex spuma fluuii excoctum.

DEMBOVECIA municipium, aut oppidulum in montanis huius palatinatus locis Hungariæ fines spectantibus. Hunc districtum Hungari anno 1474. turbarunt, oppidulum Smigrod noctu occupantes, arcem deditione capientes, & postea ipsam fossis, ac propugnaculis munientes. Compilata & exusta tunc temporis municipia, seu oppidula lastum, Brostecum, Colazice, Fristatum, Dembouecia, Ducla, & Pilsna, cuncta diuitiis abundantia, cum 200. circiter pagis, & ingens incolarum captiuorum numerus in Hungariam abductus est. Mussina ad Cracouiensem Episcopum pertinens ob defensorum penuriam certis conditionibus se hostibus dedidit.

Hungarorum in Poloniam irruptio.

SENDOMIRIENSIS PALATINATVS, a Sendomiria capitali sua vrbe denominatus occiduo margine Cracouiensem palatinatum, Septentrionali Poloniam maiorem & Lublinensem Palatinatum, Orientali Russiam rubram, & meridionali eandem, & Cracouiensis Palatinatus partem attingit, ac octo territoria complectitur: Sendomiriense nimirum, Radomiense, Sienzicense, Corcinense, Vislicíense, Chencinense, Opocinense, et Pilsnense. Ad Conuentum Regni publicum mittit nouem Senatores, ex quibus Palatinus siue Satrapa Sendomiriensis vnus, et cæteri Castellani, Sendomirensis videlicet, Vislicíensis, Radomiensis, Zauichostensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Polanecensis. et Cechouiensis. Affluit metallis, auro, argento, ære et lazurio apud Kielcios; plumbo, argento, et marmore nigro aqud Chenciniam ! viridi et rubro apod Cunouiam ! Ferro et chalybe ad Vonechociam, Bodzantinum, Sydloveciam, atque alibi passim. Pomaria fructuosissima per totam hanc satrapiam se vbique offerunt cernenda; præcipue in suburbiis Sendomiriæ et Zauichosti, quorum locorum pira, mala, pruna, persica, cerasa, & nuces bonitate & varietate Vngaricis, & Italicis neutiquam cedunt. Vites hinc inde vuas non insuaues ferunt, calidiore æstate & autumno adiutæ: Vinum ex ipsis expressum acerbius est.

Fines.

Territoria.

Senatores.

Metalla.

Pomaria.

SENDOMIRIA, Sandomiria huius Satrapiæ Sendomiriensis primaria ciuitas, qua Sanus fluuius Vistulæ se iungit, ex editiore colle Vistulam amœno prospectu inspectat, & 22. milliarium itinere Cracouia distat. Naturæ situs, & artis opera ipsam validam & fortem reddunt, ciues politi exornant, & nobilium frequentia ob assiduam magistratuum prouinciæ in hac vrbe sedem habentium iurisdictionem, mirum in modum decorat. Collegium in ea visitur Canonicorum locupletissimum, & aliud Clericorum Societatis Iesu iuuentutem docentium, ac collegia religiosorum virorum. Propter vrbem duo sunt templa, vnum *S. Iacobi*, alterum *S. Pauli*, vtrumque arboribus plurimis cinctum, vt in silua situm habere videantur. Ad hæc templa frequentes peregrinationes religionis ergo suscipiuntur. Arx Regia versus meridiem lapidibus exstructa præcipiti insidet colli, cuius ascensus et descensus admodum difficilis est. Anno 1240. Tartari hanc vrbem occuparunt, et sequente anno eandem denuo inuaserunt. Anno 1259. a Russis

Sanus fluuius.

Situs. ciues.

Templa.

Arx Regia.

Occupata a Tartaris.

a Russis adiuti eadem potiti sunt, arcemque dies ac noctes, sed frustra, oppugnauerunt, donec Russorum astutia tandem ipsam in potestatem suam redegerunt, multum sanguinis innocentis profundentes, & pulchriores tantum feminas, & puellas libidinis suæ satiandæ causa conseruantes. Cædendo fessi vulgus promiscuum se gregatim in Vistulam præcipitare coëgerunt. In arce laniena hominum tanta fuisse tunc fertur, vt cæsorum sanguis in Vistulam se effuderit. In cuius rei memoriam adhuc hodierno tempore quotannis vltimo Maii festus dies huius cædis, quasi Martyrum Christi, celebratur magno hominum concursu, quibus, ex Papæ *Alexandri* IV. concessione, magnæ indulgentiæ donantur. *Cromerus lib. 9. rer. Polon. fol.* 232. Laniena hac tam horrenda perpetrata Tartari arcem incenderunt, ac Cracouiam discesserunt. Sed circa annum 1287. frustra eandem hanc vrbem adorti sunt. Eadem fortuna fuit & Bohemorum, qui eam oppugnantes, & haud exiguo damno affecti re infecta abierunt. *Boreccius* contra *in Annalibus Bohemicis fol.* 250. Sandomirienses haud inuitos in vrbem Bohemos admisisse tradit. Anno 1655. Sueci hanc vrbem Polonis eripuere, sequente anno 1656. die Martii 20. recuperatam a Polonis. Suecorum præfectus Iesuitarum Collegio ignem subiiciendum curauerat, qui vrbem inuasit, & consumpsit, vt & postea arcem, in qua vltra mille Poloni occubuisse dicuntur. In conclaui quodam arcis Præfectum dictum aiunt funiculum incendiarium reliquisse, qui puluerem pyrium incendit. Refert hoc impressa quædam relatio mentionem quoque faciens fluminis Rudniki in hac ora, vbi Sueciæ Regem dura inuasione Poloni adorti sunt. Alii contra narrant, Polonos ipsos ædes nonnullas proxime arcem incendisse, ac in arce ipsa circiter 1200. Polonos vitæ iacturam fecisse: id quod *Francofurtana Relatio eiusdem anni pag.* 17. confirmat, mentionem quoque faciens arcis Rudnick; inter Iaroslauiam, & Sendomiriam vrbes sitæ, apud quam Sueci haud exigua clade affecti feruntur.

Laniena horribilis.

Bohemi.

Sueci.

PILCA vel Piltza fluuius in confinibus Pilciæ arcis ex Cracouiensi Palatinatu oritur, ac Sendomiriensi palatinatu a Polonia maiore separato, aliquot milliaribus supra Varsouiam in Vistulam effundit.

NIDA fluuius vtriusque Palatinatus Sendomiriensis & Cracouiensis terminus supra Corcinium Vistulæ miscetur.

PILSNA, Pilsno territorii circumiacentis caput, templum pulchrum, & organa celebria habet. In eius districtu sita numerantur oppidula, Sendisouia videlicet, Zarnouecia, Sokolouia, Præclauia Zaclicinum, amplo foro conspicuum, & Lezaiscum cum templo parochiali Militum Sepulchri Domini, ac monasterio extra vrbem F. F Minoritarum, ad quod vndique deuotionis ergo magnus hominum plurimorum est affluxus ob imaginem *B. Virginis*, quæ multa miracula edere dicitur.

Oppidula in Pilsnensi tractu.

RZEMIENTVM arx munitissima in eodem districtu.

VIEVIORKA arx ibidem amœnissima.

CHRISTOPHORIA, arx elegantissima, ab *Ossolinio* Sendomiriensi Satrapa extructa, cui a Sueciæ Rege anno 1556. præfectus erat militiæ dux Essenius.

BARANOVIA pulcherrima arx in Pilsnensi territorio. *Francofurtana Relatio Autumnalis anni* 1656. Baranouiam, vel Baranow vrbem nominat situm inter Iaroslauiam, et Sendomiriam, in cuius vicinia Sueciæ Rex *Sapieham* Polonicæ militiæ præfectum 24. Martii prælio superauit. Eadem meminit vrbis Bielitziæ apud Bielauiam Cracouia Iabluncam versus sitæ. Cuncta hæc loca hactenus enumerata inter Sanum et Vistulam situm habent. Sequuntur illa, quæ inter Vistulam et Piltzam fluuios intersunt.

Sapieha cæsus a Suecis.

POCRIVNICIA Abbatia Cisterciensium ditissima, paulo supra Sendomiriam.

Abbatia ditissima.

RITVIANENSIS arx in dictæ Abbatiæ vicinia, comitum Tenciniorum.

Zzz zzz Eremi-

EREMITORIVM Patrum Camaldulenfium *S. Romaldi* Sectatorum, in filuis vicinis a Comitibus Tenciniis erectum.

OSSOLINUM palatium habet elegans, et monafterium Dominicanorum Climuntouiæ, atquè ecclefiam collegiatam cum præpofito infulato.

Oppida diverfa.

OLESNICIA oppidum vicinum, cum fequentibus, Stobnicia, Paczanouia, Polanecia, Stafouio, et Ofieco in eadem vicinia hic vifuntur, ac oppida fatis pulchra funt.

CORCIN, Corczinum, Corcinium, territorii, quo circumdatur, caput, cum arce in loco munito inter aquas fedens. Quidam nouam ligneam vrbem, cum arce lapideo muro cincta in fluuii Visloco ripa, et inter paludes collocant, vt videre eft in *Sexta parte Theotri Vrbium Georgii Broun. Cromerus anno 1589. mortuus lib. 20. fol.* 451. Corcinum etiam nouam vrbem in Polonia vocari ait. Typi Geographici vero hanc vrbem inter Sendomiriam et Cracouiam in Viftulæ ripa ponunt.

VISLITZA, Vislicia, Wislica, fluuio Nidæ affidens oppidulum fupra Corcinium ligneis ædificiis conftans, et Cracouia nouem milliaribus diffidens, quod in fcopulo fluminis dicti aquis immerfo pofitum, per anguftum aggerem et pontes, qui inftrumentis tractoriis leuantur, accedentes admittit. Anno 1134. Vngarus quidam prodidit hanc vrbeculam Ruffis, qui nocte intempefta occupatam incenderunt, poftquam maiorem incolarum partem, fine vllo fexus et ætatis difcrimine vita priuauerant: Nobiles vero, et diuites ceteros captiuos abduxerunt. Præmii loco proditori oculos effodiendos, et linguam ac virilia exfecanda curauit Ruffiorum Princeps *Iaropelfcus. Cromerus lib. 5. fol.* 132. Anno 1291 Bohemorum in poteftatem deditione venit hic locus, mox tamen a Polonis receptus. Poftea Poloni *Venceslaum* Bohemiæ Regem Poloniæ regno præfecerant, eiecto *Vladisloo Loctico*, qui aliquot loca, et inter ea quoque Velifcam cum arce Vislicza recepit, ac *Venceslao* fatis functo Poloniæ Regnum receptum retinuit. De hoc loco ita *Starouolfcius pag* 28. *Vislicia mediis in paludibus fita, vbi videbis templum Cononicorum ex lapide quadrato, & Cleri hobitationes bene exftructas, tum infinitam multitudinem ferpentum, aliorumque infectiltum paffim, fed quae a Pontifice Romano, vt fcripturae regiftratae teftantur, excommunicata incolis minime nocent, transportato vero ftatim emoriuntur.*

Vrbs a Ruffis capta.

Proditoris præmium.

Serpentes non nocent.

SBOROVIA antiqui operis arx, medio fitu inter Vislicíam et Corcinium viuariis ampliffimis, et pifcinis opulentiffimis abundat.

CHROBERS, Groberfcum, pulcherrima arx Vislicia vnius milliaris interuallo feiuncta, conditorem habuit Regem *Boleslaum Chabri* vel *Chabrum* cognominatum: Poffefforem vero, *Storovolfcio* viuente, *Marchionem de Mifcoviy* qui et fequentem Pintzouiam tenuit.

PINTZOVIA, Pinczow, arcem et pulcherrimum palatium, in quo balneum celebre obtinens oppidum collis ad Nidam fluuium fedentis iugum occupat. *Fraelichius pag.* 122. Terra abundat lapide viuo pro fabricis extruendis apto, et agros fertiliffimos habet.

SYDLOVIA, Sidlouia, Szydlouia, cauponis Iudaicis fcatens oppidulum antiquum, muro vetufto circumdatum et arce munitum, quod Schydlow typus Geographicus, Sidlovum *Cromerus* nuncupat. Haud procul ab eo, nimirum apud pagum Chmelico, 18. Martii anno 1241. Poloni cæfi funt a Tartaris, qui hac victoria parta illico Cracouiam petierunt. Situs huius loci eft in vicinia Vislitzæ inter Pintzoviam et Offolinum proxime filyam haud procul Chencinio fe expandentem.

Poloni cæfi a Tartaris.

RACOVIA in proximo, populofa fuperioribus annis ciuitas, in qua Arrianorum feu Photinianorum Gymnafium, et typographia fuit. Anno 1643. vrbe eie-

Arriani Polonia eiecti.

cti

cti eam Catholicis totam concedere coacti sunt. *Frœlichius pag.* 323. Decretum, quo eiecti sunt Arriani et Anabaptistæ ex toto Regno, sub Rege *Vladislao IV.* promulgatum fertur. Vide ea, quæ in dicti Regis vita annotauimus.

CHENTYNY, Chenciniæ, Chęciny, Episcopum Cracouiensem possessorem agnoscens oppidulum, plumbi, argenti atque marmoris fodinis famosum, cuius arx scopulo excelso imposita, vt *Frœlichius* indicat. *Cromerus* Chencinium quoddam nominat, in quo Regem *Vladislaum* Regni comitia anno 1331. celebrasse ait. Arx prædicta in rupe excelsa et prærupta in totum districtum circumiacentem iurisdictionem exercet.

MALOGOSTIA Castellani titulo nota ciuitas.

SVLOVIA Cistercienfium Monachorum Abbatia aliquot circum vicinis oppidulis dominante nobilis.

SETZENI, Secinium, elegans oppidulum in Cracouiensis palatinatus finibus planitiei incumbens, sub arce excelso scopulo immissa, vnde tredecim milliarium iter Cracouiam metitur. Locum celebrem reddunt lapis Lazuli, et argentum, quæ ex fodinis eruuntur. Argenti fodinæ.

KELCE, Kielce oppidulum anno 1173. ante *Boleslai Crispi* obitum a *Gedeone Gryphio* Cracouiensi Episcopo cum templo ex quadratis lapidibus constructo excitatum; in ipso vero templo collegium Prælatorum, et Canonicorum cum Vicariis suis ab eodem institutum. *Cromerus lib.* 6. *pag.* 155. Palatium episcopale marmoribus pulcherrimis exornatur. Æris, cupri et lapidis lazuli fodinas huius loci, Episcopus Cracouiensis possidet, vt Rex illas, quæ Chenciniæ tribus ab his milliaribus distantes reperiuntur. Fodinæ.

RADOSZYCE oppidulum a priore versus Septentrionem secedens.

OPOCZNO oppidulum Pilcza fluuio haud multum distans.

INOVLODIA ad fluuium Pilcam vel Pilezam vrbecula.

DREVICIA, Drzewitz, antiquo castro notabilis.

STENZICE, trans Vistulam, in dextra fluminis decurrentis ripa, territorii Stenzicensis primaria vrbs.

VISLICENSIS arx in Stenzicensi tractu, inter omnes nobilium villas locum primum obtinens, structuræ elegantia mirum in modum superbit.

SECIECHOVIENSIS Abbatia in transitu ad ipsum flumen sedet, & Benedictinorum monachorum commoratio est.

IANOVECIA arx in editiore ripa paulo supra dictam Abbatiam.

SWOLEN in sinistra decurrentis Vistulæ ripa oppidulum.

RADOMIA territorii circumiacentis caput, & muro cincta vrbs, templum Minoritarum elegantiæ insignis ostentans, Apud hanc anno 1656. captam Suecorum militum præfectus *Rutgerus ab Aschenberg* Polonos cecidit.

IEDLINSKO affabre structo templo, & Gymnasio Academico celebre oppidum.

TARLOVIA cum templo inter nouas structuras magnificentissimo.

SIDLOVECIA, Schydlowiec, oppidum, & caput Comitatus, quem Radivilli possident. Pulchris ædificiis splendens piscinis, ferri fodinis, & siluis abundat. Sialouecia aliis dicitur. Radzivillorum Comitatus.

VONCHOCIA monachorum Cisterciensium Abbatia pinguis, aquisque irriguis, & hortorum amœnitate læta: Lapides ad ædium structuras optimos & cotes acuendo ferro aptissimos ac per totam Poloniam diuendi solitos suppeditat. Ferri officinæ in siluis, & montibus his frequentes, præcipue iis, quæ in ditione sunt Episcopi Cracouiensis. Lapides, Cotes, Ferrum.

CUNOVIA in episcopi Cracouiensis ditione oppidulum, omnis generis marmoribus famosum. Tartari-Tauricani anno 1502. vsque ad Pazanouiam peruenientes Tartarorum incursio.

tes hunc locum cum Ressouia, Jarosłauia, Radimo, Belso, Daknicia, Opatouia, & Lagouia expilarunt, & incenderunt. *Cromerus lib.* 30. vbi hæc loca omnia vrbeculas appellat.

ILZA vrbs domibus latericiis elegans, in Episcopi Cracouiensis ditione, cui adiuncta arx antiquæ quidem structuræ in editiore loco, quæ tamen pro commoditate Episcopalis aulæ satis auguste exstructa est. Ollas figulinas artificiose paratas per totam Poloniam distribuit. Ilsiz arx est & oppidulum Episcopi Cracouiensis apud *Cromerum lib.* 8. *pag.* 206. quo, vt et ad fluuium Camionam Tartari anno 1241. Sendomiriensem palatinatum depopulantes excurrerunt, vt auctor laudatus testatur. Cum hac Ilza forsan eadem est.

SOLECIA in Vistulæ ripa arx, quam Dux *Christophorus Sbaravius* olim restaurauit, operibusque nouis secundum hodiernam architecturam strucis, hortoque cultissimo auxit.

MONS caluus, Kaleberg, ita dictus, quod arboribus destituitur, in tota Polonia altitudine parem non habet, et quasi in Poloniæ minoris meditullio sedet, ad Vistulam excurrens. Mons S. Crucis etiam vocatur a monasterio S. Crucis ipsi insidente.

Lignum S. Crucis.

S. Crucis Abbatia, et monasterium Benedictinorum Monachorum, ligno S. Crucis celebre, in ipso calui Montis iugo, quo ob miraculorum famam maximus ex tota Polonia hominum est concursus.

S. Catharinæ Monasterium, in quo ad radices dicti montis sito F.F. S. *Francisci* de Obseruantia commorantur. Sunt et alia plura hic monasteria per circuitum sparsa.

Episcoporum Cracouiensium sedes.

BOZENTINUN, a *Bozenta*, Cracouiensi Episcopo denominata ciuitas, vt *Cromerus lib.* 12. docet, Cracouiensium Episcoporum frequentissima sedes quasi in calui montis radicibus, vallo et muris se tuetur, palatioque Episcopali, hortisque elegantibus splendet.

LAGOVIA Episcopi Cuiauiensis ciuitas, ollis figulinis, quae per totam Poloniam distrahuntur, celebris.

SLUPECIA, Slupia, ad Calui montis radicem oppidum abbatis S. Crucis haud ignobile. De sancta hac Cruce inferius Lithuaniae descriptionem consule.

OPATOVIA ad quartum milliare Sendomiria, in loco fertili, et amœno, vrbs insignis templo Canonicorum, viris religiosis, et populi frequentia.

VIAZDENSIS munitio nouiter erecta.

Russi cæsi a Polonis.

ZAVICHOST, Zauichostum vrbecula duobus infra Sendomiriam milliaribus ad Vistulam ibi aliud flumen recipientem. Anno 1205. hic cæsus est a Polonis Russiae Princeps *Romanus*, qui in fuga periit. Huius loci arcem anno 1240. Tartari incendio fœdarunt. Poloniæ Dux *Boleslaus Pudicus* Monialium S. Claræ Ordinis S. Francisci monasterium hic fundauit, eique 25. pagos donauit, quos anno 1259. Tartari et Russi depopulati sunt.

Fines.

Nobilium domus.

Episcopi Cracoviensis iurisdictio.

LUBLINENSIS PALATINATUS, Lublino metropoli nomen debens hinc ab occasu Vistula humectatur, illinc ab ortu Chelmensi palatinatu clauditur. Meridionalis ipsi terminus est Sendomiriensis palatinatus, et septentrionalis finis Masouia. Adiunctam habens Ludouiensem iurisdictionem circiter bis mille domos, seu sedes nobilium complectitur, ac in iurisdictione ecclesiastica Episcopum Cracouiensem superiorem agnoscit. Hic in vniuersum mille et octodecim templa, inter quæ tredecim Ecclesiæ collegiatæ numerantur, in minore Polonia iure ecclesiastico coërcet. Lublinensis autem hic palatinatus duos tantum ad comitia Regni publica Senatores, Palatinum videlicet, et Castellanum Lublinensem. Præter hos varios in ciuitatibus præfectos, et complures passim magistratus habet.

Wieprs fluvius.

Eum rigat fluuius *Wieprz*, qui ab vrbe Russiæ Rubræ *Thomassow* descendens,

et

& Krasnobrodiam, Sezebrzessinam, Krasnostauiam prætei lapsus propter Lecznam hunc palatinatum ingreditur, & supra Stencice in Vistulam aquas suas immittit.

LUBLINUM huius satrapiæ princeps ciuitas, sub 45. fere gradu longitudinis, (aliis 48.) & latitudinis gradu amplius 51. in Polonia minore versus ortum æstiuum, iter Cracouiam 36. Varsauiam 24. Sendomiriam 14. & Vilnam 70. milliaribus metitur. Inter Polonici regni ciuitates præcipui nominis numerata, licet spatio non vsque adeo grandi comprehendatur, cæterarum tamen nulli vel situs amœnitate, vel cœli salubritate, vel soli fecunditate, vel vlla alia re, aut necessitatem, aut vitæ humanæ voluptatem & delectationem spectante, cedit. Altis mœnibus, & profundis fossis septa, & sumptuosis ac pulchris ædificiis fulgens, exornatur adhuc plurimum arce in elato colle propter piscinam cubante, & naturæ ac artis adiumento probe admodum munita, ex qua pons in vrbem ducit. Sumptuosis ædificiis & altis turribus surgens & regiæ aulæ commorationem admodum commodam exhibet, & omnem impetum hostilem defensione sua eludit. Inter vrbis templa spectabile est *B. Virginis Mariæ* templum, cum monialium cœnobio, cui S. *Brigittæ* de triumpho nomen, cuius ordinis monasteria tantum tria in toto Christiano orbe reperiri aiunt: Vnum in regno Sueciæ, alterum hic Lublini, & tertium Dantisci, vt *sexta pars theatri Vrbium Braunii tradit.* Distinguendum igitur esse inter hunc & S. *Brigittæ*, vel *Birgittæ*, etiam S. *Saluatoris* appellatum ordinem, cuius cœnobium vnum inuenitur Coloniæ in Sione, & duo alia in eodem Archiepiscopatu, de quibus *Ægidius Gelenius de magnitud. Colon. lib. 2. synt. 49. legendus*; vbi author laudatus S. *Brigittam* viduam, quæ hunc ordinem fundauit, anno 1373. & filiam eius, S. *Catharinam* adhuc Virginem anno 1381. diem obiisse narrat. Sed adhuc plura eiusmodi cœnobia inueniuntur, sicut ex Bauariæ topographia liquet. *Heldvaderus in silva Chronologica circuli Baltici* meminit cœnobii Monialium ordinis S. *Brigittae* in Danica Insula Lalandia apud Mariæbo, quo anno 1621. certis de causis dissoluto, moniales dimissæ, & annui reditus cœnobii, ad Soranam nobilium in Zelandia scholam destinati sunt. Sed vt ad descriptionem nostram redeamus; templum Conuersionis S. *Pauli* cum monasterio suo est Patrum Bernardinorum; templum S. Spiritus lapidibus viuis extructum præpositum suum habet. Collegium Iesuitarum magnificum & fulgens, cum templo S. *Ioannis Baptistæ*, admodum antiquo, vtpote conditorem habente *Lesconem Nigrum* Poloniæ Principem, quod ab initio S. *Michaëlis* templum appellatum, cum vetustate aliquo modo collapsum esset, vrbis magistratus restaurauit. Altissima turri surgens haud longe a se remotum aspicit S. *Stanislai* templum iunctum monasterio Dominicanorum, in cuius vicinia decliuiorem vrbis locum occupante cernitur S. *Adalberti* templum cum Xenodochio: quæ consequitur S. *Nicolai* templum, vt & aliud admodum vetustum, in quo Russis Græcam suam religionem exercere licet. Cerkiew ipsi nomen vulgare est. Curia turri pulchra se attollit in medio foro, in qua æstiuo tempore quinque menses iudiciis totum hunc palatinatum concernentibus consumuntur. Haud paruo quoque vrbi huic ornamento sunt in editiore loco magnifice extructum *Marci Sobieski* Lublinensis Palatini palatium, & haud procul inde Xenodochium spatiosa ædificia magno ambitu explicans, vt & priuatorum ciuium ædes plurimæ sumptibus & impensis haud exiguis excitatæ. Iudæi multi & frequentes in suburbiis, vt plurimum domicilia sua habentes, Synagogam possident, in tota Polonia Iudaicarum synagogarum primariam. Solum vrbem ambiens omnis generis fruges & fructus largissimo prouentu subministrat, & quidem bonitatis eius, qua cum aliis iure ac merito certent. Trium mercatuum annuorum quisque mensem integrum fere durat. Ad eos accurrunt ex remotissimis etiam terris mercatores, Germani, Græci, Armeni, Arabes, Moschi, Turcæ, Galli,

Lublini distantia a diversis ciuitatibus.

Qualitates.

Arx.

Templa.

Monasteria Brigittæ.

Curia.

Palatium.

Iudæi.

Solum.

Mercatus.

li, Itali & Angli. Visu dignæ quoque sunt turris aquæ, & papyri seu chartæ confectio. Arcem præterlabitur fluuiolus Bystrzna, inde in flumen Wieprz dilabens. Habet porro vrbs hæc iudicia tribunalitia totius Poloniæ, atque ex eo maximam nobilium frequentiam. Anno 1205. huius vrbis arcem *Romanus* Russiæ princeps, integrum mensem frustra obsedit. Eam anno 1240. Tartari incendio vastarunt, quam restauratam postea *Daniel* Russorum rex astutia militari in suam potestatem redegit, turrim rotundam validioribus operibus muniens, & toti arci præsidium imponens, quum Russi 57. annos in potestate sua habuisse dicunt, sub rege Poloniæ Venceslao demum a Polonis receptam. Anno 1344. Tartari ab ea obsessa re infecta discesserunt. Anno 1447. vrbes Lublinum, Znena, Siradia, Bochnia, & Xianzum prope Miechouiam incendio conflagrarunt, vt *Cromerus diversis in locis* commemorat. Anno 1606. & sequente incendia ipsam in maxima iterum pericula coniecerunt. Eodem anno nobilitas Polonica se regi, & nonnullis Senatoribus regis partes tuentibus opponens hic conuentum egit, quo successu, *Piasecius in Chronicis suis* docet. Anno 1646. Iesuitarum studiosi in Academia Lublinensi nocturno tempore 19. ædes Iudaicas penitus exspoliarunt, octo homines occiderunt, & 50. vulnerarunt. Missi in vrbem a rege nonnulli, qui facinus tantum supplicio debito punirent. *Tom. 5. Theatr. Europ. fol.* 1102. *a.* Anno 1656. Sueciæ Rex hanc vrbem omni præsidio nudatam offendit, eique triginta mille florenos pro incendio vrbis redimendo numerandos imperauit, vt Francofortiana relatio vernalis eiusdem anni memoriæ prodit. Rex præsidiariis suis militibus impositis eam firmauit, in qua postea Comes *Woldemarus* ex Dania mense Martio diem obiit.

Res gestæ. — Incendia. — Iudæi misere tractati. — Vrbs a Suecis occupata.

CAZIMIRIA inter scopulos ad Vistulæ ripam pulchre extructa ciuitas, vna ex sex ciuitatibus supremum tribunal regium Cracouiæ constituentibus, a quo ad alium iudicem prouocare non licet. Mercaturæ exercendæ ciues strenuam operam nauant. Hic Sueciæ Rex exercitum suum Vistulam traduxit, & 8. Februarii anno 1656. cum libero Barone *Czarnetzkio* apud pagum Wlostowitz feliciter pugnauit.

PIOTRAWIN, Piottovin, vel Petravin, inter Zauichostum & Cazimiriam Vistulæ assidens, vbi S. *Stanislaum* Cracouiensem Episcopum ferunt ex ordine Equestri Polonum quendam, nomine Petrick, vel Petrus, Piotreck, iam defunctum iterum ad vitam reuocasse, & secum in iudicium adduxisse. *Martinus Cromerus de rebus Polonicis lib.* 4. *fol.* 89. *Mathias de Miechovia in Chron. Polon. lib.* 2. *cap.* 19. *fol.* 47. *seq.* Apud *Cromerum* est alitid Cazimirum, & Samotuli, duæ vrbeculæ Poloniæ nobilium quorundam post obitum Ludouici Vngariæ Regis, durante interregno spoliatæ & expilatæ.

Polonus quidam defunctus ad vitam reuocatus.

OPOLIA, Curouia, Crasnicia, Levartouia, Vrsendouia, Lenczna, & Czemiernicos cum palatio pulcherrimo, quod *Henricus Firleius*, Archiepiscopus Gnesnensis construxit, reliqua sunt in hoc palatinatu, alicuius notæ loca.

MAIOR POLONIA

MAIOR POLONIA in occidua totius Regni Polonici parte, qua in Boream vergit, Pomerellia, & Pomerania, qua in occasum prona est, electoratu Brandeburgico, & Silesia terminatur. Meridionales eius fines Silesiam & minorem Poloniam respiciunt. Orientales Masouiæ contigui sunt. Maior dicta, quoniam eam elegit *Lechus* Polonorum Rex primus; qui Gnesnam regiam sedem condidit. Ex fluuiis eam rigantibus præcipui sunt tres: Wartha ex Polonia minore aquas educens mediam secat, & supra Custrinum Oderæ se miscet. Prosna ex finibus Silesiæ egrediens amnis inter Pysdry & Posnaniam in Wartham ingreditur. Notez, siue Notesius, ex lacu Go-

Fines. — Nomen. — Fluuii.

pso emergens supra Landsbergam Warthæ se associat Plures alios minoris notæ fluuiolos, & viuos omittimus. Multis igitur aquis rigua hæc prouincia, fere tota planicie lata quaqua versum excurrit, Cuiauiam si excipias, quæ nonnulla parte cliuosa colles molliter surgentes ad fertilitatem commode extollit. Hanc quidam cum maiori Polonia connectunt, alii separant. Nonnulli palatinatus, Vladisluiensem & Brestiensem, cum Dobrinensi Castellania ipsi assignant. Duos vero Brestensem & Iunovladislauiensem Cuiauiam appellari aliqui volunt. Sunt qui tres palatinatus, Siradiensem, Lanciciensem, & Rauensem ab hac prouincia reuulsos nullius certæ prouinciæ esse putent. *Brietius in Parallelis Geographiae Vet. & Novae*, recenset 7. palatinatus, Posnaniensem, in quo Posnania; Calisiensem, in quo Calisia & Gnesna; Siradiensem, in quo Siradia, & Petricouia; Lanciciensem, in quo Lancicia, & Piatecha; Rauensem, in quo Raua; et in Cuiauia Vladislauiensem, in quo Vladislauia, Brestiensem, in quo Brestia; ac Castellaniam vnam Dobrinensem videlicet, in qua Dobrinia. *Starovolscius*, quem sequemur, in octo satrapias, seu palatinatus partitur Poloniam maiorem. Ii sunt Posnaniensis cum Vschouiensi territorio, Calissiensis, Lanciciensis, Brestensis, IunoVladislauiensis, (qui duo Cuiauiam efficiunt) Siradiensis, Rauensis, et Vielunensis.

Qualitas. Diuisio. Palatinatus octo.

POSNANIENSIS PALATINATUS, Silesia, Marchia Brandeburgensi et Calisiensi satrapia clauditur. Senatores ex ea ad conuentum regni publicum mittuntur Archiepiscopus Gnesnensis, Episcopus Posnaniensis, Palatinus Posnaniensis, et Castellani septem: Posnaniensis, Medirecensis, Rogosnensis, Stemensis, Præmentensis, et Sontecensis. Officiales quoque tantam terrestres, quam castrenses, Præfecti ciuitatum partim cum iurisdictione, partim sine iurisdictione, vt in omnibus regni prouinciis mos est. Posnaniensis præfectus generalis maioris Poloniæ nominatur et in aliquot districtibus iurisdictionem exercet.

Fines. Senatores. Castellani.

POSNA, Posnania, Posen non tantum huius satrapiæ, verum etiam totius Poloniæ maioris metropolis ad Wartham seu Vartham fluuium nauigabilem, et Prosnæ fluuii aquis auctum, sub gradu longitudinis 39, et latitudinis 52. inter colles amœnos sita, ex 50. fere milliarium itinere ab vrbe Cracouia dimota, non prolixo quidem circuitu ambitur, sed pulchritudine sua se merito extollit. Nam duplici muro vallata, et fossa haud exiguæ profunditatis munita, in auras altitudine sua surgentes ostentat domos, quadratis lapidibus compactas arcemque insufulæ aquis dictis clausæ insidentem, et trans Wartham admodum spatiosa suburbia ingenti lacu, aut palude cincta, et ideo nonnunquam cum proxime adiacentibus pagis fluuii Varthæ inundationibus adeo obnoxia, vt ædium tecta, et fastigia vix ex aqua eminentia ægre conspici queant. Ab incommodo hoc nec ipsa ciuitas satis tuta est, vtpote quæ nonnunquam intra muros eam experitur aquæ crescentis altitudinem, vt forum et plateæ aquis tectæ nauicularum vsum requirant et admittant. Sed vltra duos aut tres dies aquarum effusione tanta non vexatur, cum aquæ recedentes illico post alterum aut tertium diem in alueos consuetos reuertantur. Insigne emporium ciuibus abundat lucrosam mercaturam exercentibus, præcipue mercibus iis, quæ ex Germania in Poloniam, et viceuersa ex Polonia in Germaniam mittuntur. Hinc tres mercatus famosos quotannis celebrat, magna mercatorum vndique confluentium frequentia. In primario huius vrbis templo S. Mariæ Magdalenæ sacro, & eleganti ac alta turri conspicuo, sepulchrum visitur ducis *Miecislai*, qui primus in Poloniæ regnum Christianam religionem introduxit, & hoc templum extruxit. In ipsa quoque prædicantium conspicitur monasterium, & extra eam versus ortum in loco perquam amœno templum Cathedrale, seu Episcopale sumptuosa & magnifica structura excitatum, turribusque duabus elegantiam suam augens: Ad cuius dextrum latus in conspectum prodit

Warta fluuius. Vrbis ædes Arx. Suburbia. Mercatus Templa.

Aula Episcopalis.

aula Episcopalis inter paludes: ad sinistrum autem collegium Lubrantianum, S. *Michaëlis* sacellum, et Canonicorum, quorum collegium a templo Cathedrali dependet, domicilia. Hucusque fere se exporrigit suburbium Valisouia vulgo appallatum, quod instar oppidi maxime idoneum est, vt muniatur. *Ioannes Lubrantius* loci huius Episcopus publicum hic gymnasium Lubrantianum nominatum erexit, quod *Adamus Conarius* eius successor augustiori structura exornauit, et *Comes Rostraseuius* maioribus reditibus auxit. Ob mathematicas disciplinas, et iuris prælectiones insigni studiosorum frequentia gaudet. Clerici societatis IESU in ipsa vrbe collegium suum habent, in quo studiosæ iuuentuti erudiendæ operam nauant. In monasteriis religiosorum studia florent, et apud Dominicanos sodales theologia maxime viget. Versus occasum hybernum se conspiciendum offert templum S. Corporis Christi elegantissimum, cui Carmelitæ domicilia sua iunxerunt. Adest quoque ibi FF. Minoritarum, seu minorum de Obseruantia monasterium. In Boreali ora cernere est S. *Martini* templum parochiale, et in vrbe ipsa monialium Dominicani ordinis monasterium: oculis se quoque subiiciunt S. *Stanislai* templum et Iesuitarum collegium ipsi adiunctum. Plateæ latiores, forum amœnum, et curia magnitudine non minus, quam pulchritudine excellens et ædificia singularis elegantiæ huic vrbi mirum decus conciliant, et faciunt, vt post Cracouiam ipsi pulchritudinis et magnitudinis primas deferre nemo dubitet: præcipue etiam ob ius stapulæ, quo, vt et aliis pluribus immunitatibus, donata est. Ex Germanicis antiquis Lygii hæc loca olim incoluisse, circa Calisium vero, et in locis Silesiam versus Burii habitasse feruntur. Palatinus Posnaniensis in eodem cum Cracouiensi honoris gradu locatus est, ad cuius iurisdictionem *Petrus Bertius* refert vrbes, Koscien inter limosas paludes commorantem, et Posnania 7. aut 8. milliarium distantia discedentem; Miedzyrzecze, forsan Meseritz, Ostresouiam, in planicie inter siluas locatam Wschouiam, Srenick, Pronetz, et Rogetzno. De pluribus aliis de hac vrbe dicendis, consule *Georgium Braunium parte 6. Theatri Vrbium. Casparum Ens in delic. Academ. pag. 293. seq. Dauidem Froelichium part. 2. lib. 1. pag.* 321. De perpetuo fœdere inter Poloniæ Regem *Sigismundum* III. et Electorem Brandeburgicum *Sigismundum*, anno 1618. pacto, et negotiationem, ac nauigationem in dicto flumine concernente *Ioannem Micraelium lib. 4. Pomer. p.103.& seq.* A.1038. *Praedislaus Virici* filius, hanc vrbem exspoliauit, et incendit, teste *Cromero*, qui etiam *lib. 7.* tradit, ducem Poloniæ *Miecislaum*, qui tertia vice Regni Poloniæ administrationem susceptit, anno 1202. diem obiit, et Calisii in terram reconditus est, in hac vrbe Xenodochium pauperibus recipiendis, & sustentandis apud S. *Michaëlis* templum erexisse, multis pagis donauisse, & Hierosolymitani Xenodochii fratribus eiusdem curam commisisse. Anno 1606. cum Reformatorum seu Caluinorum templum in hac vrbe, & haud pauca alia in aliis Poloniæ locis incendio periissent, nobilitas Polonica Lublini conuentum egit, a quo Polonica lingua *Rokosz* nuncupata nobilibus Rocossianorum nomen ortum, qui a rege postularunt, vt ecclesiasticos in iudicium vocatos se sistere cogeret, Iesuitas regno eiiceret, & religionis libertatem firmaret. *Sethus Caluisius in opere Chronol. fol. 971. a. Idem fol. 880. in appendice huius anni* commemorat, quod maxima dictorum nobilium pars apud vrbem Landschutz, cum mercatus annuus instaret, militaris census habendi gratia confluxerint, ac mercatoribus pecuniam postulatam soluere negantibus, milites vrbis purtas occuparint, & vrbem incendiis vastarint. Lanciciam forsan hoc Landschutzium fuisse ex circumstantiis colligi posset. *Nicolaus Heldvaderus in silua Chronologica circuli Balthici* narrat, anno 1607. horrenda bella, & multum sanguinis profusum fuisse, cum Rocossiani (ita enim nobiles appellat) se regi suo opposuissent. Anno 1656. 3. Iunii Styli noui Vratislauia scriptum fuit, Suecos ex hac vrbe Posnania omnes Iesuitas, monachos, & sacerdotes, paucissimis exceptis, eiecisse, & cuncta subur-

Gymnasium

Collegium Soc. IESU.

Plateæ, Forum, Curia.

Antiqui incolæ.

Res gestæ.

Rocossiani.

bia

bia cum templis & monasteriis extra vrbem sitis incendio deleuisse. Etenim anno præcedente hanc vrbem cum Calisia Miedzenzia, quem locum *Limnerus* ita nuncupat, in potestatem suam redegerant. Anno 57. ad Polonos rediisse Posnania dicitur.

GNESNA, Gnesin, Gnisen, Archiepiscopalis sedes, Posonia 7. milliaribus versus ortum æstiuum dimota, planiciem inter stagna, & colles insidet, ac duplici muro cingitur, prima inter Poloniæ vrbes ædificata, & olim etiam totius Regni caput, quam princeps *Lechus* in hac ora condidit ac etiam incoluit, id quod *Piastus* postea quoque fecit. *Lechus* ille, vt *Cromerus* refert, has terras vastas occupatas inter suos distribuit & arces & castella in commodis locis construenda curauit, ac sedem suam fixit in loco quodam a Vartha fluuio 6. milliaribus versus Boream distante, & in planicie inter paludes & stagna constituto, vbi ex crassis, & nulla dolabra edolatis lignis domicilium necessitati & commorationi, magis quam fastui & voluptati inseruiens sibi erexit, adiunctis plurium hominum ædibus, vt suos semper in promptu secum haberet, vnde ciuitas nata nomen Gnesnæ sibi adsciscens, a voce gniazdo, qua Poloni nidum nominant, denominatione petita ab regia ave, aquila, eo quod talium auium plurimi nidi eodem in loco inuenti fuerint. Hinc & ortum creditur insigne regium, aquila nimirum alba expansis alis corpus erigens, quo signo *Lechus*, & successores ipsius vsi sunt, & adhuc vtuntur. De Archiepiscopo & *D. Adalberti* templo Metropolitano ita loquitur *Starovolscius p. 5. Archiepiscopus Gnesnensis a concilio Lateranensi in spiritualibus vices summi Pontificis gerit, & Legatus natus appellatur: in politicis autem, praesertim interregni tempore, proregis authoritatem habet. Et prout collegium illius ob excellentiam suae Metropolitanae ecclesiae, praeter aliarum Cathedralium morem, cancellarium cum dignitate habet, qui munimentorum, & libertatis illorum (omnes enim Nobiles esse debent, nec ad praebendas admittuntur plebeis orti parentibus in ullo Capitulo cathedrali, in tota fere Polonia, nisi certus Doctorum numerus, assignatus ex fundatione) custos quodammoda est. Sic Archiepiscopus ipse, supra dignitatem, & praerogatiuam aliorum antistitum, aulicos, cubicularios pueros, aliasque ministros, & satellites, more regio habet, & qui inter eas eminent, cancellarium specialem, atque Mareschalcum; quarum ille iudiciis spiritualibus, quae ad curiam Archiepiscopi devolvuntur, cum authoritate praeest: hic, cum in publicum Princeps prodit, baculum seu virgam illi praefert, prout regibus ipsis praeferri in Polonia mos est, & aulam ipsius totam ipse moderatur. In metropolitana itaque Gnesnensi Ecclesia D. Adalberti Archiepiscopi olim loci illius, honorantur reliquiae, sepulchro in medio templi pulcherrime extructo, pro quibus asseruandis serenissimus Rex Sigismundus III. tumbam argenteum donauit precii haud contemnendi, cum & antea cistae argenteae inclusae fuissent, sed non ita affabre exstructae. Habetque sane templum illud inaestimabilem thesaurum in vasis aureis, argenteis & gemmatis, quae veteres Principes, & Archiepiscopi tabulis legarunt; & nuper defunctus Henricus Firlei, praeter alia vasa, & vestes pretiosas, quas ecclesiae illi donavit, dedit etiam tiaram suam Episcopalem viginti quatuor millibus florenorum aestimatam.* Quantum igitur ad Archiepiscopum Gnesnensem attinet, magnam certe in tota Polonia auctoritatem obtinet, vtpote qui proximus a rege, interregni tempore regis vices gerit, & omnes lites ecclesiasticas diiudicat, adeo vt etiam ab Archiepiscopi Leopolitani sententia pronunciata ad ipsum appellare liceat. Sed hac de re in generali descriptione egimus. De *Adalberti* rebus scriptores Germanici & Polonici dissentiunt. *Ioachimus Cureus in Chronicis Silesiacis parte 1. pag. 40. & seq.* memoriæ prodit, quod *Miecislaus* Dux Christianus in Polonia primus filium reliquerit, *Boleslaum* I. Poloniæ Regem primum, creatum ab Imperatore *Ottone* III. fabulam vero esse dicit, ipsum *Ottonem* Cæsarem peregrinationem sacram (quæ tunc temporis inusitatæ erant) suscepisse Gnesnam, vt S. *Adalberti*, Germanis hactenus incogniti, sepulchrum inuiseret; & magnifico ap-

Lechus Gnesnæ conditor.

Vrbis nomen.

Insigne Regium.

Archiepiscopi Gnesnensis auctoritas.

D. Adalberti reliquiæ.

De Adalberto Scriptorum dissensus.

Fabula.

paratu a *Boleslao* exceptum esse; in cuius tamen potestate non erat eiusmodi fastu vti, quem illa tempora ignorabant; quod tamen Polonici scriptores affirmare audent. Illud tamen veritati congruere, quod Germanici scriptores, eodem tempore, & post illud viuentes tradiderunt, Poloniæ regnum tunc temporis Imperio Romano Germanico tributum & concessisse & soluisse; quod tamen Polonici scriptores plane inficias eunt. *Adalbertum* autem Episcopum Pragensem narrant a barbaris & immanibus Prussis anno 997. trucidatum, corpusque eius a *Boleslao* ex barbarorum illorum manibus precio dato redemptum, & Gnesnæ sepulturæ mandatum esse. Diem ipsum, quo *Adalbertus* interfectus est, 23. scilicet Aprilis, per totam Poloniam festum solennitate summa quotannis celebrari, Gnesnæ cum primis, quo ad mercatum illo ipso die celebrari solitum magna mercatorum frequentia confluat. Hæc *Cureus*. *Cromerus* vero sequenti narratione rem proponit. Post susceptam religionem Christianam a Polonis Gnesnæ erectus est Archiepiscopatus, cuius primo Archiepiscopo *Roberto* nomen fuit. Huic successit *Adalbertus*, qui fratrem *Gaudentium*, aut *Razinum* huic muneri præfecit, ipse in Prussiam profectus, vbi prope oppidulum Fischhausen in litore 23. Aprilis anno 997. ab Ethnicis barbaris vita spoliatus est. Corporis exuuias postea *Boleslaus* Poloniæ Rex primus, cognomento Chrobry de Borussis emit, & Gnesnæ sepeliendas curauit. Anno 1338. Bohemiæ Dux *Praedislaus* Gnesnam nondum satis munitam, & defensoribus destitutam occupauit; Bohemi Pragensis Episcopi *Severi* instinctu templum ingressi omne aurum, & argentum, omnem vestitum sacrum, quinque corpora eremitarum, prope vrbem Casimiriam, dicti Regis *Boleslai Chrobri* tempore a latronibus occisorum, a pio illo rege huc delata, & *D. Adalberti* a templi ministris clam alicubi defossi loco, dicti *Gaudentii* corpus abstulerunt, & secum Pragam detulerunt, excepto *Christini* vnius ex quinque illis Eremetis corpore, quod dux *Praedislaus* Olomutianis in Morauia concessit. Interim Bohemi, se *Adalberti* reliquias nactos esse dixerunt. Hæc *Cromerus*. Contra *Martinus Boregk in Bohemicis Chronicis pag. 97.* commemorat, quod cum *Bretislaus* Bohemiæ Dux, *Vdalrici* filius, anno 1037, vel 38, Gnesnam occupauisset, Bohemi Divorum *Adalberti*, *Gaudentii*, *Christini*, & aliorum plurium ossa secum auexerint. *Schickfuchsius in Curei Chronicis auctis lib. 1. cap 7.* scribit, quod Bohemi anno 1038. Poloniam inuaserint, & S. *Adalberti* corpus secum abduxerint, licet Poloni affirmare ausint, Bohemos *Adalberti* loco *Gaudentium* nactos esse; hinc magna controuersia litem adhuc maiorem agitare ait. Sunt qui *Venceslao* Bohemiæ & Poloniæ rege, qui anno 1305. vita functus est, regnante, S. *Adalberti* corpus ex Polonia Pragam deductum esse affirment. *Procopius Lupacius in suo Calendario historico ad 23. Febru.* corpus idem anno 1127. Gnesnæ repertum fuisse refert. Sed se adhuc S. *Adalberti* corpus in possessione sua habere Poloni asserunt. Narrando pergens *Cromerus* sequentia porro memorat. *Henricus* Gnesnensis Archiepiscopus a. 1219. mortuus, huius loci Archiepiscopus perpetuæ legationis munus ab Apostolica sede impetrauit. *Boleslaus Pius* Calissiensis Dux anno 1279. viuis exemptus Monialium S. Claræ monasterium in hac vrbe fundauit. Anno 1331. Teutonici ordinis in Prussia milites hanc vrbem exspoliatam incenderunt, nec templis, nec monasteriis, nec vllis sacris parcentes. Sed S. *Adalberti* reliquias a templi ministris absconditas reperire non potuerunt. Post *Ludouici* Vngariæ & Poloniæ Regis obitum Archiepiscopus Gnesnensis, Masouiæ Ducis partibus adhærens, *Hedvigi* regis filiæ & hæredi se opposuit. Hinc contigit, vt ipsius et sacerdotum reliquorum domicilia compilata, et ipse magno damno affectus fuerit. Anno 1613. fere tota ciuitas incendio conflagrauit. Thesaurus ille grandis in Metropolitano D. *Alberti* templo, de quo *Starovolscius* meminit, vt in praecedentibus modo dictum est, quo euaserit, et an ante vrbis occupationem alio delatus sit, nobis compertum non est. Nisi forsan anno 1613, cum

Poloni Vasalli Imperii Romano Germanici.

Adalberti mors, & sepultura.

Dies festus.

Alia narratio de morte Adalberti.

BohemiGnesnam occupant.

De reliquiis S. Adalberti controuersiæ.

Perpetua Legatio.

S. Claræ monasterium.

Thesaurus grandis

cum haec vrbs mense Aprili cum dicto templo igne consumpta est, si non totus, attamen maxima eius pars incendio illo perierit: Anno 56. a Polonis recuperata vrbs dicitur.

KLECZCO oppidulum inter Gnesnam et Posnaniam, propter quod ad transitum quendam aqua latior occurrit, et 27. Aprilis anno 1656. conflictu acri certasse Sueci, et Poloni dicuntur.

Conflictus Suecorum & Polonorum.

GOLAN municipium, aut oppidulum Gnesna & Posnania versus Septentrionem discedens, quod Posnania Dantiscum ituris transeundum est. Via, quæ Posnania Dantiscum ducit, duplex est. Proxima per dicta oppidula Kleczko & Golan, traiectoque Notezio flumine Wienrzburgum, Cronam, Schwetzam, & Stargardiam tendit; Altera per pagum Wobaditzki, Gnesnam &c. petit.

Via Posnania Dantiscum.

ROGOSZNO supra Posnaniam Castellani Rogosznensis sedes.

YONGROVECENSIS Abbatia inter Golanum & Kleczko vrbeculas sita.

SCHARMEUSEL haud procul a Goplo lacu.

ZNENA, Snena, Starouolscii Kzina, forsan inter Vangrouecium, & Scharmeusel, Archiepiscopi Gnesnensis oppidulum, vt *Solikovius* docet: Znin, & Szina a nonnullis nominatur. Anno 1331. a Teutonici ordinis militibus incensum & vastatum, anno 1447. incendio quoque deturpatum est.

Incendium.

NACKEL ad Notesium flumen, forsan Nacum *Starovolscio*.

ZANTOCH, Santoc, Castellanum habens Santocensem, in finibus Marchiæ Brandenburgicæ supra Notezii in Vartam flumen effluxum conspicitur.

BLESEN trans flumen Wartam eunti in iisdem finibus occurrit. Abbatia insigni celebris.

MEDIRECIUM, Meseritz, Castellani sedes & Electoratui Brandeburgico finitimum oppidum inter duas Abbatias Blesouiensem & Paradisiensem, anno 1474. a Silesiis Vngariæ Regi *Matthiæ Corvino*, cum tres reges, hic, *Casimirus* Poloniæ, & *Vladislaus* Bohemiæ, ad Vratislauiam in Silesia castra sua haberent, adhærentibus, subita inuasione oppressa est. *Boregk in annal. Bohem.* fol. 580. *Martinus Cromerus lib.* 9. nominat quandam vrbem Medireciam, cuius arcem Mediretz fossis & propugnaculis *Boleslaus* Calissiæ dux munire cœpit. Munitione hac nondum plane ad finem perducta, anno 1269, *Otho* Marchio Brandeburgensis vrbem militibus suis subito inuasit, & incendit: arce vero potiri non potuit. Eodem anno territorium Lubussense in Marchionatu Brandeburgensi depopulatus est. *David Frælichius pag.* 323. *lib.* 1. *part. post. Viatoris*, vrbem habet in Polonia Miedzyrzecze, inter limosas aquas, & paludes, cum arce admodum munita, quæ non nisi fame capi potest. Hunc locum ait a Germanis aliquot annis frustra obsessum fuisse. Qui vero Germani illi fuerint, & quo tempore hoc contigerit, tacet. *Petrus Bertius in explicat. tab. cont. p.* 439. ad Posnaniensem palatinatum in Polonia maiore refert Miedzyrzecze vrbeculam in Silesiæ & Marchiæ finibus locatam, ac ædificiis ligneis constructam, quam hanc eandem esse omnes circumstantiæ arguunt. *I. Demetr. Solikovius* meminit Medzirecii, quo anno 1574. *Henricus* Poloniæ Rex electus, ex Gallia per Marchionatum Brandeburgensem appulit, ibidem summo cum gaudio a Polonis exceptus, & Posnaniam deductus. Ad Oderam locum hunc locando hallucinatur *Solikovius*, cum Poloniæ confinia illud flumen non attingant. Hoc in loco se coniunxerunt Suecorum copiæ, quas Poloni anno 1656. Lissa & Frauenstadio exegerant.

Silesiorum inuasio.

ut & Marchionis Brandeburgensis.

Henrici Regis in Poloniam adventus.

PARADISIENSIS Abbatia in vicinia dicti oppiduli.

FRAUSTADIUM, Frauenstadt, Uschohouia, Uschovia, Wschowa Polonis, duobus milliaribus a maiore Glogouia vrbe Silesiæ nota distat. A Germanis excitata Germanos incolas & in toto circumiacente districtu accolas habet. Olim Ducatus Silesiæ membrum, contra pactum cum *Iohanne* Bohemiæ Rege, anno 1343. occupauit Rex Poloniæ *Casimirus II.* cui Silesiæ Principes & Ordines, pacis

Germani conditores, & incolæ.

& quietis conseruandæ causa, hanc vrbem concesserunt, ea tamen lege, vt priuilegia, et immunitates suas, cum iure cudendi monetam, a Glogouiensibus Ducibus donata, seruaret. Plusquam trecentæ molæ ventorum flatibus agitari solitæ hic numerari dicuntur. *Valerius Herbergerus* author postillæ, ipsius nomine editæ Euangelicus, in hac vrbe concionator fuit, et vixit anno 1474. *Matthiae Corvini* Hungariæ Regis copiæ per Silesiam et Gurauiense territorium ingruentes, hunc locum occupare frustra tentarunt. Anno 1644.(19.) 29. Julii exceptis, templo Euangelico, et decem circiter ædificiis, tota incendio conflagrauit. *Relat. Francofurt. autumnalis eiusdem anni.* Anno 1656. cum Lissenses a Polonis tam horrenda tyrannide cruciarentur, ciues depositis armis se Polonis submiserunt, ac ciuitatem suam conseruarunt.

Mólarum copia.

Incendium.

LISSA, cognomento Polonica, pulchrum, & populosum oppidum in Silesia Polonica, vno & dimidio milliari a finibus Silesiacis, atque vno ab oppidulis Storchnest, & Schwetzkau remotum, & in Frauenstadiensi districtu sedens, olim pagus fuit haud magni nominis, qui post grandem affluxum plurimorum ex Silesia, Bohemia, Morauia, & Austria ob religionem exactorum exulum breui temporis spacio surrexit, vt vallo muniretur, & ciuibus plurimis abundaret. Exulibus enim illis huius loci Dominus eidem religioni addictus conscientiæ libertatem, & religionis exercitium liberum indulserat. Suecis anno 1655. Poloniam inuadentibus in Regis Sueciæ potestatem concessit. Anno 1656. cum Suecis fortuna tergum obuerteret, ac Polonicus exercitus districtum hunc inundaret, miseri incolæ, licet numerosi, Polonorum tamen Germanis & religioni infensissimorum furorem, & tyrannidem extimescentes vrbem suam reliquerunt, Senatu primo abeunte, quem reliqui ciues quater mille numero, plerique defensioni & armis apti secuti sunt. Vacuam Poloni ingressi diripuerunt, & igne subiecto pulchris ædificiis exornatam in cineres redegerunt. Sic breui pulchritudine enata populosa ciuitas breuiore momento periit. Factum hoc 18. Aprilis eiusdem anni, vt refert *Augustinus Limmerus, pag. 15. in relatione Lipsiensi Mercatus S. Michaëlis.* Postea *relatio alia* narrat, quod ciues illi, ducte cuiusdam eiusdem oppidi cauponis *Lucasch* nominati, se collegerint, & finitima oppidula Schwetzkauium, Schultinghzimum, & Storchnestum, inuaserint, et diripuerint. Polonis (ob odium forsan religionis) adhærentia, et ipsis in vrbe vastanda opem ferentia, ac auferentia, quæ depopulatio, et incendium reliqua fecerant.

Lissæ ortus.

Cum vxoribus & liberis. Et deplorandus interitus.

CROBIA, ante hac pagus et diuitiis et magnitudine clarus, et consueto nomine Sulcava notus, nunc oppidulum Episcopi Posnaniensis, in silua inter Punitzium et Kobelinum sedem suam habens.

OBRA cum Abbatia Obrensi occiduis Calisiensis satrapiæ finibus contermina.

LUBINUM, Lubin, cum Lubinensi Abbatia aut monasterio in Costeni vrbis vicinia.

COSTENUM, Costen, Kosten, in via Frauenstadium, et Glogoviam maiorem, Posnania tendente, ab hac 9. milliaribus secedens oppidulum, olim ad Silesiam pertinuit; quo Poloni anno 1332. deditione potiti sunt, arcem ipsam vi occupantes, ex quo tempore locus hic inter paludes, piscinas, et lacus admodum commode situs in ipsorum potestate mansit, vt *Cromerus lib. 11. fol. 297.* docet. *Cureus* anno 1333 idem factum tradit. *Fridericus* Hassiæ Landtgrauius ex Cassellana Linea, ad Regem Sueciæ affinem suum anno 1655. profecturus, 24. Septemb. Styli vet. ante hanc vrbeculam a Polonis præsidiariis globo traiectus est. Sueci eius mortem vindicantes d. 11. Octobris eiusdem anni oppidulum expugnatum incendio deleuerunt. Postea loci firmitate allecti eidem, vt et arci, quæ adhærere dicitur, præsidiarios milites imposuerunt, qui Polonis obsidentibus longiore mora multum negotii facessiuere.

Costenum in Polonorum potestatem venit.

Friderici Hassiæ Landtgrauii infausta mors. Vindictæ sumptæ.

MOSCH

MOSCH oppidulum viatoribus Vratislauia Posnam iter facientibus, quatuor ab hac milliaribus, in silua occurrens.

CVRNICVM, Kurnik, oppidulum muro septum, ad amnem Wartam supra Posnam.

SLUPEZA, Slupecia, Episcopi Posnaniensis oppidulum, ad fluuium Wartam Pysdry oppido vicinum, quod ordinis Teutonici milites anno 1331. occuparunt, et incenderunt.

PISDRA, Pysdry, oppidulum in fluuii Wartæ ripa, priori vicinum, quod, post tyrannidem in ciues exercitatam, Teutonici ordinis milites anno 1331. diripuerunt, et cum templis igne subiecto consumpserunt. Anno 1656. 13. Maii, *Carolus Gustavus Wrangel* Succiæ militiæ Dux hic et in vicinia castra habuit.

Suecorum castra.

CONINUM, Conin, Konin, oppidulum vastatum a Teutonici ordinis copiis anno 1331, quæ tamen ad lacum Nezamisso, et Glussinum oppidulum a Polonis damno haud exiguo affectæ sunt. Inter Pisdry et Kaminum Wartæ assidens, eodem flumine ambitur, et non nisi pontibus aditur, ac arce adiuncta se defendit. Anno 1655, Sueciæ Rex exercitus partem Rogosno et Gnesna adducens iuxta hoc oppidum alteri parti, quæ sub duce *Wittenbergo* præiuerat, iunxit.

Eorum exercitus coniuncti.

CALISSIENSIS PALATINATUS, cis et trans Prosnam fluuium inter Posnaniensem versus occasum, et Siradiensem versus ortum, interest. Frugibus, piscibus et pecoribus abundans minora habet oppida quam plurima, et pagos frequentissimos. Magistratus, a quo regitur, constat Palatino vno, et Castellanis sex, qui sunt Calissiensis, Gnesnensis, Landensis, Naklensis, Biechouiensis, et Camenensis.

Situs.

Qualitas Magistratus.

CALISSIUM, Calissia, Calis, Calisch, Calicz, huius satrapiæ primaria vrbs, ipsiusque Palatini sedes, amœnum situm, ad Prosnam flumen in hac læta planicie aquis late luxuriantem, inter paludes explicat, et ex coctilibus lateribus muro, ac turribus constructis vim hostilem arcens, magis naturae, quam arti defensionem suum debet. Ornatur aliquot Religiosorum monasteriis, templo canonicorum et Iesuitarum collegio sumptuosissimo, quod *Stanislaus Karncovius* Gnesnensis Archiepiscopus suis impensis extruendum curauit. In eiusdem templo etiam, vt voluit, sepultus. In templo *S. Pauli* quoque terræ mandatus est *Miecislaus*, tertia vice Regni Poloniæ gubernationem aggressus, et anno 1202. fato functus, qui templum illud condidit, ac collegio Canonicorum sacerdotali auxit. Cum vero postea ciuitas et templum in alium locum transferretur, sepulchrum eius sub dio mansit. Anno 1270. vacca hic enixa est vitulum duobus capitibus cainis, vt et dentibus, ac septem pedibus vitulinis. Caput mains debito loco extabat, minus caudæ principio adhærebat. Ab huius monstri cadavere carniuoræ bestiæ, et aues abhorrebant. *Cromerus lib.* 9. *fol.* 238. Anno 1284 *Henricus* Vratislauiæ Dux occupauit hic arcem a *Sandivogio* præfecto proditam, cum paulo ante vrbs incendio inopinato periisset. Occupationi ansam præbuit *Praemislaus* maioris Poloniæ Dux, anno 1295, Rex Poloniae, quae diu regibus caruerat, creatus, qui vxorem *Lucardam* innocentem vita priuauerat, ipse paulo postquam Regium titulum acquisiuerat, Marchionis Brandeburgici insidiis de medio sublatus. In vrbis huius suburbio Xenodochium extruendum curauit. Anno 1306. Lithuani sub *Vitene* Duce suo inopinata occupatione hac vrbe potiti, eam cum proximo oppidulo Stauissino, cui Estaffischin nomen in tabulis geographicis, incenderunt. Eandem anno 1331. equites Teutonici, seu Crucigeri, irrita obsidione bis aggressi, hanc exiguo detrimento affecti sunt. Anno 1655. in Sueciae Regis potestatem delapsa, sequente anno ad Regem Poloniae dominum suum rediit, exactis Brandeburgensibus praesidiariis, qui strenue se gerentes, tandem Polonorum potentiae cedere coacti sunt.

Prosna fluuius

Miecislaus tertius rex.

Monstrum.

Proditio.

Tyrannis.

Occupatio & incendium.

Obsidio irrita.

LANDA ad Wartam amnem, supra Coninum, Landensis Castellani sedes.

CAMENUM, Kamin, Archiepiscopi Gnesnensis arx et oppidulum, cum Quecissouo vrbecula ipsi, post *Ludovici* Hungariae et Poloniae Regis mortem, ereptum,

Camenum ereptum Archiepiscopo Gnesnensi.

Ccc ccc c eo

eo quod Masoviae Duci adhaerens *Hedwigi*, dicti Regis filiae, et haeredi se opposuerit. Prius oppidum deditione seruatum est, posterius vero vastatum. Supra Landam in Wartae fluminis margine locatum Castellano subiicitur.

COLUM oppidulum, vbi anno 1655. Sueciae Rex exercitum suum Wartham traduxit, eius mentionem fecit *Piasecius in anno* 1590.

Stauum occupatum & incensum.

STAVUM, Stauus, Stauisinum, et in typis Chorographicis Estaffischin, oppidulum inter Wartam et Prosnam fluuios, anno 1306. a *Viteno* Lithuaniae Duce subito occupatum, et ab exercitu Ordinis Teutonici anno 1331. Poloniam vastante ignis subiectione exustum.

PLESOVIA, Pleslow, oppidulum versus Posnaniensis palatinatus fines.

COSMINUM, Koschmin, in iisdem finibus oppidulum.

Andreas Lipski.

CHOCIA, in qua *Andreas Lipski* Episcopus Cracouiensis ecclesiam collegiatam, et Praepositum infulatum sumptu ingenti fundauit.

GULOCHOVIA, Chociae vicina arx, ad comites *de Lesno* pertinens, et recentiore architectura constructa.

CROTOSCHINUM, Crotosinum, Krotoschin, ad latus Chociae alterum, et Posnaniensis Satrapiae fines oppidulum recedens, *Starovolscii* tempore horto pulcherrimo fuit ornatum, et a *Rozazoviis* comitibus possidebatur.

BORECK oppidulum imagine miraculosa *B. Mariae* famosum.

ODOLANOVIA cum arce in paludibus sita.

GRABOVIA, Grabau ad Prosnam, siue Prausnam fluuium in via regia, qua Vratislauia Warsouiam itur.

Monasterium diues.

OLOBOCUM inter Grabouiam, et Calissium, ab hoc duobus milliaribus distans monasterium Monialium praediues, et pulchre in modum Castelli aedificatum.

DOBRA, et Opatouecia, oppidula in hoc Palatinatu etiam a *Starovolscio* locantur.

Situs. Diuisio. Gubernatores

SIRADIENSIS PALATINATUS terras vtramque fluenti Warthae ripam obsidentes occupat, in quatuor territoria, Siradiense, Schadkouiense, Radomscense, et Petricouiense diuisus. Eum gubernant Palatinus vnus, & Castellani quatuor, Siradiensis, Rospirensis, Spicimiriensis, & Conariensis. Olim Ducatus fuit secundogenitis Regum Poloniæ assignatus.

SIRADIA, Siratz, huius satrapiæ præcipua vrbs, in qua Palatinus Siradiensis commorari solet, Wartæ fluenti ripæ apposita, in planicie cum arce sita est. Anno 1290. a Tartaris misere vastatam, anno 1292. exusserunt Bohemi, qui arci in paludibus sitæ damnum inferre non potuerunt. *Cromerus lib.* 10. *fol.* 261. *Boreck in Chron. Bohem. fol.* 250. scribit Bohemos Siradiam occupasse, licet arx paludibus insidens diu se fortiter tutata fuerit. Cum anno 1331. Teutonici Ordinis Equites Poloniam horrendis depopulationibus deuastarent, Siradia, Vneouia, Warta, Stauus, & Schadecum cum arcibus suis omnes igne consumptæ sunt. Siradiam autem hanc ipsam anno 1447. incendium magno detrimento affecit.

Diuersa Siradiæ infortunia.

Iohannes Lascus.

LASCUM oppidum in septentrionali extremitate huius satrapiæ, vbi *Ioannes Lascus* Archiepiscopus Gnesnensis, hæres comitatus illius, Præpositum infulatum fundauit. Fratres ipsius, templi supellectilem multis donariis auxerunt.

PABIANICE, oppidulum Lasco vicinum.

SCHADECK aliud in eadem vicinia municipium.

VARTA, Warta, Wartha, oppidum sic satis grande, & multis elegantibus ædificiis instructum, ad cognominem fluuium, infra Siradiam, quod anno 1331. a Teutonici ordinis militibus cum arce incendio fœdatum, postea paulatim restauratum est.

VIDAVIA, a Varta versus ortum inter colles situm oppidulum.

PETRICOVIA,

PETRICOVIA, Peterkau, Siradia 7. milliaribus semota ciuitas, eleganter structa, in qua Regni tribunal, seu Parlamentum singulis annis celebratur hyberno, vt Lublini æstiuo, tempore, & quidem in suburbio, vbi Regia aula, & turris cernitur. Ob frequentes Episcoporum & Nobilium in hac vrbe conuentus celebratos etiam frequentia ipsorum sunt palatia & domicilia, quanquam superioribus et proximis temporibus, vt *Bertius* ait, frequens comitiorum, et conuentuum celebratio hic desierit: vnde et palatium regium extra vrbem in paludoso loco situm, quod ex ligno in nemore admodum amœno constructum, *Bugay* nuncupabatur, collapsum est. Anno 1640. ignis totam vrbem exussisse fertur.

Regium tribunal.

BYKE, arx Baronum eiusdem cognominis pulcherrime structa, et aliquot stadiis Petricouia secedens.

Arx pulchra.

VITROVIENsis Abbatia in proximo se conspiciendam exhibet.

CRUSMENSE Palatium Italica structura excitatum paulo remotius est.

RADOMSKO oppidulum a Petricouia versus occasum hybernum secedens Castellanum Radomscensem habet.

VIELUNENSIS Terra Silesiam, hunc, ac Cracouiensem palatinatum attingens Castellanum suum, et proprios magistratus agnoscit, ac in territoria duo, Vielunense, et Ostrosouiense diuiditur. Aliquot oppida, et plures pagos continet.

Situs.

Diuisio.

VIELUNIA, Velunia, Wielun, pulchris ædificiis ex lateribus compositis structa vrbs, templum Canonicorum antiquæ fabricæ in conspectum prodit, vt et monasteria aliquot elegantia, inter quæ Zloczouiense FF. Minorum de obseruantia eminet. *Augustinus Limmerus in Relat. Lipsiens. Vernali anno* 1656. *p.* 14. *et seq.* commemorat, quod Vieluniæ in vrbe ducatui Silesiæ finitima Sueci a Polonis oppressi, ac miserrime tractati sint, ac in eadem laniena ciues Euangelici, cum vxoribus, et liberis innocentibus anno 1655. misere perierint; arx vero a Suecis defensa et conseruata fuerit. *Frælichius in Viatorio suo*, Vieluniam dicit vrbem esse probe munitam, et arcis validæ tutela tutam: sed eius situm non addit. *Francofurtana relatio Autumnalis anni* 1656, Vieluniam admodum forte oppidulum in Ostreszowæ minoris Poloniæ oppiduli vicinia situm, et a Polonis in cineres redactum affirmat. Aliæ eiusdem anni 56. narrationes referunt, idem oppidulum a Ostreszovæ præsidiariis militibus Polonicis proditione captum, ac viginti in locis incensum in fauillas, et cineres abiisse.

Euangelici miserrime tractati a Polonis.

Et vrbs incensa.

BOLESLAVECIA, Boleslawiec, oppidulum, cum arce valida, ad fines Silesiæ, aliquo interuallo infra originem fluuii Prosnæ.

RAVENSIS PALATINATUS inter Siradiensem et Lenciciensem palatinatum, Piltza flumine a Sendomiriensi minoris Poloniæ palatinatu secluditur. Vnus ipsi Palatinus præpositus est, et tres Castellani tribus eiusdem territoriis imperantes, Rauensis nimirum, Sochacouiensis et Gostinensis.

Situs.

Magistratus.

RAVA huius satrapiæ metropolis, ædificiis ligneis quidem referta, sed incolis abundans, arcem muris clausam habet, in qua prouentuum e bonis regiis quarta pars militum solutioni destinata deponitur. Milites illi *Quartiani* inde dicti, et a regibus constituti, vt assiduas in Polonia, contra Barbarorum incursiones, excubias agerent. In eadem arce custodiuntur captiui hostes Regni Poloniæ, si maioris nominis et honoris personæ fuerint Collegium studiosorum in hac vrbe frequens Societatis IESU clerici habent. Ipsa ciuitas amnis cognominis fluctibus alluitur.

VIASDUM oppidum arce admodum eleganti se efferens, et ad occasum hybernum a ciuitate Raua dimotum.

Arx elegans.

RAVAMOLITZNO haud procul Rava distans oppidulum.

INOWLOCZ, Novomiasto, Barsa, et Varca, Piltzæ fluuio accumbentia oppidula.

BLONIE, quatuor milliaribus Varsauia distans ciuitas spatioso ambitu ligne-

Spaciosa & lignea ciuitas.

as, et haud magni momenti ædes complectitur. *Adrianus Romanus in theatro Vrbium pag. 260.*

SZACHISCHOVA Sochaciouiæ vicinum oppidulum aut municipium, inter Lovicium et Bloniam, in via Vratislavia Varsaviam proficiscentibus occurrit.

SOCHACIOVIA cum territorio suo Sochaciouiensi Castellano subiecta.

GOMBINUM, Gambin, Cambin, et in nonnullis tabulis Gabin in vicinia præcedentis oppidi.

Demetrius Suiscius.

GOSTINVM, nobilitatum carcere *Demetrii Suiscii* magni ducis Moscouiæ, qui hic in arce longo tempore captiuus, et tandem pedore consumptus vitam amisit.

Arx.

Eius vt & vrbis conditor.

Nundinæ.

Sniegulæ auiculæ.

Archiepiscopus Gnesnensis.

LOVICIUM, Lowicz, populosa ciuitas, ad Bsuram fluuium, Archiepiscoporum Gnesnensium sedes, quorum arx in mediis paludibus pulchris ædificiis ornatur, vbi & Canonici, & ciues nonnulli ædes suas habent. Arcem ex quadratis lapidibus in amœno admodum loco struxit *Iaroslaus*, Gnesnensis Archiepiscopus, vt & vrbem ipsam, quam natura loci satis validam arte validiorem reddidit. Latis plateis, grandibus areis & foris, pulchris hortis, templo cathedrali, argento, & sacris vestibus diuite, tribus templis parochialibus, & duobus in monasteriis totidem, & cœnobiis aliis exornatur. Nundinas quotannis famosas celebrat; vnde & ciues mercaturæ addicti, et plures opifices, ac artifices Norimbergæ vrbis incolas operibus suis artificiosis æmulantes in ipsa inueniuntur. In agro Louiciensi, in tota Polonia fertilitate nulli cedente, nobilium auicularum, quæ Sniegulæ, i. e. niuales aues, quod nonnisi sub hyemem, *Cromero* teste, capiantur, aut cum niue veniant, et abeant, nuncupari solent, frequens est aucupium. Optimi sunt saporis, ac passeres magnitudine parum excedunt, et nonnisi in his locis conspici aut capi feruntur. *Georgius Braun in 6. parte theatri urbium, in huius ciuitatis descriptione.* Curia et cæteræ ædes, in quibus iudicia exercentur, spectatu quoque dignæ sunt. Archiepiscopo, primatum Poloniæ summo, baculus præfertur, et ad mensam sedenti tympanis et tubis, præluditur, qui honos solis Regibus exhiberi solet. Anno 1655. hanc vrbem Sueci occuparunt, ac inde Varsauiam perrexerunt. 2. Aprilis sequentis anni 56. hunc districtum Poloni inuaserunt, quo tempore, aut paulo post *Israelis* Tribuni militaris legio Suecica hic commorans inopinato damno affecta est. Nonnulli vrbem hanc ad Masouiam referunt: Nos *Starovolscium* sequuti in hoc palatinatu eam locamus.

VOLBORIA, Cuiauiensis Episcopi sedes, et oppidum habitatoribus plenum, palatio pulchro ad aquas sito eminet. Skiernievicia haud inelegans Archiepiscopi Gnesnensis palatium continet.

BIALA Chelmensis antistitis ditio, vnde Radzieiovia conspicitur.

Situs.

Palatinatus Castellani.

LENCICIENSIS PALATINATUS inter Palatinatus Rauensem, Siradiensem, Calissiensem, Posnaniensem, et Cuiauiam situm suum habens tria territoria, et totidem palatinatus, Lenciciensem, Bresinensem, et Orlouiensem exhibet: quatuor item Castellanos in comitiis regni publicis locum habentes, Lenciciensem videlicet, Brezinensem, Inovlodensem, et Conariensem.

Vitenes.

LENCICIA, Lancicia, Lanschitz, Landschutz, Lendschutz, in paludibus ad amnem Bsuram amœno et plano situ locata vrbs muro et fossa circumiectis defenditur. Arx eius scopulo impoſita est, templumque Canonicorum extra vrbem sic satis remotum in loco sedet, quem ars inexpugnabilem reddere posset, si ad validum naturæ situm accederet. Vrbs ipsa nundinis celebris, et comitiis nobilium huius palatinatus in ea celebrari solitis, iudiciisque quæ in eadem peraguntur. Anno 1294 *Vitenes* Lithuaniæ Dux hanc vrbem occupatam, et expilatam incendit. Eum cum præda redeuntem *Casimirus* huius regionis dux prope Sochacouiam, vel Soschaczow, Bsuræ flumini adiacens oppidum prælio aggressus est, et haud exigua clade affecit. Sed nimio feruore in aciem mediam plus iu-

sto

sto progressus, & vita spoliatus victoriam Lithuanis cessit. Anno 1300. Bohemi hanc vrbem in potestatem suam redegerunt, vt *Boregk in Bohem. Chron.* narrat. Anno 1331. Teutonici ordinis equites potiti sunt arce, quam incenderunt. Anno 1462. post comitia celebrata ciuitas hæc fere tota in cineres incendio redacta est. Anno 1473. templum Cathedrale, cum vicinis Archiepiscopi Gnesnensis & reliquorum sacerdotum ædibus, ignis flamma pessum iuit. Eandem tunc temporis calamitatem expertæ sunt vrbeculæ Velicia, Goninum, Belsum, Chelmia, & monasterium Mogil. Calamitatem, qua anno 1606. hæc ciuitas afflicta est, discere est ex *Setho Calvisio* fol. 880. Eam in descriptione Posnaniæ superius paucis enarrauimus. *Coloniae impressa nova* 3. *Novembris* 1656. commemorant, quod *Casimirus* Poloniæ Rex 3. Octobris eiusdem anni hac vrbem obsederit, ac 14. occuparit, præsidium vero Suecicum in arcem se recipiens eam incenderit, et, templo & monialium cœnobio exceptis, tota igne conflagrauerit. Quod item Poloni, inuito rege, omnes incolas, incendii reliquias, Iudæos præcipue, quorum vltra mille perierunt, nulla sexus aut ætatis habita ratione, trucidauerint, ipsis etiam in vtero materno infantibus non parcentes, eo quod lapidibus se fortissime defenderint. Quod 16 eiusdem mensis Sueci arcem dedentes se regis gratiæ & misericordiæ submiserint.

Vrbs a Bohemis incensa, duplici incendio fœdata.

Incolarum Iudæorum calamitas.

VNIEIOVIA in Calissii & Vartæ vrbium vicinia Archiepiscopi Gnesnensis oppidum, cum arce architecturæ artificiosæ in Wartæ fluuii margine situm suum obtinens. Anno 1331. incendio exutum, ac restauratum anno 1376 Cleri Polonici conuentum celebrauit.

Archiepiscopi Gnesnensis oppida duo.

PIONTCUM eiusdem Archiepiscopi oppidum ab vna Lanciciæ parte, sicut præcedens ab altera: Monasterium habet FF. S. *Pauli* primi Eremitæ. *Pyzteck* habent nonnullæ tabulæ Chorographicæ. Forsan vnus & idem locus est, quem cereuisia optima celebrem reddit.

ORLOVIA, Bresinia, Pyzteck, Kornazew & Biechow, oppidula a *Bertio* in hac satrapia locantur: Bresiniensem Castellanatum in eadem habet *Starovolscius*, vt modo indicauimus.

SEBOTA, Sobata aliis, oppidulum aut municipium prope Bsuram fluuium, inter Lanciciam & Lowicium, prope Gostininum, & Sichlinum.

CUIAVIA maioris Poloniæ pars, palatinatibus Rauensi, Lanciciensi, Posnaniensi, Pomerania, Pomerellia & Mazouia circumscribitur. Regio frumenti, pecoris, et piscium ferax, et lacubus innumeris iisque admodum piscosis scatens. Inter hos præcipuus est Goplo, vel Goplus lacus, longitudinem suam per quinque milliaria exporrigens, et latitudine dimidium milliare metiens. Duos autem palatinatus comprehendit Brestensem, et Iunivladislauiensem.

Situs.

Qualitas.

Goplo Lacus.

Situs.

BRESTENSIS PALATINATUS Vistula, Mazouiæ termino, Rauensi, Lanciciensi, et Inniuladislauiensi palatinatibus determinatur. Regio agris fertilibus abundans omnium frugum copia affluit, non modo ad domesticam, verum etiam ea multitudine prouenientium, vt etiam secundis amnibus Dantiscum deuehantur. Caput eius est Vladislauia vrbs ad Vistulam apposita. Palatinum vnum, tres Castellanos, Brestensem, Crusuiciensem et Coualiensem in comitiorum publicorum concessu habet. Territoriis autem quatuor distinguitur, quæ sunt Brestense, Crusvicense, Coualiense, et Prædecense.

Frugum copia.

Caput.

Palatinus & Castellani.

Territoria.

VLADISLAVIA, Wladislaw, Cuiauiæ primaria vrbs, et Episcoporum Cuiauiæ et Pomerelliæ sedes, templo cathedrali veteris quidem fabricæ, sed variæ suppellectilis ac præcipue vasorum argenteorum diuite conspicua. Hoc cingitur Canonicorum ædibus, et schola iuuentuti erudiendæ destinata. Vrbs ipsa cum arce ripam Vistulæ in palustri loco insidens, ac ideo lignorum penuria laborans, domus latericias complectitur. Huc anno 1173. *Honoldus Italus* Episcopus episcopalem sedem Crusuicia transtulit. Post annum 1259. Pomerelliæ dux *Suantopelcus*

Templum

Situs.

pelcus hanc vrbem, tunc temporis a *Conrado* Masouiæ duce possessam, deleuit, et arcem Nackel occupatam muniuit: *Micraelius lib. 2, Pomer. pag. 278.* Anno 1328. ordinis Teutonici in Prussia exercitus, Dobrina arce capta, Vistulam transmisit, et primo mox impetu hanc vrbem sui iuris factam incendit. Sacerdotum vitæ quidem parcitum, sed ipsis mandatum est, vt nulla in posterum ibidem loci ædificia excitarent. Episcopatui tunc præerat *Mathias Golanzovius, Paluca* cognominatus, *Schlauonici* Burggrauii Naclensis filius, ex Topororum prosapia, cuius mater vno partu 12. filios enixa fertur, ex quibus omnibus ille solus superstes fuit, cæteris mox post partum vita functis. *Cromerus lib. 11. fol.* 288. Postea tamen nouum templum in hac vrbe priori Cathedrali simile sub arce, vt & aliud in S. Martyris *Vitalis* honorem erexit, ac præterea arcem huius vrbis, vt & Racianzenam ex lateribus construxit, & muniuit. Sunt autem duo Racianzi nomine loca nota, hic in Cuiauia, & alter in Masouia, sicut *Cromerus lib.* 9. scribit. Sunt qui hanc vrbem Cuiauiam nominent, regionem cum sua metropoli confundendo hallucinantes. Bohemos eandem 1300. etiam occupasse tradit *Boregk in Bohemicis Chronicis.*

Mathias Golanzovius.

12 filii vno partu enixi

Racianzum.

NISAVIA muro circumdatum oppidum in margine fluuii Vistulæ.

RACIENSVM, Racianzum, haud procul Nisavia arce pulcherrima superbiens oppidulum.

RADZIEIOVIA Palatini Lencicienſis arx pulcherrima, hortis, fontibus, & pomariis amœnissimis decorata.

Arces pulcherrimæ.

SLUZEVIA oppidulum.

COWALE, Cowalow, oppidulum Vistulæ proximum supra Plotzkouiam, cui Coualiensis castellanus dominatur, ab eo circumiacens territorium, vnum ex quatuor huius palatinatus, Coualiense nuncupatum est.

Covaliense territorium.

BRESTE huius palatinatus & territorii sui circumiacentis, ac castellanatus a se denominati caput, vallo, mœnibus & fossis circumseptum est oppidum, quod in hunc locum paludibus, & aquis munitiorem translatum est a Teutonico ordine, qui post trimestrem obsidionem antiquum Breste anno 1332. deditione acquisitum destruxit.

Novum & antiquum Breste.

IVNIVLADISLAVIENSIS PALATINATVS, satrapiis Brestensi, Posnaniensi Pomerania & Pomerellia arctatur. Eius territoria sunt tria, Bydgostense, Bobrovinicense, & Iuniuladislauiense, quod postremum statim a Goplo lacu & Crusuicia vsque ad Vistulam, & Pomeraniæ fines excurrit, compluribus oppidis & villis, quantumvis ligneis constratum. Palatino vni paret, & castellanis tribus, Iuniuladislauiensi, Bydgostiensi, & Couariensi.

Situs.

Territoria

Palatinus.

CRUSVICIA, Crusphicia, quam ad Brestensem palatinatum spectare, & in Iuniuladislauiensis satrapiæ finibus sitam esse *Starovolscius* dicit, alii ad hunc palatinatum referunt, accumbit lacui Goplo, qua Notesium flumen effundit. Templum S. *Petri* cum 24. canonicorum collegio, extra oppidum muris quadrato lapide constructis exsurgit. Arx laterícia sedem obtinet in insula eiusdem lacus Goplensis, ex quo mures prodierunt, qui Poloniæ Principem *Popelum*, seu *Popielum II.* in eadem arce commorantem deuorarunt. Nam olim principum habitatio in hoc loco fuit, antequam in alia loca transferretur. *Popielus senior*, Poloniæ quoque Princeps, vrbem hanc lacui dicto, hic insulam aquis suis ambienti, & paludes efficienti, apposuit. In more positum frequenter habuisse fertur, vt diris se deuouendo sibi imprecatus eam pœnam fuerit, qua a muribus cum suis deuoraretur. Imprecatio hæc iusto iudicio diuino in filio eius effectum sortita est. Nam *Popielus II.* seu iunior subditorum amore indignus, ac superbia elatus crudelitate principatum sibi conseruare studuit, atque ea de causa regnandi cupiditate inflammatus veneno consanguineos suos in conuiuio sustulit, vnde diuina vltione permittente mures ipsum consumpserunt, cum vxore & liberis, quod tempore imperatoris *Ludovici Pii* contigit, vt *Cromerus lib. 2. fol. 38.*

Templum.

Arx.

Popielus a muribus deuoratus.

Popieli crudelitas.

2. *fol.* 38. indicat. Huic aſſentiuntur & alii ſcriptores Polonici, vt *Guagninus*, *Neugebauerus* & *Herburtus*, qui annum 823. quoque notant, & duos etiam filios vna cum patre deuoratos, *Lechum* & *Popielum* nominant. Poſt horribilem principis dicti exitum, ciuis quidam Cruſuicienſis *Coſſiſconis* filius, qui *Piaſtus* nominatus vitam agelli cuiuſdam cultura, & mellificio ſuſtentabat, in eius locum princeps Poloniæ ſurrogatus eſt. Huic anno 861. fatis functo poſteri longa ſerie vsque ad *Caſimirum* II. cognomento magnum in Poloniae principatu & regno gubernando ſucceſſerunt. Dictus *Piaſtus*, a quo hodierni duces Lignicenſes & Brigenſes in Silefia quoque deſcenderunt, commorationem, & habitationem principum Poloniæ Gneſnam, in qua *Lechus* ſedem ſuam habere ſolitus eſt, reduxit. Poſt hanc vrbem Gneſnam Cruſuicia Polonicarum ciuitatum antiquiſſima cenſetur, vtpote quæ circa annum 1094. admodum populoſa adhuc fuit, ſed tunc temporis *Vladislai* Poloniæ principis, cuius filio notho *Sbigneo* patri bellum inferenti auxilium & opem tulerat, militum victorum depraedationi expoſita eſt; quæ calamitas ipſam in ſtatum eum miſerum coniecit, in quo *Cromeri* adhuc tempore verſabatur.

Piaſtus Princeps Poloniæ factus.

Poſt Gneſnam Cruſuicia antiquiſſima.

Eius miſer ſtatus. Cruſuiziæ vaſtatio.

IUNIVLADISLAVIA, Inowladislaw, Inowlocz, Cuiauiæ arx appellatur a *Cromero lib.* 9. *fol.* 230. qui *lib.* 11. tamen & ciuium huius loci meminit, dicens, quod anno 1332. deditione in poteſtatem conceſſerint Teutonici ordinis, hunc locum Inovladislaviam poſtea firmiorem reddentis, qui etiam circa 1431. Cuiauiam, & Dobrinenſem regionem longe lateque vaſtauit, ac viginti quatuor ciuitates, inter quas & hæc cum Wladislavia et Neſſouia erat, ac pluſquam mille pagos & villas diripuit, & ignis flamma deſtruxit; Neſſouiæ vero arci præſidium impoſuit.

NESSOVIA, hodie Diebaw, in litore Viſtulæ e regione Torunii, de qua *Cromerus lib.* 25. Neſſouiam oppidum Rex in Torunenſium gratiam in ſuperiorem Viſtulæ ripam tranſtulit; domus, quæ in veteris oppidi loco relictæ erant, vici ſpeciem præ ſe ferebant.

BYDGOSTIA ciuitas muro ſepta, Ieſuitarum collegio nobilis, & ſalmonum piſcatione celebris.

LESSA ad Noteſium flumen, in via Torunium Poſnania & Gneſna viatores ducente, et ab hac 8. milliaribus, ac Scharmenſelio S. dimota, vbi vt et in oppidis Plotzko, et Dobrzin, Iudæos Poloni peſſime tractarunt, qui etiam Sneniæ viginti regis Sueciæ ſatellites trucidarunt, quod anno 1656. contigit. Eiuſdem anni menſe Maio Polonicus exercitus apud oppidulum Shimm, haud longe a flumine Noteſio diſtans fuiſſe, et mox in fugam coniectus eſſe fertur a Suecis, qui inde ad oppidulum Lappeſchynum ac porro Torunium perrexerunt.

Polonorum crudelitas in Iudæos. Poloni in fugam coniecti.

PAKOSTIA, Pakoſch, vt circumſtantiæ arguunt, *Cromeri* eſt Pacoſſum, oppidulum cum arce ducis *Boleſlai Pii*, quod ciuilibus bellis anno 1258. geſtis, *Caſimirus* Siradiæ, Lenciciæ et Cuiauiæ dux occupauit. *Cromerus lib.* 9. *fol.* 230. Anno 1656. *Carolus Guſtavus Wrangel* Comes Salmenſis, regni Suecici Viceadmiralis et Suecicarum copiarum præfectus ſummus, 11 Maii anno 1656. in vrbecula Pisdry caſtra habens, ob peſtem ibi graſſantem, exercitum inde Mielſinum, Mogilnam, et Pakoſchum deduxit. Pakoſcho autem, quo 15. eiusdem menſis peruenit, Brombergam mouit, vbi Polonos coëgit, vt arce 17. dicti menſis dedita eius miſericordiæ ſe ſubiecerint. *Relatio Francofurtana* autumnalis eiuſdem anni 56. narrat, Suecos 7. Aprilis Varſavia Bloniam, 8, Mſconouiam, 9. Rauam, 10. Iezouiam, ac 12. quatuor milliaria vlterius cum exercitu ſuo perueniſſe, 13. Louicium præteriiſſe, 14. Clodowæ, 16. Wrzeſuæ, 17. Sobiſcirniæ, ac poſtea Pakoſtiæ 6. milliaribus Torunio diſtante caſtra habuiſſe, et tandem Torunium copias ſuas 18. Aprilis deduxiſſe.

Exercitus Suecicus.

Suecici exercitus iter.

STRZELCE, vbi Monialium eſt monaſterium totius Poloniæ maioris ditiſſimum, vt *Starovolſcius* tradit.

Monaſterium ditiſſimum.

SOLECIA, Solitz, quam ad Vistulam sedentem *Hennenbergerus* in Cuiauia locat, et aluminis coctione nobilem esse dicit, *fol.* 436. *expositionis maioris tabulae Chorographicae regionis Prussiae*. *Starovolscius* eandem in hac satrapia reponit. Alius typus Chorographicus eam in Pomerelliam, et quidem in Culmiam e Torunii regione transfert.

Dissensus Chorographicus.

GNIEVCOVIA, et Libouia alicuius notae loca adhuc ad hanc satrapiam a *Starovolscio* referuntur.

LITVANIA.

LITUANIÆ fines.

LITUANIA, seu MAGNUS DUCATUS LITUANIÆ, vt nuncupatur more apud Russos recepto, quos hoc titulo regionem suam nominantes Lituani sequuti sunt, Moscouiticis finibus, qua in ortum vergit, terminatur. Qua septentrioni se obuertit, iisdem Moscouiæ terminis, vt & Liuoniæ ac Semigalliæ extremitatibus finitur. Occiduis marginibus Prussiæ & Masouiæ contigua est. Meridiem versus Podlachia, Polesia, & Volhinia clauditur. Siluestris antehac, & minus culta, postquam *Sigismundi Senioris* & sequutorum Regum cura & studio ad pacem & tranquillitatem rediit, diligentiore cultura excoli cœpit, vt hodie frugum leguminumque omnis generis ferax, ac pratis, hortis, & pomariis abundans, villis, pagis, oppidis, castellis, recentiorisque fabricæ ædificiis, & palatiis, non modo in vrbibus, sed etiam extra eas refertissima sit. Fluuiis quam plurimis rigatur, & lacuum ac paludum plena piscibus variis affluit. Ingenti spatio in longitudinem diffusa a Lublinensis Palatinatus extremitate, vsque ad Liuoniæ terminos extremos longitudine sua per nonaginta milliaria Germanica excurrit; latitudine vero inter Prussiæ fines ab occasu ad Albam Russiam ab ortu extensa quadraginta & amplius milliaria metitur. Anno 1650. edita est *Historia Lithuanorum, antequam fidem Christianam amplexi sunt, auctore Alberto Wiiuk Koialowitzio Societ. Iesu Theol. & Vilnensis Vniversitatis Procancellario, quam dedicavit Casimiro Leoni Sapiehae Lithuaniae Procancellorio, Slonimensi, Luboszanensi, Volpensi, &c. Gubernatori*, ex qua sequentia descriptioni huic conuenientia doctissimus Chorographus *Martinus Zeilerus* excerpsit, & Poloniæ suæ Germanicæ inseruit.

Qualitas. Fluuii. Longitudo & latitudo.

Res Lituanorum gestæ. Lituanorum lingua. Voces.

LITUANIA cuius Heruli olim incolæ, vernacula Lituanis lingua *Lituva*, vel *Littuba* nuncupatur. Lingua hæc multis Latinis vocabulis mixta est, similemque multis Latinis, Græcisque vocibus mixtam Liuones, vel Lotavi, qui scilicet Germanica non vtuntur, in loquendo vsurpant. Voces has incolæ, qui primum hostes, postea amici Romanorum diu in Italia, & Thracia commorati sunt, cum opimis prædis domum retulerunt, ante quam Itali, de quibus inferius, in has oras venerunt. Pars autem Regionis, in qua Heruli quondam Alani dicti sedem suam habuerunt, (vt cum auctore dicto nonnulli alii opinantur) nimirum illa, quæ inter Nemenum, Vilsam, siue Neridem & Dunam fluuios interest, ac Samogitiam tangit, ab initio Alania, & sequutis temporibus Littalania, nuncupabatur, nomine deriuato a Principe *Littalano*, vel *Littuone Iuniore*, qui imperante *Valentiniano* I. vixit. Nam cum Alani ad Rhenum a Sicambris repressi, & fere deleti essent, *Littolonus* Herulorum Dux suasit, vt maturo abitu reliquiæ conseruarentur. Fugientibus igitur similes in Prussiam se contulerunt, ac a Prussis recepti mutuis matrimoniis quasi in vnum populum coaluerunt. Cum autem sine magistratibus viuerent, sæpe mutuis litibus exarserunt, donec *Veidewutus*, ex Alanis, postea Lituanis appellatis oriundus, Prussorum & Alanorum primus princeps euasit. Post eius obitum inter filios de principatu contendentes bellum est exortum. Minimum enim natu *Littalanum*, vel *Lituonem* ex Alana muliere cæterorum nouerca progenitum cæteri bello aggressi sunt. Ideo circa annum Christi 372. omnes Alanos ex Prussia in antiquas suas sedes, postea a se denominatas

Nomen. Alani in Prussiam remeant. Veidewutus. Littalanus. Alani in Patriam reuersi.

denominatas traduxit. In Samogitia, & Prussiæ parte, quæ Sambia est, *Saimo Lituonis* frater imperabat populo incolæ, qui ab initio illas terras inhabitans firmam semper amicitiam cum Lituanis coluit. Post tempus illud, & quidem 900. Christi annum, vt verisimile videtur, quingenti magni nominis Itali cum Ducibus suis, Palæmone, vel *P. Libone*, ex Columnarum prosapia oriundo, *Iuliano Dorsprungo*, *Prospero Cæsarino Columna*, *Vrsino* & *Hectore Rosis*, per mare Balthicum in lacum Curonium, ac porro ad Nemeni, vel Chroni plurimas aquas in Russia, Lituania, & Prussia collectas per duodecim ostia effundentis exitum peruenerunt, & in Samogitia, ac Lituania sedes suas fixerunt. An patria sua eiecti, aut tempestate ad Prussiæ litora compulsi fuerint, aut alia de causa hoc iter susceperint, incognitum est. Virtute & integritate sua Lituanorum animos adeo sibi conciliarunt, vt post Principis sui decessum incolæ *Palæmonem* Principatui, consensu vnanimi, præficerent. Hic Lituaniæ & Samogitiæ Dux ex hac vita discedens tres reliquit filios *Borcum, Speram,* & *Cunassum* siue *Cunam*, omnes tres ordine, quo nati fuerunt, patris in Lituaniæ & Samogitiæ Ducatu successores. Postremo duo fuere filii *Kiemus* maior natu, circa annum 1040. Lituaniæ, & *Gimbitus* minor natu, Samogitiæ Ducatum obtinuit. Ille condidit arcem Kiernow, olim Lituaniæ caput, hodie solo nomine notam. Bratslauiam quoque in Russia occupauit, ex eo tempore semper in Lituanorum potestate manentem. Senex cum liberis careret a. 1089. *Zivibundo* adolescenti ex *Iuliani Dorsprungi* posteris adoptato, filiam suam vnicam *Posatam* nuptum locauit, Lituania dotis loco addita. Hic *Zivibundus*, & *Montwilo* Samogotiæ Dux, Ducatus Nouogrodiensem, Luceoriensem, & Volodomiriensem igne & gladio vastantes, a Russis magna clade affecti sunt. Anno 1206. Lituanos Russi altera vice prælio vicerunt. Post hæc *Zivibundus* Prussis cum *Conrado* Duce Masouiæ bellum gerentibus, auxilium ferens Culmigeriam regionem *Conrado* eripuit ac Masouiam longe lateque, vt & vrbem Plociam, vastauit. Anno 1221. ex huius vitæ contubernio migrauit. Eius filius *Kukovoites*, Lituaniæ, & Samogitiæ,Dux, filium habuit Vitenem, a quo Vcianum Lituaniæ ciuitas nomen nacta est. Successit ei *Suintorogus* filius fere infans, cuius tutor erat *Ringoldus* Nouogrodensis Dux. *Erdivilus Montwilonis* Samogitiæ Ducis filius, expeditione bellica in Russiam suscepta, Nouogrodecum condidit, & primus ibi Dux factus Nouogrodiam, Brestiam, Grodnam, & Subsyluaniam, seu Podlachiam possedit, Samogitiam *Zivibundo* possidendam relinquens. Post insignem de Tartaris victoriam partam anno 1219. ex vita decedentem sequutus est *Michaël* vel *Mingailo* filius, qui post ereptam Russis Plocensem prouinciam mortuus, hæredes reliquit *Skirmundum* Nouogrodiæ, ac *Cinvilonem* Brescíensis principatus. *Skirmundus* Russos Pinsco & Turonia exegit, *Bolaklai* noui Tartarorum Principis Legatis tributum postulantibus, & magnifice tractatis, in discessu nasos, & aures scidendo auferendas curauit, ipsum illum Tartarorum Principem in prælio vita spoliauit, Mozyrum, Starodubum, Czernichouiam, Karaczouiam, & totam Seueriam hostibus extorsit, ac moriens maximam hæreditatem reliquam fecit tribus filiis *Luborto*, *Pisimundo*, & *Troynato*. *Skirmundi* frater *Cinvilo* Poloniæ Princeps filium habuit *Borysum* primum Lithuanorum principum Christianum. *Lubartus* & *Pisimundus* in prælio cum Tartaris occisi *Troynoto* fratri reliquum fecerunt cum cæteris, quas habebant possessionibus, etiam Novogrodensem Ducatum, qui eidem filium *Algimundum* præfecit, ac paulo post vitam deseruit. *Algimundum* sequutus est filius *Ringoldus* supra nominatus, *Suintorogi* tutor, *Basilius Rechvoldus*, interea Polocensem principatum in possessione habuit. Huius filia *Praxedis*, vulgo *Poroscopia* dicta, anno 1273. a *Gregorio* Papa in numerum Sanctorum relata est. Filius *Hiebus* liberis orbus Polocensibus libertatem concessit. *Ringoldus* vero iam dictus, a *Gimboto* Lithuaniæ Duce, Palæmonis nepote descendens primus magni Ducis Lithuaniæ titulum vsurpauit, ac possedit vtram-

Itali in Italiam veniunt.
Palæmon Lithuaniæ princeps.
Eius filii.
Cunæ filii.
Zivibundus Lithuaniæ Dux.
a Russis cæditur.
Culmigeriam occupat & moritur.
Kukovpites filius.
Suintorogus.
Ringoldus.
Erdivili filii.
Skirmundi res gestæ.
Filii.
Ringoldus primus magnus Lituaniæ Dux.

que Lithuaniam, Samogitiam, Curlandiam, Podlachiam, Nouogrodiam, Masouiam, Pinsciam vel Polesiam, Seueriam, & Czernichouiam, quamuis non omnes hæ

Pupillum suis bonis spoliat.

regiones ad ipsum, sed potissima earum pars ad pupillum *Suintorogum* cuius tutor erat, pertinerent, qui tandem Samogitia sibi concessa contentus esse debuit. Anno 1240. in *Ringoldi* patris locum venit filius *Mendogus*, consanguineorum suorum cæde initium faciens, & nonnisi ex fratre nepotibus *Arduido*, *Vikundo*

Mendogi crudelitas.

& *Cteuciwiloni* siue *Theophilo* parcens, quos in bellum ire iussit, in eodem prospera quoque fortuna vtentes. Etenim *Arduidus* Druciam, & Smolenskiæ partem, *Vikundus* Vitepsciam, & *Theophilus* Polociam acquisiuerunt, ac Christianorum fauorem ac beneuolentiam acquirendi causa Christianam fidem professi sunt. Hinc bellum natum, & Polociam *Mendogus* irrito conatu obsedit. *Theophilus*, qui a Græca se ad Romanam religionem contulerat, Rigensis Archiepiscopi & *Magni Livoniae*

Ethnici Christiana religione ludunt.

Magistri adiumento patruum *Mendogum* bello aggressus est; sed hic Christianam fidem amplexus, & cum sexcentis præcipuæ notæ ex suis anno 1252. baptizatus, coronam a Papa *Innocentio IV.* missam capiti imposuit. Deserta iterum reli-

Mendogus apostata.

gione Christiana, regiones Christianorum inuasit, Lublinum in Polonia deleuit, & exussit, vt & arcem Plociam in Masouia, pagosque & oppidula Prussiæ nuper excitata, ac nullius Christiani vitæ pepercit, id quod anno 1260. gestum fertur. Postea impetum fecit in Curlandiam, in finibus Prussiæ arcem Kartzovin obsidio cingens, ac auctus Curlandorum ipsorum viribus, qui a *Magno Magistro Livoniae* ad Lituanos defecerant. Ipse magister ingenti clade prostratus, cum 550 Fratri-

Crucigerorum clades.

bus crucigeris vitæ iacturam fecit. Arcibus Kartzovin & Heisburgo combustis, exercitus in Samogitiam & Prussiam deductus vehementer oppugnauit Regiomontem, aut Koningsbergam a Christianis defensam. Interea Prussi religio-

Prussi fidei Christianæ desertores.

ne Christiana deserta a *Magno Magistro* deficientes passim Christianorum templa deleuerunt, ac suppetias a Cæsare ex Imperio Romano Crucigeris fratribus missas in fugam coniecerunt. His autem erepta oppida Heilsberga, Creutzburga, Koningsberga, & Bartensteinium, ac vastata a rege *Mendogo* anno 1262 Masouia, & bona Cuiauiæ pars. Anno 63. Parnouiam in Liuonia idem destruxit, ac prope Dunamundam cum hostibus conflixit. Temporis breui inter-

Mendogus cum filiis trucidatus.

uallo post cum duobus suis filiis *Ruclio*, & *Repico* in lecto trucidatus interiit, primus & vltimus Lithuaniæ Rex, omnes suas possessiones cedens *Troynato* sororis filio Samogitiæ duci, eo quod *Mendogi* tertius filius *Volstinicius* Christianæ fidei

Troynatus.

addictus in monasterio viuebat. *Troynatus* ethnicus Masouia, & Liuonia vastatis *Theophilum* supradictum ad se accersiuit, ac vita spoliauit, eadem iterum spoliatus, cum balneum ingressus vix annum gubernationi præfuisset. In eius locum

Volstinicius.

substituerunt Lituani monachum *Volstinicium* magnum Ducem Lituaniæ, qui de patris morte vindictam sumpsit, & Poloniam, ac Masouiam vastando & depopulando magno detrimento affecit. Hinc ansa data *Boleslao Pudico* Poloniæ principi, vt

Iazyges extirpati.

Iatwieczyos, vel Iazyges, Polonorum auxiliatores, prælio fuderit, & fere cum nomine deleuerit. Pars ex rusticis ipsorum ad Lituanos fuga elapsi sunt. Pars ad religionem Christianam conuersi Poloni euaserunt. Regio autem, quam incoluerunt, hodie Subsiluania, seu Podlachia a Polonis, Russis, & Lituanis inhabitatur. *Volstinicius* vero adhuc anno 1266. Polonis haud exiguum damnum intu-

Volstinicii interitus. Suintorogus.

lit, ac tandem *Leone* duce Volodimiriæ inuitatus in Russia ex insidiis vita nudatus est. Cum ipso tota *Palaemonis* prosapia intercidit, ac ad *Iuliani Dorsprungi* posteros gubernatio rediit, *Suintorogum* supra nominatum *Vitenis* filium puta, quem tutor *Ringoldus* suo patrimonio priuauerat. Nonagesimum septimum iam agens annum, cum Liuoniæ dux magnus fieret, filium habebat vnicum, nepotes & vni-

Giermonvus.

nicum abnepotem adultum. Filius *Giermonvus*, sexagenarius fere, ipsi successit, Volhyniæ prouinciæ in Russia depopulatione, *Ciervat* vrbis exstructione, ac bellis in Polonia, Prussia, & Liuonia gestis celebris, quem anno 1257. mors abripuit.

Successe-

Successerunt ipsi filii, maior natu *Giligmus* in Lituania, & minor *Trabo* in Samogitia. Ille anno 1278. mortuus, & filius *Romundus* ipsum intra anni spacium sequutus est. Hic *Trabo* fratris hæres vix annuo spatio Lithuaniam obtinuit, ipsi fatis functo surrogatus est aut filius, aut nepos *Narimundus*, qui fratribus sedes suas in Lithuania assignauit, ac minimo eorum Podlachiam, Polonis anno 1281, iterum ereptam concessit. Hic *Troidenus* nomine eiusdem successor interfectus est baculis a sex sicariis rustico vestitu ab ipso ex balneo exeunte aliquid petere simulantibus, & subornatis a Daumundo alio ex fratribus, qui vrbe Plocia potitus a *Troideni* filio *Lauro* rursus occisus est. *Laurus* a Lithuanis ad principatum vocatus, onus illud in se recipere negauit, & commendauit *Vitenem*, Mareschallum suum, vnum ex posteris *Caesarini Columnae*, qui cum *Palaemone*, vt supra diximus, in Lithuaniam venerat. Ipse vero in monasterio vitam suam ad finem perduxit.

Eius filii. Narimundus. Troidenus. Laurus. Vitenes.

Ita *Vitenes* ex Samogitia magnus Dux Lithuaniæ factus, (quamuis diuersi principes ex priori prosapia superstites essent, & inter eos *Pelussa* in Borussia commorans & magni Ducis titulo vtens) multa & magna in Polonia & Borussia bella gessit. Hic postquam intellexisset, præcipuos primatum totius Lituaniæ a principe quodam ad nuptias inuitatos esse, eum suis, & aliquot equitibus, quos a Crucigeris fratribus impetrauerat, eo profectus noctu hospites inopinato impetu oppressit, & præter cæteros, septuaginta Lithuaniæ Primates vita priuauit, sponsumque ac sponsam cum toto gynæceo & magna præda secum Koningsbergam auexit. Infausto hoc conuiuio fere omnes magni nominis familiæ in Lituania aut perierunt, aut captiuæ abductæ sunt, & in vno loco fere tota illa regio compilata est, quandoquidem magnifico & sumptuoso apparatu quisque nuptiis interesse cupiens pretiosissima quæque secum aduexerat. De Crucigeris fratribus alius quidam *Vitenes*, Lithuanus vindictam iterum sumpsit, muliebri habitu mulierem mentiens, ac in Prussicam nauem receptus, in qua ab aliis adiutus, omnes, qui in ea erant, Prussus, & Crucigeris fratribus addictos trucidauit. Grauia bella sequuta in Borussia, Polonia & Liuonia, in quibus Crucigeri fratres Lithuanis multum quoque negotii facessiuere, adeo vt *Vitenes* ob blasphemias suas, ac facinora crudelia, anno 1311. diuinam vltionem senserit, exercitu ipsius a Crucigeris fratribus cæso, ac ipso grauiter in capite vulnerato, ita vt ægre cum duobus comitibus elapsus fuerit. Anno 1315. vltima expeditione Prussiam aggressus, cum parum profecisset, Lithuaniam repetiit, ac vitæ huius stationem deseruit, postquam 22. annos Lithuaniæ rectioni præfuisset.

Eius res gestæ. Infaustæ nuptiæ. Vitenis mors.

Filius *Gediminus* successor anno 1316, Tartarorum auxilio vsus Crucigeris fratribus bellum intulit, Russiam adortus, & diuersis victoriis potitus Volyniam occupauit, ac Seueriam intrauit: vt & anno 1322. Liuoniam. Anno 1326. Lithuani opem tulerunt Polonis cum *Woldemaro* Marchione Brandeburgensi bellum gerentibus, sequenti 27. *Olgerdus Gedimini* filius vrbem Francofurtum ad Oderam obsidione cinxit. Anno 1329. *Gediminus* in bello cum ordine Teutonico, siue Crucigeris fratribus, qui tunc temporis nuper inuentis, & apud Lithuanoa incognitis sclopetis & puluere pyrio vsi feruntur, globo traiectus, ac in vrbem suam Vilnam reductus interiit, moreque ethnico in campo *Suintovoha* rogo impositus et combustus est. Ipsius locum obtinuit filiorum natu minimus *Iawnutus*, cui depulso a fratribus Zaslaviensis Ducatus concessus est. *Olgerdus* frater, magnus Dux Lithuaniæ factus, anno 1330. Borussiam horribili vastatione deturpauit, postea felici successu cum Tartaris bellum gessit, et anno 1332. Moschis deuictis vsque ad vrbem ipsam Moscuam penetrauit. Pace cum Moschis inita a *Demetrio*, magno Duce Moschouiæ, qui Christianus Græcam religionem profitebatur, ouo Paschali variis coloribus picto donatus est. Denique vsque ad obitum suum continuis in Prussia

Gediminus. Olgerdus. Gediminus vulneratus & mortuus. Olgerdi res gestæ. Ouum paschale.

et Polonia bellis impeditus fuit, *Kiestuto* fratre strenuam ipsi semper operam nauante, ac ideo diuersis vicibus captiuo facto.

Iage'lo. Olgerdi filii.

Anno 1381. diem obiit in summa senectute constitutus, postquam filium *Iagelonem* sibi charissimum, Ducem magnum Lithuaniæ denunciasset. Cæteri ipsius filii ex duabus vxoribus, quarum altera *Vliana* Ducis Vitepsciorum filia Christianam religionem profitebatur, fuere sequentes 1. *Volodimirus* Kiiouiæ Dux, a quo *Olescko*, *Alexander* Slucensis Dux cum posteris suis oriundus. 2. *Ioannes Zedzevitus* Podoliæ Dux. 3. *Simon Languinus* Mscislauiensis Dux. 4. *Andreas Wingundus*, a quo Trubecensium Ducum progenies. 5. *Constantinus* Czernichouiæ Dux, a quo Czartoriensium Ducum stemma deriuatum 6. *Theodorus Lubartus* Sangufzkorum pater, & Kouelsciorum ac Koszycriorum ducum origo. 7. *Skirgello*. 8. *Swidrigelo*. 9. *Korybutus* familiæ Zbarasciorum et Wisniewieciorum Ducum principium. 10. *Demetrius* Koreciorum ducum pater. 11. *Vigundus*, qui Græcam religionem amplexus, *Basilius*, ac ab ea ad Romanam se conferens *Alexander* nuncupabatur, ac Seueriæ et Kiernouiæ ducatus possidebat. Kieystuti *Olgerdi* fratris sex erant filii. 1. *Vitoldus*. 2. *Patricus*. 3. *Totiwilus*, vel *Theophilus*. 4. *Sigisdus* vel *Sigismundus*. 5. *Andreos Waydasus* siue *Horbatus* et 6. *Deugothus*.

Iagellonis res gestæ.

a Kieystuto capitur, & Vitoldi intercessione liberatur.

Kieystutum vita spoliat.

Iogello Ducatus sui rectionem aggressus *Moriam* sororem *Woidiloni*, vili admodum genere orto, sed sibi percharo nuptum locauerat, quod Kieystutus patruus de tota Lithuania optime meritus ægerrime tulit. Hunc *Woidilo* vehementer criminatus est apud *Iogellonem*, qui patruum cum liberis vita spoliare constituerat. Verum *Kieystutus* patruus hoc comperiens *Iagellonem* captiuum fecit, et *Woidilonem* patibulo affigi iussit. *Vitoldus Iagellonis* optimus amicus *Kieystutum* exorauit, vt *Iagelloni* ex captiuitate dimisso vitam, et duos ducatus, inter quos Vitepcensis ad matrem pertinens, cum omni pecunia et thesauro ingenti, quem in arce Vilnensi inuenerat, donauerit. Postea *Iogello* insidiose in potestatem suam pertractum *Kieystutum* in carcere laqueo suffocari iussit. *Vitoldus* autem *Kieystuti* filius fidelitate *Annae* vxoris suæ, cui cum duabus ancillis in carcerem ire licebat, ancillæ vestitu ex captiuitate vespertino tempore euasit, et noctu per mœnia demissus, equo, quem paratum inueniebat, in Masouiam, et porro anno 1383. in Borussiam elapsus est, postea Prussorum et Samogitarum ope in Lithuaniam hostiles impetus faciens. Ideo in gratiam cum ipso redire coactus *Iagello*, Grodnam Voconiscum, et Brestiam ipsi concessit, firmaque semper post reconciliationem, amicitia inter vtrumque permansit.

Crux Christi.

Anno 1384. *Iagello* Masouiam, et Sandomiriam ingressus arcem Zauichostum industria *Radivilii*, equitatui Lithuano imperantis occupauit. Poloniam minorem vastauit, templum Calui montis expilauit, ac partem Crucis Christi inde Vilnam auexit, quod tamen remittere coactus est, eo quod damno affecti fuissent, quicunque illud attigissent, vt *Auctor noster dicti libri pag.* 381. refert, qui et *pag.* 348. de eadem Cruce Christi narrat, quod, cum Lithuani illam post *Casimiri* Poloniæ Regis obitum rapuissent, curru, cui imposita fuerat, protrahi non potuerit, atque ea de causa remissa fuerit. Post Poloniæ vastationem *Iogello* legatis ad *Hedwigom* Poloniae reginam missis ipsam vxorem expetiuit. Polonis petitio haec arrisit, non item reginæ, quæ tandem tamen consensit. *Iagello* Cracouiam veniens anno 1386. ab Archiepiscopo Gnesnensi baptizatus, *Vlodislaus* nominatus et Poloniæ Rex coronatus est. Interea eius frater *Andreas Vigundus* in Lithuania turbas mouit, et occupata Lukomia arce admodum valida, Druiam, Drissam, et Polociam, haud inuitas in potestatem suam redegit. Sed Lithuani Lukomiam recuperarunt, Mscislauiam obsidione liberarunt, et Polociam receperunt. Transmisso vero ad regem duce *Andreo Vigundo* confosso Smolenski duce *Suentoslao*, qui Vitepsiam et Orszam vrbes irrita obsidione vexauerat, et totam regionem vastauerat, ac captiuo facto eius filio *Georgio*, tota Russia ad tranquillitatem se recepit.

Iagello Reginam Poloniæ vxorem ducit. Baptizatus & Rex Poloniæ coronatus.

cepit. *Georgio* paternus Smolenſciæ principatus reſtitutus eſt, poſtquam iuramentum fidelitatis magno Duci Lithuaniæ præſtiterat. Poſt hæc rex *Iagello Vladislaus* cum regina Vilnam veniens in publicis comitiis Ethnicam idololatriam abrogauit, Vilnæ epiſcopatum erexit, in hominibus ad Chriſtianam religionem conuertendis incredibilem diligentiam adhibuit, totam Lithuaniam viſitauit, & ſubditis ſuis vernacula lingua ſacram ſcripturam expoſuit, quoniam concionatores illius linguæ periti in promptu non erant. Vilnam reuerſus ſororem *Alexandram* nuptum locauit *Semovito* Maſouiæ duci, ex quo matrimonio prodiit *Cymbarca* Auſtriæ Archiducis *Erneſti* vxor, & Cæſaris *Friderici* mater. Porro primarum Lithuaniæ conſenſu, *Skirgelanem* ſiue *Skirgailum* fratrem, Cracouiæ in baptiſmo *Caſimirum* nominatum, magno ducatui Lithuaniæ præfecit, reſeruata tamen ſibi ſumma in Lithuaniam poteſtate, ad quam, ipſo regnante, pertinebant Samogitia, Poleſia, Podlachia, Vitepſia, Polocia, Smolenſkia, Mſcislauia, Seueria, Kiouia, Volinia, & Podoliæ pars. Hæc dictus *Auctor in prima ſua parte* de Lithuania commemorat: an ſecundam partem promiſſam ediderit, nondum compertum nobis eſt.

Iagellonis ſtudium in religione Chriſti ana Lituanis inculcanda.

Alexandra eius ſoror.

Totam igitur Lithuaniam cum omnibus his regionibus *Iagello*, cum Rex crearetur, aeterno iure regno Poloniae inſeruit, *Skirgelo Caſimirus* autem ducatum magnum Lithuaniae non retinuit, ſed depoſitus eundem ceſſit *Vitoldo*, *Kieiſtuti* filio, qui a *Iagellone* defecerat, partes ſequutus Crucigerorum fratrum, et magnus dux Lithuaniae conſtitutus anno 1392. ita tamen, vt *Iagellonis* Vaſallus eſſet: quod poſt eius cum *Iagiellone* rege conciliationem factum eſt. Ægre hoc tulit *Coributhus* regis frater, Nouogrodenſium Seuerianorum Dux, Ruſſiae religioni addictus, quem in Huſſitico bello Bohemi ducem ſuum elegiſſe dicuntur. *Baſilius* Moſchoniae Dux magnus vxorem duxit filiam *Vitoldi*, cui octogenario ex vita decedenti ſucceſſit *Suidrigelo*, *Iagellonis* frater, quem expulſum ſequutus eſt *Sigiſmundus* filius *Kieiſtuti* et frater *Vitoldi*, anno 1439. a ſuis occiſus: Poſt eum ducatui huic Lithuaniae magno praefuit *Iagellonis Vladislai* filius *Caſimirus III.* qui fratri *Vladislao III.* patrem *Iagellonem* anno 1434. mortuum in regno Poloniæ ſequuto anno 1444. ſucceſſit, & bellum geſſit cum *Sigiſmundi* anteceſſoris ſui filio *Michaële*, qui anno 1452. ex vita deceſſit, quo & *Suidrigello* vitam finiuit. Poſt hunc magni duces Lithuaniæ fuerunt *Alexander* et *Sigiſmundus I*, fratres & filii *Caſimiri III.* vterque poſtea Poloniæ Rex. Cum *Sigiſmunda* ceſſauere magni Duces, quoniam Reges ſibi ipſis & titulum et ducatum retinuerunt, et proinde Lithuania a ducibus regi deſiit.

Vitoldus.

Coributhus.

Ducum Lituaniæ ſinis.

LITVANIÆ diuiſiones diuerſæ apud Auctores reperiuntur.

Chytraeus lib. 15. Saxoniae fol. 393. ſeq. Lithuaniam in 10 palatinatus, aut prouincias partitur; Fæ ſunt Vilnenſis, Trocenſis, Minſcenſis, Novogrodenſis, Breſtenſis, Volinienſis, Kiiouienſis, Mſciſlauienſis, Vitepſienſis, et Polocenſis, quarum ſatrapiarum palatinos, caſtellanos anno 1569. Rex *Sigiſmundus Auguſtus* in comitiis Lublinenſibus in vnum cum Polonis corpus redegit, et Caſtellano ſuum in Senatu Regni publico locum aſſignauit. Idem *Auctor* etiam Ruſſiæ partem deſcriptione ſua complectitur.

Diuiſio Lituaniæ Chytræi.

Abrahamus Golnitius in Geographico Compendio anno 1643. edito quatuor tantum enumerat palatinatus; Vilnenſem, in quo territoria tria, Oſmianenſe, Braslauienſe, et Vilkomirienſe; Trocenſem, in quo quatuor diſtrictus, a quatuor vrbibus ſuis primariis, Grodno, Kowno, Lida et Vpita, denominati: Mynſcenſem cum vnico ſuo territorio Reciciensi: et Nouogrodenſem cum ſuis duobus diſtrictibus Slonimenſi, et Wolkowiſkenſi.

Golnitii.

Brietius in Parallelis Geogr. tom. 2. part. 1. lib. 5. cap. 3. Lithuaniam antiquam et nouam facit. De Lithuania antiqua. Quidam, inquit, Lithuaniam dictam eſſe volunt a *Latalano* filio Regis Pruſſiæ, alii denique quaſi *la Itala* ab Italis

Brietii.

Antiqua Lituania.

Italis sub Attila fugientibus duce quodom *Palaemone;* cuius migrationis argumentum multas proferunt voces Latinas in lingua sua indigenæ: Vtrum autem hîc Gepidæ vixerint, vt Massagetae in Samogitia, ait *Æneas Sylvius*, eruditi negant. Continebat olim Lituaniam, Volhiniam, Samogitiam, Podlassiam, & Russiae particulam. Nouam Lituaniam distinguit in nouem palatinatus, qui sunt 1. Vilnensis, in quo territoria Vilnense, Osmianense, Vilkomiriense, & Bratislauiense. 2. Trocensis, in quo districtus Trocensis, Grodnensis, Cownensis, Lidensis, & Vpitiensis. 3. Minscensis. 4. Nouogrodensis cum territoriis suis, Nouogrodensi, Slonimensi, Volkouicensi, & Nefswisiensi. 5. Brestiensis, & in eo ditiones Brestensis, & Pinscensis. Hic palatinatus alio nomine Polesia quoque vocatur. 6. Kiioviensis, in quo Kiioviense, & Moserense territorium. 7. Mscislauiensis. 8. Vitepscensis, cum ditionibus Vitepscensi, & Orshensi. 9. Polocensis, ad quam Ducatus Slucensis pertinet. His adiungit palatinatus duos, Smolenscensem & Nouogrodensem Moschis ereptos a Polonis.

Nova

Starovolscii.

Starovolscius tres recenset palatinatus, nempe eos, qui semper Lituaniam constituerunt, Vilnensem, Trocensem, & Brescianensem, quam seriem hic sequemur. Caeteri enim Palatinatus, qui ad Lituaniam postea accesserunt, suis in locis inuenientur. Porro in Lithuania celebres sunt *Radzivilii*, vel *Radivilii*, Duces Olikæ Birzac, & Niesswiesiae, &c. Comites de Szydlowiec et Mir etc. et *Chodkiewicii*, comites de Sklow, et Miss, quorum potentia in hoc ducatu haud exigua est. In rebus Ecclesias, et sacrum ordinem concernentibus in Lituania caput est Episcopus Vilnensis, qui se ducem *Ivanum* scribit, et cuius iurisdictio tam late se extendit, vt nonnisi Vicarii, seu Officiales ipsius, sacris Christianis in Lituania, et AlbaRussia vsque ad Moscouiae confinia praesint et inuigilent, nullius alterius iurisdictione interueniente.

Episcopi Vilnensis iurisdictio.

Fines.

VILNENSIS PALATINATUS, a Vilna vrbe metropolitana nomen accepit. Fines eius Liuoniae, Semigalliae, Samogitiae, Trocensi palatinatui, et Albae Russiae contermini sunt. Episcopus, Palatinus, qui etiam vrbis Vilnae praefectus est, et in omnes iurisdictionem suam exercet, exceptis magistratibus, qui in consessu Parlamenti, seu tribunalis totius Lituaniae Vilnensis locum habent, et Castellanus Vilnensis publici totius regni Senatus assessores esse solent.

VILNA huius palatinatus, et magni Ducatus Lituaniae caput, ac Palatini et Episcopi sedes, quam Indigenae *Vilna*, Germani *Wilda* vocant. Vilna nomen ipsi natum a fluuio Vilna, qui apud hanc vrbem Viliae fluuii aquas sibi associat, easque secum abreptas sub Kauna, Samogitiae metropoli, in Nemenum, seu Memenum, Lituanis *Niemen*, Germanis Memel, seu Mimel appellatum fluuium, qui Chronon antiquorum esse videtur, cum suis infundit, et cum ipso in lacum Curonium per diuersa ostia properat. Spatiosa ciuitas magnitudine quidem Cracouiam non superat, sed aedificiorum splendore et magnificentia minime ipsi respondet, ex foro angustiore plateas longiores ducens, a porta nimirum Rudnicensi ad arcem inferiorem vsque. Nam duae sunt, inferior et superior, antiqui operis; quae *Starovoscii* tempore deserta iacebant: Suburbia item vasta, et infinitis casulis referta, vt et ciuitas ipsa spatioso et inordinato ambitu vt plurimum domunculas viles, humiles, ex ligno compactas, et assulis, aut tegulis ligneis tectas complectens. Nullis hae distinctae conclauibus, nullis instructae culinis, imo nec stabulis, licet pecorum et pecudum copiam grandem alant incolae. Duae, aut vt alii dicunt, aliquot paucae vrbis plateae, in quibus peregrini, praecipue autem Germani habitant, lapideis et elegantibus aedificiis superbiunt. Inferior arx, siue palatium regium, Curua appellatum, et ex lateribus eleganter constructum, satis grande spatium comprehendit. Superius, siue castellum ex iisdem lapidibus structum, ac turribus exornatum editiori loco insidet, ac sub se habet armamentarium tormentis bellicis maioribus, et omnis generis armis instructum.

Nomen. fluvii Vilna, Vilia, Memenus.

Vilnæ magnitudo.

Arces.

Domunculæ infinitæ.

ſtructum. Inferioris arcis fundamenta locauit Rex *Sigiſmundus* I. cuius filius *Sigiſmundus Auguſtus* eandem ad finem perduxit, ac inſigni Bibliotheca, omnigenis et multis libris impleta exornauit. Porro ipſius ciuitatis ſitus, ſuburbiorum præcipue, inordinatus eſt, ob infinitas ex abiegnis trabibus compactas domunculas, quae transportari, et deferri, quo quis vult, poſſunt, vt ita in plateis conſtituendis nullus certus ordo obſeruetur. Nec alicuius momenti munimentis firmata eſt ciuitas, non niſi belli tempore portas claudere ſolita, forſan incolarum multitudini et robori confidens, vnde et *Koialowicius pag. 265. Ipſa*, inquit, *incuriosa munitio contemptum hoſtium ſpirat*. Inter aedificia publica primas tenent templa, partim lapideam ſtructuram, partim ligneam oſtendentia. Praecipuum ex iis eſt Cathedrale, ſeu Epiſcopale, in S. *Stanislai* honorem erectum, et magnis reditibus donatum a *Iagellone*, ſiue *Vladislao* Rege, et conſecratum a *Bozenta* Archiepiſcopo Gneſnenſi. Primus autem Epiſcopus Vilnenſis fuit *Andreas Vaſillo*, nobilis Polonus, quem Rex dictus huic epiſcopatui praefecit. Epiſcopus Vilnenſis, vt ſupra diximus, Archiepiſcopo Leopolitano ſubiectus, omnibus imperat Ruſſiae Epiſcopis Graecae religionis addictis, ipſe tamen Catholicam religionem amplectens, quanquam Kiovienſis, Ruſſiae Metropolitanum profeſſus, hoc iuris in caeteros Ruſſiae Epiſcopos ſibi vindicare ante hac non dubitauit. In templo Cathedrali terrae mandatum eſt integrum corpus S. *Caſimiri* Poloniae principis, fratris germani *Sigiſmundi Senioris*, regis Poloniae, qui illum fratrem ſuum *Caſimirum* a Papa *Leone* X. Sanctorum catalogo inſcribi curauit. Huic eidem, tanquam auo ſuo materno, Rex *Sigismundus III* tumbam argenteam, ter mille pondo argenti continentem conficiendam dedit. Altare ſtemma argenteum, ſacellum marmore exquiſitiſſimo ornatum, ac campanam ingentem, Cracouienſi illi (cui nomen Sigiſmundus ab authore, rege *Sigiſmundo* I. magnitudine reſpondentem) quam voto promiſſam, poſt vrbem Smolenſko occupatam redux Vilnam fieri curauit. Ad eam pulſandam viginti quatuor viri robuſti requiruntur. Ieſuitae templum habent magnificum, in medio foro Italica ſtructura excitatum, quod regis *Sigiſmundi III.* munificentiae acceptum ferunt. Collegium ipſorum in platea, quae ad arcem tendit, anno 1579. à Papa *Gregorio XIII.* Vniuerſitatis titulo donatum eſt; de quo *Albertus Koialovicius Soc: Ies. frater, & eiuſdem Vniverſitatis Protancellarius in Miſcellaneis rerum ad ſtatum Eccleſiaſticum in magno Ducatu Lituaniae pertinentium legendus.* Theologiam profitentur ſex Theologi, et ſeptimus Hebraicam linguam; quatuor iurisprudentiam; quinque Philoſophiam; et ſeptem literas humaniores. Inter monaſteria eminet cœnobium Bernhardinorum lapidis cæſi ſtructura eleganti ſuperbiens. Cætera ædificia publica ſunt: Ruſſorum domus, lapidibus quoque ſtructa, in qua Ruſſi omnis generis pelles pretioſas ex Moſchouia allatas vendere ſolent; Cancellaria, Germanorum domus, Epiſcopi domicilium, Palatini habitatio, curia, & templum Græcorum, in quo Græcæ religionis ſtudioſi ſuis ritibus Diuinum cultum exercent. In plateas paſſim fontes ex vna ſcaturigine Germanorum portæ proxima deriuati ciuibus aquam, minus tamen bonam, ſubminiſtrant. Xenodochia, ac aliæ ſimiles ædes pauperum, & inopia laborantium ſuſtentationi inſeruientes, in hac vrbe adeo grandi & populoſa, nullæ inueniuntur. Reformati ſuperioribus annis templum, & gymnaſium in hac vrbe habuerunt, iiſdem priuati publico decreto comitiorum Regni, licet Græcis monaſteria ſua, & templa, cum religionis exercitio libera relicta ſint. *Nicolaus Radzivilius*, dux Olikenſis, Nieſwiecenſis, ac Palatinus Vilnenſis, qui *Sigiſmundo Auguſto* regi admodum charus & familiaris fuit, & anno Chriſti 1575. aut 66. vita functus eſt, Euangelicis exercitium religionis in palatio ſuo conceſſit, & Bibliis ex Hebraica, & Græca in Polonicam Linguam transferendis & typis exſcribendis decem florenorum millia impendit. Quatuor filios reliquit, qui fide, & religione paterna relicta ad Catholicam ſe receperunt. Ii fuere *Chriſtophorus*, *Georgius* Cardinalis,

Situs.

Firmitas.

Ædificia publica.

Cathedrale templum.

Epiſcopi Vilnenſis iurisdictio.

Corpus S. Caſimiri.

Campana ingens.

Ieſuitarum templum.

& Academia.

Cætera ædificia publica.

Xenodochia Vilnæ nulla.

Reformata religio.

Nicolaus Radzivilius.

Eius filii. dinalis, *Albertus* (qui anno 1586. *Annam, Gothardi Curlandiae Ducis filiam uxorem duxit*) & *Stanislaus. Chytraeus lib.21. Saxon. fol. 556. Lundorpius lib. 6. Contin. Sleidani pag. 695.* Dux ille *Christophorus* forsan fuit *Nicolaus Christophorus Radivilus* Dux Olikæ & Niefwietzii. S. Imperii Romani Princeps, &c. eques Hierosolymitanus, qui iter suum in terram sanctam aliquot epistolis descripsit, & propriis Lituaniæ typus. sumptibus grandem illam Lituaniæ typum geographicum, anno 1613. iterum, sed non admodum accurate impressum, ac postea in minorem formam redactum, conficiendum curauit. Cæterum variæ nationes vrbem incolunt, Lituani indige- Vrbis incolæ. næ, Poloni, Russi, Moschi, Germani, Tartari &c. qui postremi Mahometica superstitione imbuti ab eo tempore, quo vel victi huc delati, vel intestinis bellis pa- Vrbis incolæ Tartari. tria expulsi, vel contra Teutonicum ordinem in auxilium acciti, in Lituaniam venerunt, vsque ad hodiernum diem agros sibi a *Vitendo* duce magno Lituaniæ circa annum 1396. in fluminis Vacæ vel Wakæ, haud procul ab vrbe præterfluentis vicinia, concessos sedulo cultu curant, curribus suis iter facientibus prouehendis operam suam præstant, ex suis legibus viuentes honeste se gerunt, in cæteris vero rebus Regem Poloniæ superiorem agnoscunt. *Cromerus lib: 15. fol. 367.* Regio monte ex Borussia Vilnam iter facientibus, ad tertium milliare ab vrbe post horridam siluam, atque altum descensum occurrit vallis repleta pagis et vicis pluribus, vbi Tartari dicti domicilia sua habent, et altero tantum milliari ab Promiscuum Vulgus. vrbe absunt. Promiscuum vulgus crassum, vnde imperitum, ferum, et pigrum genus hominum, ac vt plurimum mancipia heros suos plurimi facientia, cum primis egregie ab ipsis fructibus dedolata. In casulis suis vilibus, et rara, eaque vili supellectile instructis homines isti habitant. Parentes, liberi, serui, ancillæ cum iumentis et pecoribus vnum conclaue fœtidum occupant; puerpera scamno incumbit, tertio, aut quarto die labores suos consuetos repetens. Lectorum passim rarus vsus, adeo vt etiam diuites, imo et Nobiles ipsi vrsinæ pelli incumbere Nobiles. non erubescant. Hi pretiosiore vestitu ab aliis distincti etiam ornamentis aureis et argenteis pluribus vti solent. Ciuibus etiam mire placent vxores suæ pulcris vestibus amictæ, et torquibus ac monilibus exornatæ. Lites, duella ac homi- Cibus & potus. cidia passim per vrbem sunt frequentia; cœci homines non infrequentes. Causa adscribitur fumo, ob caminos fumo emittendo ineptiores, et magnæ cæparum, ac alliorum, quibus visum corrumpentibus vesci frequentissime solent, copiæ, quibus accedit et cereuisiæ, medonis atque vini adusti crebra ingurgitatio. Cereuisia est admodum tenuis: Vinum magno precio emitur: pisces cari sunt, quos pauciores fluuii parui suppeditant, et magna hominum multitudo cariores reddit. Medo, siue mulsum optimi saporis, ac reliqua cuncta, quæ vitæ sustentationem con- Merces. cernunt, exiguo precio comparantur. Porro Vilna emporium totius Lituaniæ est celeberrimum negotiatione sua, regiones alias omnigenarum pellium, cinerum clauellatorum, corii, resinæ, picis, ceræ, frumenti, aliarumque mercium participes reddit; mercesque sibi necessarias recipit. In primis autem cum Moschis mercaturam insignem exercent ciues, vt iam taceam omnis generis arma, et alia, quæ ab opificibus in hac vrbe frequentibus, Germanis præcipue, conficiuntur. Ad vrbem paludibus et vliginosis tractibus circumdatam peregrini hyberno potius, quam alio tempore accedere solent, quia paludes glacie et nive obductæ aduentantes facilius admittunt, ac prætererea trahis vbique in istis regionibus itinera celerius conficiuntur. Extra portam, quæ Regis palatium, seu arcem inferiorem aspe- Domus. ctat, sita est domus Regum, Regum recreationi destinata, et dimidio ab vrbe milliari dimota, cui nomen Wersupa, h. e. iuxta aquas, quæ proximæ sunt. In viuario ipsi adiuncto animalia, et feræ plures nutriuntur. Vilnam ab vrbe Moscua ducentis milliaribus distare scribit *Olaus Magnus de gentium septentrionalium variis conditionibus &c. lib: 11. cap: 10. fol. 468.* Hactenus vrbem descripsimus. Res in vrbe gestæ. Iam de rebus in ea gestis agendum. Anno 1305. *Gedimınus* magnus Dux Lituaniæ

tuaniæ hanc vrbem inter colles, qua Vilia et Vilna fluuii aquas ſuas congerunt, vna cum ſuperiore & inferiore arce ædificare incepit; temporis progreſſu tanta incrementa ſumentem, vt hodie ad Cracouiam ipſam magnitudine prope accedat. Anno 1390. *Vitoudus*, ſiue *Vitoldus*, poſtea Lituaniæ Dux Magnus, Crucigerorum Fratrum auxilio adiutus, inferiorem arcem in vrbe ipſa ſitam obſidione cinxit, quam proditores quidam Lituani & Ruſſi incenderunt, ita vt in ea quatuordecim hominum millia peſſum iuerint. Superiorem arcem Poloni defenſione animoſa tutati ſunt. Sequente anno idem *Vitoldus* cum Crucigeris rediit: Sed præfectus vrbis *Oleſznicius* vrbem incendio deleuit, vt hoſtes in ea commorari non potuerint. Anno 1506. muro quidem, ſed non tota, circumdata eſt. A. 1513. 21. Februarii arx incendio conflagrauit (quodde ſuperiori procul dubio intelligendum). A. 1562. *Iohannes* Finlandiæ Dux, poſtea Suecіæ Rex, Vilnæ cum *Sigiſmundi Auguſti* Poloniæ Regis ſorore *Catharina* nuptias celebrauit. Anno 1571. maxima annonæ charitas, & fames horrenda vrbem, & tractus vicinos, vt et totam Ruſſiam vehementer afflixit, adeo vt in hac vrbe viginti quinque hominum millia, et in vrbe Moſcua vna nocte bis mille homines a fame ſublati fuerint. Nobilis cuiusdam frumentum tunc temporis in ſerpentes mutatum fertur. *Thomas Smith in Chronic. Zuiccavienſibus pag.* 398. Anno 1578. Rex *Stephanus* deuictis Moſchis, ex Moſchouia victor rediens, a ſcholæ diſcipulis exceptus eſt, iis triumphum ſuum celebrans, qui quaſi fructus erant ſuæ ſcholæ nuper hic inſtitutae. Nam quamuis *Valerianus* Vilnenſis Epiſcopus Ieſuitas in vrbem adduxiſſet, ac ipſis domos, bona, et alia poſſidenda conceſſiſſet, nondum tamen ſcholae ipſorum regia confirmatione, et regiis immunitatibus gaudebant, nec etiam Academiae titulo honorabantur, quem a dicto Rege acceptum Papa *Gregorius* XIII anno 1570. confirmauit, vt ſupra monuimus. *Joan. Demetr. Solikovius pag.* 123. Anno 1581. magna Vilnæ ſeditio orta eſt; eo quod Epiſcopus Lutheranorum, Caluiniſtarum & Ruſſorum libros igne exuſſit. Anno 1610. Moſchi de clade qua Smolenſcii a Polonis affecti fuerant, vindictam ſumpturi, vrbem obruerunt, ac incenderunt, adeo vt quater mille & ſepties centum ædes cum inferiore arce, ſeptem templis Catholico Romanis, & tribus reformatis in cineres redactæ fuerint: Regina Poloniæ tunc temporis ægre naui euaſit, pluribus virginibus ex gynaeceo ipſius alia naui ſubmerſis. *Sethus Calviſius in appendice huius anni fol.* 882. *b.* qui *ſequente folio* etiam narrat, quod anno 1611. circa menſis Iunii finem Pontificii, Ieſuitæ *Scargae* inſtinctu, Proteſtantium concionem in templo oppreſſerint, *Croſnovicium* S. Theol. Doctorem de ſuggeſtu in terram præcipitem dederint, vt crus fregerit, & corpore vehementer læſus fuerit, ac ſcholæ Rectorem, cæterosque eccleſiæ miniſtros adeo male tractauerint, vt ſemianimes ex templo domum delati fuerint. Anno 1644. Vilnenſes ſtudioſi maximum tumultum excitarunt, cuius ſedandi cauſa eo miſſus a Rege Generalis Maior *Oſſinſky*, vir Regi admodum charus, cum quadringentis ſclopetariis, qui cum pluribus ex ſuis militibus a furioſo ſtudioſorum cœtu interfectus eſt. *Tom. V. Theatri Europaei*, 1. *pag.* 291. *b.* Deploranda tandem eſt clades nupera, qua Moſchi hanc vrbem affecerunt, eadem expugnata potiti 29. Iulii ſtyli veteris, anno 1655. in qua expugnatione quindecim hominum millia ferro periiſſe, ac pleraque templa vaſtata fuiſſe feruntur. Miſeranda incolarum conditio, qui in florentiſſimo ſtatu verſantes, nunc ſub barbarorum iugo fero gemitibus indefinentibus miſeriam ſuam deplorant. Vrbis huius deſcriptio etiam inuenitur apud *C. Ens in delic. Apodem. per Germ. p.* 303. *Frælichium part.* 2. *Viatorii. lib.* 1. *pag.* 327. *ſeq. Chytraeum lib.* 15. *Saxon. fol.* 393. *& alios.*

In bello cum Crucigeris vrbs magno damno affecta.

Iohannis Suecіæ Regis nuptiæ. Fames horrenda.

Academiæ Vilnenſis ortus.

Seditio.

Clades a Moſchis illata.

Proteſtantes a Pontificiis male tractati.

Altera clades a Moſchis illata.

BIERZE, in finibus Lituaniae, qua Semigalliae contermina eſt, ad Duces Radziwilios pertinens oppidum, quod inter munitiſſima Lituaniae loca primas obtinere fertur. Sedes autem eſt dictorum Ducum, quorum nonnulli Catholicae, alii Reformatae religioni, addicti fuere. Anno 1614. *Mathaeus Raderus, Nicolai Radzivilii*

Matthæus Raderus.

dzivilii, Olycae & Niesviesii Ducis, S. Rom. Imperii Principis, & Palatini Vilnensis, tribus filiis *Ioanni*, *Georgio*, *Adalberto Venceslao*, & *Christophoro Nicolao*, *Radzivilis*, Viridarium suum Sanctorum inscripsit, et dedicauit. Anno 1625. Suециае Rex *Gustavus Adolphus* validum hoc oppidum et arcem Birzam, Ducis *Christophori Radzivilii* potestati subiectam, obsedit, et deditione cepit, ex eadem sexaginta tormenta bellica maiora Rigam mittens pro quibus restitutis Lituani Laudanum ipsi concesserunt. Anno 1656. quidam Dux *Radzivilius*, Lituaniae Cancellarius Magnus, Gedani, cum autumnali tempore ibi moraretur, diem obiit. *Bogislaus Radzivilus* tunc temporis apud Sueciae Regem, et Electorem Brandeburgensem commorabatur. RAOZIWISKI haud procul Birza distans, in ipsis finibus Semigalliae contiguis.

DUBINKY oppidum Ducum Radziviliorum, aliquot milliaribus supra Vilnam versus septentrionem.

Palatium magnificum.

RUDNIKUM, Rudniki oppidulum quatuor milliaribus Vilna versus Austrum dissitum, siluis cinctum, et palatium regium elegantissimum ostentans, vbi et hortus amœnus, ac viuaria feras ad venationem custodientia.

Osmianensis & Lidensis districtus.

OSMIANA oppidum, et territorii Osmianensis caput, ab oppido Rudnico recta versus ortum, ad fluuium, quem Osmianam tabulae nuncupant.

LIDA primaria districtus sui, quem Lidensis territorii nomine participem reddit, ciuitas, quam *Cromerus* arcem duodecim milliaribus Vilna seiunctam, ac alio loco, vbi cum Vilna et Troki circa annum 1433. a *Suitrigellone* exustam dicit, oppidulum nominat. *Frælichius* Lidam, Vilkomiriam, et Wolkowiskum, vel Volkoviscam, oppidula esse dicit tribunalia habentia, in quibus Nobilium causae et lites diiudicentur. Lida arcem hodie habet in scopulo sedentem.

RADOMI oppidulum in via Lublino Vilnam tendente, inter Volkowiskum et Rudnikum.

TROCENSIS PALATINATUS vnum palatinum et vnum castellanum in senatu regni publico, Senatores habet. Terra Grodnensis cum Volcouiscensi territorio huic Palatinatui, quem magnitudine longe superat, subiecta est, ac nihilominus a Magistratibus suis propriis regitur. Ab ortu et septentrione Vilnensi palatinatu, ab occasu Prussia et Podlachia, Masouiae parte, clauditur.

Fines.

Paludes frigore non congelantur.

TROCUM, Troki, Trocensis ciuitas, palatinatus huius caput, quatuor milliaribus Vilna distans, et inter paludes inaccessibiles sedens, quae frigore etiam intensissimo non plane congelantur, et fluuiolum emittunt in Wiliam, vel Viliam flumen aquas suas exonerantem, cui Bresala nomen in typo quodam geographico. Arx ejus satis munita, et parochiale templum famosum est imagine beatae Virginis miraculis clara, secundum *Starovolscium*. Conditor eius est *Gediminus*, Magnus Dux Lituaniae, qui ex Rusсico bello reuersus hanc vrbem anno 1321. condidit, et Kiouia relicta, sedem suam constituit. Postea Magnus Dux *Jagelo* cum patruo Kieystuto bellum gerens eam obsedit, et cum arce deditione cepit. Anno 1390. *Vitoldus* ex custodia *Iagellonis* elapsus, et cum *Wladislao* cognato suo, Lituaniae Magno Duce bellans, hanc vrbem incendit. Anno 1655 eandem Moschi penitus deleuerunt, et cum caeteris oppidis Mereczio, Breso, et Grodna solo aequarunt. Omnes campi cadaueribus operti erant. Femininus sexus instar bestiarum in Moscouiam abactus est. Kaunam, templo parochiali, cuius muros destruere non poterant, excepto, totam demoliti sunt. Sic refert *Augustinus Limmerus in sua Lipsiensi Relatione novi anni 1656*.

Troci conditor.

Moschi Trocum deleverunt.

Merecz, & Memenus flumina.

MERECIUM, Merecz, amœnissimi situs oppidum in via, qua viatores Grodna Vilnam ducuntur, ad confluxum Meretzii et Memeni, duorum fluminum, limpidissimas aquas vehentium. Loci amœnitate vehementer delectatus est Rex *Vladislaus IV*, vtpote in quo frequenter commorari solebat, antequam ad Regni gubernationem

bernationem admotus est, Postea quoque frequens ibidem, tandem 10. (20.) Maji anno 1648. febri, et lithiasi confectus eodem in loco vitae finem inuenit.

GRODNO, Grodna, amplissimae ditionis Grodnensis primaria ciuitas, ad fluuium Memenum, qui antiquorum Cronon, partim in monte, partim in planitie sedem habet. Paucae eius aedes contiguae aliis, et lapidibus structae, caeterae viles et ligneae. Ipsa vrbs nec mœnibus, nec propugnaculis, nec turribus custoditur. Arx editiori loco imposita Regibus tutam commorationem praestat. Eius conditor aut restaurator, Rex *Stephanus*, qui alcium, vrorum, et vrsorum similiumque ferarum maiorum venatione se oblectans hunc locum frequenter inuisebat. Incolae ad Christum nondum conuersi maximi fuere Idololatrae. Hodierno tempore, vt *Casp. Ens in deliciis Apodemicis per Germ. pag.* 202. *refert*, tria ex lapidibus structa ostendit hoc oppidum templa, quorum vnum Poloni, et reliqua duo Russi, Graecam religionem profitentes, possident, quorum adhuc duo templa in suburbiis, vnum rotundum, et ligneum, alterum ex lateribus compactum, propria sunt: Caetera templa ex ligno composita cernuntur. Campanae non in ipsis templis, sed ante introitum eorum in turri quadam, ex ligneo aedificio surgente, pendent. Arx dicta, domus regia, curia, et equile regium visu digna hic sunt aedificia, præter quae pauca alia momenti alicuius occurrunt, licet hoc oppidum post Vilnam proximum in Lituania locum obtineat. Pons ligneus Memeno impositus a Rege *Sigismundo III.* adeo affabre factus est, vt similem Polonia non habere dicatur. Sunt quoque hic nonnulla cœnobia, et collegium Iesuitarum. Anno 1283. Teutonicus Ordo, cum post subactam Prussiam, et Lituaniam adoriri inciperet, hunc tractum Grodnensem vastauit, ipsamque Grodnam, multo sanguine profuso occupauit, quam tamen Lituani recuperarunt, ac Borussi postea obsidione irrita anno 1306. cinxerunt, siquidem oppidulo expilato et incenso, obsidionem soluere coacti sunt. Anno 1577. *Stephanus* Rex comitia Grodnae celebrauit, quo aduenerunt legati Magni Ducis Moscouiae, comitatum mille et ducentorum hominum magnifico et superbo vestitu ornatorum, ac plurima dona preciosa secum adducentes. His in plano campo, iuxta vrbem assignatus est locus, in quo tentoria sua erexerunt, ex eo egredi non audentes, nisi Polono aliquo comitati. Adfuerunt & Turcarum, Tartarorum, ac Valachorum legati in diuersis locis sub dio a Polonis proceribus excepti. Anno 1586. idem Rex hic commoratus, inter suos Aulicos quoque habuit *Scotum Parmensem* celeberrimum illum artificem, qui incendio prope locum in quo commorabatur, 27. Iunii, diurno tempore, oborto, per tectum ascendit, & illud sine aqua, & vlla manuum admotione restinxit, vt vir quidam præcipuæ notæ, qui oculis suis hoc factum aspexit, in itinerario suo annotauit. Anno 1655. Moschis has regiones horrenda vastatione pessundantibus, communis calamitas hoc oppidum etiam misere prostrauit.

Arcis conditor. Templa. Campanæ. Pons ligneus. Comitia Grodnæ. Moschorum, Turcarum, Tartarorum &c. Legati. Incendium mirabiliter extinctum.

ODZIELSKO inter Grinky & Grodnam, ab hac 5. milliaribus distat.

VOLCOVISCENSIS, seu Wolkowiscensis ditio, Grodnensem sequitur, denominata a Volcovisca, seu Wolkowisca oppidulo, haud procul Grodna versus ortum sito: Hæc vt paulo supra monuimus, sub palatinatu Trocensi propriis suis magistratibus paret.

Volcouiscensis ditio.

BRESCIANENSIS vel BRESCIENSIS PALATINATUS, inter Podlachiam, Lublinensem palatinatum, Chelmense territorium, & Russiam rubram ac albam interiectus oppida plæraque lignea, & villas plures habet re pecuaria ditatas, & frugibus abundantes. Huic palatinatui adiunctus est Pinscensis districtus amplissimus, siluis plurimis obductus, & crebris paludibus immersus, piscibus, & feris abundans, frugibus non destitutus, & mel, ceram, sebum ac lupulum in Silesiam, & Dantiscum in Borussiam mittens. Totus hic districtus etiam alio nomine Podlesia vel Polesia vocatur. Proprios, tam terrestres, quam castrenses, magistratus habet.

Fines. Polesia.

BRESTE, Breſtia, Breſcia, huius palatinatus vrbs capitalis, cum arce ſcopulo impoſita, qua fluuii Bug & Muchawiecz aquarum conſociatione in vnum flumen coaleſcunt, ſitum ſuum nacta, paludibus circumeuntibus ſatis firma eſt. Extra ciuitatem palatium regium Italica ſtructura ædificatum, & amœnis hortis inſigne cernitur. Ipſa vrbs Ieſuitarum collegium & nonnulla monaſteria oſtentat. Iudæorum Synagoga hic totius Europæ famoſisſima, ad quam ex omnibus Europæ locis & regionibus Iudæi confluunt, tam ſtudiorum quam promotionum cauſa, adeo vt ex ea, tanquam ex equo Troiano, plurimi prodeant Rabbini, Synagogas patrias domum reuerſi regentes. Anno 1182. Poloniæ Princeps *Caſimirus II.* hanc vrbem, cum tota regione circumiacente, poſt duodecimum obſidionis diem in poteſtatem ſuam redegit, ac arcem ex lateribus ipſi imperantem conſtruxit. Anno 1319. *Gediminus* M. Dux Lituaniæ, *Leoni*, Luceorienſium in Ruſſia Duci, eam cum Drohicio, ſibi abſenti ab ipſo ereptam, cum tota regione Luceoria iterum eripuit. Olim & quidem eo tempore, quo *Caſimirus* eam occupauit, in Ruſſorum poteſtate fuit, ad quos poſtea redierit oportet, cum *Caſimirus Magnus* eam denuo receperit, quod ægre ferentes Lituani eam obſederunt, & deditione occuparunt. M. Ducis *Iagellonis* nuptiæ poſtea hunc locum cum tota Lituania Poloniæ regno adiunxerunt. Tenebat eum tunc temporis *Vitoudus* vel *Vitoldus*, *Iagellonis* cognatus, eodem cum Camenecia in Poleſia, et Grodna, quod Crucigreorum partes tueretur, priuatus a *Iagellone*, ipſi poſtmodum dicta loca reſtituente. Poſt *Vitoldi* deceſſum et ante *Iagellonis* obitum A. 1434. ſequutum, anno nimirum 1433. *Suitrigello*, *Iagellonis* Regis frater, Lituaniam inuaſit, et fruſtra Breſtiam obſidione circumdedit. A. 1405. Lituani comitia ſua hic celebrarunt.

Palatium Regium. Iudæorum Synagoga. *Breſtia diuerſis vicibus occupata.*

IANOVIA infra Breſtiam ad Bugum amnem.

KAMIENIECZ, Camenecia, ad Illnam, aliis Liſſnam, fluuium, in via, qua Cracouia per Breſtiam, ac hinc per Cameneciam Vilnam itur. Quidam ad Podlachiam referunt, ſed illa Podlachiæ alia eſt, quam quidam in Mazoviam transferunt.

Via Cracouia Vilnam ducens.

BIALA, Bialla vrbs ad fluuiolum, qui ſub vrbe Breſtia in Bugum ſe præcipitat. Celebris eſt palatio Ducum Radivillorum, pulcherrimo, et gymnaſio publico, ad quod, cum erigeretur, ex Academia Cracouienſi Profeſſores et Magiſtri omni diſciplinarum periti euocati fuerunt.

Palatium Radivilorum.

ROSOSIA, Roſoſo, in finibus Lublinenſis palatinatus oppidulum.

PARCOV, Parczow, oppidulum in planicie, et territorii Chelmenſis, ad quod quidam referre volunt, finibus, ad lacum quendam, Cracouia Vilnam proficiſcentibus in via occurrens, quod procul dubio eſt Parſouia *Cromeri lib. 22.* vbi aliquot conuentus hic fuiſſe ait.

COBRINIA, Voinia, et Vlodana in hoc palatinatu adhuc a *Starovolſcio* numerantur.

BEREZA, Eremitorium Carthuſianorum, quod fundauit *Leo Sapieha* Procancellarius M. D. Lituaniæ. Huic vicinæ ſunt aliquot Abbatiæ *S. Baſilii.*

PINSKUM, Pinſk, Pinſcenſis diſtrictus ampliſſimi præcipua ciuitas mercatoribus abundans, qui per Moſcouiam, Germaniam & reliquas Poloniæ regiones adiacentes inſignem mercaturam exercent, plæræque Græcam fidem amplexi, ac proprium ſuum Epiſcopum habentes, quamuis etiam Ieſuitæ ſuum in vrbe collegium habeant. In nupero cum Coſacis bello populoſa hæc ciuitas, ciuium proditione, vt *Paſtorius* refert, in Coſacorum manus incidit, a Lituanis tamen recepta, & ob perfidiam, ac exempli ſtatuendi cauſa, ferro & igne vaſtata.

Pinſcenſis diſtrictus.

In hac regione diuerſi amnes aquas ſuas ex Ruſſia rubra eductas in Przypietz, ſiue Pripetum amnem, ſub Pinſko vrbe, quisque ordine ſuo, præcipitant, & totam Poleſiam hanc, ſiue Pinſcenſem regionem crebris paludibus referciunt. Pripetus ex Poleſia oriundus eandem regionem percurrit, & infra Czernobel vrbem, atque ſupra Kyouiam vndas ſuas in Boryſthenem infundit.

Amnes & paludes Poleſiæ. *Pripetus.*

COLAINUM in Lithuania arx prima fuit ad Memenum Borussiam versus, anno 1290. occupata ab ordine Teutonico, siue Crucigeris Fratribus, sequente anno Lituaniam depopulantibus arcem dictam igne delentibus, ac arcem Iunigedia in sui iuris facientibus. E contrario Lituani Culauiam vastantes anno 1293. oppidulum Skalowitzum in Borussia in cineres redegerunt, arce tamen a Crucigeris conseruata, qui arce Mingedino in Lituania potiti, anno sequente oppidulum Romnove penitus deiecerunt, ac anno 1295. arcem Kimelos ceperunt. Vetusta loca hæc, quorum forsan vix rudera supersunt. *Antiquæ arces.*

R U S S I A.

RUSSIA est, quicquid terrarum in Europa extra Poloniam & Lithuaniam versus ortum excurrit, & Tartarorum Europæorum finibus occiduis clauditur, longitudinem suam ab ora Pocucensi ad Liuoniæ confinia per ducenta plus minus milliaria, ac latitudinem a Polonia minore versus ortum vsque ad vastos Tartarorum campos, aut Moschouiam per centum & viginti extendens. Diuiditur in Russiam albam, quæ ad magnum Ducatum Lituaniæ spectat, & Russiam rubram, quæ proprie dicitur Roxolania, & ad Poloniam pertinet. Nam tertia pars, vltra Tanaim & fontes Borysthenis posita, dicitur Russia nigra ab antiquis, a recentioribus autem vulgo Moschouia, ab vrbe & fluuio Moscua, quæ olim Sarmatia Asiatica vocabatur. Nostra autem cis Borysthenica Russia, Sarmatia Europæa, & Polonia ipsa proprie Vandalia. Tota hæc in vniuersum regio fru gum, ferarum, pecoris, piscium, & mellis copiam infinitam habet, præsertim in Podolia, vbi ex dictamno, & aliis bene olentibus herbis ac floribus ab apibus colligitur. Nobiles audaces sunt & strenui omnes, quin & agrestes ad bellum prompti, loricis, sclopetis, hastis, aliisque plurimis armis præcipue autem cuspide venatorum, & pharetra vtuntur. Hæc *Starovolscius* in genere de Russia refert. *Golnitzius* scribit, Roxolaniam quam Russiam nigram, ac paruam Ruthe niam nuncupat, cis Borysthenem sitam, partim ad Poloniam, partim vero ad magnum Ducatum Lituaniæ pertinere. Polonicam Russiam ab ortu & septentrione partim Lituanica Russia, ac inprimis Volhinia & Podoliæ parte, a meridie Transilvania, ab occasu Polonia minore terminari, ac quinque territoria complecti, Haliciense nimirum, Leopolitanum, Praemisliense, Belsense, & Chelmense. Lituanicam vero Russiam ad septentrionem inter Polocensem, & Belsensem, ad ortum inter Smolencensem, Seueriensem ducatus ac Circassios populos interesse, ad meridiem flumine Bugo a Podolia separari, & ad occasum partim minorem Poloniam, partim Masouiam attingere. Comprehendere autem palatinum Brescianensem cum vrbe Brescia ad Bugum fluuium, Volhiniam, palatinatus Kiouiensem, Mcislauiensem, ac Vitebscensem. In *Novo Atlante Iohan. Jansonii anno 1644. editi* sequentia occurrunt. Quicquid terrarum inter mare Balthicum, Livoniam, Sueciam, mare glaciale magnum, Volgam, qui & Rha, fluuium, Pontum Euxinum, Poloniam & Lituaniam interpositum est, Roxolaniæ vel Russiæ appellationem obtinet, ac parte illa, qua trans Borysthenem vsque ad mare Caspium se extendit, magni Ducis Moschouiæ imperio subiecta est; parte vero illa cis Borysthenem, territoria Leopoliense, Haliciense, Belsense, Chelmense, & Præmisliense comprehendente, & minorem Poloniam, Masouiam, Lituaniam, & Podoliam attingente, Polonici est iuris, ac ideo Polonica Russia nuncupatur. *Martinus Cromerus lib. 1. de origine & rebus gestis Polonorum* sequentia de Russis tradit: Russorum nomen per Sarmatiam longe lateque se extendit. Omnes enim terras complectitur, quæ inter sinum Venedicum, Liuoniam, Sueciam, mare glaciale, Volgam flumen, paludem Meotidem, Pontum Euxinum, Sarmaticos montes, Poloniam, Lituaniam, & Samogitiam intercurrunt. In Russicis Chronicis, quæ per

Fines. *Longitudo & Latitudo.* *Diuisio prima.* *Qualitas.* *Incolæ.* *Altera Diuisio.* *Tertia Diuisio.* *Russorum origo & res gestæ.* *Chronica Russica.*

feptingentorum annorum feriem vfque ad annum 1554. Ruſſorum res enarrant, ſequentia extare, ac Ruſſos, poſtquam Chriſtianam religionem amplexi fuerant, literis paulo ante a Bulgaris inuentis, & Græcorum literas imitantibus, vix vti demum incepiſſe, & iiſdem adhuc vti, ait. Vbi Ruſſi hodierni ſedem ſuam habent, olim Roxolani vel Roxani ſederunt. Hi, Romano imperatore *Ottone Sylvio* imperante, Mœſiam vicinam invadere cœperunt. Veriſimile autem eſt, Romanorum potentia per Gothos, Hunnos, Vandalos, Alanos, Longobardos, Parthos, Perſas & Saracenos fracta, ipſos poſtea non ſolum dictam Mœſiam, verum & Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam, & Iſtriam ſibi ſubieciſſe. Thraciam autem, & Macedoniam vehementer afflixiſſe, ac tandem Græcam linguam penitus corrupiſſe, multiſque facinoribus ſtrenuis feliciter editis Slavorum, vel Slavinorum nomen, quod honorem, & gloriam ſonat, ſibi arrogaſſe. Sic populus hic late diſperſus & incredibili incremento auctus, inſtar apum multis examinibus, ſe in terras occaſui ſolis ſubiectas effudit, (vnde fortaſſis Germanicum nomen *Wenden* ipſis impoſitum, quod ſe ad occaſum verterint, cum Germanicum vocabulum *Wenden* vertere ſignificet) atque Germaniæ partem illam, quæ a Viſtula vſque ad fluuios Salam, Albim, & Viſurgim, ac inter Carpathos montes, Danubium, & mare Germanicum ſe explicat, occupauit. Nam exhauſerant, & vacuas incolis reddiderant terras illas Gothorum, Vandalorum, Alanorum, Burgundorum, & Longobardorum bella continua, & migrationes indeſinentes, quibus ſua domicilia mutare ſoliti ſunt. Hinc occupatas illas terras Roxolani inter ſe partiti, alia induerunt nomina, quæ vel a ducibus ſuis, vel regionum & terrarum occupatarum ſitu, vel ab antiquis incolis, vel a ſuis actionibus, habitu, & veſtitu, aut aliis circumſtantiis mutuati ſunt. Cæteri, qui in patria ſua manſerunt, Roxolanorum vel Roxanorum nomen retinuerunt, quod facile poſtea in Ruſſorum & Ruſſiæ appellationem abire potuit. Quando autem Ruſſi Sarmatiam incolere cœperint, vnde venerint, et vnde ipſis hoc nomen Ruſſorum obtigerit, *Cromerus* ſe ignorare fatetur.

Roxolani. Slavorum origo. Slavi Germaniæ partem occupant. Roxolani Ruſſi vocati. Ruſſorum Principes.

Habuerunt vero Ruſſi principes ſuos quibus parebant. Ex iis fuit *Volodimirus*, qui viuus inter filios ſuos 12. maximum hunc principatum partitus eſt, *Visſeslao* natu maximo Novogrodiam, *Stanislao* Smolenſkum, *Sudislao* Pleſcouiam *Vuſſevolodo* Volodimiriam, *Poſuisdo* Volyniam, et ſic deinceps cæteris, cuique ſuam partem concedens. Poſt patris obitum anno 1001. fratribus bello inteſtino colliſis, *Stopolcus* ſiue *Suentopolcus*, Kiioviam occupauit, ac fratres *Glebum* et *Borislum*, a Ruſſis poſtea in Sanctorum numerum relatos, ex inſidiis interfecit. A fratre autem *Iaroslao*, *Viſſeslai* fratris in Nouogrodenſi principatu ſucceſſore, Kiiouienſi principatu exutus confugit ad *Boleslaum* Poloniæ Regem, qui Kyovia occupata *Iaroslaum* Novogrodam aufugere coëgit. Mentio quoque fit *Izaslai*, principis Ruſſici, qui circa annum 1074. vixiſſe fertur. Huius filii fuere *Stopolcus*, Polotzki, *Vladomirus* Smolenſki, et *Iaropolcus* Viſſegradi commoratus. Anno 1185. *Meſcislaus* Ruſſorum Princeps Haliczienſis a ſuis veneno interfectus eſt. Ipſum ſequutus eſt *Romanus* Ruſſorum Princeps, ac Wladimiriæ, et Halitziæ dux, qui anno 1205. in prælio cum Polonis occubuit. *Colomannus*, *Andreæ* Vngariæ regis filius, dum Ruſſorum principes diſcordes de Halitzienſi principatu contendebant, Polonorum permiſſu Halitzienſem principatum in poteſtatem ſuam redegit. Aduenæ et religioni Græcæ non addicti principis potentiam ægre ferentes cæteri Ruſſorum principes, *Meſcislaum*, hæreditatis iure Halitzienſem principatum ſibi arrogantem, in partes ſuas pertraxerunt, et Polonos cum Vngaris expulerunt. Quæ porro contigerint, *Cromerus fol. 185.* et ſeq. enarrat. Quamuis autem Hungari in Ruſſia nihil retinuerunt, ipſorum tamen reges ſe Galatiae ſeu Haliciae, et Lodomeriae, quam *Cromerus lib. 7. fol. 186.* Vladimiriam eſſe arbitratur, reges appellare

Bellum inter fratres. Izaslaus. Meſcislaus. Romanus. Colomannus.

appellare soliti sunt. Tunc temporis inter Russos magna potentia eminebat *Daniel*, *Romani* filius, qui per *Opissonem* Nuncium Apostolicum a Papa obtinuit titulum regium & coronam, quod pollicitus fuerat, cum suis subditis se Romano-Catholicam fidem amplexurum, et Christianas regiones contra Tartaros defensurum esse. Sed promissis non stans Tartaris & Lituanis Poloniam bello adorientibus adiumento fuit. Successit ipsi filius *Leo* sine titulo regio, qui circa annum 1280. Russiæ cum imperio præfuit. Anno 1340. Poloniæ Rex *Casimirus I.* vel *magnus* meridionalem Russiam subiugauit, & in Polonicam prouinciam redegit, cum mascula dicti *Danielis* stirps iam defiisset. Illam vero Russiæ partem, quæ Lituaniæ contigua, *Lubartus*, *Gedimini* M. Ducis Lituaniæ filius, sibi arrogauerat, quia ducis Wladimiriensis filiam vxorem duxerat, & cæteri Russiæ principes, quorum multi, in discordia & paupertate viuentes facili negotio debellari potuerant. Reliqua Russia, in qua Halicia, et Leopolis sitæ sunt, venit in potestatem *Boleslai* Masouiæ principis ex Russica femina nati, quem Russi veneno propinato de medio sustulerunt. Hac occasione *Casimirus Magnus* Poloniae Rex, qui sibi in Russiam ius arrogabat totam illam regionem, & vrbes omnes, Leopolim, Praemisliam, Sanocum, Haliciam, Trebovuliam, Lubassoviam, Tustanum et caeteras in oris istis, Cremeneciam vsque, sibi subiecit, ac postremum hunc locum, cum territoriis Wladimiriensi, Luceoriensi, Belsensi, Chelmensi, & arcibus in Volinia, & Podlassia Litauniae Ducibus affinibus suis ad tempus concessit. Hoc pacto Russiae in Polonicam prouinciam redactae palatini, castellani, praefecti, iudices, aliique magistratus Polonico more impositi sunt, vt eodem cum Polonis iure Russi vterentur. His omnibus anno 1349. adhuc accesserunt Wladimiria, Chelma, Brescia, et reliquæ vrbes, quae nondum subiectae erant. Russiae tamen principibus voluntaria deditione se submittentibus rex reliquit ea, quae possidebant, ac praecipuis tantum locis Polonos praefecit. Hoc tamen Russis in postremis locis modo nominatis, & Lituanis admodum displicebat, adeo vt Polonis inde excedendum fuerit. Nec Hungaris arridebat, quod idem rex Podoliae compos factus fuerat: qui, pacto cum *Ludovico* Hungariae rege inito, circa annum 1363. amissam illam Russiae partem recepit. Ipso autem anno 1370. mortuo, Masouii, siue Masuri, et Lituani Polonis aliquot iterum loca ademerunt. Eius tamen successor *Ludovicus* Vngariæ & Poloniæ Rex ea de causa in Russia anno 1376. bellum gessit, post cuius obitum a Lituanis Volhiniam sibi attribuentibus multa loca recuperata fuerunt, quæ tamen matrimonio reginæ *Hedwigis* cum *Iagelone* M. Duce Lituaniæ, & sequentibus transactionibus et pactis diuersis ad Poloniam redierunt, quod supra de Lituaniae rebus prolixe commemorauimus. Tunc temporis proprio suo Duci *Suentoslao* obediebant Smolenscenses, quibus Lituani, qui cum Polonis *Suentoslaum* occiderant, huius filium *Georgium* præfecerunt. Verum hoc postea in Vngariam fuga elapso, et ibidem mortuo, Smolenscensis Ducatus Magno Ducatui Lituaniae adiunctus est. Circa idem tempus Kiouiam tenebat Russus quidam dux *Andreas*, cuius filia *Zonca* anno 1422. regi *Vladislao* nupsit. Huius regis filius Rex *Casimirus* III. postmodum anno 1471. Lituanorum suasu, hunc ducatum in Polonicam prouinciam mutauit, licet vltimus Kioviae dux *Simon Olelcovitius* filium & filiam impuberes relictos regi moribundus commendauerit, ac ipsius ducis frater *Michaël* adhuc in viuis esset. Sequutis temporibus maximam albæ Russiae partem Moschi, *Michaëlis Glinski* Russi principis cuiusdam proditione, Russorum ipsorum perfidia adiuti, Lituanis & Polonis extorserunt. Solus *Ioannes*, M. Dux Moschoviae plus quam 70. arcibus & castellis potitus est, vt *Cromerus lib. 30. fol.* 668. scribit. Eius filius *Basilius*, vrbem Smolenscum occupauit, adiutus ab eodem *Glinski*, cui postea debita mercede proditionem suam compensauit. Annis vero proximis non solum Russiæ albae partem maximam, verum etiam ipsam Lituaniae metropolim Vilnam in suam potestatem Moschi

Daniel Russorum, Rex.

Leo filius.

Russia in Polonorum potestatem redacta.

Boleslaus Masoviæ Princeps.

Ludovicus Hungariæ & Poloniæ Rex.

Moschi Russiæ Albæ magnam partem Podoliæ etiam occuparunt.

redegerunt, id quod in recenti adhuc hominum memoria versatur. Haec in genere de Russia tota sufficiant: Ad particulares regionum descriptiones nos conferentes *Starovolscii* partitionem sequimur, primo RUSSIAM RUBRAM, postea RUSSIAM ALBAM describendo illustrantes.

RUSSIA RUBRA.

Nomina

Fines.

Diviso.

RUSSIA RUBRA ab argilla ruffa, aliter nigra, quia siluis obtecta, et meridionalis, si cum Moschouia compareturr, parua item, circumdatur ad austrum Vngaria, Moldavia, ad Eurum Scythiae desertis, et Moschouia, ad Aquilonem alba Russia, a qua Pripetio flumine disiungitur, et ad Zephyrum Polonia minore, a qua Visloca et Vepro fluminibus separatur. Melle, et lacte affluens regio amplissimos palatinatus, Russiae propriae sic dictae, Volhyniae, Belzae, Podoliae, Bratislauiae ac Kiouiae, et terras Chelmensem, et Halicensem complexu suo comprehendit. Tres posteriores palatinatus, vulgo VKRAINA vno nomine appellati, campos plurimos olim desertos comprehendebant, qui postremorum regum insigni studio et cura, et hominibus et pagis impleti, et multis oppidis ac castellis ac munitionibus firmati sunt, Kiouiensis cumprimis et Braslaviensis, qui vterque magna hominum multitudine repleti hodierno tempore cultissimi inueniuntur.

VKRAINA.

RUSSIÆ PALATINATUS meridiem spectans Transiluaniae et Walachaie, ortum inspiciens eidem Walachiae, Podoliae, Volhiniae et Belsensi palatinatui, septentrionem intuens terrae Chelmensi, et occasum respiciens, Poloniae minori confinis est. Senatores ad comitia regni publici ablegat Archiepiscopum Leopoliensem, Episcopum Praemisliensem, Episcopum Kiouiensem, et castellanos quatuor, Leopoliensem, Praemisliensem, Haliciensem, et Sanocensem. In tot enim territoria seu castellanatus aut districtus diuiditur, qui sunt Leopoliensis, Praemisliensis, Haliciensis, Sanocensis, qui ordine sequuntur.

Fines.

Senatores.

Diviso.

I. DISTRICTUS LEOPOLIENSIS.

DISTRICTUS LEOPOLIENSIS septentrionalis terminus est terra Chelmensis, orientalis palatinatus Belsensis, et Volinia citerior meridionalis districtus, et occidentalis districtus Praemisliensis et Polonia minor.

Fines,

LEOPOLIS huius districtus princeps ciuitas, a Germanis *Reussisch Leuenburg*, vel *Lemburg* nominata, inter colles et montes hic quasi conglobatos sub gradu latitud. 49. et longitudinis 46. secundum *Starovolscium*, sub gradu vero latitudinis 49, et scrup. 53. ac longitud. 77. scr. 43. secundum *novissimum Ukrainæ typum Dantisci a Wilhelmo Hondio Regio Chalcographo an.* 1650. editum, situm habet. Quidam hanc vrbem *Ptolomæi* Carrodonum esse, ac Bastarnas ipsam inhabitasse arbitrantur. Populosa et grandis ciuitas ac emptorium celebre, Polonis *Lwow* quoque nominatum, accumbit Peltew fluuiolo, ex montibus circumiacentibus erumpente, et ab occasu versus ortum aquas suas deductas ad Buscum oppidum in Bugum fluuium effundente. Sedes est Archiepiscopi Catholico Romani, et duorum Episcopornm, Russici et Armeni. Archiepiscopo subiecti sunt Episcopi Præmisliensis, Chelmensis, Camenecensis, Vladimiriensis, Luceoriensis, Cerecensis et Kiouiensis. Arces duæ, vna intra mœnia, altera extra illa in monte edito, ad decimum etiam milliare inde remotis, tempestate sereniore, conspicua, vt et fossa profunda, secundum nonnullos duplex, mutusque multis turribus firmatus ipsam ab incursu hostium tutam præstant. Portis duabus, Cracouiensi versus septentrionem, et Haliciensi meridiem spectante patet. In suburbiis duobus vltra 1500. ædes, et diuersarum Religionum templa inueniri aiunt. Horti in vrbe & extra eam amœni, et vineæ nonnullæ, vix quotannis 100. dolia vini, non vsque adeo

Peltew fluvius.

Archiepiscopus.

Arces

adeo boni, reddentes. Riui alii eam, vt et piscinæ frequentes cingunt, et cum dicto fluuiolo Peltew magnam luciorum, carpionum, percarum, gobiorum, et aliorum piscium fluuiatilium copiam ingentemque suppeditant. Lucii & carpiones sale conspersi Lembergenses pisces vocantur. Taceo hic ingentem piscium multitudinem, qui sale conditi hyberno tempore vndique ex Russia in ciuitates, ac præcipue in hanc vrbem, nundinarum cumprimis tempore, conuehuntur, ac postmodum per totam Poloniam distribuuntur. Abundat enim Russia piscinis ingentibus, et stagnis arte manuque factis, quæ pisces omnis generis pinguissimos nutriunt, sale condiendos, cum omnes ob multitudinem recentes comedi non possint. Montes vicini marmor, gypsum, et alabastrum pulcherrimum vrbi sufficiunt. In ipsa vrbe templa occurrunt magnifica. Templum cathedrale *B. Virginis* versus meridiem sumptuosa structura superbiens mitram episcopalem ingentis precii gemmis exornatam custodit. Proximum est collegium Canonicorum, cum gymnasio, in quo Professores Cracouia euocati humaniores literas docent. Nam Iesuitæ, Franciscani, Carmelitæ, Bernardini, aliique, studia theologica et philosophica tractant. Templum S. crucis versus ortum adiunctum habet sub arce situm cœnobium Minoritarum S. *Francisci*. *Starovolscius* meminit FF. Minorum de obseruantia extra muros, qui sibi magnificentissimum templum exstruxerunt, in quo ad altare maius sepulchrum suum habet *Joannes Duclensis*, miraculis clarus, vt ipsi dicunt. An iidem sint Fratres hi et priores, ignoro. In septentrionali vrbis plaga monasterium S. *Dominici* cernitur, cui nullum in Polonia præferendum aiunt. Iesuitæ collegium habent, et in templo suo casulam custodiunt gemmis totam, atque lapidibus pretiosis variegatam, et aliquot myriades florenorum æstimatam. Templa pleraque vestibus sacris, atque vasis argenteis, aureisque abundant. Sic Dominicani, Franciscani, Carmelitæ, Bernardini, Iesuitæ, et alii sua cœnobia in vrbe habent. Iudæi in parte orientali vrbis commorantes in duabus synagogis suo more cultui diuino vacant. In eadem parte et nonnulli Russi habitantes pulcherrimum templum lapide a turri exsurgens possident. Armenii versus septentrionem etiam grandi & pulchro templo ad peragendum cultum suum diuinum vtuntur. Hi, qui linguam loquuntur Turcicæ consentaneam, regio decreto, quoad ciuilem statum cum Catholicis in eodem gradu positi sunt, licet in religione ab ipsis dissentiant. Ita tradit *Solikovius*, olim huius loci Archiepiscopus. Contra nulli ex Protestantibus in hac ciuitate ciuitatis ius conceditur, quibus etii se vehementer opponunt, qui Græcorum, aut Armeniorum religionem profitentur, aut Iudæorum synagogæ adhærent. Imo in ciuium numerum vix alius nisi Catholicus admittitur. Forum vrbis amplissimum, in quo omnis generis merces copia ingenti venales prostant. Aduentant autem quotidie magno numero mercatores Germani, Hungari, Moldaui, Armenii, Turcæ et Tartari. In primis vero plurimi interesse solent famosis nundinis, quæ quotannis pro festo S. *Agnetis* celebrantur. Turcici mercatores plerique ex Græcia oriundi, quotannis 500. dolia plus minus vini Maluatici aduehunt. Toti vero Poloniæ hæc ciuitas de sericeis pannis, holoserico, pretiosis tapetibus, aromatibus, et aliis eiusmodi pretiosis mercibus, vt et cera et melle, prospicere solet. Vinum ex Hungaria et Moldauia allatum magni constat: Ideo ciues medone, aut mulso, quod optimi saporis hic conficitur, contenti sunt. Ad latus fori orientem solem spectans videre est Archiepiscopi eleganti structura se efferens palatium, curia, siue domus iudiciorum, pulchra et alta turri conspicua est, armamentarium grande, et armorum copia instructum: Grandes item et spaciosæ ædes, in quibus campanæ et tormenta illa maiora bellica ex aere funduntur. Granarium publicum omnis generis frumento refertum. Typographia multorum librorum editione celebris. Incolae ex variis nationibus commixti. Opifices Germani, Itali et Poloni plurimi. Anno 1280. *Lescus Niger* Poloniae Princeps, Russis, Tartaris, et Lituanis, qui

Riui & Piscinæ.

Piscium copia

Russia piscinis abundat.

Templa.

Ioh. Duclensis

Iudæi.

Armenii.

Protestantes.

Nundinæ. Merces.

Ædificia publica.

Poloniam vaſtauerant, deuictis Ruſſiam inuaſit, eamque vsque ad hanc vrbem vaſtauit. Vixit tunc temporis *Danielis* Regis Ruſſiae, qui Armenios Leopolim euocaſſe fertur, filius *Leo*, a quo hunc Polonorum impetum fugiente, et in poſteriorem Ruſſiam ſe conferente, vrbem hanc extructam et denominatam putat *Cromerus*. Nominis origo veriſimilis eſſe poteſt. Conditorem autem *Leonem* fuiſſe vrbis, quae ante ipſum extitiſſe ex multis circumſtantiis colligitur, in dubium venit, vt coniiciendum ſit, eum dictam vrbem renouaſſe, reſtauraſſe, aut firmiorem reddidiſſe. Anno 1340. *Caſimirus II.* Magnus cognomento eam occupauit, & vtramque arcem ligneam igne deleuit, ne Ruſſi illis confiſi ſe rurſus opponerent. Ruſſi ſe dedentes Græcæ religionis exercendæ libertatem obtinuerunt. In vtraque arce magna vis auri, argenti, lapidum pretioſorum, veſtium ſumptuoſarum & magni precii ſupellectilis reperta eſt, vt & Ruſſiæ Ducis theſaurus, in quo duæ cruces aureæ plurimis lapidibus pretioſis ornatæ, & duæ coronæ, ſella, & veſtis erant, plurimo auro, & lapidibus pretioſis multis diſtentæ. Omnem hunc theſaurum *Caſimirus* in Poloniam ſecum auexit; Ex crucibus vero altera, cui fruſtum Crucis *Chriſti* inſertum fertur, nuperrimis adhuc temporibus in cathedrali templo Cracouiæ oſtendebatur. Arces dictas poſtea Rex idem de nouo erectas, & lapidibus conſtructas præſidio Polonico firmauit, quas Lituani anno 1350. aggredi non audebant, circum iacentem tantum regionem ferro & igne vaſtantes. Anno 1361. *Chriſtinus* equeſtris ordinis, primus Archiepiſcopus Leopolienſis conſecratus eſt in Regis præſentia ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, vt docet *Cromerus lib. 12.* et *fol. 330. lib. 13.* ſibi ipſi contradicens, quod anno 1376. epiſcopi loco Archiepiſcopum conſtitutum affirmet. Fieri autem poteſt, vt primo Epiſcopus anno dicto 1361, ac poſtea, cum plures Epiſcopi Romani paſſim in Ruſſia conſtituerentur, Epiſcopi Leopolienſis loco Archiepiſcopus ordinatus fuerit. Anno 1362. magna fames vrbem diuexauit. Anno 1524 Turcæ & Tartari eam fruſtra obſederunt. Rex *Stephanus*, qui anno 1586. mortuus eſt, Senatum in vrbe conſtituit quadraginta Senatoribus conſtantem, eique cum magiſtratu Regio de magni momenti rebus ciuitatem concernentibus, omnium ciuium nomine conſultandi poteſtatem dedit, In eo viginti ſunt ex mercatoribus & totidem ex opificum numero. Anno 1648. *Chmielnicius* Coſacorum Dux trecentis millibus militum hanc vrbem circumdedit. Ciues aliquot dierum defenſione ſtrenua ſe tutati ſunt. Interea arce a Coſacis occupata, cum militibus carentes tantæ violentiæ reſiſtere non poſſent, & annona indies ipſis deeſſe inciperet, auro & argento ipſum Ducem ſedarunt, vt ſoluta obſidione cum exercitu diſceſſerit. Hoc pacto ciuitas ab interitu imminente conſeruata eſt.

Daniel Ruſſiæ Rex. Leo filius. — *Nominis huius vrbis origo.* — *A Caſimiro vrbs occupata.* — *Theſaurus ingens.* — *Primus Archiepiſcopus Leopolienſis.* — *Senatus Vrbis.* — *Coſaci.*

IANOWO oppidum haud procul Leopoli verſus occaſum, inter hanc & Iaworow in via, quæ Leopoli Iaroſlauiam tendit.

IAWOROW in eadem via oppidum inter Ianowo & Iaroslauiam.

IAVORISVIA apud *Starovolſcium* celebris thermarum ſcaturigine, in pago Sclovia dicto ebulliente, vtili ad curandos varios morbos, de qua librum edidit *Sixtus Leopolienſis Medicus*. Forſan hæc cum præcedente vna & eadem eſſe poteſt. *(Thermæ.)*

GLINIANI, vel Glinianum oppidum, circa quod anno 1648. Polonicus exercitus ſub *Dominico* Duce Oſtrogienſi imperatore ſummo, *Nicolao* Duce Oſtrogienſi, & *Alexandro Koniecpolſcio*, Regni vexillifero ſummo, contra *Bogdanum Chmielnicium* congregatus eſt. Poſt mortem *Sigiſmundi Auguſti* Regis, Ruſſiæ & Podoliæ Palatini, & Caſtellani, cum tota nobilitate Roxolana hic conuentum habuerunt. Anno 1649. Rex *Caſimirus*, etiam huc venit. *(Exercitus Polonicus.)*

BIALYKAMIEN oppidulum ad Bugum flumen, quod hic ex quatuor fluuiolis aquas ſuas colligit, atque ita originem ſuam ex hoc diſtrictu Leopolienſi ducit. *(Bugi fl. Origo.)*

SASOW

SASOW ad alterum dictorum fluuiolorum intermediorum ſedens, & a præcedente verſus ortum diſcedens oppidulum.

ZLOCZOVIA, Soloczow a priore verſus meridiem conuerſum, et meridionali ex illis fluminibus accumbens oppidulum.

ZBOROVIA, Zeborow, Zborow, in Vkrainæ typo Danniſcano, oppidum cum arce ſex circiter milliaribus Zbaraſio, ſiue Zbaras in Podolia, quo dictus typus hunc locum refert, diſtans. Cum anno 1649. Tartari, et Coſaci Polonorum caſtra ad Zbaraſium dictum circumſediſſent, Rex *Caſimirus* cum exercitu ſuo Lublino Zborouiam venit, et cum hoſtibus conflixit, qui decem millia ex ſuis amiſerunt, præter nouem millia ex vulneratis, qui poſtea mortui ſunt, ac pace cum Rege inita, diſceſſerunt. *Ioachimus Paſtorius* rem ita commemorat. Polonicus exercitus Zbaraſii, quod oppidulum cum arce Ducum Viſnioveciorum vetuſta eſt hæreditas, caſtra habebat. Ea mox circumſederunt Tartarorum *Chamus*, et Coſacorum Dux *Chmielnicius*. VISNIOVECIUS Dux Zbaraſii ſtrenue ſe geſſit, et *Alexander Koniecpolſcius* Regni vexillifer crebris eruptionibus hoſtes diuexauit, vnicus autem Ieſuita *Muchavezius* iaculandi admodum peritus, ducentos plus minus hoſtes ex arcis porta transfixit. Tandem in caſtris fame oborta Poloni carne equina aliisque cibis, a quibus natura abhorret, veſci cogebantur. Quinta poſt obſidionem cœptam ſeptimana Rex Zborouiam aduentans cum hoſtibus regium exercitum adorientibus conflixit, ac poſtea ad *Chamum* Tartarorum literas dedit, ac ab ipſo reſponſum accepit, vt et a *Chmielnicio*, qui poſt pacem ſequutam Regi reconciliatus, ipſum etiam inuiſit. Abducto hoſtili exercitu, Rex Glinianum, et Leopolim reuerſus eſt. Hæc loca eadem cum Starouolſcii locis nominatis eſſe, et *Ieremiam Michaëlem de Koributh*, Viſniouiecii, et Lubnæ Ducem, Ruſſiæ Palatinum, et Leopolienſis vrbis præfectum, anno 1651. febri acuta extinctum in illa egregia edidiſſe, docte ex circumſtantiis periſſimus Chorographus *Martinus Zeilerus* auguratur.

Polonicus exercitus obſeſſus.

DANILOW, oppidulum haud longe a finibus Podoliæ inter duo modo dicta loca.

IEZIERNA oppidum munitum cum arce haud procul a præcedente verſus meridiem.

GRODECIA oppidulum.

COMARNA oppidulum.

ZOLKVIA oppidum cum arce pulcherrima, atque hortis amœnis, temploque vario marmore exornato.

II. DISTRICTUS PRÆMISLIENSIS.

DISTRICTUS PRÆMISLIENSIS ab ortu Leopolienſem, a meridie Sanocenſem & Halicienſem diſtrictus vicinos habet: Ab occaſu Poloniam minorem & a ſeptentrione terram Chelmenſem attingit. Caſtellis nobilium munitioribus, muriſque & propugnaculis firmioribus, ob frequentes Tartarorum incurſiones, refertus eſt.

Fines.

PRÆMISLIA huius diſtrictus capitalis ciuitas & duorum Epiſcoporum Catholico Romani & Græcanici, ſeu Ruſſici ſedes, in ſolo admodum fertili accumbit Sano fluuio, ex Carpathis montibus haud procul a Teiſſæ fluminis ſcaturigine erumpenti, & prope Sendomiriam in Viſtulam aquas ſuas inuehenti, cuius beneficio incolæ merces ſuas præcipue vero frumentum, & ſalem, qui hic artificioſe coquitur, commode in Poloniam & Pruſſiam mittere ſolent. Nundinæ enim in hac vrbe quotannis celebres fiunt, ac mercaturæ ciues dediti ſunt. Regia arx ſupra vrbem editiori loco inſidet, ac validis muris, et turribus munita eſt. In ipſa vrbe ſe ſpectanda offerunt templum parochiale, Franciſcanorum, Dominicanorum, et

Sanus fluuius

Arx.

aliorum cœnobia, Iesuitarum collegium, curia sumptuose ædificata. Priuatæ quoque ædes passim per vrbem pulchris et elegantibus suis structuris ipsi haud exiguum ornamentum conciliant. Anno 1069. *Boleslaus* Poloniæ Rex diuitem, et omnium rerum copia affluentem hanc vrbem quarto die obsidionis expugnauit, ac militibus diripiendam concessit. Russi in arce aqua destituti, et peste afflicti, eam tandem dedere coacti sunt, vita sola, et iis seruatis, quæ exportare secum poterant. Anno 1498. *Stephanus* Walachiæ Palatinus eandem vrbem diripuit, et igne vastauit. Hæc calamitas tunc temporis etiam finitimas vrbes, Iaroslauiam, Radiminum, Prævorscum, cæteraque huius regionis oppidula, et infinitos pagos, direptionibus et incendiis prostrauit, adeo vt Walachi, Turcæ, et Tartari plus quam centena hominum millia, prædam incredibilem, et maximam copiam pecorum ac pecudum secum abduxisse ferantur. *Piasecius* ad annum 1599. narrat, quod plurimi populi Germanici in Moldauia, Kumaria, et Russia Polonica, præcipue circa Præmisliam, et Sanocum, innumerabiles pagos inhabitent, in bellis capti et huc translati, qui lingua Germanica vtantur, et moribus antiquis viuant. Anno 1623. Tartari Radiminum, Suinicam, Lovao, et cætera oppidula ac pagos Præmisliæ vicinos, Leopolim vsque, incendiis horrendis vastarunt. Præmisliam a Suecis anno 1656. occupatam falso eiusdem anni relatio quædam sparsit.

(Margin: A Polonis vrbs direpta. — Et a Walachis. — Germani multi circa Præmisliam. — Præmisliæ districtus a Tartaris vastatus.)

IAROSLAVIA, Iaroslaw, celebre, amœnum et grande emporium, cuius arcem ab ortu Sanus fluuius alluit. Famosæ in toto regno Poloniæ pro festo Assumptionis *B. Mariæ Virginis* hic quotannis nundinæ celebrari solent, vbi e Perside, Constantinopoli, Venetiis, Moschouia, Germania, Hungaria, cæterisque regionibus finitimis, merces apportatæ venduntur, cumprimis vero amplius quadraginta millia boum, et medium tantum equorum, vt *Starovolscius* de suo tempore commemorat. Iesuitæ collegium in vrbe ac extra vrbem domicilium suum habent: Virgines vero Vestales cœnobium regia plane munificentia extructum. *Piasecius* scribit, singulis in Augusto medio nundinas hic celebrari, quæ post Francofurtenses proximam celebritatis famam in tota Europa obtineant. Anno 1625. ipso S. *Bartholomæi* die noctu incendium ex quatuor diuersis locis erumpens totam vrbem, plurimis ædificiis ligneis refertam, in cineres redegit, adeo vt plus quam trecenti homines igne perierint, et damnum mercibus factum decem florenorum millionibus æstimatum fuerit. Vrbs post incendium ædificiis restaurata a Suecis anno 1656. occupata fertur.

(Margin: Nundinæ celebres. — Incendium horrendum. — Damnum ingens.)

CRASICINUM recentioris fabricæ palatium ad Sanum fluuium, vno aut altero milliari a Præmislia.

PRÆVORSCIA, Przeworsk oppidulum ad latus Iaroslauiæ, versus occasum.

PROCHNIKUM castellum munitum inter Iaroslauiam et Præmisliam.

LANCUTUM magnifice structis templis, palatio insigni, munitionibus sic satis firmis, & amœnis hortis a *Stanislao Lubomirskio*, palatino Cracouiensi, instructum, aliis Landhut, Landshut vel Lanzut dicitur. Quædam relatio 24. milliaribus Cracouia distare, & á Suecicæ militiæ præfecto *Comite Duglassio* anno 1656. mense Februario vacuum repertum esse ait.

FULSTINIA, Fulstin & Dombrovilia duo oppida vicina, & a Leopoli versus ortum remota.

BIALOBOKI, Sosnicia, Dombrova, Vherce, Laski, arces sunt, & castella nobilium contra Tartarorum incursiones munita.

VISNIA, Zidaczovia, Moscisk, Dubiecia, Canczuga, sunt huius districtus oppida.

SAMBORIA pulcherrimum Minoritarum monasterium habens oppidum.

RESOVIA arce eleganti, monasteriis, & nundinis pro festo S. *Alberti* annuis, nobilitata, lacticiniorum item, & linteaminum affluentia celebris. Totum hunc tractum incolunt Germani, capti in bello a *Casimiro magno* Poloniæ rege, et e Saxonia

(Margin: Germani incolæ.)

xonia cum liberis et vxoribus in hanc oram deducti. Pecorum et linteaminum studiosi lacticinia et linteamina, nundinarum tempore, in vicinis oppidis, et maxime Resoviæ et Iaroslaviæ, diuendere solent.

III. DISTRICTUS HALICIENSIS.

DISTRICTUS HALICIENSIS Walachiæ, et Transiluaniæ ad meridiem, Podoliæ ad ortum, Belzensi et Leopoliensi palatinatui ad septentrionem, et Præmisliensi ac Sanocensi ad occasum vicinus est. Secatur autem in duas partes a celerrimi cursus fluuio Tyra, qui Niester vulgo nuncupatus ex Carpathis montibus vulgo, Carpąck, Vngariam, et Russiam diuidentibus oriundus, medio hoc districtu pererrato, Walachiam a palatinatu Podoliensi, et Bratislauiensi seiungit, ac iuxta Turcicam vrbem Akiermam, vel Biellogród in mare nigrum, vel Pontum Euxinum se infert. Pars huius districtus meridionalis ad dextram dicti fluuii decurrentis ripam vulgari nomine POCVCIA vocatur, et vndique montibus a Walachia, et Transiluania seiungitur.

Fines. Tyras vel Niester fluuius. Pocucia.

HALICIA, Halitz, magni olim nominis, et primaria regni Haliciensis, non Russiæ, quæ tota olim in plures ducatus diuisa proprios duces habebat, inter quas primi et quasi monarchiam tenentes erant duces Kiiovienses. Incumbit dextræ ripæ supra dicti fluminis decurrentis, munita, vt et arx ipsa, quamuis nulla antiquæ magnitudinis, et dignitatis vestigia nunc ostentet. Ciues agriculturæ dediti de mercatura exerçenda parum laborant. Apud hanc vrbem pagi sunt nonnulli, in quibus ex puteis profundis aquam haustam incolæ in salem partim in farinam minutissimam, partim in frusta, aut massas excoquunt. Idem fit in pluribus aliis huius Russicæ satrapiæ locis, nempe apud Riboticios, Dobrimiliam, Samboriam, et Solum, cui a sale etiam nomen inditum. In desertis quoque campis Vkrainæ, vlterioris Podoliæ, nimirum prope Borysthenem lacus cuiusdam aqua sereno et ardente sole in salem concrescit, quo circumiacentes accolæ vtuntur. Priscis illis temporibus duces suos habuit Halicia, quorum vnus *Mescislaus* filius sororis Poloniæ principis *Casimiri I.* quem Russi anno 1185. veneno interfecerunt, post cuius obitum Hungari dolose Halicia potiti sunt. Sed Poloni arcem recuperatam Russis anno 1188. restituerunt. *Romanus* Haliciæ et Volodomiriae dux, caeteris Russiæ principibus aut eiectis, aut deuictis, postea solus toti Russiae imperauit, ac anno 1205. in praelio cum Polonis vitae iacturam fecit. Post eius obitum *Colomannus*, *Andreae* Vngariæ Regis filius, & maritus *Salomeae*, sororis *Lesci Albi* Poloniæ ducis, Polonorum conniuentia dotem accepit ducatum Haliciensem, de quo inter Russiæ principes contentio orta fuerat. Hi tamen, peregrini imperium fastidientes, ac Græcanicæ suæ religionis iacturam metuentes in partes suas pertraxerunt *Mescislaum*, sibi hæreditario iure eundem ducatum arrogantem, ac insigni victoria Vngaros & Polonos prostrauerunt. *Colomannus* in arce Haliciensi diu obsessus, ac tandem fame ac siti ad deditionem coactus, totum annum cum vxore *Salomea* in captiuitate detentus fuit, donec patris *Andreae* rogatu dimissus fuerit, ea tamen conditione, vt regis *Andreae* filius natu maximus Mescislai filiam *Mariam* vxorem duceret, ac *Mescislaus* *Colomanno* post trium annorum decursum Haliciam restitueret. Restituta Halicia *Colomannus* exactus est a *Daniele*, Romani filio, iterum tamen a patre in Haliciae ducatum repositus, in quo, cum vix triennium pacifice vixisset, aut veneno, aut morbo extinctus Haliciam, belli occasionem Russis reliquit. Ab illo tempore Hungariae reges, Russia amissa, sunt vsi titulo regum Galatiae, vel Haliciae, vbi *Colomannum* coronatum nonnulli volunt, & Lodomeriae (forsan Valadimiriae ita corrupte nominantes.) Postea hic ducatus in Polonorum potestatem peruenit, vt in generali de Russiae ducatu narratione supra monuimus. Anno 1353. *Lubartus*

Situs. Ciues. Sales ex coctio. Haliciæ Duces. Colomannus.

barius Volhyniae dux hanc vrbem inopinata oppresſione cepit, diripuit, ac incendit.

Vrbes cis flumen Tyram reliquae:

IUROVIA, Iurow, oppidulum munitum haud procul a dicto flumine.

KACZOWICE infra Iuroviam flumini propius admotum oppidum, & munitionibus firmatum.

Tria loca munita.

MARTINOVIA, Martinowa, Martinow, duobus prioribus inferius oppidum munimentis ſuis ſiniſtrae fluminis dicti ripae incumbens; adeo, vt hic tria loca munita, Haliciam verſus, recta quaſi linea deſcendant, ac vltimum ipſi flumini appoſitum ſit.

OUCZE, Vſcie *Starovolſcio*, infra Haliciam propugnaculis firmatum oppidum ad amnem Tyram.

Krepiecz fluv.

MONASTER, Monaſterzis, ea *Starovolſcio* oppidum munitum in finibus Podoliae, quam auctor laudatus huc refert, *Typus* vero *Vkrainae Gedani vulgatus* in Podolia locat: In ripa fluuii Krepiecz, vel Kropiecz, qui aliquo ſpatio infra Vſciam Tyrae, ſeu Nieſter fluuio, miſcetur.

Lipa fluvius.

PODHAIECIA, Podhaice, muris & propugnaculis ſe defendens oppidum, in eiusdem fluuii ripa intervallo modico ſupra praecedens oppidum.

BRZEZANYA, Brezanum, ad fluuium Lipam ex Leopolienſi diſtrictu deſcendentem, & infra Vſciam Tirae flumini aquas ſuas affundentem, ciuitas populoſa, cum templo pulchro & palatio ſplendido, atque ſatis firmo.

ZAVALOVIA, Zawalow, arx & oppidum operibus bellicis ſatis firmis ſibi patrocinans, in modo dicti fluminis margine aliquot infra Brezanum milliaribus.

KOVLCZEKY arx munita ad fluuiolum inde Vſciam decurrentem, et in Tyram ſe praecipitantem.

KAKOLNICK oppidulum, arce, & aliis munimentis impetui militari reſiſtens, & ripae cuiusdam fluuioli inter Zaualoviam et Buczaviam impoſitum.

Lipa czarne fluvius.

BVCZAVIA, Boczowce oppidum, arce et aliis munimentis ſeptum, & ſitum, qua Lipaczarne fluuiolus alium ſiniſtro aluei ſui margine recipit, eum ſecum abreptum infra Haliciam cum vndis ſuis in Tyram praecipitans.

Vrbes trans flumen Tyram caeterae:

Fines.

Pocucia.

Pars haec Halicienſis tractus, quae inter dextram defluentis Tyrae marginem, et Walachiam verſus ortum et meridem, Tranſiluaniam verſus occaſum hybernum, diſtrictum Sanocenſem verſus occaſum, ac Praemislienſem verſus ſeptentrionem, intereſt, vulgari nomine POKVCIA nominatur, diuerſis hinc inde oppidis et arcibus munitis firmata, et fluentis nonnullis riuulisque haud paucis, ex Carpathiis montibus ſe effundentibus rigata. Praecipuus eſt Pruth, vel Prutus fluuius, qui ex dictorum montium loco quodam, *Czere Hory* appellato, ſcaturiens, montibus cincto, defluit, ac Dobrilouiam veniens ab occaſu ſe in ortum flectit, ſub Snyatino Czeremoczam fluuium ſuſcipit ex Walachia deſcendentem, & ex duobus fluuiolis collectum, quorum vni Biale Czeremocze, alteri Czerna Czeremocze, i. e. albo & nigro Czeremocze, nomen eſt. A fontibus ſuis vſque ad exitum in Prutum, Walachiam & Pocuciam alueo ſuo diuidit, ac in ſuarum ſocietatem admittit. *Cromerus*, *Mercator*, & alii, Hieraſum antiquorum, & Geraſum *Ammiani* faciunt ex Pruto, quem *Lazius* Seret fluuium interpretatur. Porata *Herodoti*, & Poritus *Ptolomaei*, quoad ſitum Pruto magis conuenire videntur.

Czeremocze fluvius.

Hieraſus.

Boves, cera, mel, equi.

SNIATYNVM, in Pruti ſiniſtro margine, Pocuciæ caput, & emporium ſatis frequens, in quo Walachi plurimos boues, ceræ mellisque copiam, ac nobiliſſimos equos diuendere ſolent.

ZABLOTOVIA, Zabletow, arx aut locus munitus in eiusdem fluminis ripa ſiniſtra ſupra Sniatynum.

COLONIA

COLONIA, Kolomey, in eodem latere eiusdem fluuii delabentis, inter Zablotouiam, & Dobriloviam situm habens, ciuitas, in qua excoquitur vis magna salis, qui vbique in Polonia, Russia, & Lituania venalis prostare solet. Salis copia.

DOBRILOVIA, Dobrilow, suprema in dicto margine memorati fluminis sub Carpathi montibus ciuitas munita, quam *Starovolscius* Dobrovedam appellare videtur.

MORCZA oppidum munitum ad amnem Bistris, Dobrilovia versus septentrionem abeunti occurrit. Duo hic vnius nominis flumina se offerunt, vtrumque ex Carpathi iugis emergens. Ad horum occidentalius sedet dictum oppidum paulo infra fluuioli Sagewæ in sinistrum eius marginem introitum. Bistris fluv.

TICZEMENICZE oppidulum cum arce paulò supra fluuioli cuiusdam in fluuium Bistris orientaliorem influxum, qui orientalior Bistris occidentaliore supra *Iesupol* se iungens, infra eundem locum & Haliciam Tyræ accedit. In Tyram fluens.

PLOMACZE oppidulum munitum a præcedente versus ortum paruo spacio remouetur, & ad concursum sedet duorum fluuiorum, qui in Tyram vno alueo descendunt.

IESVPOL, Iesupolis, oppidum munitum cum arce in sinistra Bistris fluenti ripa. Hoc a *Starovolscio* ad Podoliam refertur, cum in Pocucia tamen sedeat.

KALVSZA oppidulum munitionibus firmum ad fluuioli cuiusdam Sifeka, fluuiolo haud longe remoto, latus sinistrum.

WOINLOWIA, Wointlow, oppidum munimentis militaribus circumdatum, & in dextra Sifekæ fluuioli, paruo inde spacio in Tyram illabentis, ripa situm. Sifeka fluvius.

ZARNOWNO in districtus Sanocensis finibus, & fluminis Tyræ dextra ripa situm oppidum, quod munitionibus satis firmis defenditur.

IV. DISTRICTUS SANOCENSIS.

DISTRICTVS SANOCENSIS ad austrum Transiluania, ad eurum Haliciensi, ad boream Præmisliensi districtu, & ad zephyrum Polonia minore septus est. Hinc collibus passim obsitus, sed versus Crosnam ciuitatem planicie aliqua se explicat. Fines. Qualitas.

SANOCVM huius territorii Sanocensis prima ciuitas, Crosna quidem titulotenus superior, sed ciuilitate et ciuium frequentia inferior, arcem tamen haud contemnendam habet, ac Sani fluuii ripæ incumbit.

CROSNA in hoc tractu fere principalior vrbs, et emporium ab Vngaris mercatoribus frequenter visitatum. Hi, quamuis passim merces et vina sua in oppidis submontanæ regionis deponant, huc tamen veteri consuetudine vt plurimum aduehunt. Hinc ciues hic paulo ditiores, quam in aliis oppidis, ac nundinæ longe celebriores esse solent. Vngari Mercatores.

RIMANOVIA in Poloniæ maioris, et quidem palatinatus Cracouiensis, finibus.

BROZOVIA, Prozzow, oppidum munitum.

DINOVIA ad Sanum etiam firmum oppidum.

LESKO itidem munitionibus se defendens oppidum. De his oppidulis *Starovolscius*; *Indies*, inquit, *ob metum Tartarorum munitiones suas firmiores faciunt.*

BELZENSIS PALATINATVS terram Chelmensem etiam complectens, occiduis finibus palatinatui Lublinensi in Polonia minore, meridionalibus Præmisliensi, & Leopoliensi districtibus, orientalibus Volhiniæ citeriori, et borealibus Brescianensi palatinatui in Lituania vicinus est. Duos Senatores habet, palatinum et castellanum Belzensem, ac diuiditur in quatuor territoria, quorum cuivis a præcipua sua vrbe nomen impositum est. Ea sunt Belzense, Buscense, Chorodlense, & Grabowiecense. Fines. Senatores. Territoria.

BELZA, Belz, primarium huius palatinatus oppidum, ſpacio parvo a Bugi fluminis ſiniſtro latere recedens, ac Palatini & Caſtellani ſedes, munitionibus bellicis ſatis firmatum. *Cromerus lib.* 13. *pag.* 330. ſcribit, quod anno 1376. Vngariæ, et Poloniæ Rex *Ludouicus*, in Ruſſia bellum gerens, Belzum, Chelmam, Graboveciam, et Sevoloſſum occupauerit.

DOBROFORT oppidulum ad dextrum Bugi fluminis latus.

XAMIONKA ad eiuſdem fluenti ſiniſtrum marginem inter Dobrofort & Buſcium.

BUSCIUM, Buſcum, territorii Buſcenſis caput ad Bugi ſiniſtram, qua fluviolo Poltew, ab vrbe Leopoli accurrenti, recipiendo ſe aperit. *Jodocus Ludovicus Decius, Regis Poloniae Sigiſmundi I. Secretarius, de vetuſtatibus Polonorum lib.* 3. *fol* 113. commemorat, quod anno 1516. Tartari Ruſſiam maximo damno affecerint, quinquaginta hominum plus minus millia in ſeruitutem abduxerint, & contra morem ſuum vrbem Buſcium occupare tentauerint, eo quod forſan æſtiuo tempore paludes vrbem cingentes exſiccatæ fuiſſent, licet conatu irrito poſt accenſa ſuburbia diſcedere, & vrbem miſſam facere coacti ſint.

Poltew fluv.

Tartari.

OLESCUM, Oleſko, oppidulum munitum ad paludem quandam. Morte *Ludovici* Vngariæ & Poloniæ Regis obitu divulgato, arces Ruſſicas, Cremeneciam, Oleſcum, Grodum, Lopatinum, & Sniatynum, cum ſuis ditionibus Vngarorum præfectorum proditione in Lituanorum poteſtatem incidiſſe, & Lituanos Volyniam ſibi vindicare incepiſſe, commemorat *Cromerus lib.* 14. *fol.* 337. Totus hic tractus pluribus ſiluis veſtitus, & diuerſis fluuiolis peruius, cum oppidulis ſequentibus a *Starovolſcio* ad Voliniam, ſed a *Dantiſcano Ukrainae typo*, iam aliquoties laudato, ad hunc palatinatum refertur.

Lituani arces proditione occuparunt.

PODORCE, vel Parnaſſe, aut Podhorcenſe palatium, cum hortis, & aquæ ductibus egregiis, Oleſco verſus ortum parua diſtantia ſeparatum.

Palatium.

PODKAMIENIE oppidum ad ſcaturiginem fluuioli cuiuſdam, quorum tres hic in hoc tractu confluentes Irwam fluuium in Volyniam dimittunt.

Irwa fl.

PRENIATYNUM, aliud a priore verſus ſeptentrionem Volyniæ fines attingens, et Brody vicinum.

BRODY in palude ſedens, et ortui hyberno obuerſa extremitate eius marginem tantum attingens oppidum *Stanislaus Koniecpolſcius*, Caſtellanus Cracovienſis, et exercitus Polonici Dux ſupremus, inſigni fortalitio, eccleſia collegiata, et gymnaſio publico decorauit.

TOPOROW aliquo interuallo a priore verſus occaſum ſeiuncta ciuitas.

TICZOWICZE fortalitium Belzo verſus occaſum æſtiuum diſtans.

KRILOVIA, Krilow, ciuitas ad Bugi fluuii ſiniſtrum latus.

CHELMENSIS Diſtrictus inter Lublinenſem ſatrapiam, et Lituaniæ confinia, Volhyniam verſus ortum reſpicit. In duo territoria diuiditur, Chelmenſe et Craſnoſtauienſe, ac duos Senatores, Epiſcopum, et Caſtellanum Chelmenſem ad ſenatum et comitia regni publica ablegat.

CHELMA, Chelm, huius diſtrictus præcipua ciuitas, duos habet epiſcopos, vnum Catholico-Romanum, cuius ſedes Craſnoſtauiam tranſlata eſt, & alterum Ruſſum, qui Chelmæ manſit, ac templum ſuum cathedrale ibidem retinuit.

DUBNO & Horodlo, Chelma verſus ortum remotæ duæ ciuitates, in ſiniſtro Bugi amnis margine, quarum illa inferiorem, hæc ſuperiorem locum obtinet.

TERIATIN, Uchan, Woislawicze, inter Bugum & Veprum amnes vicina oppidula. Uchaniæ *Nicolaus Danielowicz* Regni Poloniæ theſaurarios magnificentiſſimum templum ſtruxit: ibidem palatium, et horti amœniſſimi viſuntur.

SAWIN, Chelma verſus occaſum æſtiuum dimotum oppidulum.

CRASNOSTAVIA ſiniſtro Vepro aſſidens ciuitas, ac Chelmenſis Epiſcopi ſedes, cum recentioris architecturæ palatio, et arce. Hic Archiducem *Maximilianum*

Archidux Maximilianus captus.

anum a Poloniæ proceribus nonnullis Regem electum, Zamoiscius Cancellarius regni summus cum exercitu suo prostrauit, ipsumque captiuum in huius vrbis arce detinuit. Exercitu Polonico a Cosacis et Tartaris anno 1647. Zbarauiæ obsesso, Rex *Johannes Casimirus* 18. Iulii Lublino Crasnostoviam, inde Taporouiam, et Bialocaminum, porro 13. Augusti Zloczewo, siue Seloczouiam, et Zborouiam 6. milliaribus ab hostium castris absentem, ac vno et dimidio circiter milliari Jeziorna distantem, castra movit.

Expeditio belli Regis Ioannis Casimiri.

ZAMOSCIUM, Zamoście, quam *sexta pars Theatri vrbium Georgii Braun, & David Froelichius in sua Viatoria* ad Poloniam minorem, *Typus quidam Chorographicus* ad nigram Russiam proxime fines Poloniæ minoris, et *Nicolaus Iansson in suis Tabul. Geogr.* ad Leopoliensem palatinatum referunt, in Chelmensi palatinatu rectius locatur. *Georgius Douza in suo Itinerario Constantinopolitano, in dicto theatro vrbium citato* ad Patrem *Douzam* scribit, se Camenecia Leopolim, inde Belzam, vbi Nobilium Russiæ curia iudicialis, ac porro Zamoscium profectum, a conditore huius nouæ vrbis *Johanne Zamoscio*, supremo regni Poloniæ Cancellario, et summo totius exercitus Polonici præfecto, alienæ religioni quidem addicto, humanissime tamen exceptum fuisse. Magni nominis Cancellarius hic *Stephanum* Transylvaniæ palatinum, et *Sigismundum III.* Suecum, ad regnum promouit, ac ex ipsis fundamentis in loco admodum salubri, quem haud procul a fluento Vepro hæreditarium possidebat, et in planicie admodum amœna hanc vrbem plane nouam excitauit, muris, vallis, et propugnaculis muniuit, ac nouum Zomoscium appellauit, vt a veteri Zamoscia distingueretur, arce nimirum, quæ huic prosapiæ nomen dedit, & ab eodem Cancellario etiam probe munita, & elegantibus ædificiis iam antehac exornata fuerat. In hac autem noua ciuitate pulchrum & artificiosum, quibus Decanus infulatus præpositus est. Hoc elegantissimis picturis exornatum, & opulentissima supellectile instructum ingentibus reditibus annuis locupletauit. Instituit quoque Academiam, euocatis Cracouia Theologis, Iurisconsultis, Medicis, ac liberalium artium Doctoribus eruditissimis, hoc pacto non solum Zamoscium suum, verum etiam Russiam totam Musarum spendore illustrans. Ciuibus porro insignia priuilegia, & immunitates fere nobilium immunitatibus æquales largitus est, eosque a vectigalibus, quæ aliis ciuitatibus imposita sunt, omni tempore immunes & liberos præstitit, præterea iurisdictione sua hæreditaria, qua vrbem sibi deuinctam tenebat, voluntaria abdicatione se ac omnes suos posteros nudauit, ac eam Regio iudicio supremo, æterna iuris libertate deuinxit, adeo vt quater singulis annis iudicium tale hic celebretur, ad quod aliæ ciuitates legatos suos mittunt. Est quoque in hac vrbe ab ipso instituta domus pignorum, siue oppignorationis, vulgo *Mons Pietatis* appellata, & certa summa pecuniæ locupletata, eum in finem, vt sinistro aliquo casu ciuibus ad paupertatem redactis, aliisque pauperibus auxilium ferri queat. Ideo diuersarum, ac variarum nationum homines, Poloni, Græci, Armeni, Hispani, Germani, & Itali magno numero in hanc vrbem confluxerunt, ac eam populosam reddiderunt. Habet templa S. Thomæ, S. Crucis, Armenium, & Russicum. Item Collegium, Arcem, Bursam, Gieldam, Curiam in foro maiori, & Armamentarium instructissimum: Portas quoque tres; Lublinensem, Leopoliensem, & Ienowitzensem. *Johannis Ianfonii novus Atlas* eam octo propugnaculis grandibus firmatum, & vallo admodum crasso, profundisque fossis cinctam refert. *Catharina Ostrogia*, *Thomae Zamoscii* in Cancellariatu supremo successoris paterni vxor, collegio aliud collegium et seminarium adiunxit, ac Professorum, et Canonicorum numerum auxit. Plurima loca circa hanc vrbem pulchris hortis, piscium diuitibus piscinis, ac officinis ferrariis abundantia reperiuntur. *Johannes Zamoscius* post obitum Radiuilæ vxoris suæ, Regis *Stephani* fratris *Christophori Bathori* filiam *Christinam* vxorem duxit, ac post huius ex hac vita

Zamoscius Zagraphicus conditor.

Verus Zamoscia.

Templum.

Academia.

Immunitates & priuilegia.

Domus pignorum.

Portæ.

Catharina Osthogia.

vita decessum matrimonio sibi iunxit anno 1592. *Barbaram*, *Stanislai* Tarnouii Comitis filiam, ex qua *Thomam* filium modo dictum suscepit. Diem suum obiit 3. Iunii anno 1605. cum aliquot diebus iam ætatis annum 63. viuendo superasset. *Thomas* filius et successor 5. Ianuarii anno 1630. vitam finiuit. Quos hæredes reliquerit, nobis non constat. *Johannes Zamoscius* anno 1651. adfuit prælio cum Tartaris et Cosacis commisso. Cosacorum summus Præfectus *Bogdanus Chmielnicius* plus quam totum mensem Zamoscium obsidione graui arctauit, nihil tamen proficiens, ob virilem nobilitatis Rusficæ, quæ in hanc vrbem securitatis causa confluxerat, defensionem, et frigus hybernum, quod ingruebat. Anno 1656. huius loci possessor Suecis eundem tradidisse falso ferebatur, cum Sueci aliquot globis igneis in vrbem coniectis mox abiisse constet.

Thomas Zamoscius. Iohannes Zamoscius. Cosaci Zamoscium frustra obsederunt. Sueci.

SCEBRESINUM, Sczebrzeszin ad Veprum amnem inter Krasnobrodiam et Krasnostauiam Zamoscio versus ortum distans, ea in sinistro amnis latere sita ciuitas.

KRASNOBRODIA ad idem eiusdem fluenti latus, supra præcedentem ciuitas.

Vepri fl. origo

THOMASZOVIA ciuitas sita, qua Veprus, siue Wieprz fluuius, ex terra emergit.

LASCZOWKA ciuitas supra Thomasouiam versus meridiem. Loca hæc fere omnia ad Zamosciorum prosapiam pertinent.

ROZANA, Ulodauia reliquæ huius Chelmensis districtus ciuitates, vt et Grabouia, et Tamogrodia.

Regionis qualitas.

PODOLIÆ PALATINATUS indesinentibus Barbarorum incursibus diuexatus, et multis præliis famosus, cum Italiæ et Vngariæ regionibus paria si non facturus, tamen vbertate et diuitiis ipsis non cessurus esset, si pacem optatam inquietissimorum Barbarorum vicinitas, et rapacitas non inuideret. Marmora diuersorum colorum, et alabastrum diuersis in locis subministrat. Boues, et equi Podolici in longe dissitis regionibus diuenditi regionis felicem vbertatem testantur. Bogus fluuius huius palatinatus finis septentrionalis, qui nonnullis Hypanis, aliis Axiacus est antiquorum, in hoc palatinatu, haud procul Basiiia Volhyniæ vrbe, paulo supra Czerne Ostro oppidulum ex scaturigine sua erumpit. Hypanis, Bogus *Mercatori* et *Ludovico Decio*, Sarmatiæ Europææ fluuius, inter ostia Borysthenis, et Dromum *Achillis* insulam ad Dassouiam vrbem, vbi hodie famosa illa Turcarum vrbs Oczakouia, in Pontum Euxinum immergitur. Error hic notandus quorundam, qui hunc Bogum, cum Bugo in Vistulam descendente confundunt. Podeliæ Austrinus limes est Tyras, eam a Walachia et Pocucia disterminans; Occiduus est Haliciensis, et Leopoliensis districtus; Septentrionalis Volynia citerior, et Orientalis Palatinatus Braclaviensis. Senatores ad senatum publicum pertinentes in hoc palatinatu sunt tres; palatinatus Podoliæ, Episcopus Camenecensis, et Castellanus Camenecensis. Diuiditur autem ipse palatinatus in tria territoria; Camenecense, Tremboulense, et Laticouiense. Incolæ bello nati, & Marti ac Bellonæ dediti, vtpote qui continuis Barbarorum incursionibus lacessiti prompta semper defensione hostibus resistere coguntur. Complura huius Dynastiæ oppida, ob infestationes creberrimas probe munita sunt, & arcibus præterea firmissimis impetus hostiles eludunt. Armenii frequentes quoque in vrbibus passim habitant; Gens lucro deditissima, ac ideo lubentissime inhærens Poloniæ regionibus, præcipue autem equos generosos adducens. Habent in vrbibus Russiæ maioribus suos magistratus, seu seniores nationis, qui fidem Regi & vrbico magistratui pro reliquis spondent, & in vitia gentis suæ ipsi animaduertunt.

Bogus fl. Hypanis antiquorum. Termini. Senatores. Territoria. Incolæ. Oppida. Armenii.

CAMENECIA, Camenecum, Cameniecz, Kamieniecz, *Camieniec Podolski*, i. e. Camenecia Podolica, etiam cognominata, Podoliæ totius princeps ciuitas, quam Clepidavam antiquorum esse plurimi ex doctioribus putant, a Dacis

Conditores.

tis ædificata esse creditur, antequam hic sedes suas fixerunt Bastarnæ, qui postea cum Gothis expeditiones bellicas suscipientes Slauis, a quibus hodierni incolæ oriundi, hanc regionem vacuam reliquere. Vide *Romanum pag.* 265. *Frælichium lib*: 3. *part.* 1. *Viator. pag.* 216. *seq.* vbi dicit, *Camyeniec Podoliae, diuina fere manu inter arduas, clivosasque rupes condita hinc inexpugnabilis censetur, ac saepius ob ea Tartari, Valachi & Turcae cum ingenti strage & dedecore repulsi sunt. lib.* 1. *part.* 2, *pag.* 326. his verbis repetitis addit; *Arx illius etiam rupe petrosa vndique cincta est. Cramerus in Oratione funebri Regis Poloniae Sigismundi I.* hunc Regem huius loci arcem, & cæteras Leopoli, Sendomiriæ, Corcini, Vilnæ & Cracoviæ restaurasse, & firmiores reddidisse commemorat. *Albertus Koialovicius* vero tradit, cum *Olgerdus* M. Dux Lituaniæ, Tartaris Podolia expulsis regionem totam inter fratres *Coributhi* filios partitus esset, hanc ciuitatem munitissimam, & rupi impositam, ac ideo omnium locorum munitorum miraculum dici merentem, in qua non arte aggestum, sed a natura ex rupe eductum & erectum vallum, principibus istis conditoribus suis fundamenta sua prima accepta ferre. Triginta maximis milliaribus versus ortum hybernum Leopoli cum arce sua discedens sub longitud. gradu 49. & latitud. 48. accumbit sinistro lateri fluuioli Smostraye, vel Smotricæ, qui in hac regione iuxta Felstin. oriundus, ac Grudecum, & Smostricam præterlapsus Kameneciam descendit, atque porro modicum intervallum emensus Tyræ fluvio aquas suas associat. Duos vrbs habet Episcopos, Catholico Romanum, & Armenium, ac Iesuitarum collegium iuuentuti docendæ destinatum. Secundo ab vrbe lapide est Paniowce, arx Potociorum a *Ioanne Potacio* Palatino Braclauiensi, militaris scientiæ peritissimo viro, architectura recenti constructa, & nobilitata oppugnatione Turcica, cum ad Chetimum in Walachia cum Turcis bellum anno 1621. gereretur. Eo enim anno, vt *Piasecius* narrat, *Osmannus* Turcarum Imperator potentissimo suo equitatu, & Ianizaris Podoliam inuasit, ac Cameneciam perueniens ex proximo monte admirandum hoc opus inspexit, ac quæsiuit, quis locum hunc muniuisset? cui cum responderetur, Deum hoc fecisse: Si Deus, inquit, hunc locum muniuit, videat quoque, quonam pacto eum occupet. Abducto igitur exercitui mandauit, vt castellum Paniowce expugnarent. Conatum suum tandem a Polonorum fortitudine elusum videns, ac discedere coactus, cum continuis conuitiis militibus suis timiditatem suam exprobrasset, tantam sibi inuidiam conflauit, vt ab ipsis Constantinopolim reuersus laqueo suffocatus fuerit. Anno 1633. Turcæ Podoliam invadentes a *Koniecpolscia* in Moldauiam repulsi sunt. Anno 1651. Cosaci ac Tartari, post occupatam proditione Panovecensem illam arcem summo suo damno hanc vrbem agressi sunt. Hinc *Camenecia vnicum aduersus Orientis minas propugnaculum* a quodam nuncupata est. De hac obsidione consule *Tractatum Samuelis Bobsehky de tranquillitate animi A.* 1656. *impressum*, ex quo patet, quam feliciter hunc locum parua militum manu defenderit vir animosus *Iohannes Georgius a Sabisch & Marschwitz, &c.* Tribunus militum, & admodum nobili Stemmate in Silesia natus, ac obsessus a centum & viginti mille hostibus, qui dicti anni 6. Iunii obsidium inceperunt, & 23. eiusdem mensis soluerunt. Duas tunc temporis hic arces fuisse, vnam veterem, ac alteram nouam, & huius quidem fossam tribus in locis collapsam idem *Auctor* commemorat. Sequente mense Decembri eiusdem anni eandem vrbem incolas fere omnes grassatione pestis vehementis amisisse ferunt.

Restaurator. | Conditores alii. | Situs. | Smotrica fluv. | Paniouce arx. | Osmannus Turcarum Imperator. | Laqueo necatus. | Cosaci & Tartari. | Irrita obsessio. | Pestis.

FELSTINUM munitionibus firmis cinctum oppidum, haud longe a finibus Podoliæ septentrionalibus, qua Smostraye vel Smotrica fluuius ex diuersorum fluuiorum collectione oritur.

GRUDECUM, Grudek, Grodec oppidum cum arce admodum munitum, quod dictus fluuius perfluit.

Niedobur montes.

SMOSTRIC, Smotrica, ad eius fluenti dextram inter Grudecum & Camenecciam, admodum valide munitus locus, sub quo flumen illud montes Niedobur secat. Hi *Opryſkowie* prædonibus etiam nuncupati plane steriles sunt, et fere mediam Podoliam secantes longa et transuersa serie haud procul Camenecia versus ortum profectionem suam incipiunt, et a meridie in septentrionem abeuntes vltra Satanoviam et amnem Sebrowcze se extendunt.

Muzza fluv.

MUZZA fluuiolus inter Smotricam et Tornawam fluuium intercedit.

DONAIOWCE munitus locus ad fluuium Tornawam, Smotricam, versus occasum æstiuum, inspectat.

Tornawa fluvius.

TORNAWA amnis supra Donaiowce oriundus, ac ab eodem, quem sinistro margine lambit, descendens, ad Kitaigrodum onere aquarum a Tyra leuatur.

KITAIGRODUM, Kitaigrod ad Tyram fluuium, qua Tornawam suscipit, oppidum munitionibus validis hostiles impetus depellens.

SLUDZIENICZA munimentis validis cinctum oppidulum ad Tyrae defluentis sinistrum marginem, vbi Sludzieniczae fluuioli aquas allabentes absorbet.

Ouczica fluvius

OUCZICA fluuius in hac regione a septentrione versus meridiem recta decurrit, ac aquas suas ex tribus riuulis congregat, vbi duo admodum valida munimenta situm suum habent. Medius est inter Sludzieniczam versus occasum, & Pristriscam versus ortum ipsi latus claudentes.

SARAFKA firmum oppidum ad sinistram ripam alterius riuulorum dictorum, qui occasum spectat.

WERAKY itidem validis munitionibus se defendens, & in medio fluuiolorum memoratorum lateri sinistro accumbens oppidum.

ZINKOWIA, Zinkow, infra coitum riuorum istorum munitionibus suis hostiles impetus eludens oppidum.

PROCZENSKOWA, vt prius, ad sinistrum dicti fluenti latus cum arce sua & firmis munimentis, hostibus se opponit.

KRASNOPOLIA oppidum & arx validissimæ defensionis, cum duobus præcedentibus quasi triangulum constituens, ac inter Ouczicam amnem & Sludzieniczæ scaturiginem in medio sedens.

Bistrissa fluv.

BISTRISSA fluentum, vt cætera omnia, a septentrione in meridiem pronum fertur, & in Lyram se infundit; duo munimenta habet Wonkowcze & Kalusium.

WONKOWCZE operibus bellicis firmatum oppidulum, mox ad sinistrum latus ex scaturigine sua ebullientis fluuioli cernitur.

KALVSIVM operibus suis munitissimis dextræ eiusdem amnis incumbit ripæ, qua suo & Tyræ, siue Niestro fluuio, aquas suas tradit.

Birbiczen

KVRILOWCZE munimentis suis validis Birbiczeni fluuioli sinistram ripam paulo infra Swen fluuioli accessum occupat.

Ladawa fluv.

LADAWA fluuius quinque oppidis, quorum quodque arcem suam habet, valide munitis, stipatur.

IVLTOKOVIA, Iultowkow, aliquo saltem interuallo infra fluminis originem ad sinistram sedet.

MARIANOVIA succedit inferius in eodem latere sita.

BARKOVIA proxima, inter Marianoviam ac Berlineczíam, medium locum obtinet, ac dextrum fluminis marginem tenet.

BERLINECZIA harum trium sibi proximarum infima ibidem cernitur.

IAROSZOVIA paulo supra Ladawæ in Niestrum exitum sedem suam habet.

MOCHYLOVIA, locus munitis suis operibus sinistro Niestro, siue Tyræ, defensioni operam nauans. Sub eo hic fluuius Podolia relicta Braclaviensem palatinatum ingreditur.

CZERNI

CZERNIOWICZE duplex fortalitium munitissimum vtrinque fluuium Muracwam obsidens. Hic ex silua quadam speciosa inter Mezerof et Bar, ad fluuium Row, sita in hac regione oppida euadens Muracwam, Braclauiensis palatinatus oppidum, descendit, ac inter hoc et Czerniovicum Podoliæ terminus est orientalis. Inde dictum palatinatum mox ingressus, ac Gruskam, Buscamque præterlapsus supra Iampol in Tyram præceps agitur.

Muracwa flu.

FLECZE oppidulum munitum ad latus præcedentis versus occasum paulo infra fontem fluuioli iuxta Mochylouiam in Niestrum descendentis.

SVLIAKI itidem oppidulum munitum Nemiam fluuiolum paulo supra præcedentis exitum in Niestrum se inferentem.

Nemia fluv.

LVCZINICE simile oppidulum ad prædicti fluuioli scaturiginem sedens.

SZARIGRODVM duplex oppidum vtrinque fluuiolum muniens, et Muracwæ, qua occasum spectat, aliquo interuallo oppositum, vnde fluentum illud paruum porro defluit, infra Czerniowcen Muracwæ flumini se adiungens.

MEZEROF in sinistro latere fluuii Row munitum oppidulum, proxime fines Podoliæ et Braclaviensis palatinatus.

BARUM, Bar, ad idem flumen spacio modico supra Mezerof, in paludibus cum arce sua situm, et conditum a regina *Bona Sfortia Sigismundi I.* vxore, vbi Iesuitæ collegium habent. Sub *Iohannis Casimiri* regis initium, *Koretius & Christophorus Przyemscius*, etiam peregrinis bel is nobilitatus, hanc vrbem, vt & Zuechalum & Ostropolinum Cosacis iterum eripuerunt quorum multa millia vita priuarunt, magnaque præda acquisita hostibus loca illa liberarunt.

Bona Sfortia Regina.

ROW fluuius ab occasu in ortum decurrens, ac Barum & Mezerof præterсurrens sub Braclovia in palatinatu Braclauiensi Bogi vndis suas aquas admiscet.

Row fl.

ZAR ex silua aliquot milliaribus a finibus Podoliæ orientalibus remota, excedens consimili cursu per Podoliam & Braclauiam in Bogum properat.

Zar fluu.

CHMIELNIKUM ciuitas, & operibus bellicis, & Bogo flumine circumfluente insulam, in qua collocata est, egregie defenditur.

CONSTANTINOVIA, Constantinowe, ciuitas validis circumfusa munitionibus in dextra Bogi ripa supra Chmielnikum.

LATICZOVIA, Laticzouiensi territorio nomen dans supra cuiusdam fluuioli in Bogum introitum, ac in eius margine dextro propugnaculis ac fossis se defendit.

Laticzouiense territorium.

DERAZNIE munitionibus instructum oppidulum in dicti fluuioli sinistro margine.

MIKUTINCE oppidulum & arx a dicti fluuioli fontibus non longe distans.

MEDZIBORZ, Misdzibozia, fortalitium siue oppidulum munitum in Bogi sinistro latere, supra memorati fluuioli in Bogum influxum.

PLOKYROF in eiusdem fluuii dextro margine supra præcedens oppidulum munimentis firmatum.

CZARNE Ostro, ciuitas ad confluxum duorum fluuiolorum, qui sub ea Bogum, fluuii initium coitione sua faciunt.

Bogiorigo.

SEBROWCE fluuius hinc ad occasum pergentibus occurrit, recto cursu a Bocea in Austrum ad Niestrum festinat.

Sebrouce fluu.

SATANOVIA primum est oppidum, quod aluei sui sinistro latere attingit.

VSIATINUM alterum est oppidum munitionibus instructum, quod infra prius dextris suis vndis lambit.

SCALA ciuitas & arx munitionibus insigniter firmatæ postremum locum obtinent, & prædicti fluminis fluctibus dextris lauantur.

ZUANECIA, Zwaniec, ad læuum Niestri fluenti marginem, infra modo nominati amnis in Niestrum introitum, & ad ostium fluuioli cuiusdam ex montibus

Niedobur erumpentis, ac alueum multis pagis vtrinque obsitum a Borea in Austrum deducentis.

Inter Sebrowce, & Seret flumina intermedius est fluuiolus, qui eodem, quo priores amnes, a septentrione in Austrum cursu fertur, ac in Bogum se insinuat, diuersa oppida & loca munita præterfluens.

CHOROSTOW aliquo spacio supra fluuioli memorati originem, Boream versus.

PROBOZINUM dextram, & arx eius sinistram fluuioli ripam modica a scaturigine distantia obsidet.

BORCZOWK paulo a sinistro latere recedens versus ortum, qua fluuiolus alium, aut potius riuulum quendam, cui hic accumbit locus, accipit.

KOROLOKA ad dextram fluuioli ripam.

KRIBECZA itidem paulo a sinistra ripa, vt et Borczowa, versus ortum recedens.

GRUDEK supra eiusdem fluuioli ingressum sinistro insidet margini amnis Tyræ, cui suis operibus validis haud exiguam defensionem præstat. Diuersum est ab illo, quod supra ad Smotricam fluuium in hac eadem regione offendimus. In alterutro horum anno 1434. Rex *Wladislaus II.* antea *Jagello* nominatus diem obiit.

Regis Jagellonis obitus.

Seret fl.

SERET fluuius dicto Grudeko quasi secto in Tyram se immittit, ac supra Ianouiam ex duobus fluuiolis in vnum amnem coalescens recto alueo ex Borea in meridiem delabitur.

Zbarauiensis Ducatus. Polonicus exercitus obsessus.

ZBARAS, Zbarauia, oppidulum et arx, ac caput Ducatus Zbarauiensis, ad Vishiouiecenses Duces pertinentis, vbi anno 1649. Polonicus exercitus a Cosacis et Tartaris obsessus fuit, vt in Zborouiae in Praemisliensi districtu sitae descriptione prolixius narrauimus. In ipsis Podoliæ finibus borealibus se offerens ad duorum riuulorum, Kezizeniam amnem sinistrum, qui in Seret fluuium decurrit, efficientium alterum, orienti obuersum sedet.

Kezizenia fl.

TRAMBLOWA, Trembolienſi territorio nomen faciens ciuitas a modo nominato fluuio Kezizenia, antequam in Seretum descendit, ita secatur, vt munitionum pars cum arce occasum, reliqua vero ortum, inspiciat.

Sereti origo.

TARNOPOLIA ad dextri amnis ex Volynia citeriore in Podoliam ingredientis, et sub Tramblowa, siue Trembovla cum Kezizenia Seretum efficientis sinistrum latus cum sua arce apposita est.

NIKULINCZE infra Tarnopoliam modo indicati amnis dextra tutela est.

SETRUCZE cum arce sua infra Nikulinczam eidem flumini ibidem eandem tutelam praestat.

IANOVIA, et Czartekouia, illa superior, hæc inferior, Sereti dextri fluctibus madefiunt. Illius tamen arx trans flumen ortum versus situm suum habet.

CZERWONOGROD, et Oucze cis Tyram, vel Niestrum, huius loci tutelae munitionibus suis praesunt. Hoc oppidulum obsidet ostiolum fluuioli, Tyrae se adiungentis; illud ibidem hoc paulo superius est. Trans flumen e regione huius aliud fortalitium in conspectum venit, cuius nomen in typo non inuenio.

IASLOWIECZ, Iaslovecia cum arce a fluuii Stripiecz orientali margine paulum remota, & riuo cuidam apposita.

Stephanus Potocius.

POTOK, Potocum, inter fluuium dictum & fines Podoliæ Haliciensem tractum attingentes, quasi in medio constitutum, arce munita, & templo sodalium Dominicanorum, *Stephanus Potocius*, Braclauiensis palatinus, ibidem post obitum quiescens, exornauit.

BOUCZONZE in dextra ripa fluminis Stripiecz, oppidum arce & munitionibus defensioni aptum.

MONASTER, oppidum & arx Potociorum ad fluuium Kropicze, in Haliciensis districtus finibus.

DOBROVEDA

DOBROVODA, Dobrawodi, fortalitium inter fluuium Strepiecz, & Halicienses fines, quibus propinquior eft.

VISNIOVIECZ, oppidulum cum arce ad dextram Stripiecz amnis, Ducum Vifniovieciorum poffeffio.

BRACLAVIENSIS PALATINATUS ab occafu Podolia, a feptentrione Volynia & Kiouienfi palatinatu, ab ortu eodem, & a meridie Walachia terminatur. Grandi apice cum Tyra & finibus Kiovienfibus in meridiem procurrens, non longe ab oftio Tyræ flumini in Euxinum Pontum patente finem inuenit. Multis filvis & quercetis referta, incolarum multitudine, & munitorum locorum copia Podoliæ non refpondet. Paffim tamen munimentis ad debitam defenfionem requifitis fecuritati fuæ confulit.

Fines.

Qualitas.

NIESTER fub Mochilovia accedens alueo fuo inter hunc palatinatum & Walachiam longo tractu intercedit, ac tandem, qua Tuccarum & Tartarorum fines confequitur, aliqua faltem ante fuum in Pontum Euxinum exitum intercapedine excedit. Bogus, ingreffus fub Chmielnico, mediam hanc regionem fecat, quæ a Nouo Koniecpolfcio vrbe vsque ad extimos limites inculta & deferta iacet. Licet prolixa explicatione fe dilatet, duos tamen Senatores, palatinum puta, & caftellanum tantum habet, ac in duo diftinguitur territoria, feu diftrictus binos, Vinnicenfem fcilicet, ac Zitomirienfem.

Niefter.

Bogus.

BRACLAVIA ciuitas duplex, duplicibus quoque circumducta munitionibus, metropolis eft in hoc palatinatu, ipfiusque palatini fedes, quam fibi impofitam ripa Bogi defluentis dextra fuftinet. *Kiernus* Lituaniæ Dux, qui circa annum 1640. Ducatus rectionem inchoauit, hanc vrbem occupaffe fertur. Eandem cum arce anno 1432. a *Theodoreto*, vel *Fedro Oftrogio* Ruffiæ Duce, et viro bellicofo, qui *Suitrigelloni* Lituaniam hoftilibus armis aggreffo adhærebat, incenfam fuiffe fcribit *Cromerus*, qui eam Podoliæ adfcripram, poftea circa annum 1363. vrbem Lituaniæ facit, quod lato fenfu intellectum a veritate haud alienum videtur, cum Lituaniæ Principes has regiones fubiugauerint.

Kiernus.

Theodoretus Oftrogius

SAMELLOWKA inter Vinniczam, & Zari fluenti in Bogum irruptionem ad dextram Bogi ripam vallis, munitionibus, ac arce fua confedit.

WINNICZA, in eadem, qua præcedens, Bogi ripa, militaribus fuis molibus collocata ciuitas, & circumiacentis territorii caput, nobilitatis conuentibus, iudiciorum tribunalibus, & Iefuitarum collegio celebratur. Anno 1630. a Chmielnicio Cofacorum Generali occupata eft. Poftquam enim pacis cum ipfa initæ confirmatione Warfouiæ in comitiis publicata fedatus effet, ab initio quidem aperta vi abftinuit, fed interea cum Turcis clandeftina machinatus eft confilia, præcipue contra *Bafilium* Moldauiæ principem, ac in eundem Tartaros inftigauit. Litem tamen Turcarum interceffio, & *Bafilii* filia, *Timotheo Chmielnicii* filio defponfata, diremit. Non tamen ipfe *Chmielnicius* interea quieuit, fed omnem lapidem mouit, vt Polonis inferendi belli occafionem quamcunque adipifceretur. Hinc mox anni 1651. exordium Polonos aggreffus eft. *Nieczaius* vnus ex præfectis eius militaribus in oppugnatione oppiduli Crafna periit: Alter Bohunus hanc vrbem cum arce in *Chmielnicii* poteftatem redegit, recuperatam poftea a Regio milite Polono, qui flumen Bogum traiecerat.

Chmielnicius.

Vrbs occupata a Cofacis, recuperata a Polonis.

BRAILOVIA molibus fuis militaribus finiftram Raw fluuii ripam, inter eiusdem in Bogum immerfionem, & Mezerof oppidum Podoliæ, obvallat, pontibusque duobus flumen ibidem latius fternit.

KRASNA duplici ftructura militari vallatum oppidum, vtrinque arctam & oblongam obfidens paludem, quendam fluuiolum Bogo fubmittentem, medium fere inter flumen & orientales Podoliæ fines locum poffidet.

COPIGOWKA moles fuas munitas Czylenzay fluuio appofuit.

Czylenzay fluuius.

MURACWA duobus fortalitiis contiguis finiſtro fluento Muracwæ hunc palatinatum,& Podoliam diuidenti patrocinatur.

FEKOWCZE eidem fluento inter Muracwam & Czerniowczen adiectum fortalitium paruum.

Tulczinka fl.

TULCZIN ad Tulczinkæ, & alterius fluuioli confluxum ſedens munitio.

KLEBANIE oppidulum infra Tulczinum ad oſtium fluenti parui, e regione introitus fluuioli Tinionowkæ Wiſſæ, qui vterque hic in Tulczinkam confluunt.

LADICINUM ſtructuras militares inſignes opponens hoſtilibus inuaſionibus in apice, quem Tulczinkæ & Bogi confluxus efficit.

Roſawa fluv.

KORMARGRODIA, Thomaſpolia, Langrodia, oppidula ſunt munita, quorum illa duo, prius ſuperius, poſterius inferius, fluuiolo in Roſawam fluentum influenti adiuncta, hoc tertium infra vtriusque coniunctionem ipſi Roſawæ affixum eſt.

GRUSKA oppidulum munitum in Muracwæ dextro margine, proxime orientales Podoliæ terminos.

Buſza fluv.

BUSZA molibus ſuis architectura militari ſpatioſe conſtructis, & in duas partes cognomine fluuiolo ſectis lateri Muracwæ fluminis ſiniſtro inſiſtit.

IARUGA inde non procul Nieſtri, aut Tyræ fluminis, ripam dextram munitionibus ſuis cuſtodit.

IAMPOL inter Iarugam & Kowczeniecz, ad Tyræ ſiniſtram ripam hoſtium inuaſiones remoratur.

KOWCZENIECZ infra Iampol eandem ripam munimentis ſuis tuetur, ac fluénto Roſawa paulo infra eius cum altero coniunctionem ſecatur.

Kamienicza. fluv.

KAMIENCZA idem muniminibus ſuis præſtat, qua Kamiencza fluuius a ſiniſtro Nieſtri margine abſorbetur.

Vaſta Deſerta.

RASKOW vltima prædicti in flumine Nieſtro lateris tutela, vltra quam nil niſi vaſta deſerta occurrunt. Barbarorum incurſionibus obnoxia, eamque ob cauſam oppidis, pagis, & incolis carentia.

CZACZANIEC munimentum forte ad ſiniſtrum latus fluuii cuiusdam ab occaſu in ortum proficiſcentis, & ſub vrbe Nowe Koniecſpolſki, in Bogum ſe immergentis.

NOWE Koniecpolſki, i. e. noua ciuitas Koniecpolſcii, fortalitium poſtremum inſignibus, & validis munitionibus præſidio eſt flumini Bogo, qua dextro ſuo margine dictum fluuium ſub ea vrbe arripit.

Bercad fluv.

BERCAD flumen ab occaſu in ortum deſertur, ſex vel ſeptem milliaribus Polonicis ſupra vrbem modo dictam in Bogum ſe infundens.

NOWOGROD, Obodowka, Balanowka munitionibus firmata oppida ad dictum fluuium, quorum ſuperius & inferius ſiniſtræ, medium dextræ ripæ incumbit.

BERCAD his inferius, cognomine flumine ſecatur, vtrumque latus eius quoduis peculiari munimento valido defendens.

ALEXANDROW & Troczeniecz firma ſunt loca, quæ fluuiolo cuidam patrocinantur, qui ab occaſu in ortum properans inter Bercad fluuii os, & Ladizinum Bogo aquas ſuas tradit.

Querceta.

VMAN ciuitas antiqua Ladicino quatuordecim vel quindecim milliaribus Polonicis recta verſus ortum remota, & in principio deſertorum ſedens, vbi querceta deſinunt, quæ ſeptentrionem verſus vbique hunc palatinatum veſtiunt.

Sup fluv.

IWANGROD munitio prolixior iuxta fontes fluuioli ab ortu in occaſum progredientis, & ſub Kuna, fluuio Supi ſe aſſocianitis.

KRYSPOL, Leniowka, Boſowka antiqua oppidula fluuiolo accumbentia, qui in Wiecz fluuium ſe exonerat. Primum cum ſequente, ſiniſtrum, & tertium infimum, dextrum latus obſidet.

SEBASTICKA itidem antiquum oppidulum verſus occaſum cum tribus præcedentibus trianguli figuram format.

SOKOLOWKA

SOKOLOWKA munitionibus communitus locus in eiusdem fluuioli finistra ripa.

WORONOWKA, Zileke, Sobrik, admodum firma nouis munitionibus oppida ad fluuium dictum Wecz huius palatinatus terminum, quorum medium fluuioli dicti in hoc flumen introitum possidet.

WACHNOGROBLA oppidum antiquum ad initium fluminis Wiecz.

MONASTERICZ duplici munitione firmissimum oppidum Wachnogrobla versus meridiem semotum.

SUP fluuius supra Lipowe exoriens, ac ex septentrione in meridiem decurrens diuersis oppidis munitis defenditur, ac infra Ladizinum in Bogum intrat.

Sup fluuius. Qualitas. Fines.

KUNA vtrumque Supi marginem & os fluuioli obsidet, qui Kubliczio descendit.

KUBLICZIUM ad dictum fluuiolum Kunam occasum versus inspectat.

ALZIN, & Kislac, quorum illud Kunæ propius, hoc remotius, sinistrum Supi fluuii latus muniunt.

GRUDECK duplici munitione oppidum firmum, insidet vtrique ripæ fluuioli Sebastiouka delabentis, & aliquot sub hoc oppido milliaribus in Supum se præcipitantis.

KALNIK in dextra Supi ripa muniones suas validas hostilibus conatibus opponit.

BABIN forte oppidum cum arce ad confluxum quatuor riuulorum, qui modico spacio infra illud vno alueo marginem sinistrum aliquo spacio supra Kalnik perrumpunt.

ELIUS bina munimenta contigua in dextro Bogi latere, qua fluuiolus Piaczesna delabens recipitur.

PIACZESNE, ad dextram dicti fluuioli plus quam duobus milliaribus a præcedente versus occasum locus probe munitus.

LIPOWE duæ munitiones validæ vtrumque Supi intermedii latus claudentes.

SIWOTOVIA, Ziborow, firmissima ciuitas cum arce ad fluuiolum Rosłam, qui haud procul a Babin ortus sub hoc loco Braclauienses fines egreditur, & in palatinatu Kyouiensi Ros fluuium ingreditur.

ROS fluuius supra Spicineam ex terra erepens, & sub Poherbicze fines Braclauiensis satrapiæ egressus diuersis anfractibus ab occasu in ortum festinat, & sub Kanovia in Kiouiensi palatinatu aquarum onus in Boryſtenem deponit.

SPICINEA in Ros fluuii dextro margine haud procul ab ortu eius, oppidum munimentis haud contemnendis circumuallatum.

POHERWICZE in memorati fluuii sinistra ripa duplex fortalitium contiguum, ac in ipsis huius palatinatus finibus situm.

SBARAZ, & Priluka, duo admodum valida oppida, illud superius, & hoc inferius, vtrumque duplici fortalitio fluuiolum intermedium obsidentia. Fluuiolus hic ab ortu in occasum dilabens supra Samellowkam in Bogum vndas suas aduectat.

KOKANOW, Kokanouia, munitum oppidulum assidens dextræ ripæ fluuioli, qui infra Prilukam priori fluuiolo associatur.

KIOVIENSIS PALATINATVS regio grandis, pro magnitudine tamen non adeo populosa, iis præsertim in districtibus, qui versus meridiem exporrecti cultores & incolas desiderant, confinis est Moscouiæ & Tartaris, qua ortum spectat. Qua vero australi plagæ obtenditur, Borysthenem lato alueo ab Kudack, aliis Hudack, fortalitio admodum munito, in Pontum Euxinum abeuntem, terminum habet; Occasum versus Braclauiensi palatinatu, ac Volhynia vlteriore, & a septentrione alba Russia terminatur. Borysthenes inter maximos Europæ fluuios numeratus fere mediam secat. Trans Borysthenem versus ortum aliquot, & cis

Borysthenes.

civitates. illum, qua in occasum prona est, hinc inde pluribus silvis densis constrata est. Civitates & oppida quoque habet hinc inde optime munita, quorum potissima pars fluminibus assidet. Incolæ bellis assiduis exercitati militares animos gerunt, & tam ex oppidis, quam pagis, in insulas Borysthenis confluunt. Cosakos se vocant, qui hanc & Braclauiensem satrapiam hyberno tempore colentes, æstiuo tempore in latibula sua, in Borysthenis insulis sita, se recipiunt, quando nulla bella gerunt. Sub proprio suo Generali, seu Præfecto summo stipendia facientes nemini parere volunt, adeo vt Reges Poloniæ, licet ipsos subiugare sæpius studuerint, nunquam tamen voti compotes fieri potuerint. In militia contenti præda gratis seruiunt, aut etiam pecuniam accipiunt, & aut Turcas inuasionibus suis diuexant, aut Tartaris ex Polonia cum præda redeuntibus eandem extorquent. Poloniæ in angustiis constitutæ auxilio sæpius fuerunt, irritati grauia damna intulere, adeo vt nobilitatem Polonicam infensissimam habuerint, præcipue proximis his annis, quibus nobiles vnicum illud egerunt, vt hominum hoc genus penitus extirparent, in cassum tamen laborantes, & sibi ipsis magnum malum accersentes. Quamuis enim aliquoties pessime mulctati fuerint, Tartaris tamen & aliis in auxilium adscitis, Polonos male tractarunt, & ad pacem ineundam coëgerunt. Græcæ religionis studiosi in sacris neminem agnoscunt, nisi Archiepiscopum siue Patriarcham suum: In cæteris liberi & sui iuris, vtpote qui nemini obedientiæ obnoxii esse volunt, nisi Generali suo, quem ipsi sibi eligunt. Quando Poloniæ Regibus in militia præsto sunt, certa aliqua pecuniæ summa donari solent ad arma sua reficienda, quo alacriores & maiori numero postea, vbi opus fuerit, adesse non vereantur. Monachi S. *Basilii*, qui per totam Russiam frequentes sunt, in hoc palatinatu multa templa & cœnobia habent, ac Archiepiscopo Russico cum omnibus cæteris Græcam religionem profitentibus subiecti sunt. Nam huic omnes Episcopi Græci in tota Polonia obsequium præstant. Monachorum dictorum Præpositus centum pagos sub se habere dicitur. Ipsi monachi durissimam vitam agentes speluncas, de quibus mox in sequenti descriptione Kiouiæ agemus, intrant tempore quadragesimali, ac ibidem solitarii pœnitentiam agunt. Alii vadunt in deserta, cilicio, & catenis induti, interdum vsque in Tartariam remotiorem, vt Evangelium prædicent, & martyrio coronentur. Multos Græcos ad societatem cum Romana ecclesia reductos *Starovolscius* ait. Quam vniti vero eidem ecclesiæ fuerint, proximi anni satis aperte testantur. In hoc palatinatu vnus est palatinus, & vnus Castellanus, qui cum episcopo Catholico Romano Kiouiensi, Senatui publico Regni, vt Senatores, interesse solent.

Incolæ. Cosaci. — Militares eorum actiones. — Religio. — Monachi S. Basilii. — Senatores.

KYIOWIA, Kyiow, metropolitana huius palatinatus ciuitas, incolis referta, & spatioso ambitu cincta sub longitudinem gradus 55. minut. 26. et latitudinem gradu 50. min. 12. apposita est dextro margini fluminis Borysthenis, cuius aquæ hic, post Repin fluuii accessum, à pluribus insulis, vrbi versus ortum e regione obiectis, dispescuntur. Ripa sinistra et opposita, siluarum mox infra Desnæ fluenti affluxum incipientium serie cum ipsa Trethymitouiam descendente, vestita est. Cum dextra ripa ab vrbe longus ordo montium singulorum se insequentium fluminis decursum stipat, vsque ad Ros fluuii in Borysthenem influxum, vbi sub Kaniouia fluminis aduersi ripam stipant, donec ad Iesitrouiam cursu inflexo Korsum vrbem recta petunt. Ipsa ciuitas versus septentrionem ædibus repleta, ac castello et militaribus structuris munita est, cæteram partem versus occasum & meridiem ligneum septum ambit. Orientale latus flumini admotum est. Sedes est palatini, castellani, Archiepiscopi Græci, et Episcopi Catholico-Romani. Vtriusque religionis Græcæ et Latinæ templa, et cœnobia, ac collegium Iesuitarum habet. Domicilium olim fuit Kyouiensium principum, qui toti Russiæ, siue Sarmatiæ, tam in Europa, quam in Asia imperitarunt, Romanis ipsis, ac postea Græcanicis Imperatoribus graues. Magnitudinis istius pristinæ vix parietinas ostendit,

Syluæ. — Montes. — Situs. — Templa.

dit, et ipsas progressu temporis omnium rerum edacis fere penitus absumptas. *D. Laurentius Mullerus, Principis Curlandiae consiliarius in Polonicis suis historiis litera L.* de hac vrbe ita scribit: Magnificam olim & amplam vrbem fuisse Kyiouiam loquuntur murorum ruinæ fere octo milliarium circuitu eam ambientes, vt & templum in ea splendidum, in quo fornices cernuntur grandes, & in quibusdam eorum cadauera plura incorrupta quidem, sed contractiora, ac si tosta essent, non tamen nigra, cum colorem adhuc humanum ostendant, & ita quemuis spectatorem in admirationem rapiant. Martyres fuisse sibi incolæ persuadent, ad quos nec Tartaros damni inferendi causa accedere potuisse prædicant, licet sæpius hoc facere tentauerint, cum semper, sine vllo humano auxilio, sola diuina pœna et animaduersione ab eo loco depulsi fuerint. Cadauer quoddam solum virginis cuiusdam sub arcuum dictorum quodam iacere etiam dicitur, quod sindone, siue linteo subtilissimo, & perspicuo indutum, et longis, ac fuluis capillis exornatum omnis corruptionis adeo expers est, vt omnia membra adhuc videri et tangi possint. Sanctam *Barbaram* esse credunt incolæ, licet historiæ eius hoc penitus repugnet, ex qua lecta lector hac de re iudicare poterit. In eodem templo videre est etiam columnas totas ex ære fusas, vt refert *Augustanae Confessioni addictus in eadem urbe Pastor, ex nobili Patziorum prosapia in Lituania oriundus,* qui etiam dicit, Kiiovia Smolenskum vsque tendere subterraneos meatus, sub ipso fluuio Boristhene, ea, quam habet, latitudine, ex fusa materia constructos, qui argumento sunt, quanti labores, et quanti sumptus eiusmodi operi impensi sint, et quanta Kiiouiæ pristina magnificentia fuerit. Meatuum istorum conditores extitisse mercatores Itali feruntur. Imo et Genuenses nuper emporium ibidem, vt constituere sibi liceret, petiisse dicuntur. Hæc *Mullerus de anno 1585. In Silesiacis Chronicis Schickfusius* narrat *liberum Baronem a Herberstein, ex annalibus Moscouicis* memoriæ prodidisse; olim in Kiiouia et paludis Meotidis vicinia Russos habitasse Polonos, i. e. campestres homines, nuncupatos, ac patentes et planos campos incolentes, vnde et Polonos originem traxisse *Sciekfusius* arbitratur. *D. Frælichius lib. 1. part. 2. Viator. p. 329.* montis cuiusdam parui, et Kiioviæ vicini mentionem fecit, ad quem aditus licet difficilis sit, eos tamen, ait bonorum suorum fisco adiudicatorum iacturam facere, qui eum transeuntes currum frangunt. *Idem Auctor* hanc vrbem ad Russiæ regionem Volyniam referens, *eius prisca*, inquit, *amplitudo sese ad sex milliaria extendebat, uti testantur ruinae. Cavernae subterraneae ad 80. milliaria Russica ibi protendi dicuntur. In his plurima sepulchro illustrium virorum cum cadaveribus integris ostenduntur peregrinis. Martinus Cromerus* circa Christi annum 861. hanc vrbem Kiioviam a *Kio*, vel *Kio* principe quodam Russico conditam, et Russici imperii ab illo tempore sedem fuisse tradit. Circa annum 1008. vt idem refert, Russiæ princeps *Volodimirus* imperium suum vastum inter duodecim filios suos partitus est. Domestico bello collisis fratribus ex ipsis vnus *Stopolcus*, vel *Suentopolcus* confugit ad Poloniæ Regem *Boleslaum*, qui hanc vrbem ingenti hominum multitudine distentam fame ad deditionem coëgit, et thesauro fugitiui principis *Iaroslai*, quem sibi sumpsit, excepto, incolumen *Suentopolco* restituit. Postea idem rex *Boleslaus Chrobri* irritatus contumelia, qua a Russis affectus fuerat, eandem vrbem militibus suis deripiendam concessit. Anno 1074. Rex *Boleslaus II. Audax* cognomento, Kiioviam commeatu destitutam occupauit, ac totam hyemem ibi commoratus est, vt potentiam suam in Russia eo magis firmaret, ac sibi iam notis voluptatibus huius ciuitatis eo diutius ac commodius frueretur. Sed idem, quod Hannibali ac Carthaginensibus Capuæ, ipsi etiam hic euenit. Etenim in hac voluptatibus et deliciis omnigenis affluente, et Græcorum negotiationibus corrupta ciuitate milites eneruati, ac propria sua lasciuia, et vitiis pessundati sunt, vt tot populorum, et huius ipsius vrbis victori longe vtilius fuisset, si hoc in loco victus fuisset. Multorum quippe malorum, et calamitatum,

Uror ruinæ.

Cadauera incorrupta.

Cadaver virginis

Columnæ.

Meatus subterranei.

Russi.

Mons.

Vrbs capta.

Victoria multorum malorum causa.

mitatum, quibus Polonia postmodum afflicta, et prostrata fuit, victoriam hanc potissimam causam extitisse docet *Cromerus lib. 4. fol. 38. Cracoviensis Episcopus Stanislaus* anno 1079. ea de causa vitae suae iacturam fecit; Rex ipse regno profugus nunquam in illud reuersus. Polonia vero vsque ad *Praemislum*, per 215. annus regibus caruit. Anno 1320. *Gediminus* M. Dux Lituan. *Stanislai* Kiiouiensis ducis arcem Owniczam, vt et Zitomirum occupauit. Inde exercitu promoto *Olham* Pereslauiensem, *Romanum* Branscensem, et *Leonem* Luceoriensem ducem praelio vicit, ac Kiioviam, ex qua *Stanislaus* Russorum princeps supremus Rezaniam profugerat, in potestatem suam redegit. Magnus dux Russiae a debellatis Russis creatus Voliniam quoque ac caeteras arces, Kiioviae vicinas, Bialogrodecum videlicet, Slepovrotum, Kanioviam, et Czerkasium, vt et in Seueria Branskum, et Pereslaviam, suarum regionum primarias vrbes, sibi subiecit. Finis ita factus Kiiouiensi principatui summo, per 430. dissimili fortuna variisque mutationibus continuato, qui Polonis,& Lituanis de eo vario euentu contendentibus verum pomum Eridis fuit. Anno 1415. Tartari populosam et grandem hanc vrbem direptionibus vastatam deleuerunt, arcemque ipsam delere summo quidem, sed irrito conatu, tentarunt. Ab illo tempore nunquam pristini nitoris, et antiquae magnificentiae compos fieri potuit, quamuis proprios suos principes habuerit vsque ad *Simonem Olelcovium*, post cuius obitum, quanquam filius, ac filia, imo et frater adhuc superstites essent, Poloniae Rex Lituanorum instinctu, regionem et vrbem Kiioviam in prouinciam redegit, et penitus Poloniae Regno subiecit. *D. Christianus Matthias Syst. polit. 3. pag. 372. sequentem cuiusdam Episcopi Kiiouiensis ad S. Petrum epistolam* legendam exhibet: *Macaria* Dei gratia Archiepiscopus Kiioviae, et Halicine, et in tota Russia, nostro Domino, et amico *S. Petro*, Ianitori Dei omnipotentis. Praecipimus tibi et indicamus tibi, quod hoc tempore mortuus est minister Dei, et princeps *Fedor, Solodormifzki*, vt ipsum recte, et sine omni impedimento, et mora intromittas in regnum Dei. Nos ipsum soluimus omnibus suis peccatis, et ipsi benedictionem dedimus, tu in his omnibus tandem nihil transgrediaris, et nihil aliud ipsi fiat, ideo dedimus ipsi has literas absolutionis. Datae in summo nostro Coenobio Kiiosa anno 1541. 30. Iunii. Superioribus annis Cosaci Kiioviam, vt alias vrbes in potestatem suam redegerunt, recuperatas iterum a Polonis anno 1651. quo incendium 16. Augusti excitatum, cum *Radzivilius* Polonici exercitus imperator ibidem commoraretur, 60. aedes deleuit. Sequenti die ab incendio maiore oborto praeter vulgaria aedificia, et tabernas institorum, plusquam ducentae nobilium aedes, et aliquot Latinorum ac Graecorum templa consumpta sunt. Primarium templum, cum Dominicanorum coenobio incolume mansit.

Gediminus.

Finis Kiiouiensis principatus.

Literae ad Sanctum Petrum transcriptae.

LOIOWOGROD, oppidulum in extremitate huius palatinatus septentrionali ad dexteram Borysthenis e regione ostii, per quod fluuius Sosex e septentrione in meridiem secundum Moschouiae fines decurrens abripitur. Locum nobilitat insignis victoria parta a principe *Ianussio Radzivilio* Lituaniae Generali praefecto militiae, qui iuxta eum triginta Cosacorum millia 31. Iunii anno 1649. prostrauit, et eorum ducem *Michaelem Krayczewski* captiuum fecit.

LIBICZ, Lobecza, oppidulum ad sinistram Borysthenis infra praecedens, quod Cosaci eodem tempore reliquerunt.

CZERNOBLIUM, Czernobel, oppidum in pace sedens, quem Vsza et Przypiecz fluuii coniunctione sua efficiunt. Eodem anno victori *Ianussio Radzivilio* se dedit. Vsza ex Volinia, Pripetus, siue Przypiecz, ex albae Russiae territorio Pinscensi accidit.

CIECEREF fluuius infra Czernoblium Pripeto suas vndas aduectat.

KOWAZYW oppidulum haud procul a sinistra dicti fluminis ripa.

KUHARY oppidum ad eiusdem fluminis eandem ripam.

KORO-

KOROSTESZOW itidem oppidulum ad dicti fluminis dextram, qui ibidem hunc palatinatum, & Volhyniam disterminat.

WYZGROD oppidulum munitum & arx in Borysthenis ripa dextra, supra influxum duorum fluminum Desznæ, & Repin, qua supra Kyoviam Borysthenem intrant.

PIECZARY munitus locus infra Kyouiam, in cuius vicinia est monasterium S. *Nicolai*.

TRACTUS filuestris hic a Kyovia & Borysthene versus occasum, & Volhyniæ fines excurrit, aliquo interuallo a Borysthenis dextra, sectus a fluuio Repin, qui supra Kyouiam in Borysthenem se immergit. Syluæ prope Kiouiam.

BIALK Grudki oppidum munitum in tractu dicto filuestri dextræ Repini fluminis ripæ impositum.

MONKAROWA, Koysowa, Bouczowa, in eodem tractu oppida antiqua, vt & extra illum Sosenowski, quæ quatuor a septentrione in meridiem recta fere linea abeunt; hoc postremum a Repini fluminis ortu haud longe dissidet. Antiqua oppida.

KOBELNA, Cirudec, Biale Pole, tria vetusta oppidula in Volhyniæ finibus a Borea in Eurum recto fere tramite tendentia.

CZARNEGRUDKA antiquum oppidum cis & trans Repinum, infra Onnawæ influxum. Onnawa fluuius.

WASILKOVIA, & Motowilufka oppida munita cum arcibus extra dictum tractum filuestrem versus meridiem ad Stuham fluuiolum. Stuha fluv.

PIASECKO itidem munitum oppidum & arx ad riuulum inter præcedentia duo, in fluuiolum nominatum se effundentem.

CHASTOVIA oppidum firmum cum arce ad Kiouiensem Episcopum pertinens, ac diues, quod 24. Augusti anno 1651. a Cosacis & ciuibus, Trylisiæ incendium videntibus & aufugientibus, desertum Poloni occuparunt. Dextram Onnawæ fluuii ripam obsidet.

TRYLISIA & Romanouia sedent ad Kaminczam fluuium, qui sex vel septem milliaribus sub priore in Rossum fluuium se dat præcipitem. Vtrumque oppidum dextro fluminis margini inhærens, & vallis & operibus militaribus se hostium conatibus opponunt. Prius infra postetius locatum 24. Augusti anno 1651. Polonorum Generalis *Przyiemsky* violenta inuasione oppressit, ac in cineres redegit. Nec infantibus, nec sequiori sexui, qui plusquam virili defensione Polonis magnum damnum intulit, parcitum esse, totumque oppidulum incendio periisse scribit *Ioach. Pastorius*, qui etiam refert, incendium hoc ciuibus Chwastouianis, & præsidio Cosacorum tantum timorem incussisse, vt oppido suo deserto mox in fugam se dederint, sicut in præcedentibus modo diximus. Kamincza fl. Cruenta expugnatio.

TABOROWKA, Pawoloczia, & Carasouia in sinistro Rostawicæ fluenti, Rosso fluuio se associantis, margine munitissima oppida, ex quibus Pawolocia ad *Iohannem Zamoscium* præfectum Calussiensem, cuius in Zamoscii vrbis descriptione mentio facta, pertinuit. Rostauica fl.

IAROSOF oppidum munitum, Bereza, & Antenouia, duo antiqua oppida inter Rostawicam, & Rossum fluuios sedent. Rossus fluv.

BORSCZOWKA, & Wolodarka duo firma loca Rossi fluuii sinistræ oræ accumbentia.

KOZOVIA in dextro Rossi margine infra præcedens antiquum oppidum.

TITIOVIA antiquum oppidum ad Roskam fluuiolum. Roska fluv.

PIATYHORY, & Lobaczouia duo antiqua oppidula in fluuioli ad Rossum descendentis sinistro margine, quorum illud superius, hoc inferius.

STRZYBOWKA, Starcice, itidem duo vetusta oppida, illud ad dextram, hoc ad sinistram fluuioli Starcicæ, qui e regione Wolodarcæ oppidi a Rosso flumine deglutitur. Starcica fluv.

OSMATOVIA, & Buki duæ munitiones ad Wiecz fluuium, qua Braclaviensem & hunc palatinatum dirimit.

Poprosna fl. STAWICZK Poproznam fluuium munitio firma, vt & Lisianki ad Zgiuli Kilsz fluuium ex priore & aliis collectum, vtraque sinistram ripam obtinens.

Maznik fluv. OLSZANCE ad confluxum Maznik fluenti, & cognominis fluuii Vlszance, qui ex silua Maydonowlas defluit & admodum curuo alueo supra Iesietrouiam in Rossum se infundit, munitio validis operibus cincta.

MYEDZYRZYCE, et Iesietrouia, duo oppida munita ad Rossi sinistram, illud inferius, hoc superius.

Conditor. KORSUN in eadem eiusdem fluenti ripa oppidum, a Rege *Stephano* circa annum 1581. conditum, ac postea plurimis operibus bellicis maxime firmatum, quod nobilitatur memorabili clade illa, qua Polonos Cosaci anni 1648. affecerunt.

Polonorum clades. BOGUSLAVIA eandem ripam obtinens oppidum validis operibus bellicis, et arce firmatum.

SENECZA ad Rossi dextram munitio.

LESNICE probe munitum oppidum, situm ad sinistrum marginem fluuioli in Rossum incurrentis.

OLSZANKA duplex munitio haud longe a sinistra Rossi ripa cognomine fluento dirimitur.

KOKITNA simile munimentum duplex eadem fere distantia a dicto margine seiuncta, pari ratione a riuulo quodam secatur.

SIEZIAWA ad dextram Rossi, et Koczowa ac Nastacka, in mediterraneis oppida antiqua, et parum, aut nihil munita.

Ruthet fluv. BIALA Cerkiew, Bialocerqua, oppidum firmissimis operibus circumdatum in sinistra Rossi ora supra ingressum Ruthet fluuioli; quod procul dubio idem esse videtur cum Biala Cerkiew, seu albo Fano, cuius meminit *Ioachimus Pastorius*, qui *Chmielnicium* Cosacorum imperatorem anno 1648. apud eam commoratum esse dicit.

Krazne fluv. IARMONOWKA locus munitus in sinistro margine fluuioli Krasne, qui paulo supra oriens, secundum seriem montium dextrum marginem obsidentium, decurrit.

TRYPOL arce et militaribus operibus hostilem impetum a se amoliens oppidum ad dicti fluuioli dextram, ac paulo supra eius in Borysthenem abitum.

STAYKI, et Ryssouia similibus operibus se defendentia oppida in dextro Borysthenis margine.

Locus Cosacis datus, & iterum ereptus. TRETHYMIROVIA, vel Techtimirouia, castellum munitum in eodem Borysthenis margine, viginti circiter milliaribus Polonicis, aut quatuordecim vel quindecim Germanicis, Kiouia distans, quod Cosacis a Rege *Stephano* datum est, vt ibi commorarentur, ac armamentarium suum haberent. Possederunt autem hunc locum vsque ad annum 1638. quo ipsis Poloni sub Rege *Vladislao* eundem locum eripuerunt, vnde postea cruentae clades, tam Polonos, quam Casacos, afflixerunt, et modo hi, modo illi, ciuitatum huius palatinatus potiti sunt.

KANIOVIA, Kaniow munitum oppidum ad Borysthenis dextram supra introitum Rossi fluminis, qua in Borysthenem irruit.

MASLAUSTAW castellum a Kaniouia versus occasum in margine fluuioli, inde in Res, vel Rossum fluuium labentis, ad cuius fontes Huharlyck oppidulum cernitur.

MOSZNA oppidum munitum ad fluuiolum cognominem, inter quem et Cumichi pagum Cosaci a *Koniecpolskio* dissipati, sunt, post amissum prælium Borowicam anno 1637. aufugientes, vbi mox obsessi fuere, vt in Borowica sequitur.

BIALOZUR oppidum antiquum ante siluam grandem, a Moszna versus occasum abiens. Plurimi hic sunt tractus siluestres, qui non longo interuallo a Miedzyrzyce ad Rossum flumen initium capientes a septentrione ad meridiem pergunt, et variis nominibus appellantur.

CZYRKASSY,

CZYRKASSY, oppidum validis munitionibus tectum cum arce in medio, ad dextram Borysthenis, qui hic diuersorum alueorum diuortio aliquot insulas circumfluit.

BOROWICA, Borowicz, oppidum firmum, & paruo interuallo a dextro Borysthenis margine remotum, in quo *Nicolaus Potocki*, militiæ Polonicæ Subpræfectus Generalis, Cosacos obsedit, & coëgit, vt *Pauluckum* Ducem suum cum aliis quatuor traderent, post promissionem factam, vitam ipsis incolumem fore. Sed his contra fidem a *Potockio* datam Warsouiæ anno 1638. capite plexis maximi motus inter Cosacos & Polonos excitati sunt.

Cosaci ducem suum tradere coacti.

BUZIN, & Woronowka duo munita loca ad Borysthenis, Borowica Krilouiam descendentis, ripam dextram.

TASZMINUS fluuius a meridie in septentrionem, ac inde iuxta Smilam se incuruans, ab occasu in ortum vergit, & sub Krylouia, Borysthenem ingreditur.

Tasiminus fl.

SMILA ad sinistram, & Mediowka, atque Czehrinum ad dextram fluminis dicti oppida probe & valide munita.

KRYLOVIA ad sinistram dextri aluei ripam, quem hic Tasiminus fluuius facit, supra hoc oppidum natura & arte munitum in duo brachia se diuaricans, insulam efficiens, et duplici ingressu Borystheni se iungens. Prope hanc vrbem anno 1625. Polonicæ militiæ Imperator *Koniecpolskius* triginta Cosacorum millia ad paludem Curacowo in siluas desertas compulit, quod cum Turcis pacem fregissent, atque ita coëgit, vt Turcas non amplius se aggressuros fidem darent. Ab hoc loco per plura milliaria Borysthenes descendens nullo amplius munito loco, si Krzemienczuk paulo infra Krylouiam in altero margine locatum exceperis, vsque ad Hudack defenditur.

Cosaci a Polonis in siluis cincti.

HUDAK, aliis Kudack, in dextra Borysthenis ora infra Samaræ fluuii sinistrum marginem ingredientis accessum, a *Koniecpolskio* Polonicæ militiæ Præfecto summo anno 1637. conditum munimentum, ad compescendos et coërcendos Cosacos, ne in mare Euxinum irrumpentes Turcas lacessendo bellum excitarent. Anno 1648. idem a Cosacis occupatum esse fertur.

Vltimum ad Borysthenem munimentum versus meridiem.

SAMARA fluuius ex ortu in occasum delatus sinistrum Borysthenis latus perfodit, vt et superior ipso alius, quem Worstlo flumen a septentrione in meridiem delatus sequitur, quem versus septentrionem ascendenti sequentia munimenta et fortalitia occurrunt.

Samara fluv. Worstlo fluv.

KABILAK, qua Kabilak fluuiolus dextrum marginem secat.

Kabilak fluv.

PULTAWA locus admodum fortis in eodem margine e regione ostii, quod in dextro margine Kolomaci, et Swinkowki fluentorum vndis iunctim ingredientibus patet.

Olefzna fluv.

ACHYR in eadem ripa infra Olesznæ fluenti introitum. Hic Worstlo fluuius plurimis, et quidem ad dextram versus occasum, maioribus siluis stipatur.

Psizol fluv.

OLESZNA paulo supra cognominis fluuii ingressum.

PSEZOL, vel Psizol fluuius ex Moscouiæ Ducatu erumpens, et a septentrione ad meridiem proficiscens, cum quo descendenti sequentia loca munita se cernenda offerunt.

HADIACZ oppidum et Krasnopol, quod castellum est.

OLTWA castello et vallis oppidum tutum in dextro margine infra Korol fluuii in eundem influxum.

Korol fluv.

KOROL, et Mirogrod, duo firma oppida ad idem fluentum Korol, quorum illud inferius, et in dextro, hoc superius, et in sinistro margine locatum est.

SULA proximus priori fluuius supra Lubniam Vdai fluuium assumit, et e regione Woronowkæ oppidi in Borysthenem præceps ruit.

Sula fluv.

DRIHALOW castellum ad cognominis fluuioli in Sulam ingressum, in sinistro margine.

RUMNE in dextra ripa, oppidum et arx.

GLIASKI oppidum antiquum in eodem margine infra Rumne.

LOCHWICE validis munitionibus feptum, et in eadem ripa præcedenti fuccedens oppidum.

PIASKI validum munimentum ad finiftram fluuioli Artepolock, finiftrum Sulæ fluuii, marginem perrumpentis.

Artepolock fluvius.

SIECA, & Sniatinum duo oppidula ad Sulæ dextram, fub quorum pofteriore Sula Vdai fluuii vndis augetur.

Vdai fluvius.

VDAI fluuius fupra Dorohinkam oppidum oriundus ab ortu in occafum defcendit finiftram ripam longo tractu filueftri veftitus: ad Dorohinkam fe flectens, aliquot anfractibus a feptentrione in meridiem prolabitur, & inter Sniatinum & Lubniam Sulæ mifcetur.

DOROHINKA munitum oppidum et arx ad Vdai dextram.

MONASTERCYCZE oppidum antiquum marginem Vdai vtrumque obfidens.

CHALICA vrbs antiqua ad cuiusdam fluuioli dextram, a præcedente oppido verfus occafum recedens.

ISZNIA ab eodem oppido Monaftercycze verfus occafum rectà tendens & cuiusdam fluuioli principio affidens oppidum munitum.

PRZYLUKA, & Przewlocyna duo oppidula antiqua non munita ad dextram Vdai fluminis.

Leyfeker fluv. Warwa fluv.

SREBRNE oppidum munitionibus vallatum in dextro margine fluenti Leyfeker, qui fupra Warwam fe Vdai fluctibus affociat.

WARWA valide munitus locus ad finiftram Vdai fluminis, contiguus ingreffui, qui fupra eundem fluuiolo cognomini in dictum fluuium patet.

ZORAWKA fub cognominis fluuioli acceffu & ad finiftram fæpe nominati fluminis oppidum antiquum.

PERATIN & Kurinka ad dextram eiusdem fluenti oppidula antiqua.

Mnohe fluv.

CZERNOWKA, oppidum vallis et propugnaculis firmatum in finiftra ora fluuioli Mnohe, qui aliquo fpacio fub Mnokoy in Vdai flumen vndas fuas effundit.

MNOKOY oppidum antiquum in eiusdem fluuioli ripa eadem, paulo fupra eiusdem in Vdai ingreffum, fub quo Sula & Vdai vndas fuas confundunt. Hinc Sulæ defcendentis ripam dextram continua montium feries comitatur, vno vel altero milliari fupra Zolninum fe inflectens, ac iterum paruo interuallo a Boryfthenis finiftra vfque ad Zlotonofzam afcendens.

Montes.

LUBNIE validis vallis, & propugnaculis fe defendens oppidum, quod Sulam a congreffu cum Vdai defcendentem dextro margine attingit.

Siporow. flu.

LUKOMLA fimile fortalitium fere medium inter Siporod et Orfzicæ fluminum dextram Sulæ ripam perrumpentium acceffus, quorum prior inter Lubniam, & Lukomlam aquas fuas in Sulam inuectat.

Orfzica fluv.

ORSZICA fluuius a borea in meridiem defcendit, et fub Iablonovia alios duos fluuios, nimirum Sucha orfzicam & Czumchakum eodem curfu ad dextram eius defluentes abforbet, ex quibus prior medium locum inter hæc tria flumina obtinens in Czumchakum paulo fupra eiufdem in Orfzicam introitum præcipitat.

Czumchak fl.

CZUMCHAK caftellum munitum aliquot milliaribus a cognominis fluminis origine diftans.

IABLONOVIA munitus locus in Orfzicæ finiftro margine paulo fupra Czumchaki aditum.

ORSZICA munitum oppidum ad dextram fluminis eodem nomine infigniti, vno aut altero milliari fupra eiusdem in Vdai flumen influxum.

ZOLNINUM, propugnaculis vallatum oppidum ad dextram Vdai, qua Boryftheni appropinquat.

ZHERIN

ZHTRIN Dubrowa ad finistram Vdai, paulo supra eius exitum, quo e regione Woronoukæ oppidi in Borysthenem euadit.

IEREMIOWKA validis operibus cinctum oppidum sub dictorum montium flexu versus meridiem sedens.

HERKLI et Kropiwn duæ insignes munitiones, quarum illa inter Ieremiowkam et hanc fere media est: hæc vero cognomini fluuiolo accumbit.

DOMUNTOW, & Bobnowka duo fortalitia exiguo spatio a Borysthenis margine remota, quorum illud inferius, hoc superius est, & paulo infra Supoi fluminis in Borysthenem influxum sedem suam habet.

ZLOTONOSCA firmissimum operibus bellicis, & paludibus oppidum ad eiusdem nominis fluuiolum exitu carentem a Bobnokovia versus ortum secedens, supra quod series montium dicta finem sortitur.

SUPOI fluminis in Borysthenis dextrum marginem introitus paulo inferior est accessu Rosli fluminis ad dextram ingredientis. Supoi fluv.

PIECZANA & Elmiazow, quorum hoc superius, illud inferius, munitionibus suis dextram Supoi fluminis tuentur.

IAKOTYNUM octo vel nouem milliaribus Germanicis supra Elmiazouiam in finistro eiusdem fluminis margine oppidum firmum cum arce.

BYKOF, simile oppidum vno vel altero milliari a Supoi fluminis scaturigine, in eadem ripa.

NEDRA fluuius Supoi proximus ad occasum, tribus defenditur oppidis validis, & a Borea in Austrum delabitur. Nedra fluv.

BAZAN ad fontes eius sedet.

IERNSPOL ad dextram sequitur.

BEREZAN ad finistram accumbit, sub quo Nedra proximo fluuio Trubice vndas suas tradit.

TRVBICE fluuius a Borea itidem in austrum fertur, & fere duobus milliaribus Germanicis sub Pereaslauia Borysthenis finistram ripam perfodit, vbi e regione Trethymirouia cernitur. Trubice fluv.

PEREASLAVIA insigne oppidum, firmissimis operibus bellicis tutum, & incolis refertum, dicto fluuio cingitur.

BARISZOVIA antiquum oppidum ad eiusdem fluminis dextram.

BARIZPOLE firmum oppidum cum arce inter nominatum fluuium, & filuestrem tractum e regione Kiiouiæ cum finistra Borysthenis ripa descendentem.

OHULOVIA oppidum munitum a Barizpole versus septentrionem.

SWITELNA simile oppidum ad dextram Trubice fluuii versus occasum Ohuloviam inspectans.

BOBRICA & Kobitz duæ firmæ munitiones ad fluuiolos quosdam, haud multum remotæ a finistra ripa dicti fluuii, qui hic oritur.

NIZYN, validum et populosum oppidum ad finistram fluuii cuiusdam, qui haud longe ab Vdai fluminis fontibus oriens, & ab ortu in occasum properans ad Osterze, antiquum oppidum Desznæ flumini seiungit. Anno 1652. sub Casimiro rege, Poloni hunc locum Cosacis eripuerunt. Flumen ipsum Kiiouiensem palatinatum a Czerniechouiensi ducatu disterminat. Cosacis ereptum oppidum à Polonis.

VOLINIÆ PALATINATUS ab occasu Belzensem palatinatum & Chelmensem terram, a meridie Podoliam & Braclaviensem satrapiam, ab ortu Kiiouiensem palatinatum, & a septentrione Pinscensem districtum ac albam Russiam attingit. In duos maximos districtus, Cremenecensem, & Luceoriensem diuiditur, ac Senatores tres, palatinum, & castellanum Volhiniæ, atque Episcopum Luceoriensem, ad comitia regni publica emittere solet. Alii hanc satrapiam in citeriorem & vlteriorem diuidunt. Fines. Diuisio Senatores.

PILAWITZ, & Krasnepole, duo oppida antiqua, in finibus Podoliæ a Bogo fluuio versus Boream.

OLANOVIA oppidum munitum in iisdem finibus a Krasnepole versus meridiem.

OSTROGA munita ciuitas cum arce, ab Olanovia versus ortum, ad fluuiolum in Bogum delabentem.

Ciecerefs flu.

BERDICZOVIA oppidum antiquum in dextra ripa fluminis Ciecerefs.

KODNIA oppidum antiquum in finibus Kiiouiensis palatinatus a Zitomirz versus ortum.

ZITOMIRZ, Zitomiria, ad sinistram fluuii Ciecerefs, quam *Starovolscius* ad Braclaviensem, typus Dantiscanus ad hunc palatinatum refert. Dictus fluuius haud longe sub Czernobel se confert in Przipiecz seu Pripetum fluuium.

CZERNIECHOVIA antiquum oppidum a Zytomiria versus septentrionem.

Vsza fluvius.

VSZOMIRIA ciuitas ad Vszam flumen infra Czernobel in Pripetum illabens.

OWRVCZE oppidulum ad fluuiolum, qui alii iungitur, & cum eo in Vszam se immergit. Omnis hic tractus inter Czerniechoviam, & hunc locum olim paludibus, & stagnis repletus, hodie oppidulis & pagis refertus incolis plurimis affluit.

Tractus olim paludosus nunc cultus.

Slucz fluv.

SLUCZ, fluuius haud procul a Bogi scaturigine ex fonte suo prorumpens, a meridie in septentrionem properat, et ad Dobrowicam Horino iunctus nomen & vndas amittit. Horinus autem a Pripeto vndis & nomine priuatur, duplice alueo insulam claudente exceptus.

BASILIA ciuitas ad dextram Sluczi haud longe ab eius origine.

KRASILOVIA in eodem margine aliquo interuallo sequitur.

CONSTANTINOWA, in sinistro margine succedit. Constantinoviam *Starovolscius* appellat.

SLVSINIECZ, & Polemno, vel Polemo, oppida duo inter Sluczum & Horinum, flumina.

MIRAPOL ad dextram, Baronovia, Ostrozek, Zwiahel, Kurczicze ad sinistram, Horodnika iterum ad dextram Sluczi ciuitates.

KORZEC oppidum, sub Horodnica Sluczum subeunti fluuiolo adhæret.

Horinus fluvius.

HORIN, vel Horinus fluuius, ab austro in Boream cursum suum promouens ad Dobronicam Sluczum excipit, vt paulo superius dictum est.

AMPOL ad sinistram ripam prope dicti fluuii scaturiginem oppidum.

ZASLAVIA in eadem ripa oppidum & ducatus caput.

OSTROGIUM, ducum Ostrogiensium sedes, in cuius vicinia Dermanum, monachorum Russicorum, seu Græcorum, multa bona possidentium, commoratio, & cœnobium.

ROCHMANOVIA ab Ostrogio versus occasum ciuitas.

MIEDEZYRCZEK, Miedireczum, paulo infra Ostrogium, cum quo eandem ripam sinistram Horini insidet, oppidum munitissimum, in quo Franciscanis Conuentualibus, vt *Starovolscius* refert, vltimus de familia *Ioannes Ostrogius* dux, & castellanus Cracouiensis, templum & monasterium, neptis vero ipsius Iesuitis templum, et collegium extruxit sumptuosum, ac in templo mariti sui *Caroli Choakievicii* ossa reposuit.

Ioannes dux Ostrogius.

DOROHOBUS, et Alexandria, duæ ciuitates, illa ad sinistram, hæc ad dextram Horini ripam.

MARCOWICZA oppidum ad fluuiolum, qui non longe ab Irwa Klewam descendens Horino vndas suas largitur.

KLEBAN ad eiusdem fluuioli dextram.

Stanislaus Radzivillus.

OLIKA ciuitas a Klewan versus occasum ad paludem, ad Radivillos pertinens, in qua dux *Stanislaus Radzivillus*, Lituaniæ Cancellarius supremus, arcem munitissimam

munitiſſimam, eccleſiam collegiatam elegantiſſimam, Academiam, et pietatis montem, vt vocari ſolet, conſtruxit. Anno 1651. Coſaci hanc vrbem, cuius *Albertus Radivillus* tunc temporis dominus fuit, irrita obſidione tentarunt.

WISNIOWIECZ ducatus cognominis caput, in Podoliæ finibus.

IRWA et Opaizypſa, flumina in proximo tractu orti, ſupra Luceoriam vndarum commixtione Ster fluuium efficiunt, a nominata vrbe in ſeptentrionem curſum ſuum præcipitantem, et in Pripetum deſinentem.

Irwa & Opaizypſa flumina.

KRZEMIENIECZ, Cremenecia, Cremenecenſis territorii caput, ad dextram Irwæ fluenti, in eminentiſſimo ſcopulo arcem oſtentat.

DUBNA ciuitas ad Irwæ ſiniſtram duobus circiter milliaribus infra præcedentem, cuius poſſeſſor fuit *Dominicus* Zaslaviæ dux anno 1651, quo Rex *Ioannes Caſimirus* exercitum Polonicum in expeditionem contra Coſacos ducens, Vignancam venit, in locum paſcuis et aquis affluentem, ac inde Bereſteciam, et porro Dubnam. *Chmielnicius* vel *Chmielnicius*, Coſacorum præfectus ſummus, inter Zbaravium, et Viſnoveciam caſtra ſua locauerat. Tartarorum Chamus caſtra ſua Leſnoviæ habebat, quod oppidulum aliquot mille paſſibus Bereſtecia diſtat, et ad Koniecpolſcios pertinet. Die S. Petri et Pauli prælii initium eſt factum cum Coſacis et Tartaris, in quo Poloni trecentorum præcipuæ notæ militum iactura victoriam obtinuerunt. Sequenti die ipſum prælium initum, cui Rex ipſe, *Dominicus*, Oſtrogii et Zaslauiæ dux, *Ieremias Michaël* dux Viſniowecenſis, cum duobus aliis principibus conſanguineis ſuis, *Sigiſmundus Prziemſcius* tormentorum bellicorum præfectus ſummus, et notarius campeſtris, *Iacobus Weyher* Marienburgenſis palatinus, *Chriſtophorus Hubaldus* Germanicis bellis famoſus, et *Boguslaus Radzivilius* interfuerunt. Victi autem ſunt Tartari, et Brucienſes ac Siliſtrienſes Turcæ, vt Coſacis auxilium ferrent, euocati a *Chmielnicio*, cui, poſt initam pacem, Czehrinum ſedem Rex conceſſerat. Coſaci adhuc diu in caſtris ſuis commorati tandem in fugam ſe coniecerunt, ex quibus cum ruſticis rebellibus circiter tringinta millia in paludibus, et ſiluestribus locis tunc temporis periiſſe feruntur. In caſtris Poloni opimam prædam, et 18. tormenta bellica maiora nacti ſunt.

Regis Ioannis Caſimiri expeditio bellica.

Tartari & Coſaci victi

KOZIN oppidulum inter Bereſteciam, & Dubnam.

BERESTECIA, Bereſteczko, oppidulum ad fluuioli in Opaicypſam fluentum deſcendentis ſcaturiginem, olim Pinſciorum ducum, tunc temporis *Vladislai* comitis in Leſzno, proprium.

LUCKO vel Luceoria, Luceorienſis diſtrictus primaria ciuitas, ad Ster vel Styri fluuii dextram arce firmatur. Epiſcopus cum capitulo ſuo, & Ieſuitæ in arce commorantur. Ruſſicus ſiue Græcus Epiſcopus in ipſa ciuitate ſedem habet. Luſcum eſt *Cromeri*. Anno 1074. fere dimidium annum a Polonico Rege *Boleslao* obſeſſum, tandem occupatum. Anno 1431. in bello inteſtino duorum fratrum *Wladislai* & *Suidrigellonis* incendio fœdatum eſt, arce tamen incolumi conſeruata.

Ster, vel Styrus fluvius.

Luceoria capta a Polonis.

STOIANOVIA inter Opaizypſam & Bugum fluuios oppidulum.

SOCALIA, Sokal, Sokalum, ad dextram Bugi fluuii hic Voliniam & Belzenſem ſatrapiam disiungentis oppidum & arx firmiſſime munita, nobilitatur miraculoſa imagine *Beatae Virginis Mariae*, in templo Fratrum S. Franciſci de obſeruantia, qui vulgo Bernardini nuncupantur. Templum hoc ob metum hoſtium ab ipſis excitatum eſt, ac propugnaculis firmatum in inſula, quam Bugus fluuius duorum alueorum complexu claudit.

Templum B. Virginis.

LITOWISZ oppidulum in dextra Bugi ripa inter Socaliam, & Kriloviam.

WLODZIMIERZ, Wladimiria, Volodomiria, Wlodimirz ciuitas accumbens margini dextro fluuioli Lugi ab ortu in occaſum per dextram ripam in Bugum delabentis. Sedes eſt Epiſcopi Ruſſici, cuius iuriſdictio late patet. Anno 1319. *Ge-*

Lug fluvius.

diminus Lituaniæ dux, hanc vrbem obſeſſam cum arce & totam regionem occupauit, poſtquam *Volodomirium*, eius ducem, qui exercitu aduentans eam obſidione liberare moliebatur, occidiſſet. Anno 1365. *Caſimirus II. Magnus* cognominatus, Poloniæ Rex, eam occupauit, & *Kiuſtutum Olgerdi* ducis fratrem captiuum fecit, qui elapſus eandem Polonis iterum eripuit. Anno 1431. in bello regis *Wladislai* & *Suitrigellonis* eiusdem fratris incendio conflagrauit.

LUBOMLE oppidum a dextra Bugi ripa verſus ortum aliquo ſpacio recedens.

LOCCAZ oppidulum inter Volodomiriam & Luceoriam.

ALBA RUSSIA.

Fines. ALBA RUSSIA meridionales limites habet Volnyniam, et Kiiovienſem palatinatum, orientales Moſchouiam, ſeptentrionales eandem Moſchouiam et Liuoniam, atque occidentales Lituaniam ac Podlachiam. Nomen. Alba dicitur vel ob album incolarum colorem, vel ob campos diutius niuibus opertos, et omnia alba exhibentes; vnde et lupi, vrſi, lepores, vulpes, et reliqua animalia, tam domeſtica quam ſiluestria, quæ in aliis locis alium colorem habent, albo colore decorata ſunt. Albam Ruſſiam non a niuibus, aut albo incolarum colore, ſed ab albis galeris, quibus incolæ vtuntur, dici putat *Brietius in ſuis Parallelis Geographicis*, ſicut Zagathæi virides dicuntur a viridi turbano, quo capita tegunt. *Starovolſcius* tamen priorem ſententiam tuetur. Regio omnium rerum, quæ ad Qualitas. victum requiruntur, feraciſſima, ſiligine, hordeo, auena, tritico, cicere, cannabi, lino, melle, lupulo, cera, pecoribus, pecudibus, piſcibus, auibus, et feris affluit. Has ſuas diuitias incolæ partim Dunæ fluuii adiumento Rigam in Liuoniam, partim Nemeni fluenti opera Regio-montem in Boruſſiam transportant. Diviſio. Totius regionis palatinatus ſunt ſex, Novogrodenſis, Minſcenſis, Mſcislauienſis, Smolenſcenſis, Vitepſcenſis, et Polocenſis.

Fines. NOVOGRODENSIS PALATINATUS cæteris populoſior ab occaſu Podlachiæ et Trocenſi palatinatui, a ſeptentrione eidem, Minſcenſi, et Mſcislauienſi palatinatibus, ab ortu Moſchouiæ, et a meridie Breſtienſis palatinatus territorio Pinſcenſi et Volhyniæ aliqua ex parte finitimus eſt. Duos Senatores palatinum et caſtellanum habet. Diuiditur in duos diſtrictus, Novogrodenſem et Slonimenſem, vterque plura oppida et pagos incolis refertos continet, ex quibus Diviſio. præcipua enarrabimus.

Novogrodenſis diſtrictus cum Slucenſi ducatu, qui ſub Novogrodenſi eſt, Slonimenſem diſtrictum ab occaſu habet, et vsque Rhaczovienſe ac Rzecycenſe territorium verſus ortum pergit.

NOVOGRODCUM, Novogrodecum, Nouogrodec, cognomento Sevierſki, ſeu Nouuigrodt, vt & Nouogrodum minus, qua appellatione a maiore Novogrodo in Moſcouia diſtinguitur, huius palatinatus caput, inter Memenum & Vſzam fluuios ſitum, alternis vicibus cum oppido Minſko Parlamentum, ſiue Curiam iudiciorum ſupremam totius Lituaniæ habet. Sedes eſt palatini, vbi præter alia Catholicorum, & Ruſſorum monaſteria, Ieſuitarum etiam collegium cernitur. Conditor. *Erdivilus* Lituaniæ Princeps, *Montwilonis* filius, in expeditione Ruſſica peruenit ad collem quendam, ac in eo arcis combuſtæ a Tartaris, ac Nouogrodeck appellatæ parietinas offendit. Loci vero commoditate allectus arcem renouari iuſſit, ac ibidem ſedem ſuam conſtituens nouæ vrbis condendæ initium fecit, primus Primus dux Novogrodenſis. Dux Nouogrodenſis inde appellatus, cui Nouogrodia, Breſtia, Grodna, & Podlachia tunc temporis parebant. Anno 1314. Ordinis Teutonici in Pruſſia milites, hac regione ferro & igne vaſtata, vrbem hanc compilatam incenderunt: Arx tamen incolumis conſeruata eſt. Anno 1390. iidem cum Lituanis, Iagellonis hoſtibus,

ſtibus, hanc eandem vrbem, & Vilcomeriam flamma in cineres redegerunt. *Sigismundi* Magni Ducis Lituaniæ filius *Michael*, anno 1452. fato functus, Tartarorum auxilio Severienſe territorium Moſcoviæ finitimum occupauit, vnde inter ipſum, & *Caſimirum III.* Regem Poloniæ, bellum exarſit. Sed Nouogrodia capta a Moſchis anno 1477. Principes Ruſſici Seuerienſes ſponte ad Moſchos, vnam cum ipſis religionem profitentes, defecerunt.

NESVIZIA a Nouogrodo vndecim, aut duodecim milliaribus, verſus ortum hybernum, aliquo infra Vſzæ fluuii originem interuallo ciuitas, & Radivillorum Ducalis ſedes, vnde Ducum in Nieſwicz titulo vtuntur. *Nicolaus Chriſtophorus Radzivillus*, ob iter peregrini habitu in terram ſanctam factum peregrinus cognominatus, aliquot cœnobia, & Xenodochia pro pauperibus, vt & Ieſuitarum collegium, ac vrbis curiam magnifice & multis ſumptibus exſtruenda curauit.

Vſza fluv. Nic. Chriſtophorus Radivillus.

MYRH arx ab eodem *Radivillo* ſumptuoſe condita, ac inter Nouogrodecum & Neſviziam ſita, a qua *Radivilli* ſe comites in Myrh cognominant.

LACHOVICIA oppidum Neſuicia verſus meridiem remotum.

MYSZA oppidum Lachowicia verſus occaſum diſtans.

SLUCENSIS Ducatus, Nouogrodenſi palatinatui verſus ortum adhærens, ſuperioribus temporibus ſuos Principes habuit ampliſſimarum poſſeſſionum Dominos; Nunc vero in *Radivillorum* poſſeſſionem, Ducum dictorum ſtirpe deficiente, conceſſit,

SLUCK, vrbs omnium, quæcunque in Polonia ſunt, maxima, ſed tota fere lignea, palatio ducali, & Catholicorum templo, paucisque aliis ædibus exceptis. Sub Rege Poloniæ *Sigiſmundo I. Conſtantinus* Oſtrogii Dux, & Lituaniæ Princeps, ac Polonicæ militiæ imperator ſummus in huius vrbis vicinia tres Tartarorum exercitus tribus prœliis vicit, & maxima clade affecit. Hunc *in oratione dicti Regis funebri Cromerus* appellat Principem omnium ſæculorum memoria digniſſimum. Militiæ ſtrenuus fuit Imperator, qui anno 1514. inter Baſzeiam, Scyſrwam, Mſciſlauiam, & Radoml, ad Soſzam fluuium quadraginta Moſcovitarum millia proſtrauit. Poſt ſupra dictam Tartarorum cladem ſub nominato Rege ex viginti quatuor mille Tartaris ad Viſniouecíam pauciſſimi euaſerunt.

Vrbs tota fere lignea. Tartari a Polonis victi. Vt & Moſchi

ROHACZOVIENSE territorium inter Slucenſem Ducatum, & Moſcouiam intereſt, & ad Soſz fluuium pertingit.

ROHACZOVIA huius territorii caput in apice, quem affluxus Druc fluuii in Boryſthenem facit, ſitum eſt.

RZECZYCENSE territorium Rohaczouienſi verſus meridiem adiacet.

RZECZYCA huius territorii primaria ciuitas ad Wiodraycam fluuium, qua Boryſthenem adit, appoſita eſt.

Wiodrayca fl

SLONIMENSIS Diſtrictus a Nouogrodenſi verſus occaſum excurrit.

SLONIMUM ad Saczaram fluuium, inde in Memenum decurrentem, in hoc diſtrictu primum locum obtinet.

Saczara fluv.

ROZANA, Roſanna, a dextro margine fluenti Zolwiæ, verſus ortum aliquanto ſpatio diſiuncta ciuitas, & Sapieharum ſedes, plateis admodum rectis, & ædificiorum ſumptuoſorum ſplendore nobilitatur.

Zolwia fluv.

MINSCENSIS PALATINATUS, Boriſouienſe territorium etiam complectens; ac omni frugum copia diues Vilnenſi palatinatu ab occaſu, Nouogrodenſi a meridie, Mſcislauienſi ab ortu, & Polocenſi a Septentrione ſepitur. Eius Senatores duo ſunt, Palatinus & Caſtellanus.

Fines.

MINSCUM in hoc palatinatu primas tenens ciuitas, ad Zaczinum fluuium arce inter aquas ſedente ſe tutatur, vt & alio inferiore, quod priore non minus firmum eſt. Apud Ruſſos enim in more poſitum eſt, vt ciuitates alicuius notæ duplici arce, & quidem, ſi fieri poteſt, inferiore & ſuperiore, muniant. Ciuibus politioribus, quam cæteræ ciuitates, habitatur, ob nobilium frequentiam, cum

Zaczinus fluv. Mos Ruſſorum.

totius Lituaniæ tribunal, seu iudicium supremum ibi celebratur, quod alternatim vno anno Vilnæ, altero Minsci, & tertio Nouogrodii fieri consueuit.

KAIDANOVIA ciuitas a Minsco versus meridiem.

TOLOCZINUM, Smolniany, & Turkum, tria reliqua alicuius notæ, in hoc palatinatu oppida. In cæteris ignobilioribus Religiosi passim sua monasteria, & Magnates palatia habent.

BORISOVIA, Borissow, territorii aut districtus sui princeps ciuitas duabus arcibus hostiles impetus amoliens ad Berezinam fluuium, in qua ante Moschorum inuasionem nuperrimam in Lituaniam præsidium Polonicum contra Moschos commorari solebat. Anno 1655. Iulio mense eiusdem Moscovitæ vi potiti sunt.

Berezina fl.

MSCISLAVIENSIS PALATINATUS versus ortum ad, & circa Soszam fluuium in Moscouiæ finibus, siluis totus inumbratur, & aquis immergitur, duosque Senatores, cæterarum satrapiarum Lituanicarum more ad comitia publica Regni ablegat. Diuisio eius exhibet duos amplissimos districtus, Mscislauiensem & Modzkiensem.

Fines. Senatores. Diuisio.

SOSZ, vel Sosza fluuius, ex hoc palatinatu oriens a septentrione in meridiem sub Kryczouia Mohilouiensem districtum intrat, ex eo Rohaczouiense territorium ingreditur, ac Rzeczycensi terra superata e regione oppidi Loiowogrod Borysthenis aquas suas adiungit.

Sosz fluv.

MSCISLAVIA sui territorii primaria ciuitas prope Sosz flumen. Anno 1386. *Suentoslaus* Smolenscensis Dux eam frustra obsedit, & vitam perdidit.

CLECKUM, Ouruckum, Homlia, Cricrouia ad Soszam fluuium, Ostersikum oppida huius palatinatus præcipua, arcibus pulchris, & bene munitis exornata.

MODZIRIA, vel Modzyrum, Modzyrensis districtus prima ac præcipua, in mediis paludibus sita, agro cingitur innata fœcunditate, & accuratiore hominum cultu benigne sementem reddenti. Pecorum hic & armentorum, vt & volucrum ac ferarum insignis est affluentia. In nupero bello cum Cosacis gesto, antequam Zboroviæ cum *Chmielnicio* pax inita esset, Dux Radiuilus Lituanicæ militiæ præfectus summus exercitum suum ad Borysthenem adduxit, ac voluntaria deditione oppidulis Turovia, & Grodeco potitus est: Postea Mozyri arcem a rebellibus defensam occupauit, vt & Bobroiscum ad Berezinam. Loiovium ad Borysthenem cum arce Cosaci ipsi incenderunt, & deseruerunt.

Diuersa loca Cosacis erepta.

SMOLENSCENSIS PALATINATUS, inter Moschouiam, & Vitepcensem satrapiam, ducatum Severiensem, terram Czerniechoviensem arces septuaginta continentes, & districtum Orsanensem complectitur. Præter Czerniechoviensem etiam districtus Rumnensem, et Sierpicioviensem Rex *Sigismundus III.* anno 1611. quo Smolenscum Moschis eripuit, huic satrapiæ adiecit.

Fines.

SMOLENSKO, Smolenscum ad Borysthenem, seu Dniepr fluuium, in editiore loco posita huius palatinatus metropolis, muro cingitur sex cubitos lato, & quinquaginta duabus turribus firmo, speculamque habet aut propugnaculum in vrbe media editiori monti insidens. Præter nobilium aulas, & religiosorum tam Russorum, quam Catholicorum templa, & cœnobia, ac Iesuitarum collegium, vt et Russici Episcopi, qui Archiepiscopo Polocensi subiectus est, circiter quater mille ædes ipsam continere *Starovolscius* de suo tempore loquens dicit. Vterque dictus Episcopus Papam Ecclesiæ caput agnoscit. Catholico Romano Episcopum in eadem vrbe constituit Rex *Vladislaus IV.* vna cum collegio Canonicorum; idque ex destinatione patris sui *Sigismundi III.* qui conuentum Ord. Præd. fundauerat. Olim hæc ciuitas cum tota regione propriis suis ducibus Russicis paruit. Ex his *Suentoslaus*, circa annum 1386. Lituaniam inuadens, Witepcensi & Orsanensi districtu direpto & vastato, Mscislauiam oppugnauit, interfectus tamen a Polonis & Lituanis, qui Poloczko recuperato filium eius *Georgium* Smolenskiis Principem præfeceruut. Anno 1403. *Vitoudus* M. Dux. Lituaniæ, huius vrbis

Duces Smolenscenses. Smolenscum a Lituanis occupatum.

vrbis arcem, in quam nobiles & ciues cum vxoribus & liberis confugerant, milite suo circumdatam occupauit, cæterisque omnibus oppidis & arcibus in potestatem suam redactis totum hunc Ducatum Smolenscensem in Lituanicam prouinciam mutauit. Dux ipse in Vngariam fuga elapsus apud Vngariæ Regem, ac postea Cæsarem *Sigismundum* vixit, & tandem in exilio mortuus est. *Post Vitoudi* obitum, cum *Iagellonis*, aut *Vladislai* Regis Poloniæ, frater *Suitrigello* Lituaniam adortus esset, ac *Vitoudi* fratrem *Sigismundum* Lituaniæ Ducem magnum creauissent, Smolensko, Orsa, Poloczko, Witepskum, & fere tota Russia Lituanica a *Suitrigellone* defecit. *Sigismundo* anno 1439. a suis occiso, in ipsius locum a Lituanis contra voluntatem Regis fratris sui & Polonorum, subuectus est *Iagellonis* natu minor filius *Casimirus*, postea quoque rex factus, qui magno hominum numero interfecto Smolenscum exussit, & arcem, (quæ aut ad Sigismundi filium *Mihoëlem* a dicto Rege *Casimiro* postea bello petitum, aut ad nominatum *Suitrigellonem*, anno 1452. fato functum, defecerat) recuperatam sibi subiecit. Anno 1500. M. Dux Moscouiæ *Iohannes*, licet filiam suam Helenam *Alberto* M. Duci Lituaniæ, & Regis *Casimiri III.* filio nuptum locasset, districtum Smolenscensem vastauit, totum illud territorium, ad flumen Berezinam, quod inter Stryessin, & Rzeczicam prope Horwol Borystheni iungitur, & reliquum ipsi appositum, auito iure a suo genero postulans. Ideo & eius iussu *Demetrius* filius anno 1502. Smolenscum obsedit & cepit, arce excepta, cuius potiri non potuit. Hinc induciis sexennibus gener, iam Poloniæ Rex, socero reconciliatus est. Hoc defuncto, filius *Basilius* M. Dux Moscouiæ aliquoties arcem frustra adortus est, donec *Mihoël Glinsky* Russicus Princeps, qui apud Regem Alexandrum magna pollens auctoritate ab eius fratre & successore *Sigismundo I* ad Moschos desciuerat, cum exercitu ab eo missus, eam obsessam 20. vel 30. Iulii secundum *Caluisium* anno 1514. proditione, & pecunia Lituanis rursus extorsit. Sic Moschi potiti sunt validissima hac arce in extremis fere Sarmatiæ finibus sita, vno latere Borysthenis, vndas sustinente, altero paludosis, & omnem aditum excludentibus locis insidente, ac propugnaculis terra & lapidibus, quos firmissima ligna querna sepiebant, fartis adeo munita, vt ex trecentis tormentis maioribus, quæ ab Italis & Germanis fusione parata Moschi penes se habuisse feruntur, globorum emissorum nulli penetrare potuerint. *Ludov. Decius de Sigismund. l. tempor. fol. 87. Chytraeus, lib. 1. & 7. Saxon.* hanc arcem cum templo situm suum in excelso loco habere, & Ducatum Smolenscensem per quinquaginta milliaria se extendere ait. Eodem quidem anno Rex Poloniæ *Sigismundus I* eam obsidione tentauit, sed irrito conatu suo supersedere coactus est, licet 8. Septembris *Constantinus* Ostrogii Dux Polonici exercitus imperator Moschos maxima clade profligauisset. Anno 1548. *Stephanus* Rex per legatos suos a *Iohanne Basilide* Nouogrodiæ, Plescouiæ, & Smolenscí, quæ vrbes cum ditionibus Lituanici iuris olim fuerant, restitutionem postulauit. *Laurentius Mullerus in historiis Polonicis Lit. D. Num.* II Smolensci autem recuperandi occasio se postea Polonis obtulit. *Basilides* cui *Theodorus* filius successit, ante vitæ suæ exitum aliam duxerat vxorem, ex qua filium susceperat, Demetrium nominatum, quem puerulum, post Patris haud diu post mortui obitum, regnante *Theodoro* homine ingenii exigui, *Boris*, vt affini suo *Theodoro* succedere posset, interficiendum iussit. Eius autem loco alium occisum, & *Demetrium* seruatum, ac postea a Coloniensi quodam educatum esse falso ferebatur. In Liuoniam, ac postmodum in Poloniam veniens a Rege Iesuitarum curæ & institutioni commendatus, ac tandem cum quinque militum millibus in Moscouiam missus est, vbi, Moscua vrbe feliciter occupata, anno 1605. mense Iulio coronatus; Moscouiæ totius imperium sibi acquisiuit. Ac quia palatini Sendomiriensis auxilio præcipue voti compos factus erat, anno 1656. eius filiam vxorem duxit, quæ magno Polonorum comitatu, & insigni magnificentia ad ipsum in vrbem Moscuam

Vrbs exusta, & arx occupata.

A Moschis frustra obsessa.

Tandem proditione capta.

Arcis descriptio.

Irrita obsidione a Polonis tentatur.

Demetrius falsus.

ſcuam adducta eſt. Polonorum pertæſi Moſchi *Demetrium* cum multis Polonis, tumultu 17. Maii excitato, trucidarunt, exceptis plurimis Magnatibus Polonis, quos Moſchorum Principes ſeruarunt. Nec mercatoribus pluribus parcitum, apud quos magnum æs alienum *Demetrius* conflauerat. Interea dum de nouo Duce magno eligendo Moſchi anno 1610 conſilia capiunt, Poloni Smolenſcum obſidione arcta cingunt, & nouum Ducem Magnum, cui *Suſcius* nomen, cum fratribus & exercitu Moſcouitico, cauſa liberandæ vrbis, aduentantem ingenti prælio fundunt, & ipſum Ducem Suſcium cum duobus fratribus captiuum faciunt. Poſt duorum fere annorum obſidionem Rex *Sigismundus III.* anno 1611. tandem vi vrbem recipit, in qua ex octoginta mille hominibus, qui ab initio obſidionis in ea fuiſſe dicuntur, vix octo millia ſuperfuerunt, vt *Paulus Piaſecius* narrat, qui vrbis mœnia octo vlnas craſſa, quindecim alta, & ex cæſis lapidibus a terra constructa eſſe ait. Alia item mœnia ex lateribus compoſita viginti vlnarum altitudinem attingere, & propugnaculis ſuis probe firmata eſſe; vallum vero nullum, nec etiam foſſam exterius firmare vrbem, Warſouia 220. milliaribus Polonicis diſtantem. In vrbe illis temporibus octo ædium millia numerata tradit *Stanislaus a Kobierzycko*, & quoniam vrbs ipſa difficulter conſeruari poterat, incolas eam incendiſſe, et ſe in arcem contuliſſe, ſitam in altero litore, et ipſa vrbe haud multo minorem, vtpote quam mœnia octo et triginta turribus firmata circumdant. Obſidio tota 1. Oct. anno 1609. incepta, et 13. Iulii anno 1611. finita, atque ita 20. menſes durans, tam morbis, quam ferro, vltra ſeptuaginta hominum millia conſumpſiſſe dicitur. Incendium tunc temporis in arce exoriens templum cum omnibus ornamentis, ac ingenti theſauro, ipſam arcem exedit, adeo vt quatuor horarum ſpatio cordibus ſe exhauſtam, et flamma in cineres redactam ſenſerit. Inter captiuos erat *Sergius* ab altari abreptus, et vulneratus, vt & ipſe arcis et vrbis præfectus Moſchus, *Mihaël Boriſſius Seyntus* vel *Sehinus*. Anno 1615. Moſchovitæ imperii ſui rectionem commiſerunt *Michaëli Federovitio*, ac poſt pacem cum Suecis, quibus pro ſuppetiis latis pecuniam numerarunt, et aliquot loca tradiderunt, initam, anno 1616. Smolenſcum denuo obſidere auſi ſunt, repulſi tamen ab *Vladislad* Principe *Sigismundi III.* filio, poſtea ſucceſſore, qui anno 1617. in Moſcouiam irrumpens Viagmam vsque peruenit, vrbem triginta ſex milliaribus Moſcua dimotam, vnde regreſſus eſt, ob ingruentem hyemem, quæ ipſius progreſſus vlteriores inhibuit. Anno 1632. *Mihael Federoviczius* M. Dux Moſcouiæ ingentem exercitum centum millibus militum, inter quos ſex Germanorum erant, conſtantem, coëgit ſub præfecto ſuo ſummo *Hermanno Sehinio*, qui natione Polonus Ruſſicæ religioni ſe dediderat, et Moſcuæ domicilium ſuum fixerat. Alii hunc præfectum *Mihaëlem Boriſſovium Scheininm* nominant. Hic exercitus neceſſariis ad bellum rebus omnibus, ac præcipue trecentis tormentis maioribus, inter quæ murales machinæ haud paucæ, inſtructus, Maio menſe ſequentis anni. Smolenſcum circumſedit, facili negotio occupaſſet vrbem, craſſo quidem muro vndidique ſeptam, ſed foſſis, et propugnaculis plane deſtitutam, præcipue cum Germani muralibus machinis iam haud exiguam muri partem aperuiſſent, et ad impetum faciendum idoneam reddidiſſent. Sed impetu ſuperſedere iuſſu *Scheinii* ſummi præfecti cogebantur, qui in ipſos ad impetum faciendum promptos et paratos, ipſas machinas bellicas maiores dirigi, vt ab impetu arcerentur, mandauit. Interea Polonicus exercitus aduentans, ac omnes aditus, per quos Ruſſis commeatus aduectabatur, obſidens magno iſti animali Ruſſico, exercitui nimirum, ventris formandi occaſionem ademit, vt tandem poſt obſidionem anno diuturniorem, Regis *Vladislai* gratiæ et miſericordiæ ſe ſubmittere coactus ſit. Diſſoluto et dimiſſo Moſchorum exercitu Rex Bialam obſedit, ac tantum Moſchis timorem incuſſit, vt pacem Polonis offerrent, qua ad fluuium Polanowki 13. Iunii anno 1634. inita, Rex depoſito titulo Moſcouitico, et iure, quod ipſi electo Moſcowitarum imperatori competebat, Smolenſkum cum tora

Smolenſcum a Polonis obſeſſum.

Et captum.

Obſidionis initium & finis.

Incendium in arce.

Moſchi vrbem recipere fruſtra conantur.

Altera vice obſidionem repetentes male excipiuntur.

Moſchi pacem inire, & multa loca Polonis tradere coguntur.

tota ditione, vt et arces Novogrodecum Siewierſkie, Drohobuſium, Bialam, Roslaviam, Starodubum, Poczopoviam, Trupieſkum, Neweſam, Siebieſzam, Krasnen, Muromſkam, Wieliſka Wloſen, & Popowagaram, cum omnibus terris ſubiectis obtinuit, Moſchumque coëgit, vt omni iure, quod ſibi in hæc loca, & Lituaniæ ac Livoniæ Ducatus arrogabat, ceſſerit. Tantus autem Moſchorum exercitus ſub initium Martii menſis anno 1634. a magnanimo hoc Rege debellatus, ipſe *Scheinius*, vel *Schinus*, Moſcowiticæ militiæ præfectus ſummus, eiusdem anni menſe Iunio Moſcuæ capitis ſupplicio affectus, ac filius eius ſcuticæ ictibus interfectus eſt. Vide *M. Adami Olearii Itinerarium Orientale, Sleſwici anno* 1647. *impreſſum fol.* 110. 131. *Novus Meteranus part.* 4. *lib.* 52. *fol.* 388. Smolenſcum a Moſcoviis ſub Duce ſuo *Michaële Borriſſewitzio Scheinio* anno 1633. obſeſſum, & ſeq. 14. 24. Februarii liberatum, ipſumque Scheinium 28. Aprilis eiusdem anni, more Moſchorum ſolito, Moſcuæ ſecuri caput & vitam amiſiſſe tradit. Durante dicta obſidione anno 1633. incendium in Vice palatini palatio exortum ex puluere pyrio incenſo totum ædificium cum omnibus, qui in eo erant, in auras disiecit, vnico Vice palatino ſeruato, qui per feneſtram ab ictu eiectus incolumis euaſit. *Maiolinus Biſaccioli Comes Italus hiſtoriae ſuae fol.* 115. Poſtea Smolenſcum in Polonorum poteſtate manſit vsque ad annum 1654. licet a diuerſis proditum ſit, hunc locum diuerſis vicibus a Moſchis tentatum & ab ipſis occupatum eſſe, ipſe *Thuani Continuator fol.* 374. *tradiderit.* Dicto enim anno *Alexius Michaëlis* defuncti *Michaëlis Federovicii* Moſcovici imperatoris filius, & ſucceſſor, fœdere iunctus Coſacis, qui Poloniam hactenus per aliquot annos Poloniam grauibus bellis afflixerant, Lituaniæ recuperandæ occaſionem arripuit, & grandi exercitu eam inuaſit, ac Smolenſcum obſedit. Interea *Erdmannus* 2500. Polonos et Germanos milites ducens ipſa nocte S. *Iohannis*, 7000. Moſchos Bagdanovæ commorantes et genio indulgentes, oppreſſit et diſſipauit. *Ianuſſius Radziuilius* in Lituania Moſchis, et *Potocki* in Vkraina Coſacis ſe opponebant, ob debiles tamen vires parum proficientes. Ille ſeptem aut octo millibus Polonorum firmior diuerſis vicibus Moſchos ad Dunam fluuium in fugam coniecit. Poſtea viribus omnibus collectis Orſa Polotskiam verſus, ac inde Smolenſcum petiit, vt illud liberaret. Ipſo die, quo famoſa illa eclipſis ſolis apparuit, et ſtellæ in cœlo in Lituania viſæ ſunt, Holouwchinam venienti ſe oppoſuerunt quadraginta Moſchorum millia, quibus fortiter repreſſis, et ſequentibus diebus noui equitatus acceſſu fortioribus tandem cedere coactus eſt. Smolenſcum vero in Moſchorum poteſtatem. 3. Octobris anno 1654. deditione conceſſit.

Incendium. — *Moſchi Smolenſcum denuo obſident.* — *Solis eclipſis.* — *Moſchi Smolenſcum occupant.*

DOROHOBVSUM, Drohobus, arx & oppidum ad Boryſthenem ſupra Smolenſcum.

ORSZA arx & oppidum infra Smolenſcum ad eundem fluuium, vbi Orſzank fluuius ab eo excipitur. Gymnaſium hic habent Societat. Ieſu fratres. Anno 1386. *Suentoſlaus* dux Smolenſcenſis hunc locum irrita obſidione vexauit.

DOMBROVNA ad idem flumen oppidum non contemnendum.

STARODUBUM aliud in hoc palatinatu oppidum.

VITEPCENSIS PALATINATVS inter Smolenſcenſem, & Polocenſem etiam Mohilovienſem diſtrictum, quem Boryſthenes permeat, complectitur, ac in duo territoria Vitepſcenſe, Braslavienſe diſtinctum, Senatores, palatinum ac caſtellanum habet. Palatia et arces nobilium, vt & cætera alicuius notæ loca, foſſæ & propugnacula tuentur.

Fines. — *Diviſio.*

WITEPS, Vitepſcum, Vitebſcum, validum oppidum et propugnaculum inter Vlam et Suraſſum ad Dunam, vel Dwinam fluuium, Vilna milliaribus 80. diſtans, quo in expeditione bellica contra Moſcovitas rex *Stephanus* anno 1580. peruenit, et arces Veliſam, Vſuiatam, Vielico Lucam, Nevelam et Zavolotiam occupauit. *Chytraeus, lib.* 24. *Saxon.* Huius vrbis incolæ Beatum *Ioſaphatum* Ru-

Rex Stephanus.

tenici ritus Archiepiſcopum Polocenſem occiderunt, eos ad vnitatem eccleſiæ Romanæ inducere conantem, ac ciuitatis iure ideo priuati ſunt, vt *Starovolſcius* indicat. Olim proprios ſuos duces habuit, vsque ad *Olgierdum* magnum Ducem Lituaniæ, ad quem matrimonii iure peruenit, & qui in vxoris ſuæ *Vltanae* memoriam duo templa religionis Græcæ in hac vrbe erigenda curauit. Ab eo autem tempore ciues ſemper Græcam religionem profeſſi ſunt.

Moſchi cæſi.

VLA inſigni munitione famoſus locus ad ingreſſum fluenti cognominis in Dunam, apud quem fluuium, *Sigiſmundo Augusto* Polonicum regnum adminiſtrante, Moſchovitarum dux *Suiſcius* cum triginta mille Moſchis anno 1564. a *Nicolao Radiuillo* duce in Dubinki & Birſe, Polonici exercitus imperatore, cæſi ſunt.

Mohilouia occupata a Moſchis.

MOHILOVIA, Mohilow, ad Boryſthenem vrbs ampliſſima, et mercatorum frequentia nobilis, atque ideo Moſchouitarum mercibus celebre emporium, quo precioſiores pelles, & aliæ id genus merces, ex Moſchovia deferri ſolent. Patres Ieſuitæ hic collegium habent fundatum ab *Alexandro Gąſiewſki* palatino Smolenſcenſi. Anno 1654. a Moſchis occupata eſt hæc ciuitas, quam Poloni anno ſequente fruſtra iterum obſediſſe feruntur. In ea obſidione circiter octo hominum millia fœtore, fame & ferro periiſſe ſcribit *Auguſtinus Limmerus*. Polonos eam expugnatam occupaſſe alii tradunt. Anno 1956. eam Moſchis ereptam a Coſacis Regio-monte perſcriptum eſt.

Fines.

POLOCENSIS PALATINATUS vltimus albæ Ruſſiæ ad Dunam fluuium, Livoniæ, & palatinatui Vitepſcenſi ac Vilnenſi conterminus, palatinum & caſtellanum, Senatores regni, habet.

POLOCZKO, Polocium, Polocia, olim ducatus caput, ſecundum *Chytraeum lib. 24. Saxon.* nunc huius palatinatus metropolis, Vilna milliaribus 50. abeſt, a duobus fluminibus Dwina, & Polotta ſpacioſo circuitu ambitur, et muris, propugnaculis, vallis, et foſſis, & duabus arcibus defenditur. Nonnunquam libera, & ſui iuris, quandoque etiam aliis ſubiecta ſub regum Poloniæ tutela ſemper fuit, iiſdemque bellis ingruentibus fidelis manſit. Emporium eſt haud parui nominis, et Ruſſici Epiſcopi ſedes, clara *Iosaphati* Archiepiſcopi a Vitepcenſibus interfecti, vt in Vitepcenſi deſcriptione diximus, miraculoſis reliquiis.

Polocia occupata a Moſchis.

Februarii d. 15. anno 1563. occupata vrbs a Moſchis, & Iudæi, qui baptiſmum admittere nolebant, in Dwinam coniecti & extincti ſunt. Anno 1569 Rex *Stephanus* eam obſedit, ac licet Moſchi defenſione forti Polonorum vires aliquandiu ſuſtinuerint, ipſis Kal. Octobris recuperauit, poſtquam Moſchi per 16. annos eam in poteſtate ſua habuiſſent. Rex in ea recuperata collegium Ieſuitarum erexit. Porro tres adhuc arces ſui iuris fecit, Turoly nempe, Socoly et Suſſam. Socoly quinque milliaribus Polocia verſus Pleſcoviam diſtans, ac fluentis Dryſæ ac Niſſæ accumbens diutius cæteris Polonorum vim ſuſtinuit. Anno 1580. potitus eſt idem rex duabus arcibus firmiſſimis, Veliſſo, et VſſWiatho vel Vſuiato: quibus occupatis 26. Auguſti aggreſſus eſt arcem et oppidum Velikoluko, in quo incolæ ſibi timentes 30. templa incendio deleuerant.

Recuperata a Polonis.

Arx Velikoluko.

Arx in edito loco, inter Lowazum fluuium, et aliquot lacus, non ſolum propugnaculis validis, ſed etiam vallo craſſo et lato, ceſpitibusque obducto, munita erat, et qua parte fluento et lacubus libera ſtabat, ingenti foſſa cingebatur. Totum autem circuitum, arcem cum lacubus, et fluento ambientem, campeſtris planicies complectebatur. Rex tamen locum hunc fortiſſimum ignibus artificialibus debellauit, et in cineres redegit. Hinc arces, Nevelam inter Velikolukam et Polociam, ac Zarovolociam, aliaque loca plura ſibi ſubiecit, vt et Oſtroviam, haud procul a Pleſcovia ad Serotam fluuium ſitam, ex lapidibus conſtructam, et vallis ac arce inſigniter munitam vrbem. Tandem Pleſcoviam ipſam aggreſſus, eandem, obſidione ſoluta, iterum deſeruit. Pacem enim 15. Ianuarii anno 1582. cum *Ioanne Baſilide* Moſchorum Imperatore inicrat, qua Polociam, cum Veliſſa et VſWiatho, omnibusque terris, quæ

Oſtrovia.

iisdem

iisdem locis adhærebant, retinuit, Moſchis cæteras arces occupatas reſtituit. De Polocia, et inſigni eiuſdem mercatura, legatur *Caſparus Ens in delic. apodem. per Germ. pag. 307. ſeqq.*

VSVIATVM ciuitas egregia cum arce Starcicia Veliſia, caput ſui diſtrictus ad hunc palatinatum pertinentis.

SCLOVIA & Bychovia, Herois *Caroli Chodkievicii*, duæ ciuitates muniſſimæ, in quibus munitiones omnes, vt & templa, ac monaſteria, hodierno tempore vſitato more ædificandi erecta cernuntur.

GLEBOCIVM, vbi Carmelitarum diſcalceatorum monaſterium.

OZGNA vbi Franciſcanorum conuentus. Præter hæc monaſteria paſſim alia, vt et Abbatiæ ordinis *S. Baſilii* cernuntur.

BORUSSIA, SIVE PRUSSIA.

BORVSSIA, longitudine ſexaginta, & latitudine quinquaginta milliaria comprehendens, Balthico mari ſeptentrionales, Samogitiæ, Lituaniæ, et Podlachiæ orientales, Maſoviæ et Cuiaviæ meridionales, ac Poloniæ maiori, ac Pomeraniæ occiduos fines opponit. Nomen a Boruſcis vel Boruſſis Sarmatiæ Europææ populis deriuatum, qui olim ſinus Venedici oram incoluerunt, vnde Pruſſia, quaſi Boruſſia, et nonnullis etiam Pruthenia, vulgo *Pruiſſen*, vel *Preuſſen* dicitur. *Ovid. lib. 4. Triſt. eleg. 8.*

Fines. *Nomen.*

Vita procul patria peragenda ſub axe Boruſco.

Æneas Sylvius, olim in his regionibus legatus, putat incolas Vlmiganos quondam appellatos eſſe, item et Alanos, et Gothos, ac Vandalitas eandem hanc religionem occupatam tenuiſſe. *Mathias Miechovienſis Polonus*, Pruſſiæ nomen deducit a PRUSSIA rege, qui impellente Annibale bellum Romanis indixit, & ab iis domitus in has regiones ſeceſſiſſe fertur. Fabulam eſſe cenſet *Bruetius in Parallelis Geographicis.* Pruteniæ nomen accerſunt quidam a *Pruteno* rege, quem circa annum a Chriſto nato quingenteſimum Pruſſiam in ſua poteſtate habuiſſe, et *Videvuto* fratri, cuius filii et nepotes huius regionis poſſeſſores poſtea fuerunt, ceſſiſſe aiunt. *Herodotus*, qui bis mille, et quod excurrit, annis, noſtra tempora anteceſſit, *in lib. ſuo 3. cui Thalia nomen*, aliquam harum regionum cognitionem habuiſſe, aut de ipſis auditu aliquid percepiſſe videtur. In vltima enim Europa, fluuium, vt vulgo dicunt, Barbaris Eridanum appellatum, reperiri, vnde ſuccinum, ſiue electrum apportetur. Cum igitur Pomerelliam quondam Pomeraniæ partem, Raddaum, vel Raddunus fluuius permeet, ex eo forſan Græci Eridanum fecerunt, quandoquidem prope Dantiſcum ſe in Viſtulam infundit, et Dantiſco ſuccinum, ſiue electrum in alias regiones tranſportatur. Imo & ipſi Viſtulæ olim forte nomen Eridani impoſitum fuit. Eridanus enim ille, in cuius vicinia ſuccinum reperiri dicitur, neque in regione Attica Græciæ, neque in Italiæ diſtrictu, quem Padus poëtarum fabulis celeber pererrat, ſed ibi reperitur, vbi ſuccinum inueniri auctores tradiderunt. Nec inſulæ illæ electrides in Pado Italiæ fluuio, nec in Athenienſium mari obuiæ habentur, ſed potius inter Dantiſcum, qua Viſtula, et regium montem ſeu Koningsbergam, qua Pregela in lacum ſeu æſtuarium Friſch Haff ſe præcipitat, cernuntur, vt ſunt Netinga, maior inſula, & cæteræ minores, quas Viſtulæ brachia complexu ſuo continent. Vbique enim in his oris maritimis, præcipue vero apud Fiſchhuſium, et Lochſtetum, litori Neringæ oppoſito aſſidentes pagos, inſigni copia ſe offerre ſuccinum ſiue electrum ſolet. In Sambiæ, quæ peninſula, aut potius inſula fluuio Deme, a Nadraviæ tractu occiduo ſemota, extremo apici ſui ſunt hi pagi, vbi Borea flante in boreali, et Zephiro flante in occiduo litore maris receſſu aquarum parte magna libero, ſuccinum colligitur. *Pytheas*, qui ducentis

Pruſſias Rex. *Prutenus Rex.* *Herodotus.* *Eridanus.* *Succinum Plinio Gleſſum.* *Electrides, ſeu Gleſſariæ inſulæ.* *Pytheas.*

et quinquaginta post *Herodotum* annis vixit, atque ita mille et octingentis annis præsentibus nostris temporibus superior est, de Pomerania et Prussia plus cognitionis, teste Plinio, habuisse videtur. Nam in Germania, inquit, litus reperitur succinum exhibens, quod Mentonomen nuncupatum per sex iugerum millia se extendat. Hallucinatus tamen hic, cum lacus *Frisch Haff* vix sexcentorum iugerum longitudine se exporrigat. Metonomon vocabulum forsan pago Medenau, Sambiæ insidenti, appellationem suam acceptam fert. Incolas huius litoris succinum offerentis *Pitheas* Guttones appellat, et eos pretiosas has suas merces Teutonis vendidisse dicit. Vnde coniectura facili patet, has regiones iam multis ante Christum sæculis Teutones, siue Germanos incolas habuisse. Guttones, ipso *Plinio* fatente, Germani fuere, et Teutones, Germanicus populus Balthicumque mare accoluerunt, si *Pomponio Melae* fides est habenda. Hæc *Micraelius de antiqua Pomerania pag. 3. seqq.* Ante Cæsaris tempora, et bella in Gallicis regionibus gesta, Æstii, Germaniæ gens, e Rheno in Prussiam, et Livoniam commigrasse, et cum Wendis, seu Venedis, has regiones incoluisse creditur. In Scyros et Hirros diuidebantur, quorum illi hodierni sunt Borussi, et hi Livones. Vicinos habebant quondam Scyri Gothos, Pomereliam Cassubiæ partem, et Prussiæ, quæ *Iorandi* Ovin, conterminam incolentes, cum quibus postea pars Scyrorum haud exigua regiones peregrinas inuasit. Cæteri, qui domi manserunt, diu ethnicam suam idololatriam conseruantes tandem a Masouiæ & Poloniæ principibus subiugati sunt. *Ioachimus Curaeus Silesiae Chronicor. part. 1. pag. 43.* Habitabant olim populi in Borussia, quorum haud paruæ adhuc sunt reliquiæ lingua vtentes, ab Henetorum, siue Slavorum lingua non multum abludente, quales in nonnullis Liuoniæ locis etiamnum supersunt. Latina vocabula nonnulla mixta erant linguæ horum populorum, de quorum origine nemo quidquam credibilius in lucem protulit, quam *Peucerus*, cui verisimile videtur, eos ex Walachia in has regiones septentrionales, tunc temporis a Slavis in Germaniam, et Poloniam profectis, relictas concessisse, olim ab imperatoribus Græcis ex Italia in Walachiam missos, vt Slavos ab imperio Constantinopolitano depellerent, ex qua regione superatos a Slavis tandem ipsos iterum excessisse arbitratur. Ac licet eorum posteri Barbarorum illorum incolarum feros et incultos mores induerint, remansisse tamen etiam apud ipsos ritus quosdam Italos veteres, quotidianas nimirum in balneis lotiones, exequiarum consuetudines, cadauerum humanorum combustiones, et alias eius farinæ ceremonias. In Borussia versus Lituaniam adhuc nostris his temporibus nonnullos inuenies homines feros et barbaros, quorum origo a Scyris, veteribus illis incolis Germanis, repetitur. Proprio suo loquendi idiomate, quod *Kregelicum* vocant, vti solent. Prussorum primam mentionem facit *Helmoldus*, eosque Pruzzos nominat *M. Adamus Bremensis*, quo nomine etiam hodie a Bremensibus, Hamburgensibus, et Lubecensibus appellari consueuerunt. Borussos a quibusdam, eos ad Riphæos montes habitasse dicentibus, perperam vocari censent. Prussacos, et Porussacos, eo quod apud Russos habitauerint, eos dicendos qui opinantur, errant. Variæ huius nominis deductiones ex *Erasmo Stella*, et aliis depromptæ, occurrunt apud *Angel. Werdenhagen part. 3. rerum pub. Hanseat. cap. 24.* Prusi etiam a Bructeris deriuantur in *Saurom. Europ.* Veterum Prussorum religio, et mirabiles ritus describuntur apud *Ioh. Isac. Pontanum in Chorographica Regni Daniae, tractusque eius universi Borealis descriptione fol. 809. seq.*

Eius error.

Guttones.

Teutones.

Scyri, Hirri.

Gothi.

Horum populorum origo.

Prussorum prima mentio.

Ordinis Teutonici ortus, progressus & finis.

Quo autem pacto Prusia in ordinis Teutonici potestatem inciderit, ac tandem a Polonis subiugata fuerit, paucis innuere, et simul eiusdem ordinis ortum, progressum ac finem indicare, operæ pretium erit. In obsidione Ptolomaidis anno 1190. in terra sancta a Christianis obsessæ octo peregrini, quinque nimirum Bremenses, et tres Lubecenses, ex velo cuiusdam nauis Lubecensis tento-

rium

rium confecerunt, sub eo curam gerentes Germanorum, aut morbo laborantium, aut ab hostibus sauciatorum, ac sequente anno 1191. in ipsa vrbe occupata xenodochium, et templum construxerunt. Ordinem ab ipsis institutum confirmauit Papa *Celestinus III. S. Augustini* regulam fratribus præscribens. Ordinis huius Teutonici fuere Magistri sequentes.

Ordinis Magistri.

I. Henricus a Walpot, sub quo *Balduinus* Rex Hierosolymitanus huic ordini xenodochium, et templum Hierosolymis in monte Sione ædificandum curauit. Anno 1200. in vrbe Ptolemaide mortuus est, postquam decem annos ordini præfuisset.

I. 1190.

II. Otto a Karpen nobili ciue Bremensi natus, anno 1200 electus, et anno 1206. denatus.

II. 1200.

III. Hermannus a Bart, eodem anno successit, secundum quosdam nobilis Holsatus, secundum alios Ducis Barsensis filius, et post quadriennem Ordinis administrationem in eadem vrbe Ptolemaide ex viuis excessit.

III. 1206.

IV. Hermannus a Salza, ex Misnia oriundus nobilis, quem Thuringum fuisse alii tradunt. Hoc magistro summo toti Ordini imperante magnus fratrum numerus accessit, ita vt eorum circiter bis mille numerarentur, cum antea vix 35. aut 40. numero essent. Ac quia Saraceni in terra sancta Christianis superiores fiebant, Venetiis commorari solitus legatos, seu Submagistros suos mittebat, quo eos mitti necessitas postulabat. Tunc temporis Prussi grauibus bellis Masoviæ Duces aggressi haut paruum ipsis damnum inferre consueuerant. Anno autem 1220. centum mille militibus Culmiam regionem occuparunt, Masoviam depopulati sunt, vltra ducenta & quinquaginta templa, & monasteria exusserunt, ac innumerabilem hominum multitudinem abduxerunt, adeo vt *Conradus* Masoviæ Dux non nisi Plocko vrbem solam retinuerit, & magno pretio a Prussis pacem redimere coactus fuerit. Ab imperatore *Friderico II.* igitur, & imperio Romano suppetias petenti auxilio missi sunt fratres Crucigeri, seu Ordinis Teutonici, quibus a magistro hoc summo imperatoris iussu ablegatis, & in Masoviam venientibus regio Culmensis, & Dobrzensis donatæ sunt, in quibus arces & domicilia ædificarunt, & Prussis se opposuerunt, atque adeo strenue se gesserunt, vt quinquaginta sex annorum spacio totam Prussiam iugo suo subiecerint. Modo dictus autem magister *Hermannus* post triginta annorum rectionem e vita migrauit.

IV. 1210.

V. *Conradus* Thuringiæ Landgrauius, sub *Friderico II* Cæsare Ordini præpositus, qui post duodecim annorum administrationem Marpurgi in Hassia fato functus est.

V. 1240.

VI. *Poppo ab Osterling*, sub *Conrado* IV. Cæsare magnus magister creatus, postquam antea totum septennium Submagistri munus in Prussia gessisset, vbi a Prussis, & Livonibus ipsi multum negotii facessitum est. Nimia senectute oneratus muneri suo renunciasse fertur; alii apud Lignicium Silesiæ vrbem a Tartaris occisum dicunt.

VI. 1252.

VII. *Iohannes a Sangerhausen*, postquam quinque annos Liuoniæ præfuisset, anno 1263. magni magistri onus suscepit, ac duodecim annos cum imperio fuit. Marpurgi eum excessisse ex vita nonnulli, alii Ireuiris, putant.

VII. 1263.

VIII. *Hartmannus* Comes Heldrungensis, sub Cæsare *Rudolpho* Comite Habspurgensi, anno 1275. Fratribus Teutonicis præfectus Venetiis habitauit, & post 8. annorum gubernationem ibidem mortuus & sepultus est.

VIII. 1275.

IX. *Burchardus a Swenden*, anno 1283. sub Cæsare *Rudolpho*, Habspurgensi, qui quinto rectionis suæ anno Elbingæ conuentum totius Ordinis celebrauit, ac inde Ptolemaidem profectus administrationem inuitis Fratribus deposuit, ac ad equites Ordinis S. *Iohannis* se contulit. Rhodum profectum atque ibidem ex viuis exemptum quidam tradunt. Administratio ipsius septennium durauit.

IX. 1283.

X. *Conradus a Feuchtwangen* anno 1290. Cæsare *Rudolpho* Habspurgensi re-

X. 1290.

gnante septennem suam administrationem absoluit, ac postquam in Prussia vnum annum moratus fuerat, ad Regem Bohemiæ profectus Pragæ vitam finiuit. Anno 1291. Ptolomais, siue Accon, in Palæstina a Christianis amissa est, & præter bona sua ibi perdita Fratres Cruciferi etiam illorum iacturam faciebant, quæ Venetiis, in regno Neapolitano et in Anglia possidebant, quia Cæsari *Adolpho* Nassouio fauere dicebantur. Hactenus autem magni magistri Ordinis modo in terram sanctam, modo in Prussiam, modo in alia regna et regiones, vbi bona sua habebant, proficisci erant soliti, vbique suos Submagistros, siue legatos habentes. Errant autem, qui Ptolemaidis iacturam sub IV. Magistro magno *Hermanno a Salza* contigisse volunt.

XI. 1297. XI. *Godofr. dus* Comes de Hohenlohe, anno 1297. magnus magister constitutus, qui Marienburgum in Prussia condidit, & in Germania vitæ finem inuenit, postquam quinto administrationis anno onus suum, ob fratres, quorum vitam inordinatam durioribus legibus coërcere studebat, sibi refragantes, deposuit.

XII. 1302. XII. *Seifridus a Feuchtwangen*, sub Cæsare *Alberto* Austriæ Duce, primam electionem deprecatus est. Altera vice constitutus magnorum Magistrorum sedem primo Marpurgum in Hassiam, inde Marieburgum in Prussiam, transtulit, vbi anno 1312. post biennem ægritudinem a diarrhœa sublatus est.

XIII. 1312. XIII. *Carolus Beffartus* Treuirensis, Romano genere natus, sub Cæsare *Henrico III.* administrationem ordinis adeptus eidem tredecim annos præfuit, & Treuiris in Germania diem obiit.

XIV. 1324. XIV. *Werner van Vrselen* Cæs. *Ludouico* Bavaro creatus Ordinis magnus magister anno 1324. ipsa vespera Festi S. *Elisabethae*, anno 1330. a fratre Ordinis *Iohanne Bindorff*, vt fertur, gladio occisus est.

XV. 1331. XV. *Luderus* Dux Brunsuicensis, *Wernerum* sequutus magnam Poloniam Calisium vsque Polonis eripuit, & post quadriennem gubernationem in templo Königsbergæ, dum missam audiret, de vita decessit.

XVI. 1335. XVI. *Theodoricus* Comes Altenburgensis, octuagenarius anno 1335. Ordini præfectus, cum eidem sex annos præfuisset, Torunii fato functus, & Marienburgi sepultus est.

XVII. 1342. XVII. *Ludolphus Coning*, sub *Ludouico* Bauaro Imperatore anno 1342. electus, & triennio post mentis impos factus, cum fratres alio magistro eligendo occupati, nihilominus ipsi interea ad mentem redeunti muneris sui continuationem offerrent, onus illud recipere negauit.

XVIII. 1345. XVIII. *Henricus Dusener* post sexennem rectionem munus suum deposuit.

XIX. 1351. XIX. *Winricus Kniprode* sub imperatore Carolo IV. triginta annos Ordinis magister fuit, & anno 1382. ex vita excessit.

XX. 1382. XX. *Conradus Zolnerus* sub imperatore *Venceslao* gubernationem nactus octo annos eandem gessit, & Christburgi vitam finiuit.

XXI. 1490. XXI. *Conradus a Walrode*, sub prædicto imperatore tres annos Ordini præfuit, homo superbus, & tyrannidem exercens, ac tandem rabie confectus interiit.

XXII. 1493. XXII. *Conradus a Lungingen*, quatuordecim annos ordinem summa cum laude administrauit, ac Marienburgi terræ mandatus est.

XXIII. 1407. XXIII. *Vlricus a Iungingen* præcedentis frater, sub *Roberto* palatino imperatore, vir strenuus & bellicosus, 15. Iulii anno 1410. in pugna cum *Iagellone* Rege Poloniæ cum 600. fratribus occisus est.

XXIV. 1410. XXIV. *Henricus Reus*, *Dominus a Plauwen* sub imperatore *Sigismundo*, ob tyrannidem & malas artes, quibus deditus erat, a Papa, & Ordine depositus, ac Lochstettæ in custodia mortuus est.

XXV. 1414. XXV. *Michaël Kuchenmeister a Sterrenberg*, sub dicto imperatore, fratribus vehementi dissidio laborantibus octo annos imperauit, & ab ipsis tandem gubernatione sua exutus est.

XXVI.

XXVI. *Paulus Bellizer a Rusdorff* sub eodem imperatore, quo Ordinem Teutonicum regente inter Fratres diuersarum nationum maxima dissensio orta est, dum quæuis natio proprium sibi magistrum creare conabatur. Tandem post decimum nonum administrationis suæ annum munus suum relinquere coactus est. XXVI. 1422.

XXVII. *Conradus ab Erlingshausen*, anno 1441. sub imperatore *Friderico III.* electus, anno 1550. ex hac vita migrauit. Vir pacificus quidem, sed qui immanem fratrum discordiam sopire non potuit. XXVII. 1441.

XXVIII. *Ludouicus ab Erlingshausen*, præcedentis filius, sub quo plures vrbes ad Poloniæ Regem defecerunt, et anno 1457 Dantiscum ac Marienburgum cum aliis arcibus Poloniæ regi a præsidiariis militibus 47600. florenis vendita sunt. XXVIII. 1450.

XXIX. *Henricus Reus a Plauwen* anno 1467. Magister proclamatus, ac triennio post Torunii apoplexia mortuus, Morungamque delatus ibidem vitæ finem fecit. XXIX. 1467.

XXX. *Henricus Resse a Richtenberg*, Regi *Casimiro* homagium præstitit, ac septennio post hydrope obiit. XXX. 1470.

XXXI. *Martinus Truchses a Wernshausen*, sub *Friderico III.* vt et præcedentes, ad ordinis gubernaculum admotus homagium Regi Poloniæ præstare tandem coactus est, postquam aliquot annis illud facere recusauerat. Post, duodecennem administrationem Koninxbergæ diem obiit, & sepultus est. XXXI. 1477.

XXXII. *Iohannes a Diepen* subditorum non dominus, sed pater, cum Rege Poloniæ ad Wallachos debellandos profectus Leopoli post octennem administrationem expirauit. XXXII. 1489.

XXXIII. *Fridericus* Saxoniæ dux, Landrauius Thuringiæ, & Misniæ Marchio, sub *Maximiliano* Imperatore ordinis administrationi praepositus, Rochlitzii in Misnia bienni morbo confectus ad plures abiit, postquam duodecim annos rectione sua consumpserat. XXXIII. 1498.

XXXIV. *Albertus* Marchio Brandeburgensis ab Electoribus imperii, Magister ordinis constitutus, auunculo suo *Sigismundo*, Poloniae regi, homagium praestare negauit. Sed auxilio ab electoribus promisso destitutus, et a Polonis oppressus, tandem, abrogato Ordine, se Poloniæ Regi subiecit, ac Dux Prussiæ factus eiusdem clientelari iure cum posteris suis retinuit possidendam partem eam, quæ hodie Ducalis appellatur. Quatuordecim annos magister magnus fuit, ac postea per quadraginta duos annos Ducatum eundem gubernauit. Sic desiit Ordo ille Crucigerorum Fratrum, qui etiam Teutonici, Mariani, & Pauperiani fratres dicti sunt, & ex duobus Ordinibus in vnum coaluerunt. Multum autem negotii ab initio ipsis facessitum est ab incolis, quorum vltimi fuere Nadrouitæ, qui tandem ingente pugna debellati cum vxoribus & liberis in Lituaniam aufugerunt. Anno 1269. Sudauienses Prussi a Samogitis adiuti, Prussiæ magnum damnum intulerunt, ac Crucigeros, a quibus debellati prius fuerant, male mulctarunt. Anno 1279. Lubauia, & Culmigeria vrbes a Lituanis exustæ sunt. Anno 1285. venenati vermes cancris aut scorpionibus similes, quorum ictus incurabiles erant, Prussiam, Samogitiam, & Curlandiam magna clade affecerunt. Postea *Vitenes*, magnus Dux Lituaniæ, duobus exercitibus Prussiam aggressus Doberschinam vrbem combussit, & magnum magistrum cum 30. fratribus in prælio occidit. Anno 1311. horrenda depopulatione Ermelandiam vastauit. Anno 1328. *Gediminus* Lituaniæ Dux magnus, Ethnicus, *Ladislao*, Poloniæ principi Christiano, Crucigeris bellum inferenti auxilium tulit, ac Borussiam vastauit. Cum Crucigeri inducias cum *Ladislao* pacti essent, Lituaniam & Samogitiam inuasit ac sequenti anno, vt Velonam arcem ad Nemenum sitam obsidione liberaret, Fridburgum ac Beierum obsedit, & sclopeto traiectus est, cum nuper admodum Borussis genus id armorum innotuisset. Anno 1348, Lituani Borussiam horrenda vastatione fœdarunt, XXXIV. 1511. Ordinis Teutonici finis. Varia Crucigerorum cum Lituanis & Polonis bella.

idemque in Lituania sequente anno 43. multi Germani Principes, Vngarorum, Bohemorum, & Danorum ope adiuti haud exigua iactura facere conati sunt. Anno 1346. Prussi Samogitiam & Lituaniam longe lateque vastarunt, ac Lituanos prælio superarunt. Idem anno 48. factum a Prussis, quorum regionem Lituani & Russi vice versa vastationibus suis pessundederunt. At sequenti a Prussis Lituani cæsi octodecim millia ex suis desiderarunt. Inde vsque ad sexagesimum primum, & porro secutis annis, indesinenti bello Crucigeri & Lituani collisi sunt, serieque longa mutuæ concertationes excurrerunt vsque ad tempus illud, quo Lituania Poloniæ coniuncta est, & Poloni cum Crucigeris bella gesserunt, donec hi succumbentes Polonorum potestati cessere, sicut ex ante dictis constat.

Authores qui de Crucigeris scripserunt.

Qui plura de Crucigerorum ordine nosse cupit, consulat *Munsterum lib. 5. cap. 428. Vitriarium in histor. Oriental. cap. 66. Bernhardum de Luthenburgo de Ordin. militar. Aubaeum Miraeum in Originibus Ordinum Equestr. cap. 3. Salomonem Neugebauer lib. 3. histor. Polon. pag. 133. Alsatica Chronica lib. 10. cap. 4. Davidem Chytraeum in Saxonia. Christoph. Lehmannum in Chron. Spirens. lib. 5. cap. 77. & Iohannem Limmaeum de iure publico lib. 6. cap. 2. num. 57. seqq.*

Ordinis reliquiæ.

Ordinis huius Teutonici reliquiæ sunt passim in Germania, ac in præcipuis vrbibus domos suas habent, quorum magister est Princeps imperii Mergenthemi in Franconia sedem suam habens.

Duces Prussiæ Ducalis.

Duces porro Prussiæ Ducalis fuerunt.

I. *Albertus* anno 1567. mortuus.

II. *Albertus Fridericus* anno 1608. vita functus.

III. *Georgius Fridericus* Marchio Onoltzbacensis.

IV. *Ioannes Sigismundus* Elector Brandeburgensis.

V. *Fridericus Vilhelmus* Elector Brandeburgensis, qui 17. Octob. anno 1641. præsens præsenti Regi Vladislao IV. homagium præstitit.

Diuisio Prussiæ.

Diuisionem antiquæ Prussiæ pag. 615. huius opusculi indicauimus. Ordine Teutonico finem sortiente noua partitio exorta eam in Regalem & Ducalem diuisit. Illa etiam Regia & Polonica dicta duplex quoque est, regia proprie dicta & Pomerania seu Pomerellia: regia tres satrapias complectitur, Culmensem, Marieburgensem, & Varmiensem. Pomerellia in septem territoria diuiditur, & totidem Iudices habet. Territoria sunt Stachoviense, Tucholiense, Suecense, Dersaviense, Zucoviense, Pudense, & Mirachoviense. His annumerantur Craina, & Cassubia, tractus terræ non contemnendi, in quorum illo priore Abbatia Coronouiensis præpinguis, in isto præfecturæ aliquot regiæ inueniuntur.

Peculiaria.

Tota Prussiæ regio, licet Poloniæ Regni membrum sit, peculiare tamen consilium publicum, peculiares leges, peculiaria iudicia, comitia, ærarium, ac belli gerendi rationem diuersam antiquitus habet. Regia Prussia Culmensi iure vtitur, præter Elbingam, Brunsbergam, & Frauenbergam, quæ vrbes Lubecense ius obseruant. Qui, iuribus istis breuioribus, aut constitutionibus vrbium a *Sigismundo Seniore*, & *Sigismundo Augusto*, eius filio, institutis, casus diiudicari nequeunt, Saxonico, Magdeburgensi; aut ipso iure Cæsareo expediri solent, vt *Cromerus* tradit. Quatuor antehac Episcopatus fuere, Varmiensis, Culmensis, Sambiensis, et Pomesaniensis, quorum priores duo Regii, et Catholici, posteriores duo Ducales, et a Papatu auulsi. Senatores regiæ Prussiæ sunt quinque, duo Episcopi, Varmiensis et Culmensis, et tres palatini, Culmensis, Marieburgensis, et Pomerelliensis. Sunt item tres Castellani, Culmensis, Elbingensis, et Dantiscanus.

Iura.

Episcopatus.

Senatores.

Qualitas.

Quantum ad qualitatem regionis attinet, eam sequenti elogio decorat *David Frœlichius parte 2. Viatorii, lib. 2. pag. 330. Borussia, Sarmatiae ocellus, Polonici Orbis delicium, vectigalium officina, est regio fæcundissima, importationibus, & exportationibus variarum mercium apta, propter frequentiam fluminum, sinuum, portuum, &c.* Est autem regio fluminibus, paludibus et lacubus passim referta, ac ideo piscibus

omnis

omnis generis abundans, qui in fluminibus, & lacubus capti maximum lucrum incolis exhibent. Fluuii præcipuæ notæ numerantur duodecim: Vistula Silesiam, Poloniam, Masoviam & Prussiam pererrat, ac partim sub Dantisco in mare Balthicum, & partim sub Marieburgo, & Elbinga vrbibus, lacui Frisch Haff se insinuat. Pregela fluuius in lacum Habus, seu Frisch Haff, exiens, quem supra Tappiaviam Allæ & Angeropi fluuiorum coitus efficit. Nemenus ex alba Russia, per Lituaniam & Samogitiam decurrens in Curonensem lacum aquas suas effundit. Cætera flumina sunt Derevancia, Elbinga, Vesera, Passaria, Ossa, Drebnica, Lisa, & Lauia. Lacus dulci aqua instructi numerantur bis mille & triginta septem. Frisch Haff, siue Habus, longitudine ad 15. milliaria, latitudine ad duo plus minus se exporrigens, atque inter Dantiscum & Regium montem intercedens oblonga & angusta insula Frisch Nering, quæ & Neringa, a mari Balthico seiungitur. Curonensis lacus, Curisch Haff nominatus, in Prussia Ducali etiam grandis, imo priore maior, insula quoque oblonga & angusta a Balthico mari secernitur, quæ Curisch Nering nomen habet. Cæteri lacus minores minus etiam spacium aquis suis tegunt. Siluæ plurimæ totam regionem vbique vestiunt, ex quibus, hyberno tempore cuncta niuibus cooperiente, prodire solent vri, ferox animalis genus, grande, viribus admodum validum, collo & capite villosum, anteriore corporis parte altius, posteriore depressius. Eiusmodi animal quatuor ictibus ex sclopeto missis occisum est 28. Februarii, anno 1595, a Marchione *Iohanne Sigismundo*. Spacium inter anteriorem pedem & tergum tres cum dimidia, inter radices cornuum & caudam quinque vlnas, & quartam partem vnius vlnæ longum fuit, ac pondus dedit vnde viginti centenarios, & quinque libras Norimbergicas, vt *Henneberge-rus fol.* 251. scribit. Porro siluæ dictæ etiam omnigenes feras alunt, ac venationibus aptissimæ sunt, lignorumque magnam copiam incolis suppeditant. Metalla quidem non inueniuntur, sed succinum, siue electrum, quod ambra etiam exteris dicitur, magna copia sese offert. Hoc in litus a fluctibus vento motis compulsum nudi homines per vndas obuiam euntes retibus paruis excipiunt, molle & liquidum, sed in aëre mox durescens, vt torno aut scalpro conformatum varias figuras induere possit. Agri & pascua sunt admodum pinguia, reique pecuariæ commodum mire promouent. Aëris temperies cum amœnitate iucundissima coniuncta est. Merces ex Polonia, Lituania, & Russia transmissæ nauibus per mare in plurimas alias regiones transuehuntur, & vicissim in Poloniam, & Russiam importantur, quascunque Europa vniuersa & India diues largiri solet. Hinc maioribus diuitiis abundant incolæ, quam cæteri, qui reliquas huius Regni partes incolunt, atque ideo cultiore habitu ac vestitu vtuntur, regioque tota cæteris populosior multis oppidis ac pagis abundat, ac ad mercaturam exercendam est aptissima. Hæc in genere de Prussia sufficiant. Particularem descriptionem restat vt expediamus.

Fluvii. Vistula. Pregela. Nemenus. Lacus. Sylvæ. Immanis magnitudinis Vrus. Metalla. Succinum. Ager. Aër. Merces.

POMERELLIA.

POMERELLIÆ fines septentrionales Balthicum mare, occidui Cassubiam in Pomerania, et Poloniam maiorem, meridionales eandem, et orientales Vistulam tangunt. Pomerania parua, & regia quoque vocatur, ac pars olim fuit Pomeraniæ, quo nomine generaliter appellatur, quicquid terrarum inter Vistulam et Cimbricam Chersonesum mari Balthico adiacet, postea peculiaribus nominibus & finibus diuisum. Quondam suis propriis principibus ex Pomeraniæ ducum stemmate oriundis, ac posterioris Pomeraniæ & Cassubiæ principibus appellatis, quos *Micraelius lib. 2. de antiqua Pomerania* describit, subiecta incolas habuit Vandalos, non cæterorum more longis tunicis Polonicis, sed Germanorum ritu, breuioribus plures plicas habentibus se vestientes, vnde ipsis & regioni nomen Pomerellorum, et Pomerelliæ ortum esse creditur. Principum vlti-

Fines. Pomerania antiqua. Antiqui principes. Nominis origo.

mus fuit dux *Mestowynus*, qui a subditis suis rogatus anno 1290. Poloniæ duci *Primislao II.* hanc regionem legauit; vnde hic et legitimi hæredes, anterioris Pomeraniæ Duces, vt et generi, qui *Mestowyni* filias duxerant, princeps Rugiæ scilicet, ac *Adolphus* Holsatiae comes, magnis concertationibus collisi sunt. Litigantibus se admiscuere Marchiones Brandeburgenses, et Teutonicus ordo, qui tandem superior factus has terras ab anno 1310. vsque ad annum 1466. in possessione sua habuit. Tandem ad Polonos deuolutæ hactenus Poloniæ Regibus subditæ fuerunt.

Pomerellia Teutonico ordini, post Polonis subiecta.

DANTISCUM, Dantzig, Gedanum, Godanium, et *Gdansko* Polonice, Pomerelliæ metropolis, et ex celeberrimis Europae emporiis haud minimum, vnde sibi nomen adsciuerit, auctores in diuersas discedunt opiniones. *Cluuerius lib. 3. de antiqua Germania cap. 34.* petit hanc appellationem a vocabulis Dan, Codan, & Godan, apud antiquos Deum significantibus, vnde et mari Balthico sinus Codani nomen natum, eaque de caussa hanc vrbem antiquitus Danzke, Gdan, & Gdansko nominatam putat. Hinc Latina nomina Godanium, Codanium, & Gdanum, recte huic vrbi conuenire, Gedanum vero falsum nomen esse docet. Prima origine pagum fuisse credit, anno Christi 1295. demum a *Primislao* Polono in vrbem mutatum, & anno 1342, vel 1343. mœnibus cinctum, & antiquissimam septentrionalium ciuitatum, licet Torunium, Elbinga, & aliae reclament, & ipsi praeponantur, quod Dantiscum trans Vistulam in Cassubia situm serius inter Prussiae vrbes relatum fuerit. Hinc erroris arguit *Krantzium in Vandalia* sua, qui nouam hanc vrbem ex antiqui Torunii ruinis surrexisse arguit. Alii a Danis nomen deriuant, quippe conditoribus arcis Dantiscanae circa annum 1164. eam condere incipientibus; ac ideo Danswiick, i. e. Danorum recessum, vicum, aut commorationem recte vrbem appellatam censent. Alii a saltando Dantiscum, & Gedanum deducunt, quandoquidem saltare Germanis est *Dantzen*, vnde & Polonos suam appellationem petiisse arbitrantur. *Chronicon Carionis a Melanchthone, & Peucero auctum, appellatio*, inquit, *vrbis vel a Gottis, & Danis facta est, vel Heneta prorsus portum significat Danis oppositum. David Frœlichius lib. 3. part. 1. Viatorii, pag. 205. a Suentopolco* Pomeraniae principe ad Vistulam anno 1200, exstructam, ac postea ob inundationis periculum inde remotam, & Motlavae fluuio admotam esse tradit. *Daniel Cromerus lib. 2. Chronic. Pomer. cap. 4. pag. 116. Subieslavium, posterioris Pomeraniae principem*, Dantisco prima ciuitatis iura concessisse scribit. *Micraelius* regem Daniae arcem in hoc loco condidisse, ideo Dantzig, vel Danswiick, id est, Dahnenwick appellatam narrat, ac *Subislavio* principibus anterioris Pomeraniae auxilium ferenti bellum intulisse, qui tamen illud occupatum, validius reddidit, & Zoham arcem Dantisco duobus milliaribus remotam, sedemque suam extruxit, ac anno 1185. Dantiscum hinc inde dispersum in eum locum coëgit, vbi iam vetus ciuitas sedet. Eius filii *Samborius & Mestowinus*, Domini vrbis Dantisci solebant appellari. Iunior *Mestowinus* Pomeraniae posterioris totius possessor tandem euasit. Ei anno 1212. Dantiscum ereptum est a Daniae rege *Woldemaro II*, qui per 17. annos hunc locum in potestate sua retinuit. *Suentopolcus III Mestowini* filius, postea Dantisco iterum potitus est. Hæc *Micraelius*, qui etiam *lib. 2. pag. 286. seq.* indicat, quo pacto haec vrbs a ducibus Pomeraniae ad Marchiones Brandeburgenses, et ab his in Teutonici ordinis possessionem, venerit, ac tandem, anno nimirum 1454, certis quibusdam conditionibus se *Casimiro* Poloniae Regi subiecerit. Qui de his plura nosse desiderat, alios scriptores inspiciat oportet, vt *Casimiri Schutzii Chron. Borussica. Casparum Henneberger um, Davidis Chytraei Chron. Saxonica, Georgii Braun secundam partem Theatri urbium, & Ioann. Angeli a Werdenhagen part. 3. de Rebus public. Hanseaticis, cap. 24. fol. 343. seqq.* Hic postremus scriptor *Petri Bertii lib. 3. rerum Germ. pag. 515.* commissos errores refutat, ac *part. 6. fol. 91. seqq.* Dantisci ab imperio Romano ad Polonos

Nomen.

Conditor.

Dantiscum quando vrbs sit facta.

Quando ad Polonos venerit.

lonos transeuntis historiam narrat. Anno 1361 Lituani arcem Dantiscanam vi occuparunt. Anno 1432. Polonis exercitu suo huc venientibus, equites lætitia exultantes, quod ad mare peruenissent, sibi mutuo gratulati sunt, ac marinam aquam vasis haustam domum secum abstulerunt. *Martinus Cromerus lib. 20. rer. Polonicar. fol. 484.* Anno 1456. plebs seditione mota veterem magistratum deposuit, ac nouum in eius locum reposuit. Anno 1525. senatus religionis mutationem admittere recusabat. Maximo tumultu eam ob causam oborto, & magistratu veteri abrogato, nouus creatus, ac omnes imagines, cæteriqùe ornatus sacri ex templis eiecti sunt. Rex a senatu Gedanensi inuocatus, & sequente anno Dantiscum veniens ex septuaginta captiuis tredecim capitis supplicio affici mandauit, atque ita seditionem sopiuit. *Chytraeus lib. 11. Saxoniae.* Circa annum 1530. septem impudici mercatores nudi, cum totidem meretricibus nudis choream saltarunt, quam Adami & Euæ tripudium esse dicebant. Captos & vehementi virgarum castigatione mulctatos, magistratus omnibus suis bonis priuauit, ex vrbe, & tota iurisdictione Dantiscana in perpetuum exilium eiecit, domumque, in qua hoc, et alia eiusmodi facinora, ab ipsis commissa erant, demoliri iussit: *Olaus magnus Archiepiscopus Vpsaliensis, lib. 15. c. 11. fol. 527.* qui se cum celebri mercatore *Iacobo a Campen* demolitionem domus istius, cuius possessor erat, haud ægre ferente, illam sæpius vidisse testatur. Anno 1577. Dantiscum Poloniæ Rex *Stephanus* obsedit, Dantiscani Electorum & principum Germanorum intercessione regi reconciliati, culpamque deprecati, Regiis commissariis fidelitatis iusiurandum præstiterunt, viginti florenorum millia ad destructi cœnobii Olivæ restaurationem soluerunt, & ducentena florenorum millia quinquenio, vt & singulis annis tributum, subiectionis debitæ indicium, soluendum polliciti sunt. Rex vero ipsis offensionem ignouit, priuilegia & immunitates confirmauit, Augustanæ confessionis exercitium liberum permisit, bona fisco adiudicata restituit, ac grauamina, vt vocant, in publicis comitiis remouenda promisit. *Chytraeus lib. 23. Saxon. Thuanus Lundorpius lib. 17. Continuat. Sleidani pag. 322.* Anno 1623. circa mensis Iulii initium Rex *Sigismundus III.* Dantiscum venit, 4. Iul. Tempelburgum, qui locus extra vrbem viuariis & hydraulicis operibus celebris est, inuisit. 8. eiusdem mensis cum regina, & principe *Vladislao* exceptus splendido conuiuio a consule vrbis *Spemanno*, cuius etiam balneo vsus est, operibusque hydraulicis, ac florum, & aquarum odoratarum suauitate se vehementer delectauit. 9. cœnobium Olivam inuisit. 11. Weixelmundæ fuit, et 18. iterum Dantisco discessit. Anno 1626. Sueci Dantiscanis multum negotii facessiuerunt, in insula, quam *Grot Werder* appellatam Vistulæ brachia complectuntur, et in qua Dantiscani plures pagos possident. Vnde Sueci hostes declarati sunt, durauitque hæc vexatio vsque ad annum 1630. quo lites sopitæ sunt: *Angelus Werdenhagen in part. 4. Antegressu fol. 514. b.* Anno 1632. Dantiscanis concessum est a Rege, vt æque ipsis, ac Cracouiensibus, et Vilnensibus liceat ad comitia publica legatos suos mittere, qui in regis electione votum haberent. Anno 1636. magna tempestate exorta, templum *S. Iacobi* cum xenodochio vicino ignis flemma in cineres redactum est. Paulo post horrenda iterum tempestas contigit, ac in via tonitru ancillam quandam ictu suo occidit. Sequente nocte ædificium et hortus amœnus in cœnobio Oliva incendio periere, *Micrael. lib. 5. Pomer. pag. 348.* Anno 1646. Vistula exundans aggeres perfregit, pagos plures obruit, multos homines, & bestias vita priuauit, & Dantisci multas cellas & conclauia subterranea complens mercatoribus magnum damnum intulit. *Tom. 5. Theatr. Europ. fol. 1065. b.* Eodem anno Dantiscanis magna discordia, & simultas cum Iesuitis fuit. *ibid. fol. 1230. b. & 1247. a.* i. Die 11. Februarii eiusdem anni regia sponsa, princeps de Niuers Dantiscum venit, & per aliquot dies splendide excepta est. Anno 1653. pestis in hac vrbe vehementer grassata circa finem Septembris vna

Res gestæ. | Seditiones. | Dantiscum a Rege Stephano obsessum. | Rex Sigismundus Dantiscum venit. | Dantiscani vexantur a Suecis. | Tempestates. | Inundatio. | Pestis.

septimana 640. homines abstulit. Anno 1655. & 56. cum Sueci Poloniam inuasissent, vrbs multis operibus bellicis longe firmior est reddita, & plurima ædificia splendida deiecta sunt. Anno 55. mense Nouembri in suburbiis, nempe in nouo horto, Schladelio, & Rosenthalia, quinquaginta circiter ædificia, & multos amœnos hortos euersos, sequente vero anno 56. totam plateam, quæ Motlawgassen appellatur, Schotlandiam item totam, cum templo Iesuitarum, in Episcopi, & Petershagam in sua propria iurisdictione sitam, a Dantiscanis incendio deletam, ac cætera suburbia deiecta esse, narrat *Augustinus Limmerus in relationibus suis*. Suecis totam Prussiam, & Poloniæ haud exiguam partem occupantibus soli Dantiscani se opposuerunt, & suo Regi fideles manserunt. Marieburgum obsidione Suecica liberaturi nimis sero venerunt, ac cœnobium Olivam Suecis iterum eripuerunt. Rex *Casimirus* ipse cum Polonico exercitu anno 56. Dantiscum venit, qui aduentus tamen Dantiscanis haud multum commodi attulit. Sed de vrbis huius ortu, progressu, & rebus gestis hæc pauca sufficiant: Eius descriptionem paucis subiungemus.

Suburbia Dantisci partim exusta, partim deleta.

Dantiscani Suecis se opponunt.

Situs vrbis.

Sita est hæc vrbs celeberrima sub latitudinis gradu 54. & min. 22. ac longitudinis gradu 41. secundum *Starovolscium*, (45. secundum alios) ad confluxum trium fluminum Vistulæ, Motlavæ & Rodauni, quem postremum fluuium quidam *Herodoti* Eridanum esse censent. Qua septentrionem spectat, Vistulæ sinistro margini apposita, & insulæ Frisch Nerung, e regione iacenti, opposita est. Versus ortum Motlava & Rodaunus fluuius coniuncti accedunt. Versus meridiem & occasum editioribus montibus cingitur, qui ex arena constantes tam prope vrbi admoti sunt, vt ex ipsis ædes vrbis conspiciantur, et lapides in fossas facile coniici queant. Vnde etiam ipsis fossæ admodum profundæ, cum validioribus, & altioribus vallis, atque propugnaculis obiiciuntur, ac propugnaculorum nonnulla pedum 40. altitudinem habere dicuntur. Horum montium sublimitate sua templorum turres superantium, atque ideo aptorum, ex quibus vrbi magnum damnum globis illis igneis, quos *Granaten* vocitare solent, inferri potest, nomina sunt: der Hagelsberg, Stoltzenberg, Dolberg, & Bischofsberg. Inter duos priores versus occasum cernitur suburbium Neugarten, quod in Episcopi Cuiaviæ terras aliqua parte se extendit; Schotlandia suburbium, ad eundem Episcopum pertinet. Cum suburbiis autem Dantiscum tantum spatii complectitur, quod trium fere horarum ambitu circumiri potest. Ob Suecorum in Poloniam irruptionem dictos montes magistratus Dantiscanus bellicis operibus anno 1656. & 57. muniuit, ac suburbia partim incendio, partim deiectione vastauit. *Frœlichius part. 1. Viatorii, lib. 3. pag. 234.* ait; si valli Dantiscani latitudo & altitudo consideretur, nullam in Germania vrbem, quantumuis firmissimam inueniri, quæ cum hac comparari queat; Imo Argentoratum ipsum, licet operibus bellicis munitissimum huic cedere affirmat. Versus meridiem & septentrionem pulchra planities vtrinque se offert, ac versus ortum flumen, Motlaua occurrit, quod tardo cursu vrbem pererrans tribus milliaribus supra eam oritur, & quadringentis sub ea passibus Vistulam ingreditur, adeo vt naues per id ad vrbem accedere possint, ex quibus onerariæ illæ maximæ inferius in Vistula manere coguntur. Rodaunus celeriore cursu vrbem antiquam percurrit, supra cœnobium Vchau ex montibus erumpens, & partim per vrbem ruens, partim alio loco supra vrbem Motlauiæ se iungens. Celeberrima illa cereuisia, *Iopenbier* nominata, coquitur ex hac aqua, in quam supra vrbem ex coriariorum locis, et aliis latrinis multæ sordes defluunt, adeo vt Dantisci prouerbium sit vulgare, eos, qui Dantisci septennium habitarunt, ex septem illis annis vnum stercori bibendo impendisse. Vrbs duplex est; antiqua & noua: illa magnis turribus, muris et fossis munita portas suas proprias habet, quæ noctu clauduntur, et plateæ tamen eius angustiores sunt, et ædificiorum splendor nouæ vrbis ædibus

Montes.

Fossæ, & propugnacula.

Magnitudo vrbis.

Motlava flumen.

Rodaunus fluuius.

Vrbs duplex.

ædibus non respondet. Hæc vero ædibus ornatior, plateisque latioribus splendidior priorem magnificentia sua superat. Eius plateæ grandes et latæ ædibus editioribus, quæ ascendentibus introitum per gradus concedunt, fastigiisque pulchris ornantur, superbiunt. Sub iis cellæ et conclauia habitationi apta, clocantur iis, qui opificia exercent, mercibus et aliis rebus quotidianis vendendis occupati sunt, aut mercatoribus baiulando, et alia seruitia præstando inseruiunt. Est platea, quæ longa dicta, *die lange Gosse*, a longitudine nomen inuenit, et magnifica ædificia exterius variis coloribus, et auro picta ostentans pulchritudine omnibus cæteris antecellit. Plateæ tamen haud paucæ vtriusque vrbis sordidæ sunt, et lutosæ ob magnam curruum et hominum frequentiam, qui ex Polonia, Cassubia, et Prussia merces suas aduectant. Templum cathedrale intus admodum altum, et spatioso ambitu se explicans organum ostentat musicum, grande et artificii magni opus, et initium suum sequenti inscriptione testatur: *Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio, quarta post Laetare positus est primus lapis muri ciuitatis, Danzk, et postea proxima feria sexta positus est primus lapis ecclesiae Beatae Virginis Mariae.* In hoc templo baptisterium cum cancellis id circumdantibus ex orichalco factum cernitur, vt et tabula picta vltimum iudicium repræsentans, et tanto artificio elaborata, vt nullus pictor hodiernus colores illos ad viuum omnia exprimentes imitari posse credatur. Nautam, aiunt, in mari eam inuenisse, quæ non nisi diebus festis maioribus conspicienda exhibetur. Porro diuersa templa cernuntur, vt et tria monasteria, de quorum vno *Cromerus lib. 2. Chron. Pomer. cap.* tradit, quod dux posterioris Pomeraniæ *Suentopelcus* III. anno 1227. in honorem S. *Nicolai* monasterium Monachorum Dominicanorum nigrorum Dantisci fundauerit, quod extra vrbem olim, nunc vero in media vrbe locum habet. Collegium seu gymnasium, in quo *Bartholomeus Keckermannus*, et *M. Petrus Krugerus* docuerunt, vrbi haud exiguam famam conciliauit, multis studiosis ex Prussia, Germania, Polonia Vngaria, et Transiluania confluentibus frequens. A cathedrali templo haud longe abest forum, non quidem magnum, sed exornatum curia magnifica et sumptuosa, cuius turris vbique oculis peruia pulchrum habet horologium, ambulacra amœna, et coronam deauratam, in qua multæ campanæ maiores, et minores ante sonitum campanae horam indicantis suaui concentu sacram cantilenam concinunt. Sub curia locus est Pontcamer, vel Pfundkammer, appellatus, vbi vectigalia omnibus mercibus, exportandis, et importandis imposita soluuntur. Proxima est nobilium aula, altis fornicibus lapideis constructa, cum duplicibus scamnis ab vtroque latere, multis picturis, et cornibus ceruinis decorata, ex quibus vnum triginta sex ramis constat, pro quo Borussiae dux quidam quingentorum florenorum precium obtulit. Pictura quoque omnes mundanas voluptates miro artificio exprimens, et ab Antverpiano quodam pictore, picta, et statuae elegantes, vt et in medio suspensae quaedam naues paruae, 9. 10. & 11. velis artificiosae confectae, et omnem apparatum nauticum ostendentes cernuntur. Fornax ferrea mirae altitudinis in eadem aula vetulam ostendit tergo speculum inspicientem, quo signo peregrini opifices se Dantisci fuisse testantur. Hanc aulam frequentant praecipuæ notæ ciues Dantiscani, quisque duos grossos soluentes, ac constituta hora pomeridiana vsque ad nonam vespertinam cereuisiæ Dantiscanæ optimæ, tantum, quantum libet, bibentes. Musica instrumentalis hic bibentes exhilarat, iique qui hanc aulam antehac frequentare, & in bibentium numerum referri voluerunt, antehac Thalerum soluere solebant; plebs tamen vulgaris non admittitur. Omnis generis cereuisiæ in vrbe inueniuntur, adeo vt 30. genera numerentur, ex quibus nonnulla in vrbe cocta sunt, inter quæ melioris notæ illa cereuisia excellit, quæ Doppelbier, Jonckerbier, aut duplex cereuisia appellatur. *Philippus Cluverius lib. 1. Germaniae antiq. cap. 17.* scribit, vidisse se cereuisiam admodum crassam,

Plateæ & ædes.

Templa.

Monasteria.

Gymnasium.

Curia.

Nobilium aula Iuncker-hof.

Cereuisia.

crassam, & nigram, annorum sexaginta, quae ad sitim sedandam non adhibebatur, sed ægris tantum propinabatur. Infra forum flumini vicinum est ædificium pulchrum & insigne, vbi libræ publicæ omnes merces vendendæ et emendæ imponuntur. Hoc cum cæteris vicinis foro publico magnum ornamentum affert. Per plateam supra forum transeunti occurrit armamentarium inferius fornicato opere fultum, & pluribus columnis impositum, quod magno circuitu se dilatans versus vrbem duobus gradibus lapideis, & rotundis aditum ad superiora conclauia permittit. Inter hos interest magna porta quadrato lapide surgens, & Romanam structuram imitans. Visu digna quoque est, mola illa pulchra octodecim grandibus rotis constans, et singulis horis Vngaricum nummum, seu ducatum, pro vectigali soluens, vt *Frælichius dicto lib. 3. pag. 406. indicat.* Hortus item nobilium pulchro fonte insignis, granaria, & multa alia ædificia, quæ omnia hic recensere nimis longum foret. Suburbia pulchra, & incolis referta, sed iam pleraque in cineribus iacentia, vt in praecedentibus diximus, granariis plurimis abundabant, quinque aut sex solariis aut tabulatis frumentum, & alias merces condentibus, & ex lapidibus constructis. Inter caetera suburbium Schotlandia Episcopo Cuiaviae subiectum, vt *Chytraeus lib. 29. Soxon. fol. 816. & Lundorpius 30. Contin. Sleidani pag. 779.* referunt, aedibus pulchris, & plurimis incolis, praesertim opificibus, affluebat, ita vt Dantiscanis opificibus haud parum incommodi crearent, quippe qui minore precio, quam ciues Dantiscani vendere merces suas solebant, idque nec prohibere Dantiscani poterant, quoniam in ipsos, alienae potestati subiectos, nihil iuris habent. Incolarum vrbem inhabitantium magna est multitudo, ex Germanis, Polonis, aliisque nationibus conflata. Germani tamen caeteris numero superiores sunt, et hos Poloni sequuntur, ac vtriusque nationis idioma, Germanicum puta et Polonicum, in vrbe vsitatum est, adeo vt plures incolae reperiantur, qui vtramque linguam callent. Multi homines, praecipue qui inferioris sunt fortis, in cellis commorationem suam habent, et in conclauibus morantur superiori aedium corpori subiectis, in quae gradibus aliquot descendendum, sicut in superiorem partem ascendendum est. Ac quamuis tanta tot nationum copia in vrbe confusa sit, a magistratu tamen vrbis omni laude dignissimo sapienter et prudenter eo diriguntur, vt in pace viuentes omnes prosperitate felici gaudere queant. Porro commodissimus vrbis situs ad flumen mari proximum, et conscientiae libertas in negotio religionis a nobilissimo magistatu obseruata faciunt, vt maximus mercatorum, et aliorum hominum numerus, negotiationis et mercatuæ exercendae causa, in hanc vrbem confluat, vt *Storovolscius* ipse, quamuis haereticam suo more appellet, hoc tamen elogio laudes vrbis decantet: *Gedanum vrbs metropolis, maris Balthici emporium celeberrimum, copia & varietate mercimoniorum, partim maritimorum, ex toto occidente & septentrione, partim terrestrium ex diversis mundi partibus, & fluuiatilium, maxime Vistulae praeterlabentis opportunitate abundans, adeo vt aedificiorum tam publicorum, quam priuatorum pulchritudine, incolarum & externorum multitudine, ciuium divitiis, propugnaculorum firmitate, machinarumque, & instrumentorum bellicorum numero cum praecipuis Europae vrbibus certare possit.* Negotiationis autem incredibilis indicium est magna nauium copia ex omnibus Europae partibus singulis annis Dantiscum aduentantium, adeo vt sexcentæ aut plures quotannis accedere dicantur. Quanta autem scapharum, & minorum nauium Vistula fecunda ex Prussia & Polonia Dantiscum multitudo descendat, *Poloniae defensae Auctor contra Barclaium* testatur, se meminisse dicens, quod vno eodemque tempore eiusmodi nauicularum, & ratium secundo flumine aduectarum quinque millia numerata sint. Consistit autem ipsa negotiatio præcipue in frumento, cuius quotannis tercenties, et sexagesies quinquies mille onera (Last) vendi, & partim in exteras regiones

Libra publica. Armamentarium. Mola. Suburbia. Schotlandia. Incolæ. Eorum multitudo. Pacifica vita. Magistratus prudentia. Elogium vrbis. Nauium multitudo. Negotiatio. Frumentum.

giones deportari, partim in vrbe consumi creduntur. Tum in lignis, cereuisia, variis pellibus preciosis ex Russia & Moscovia aduectis, piscibus sale conditis ex Dania, & halecibus ex Hollandia apportatis, panno ex Anglia, aromatibus omnis generis ex Hollandia, Gallia & Hispania missis. Vini tanta in vrbe affluentia esse dicitur, vt copia aquam vrbis fontanam æquiparet, vel potius superet. Poloni frumentum, & alia ad vitæ sustentationem aduehentes, vinum, præcipue maluaticum, ac alias merces exteras coëmunt, & in Poloniam secum auehunt. Ex Italia, locisque aliis sericum, & ex eodem contexti panni apportantur. Hac occasione & his mediis Dantiscum, florentissima et potentissima euasit ciuitas, et emporium celeberrimum, ita vt vna sit ex quatuor ciuitatibus Hanseaticis, quæ hactenus cæteras Prussiæ et Liuoniæ ciuitates Hanseaticas ad societatis et fœderis Hanseatici conuentus publicos inuitandi potestatem habuit, & cum cæteris legatos suos negotiationis causa ad Europae magnates ablegauerit. Licet enim, vt supra dictum, se Poloniae subiecerit, priuilegia tamen et immunitates suas peculiares, ciuitatum imperialium more, habet, quae ab *Angel. Werdenhagen, in partis 4. Antegressu fol. 513. seqq.* enarrantur. Sedem in conuentibus regni Poloniae publicis, et in ipsa Poloniae Regis electione votum habet, atque gubernatione Aristocratica Democratiae mixta vtens, a quatuor consulibus, et quatuordecim senatoribus, ex quibus Rex quotannis Burggravium regium eligit, gubernatur. Hi primum vrbis ordinem faciunt: alter est Scabinorum, qui ciuiles et criminales causas disceptant: tertius centum virorum, qui etiam magnus senatus appellatur. In causis nauigationem concernentibus, vt et in criminalibus, et iniuriarum actionibus ad regem appellatio nun conceditur; In caeteris autem litibus, in quibus de bonis et pecunia controuertitur, ad Regem prouocare licet, si quingentorum florenorum precium summa excedat. Vrbis reditus annui sunt grandes, vt facile coniici potest, cum ingens pecunia quotannis colligatur ex mercium vectigalibus, quae in loco illo, qui *Pondtcamer*, vel *Pfundtkammer*, sub curia solui solent. Ex his dimidia pars proximis annis ad regem pertinuit. Quicquid tributi a ciuibus consentientibus, quod raro, et non nisi necessitate postulante fieri solet, praeter ordinaria illa vectigalia soluitur, vrbs sibi retinet, et Regem in illius communionem non admittit. Et certe nobilissimus magistratus in iis, quae ad regem pertinent, soluendis promptum se semper et paratum exhibuit: Sed nouas impositiones priuilegiis et immunitatibus suis contrarias animose et strenue repudiauit, sicut factum anno 1637, quo Rex *Vladislaus* nouo vectigali naues aduentantes onerare conatus est. Tota illa insula, quæ Frisch Nerung appellatur, et se a Vistulæ ostio vsque ad alterum, quod *Koningsberger Diep* appellatur, & districtus ille, cui *Kleine Werder* nomen est, Dantiscanis patent, qui absolutam iurisdictionem possidentes omnibus regalibus fruuntur, vectigalia, & tributa imponunt, monetam cudunt, legatos, quocunque volunt, ablegant, ciues, quos volunt, admittunt, conuentibus intersunt, ac libero religionis exercitio fruuntur. Triplex autem est religio Dantisci, Lutherana, Reformata, & Catholica. Iesuitæ templum & collegium in suburbio habuerunt episcopali iurisdictioni subiecto, quod forsan nuperrimo incendio etiam conflagrauit. Dominicani, Carmelitæ, & Moniales in vrbe ipsa habitant, vt & vicarius episcopalis. Incolæ vrbis & ciues sunt humani, ciuiles, hospitales, sumptuosi, & doctorum hominum cultores. Alios honorant, & ipsi honorari volunt, adeo vt ille facile hic laudem inueniat, & amicos paret, qui vel nautam aliquem vulgarem, aut sulphuratorum venditorem, nobilem, aut *Ioncker*, vt vocant, appellare non dedignatur, vt *Balthasar Schuppius in dissertatione de opinione pag. 45.* tradit, præcipuæ notæ virgines profecto, vt *Frœlichius lib. 3. part. 1. Viatorii, pag. 356. refert*, dedecori sibi ducunt sponsæ, vt moris est, ad templum deducendæ praeire, ac ideo pauperes virgines, vno aut altero grosso conductas, in suum locum substituunt,

Vinum.

Dantiscum vna ex Hanseaticis ciuitatibus.

Politia Dantiscana.

Tres Ordines.

Causæ & lites.

Reditus.

Tributum Regi debitum.

Iurisdictio vrbis.

Regalia.

Religiones.

Mores.

ideo *de Pælchen Iungfrauen* appellatas. In vestibus, cibo, & potu, ciues sumptuosi sunt, vinum Rhenanum prandentes et cœnantes bibere amant, pisces & carnem, assa excepta, aromatious et cepis elixant et condiunt, equis, et curribus frequenter vtuntur, quibus æstiuo tempore Heligenbornam, et Falckendaliam, quæ loca amœnissima hyberno tempore trahis vecti inuisunt, excurrere solent. Cæteri curribus carentes pedibus se eo delectationis gratia conferunt. Quibus vlterior deambulatio arridet, ii in cœnobium Olivam, aut Pautzkam tendunt.

Vrbis Insigne. Vrbis Dantisci insigne nigram et coronatam habet aquilam, gladium nudum continentem, et fuluo campo, seu fuluæ areæ insistentem.

MUNDA, vel Weissel munda fortalitium in apice dextro ostii, per quod Vistula in mare Balthicum se effundit, vnde etiam Weissel munda, i. e. *der mundt der Weichsel*, os Vistulæ, dicitur. Proximis annis valide munitum Vistulam custodit, & impedit, quominus hostiles naues flumen ingrediantur. Rex *Stephanus* eodem potiri nequiuit, licet tunc temporis non ita munitum fuerit. Hoc tempore Illustris Dominus *Königsmarck* celebris exercitus Suecici imperator, & Ducatus Bremensis Præfectus summus, a Dantiscanis in mari captus, cum ad Regem suum in Prussiam naui profectus tempestate in proximas oras coniectus esset, in hoc fortalitio captiuus detinetur.

Konigsmarck.

FRISCHNERUNG, insula a Weisselmunda, & Vistulæ ostio longa quidem, sed angusta extensione vsque ad Koningsberger Tieff, inter huius insulæ, & Sambiæ apices intercedentem, ac naues Koningsbergam transmittentem, excurrens, a septentrione Balthico mari, & a meridie æstuario, Frisch Haff, clauditur, ac Dantiscanis paret. Nonnulli in ea sunt pagi, inter quos Bonensack, Britzlar, Niclaswalde, Kobelgrube, Stuthoff, Vogelsang, &c.

HOVET, vel *het Hooft* fortalitium est in apice situm, vbi Vistula diuortio facto vnum alueum in lacum Frischhaff, alterum sub Dantisco in Mare Bathicum emittit. Occupatum anno 57. a Suecis, qui etiam cæteris locis, excepta Weisselmunda, occupatis, totam hanc insulam in potestatem suam redegerunt.

Sueci Neringum occupant.

KLEINE WERDER, districtus Dantiscanorum ad sinistram Vistulæ ripam supra vrbem versus ortum, in quo Grebbin arx, & fortalitium apud Subelau, itidem a Suecis occupatum.

Conditor.

OLIVA, Oliue, cœnobium vno milliari Dantisco versus occasum distans, & fundatum anno 1170. a *Sobeslavio* posterioris Pomeraniæ principe, ac Benedictinis Monachis traditum, vt *Micraelius lib. 2. cap. 252.* narrat. Fuit ille princeps *Suantipolci avus*, & anno 1187. diem obiit, in eodem cœnobio sepultus. *Suantiborium*, vel *Samborium* eiusdem filium id condidisse, & septem pagos ipsi donasse, anno 1178. 15. Kal. Aprilis scribunt. L. *Wurfbain de num. Septen. ex Hildebrandi Diario Pomeran. pag. 162. & Hennebergerus in tabula Borussiae. Micraelius* vtrique filio *Samborio* & *Mestowino* donationem illam adscribit. Anno 1224, Prussi ethnici omnes monachos trucidarunt, & monasterium igne deleuerunt: *Hennebergerus*. Anno 1234. vel 36. iidem octo monachos cum 36. militibus præsidiariis interfecerunt, & monasterium altera vice incenderunt. Anno 1432. vel 33. Bohemi milites sub Polonis stipendia facientes, illi direpto ignem subiecerunt. Anno 1577. idem Dantiscani demoliti sunt, a Rege *Stephano* 20000 florenos ad eius restaurationem soluere postea coacti. Hodie Cisterciensis ordinis est monasterium.

Varii casus huius loci.

PAUTZGE, Puokum, *Cromero* Puscum, in Cassubiæ finibus ad sinum maris Balthici ab hoc loco *Pautzkerwick* appellatum, est oppidulum cum arce admodum firmum, quod *Micraelius lib. 2. Pomeran. pag. 247. & Caspar. Schutz in Chron. Pruss.* a *Bugislavio* Pomeraniæ Duce, qui anno 1150. obiit, et Bugustie, vel Buguswick ab ipso denominatum esse aiunt. *Hennebergerus* ortum eius ad annum 1378. refert. Annô 1464. Dani post sex mensium obsidionem hunc locum occuparunt, vt *Cromerus lib. 25.* narrat. 22. septimanarum obsidionem fuisse *Hennebergerus* ait. Anno 1594.

Conditor.

Occupata a Danis.

1594. Poloniæ Rex *Sigismundus III.* ex Suecia vela faciens 44. naues huc appulit, ac inde Dantiscum magna pompa deductus est. Anno 1626. Pautzke a Suecis occupatum, et anno sequenti 11. Aprilis ab iisdem commeatus penuria laborantibus, Polonis obsidentibus deditione redditum est. Pertinet autem ad Regem Poloniæ, cuius monitu Dantiscani anno 1544. hunc locum Domino *Koskae*, cum forsan oppignoratum pecunia redimenti reddiderunt. Anno 1655. cum Sueci post diuturnam circumsessionem deseruerunt, hyberna tempestate cedere coacti. Sequente anno parum absuisset, quin Sueci eius proditione potiti fuissent, præuenti tamen a Dantiscanis, quibus a Rege hunc locum postea donatum esse aiunt.

A Suecis & a Polonis recuperatum.

ZERNOWITZ, insigne cœnobium Monialium Præmonstratensis ordinis, ad æstuarium Balthici maris supra Pautzke, in finibus Pomeraniæ, anno 1213. a *Suentopelci* Ducis matre conditum, quod anno 1465. quidam milites, et equites diripuerunt, monialiabus stupratis in fugam cum præda se coniicientes.

Fœdum facinus quorundam militum.

HELA oppidulum ad apicem sinus Pautzgerwick. De hoc *Cluverius lib.* 3. *antiq. German. v. 35. Vocabulum*, inquit, *Heel oppidi in peninsula ante Vistulae ostium occid. siti, a quo forte dicti the Heler, Helii, forte Graeci fecere* ἑλουροὶ *quasi derivatum a Graeca voce* ἕλη *quae paludes significat. Alii transpositis literis pro Heluri dixere Heruli, quod apud plerosque obtinuit.* Putat autem Herulos fuisse eosdem cum Lemovijs, qui vsque ad vrbem Cassubiæ Helam habitauere. Circa Paschatis festum anno 1572. hoc oppidulum incendio oborto conflagrauit.

BRANGAU, Mattern, Mirchau, Carthaus, &c. oppidula aut pagi inter districtum Kleine Werder & Cassubiam.

BITOVIA, Bitaw, Bouta, Bythovia, clientelam iure possidendam Ducibus Pomeraniæ Reges Poloniæ concesserunt, vsque ad mortem vltimi Ducis Pomeraniæ *Bogislai XIV.* anno 1637, quo ad regnum Poloniæ rediit. *Cromerus fol. 534. rer. Polon.* scribit, *Ericum*, Pomeraniæ & Stetini Ducem, Lemburgum vrbem, & Bithow arcem, sibi a Rege Poloniæ concreditas, anno 1460. contra iusiurandum suum, hostibus tradidisse. *Micraelius lib. 3. de antiq. Pomerania* fol. 428, postquam vrbes, ait, ab ordine Teutonico ad *Casimirum* Poloniæ regem defecerunt, hic Duci *Erico II.* Lemburgum, vel Lauenburgum, concredidit. Bis mille Bohemi, qui *Gaeste* i. e. hospites appellati, sub Teutonico ordine militabant, ob stipendia male soluta dictis locis potiti sunt, & Cassubiam magno damno mulctarunt: quæ tamen *Ericus* ipsis iterum eripuit. *Henneberger⁹* eadem loca *Erico*, a Rege *Casimiro* ob fidelem operam præstitam, tradita, atque iterum adempta esse, *Sigismundum* vero Regem anno 1526 *Georgio* & *Barnimo*, Pomeraniæ Ducibus, et fratribus clientelarem illorum possessionem largitam esse, postquam Regi, sorori suæ Annæ debitam 14000. Ducatorum dotem remisissent.

Bitoviæ varia fortuna.

Hic & sequens locus olim Pomeraniæ nunc Poloniæ.

LEUENBURG, Lauenburg Lemburg, olim ad Pomeraniam pertinuit, nunc Polonici est iuris, vt præcedens, sicuti modo ibi diximus. Milliari vno ab oppidulo Lantzigk distat

SUCKAU, cœnobium monialium S. Bernhardi ordinis, a Bohemis et Polonis, qui hæretici appellabantur, anno 1433. exustum, et anno 1465. a nonnullis nebulonibus, qui Moniales stuprarunt, direptum. In tabulis huius nominis locus haud longe a Radauni fluuii ortu cernitur.

Facinus indignum.

DERSAVIA, Dersau, Dirschau, Polonis Tscozovo, Tysciovum, et Tizovia, in Vistulæ sinistro margine probe firmatum oppidum, olim *Sau* appellatum, cuius ortus ad annum 1209. refertur. Tempore *Helmerici* Promagistri Prussiæ cum Pomeranis bellum gerentis euersum est. Comitatus olim fuit caput. *Mestovinus*, inter annum 1274. et 88 cœnobium prædicatorum monachorum hic fundauit. Anno 1310 Teutonicus Ordo, post Dantiscum captum, hanc vrbem exussit. Circa annum 1432. vel 33. Poloni eam, iam opulentiorem Conicio factam, vastarunt, et decem mille homines captiuos fecerunt, sequiori sexui tamen parcentes, vt *Cromerus*

Varii euentus.

 testatur.

testatur. *Hennenbergerus* hoc attribuit Bohemis sub Polonorum signis militantibus. Anno 1454 Teutonico Ordini se rursus adiunxit, recuperata iterum a Polonis anno 1456. Anno 1577. horribili incendio vastata est. Anno 1626 Rex Sueciæ *Gustavus Adolphus* eam iuris sui fecit, et sequenti Polonicum equitatum ante eam fudit. Restituta autem est Polonis a Suecis, qui eam anno 1655. iterum occuparunt, et firmissimis operibus bellicis muniuerunt.

MEVE, Meva, Meau, Gnievum, Gnevum, vrbs infra Fers, vel Ferfæ fluuii exitum in Vistulam, cuius arcem *Mestowinus* posterioris Pomeraniæ Dux Teutonico ordini sponte dedit, vt *Daniel Cromerus in Chron. Pomer. cap.* 12. indicat. *Martinus Cromerus lib.* 10. *rer. Polon.* Mevense vel Gnevense territorium ab eodem donatum fuisse Crucigeris, et hos arcem Meuam e vestigio extruxisse ait. *Micraelius lib.* 2. *Pomer.* tradit, Crucigeros prius circa Meuam, et Dirsouiam impetum in Pomeraniam fecisse, ac *Mestowinum*, pacis impetrandæ causa, ipsis arcem Meuam cum quindecim pagis concessisse. Anno 1454. Meua vrbs, quæ a Crucigeris cum cæteris vrbibus ad Polonos transierat, eorundem exercitui Conitzia aduentanti sponte se dedidit. Anno 1463. a Polonis obsessa, et a Crucigeris fortiter defensa sequenti tamen se dedere coacta est. Anno 1596. primarium templum Romano Catholici in suam potestatem redegerunt. Anno 1626 *Gustavus Adolphus* Meuam deditione occupatam sui iuris fecit, et Polonos eam rursus obsidio cingentes profligauit, ac magna clade affecit. Anno 1655. Rex et Sueci eiusdem iterum compotes facti sunt, quibus sequente 56. mense Aprili eadem vrbs, cum Schwetza, Stargardia, Schœneckio, Nakelio, Tauchelio, et Bromberga iterum a Polonis erepta est.

Dominorum mutatio frequens.

POEPLINIA, Poplinia, Bernhardini Ordinis secundum *Hennenbergerum*, & Cisterciensis *Starovolscio* monasterium, ad Fersam fluuium inter Meauiam & Stargardiam anno 1433. in bello Hussitico magna clade affectum est, & anno 1626. in Suecorum potestatem incidit. Dantisco 5. milliaribus abest.

Cœnobium bello Hussitico occupatum.

STARGARDIA, Stargard, ad modo nominatum flumen supra cœnobium dictum, Stargartha, & Starigrodum *Cromero*, qui ex senatu vrbis tres eam Crucigeris proditione tradidisse anno 1463 refert. Anno 1465. ipsam Poloni exercitu suo circumdedêre, & sequente anno cum arce Oseco (Oseck) recuperauere, licet a Crucigeris, qui omnia circumiacentia oppida & oppidula præsidiis suis probe muniuerant, fortiter defensa fuerit. Anno 1520. a Germanis Ordini Teutonico suppetias ferentibus occupata est, post ipsorum abitum a Polonis recepta. Primarium templum Romano Catholici anno 1569. sibi arrogarunt. Anno 1655. Suecis se dedidit, iisdem sequente anno rursus erepta.

Occupationum vicissitudines.

SCHOENEK Schoinicia ad Fersam fluv. supra Stargardiam, *Hennenbergero* arx in bello eum Hussitis destructa, postea restaurata, oppidum cum arce *Starovolscio*, in Suecicis bellis eandem cum cæteris circumiacentibus fortunam expertum.

Ab Hussitis destructa.

BISCHMARK nouum oppidulum a præcedente versus occasum, quod aliquando totum incendio periit.

KYSCHAW, oppidulum iuxta originem fluuioli Belz a Stargardia versus meridiem.

NEUBURG, Neuenburg, Neoburgum, supra Meuam, vno latere Vistulam, altero paludes tangit. Non ita est noua ciuitas, vt nomen eius loquitur, cum *Micraelius lib.* 2. *pag.* 291. in anno 1310. eius mentionem faciat. Anno 1458. ciues Polonicum præsidium eiecerunt, quasi se ipsos defensuri, vnde in Crucigerorum potestatem venerunt: Anno 1464. a Polonis obsessa, & sequentis anni Kal. Febr. recuperata est, vt *Cromerus* narrat. Deditionem anno 64. factam vult *Hennenbergerus*. Anno 1626. a Suecis occupata, & postea Polonis reddita est. Anno. 1655. Suecorum potestati cessit, a Polonis sequente recepta.

Bellicas vices expertum oppidum.

SCHWETZA, Schwetz, Suecia, Suece *Cromero*, quod nomen a Suecis aliquando

quando hic castra habentibus ortum coniectat. *Erasmus Stella.* Oppidulum est, & arx in sinistra Vistulæ ripa a Duce Pomeraniæ *Suantopelco* circa annum 1242. aut 43. ædificatum. Crucigeri anno 1310. post 70. dierum obsidionem eius compotes facti, idem anno 1340. validioribus munitionibus firmarunt. Anno 1454. a Polonis, anno 55 ab Ordine Teutonico, anno 56. iterum a Polonis, anno 1655. a Suecis, anno 56. a Polonis rursus occupata tot vicibus dominos mutauit.

Domini aliquot vicibus mutati.

SARTOWITZ ad Vistulam infra Schwetzam, *Hennenbergero* pagus eum locum occupans, cui arx Sartowitz, vel Schartewitz, Ducis *Suantopelci* thesaurum, & pretiosam suppellectilem custodiens imposita erat, vt *Author* ille arbitratur. Circa annum 1242. vel 43. *Theodoricus de Bernheim, vel Bernsheim* Crucigerorum Mareschallus eam occupauit, & inter alios thesauros inuenit caput S. Barbaræ, (vel totum corpus secundum *Cromerum*) antea cum naufrago Cardinale Pontificio in litus Pomeraniæ eiectum, quod secum Culmam detulit. *Micraelius lib. 2. Pomer. pag. 279.*

Caput S. Barbaræ.

VERDON, Vordon, oppidulum ad Vistulam, & sinistrum ostii flumen Bro in Vistulam emittentis marginem, cuius Sueci 22. Iulii anno 1656, quia ciues se vehementer opposuerunt, maximam partem in cineres redegerunt.

BROMBERGA Bromberg, Bedgotzi, Bedgoski, Polonis, oppidum ad fluuium Bro, inter Crone & Verdon oppidula, quod etiam in proximo bello Suecorum cum Polonis modo ab his, modo ab illis, oppressum calamitates bellicas sensit.

Bro flumen.

CRONE oppidulum ad idem flumen inter Slochaw & Tauchel.

TAVCHEL oppidulum cum arce in eiusdem fluminis Bro margine, Polonicis & Borussicis bellis olim famosum, & aliquando a Brandeburgicis occupatum, quod Teutonicus Ordo anno 1310. diripuit & incendit. *Vide Micraelium lib. 2. Pomer. pag. 291. seq.*. Anno 1623. pertinebat hic locus ad Reginam *Constantiam*, cum eodem anno Rex *Sigismundus* maritus eius huc veniret. Anno 1655. Suecos eius potitos Poloni rursus eiecerunt; Sueci equites 23. Maii anno 1656. sine peditibus eum recuperaturi suburbia incenderunt, et irrito conatu abierunt. Dux eorum *Weissenstein* ex turri quadam emisso globo vulnere non letali læsus est.

Suecorum irritus conatus.

CONITZ, Conitzia, supra Tauchel in eiusdem fluuii ripa oppidulum, Choinicia *Cromero*, qui e Crucigeris anno 1310. illud cum cæteris vicinis occupatum esse scribit. Anno 1432. hunc locum Poloni recuperare frustra tentarunt. Sequente 33. idem contigit Bohemis hoc oppidum frustra obsidentibus, quod cæteris vrbibus Polonis se subiicientibus, cum Marieburgo & Stum Crucigeris fidele mansit. Anno 1454. Rex *Casimirus* id obsidens conatu suo frustratus est, magna clade affectus a Crucigerorum exercitu. Anno 1460. Poloni eo potiti sunt, vt *Hennenbergerus* refert. Anno 66. hoc contigisse ait *Cromerus*, qui post longam obsessionem Polonos sagittis ignitis in vrbem missis eam incendisse, vt quarta eius pars cum frumento conflagrauerit, atque hoc pacto eam 28. septembris ad deditionem coactam fuisse narrat. Anno 1520. *Wolfgangus a Schoenberg* suppetiarum Germanicarum *Alberto* Marchioni, & Magistro Ordinis Teutonici summo missarum, Dux vrbem occupauit, post eius abitum ad Polonos redeuntem. A Suecis occupatam Poloni mense Maio anni 1656. frustra adorti sunt, & suburbia vastauerunt. Rex ipse *Iohannes Casimirus* postea Ducem quendam Anhaltinum Suecicis præsidiis imperantem eam dedere coëgit, quod autumno eiusdem anni euenit.

Conitziæ fidelitas.

Incendium a sagittis ignitis excitatum.

SLUCHOVIA, Slochaw, supra Conitziam ad dictum flumen Bro nonnullis oppidulum, aliis arx, Marienburgensi non cedens, anno 1463. proditione in Polonorum manus fere incidisset. Qua de causa autem præsidiarii milites in ea conseruanda haud paruam operam nauantes Præfecti iussu interfecti sunt, narrat *Cromerus lib. 25. Rer. Polon.* Anno 1464. Stolpenses ex Pomerania astu eam ocupauere, singulari casu postea recuperatam a Polonis, vt *Cromerus lib. 26. pag. 568. testatur*, cuius rei *Micraelius* non

Mira Auctorum discessio.

meminit. *Henebergerus* vero stratagemate nonnullos Dantiscanos anno 1462. eius compotes factos scribit. Anno etiam 1466. *Litzifitzium* quendam Pomeranum equestris ordinis astu in arcem venisse, & eam Crucigeris restituere frustra conatum fuisse. *Herburtus lib. 19. cap. 15.* historiam aliter narrans anno 1475. eundem Pomeranum, quem Martinum Siffovicium appellat, a Polonis inde in Pomeraniam Stolpam vsque fugatum, proditores vero arcem tradentes a Rege Poloniæ insigni præmio affectos perhibet. Anno 1463. *Ericus* dux Brunsuicensis ab Oliva cœnobio discedens, Schlochaviam præteriit ac Hammersteinum et Stetinum nouum petiit. Anno 1656. Sueci hanc arcem occuparunt, quam obsidere Poloni mense Nouembri eiusdem anni inceperunt. Post regis Sueciæ abitum ex Polonia cum cæteris ad Polonos reuersa est.

Tyrannis noxia.

HAMMERSTEIN, oppidulum iuxta scaturiginem fluminis Bro, cum Fridlandia, hostili praesidio eiecto, Regi Poloniae anno 1466, teste *Cromero*, se subiecit, impulsum tyrannide, qua *Wladislaus Damobotus*, castellanus Naclensis, has vrbeculas affligebat. Anno 1627. duae Suecicae legiones equestres, et vna pedestris a *Ioanne Streiffio*, *Maximiliano Teuffelio*, et *Ketteritzio* in ducatu Megapolitano conscriptae, inde mense Februario discesserunt, ac inter Marchiam et Pomeraniam, Odera flumine traiecto, pedetentim Hammersteinum peruenere, ad regem Sueciae in Prussiam profecturi. Sed diutius, quam par est, hic moratos *Konieçpolscius* militiae Polonae praefectus summus obsedit, et fame ad ditionem coëgit. Militum pars, promissione facta, quod in posterum Poloniae hostes futuri non essent, dimissa, pars sponte exercitui Polonico adiuncta, et tres illi præfecti militares captiui facti sunt.

Mora in bello periculosa.

LANDEK, oppidulum in vicinia Schlochaviæ versus occasum, & finibus Pomeraniæ contiguum.

FRIDLAND oppidulum Landekio vicinum, & a Polonis ipsis negligentibus, vt fertur, anno 1656. in cineres redactum.

Nacli elogium.

NACKIEL, Naclum, quod alii ad Poloniam maiorem referunt, oppidum cum arce firmum in medio flumine Notecz, de quo Pomerani et Poloni sæpius inter se decertarunt. *Micraelius lib. 2. Pomeran. pag. 218. 227. 229. 278 280. 283. 284. Cromerus lib. 5. Rer. Polon. Naclum*, inquit, *Pomeranorum vrbs, circa annum 1111. falile Princeps, natura loci, manuque munita, quae obsessa & per deditionem recepta, a Polonis, & iterum anno 1118.* Arcem anno 1113. a Polonis obsessam, dicit *Micraelius*, festoque S. *Laurentii* ingens prœlium commissum, ac Pomeranos quadragies mille, Polonos vero vicies mille militum iacturam fecisse. Sententia tandem lata, vt *Cromerus* ait, aut pacto, vt *Micraelius* vult, Polonis subiecta est. Circa annum 1329. aut 31. Crucigeri hunc locum exusserunt. Proximis bellis modo in Suecorum, modo in Polonorum manibus fuit, nunc ab his rursus possessa.

PRVSSIA REGIA, PROPRIE DICTA.

Fines.

Antiquæ partes.

Nobiles. Weiherorum prosapia.

PRVSSIA REGIA ab occasu Vistulæ termino Pomerelliæ, a meridie Masoviæ, ab ortu ducali Prussiæ, & a septentrione lacui siue æstuario Frisch Haf, seu Habo, confinis est, & complectitur has antiquæ diuisionis partes, Culmigeriam, seu ducatum Culmensem, Micheloviam Pomesaniam, Hockerlandiam, & Varmiam. Hodie in tres palatinatus diuiditur, Culmensem, Marieburgensem, & Varmiensem, in quibus magna nobilium copia commorari solet. Inter hos eminet celeberrima dominorum *Weiherorum* prosapia, ab *Ernesto Weihero* descendens, qui sub Rege *Sigismundo II Augusto* cognominato, & Rege *Stephano* aliquot legionum Germanicarum ductor regno Poloniæ strenuam operam nauauit, nobile suum stemma magna nominis fama celebrius reddidit, & vxori ex antiquissima & nobilissima *More-*

sciorum

sciorum prosapia oriundæ matrimonio iunctus filios procreauit *Ludouicum*, *Ioannem*, *Melchiorem*, *Demetrium*, & *Martinum*, qui postremus sub Rege *Sigismundo III.* globi ictu in bello Moscouitico periit.

CULMENSIS PALATINATUS Michalouiense territorium, etiam comprehendens versus Pomerelliam occiduum terminum Vistulam, versus Masouiam, Dribentzam amnem meridionalem limitem habet. Ab ortu, & septentrione ducalem Prussiam attingit.

Fines.

CULM, Colmia, Chelmum, & Culma *Cromero*, huius satrapiæ caput, in dextra Vistulæ ripa Torunio quinque milliaribus distat, & ciuium infrequentia amplitudini spatiosiori non respondet. Olim a duce Masouiæ Teutonico ordini concessa vrbs, ab iis postea ad Regem Poloniæ defecit. Germanis in eam imperium obtinentibus hic supremum Borussiæ tribunal esse solebat, vnde & Culmensis iuris appellatio nata. Videatur *Hennebergerus in declaratione maioris Tab. Boruss. lit. C. fol. 51.* Annumeratur etiam Hanseaticis vrbibus. *Ioh. Angelus a Werdenhagen part. 3. de rebus pub. Hanseat. cap. 24. fol. 346. a.* In excelsiore loco sita, & anno 1239. ædificari cœpta monetæ cudendæ immunitatem, & duo monachorum cœnobia, vnumque sacrarum virginum habet, ac Episcopo suo paret, qui inde Culmensis dictus, in proximo oppido Culmensee vt plurimum commorari solet. Episcopatum fundauit anno 1222. dux Masouiæ *Conradus*, eique præfecit primum Episcopum nomine *Christianum*, Cisterciensem monachum, qui in accersendis fratribus Crucigeris duci insignem operam præstitit. Posterioris Pomeraniæ dux *Suantopolcus* frustra obsedit hanc vrbem, quae anno 1457. proditione occupata ad ordinem Teutonicum, a quo desciuerat, reuersa est, postea tamen progressu temporis a Polonis recuperata. Circa festum Paschatis anni 1544. multarum ædium conflagratione fœdata est. *Templa vrbis pulcherrima*, inquit, *Starouolscius*, *preciosisque vestibus sacris ornata, inter quae minimum est illud Monialium, sed omnium, tam quoad possessiones, quam ad casa sacra ditissimum. Vbi inter vestimenta alia, vsui sacrorum dicata, habent quoque casulam, totam diamantibus maximis, pretiosissimisque exornatam, circumductam autem circum circa catena aurea, pulcherrimis gemmis distincta.* An vero hæ diuitiæ nuperis bellicis tumultibus intactæ manserint, aut alio translatæ fuerint, non constat.

Vrbis, & Episcopatus origo

ALTHAUS, arx in monte supra Culmam in Vistulæ ripa Polonis Starigrodum.

CULMENSEE, Colmensee, milliari vno Culma distans oppidum, in quo sedes, & aula episcopi Culmensis, etiam Lobauiensis dicti, quia vtrique districtui, Culmensi puta, & Lobauiensi in spiritualibus præpositus, nonnunquam etiam in vrbe Lobaw sedem suam habere solet. Episcopatus origo refertur ad annum a Christo nato 1222. vt modo ex *Cromero* narrauimus: Vrbis autem ortus secundum *Hennebergerum* ad annum 1251. cuius, vt & totius episcopatus initium fuit cœnobium a *Iutta*, *Meinickii* Querfurtensis, qui decimus tertius regionis magister fuit, matre fundatum, & eius sepulchrum continens. Hæc vno partu nouem filios enixa, octo aquis submergi iussit, mirabili tamen modo seruatos.

Episcopi Culmensis sedes.

THORUNIUM, Torunia, Torn, Turxea *Alberto Crantzio* in sua Vandalia, sub 53. gradu latitudinis, & 45. longit. modico spacio infra Dribentzæ fluminis in Vistulam introitum, ac ad huius dextrum marginem sita ciuitas Hanseatica, & emporium nobile, natura & arte munitissimum obtinet locum, & in duas diuiditur vrbes, veterem & nouam, intermedio muro pluribus turribus firmato sectas, & muris itidem turritis ac lata fossa circumdatas, quarum circuitum vniuersum adhuc vallum ingens ac propugnacula fortissima, vndique fossam & latitudinis & profunditatis haud exiguæ, hostilibus incursionibus opponentia tuentur. Pulchritudine, diuitiis, & incolarum frequentia paucis aliis vrbibus cedens, ac Dantisco 24. milliaribus distans, ponte celebri Vistulam sternit, ac muros vtramque partem

Emporium nobile.

Muri & turres

Pons.

 circumeuntes,

circumeuntes, vt & intermedium turribus quadratis, ex lateribus constructis, atque viginti passus, vt plurimum, a se inuicem remotis, distinguit. Vtriusque vrbis curiæ, & ædificia tam publica, quam priuata, visu sunt digna, in primis templa tam Catholicorum, quam Lutheranorum, siue eorum, qui Augustanæ confessioni se addixerunt; inter quos magistratus, & plerique mercatores, ac incolarum haud pauci, qui exercitio religionis suæ libero hactenus in suis templis vsi sunt. Hi gymnasium quoque habent, cuius rector, primarius quoque est Euangelicorum in vrbe concionator, vt *Frælichius lib. 3. pag. 248. & 416. tradit.* In bibliotheca ipsorum instructissima, duæ *Ciceronis* epistolæ, cereis tabulis inscriptæ, ostenduntur. Societatis Iesu sacerdotes in suo gymnasio iuuentutem docent. *Praetorium vrbis*, inquit *Starouolscius*, *elegantissimum*, *in medio foro situm*, *quale nullibi videbis. Ingressis enim stuporem inuciunt pauimenta, parietes, laquearia, trabes, vt nihil ad perfectionem architecturae requiratur.* Borussorum mos est stanneis vasis ædes suas exornare, qui mos hic incipit ædium parietibus ornamentum eiusmodi vasis concilians, & per totam Borussiam vsitatus. Ac cum Borussia longe melius, quam Polonia, colatur, ideo peregrinantes cultioribus hospitiis vt passim, ita & hic quoque excipi, et lautius tractari solent, commodius etiam viuentes, præsertim Germani, qui ab incolis, et ipsis maximam partem Germanis, atque idcirco vt plurimum vernaculam suam linguam in sermone quotidiano adhibentibus, intelligi possunt. Rapæ minores, et liba delicata, vt et botuli, seu farcimina, quæ hic conficiuntur, hanc vrbem celebrem reddunt. Eius ortum *Aubertus Miraeus in suo Chronico* ad annum 1232. refert, narratque *Hennebergerus*, anno 1231. magnam quercum fuisse in monte quodam, probe vallatam, et nonnisi vno aditu accedentes abeuntesque admittentem, ac Thoran, quo vocabulo Borussos lacessebant, vt eam adorirentur, si vellent, appellatam, vnde nomen ipsi vrbi natum esse aiunt. Alii illud descendisse volunt a turri, quæ prima in S. *Iohannis* templo ædificata traditur, aucta anno 1232. vrbe et templo dicto triennium solum ibi morantibus, ac ob inundationes frequentiores inde ad milliare vnum in ripam fluminis supra illum locum translatis, atque ita anno 1235. ei monti impositis, in quo hodie cernuntur. Eodem anno emporium euasisse hanc vrbem perhibet *Ioh. Angel. a Werdenhogen part. 3. de Rebuspub. Hanseat. cap. 24. fol. 345. seq.* Anno 1263. Cœnobium S. *Nicolai* Ordinis prædicatorum in noua vrbe ad Muckram flumen, vt et aliud monachorum obseruantium in veteri vrbe ædificatum, et a *Sacra Virgine* denominatum est. In hoc monachus fuit, qui prima vrbis organa musica construxit, duodecim fistulis constantia, et inflata follibus, qualibus fabri ferrarii vtuntur. Accessit postea S. *Bernhardi* monasterium monialibus destinatum. Anno 1410. post Tannenbergense prælium Poloniæ Rex Torunensem arcem octo septimanarum oppugnationibus irritis tentauit. Anno 1439.* a Polonis vrbs iterum obsessa est, quæ anno 1454. ab Ordine Teutonico ad Polonos defecit; Incolæ autem arcem occupatam destruxerunt. Anno 1455. magnus Ordinis magister eam recuperare frustra molitus est. Sequenti 56. in seditione coorta haud pauci vitæ iacturam fecerunt. Anno 1458. Ordinis Teutonici milites Culma Torunium venientes S. *Laurentii* & S. *Georgii* suburbia diripuerunt, multos homines trucidarunt, & quadraginta viros captiuos abduxerunt. Anno 1485. Poloniæ Rex ciuibus Torunensibus commerciorum ius, & exteras condendi & promendi immunitatem concessit. 17. Iunii. anno 1501. Rex Poloniæ, *Iohannes Albertus*, Torunii ex viuis excessit. Anno 1544. glacies hiberno tempore pontis plus quam dimidiam partem fregit. *Hennebergerus* ex Chronicis cuiusdam *Christophori Falconii* refert, pontem ab vrbe vsque ad insulam in Vistula quingentarum, insulam ipsam totidem, ac ab insula, vsque ad montem, & finem rursus pontem septingentarum & septuaginta vlnarum longitudinem habuisse, atque ita totam illam longitudinem anno 1556. mille, septingentas, & septuaginta vlnas complexam fuisse. Anno 1595.

Templa. Gymnasium. Bibliotheca. Borussia cultior quam Polonia. Torunii ortus. Nomen. Cœnobia. Res gestæ. Seditio. Pons Vistulam sternens.

Synodi

Synodi hic celebrati supra laudatus *Werdenhagen* mentionem facit. Proxime sequenti 96. cathedrale templum occuparunt Catholici, ipsis anno 1593. a Rege Poloniæ adiudicatum. *Chytraeus lib. 20. & 3a. Saxoniae.* Eodem anno, vt tradit *Nicol. Helduvaderus in Sylva Chronol.* in Prussia regali plures concionatores Euangelici ex pagis eiecti sunt, atque ipso S. *Iohannis Baptistae* festo Catholici cathedrale templum Torunii, vt & Meuæ, & Stargardiæ in suam potestatem redegerunt. Anno 1629. Sueci hanc vrbem frustra sunt aggressi, ciuibus suburbium incendio delentibus, & vrbem strenue defendentibus. Annu 1645. colloquium inter Catholicos, Lutheranos & Caluinianos instituit Rex *Vladislaus IV.* quod tamen fructu sperato caruit. Consule *Tom. 5. Theatr. Europ. fol. 576. b. 595. b. seq. 890. seqq. 917. seq. 930. seqq. & 965. seqq.* Dicto anno Culmensis episcopus per apparitores vrbis templorum vsum, excepto altari quodam paruo, Iesuitis inhibuit, eo quod eum alii cuidam monachorum Ordini ereptum sibi contra omne ius, & fas arrogauerint. *Ibid. pag. 690. b.* Anno 1655. vt ex *Augustini Limmeri Relatione Lipsiensi pag. 55.* liquet, certis conditionibus in Regis Sueciæ potestatem concessit. 26. Nouembris Senatus Torunensis eum extra portam gratulatoria oratione dimidiam circiter horam durante excepit, cui Regiæ Maiestatis nomine *Ericus Oxenstiern*, Regni Cancellarius, elegantissima oratione respondit. Postquam Regis manum Senatus osculatus esset, ipsum in vrbem deduxit, interea, dum octoginta tormenta maiora in vallis locata duabus vicibus exonerata fuerunt, cum Senatu, & magna præcipuorum ciuium frequentia comitatuque ingenti Rex templum ingressus est, atque cultui diuino vacauit, eo finito in curiam grandi pompa se conferens, vbi regio apparatu ab vrbis Senatu exceptus est. Mox postea intromissæ sunt quinque legiones Sueciæ, quarum imperium, cum vrbis tutela, *Mardefeldio maiori Generali* commissum est. Secuto 56. anno Iesuitæ ex vrbe dimissi sunt, pestis vero vehementer grassata magnam hominum multitudinem abstulit. Torunii haud exiguum ornamentum est celeberrimus ille Astronomus, *Nicolaus Copernicus*, patre *Nicolao Copernico*, & matre Watzelrodia, familia Torunensi haud incelebri oriunda natus 19. Ianuarii a. 1472. secundum *Iunctinum*, quem tamen erroris conuincit Mœstlinus, ad 19. Februarii, et annum 73. eius natiuitatem reiiciens. Eius vitam descripsit *Petrus Gassendus* Matheseos Professor regius Parisiis.

Catholici Euangelicos eiciunt, ex pagis.

Torunium in Suecorum potestatem venit

Nicolaus Copernicus.

FRIDECK, Polonis Wambrisna, oppidulum inter Culmenseam, & Redam, Anno, 1331. conditum, & annis 1410. 1414. & 1464. occupatum.

SCHOENSE, Schonse, oppidulum & arx secundum *Hennebergerum*. Sunt duo huius nominis loca, vnum in magna insula *Gros Werder* apellata, & alterum in hoc Culmensi palatinatu, inter Frideckum & Golupum. *Cromerus lib. 19* scribit: postquam Poloni oppidulum Golubum diripuissent, & incendissent, Regem Poloniæ *Vladislaum* arcem Covaloviam, Germanis Schonsc appellatam, obsidione irrita adortum fuisse, Crucigeros vero ipsos oppidulum incendio deleuisse. Idem dicit *Hennebergerus*, qui anno 1422. Schonseam quatuor septimanarum obsidio irrito vexatam a Polonis, &.a ciuibus ac militibus, oppidum & arcem defendentibus, fortiter propugnatam fuisse narrat.

GOLUP, Golub, Goluba, ad Dribentzam fluuium inter Torunium & Strasburgum oppidulum cum arce, vbi Poloniæ Regis *Sigismundi III.* soror *Anna* commorari solita fuit, vtpote ad quam cum territorio adhærente pertinuit, vt & Strasburgum, de quo in sequentibus. Eam anno 1623, hic morantem frater *Sigismundus* inuisit. Golbam oppidulum *Cromerus*, arcem *Hennebergerus* nominat, & Golupi in *explicatione maioris tabulae* non meminit. Videatur *Cromerus lib. 24. rer. Polon.*

Anna Sigismundi III. Soror.

MICHELAVIA, paruus districtus inter Masoviam, Dobrinense territorium, & Dribentzam, ad Culmensem palatinatum pertinens.

STRASBURG, Brodnitza, Brodnicia Polonis, supra Golupam in Dribentzæ

fluminis ripa dextra oppidum cum arce, quod cum præfectura sua tota, & Golupem possedit Suecica princeps *Anna*, Regis Poloniæ *Sigismundi III.* soror, hic anno 1525. mortua, quæ vsque ad vitæ finem Augustanæ confessioni constanter adhæsit. Ob dilatas a fratre exequias, vrbemque a Suecis postea occupatam, insepultum eius mansit corpus vsque ad *Vladislaum IV.* qui hanc suam amitam Torunium deferri, & memorabili exequiarum pompa terræ mandari curauit. Fratris liberalitate, & ordinum Poloniæ consensu dictas præfecturas, Brodnicensem nimirum, & Golupensem, in possessione habuit, post eius obitum a *Sigismundo* rege, vxori suæ donatas, præter consensum tamen regni ordinum. Vnde & regi negotium facessitum a nobilitate, quæ *Vladislao* principi præfecturas illas conferre statuerat. Verum rege dicto principi quadraginta mille florenos, quos *Annae* sorori singulis annis de suis reditibus dare solebat, concedente, ordines tandem anno 1631. donationem illam consensu suo approbaucrunt. Huius oppidi & arcis ortus secundum *Henneberg erum* fol. 438. incidit in annum a nato *Christo* 1285. Paucis annis post, 98. nimirum, a Lituanis, S. *Michaëlis* die festo, direptione opibus suis nudatum est. *Cromerus lib.* 18. *rer. Polon.* arcem appellat hunc locum, eundemque 1414. a Polonis frustra obsessum narrat. Sed *lib.* 24. oppidulum & arcem nominans, illud anno 1461. vel 62. primo impetu a Crucigeris occupatum, hanc vero post longiorem obsidionem tandem dicto 62. anno captam refert. 5. Octobris St. N. anno. 1628. Sueci (proditione *Montaigui* Galli cuiusdam præsidio militari Polonico præfecti, vt *Piasecius* refert; tertia oppugnatione, vt alii perhibent) hoc oppidum in suam potestatem redegerunt. Eorum copias reliquas sub *Baudisio Koniecpolscius* summus militiæ Polonicæ præfectus apud oppidulum Ostrodam, in ducali Prussia situm, & Strasburgo sex milliaribus distans, cecidit, & Baudisium vulnerauit, atque cepit. Anno 29. Poloni hanc vrbem cum arce obsederunt, liberatam obsidione a *Ioanne Wrangelio* Suecorum imperatore militari, qui 9. 19. Febr. prope Gorzno, Episcopi Plocensis oppidulum, Polonorum aciem fudit, ac in fugam coniecit. Postea *Arnhemius*, militum Cæsarianorum præfectus, ex Germania quinque millia peditum, & duo equitum adducens Polonis suppetias tulit, ita vt Sueci apud Trzianam ab illis victi, ac mox altero prælio fusi fuerint, ipseque rex Sueciæ captus, sed iterum a Germano quodam liberatus, noctu Marieburgum, milites que ipsius in oppidum Stum euaserint, vt *Piasecius* commemorat. Sequutis sex annorum induciis Strasburgum ad Polonos rediit. Anno 1655. comes *Steinbockius*, tormentorum bellicorum præfectus, summus hunc locum, quem Prussiæ clauem *Lımmerus* nuncupat, 18. Nouembris Suecorum potestati subiecit.

Anna Sigismundi III. Soror.

Oppidi ortus.

Strasburgum a Suecis occupatum.

Polonis redditum, & altera vice occupatum.

LAUTENBURG, in finibus Masouiæ oppidulum.

LOBAVIA, Lobau oppidum & arx, vbi Culmensis Episcopus vt plurimum commorari solet, ideo etiam Lobauiensis Episcopus nominatus, sicut etiam circumiacens territorium Lobavia vulgo appellari consueuit. Anno 1545. tota incendio conflagrauit, oborto a candelis, quæ in templo non recte extinctæ erant. Vide *Caspari Hennebergeri explicationem maioris tabulae Borussiae sub lit. L.* vbi etiam *fol.* 263. Culmensium Episcoporum catalogum offendes.

Episcopus Culmensis & Lobaviensis.

LAVERNICK, oppidulum ad Dribentzam in Bretchen oppiduli vicinia, ad Lobauiensem Episcopum pertinens.

BRETCHEN, Bretchen, in Dribentzæ fluminis ripa, supra Neumarckt, Polonis Grathan nominatum oppidulum, aliis arx, anno 1254. ædificata, cui oppidulum, aut muncipium adiunctum dicitur.

NEUMARCKT, Nowomiasto Polonis, oppidulum sub præcedente, in margine fluminis Dribentzæ, anno 1319. ædificatum. Anno 1628. Sueciæ Rex aliquot oppugnationibus irritis hunc locum exagitauit, & vulnere in gena læsus est.

Rex Sueciæ vulneratus.

REDEN, oppidulum & arx inter Graudentz & Frideck, Polonis Radzim, quod

quod vna cum Torunio, Culma, & Reden anno 1240. restabat Crucigeris, tunc temporis in Borussia ad summas angustias redactis, a *Suantopolco*, posterioris Pomeraniæ duce, qui, multis locis ereptis, fere ad incitas redegerat Teutonicum ordinem, non militum solummodo, verum & locorum plurimorum iacturam facientem. Hoc vero oppidulum, & Mars, & Vulcanus, diuersis vicibus, magno damno affecerunt. Kalendis autem Maii anno 1575, incendio exorto, totum in cineres & fauillas abiit.

Suantopolcu

ENGELSBURG oppidulum inter Redenam & Grudentum.

GRAUDENTZ, Grudentum, oppidum amœnum, amœno situ cum arce sua incumbens insulæ, quam Ossæ fluuii alueus duplex in Vistulam influens efficit. Poloni *Grudschanz* appellant, olim Grodeck nuncupatum, de cuius varia fortuna rerum Borussicarum scriptores legendi. Anno 1647, instante, & vrgente Domino *Gomiski*, castellano Chelmensi, constitutio, seu decretum quoddam sancitum est in comitiis Varsauiensibus, de Iesuitis in vrbem admittendis, saluis tamen iuribus ciuitatis, & priuatorum. *Tom. 5. Theatr. Europaei fol. 1385. b.* Anno 1655 Sueci deditione oppido capto fortalitium adiunxerunt, & eiusdem loci, vti dictum fuit, mense Nouembri anni sequentis adhuc possessores fuerunt.

Decretum de Iesuitis in vrbem admittendis.

LESSEN, Polonice Laszin, oppidulum anno 1328. ædificari cœptum, & vndique aquis fere circumfusum, cui motus bellici haud exigua damna diuersis vicibus intulerunt. Anno 1454. strenua suorum ciuium et militum defensione Polonorum obsidentium conatus elusit.

MARIEBURGENSIS PALATINATUS, occiduis finibus Vistulam, septentrionalibus Habum, orientalibus Varmiensem palatinatum, & meridionalibus Prussiam ducalem attingit, comprehenditque maiorem insulam, Das Grosse Werder, inclusam duobus Vistulæ alueis, quorum dexter, Nagotus nomine, per diuersa ostia in Habum se immittit. Sita est *in palustri olim restagnantis Vistulae solo*, vt *Starovolscius* eam describit, *operibus, & praealti ac firmi oggeris obiectu effecta, quae magno hominum labore, & non sine periculo ab inundatione fluminis defensatur.* Maior vocatur, vt distinguatur a minore, Das Kleine Werder, ad sinistrum Vistulæ latus sita, quæ tota ad Gedanenses pertinet, antiquitus maiore sua parte parochialis ecclesiæ propria.

Fines.

Maior insula.

Minor insula.

MARIEBVRGVM, Marienburg, Margenburg, Nagoto, Vistulæ dextro brachio, quod hic ponte sternitur, in Habum, seu Frisch Hoff descendenti insidet, ac huius satrapiæ princeps est ciuitas, Dantisco 6. & Elbinga 4. milliaribus dissidens, prospectuque amœnissimo subiectam planiciem ad boream excurrentem, & ob fertilitatem mirum admodum cultam intuens. Impurioribus plateis abundantem, & haud pulchre ædificatam incolunt incolae, plerique Catholicae Romanae fidei addicti, & suauissimum mulsum, ex aqua, melle, & lupulo conficiendi peritia nobiles. Fuit autem olim haec ciuitas summorum ordinis Teutonici magistrorum sedes primaria, ortum suum Crucigeris illis fratribus debens, nomenque acceptum ferens imagini *Sanctae Mariae*, parem longitudine non habenti, & in fastigio templi arcis dimidiae lunae insistenti. Arx ipsa prius, quam ciuitas aedificari cœpta, anno nimirum 1281. annumeratur tribus in orbe Christiano arcibus celeberrimis, vt versus indicat vulgaris:

Situs.

Incolæ.

Ortus. Nomen. Arx.

Morgenburg ex luto, Ossen ex saxo, ex marmore Meyland.

Adeo firma & valida esse fertur, vt validior versus septentrionem reperiri nequeat, quamuis *Ioannes Wilhelmus Neumayerus, in itineraria suo* tradat, eam anno 1605. munimentis & propugnaculis, hodierno more construi solitis, caruisse, & nonnisi muris & turribus versus terram se tutatam fuisse, licet plures eam Poloniae validissimum munimentum indicauerint. Spatiosa et vasta moles, ex lapidibus coctis constructa, interiorem arcem quadrata figura, haud magnifice erectam comprehendens, fossa triplici cincta, et flumini quam proxime admo-

ta. A tergo eius prolixus circuitus, pluribus muris et turribus circumdatus, plura complectitur aedificia grandia, in quibus olim arma, et quaeuis suppellex militaris reponi solebant: In ædibus arcis anterioribus, Poloniæ regum custodia militaris commorari consueuit: in ipsa autem arce vt plurimum præcipui ex hostibus captiui asseruantur. Anno 1410. *Wladislaus* Rex Poloniæ vrbem occupauit, arcem vero frustra adortus est, quam Poloni anno 1454. iterata obsidione irrita tentarunt, sed tandem Rex Poloniæ *Casimirus* anno 1457. in suam potestatem redegit cum Gilauia, & Dirsavia, venditam a militibus quatercenties & septuagies septies mille florenis, eo quod ipsis ordo Teutonicus stipendia debita soluere non poterat, vt *Cromerus lib. 24. scribit*. Sed *Casparus Hennebergerus fol. 266. seq.* ducenties mille vngaricis, et nouies mille florenis venditam ait. Ac licet ciuitas regi dicto homagium præstiterit, ipsam tamen ordini Teutonico adhærentem præsidiariis militibus Polonis in arce collocatis iamdiu se opposuisse dicit, donec de auxilio necessario desperans Dantiscanorum vrbem obsidentium viribus resistere amplius non potuerit, & se tandem anno 1460, Polonis dedere coacta fuerit. Huic astipulatur *Cromerus*, vrbem, inquiens, a Polonis anno 1458. frustra obsessam, & 60. occupatam fuisse. Anno 1626. Sueci hac vrbe potiti sunt, & Polonos auxilium ipsi laturos, ac duodecim mille militibus aduentantes in fugam coniecerunt, ita vt hi quatuor mille militum iacturam fecisse dicantur. Induciis anno 1635. in 26. annos pactis, Sueci hanc vrbem Polonis reddiderunt. Ineunte vere anni 1644. arx, in qua turris, cuius lapides calce temperata lacte coagmentati feruntur, incendio in cineres redacta, nil nisi muros & parietinas seruauit. Funiculum, quo ignis excitari solet, ardentem alicubi reliquerat improuidus quidam balistarius, in festo Corporis Christi exonerandis tormentis bellicis occupatus, cum de turribus, more consueto, fragores, lætitiæ signa, ederet. Anno 1648. Cometa caudam suam in septentrionem coniiciens quatuor diebus se conspiciendum præbuit. Anno 51. Vistula inter Grudentum & Marieburgum horribili inundatione totam regionem contexit, adeo, vt intra Grudentum quingenti circiter homines, & in ipsa insula maiore circa Marieburgum, et Elbingam aliquot hominum millia in aquis perierint, ac duo pagi toti cum omnibus ædibus, hominibus, et animalibus ablati fuerint, necvestigium vllum relinquentes, ex quo pagos ibi fuisse coniici potuerit. Anno 1655. Sueci vrbem Marieburgum in potestatem suam redegerunt. Arcem strenue defenderunt *Iacobus* et *Ludovicus Weyher*, ac liber Baro *Guldenstern*, tandem 2. Martii anno 56. eam dedere coacti, post quam deditionem *Ludovicus Weyher* subitanea morte extinctus est.

Res gestæ. Poloni potiti Marieburgo. — *Quod Sueci ipsis eripuerunt, & restituerunt.* — *Incendium arcis.* — *Cometa.* — *Inundatio.* — *Sueci Marieburgum recipiunt.*

STUM, oppidum cum arce, Marieburgo, vt fertur, duobus milliaribus distans, et anno 1249. vel 1278. secundum alios conditum, anno 1410, 1454, et 1461. quo fere totum incendio periit, a Teutonico ordine ad Polonos peruenit. Anno 1594. *David Trumb* Scotus natione, et ciuis huius vrbis periscelide strangulatus est ab vxore sua, adiuta ab aliis duabus personis, quæ frustum carnis ex corpore eius excisum assauit, et comedit. *Hennenbergerus fol. 440.* seq. Anno 1626. et 56. a Suecis hic locus occupatus est.

Homicidium horrendum.

NEUMARKT locus inter Stum, et Christburg.

CHRISTBURG, oppidulum cum arce inter Stum & Salfeldam, ad Sirgunen fluuium, qui ex lacu Preuschmarck oppidulo adiacente descendens se effundit in Drausen lacum, supra Elbingam se explicantem. *Micraelius lib. 1. Pomeran. pag.* 283. *Suantopolcum*, Pomeraniæ posterioris Ducem, dicit nouo aggressu adortum fuisse Crucigeros hostes suos, iisque deuictis non vno, sed pluribus certaminibus munimentum Christburg sui iuris fecisse, adeoque strenue se gessisse, vt de ordine Teutonico actum fuisset, nisi nouæ copiæ auxiliares ex Germania aduentassent; id quod circa annum 1251. aut 52. contigit. Incendio vrbeculam hanc exustam anno 1400. tradit *Hennenbergerus*. Anno 1626. in Suecorum potestatem incidit.

Suantopolcus Crucigeros vehementer affligit.

NEUTEICH

NEUTEICH oppidulum in maiore insula ad fluuium Schwente, anno 1329. ædificatum, anno 1400. incendio fœdatum, ac alias diuersis bellis haud exiguo damno affectum.

ELBINGA, vna ex quatuor magnis vrbibus Borussiæ, Hockerlandiæ caput, Hanseatici fœderis membrum, & emporium celebre, vno latere editiorem locum aspectat, ac altero maiorem insulam intuetur, a qua separatur fluuio Merving inter vrbem & insulam dictam intercedente, ac in Habum, seu Frisch Haf, se inferente. Amœno admodum situ apposita hæc est ciuitas Elbingæ fluuio, ex lacu Drausen supra ciuitatem locato prodeunte, & modico sub ea spacio cum cæteris Vistulæ brachiis minoribus in Habum se immergente. Pulchra quidem, & amœna, sed tamen non adeo grandia ædificia complectens, pulchris & recte ordinatis plateis, vallisque & propugnaculis admodum firmis exornatur, ac in tres partes diuiditur, nouam nimirum & spatiosiorem, ac veterem vrbem, quæ a noua vallis ac propugnaculis suis nouis, veteribusque muris & turribus, ac fossa interiore & exteriore segregatur, ac suburbium, inter quod horrea mercatorum continens, & veterem vrbem, Elbinga fluuius interest, duobus pontibus constratus, templum primarium in vrbe veteri intus excelsiore structura surgens multas imagines antiquas ostentat, & duorum Organorum musicalium concentu gratissimo aures hominum audientium permulcet. Turris oculis peruia artificiosis ambulacris superbit, & hinc inde plura loca deaurata, aliaque viridi colore abducta ostendit. Præter ea visu digna in hac vrbe occurrunt vtriusque vrbis curia, quarum altera in foro pulchra turri insignis est; Libra, siue locus, in quo merces appendi solent, mercatorum domus, siue nobilium aula, & hortus, atque horrea & granaria in suburbio. Anno 1239. hæc vrbs condita esse dicitur. Anno 1454. cum Dantisco ab Ordine Teutonico defecit, ac deiecta arce Polonorum tutelæ se commisit. Hinc strenua defensione repulit anno 1521. *Albertum* Marchionem Brandenburgensem, & Prussiæ summum Magistrum, qui eam recipere moliebatur, postea tamen Elbingenses singulari fauore & amicitia complectens, postquam anno 1525. Prussiæ Dux factus erat. Fundauit etiam anno 1542. in hac vrbe Academiam, de qua *Starovolscius* more suo indicat, quod ignobilis hactenus fuerit, quia Lutheri discipulis eam gubernandam commiserat. Anno 1577. Rex *Stephanus* ob bellum cum Dantiscanis gestum totam negotiationem in hanc vrbem transferre conatus est, eaque de causa a cæteris ciuitatibus Hanseaticis postulauit, vt omisso Dantisco in posterum commerciis suis hanc vrbem frequentarent. Sed hæ aliquandiu quidem ipsius postulationi satisfacientes nihilominus tamen de pristina, qua Dantiscanos complectebantur, beneuolentia neutiquam decesserunt, ita vt Rex voti compos fieri nequiuerit, licet Angli iam ante in hac vrbe negotiationem suam exercentes aliquam in spem Regem erexerant, illas etiam vrbes horum exemplum sequuturas esse. Postea vero Dantiscani reconciliati suo Regi, pristina quoque commercia recuperauerunt. Anno 1592. Senatus Elbingensis Academiam restaurauit, quæ collegio pulchro, 160. pedes longitudine, & latitudine 60. metiente, Bibliothecamque haud ignobilem continente, instructa est. Fundationis memoria quotannis solenni celebratione 24. Nouembris iterari solet. Sub collegio locus est, in quo collegii calefactor egenos & pauperes pueros liberalibus artibus, & bonis moribus imbuit. Hi quotidie certis horis ordine per plateas incedunt, cantantes, & eleemosynam colligentes, in templo præceptori canenti auxilio sunt, collegium purgant, & aliis eiusmodi laboribus funguntur. Vestes cæruleas, & pileum rubrum ipsis magistratus suppeditat. Vide *Frœlichium lib. 3. part. 1. Viatorii pag.* 244. seqq. qui & alsus cuiusdam ritus in nuptiis vsitari meminit. Anno 1593, Rex Poloniæ *Sigismundus III.* templi primarii in hac vrbe possessionem Catholico Romanis adiudicauit, quam tamen anno 1616. vel 18. nacti demum esse videntur.

Situs. Elbinga fluuius. Partes ciuitatis tres. Templum primarium. Turris. Curiæ & alia visu digna. Res gestæ. Academiæ fundatio. et restauratio. Pauperes pueri. Templum primarium Catholicis adiudicatum.

videntur. *Sethus Calvisius in Opere Chron. fol.* 886. *Elbingenses*, inquit, *anno 1616. cum Episcopo Varmiensi de templo Parochiali concertant, sed res consensu Regis Pol. componitur, vt tam Episcopus, quam Parochus, iuri suo in templo renuncient, illud qui ciuitati relinquant, qui ex Senatu Senatores duos, & alios duos ex communi plebe praefectos constituant; Soli tamen Romano Catholici in eo sepeliantur, & caemeterii pars septentrionalis sepulturae Euangelicorum, residuum Catholicis cedat.* &c. Narrat vero *Nicol. Heldvaderus* de anno 1618. quod Catholicis in hac vrbe templum a Rege attributum fuerit. Ex induciis anno 1629. cum Rege Poloniæ pactis, Catholicos hoc templum, et Euangelicos religionis suæ exercitium liberum retinuisse apparet. Anno 1626. Rex Sueciæ *Gustauus Adolphus* hanc vrbem voluntaria deditione occupatam dilatauit, et firmissimis operibus bellicis muniuit, quam induciarum 26. Septembris anni 1629. in campo ad villam Altemarck, vulgo *Staritarg*, pactarum vigore Sueci retinuerunt, vsque ad annum 1635, quo nouis induciis pactis eandem Poloniæ Regno reddiderunt ea conditione, vt immunitatibus veteribus, et religionis suæ libero exercitio vrbs gauderet, templum vero primarium in possessione Catholicorum maneret. Anno 1655. eandem spontanea deditione 12. Decembris in Regis Sueciæ *Caroli Gustaui* potestatem concessit. Vtriusque deditionis tam facilis, et promptæ caussam indicat *Piasecius pag.* 311. de anno 1618. ita scribens: *Elbinga ciuitas, proscriptione Regis adacta, Ecclesiam Parochialem ritui Catholico restituit: Sed alta mente reposita illa offensa, exinde a Rege, & regno Poloniae alienatiori animo esse coepit.* Deditionis posterioris condiciones recenset *Augustinus Limnerus in Lipsiensi Relatione verna anni 1656. pag. 4. & 5.* Qui de hac ciuitate plura nosse cupit, *Hennenbergerum sub lit. E. a fol. 112. usque ad 127. legat.*

Sueci Elbingam occupant. Polonia reddunt. Et recuperant. Elbingensium odium in Polonos.

VARMIENSIS PALATINATUS, seu potius episcopatus et principatus singularis, versus septentrionem Habum, siue lacum Frisch Haff, versus occasum aliqua parte Marieburgensem palatinatum tangit: Reliqua parte versus occasum, meridiem, & ortum a Prussia ducali ambitur. Soli fertilitate insignis, ac ideo vrbibus, & pagis populosis refertus, nobilitatem habet ab omni regionum magistratuum iurisdictione exemptam. Episcopus Varmiensis princeps est & moderator Senatorum Prussiæ, qui consiliarii terrarum Prussiæ vocantur. Senatus hic constat duobus Episcopis, Varmiensi & Culmensi, palatinis tribus, Culmensi, Marieburgensi, & Pomerelliensi, tribus castellanis, Culmensi, Elbingensi, & Gedanensi; totidem subcamerariis, Culmensi, Marieburgensi, & Pomerelliensi, ac tandem tribus ciuitatibus primariis, Torunensi, Elbingensi, & Gedanensi. Cæteri magistratus Prussiæ regalis sunt thesaurarius, præfecti arcium, gladiferi, iudices, et scabini, qui ad senatum supra dictum non pertinent. Episcopi vero duo, ac palatini tres, cum tribus castellanis, comitiis Regni Poloniæ publicis interesse solent. Palatini vero maiorem in Prussia, quam cæteri in Polonia, auctoritatem habent.

Episcopus Varmiensis. Senatus Prussiæ. Palatinorum authoritas.

HEILSBERGA vrbs et arx ad fluuium Alle, in qua sedes Episcopi Varmiensis, ob ciuium copiam, et frequentiam, inter præcipuas Prussiæ ciuitates numerari potest, et anno 1240. condita esse dicitur. Variis casibus afflicta est, de quibus *Hennenbergerus* legendus. Anno 1521. incendium eam in cineres redegit. Idem anno 1559. euenit arci, in qua cum saltationi indulgeretur, ignis exortus est, qui eam consumpsit. Inter Episcopos huius loci fuit *Stanislaus Hosius* Cardinalis, qui anno 1579. in Italia vitam finiuit. Ei successit *Martinus Cromerus* Brestensis Polonorum Historicus, in hoc tractatu sæpius laudatus. Iuris doctor fuit, et anno 1589. in mensa mortuus est. Hunc sequutus est *Andreas Bathor* Cardinalis, et Regis *Stephani* frater.

Saltatio infelix. Episcopi Varmienses.

BISCHOFSSTEINA, Bistein, inter Heilsbergam, et Resselam situm oppidulum, anno 1325. extructum, 1455. ab ordine Teutonico occupatum, et 1589. die 12. Aprilis incendio oborto deletum.

RESSELA,

RESSELA, Resla, Reſſel, oppidulum cum arce ad lacum Zain, in finibus Ermelandiæ, in cuius ſuburbio anno 1520. ſexcenti Tartari occiſi ſunt. Olim *Eremitarum Auguſtini* cœnobium habuit.

Tartari occiſi.

SEEBURG, ſub lacu Biſſen inter Wartenburgum, et Biſtein oppidulum, anno 1400. fulmine tactum, et exuſtum, ac bellicis damnis ſubinde exhauſtum.

Fulmen.

WARTENBURGUM, ad fluuium Biſſe, oppidulum arce munitum, et anno 1325. ab *Eberhardo*, Varmienſi Epiſcopo, condi cœptum, quod anno 1455. ordini Teutonico ſe dedidit, et 1494. menſe Decembri cum arce incendio totum eſt deletum, vnica curia, et nonnullis tabernis exceptis.

Grande incendium.

BISCHBVRGVM, Biſchofsburg, inter lacus in finibus Ermelandiæ oppidulum ab Epiſcopo *Henrico* Helspergenſi conditum, magni belli tempore ab igne conſumptum, vt & anno 1571. ac quindecim annis ante ab incendio exoriente deletum.

ALLENSTEIN, Polonis Olſtineck, oppidulum anno 1367. exſtructum, arcem habet, et præfecturam piſcinis 70, vel 77. ſecundum alios, vt et tot pagis conſtantem, vt dicitur, quæ ad Canonicos Frauenburgenſes pertinet. Nomen oppidulo natum a fluuio Alle, ad quem ſitum eſt.

Dives præfectura.

GVTSTADIA, Gutſtatt, ad idem flumen ſupra Heilsbergam, in Glottavienſi territorio ab *Hennebergero* locatum oppidulum, quod anno 1325. ædificatum in iuriſdictione eſt Epiſcopi Heilsbergenſis, et miros caſus ſubiit, vt *Hennebergerus* docet. Anno 1414. cum bellum Boruſſicum ferueret, Poloni aliquot exiguas vrbeculas, et nonnullas arces, videlicet, Nidburgum, Hœnſteinum, Alleſteinum, Zirgonem, Biſchofswerderam, Riſemburgum, Creutzburgum, et Gutſtadiam ceperunt. Arci Heilspergenſi *Ioannis* Epiſcopi, ad quem pertinebat, rogatu, a Poloniæ rege parcitum eſt. Anno 1626. Gutſtadia in poteſtatem venit Suecorum, inde a Polonis iterum exactorum.

WORMDIT, Polonis Ornetta, *Cromero* Vormitha, vrbs et arx anno 1316 condita in fluuii Paſſergi, ſiue Paſſariæ ripa, inter Gutſtadiam & Melſackum, de qua laudatus *Auctor lib. 15 fol. 549.* peculiarem hiſtoriam commemorat. De caſibus eius bellicis, & hiſtoria filii impii, qui cœcum ſuum patrem fefellit, videatur *Hennebergerus fol. 459. ſeq.* Wormitam vrbem Polonis anno 1626, Sueci eripuerunt, ereptam mox iterum a Polonis, & anno 27. a Suecis receptam, qui eam, pactis induciis, anno 29. Polonis reddiderunt.

Filius impius.

MELSACVM, Melſatia, Melſack, oppidulum arcem habens, & ſedens ad Walſcham fluuium in Paſſergum ſe præcipitem dantem. A Suecis occupatum, & anno 29. Polonis redditum eſt.

BRVNSBERGA, Braunsberg, modico ſpacio ſupra exitum Paſſergi fluuii in Habum, ciuitas ædificari cœpta anno 1255, quo & Koningsberga initium ſuum habuit. Conditor eius fuit *Bruno* Epiſcopus, aut, vt alii volunt, Archiepiſcopus Pragenſis, qui eam ſedem conſtituit Epiſcoporum Varmienſium, & ſuo nomine inſigniuit. Vrbs eſt Hanſeatica, duplex, populoſa, non quidem admodum ſpacioſa, ſed probe munita, et commerciorum nomine haud incelebris, ob ſitum Habo propinquiorem, et portum ſatis commodum. Collegium habet Ieſuitarum a *Stanislao Hoſio* Cardinali inſtitutum. *Martinus Cromerus* anno 1589. mortuus, rerum Polonicarum ſcriptor, huius loci Epiſcopus fuit. Anno 1461. Braunsbergenſes Polonicum præſidium ex vrbe eiecerunt, recipientes *Paulum* Epiſcopum Varmienſem, qui Teutonico ordini addictus erat. Anno 1520. et ſequentibus vſque ad finem belli pactione inita ſopiti in hac vrbe, quam eodem anno occupauit, commoratus eſt *Albertus*, Marchio Brandenburgenſis, vltimus Pruſſiæ magiſter ſummus, quo Pruſſiæ res adminiſtrante Poloni arces et vrbes Gilgenburgum, Eilauiam, Hohenſteinum, Morungam, Neidenburgum,

Conditor. Nomen. Situs. Albertus Marchio Brandeburgenſis.

Reinam, Lickam, Iohannesburgum, Melſacum, Marienwerderam, quæ vrbs ſola ad Viſtulam *Alberto* reſtabat, Hollandiam, Heiligenpeilam, Zintam, & Brandenburgum ipſi eripuerunt, partim eas incendio delentes, partim cum vicinis præfecturis vaſtantes. Epiſcopi Varmienſes autem vrbes Wormditam, Reſelam, & Heilspergam eiusdem conſenſu præſidiis muniuerunt. Braunsbergam vero obſidentes occupationis ſpe fruſtrati ſunt. *Albertus* contra Gutſtadiam, Wormitam, & Tolmitum recuperauit, ac Heilspergam, & Elbingam irrita molitione recipere conatus eſt. *Paulus Piaſecius* tradit, anno 1626. Regem Sueciæ ab incolis Pruſſiæ Ducalis in Pillavia propenſa voluntate acceptum eſſe, nec hos vllum impetum ſuſtinuiſſe. Hinc dimiſſo præſidio Ducis, ſuo locum illum firmaſſe, ac ſequenti die naues ſuas in Habum, ſeu Friſch Haff, a mari Balthico inſula Neringa diſcretum, & altero latere epiſcopatum Varmienſem, et agros Elbingenſes tangentem appuliſſe; 8. Iulii in ripam Paſſeriæ militem ſuum expoſuiſſe, ac ſine vlla vi Brunsbergam occupaſſe; ſequutas mox eſſe Frauenbergam, Elbingam, ac tertio die Marieburgam, omni præſidio deſtitutam; item Dirſauiam, et Meuam. Brunsbergæ porro dicit, muri partem paucis ante menſibus collapſam huius occupationis omen fuiſſe, ſicut Magdeburgi, ante cuius miſerabilem ruinam idem accidit. Induciarum anno 1629. pactarum vi hanc vrbem Sueci retinuerunt, ac anno 35. Polonis reſtituerunt. Quæ porro huius vrbis memorabilia fuerint, prolixe narrata in *Hennebergeri explicatione maioris Tabulae Pruſſicae* inueniuntur.

Suecorum in Pruſſiam aduentus.

Diuerſarum vrbium occupatio.

FRAUENBURGA, Frauenburgum, Frauenburg, Varmia *Cromero*, vrbs non magna, in Habi litore, & vicinia fluuii Schon, vbi opus Hydraulicum viſu dignum cernitur, ſita, & anno 1297. extrui cœpta, piſcibus variis & delicatis abundat, eosque vili pretio diuendit. Anno 1460. Poloni noctu hanc vrbem oppreſſam diripuerunt, & anno 62. eandem a Crucigeris obſeſſam obſidione liberarunt. Anno 1626. *Guſtavus Adolphus*, Sueciæ Rex eam ſibi ſubiecit, & anno 29. Polonis reddidit, portum tamen & totum Habi litus in ſua poteſtate Sueci retinuerunt, vsque ad annum 35. quo cum Polonis inducias longiores pacti in eorum manus remiſerunt. Anno 1656. Rex Sueciæ, *Carolus Guſtavus*, ob peſtem Marienburgi, Elbingæ, Thorunii, & in aliis Pruſſiæ locis graſſantem, cum regina vxore ſua hic commoratus eſt. Eccleſia cathedralis inſidet monti, vbi & Canonici habitant, partim Poloni, partim Germani nobiles, 70. pagos, totidem piſcinas, et duas arces poſſidentes. In Canonicorum collegio, et ſenectutis commorationem, et vitæ finem inuenit celeberrimus Mathematicus, *Nicolaus Copernicus*, fato functus 24. Maii anno 1543. cuius epitaphium legitur apud Nicolaum *Heldvaderum part. 2. Sylvae Chronol. Circuli Balthici pag. 126.*

Frauenburgum a Suecis captum.

Nicolaus Copernicus.

Non parem Paulo veniam requiro,
Gratiam Petri neque poſco; ſed quam
In Crucis ligno dederis latroni,
Sedulus oro.

TOLKEMITUM, Tolkemit, Tolcremit, Tolmit, oppidulum in Habi litore, modico ſpacio diſtans Frauenburgo verſus occaſum, in Neukirchil vicinia, vbi hominibus nimia curioſitate quiduis ſciendi cupidis in Habo anguilla oſtenditur catenæ alligata. Anno 1356. extructum, 1456. exuſtum, 1521. a Marchionis *Alberti* militibus, et nupero bello a Suecis occupatum eſt.

PRUSSIA DUCALIS.

Fines.

PRUSSIA DUCALIS verſus occaſum a Viſtula inter vtrumque Pruſſiæ regalis palatinatum Marieburgenſem, et Culmenſem, initium capit, et hunc cum Mazovia, et Podlachia a meridie confinem habet, verſus ortum Lituaniæ, et Samogitiæ contermina eſt. In ſeptentrionem prona mari Balthico, Varmienſi Epiſcopatu, ac

Marieburgenſi

Marieburgensi palatinatu terminatur. Regali vastior et prolixior, minoribus oppidis, nec incultis, nec immunitis, lacubus, fluuiis, piscinis, siluis, montibus, ac fertilibus locis referta est.

Paret hic Ducatus, latiore spatio, quam regia Prussia, diffusus, Electoribus Brandeburgensibus, clientelari iure Regibus Poloniæ, possessionis huius nomine, obstrictis, ad quos ab *Alberto* Brandenburgensi anno 1567. mortuo, sic vt in generali descriptione Prussiæ indicauimus, deuolutus est, vt *Paulus Piasecius fol.* 4. refert. Anno 1609. & 11. *Iohanni Sigismundo*, cum iuris clientelaris possessionem aggressurus esset, formula præscripta, in qua, exclusis Culmbacensibus, Onolsbacensibus, & cæteris in Franconiæ circulo habitantibus Principibus Brandeburgicis, solius Electoris, eiusque fratrum, *Iohannis Georgii*, Ducis Iägerndorffensis in Silesia, *Ernesti*, & *Christiani Wilhelmi*, Archiepiscopi Magdeburgensis, legitimo matrimonio natis filiis, possessionis illius successio concedebatur, nulla habita ratione pactorum, cum *Alberto* Onolsbacensi a *Sigismundo* I. initorum. Sed inspiciantur, quæ *Ioh. Limnæus tom.* 4. *de Iure publico Imp. Rom. Germ. a pag.* 776. *ad* 813. hac de re literis prodidit. Modo laudatus *Episcopus Polonus*, *Piasecius*, *fol.* 460. de anno 1633. sequentia quoque refert: Moris esse, ait, vt præsentes Duces Prussiæ præsenti Regi fidelitatis ius iurandum præstent. Solitum vero tunc temporis *Vladislaum* Regem ex medicorum præscripto, vt valetudini suæ consuleret, post auditam in conclaui aliquo missam, se conspiciendum exhibere, imo raro ad colloquium alios admittere, nisi eos tantum, quos fidelissimos sibi iudicabat, quibus, exclusis cæteris, occasio oblata, vt etiam maximi momenti negotia sibi vindicarent, ac inde commodum suum priuatum aucuparentur: hinc vsu venisse, vt, ipsis negotium eo dirigentibus, Elector coram plenipotentiario regio iusiurandum præstiterit. *Fridericus Wilhelmus* Elector, qui 17. Octobris anno 1641. præsens præsenti Regi *Vladislao IV.* fidelitatis Sacramento se obstrinxit, hactenus Ducalem Prussiam obtinens, anno 1656. ad *Caroli Gustavi* Sueciæ Regis partes transiuit, ac post eius discessum cum exercitu ex Polonia in Daniam, iterum se Polonis adiunxisse dictus est. Maxime tamen id operæ visus est dare, vt reconciliatis Polonis & Suecis suas regiones ex tot malis expediret, & toti Prussiæ pacem exoptatissimam, qua tamen incolis hactenus frui non licet, restitueret. Sed his missis ipsam descriptionem locorum potiorum aggredimur.

Ducalis Prussiæ possessores.

Ius iurandum a Iohanne Sigismundo præstitum.

a Friderico Wilhelmo Electore.

LOCA, in Hockerlandia & Pomesania inter Ermelandiæ episcopatum, & Marieburgensem ac Culmensem palatinatum.

MULHAUSEN oppidulum in finibus Elbingensibus haud procul a fluuio Schona, infra Hollandiam, inter Elbingam & Melsackum, anno 1356. conditum.

HOLLAND oppidulum cum præfectura, Elbingensi territorio vicina, quatuor circiter milliaribus Elbinga distat, olim Wesela appellatum, & appositum fluuio cuidam, qui haud procul sub eo lacum *Drausen* ingreditur. Anno 1463. Teutonici Ordinis milite & vrbeculam opprimente, Poloni arcem conseruarunt, & ipsam vrbem recuperarunt. Anno 1521, cum Elbingam occupare tentaret Marchio *Albertus*, Ordinis Magister, Elbingenses irritati oppidulum oppresserunt, arceque diruta Elbingam tormenta bellica maiora auexerunt. *Werdenhagen part.* 3. *Rerumpub. Hanseat. cap.* 24. *fol.* 346. *a.* Anno 1543. incendio fere totum deletum est. Anno 1656. die 18. & 19. Iunii Rex Sueciæ et Elector Brandeburgicus in hoc oppidulo vna fuere.

Ab Ordine Teutonico captum. Arx ab Elbingensibus diruta.

LIBSTADT oppidulum, qua Hollandia ortum versus iter tendit, inter Morungam et Wormditum ad *Passerge* flumen sedens, quod anno 1329. conditum, et a Teutonico milite, muros scalis superante, anno 1455. occupatum est.

MORUNGA inter Libstadium, et Salfeldam, arx anno 1280: et oppidulum sine muris anno 1328. conditum.

SALFELDA, Salfeld ad Mebingum lacum, inter Morungam, et Risenburgum sedens oppidulum, in quo memorabilis casus accidit narratus a *Casp. Schutzio lib.* 1. *Chron.*

Mebingus lacus.

1. *Chron. fol. 73. Casp. Henneberg. in Tabula Prussiae fol. 406. & Chron. Brunsuic. part. 1. fol.* 233. Sub *Ludero* Duce Brunsuicensi, et Teutonici Ordinis Magistro, lis erat cum vidua ciui cuidam, qui vxorem egregia forma præditam iudici concesserat, vt eo citius, fauore eius, causam obtineret, et litem finiret. Iudex, quem mulieris satietas iam ceperat, ea ad maritum remissa, miræ pulchritudinis filiolam iuuenculam petiit a vidua, causam ei se adiudicaturum pollicitus. Negauit hoc vidua, ideo causa sua cadens, ac iniuriam hanc ad principem dictum deferens, qui, cognita causa, viduæ tertiam bonorum iniusti iudicis partem adiudicauit, adulteræ mulieris genæ stigma inuri, eaque in exilium missa, maritum pudicitiæ vxoriæ proditorem in quatuor partes dissecari, et iniustum illum iudicem viuum equis distrahi iussit. Dictum oppidulum anno 1329. ædificari cœptum, et Bernhardinorum monachorum cœnobio antehac clarum, anno 1455. incendio in cineres collapsum est, in quo restaurato comitia anno 1584. celebrata sunt. Salfeldensem se scripsit celeberrimus ille Astronomus, *Erasmus Reinholdus*, Prutenicarum tabularum, quas *Alberto* Prusiæ Duci dedicauit, auctor, atque ita non Thuringus procul dubio, sed Borussus natione, qui annos 42. natus 19. Februarii anno 1553. in parentum suorum complexu his verbis decessit: *Vixi, & quem dederas cursum, pie Christe, peregi. Nicol. Heldvaderus part. 2. silvae Chronol. Circuli Balth. pag. 154.*

Iniustus Iudex

Princeps iustus.

PREUSCHMARCK, olim *Transporn* vocatum oppidulum, cum sua præfectura tangit lacum, ex quo Sirguna flumen erumpit. Anno 1329. maro circumdatum, et anno 1410. Poloniæ Regi traditum, Teutonicus Ordo anno 1454. recepit. Locus inter Christburg et Salfeld occurrit.

Sirguna flumen.

ROSENBERGA, Rosenauiæ et Risenburgo vicinum oppidulum, anno 1319. initium cœpit, anno 1400. incendio periit.

RISENBURGUM, arcem habens oppidulum, et situm inter lacus Sargen, et Libenitz, ac flumen Liebam. *Cromerus* modo Prabutham, modo Vambreznum appellat, et olim Culmensis episcopi sedem fuisse ait. Anno 1414. a Polonis occupatum, et post annum 1422. ab iisdem direptum et incensum narrat. *Lib.* 23. idem *Cromerus* Bischofswerder Prabutham nominat. *Hennebergerus fol.* 398. Risenburgum Polonice Prabutam vocari tradit, tractumque circumiacentem nomen *Resin* habuisse, a Gigantibus incolis quinque vlnas longis. Sedem quoque fuisse Pomesaniensium episcoporum, quorum catalogum fol. 399. recenset. Inter eos fuere *Paulus Speratus*, *Iohannes Aurifaber.*, *Iohannes Draconites*, & *Iohannes Wigandus.* Vnde *Cromerus* hanc sedem Culmensibus episcopis assignans forsan hallucinatur. Anno 1628. cum inter Polonos & Suecos de pace ineunda ageretur, mediantibus Ordinibus Belgii fœderati Generalibus, quibus postea Brandenburgicus Elector accessit, Polonorum nomine huic tractationi interfuerunt episcopus Culmensis, Regni Poloniæ vicecancellarius, *Zomoisky* Palatinus Kioviensis, *Wiesolusky* Lituaniæ Ducatus Mareschallus, *Sobieski* & *Denhof*, qui hic Risenburgi commorabantur. Suecorum nomine aderant *Oxenstiern* Regni Sueciæ Cancellarius, *Iohannes Banier a Mulhamer*, & *Ericus Reining*, Stumi tunc morantes. Elector Brandenburgicus ipse cum suis consiliariis *Andrea Kreitzio*, *Koninckseckio*, & *Steinio* in oppidulum Preuschmarck diuerterat, vt eo propior huic actioni adesset. Confœderatarum prouinciarum in Belgio Ordines Generales ad hoc negotium conficiendum præcedente anno 27. miserant *Rochum a Honaert*, supremæ Curiæ in Hollandia Senatorem, *Andream Bickerum* Consulem Amsterodamensem, & *Simonem a Beaumont* Mittelburgi vrbis Syndicum, seu Pensionarium, qui in vrbe Marienwerder hospitia sua habebant. Honichvelt pagus in meditullio fere horum locorum sedens ad horum delegatorum omnium congressum destinatus erat. Ac quamuis Ordinum confœderatarum prouinciarum legati dicti, qui & præcedente anno 27. in reconciliandis partibus aduersariis, cum Sueci Dersauiæ, & Poloni ad Lubischaviam castra haberent, maximopere desudarunt, hoc ipso 28. anno summam iisdem in

Gigantes.

Pacis tractatio

Irrita.

mutuam

mutuam gratiam reducendis operam nauarint, nihil tamen effectum est. Post ipsorum vero discessum sequente anno 1629. in campo ad villam Altemarck, vulgo Staritarg 16. septembris inducias iniuerunt. Transactioni interfuere Poloniæ Regis nomine, *Iacobus Zadzik*, Episcopus Culmensis, & Pomesaniensis, Regni Poloniæ supremus Cancellarius, *Iacobus Sobitzki*, Incisor Regni, Crasnostauiensis, *Iacobus Ossolinski de Tęczin*, Dapifer Regni, Anielensis, & *Magnus Ernestus Denhoff*, Derpatensis capitaneus. Succiæ Regis delegati erant, *Axelius Oxenstierna*, Regni Sueciæ Senator, & Cancellarius, *Hermannus Wrangelius*, exercituum Suecicorum Mareschallus, & *Iohannes Bannerius*, Tribunus & Gubernator Hoftensis. Mediatorum vicem obibant *Hercules*, Baro Charnasseus Galliæ, & *Thomas Ros*, Angliæ Regis legatus, cum Electoris Brandenburgici delegatis, *Andrea Kreitzio*, supremo consiliario, & prouinciali Capitaneo, *Bernhardo a Kinsing*, prouinciæ consiliario, & *Georgio Rausosket*, Consiliario iudicii aulici Ducis Prussiæ.

Induciæ factæ.

MARIENWERDER, Quizinum *Cromero*, oppidum cum arce ad fluuium Nagot, qua Liebam amnem recipit. In templo cathedrali magnifico nonnulli Prussiæ magistri magni sepulchra sua habent. Proxime templum supra Liebam flumen, extructa est multis fornicibus altis latrina a quodam Canonico, qui eam condidit certis de causis, quas *Hennebergerus* enarrat. Hinc prouerbium Germanicum natum, *ich thaet in d' Liebe*, i.e. cacarem in Liebam. Anno 1464. Poloni vrbem noctu obrutam diripuerunt. Sueci eandem anno 1628, ac iterum anno 1655. mense Decembri occuparunt.

Latrina.

GARDENSEE, alias Schlemmo, inter Marienwerder & Graudentz, lacui cuidam accumbens oppidulum, cuius origo aut in annum 1311. 1328. cadit. Situm est in loco, in quo anno 1235. Teutonicus Ordo a Prussis in prælio commisso haud exigua clade affectus fuisset, nisi Dux posterioris Pomeraniæ *Suantopolcus* quinque millibus equitum & peditum Borussos in fugam primo coniecisset, ac postea ipsos alio prælii loco victores dissipasset. Anno 1554. Poloni incolis interfectis vrbem diripuerunt, & incendio fœdarunt.

Prussi cæsi.

FREYSTATT, inter Lessenium & Rosenbergam oppidulum.

EYLAVIA Germanica, ad differentiam alterius, quæ Prussica vocata in Natangia offenditur, est oppidulum anno 1328. originem suam nactum, quod arcem habet. Res in ea gestas commemorat *Hennebergerus fol. 128. seqq.*

OSTERODE, oppidum & arx ad Dribenzam fluuium inter Libenthaliam & Hoensteinium, ortum, aut anno 1270. vel 1302. anno vero 1400. incendio in cineres redactum.

HORNSTEINIUM, Hoenstein, Polonis Melstineck inter Osterodam & Passenheim interiectum oppidulum, anno 1313. ortum. Post victoriam Grunwaldensem anno 1410, qua Teutonici Ordinis exercitus a *Vladislao Iagellone* prostratus est, dictus Rex hunc locum cum Morunga, Preuschmarkio, Zirgonia, & Marieburgo, vbi tamen arce potiri non potuit, sui iuris fecit. Mox nobilitas Borussiæ & Pomerelliæ, & quatuor Episcopi Borussici, Culmensis, Varmiensis, Pomesaniensis, et Sambiensis, voluntaria deditione in Regis potestatem concessere. Sequuti sunt vrbes et arces Dantiscum, Elbinga, Radinum, Torunia, Chelma, siue Culma, Koninxberga, Schwetza, Gneva, siue Meue, Dirsavia, Novum, Brodnitzia, Brandenburgum, Coprivunum, siue Engelsberga, Crabinum, Wenceslavia, Golubum, Grudentum, Allenburgum, Osteroda, Nidburgum, et Zialdovia, anno 1464. a *Conrado*, Masouiæ Duce, Ordini Teutonico, qui eam anno 1454. recuperauerat, iterum erepta, Scithnum, Curetnicum, Brathianum, Covale, Hammersteinum, Bithovia, Lemburgum, Hollandia, Piscaria, Rogozinum, Stuma, et Tauchelium. Harum nonnullæ a Teutonico Ordine postea recuperatæ, nonnullæ etiam sponte, vt Dantiscum et Torunia, ad eundem redierunt. *Cromerus lib. 17. fol. 390.*

Teutonicus Ordo cæsus multorum locorum iacturam fecit.

TANNENBERG, pagus inter Domeraviam, et Hoensteinium, in cuius campo *Vlricus a Iungingen*, magister ordinis, cum 40000. militibus cæsus est ab *Vladislao Iagellone*, qui victor nihilominus 60000. perdidit. Factum hoc 15. Iunii anno 1410. Vide *Casp. Schutz. lib. 3. Chron. Pruss. Henneberger um & alios.*

GALINDIÆ LOCA.

GILOENBVRG, Polonis Dąbrowno, inter Laurenburgum & Hoensteinum, in Tannebergæ vicinia oppidulum, anno 1326. surgere incepit, anno 1410, Tartaris auxilium Polonis ferentibus, incensum, ac anno 1578. itidem incendio fœdatum.

GARDEN, oppidulum inter Gilgenburgum & Neudenburgum, quod olim arcem habuit.

NEVDENBVRG, oppidulum cum arce in monte locata, ortum suum ad annum 1238. refert. Anno 1414. Poloni eius potiti sunt.

WILDENBERG, oppidulum ad fluuium, qui haud longe sub eo Walpusch amnis accedentibus vndis augetur.

Walpusch fluv.

ORTELSBVRGVM, arx insignis ad fluuium Walpulsch, breui viæ interuallo a Passenhemio remota, quam Poloni *Schitno* vocitant. Exorta est anno 1266. & a Marchione *Georgio Friderico* pluribus conclauibus elegantioribus exornata.

PASSENHEMIVM, oppidulum ad paludem *Schoben*, originem suam anno 1388. acceptam ferens, vbi anno 1458. Crucigeri mense Septembri aliquo damno affecti sunt, quod proditione factum est. Die 27 Febr. anno 1583. villam tantum, & nouem ædes incendium in hac vrbe reliquas fecit. Horribile facinus filii in hoc loco parentes suos verberibus male tractare soliti, ac ideo a serpentibus consumpti, narrat *Hennebergerus fol. 341. seq.*

Horribile incendium & facinus.

SENSBVRGVM, oppidulum ad lacum Schossam, in Sesti & Reinæ vicinia, a priore dimidio tantum milliari distans, quod a Polonis anno 1520. direptum, incensum, ac anno 1568. incendio funditus deletum est.

Schossæ lacus.

SEESTEN, Sestum, anno 1328. extructum, postea a Polonis captum, & a Crucigeris receptum oppidulum, a Polonis *Schesno* vocitatur.

REIN, Polonis Torino, arx celebris ad septentrionalem finem lacus Dolgowischko, qui meridionali fine cum Spirdingo lacu coniunctus est. Vide *Hennebergerum fol. 395.*

SUDAVIÆ LOCA.

IOHANNISBVRGVM, Iohansburg, Polonis *Pysch*, ad amnem Pysch, haud magno spacio a dicto lacu Spirdingo oppidulum cum arce elegante pariter & firma.

Spirding lacus.

LICK, ad lacum Satrinde oppidulum, Stradan, versus septentrionem, aspiciens, vbi Marchio *Georgius Fridericus* Brandeburgensis, dux Prussiæ, anno 1588. scholam illustrem construxit: quod etiam Tilsæ, & Salfeldæ fecit.

Satrinde lacus

STRADAN oppidulum ad lacum Lazomet, a priore haud longe versus septentrionem remotum.

Lazomet lacus.

OLETZKO, Oleskum, ad fines Lituaniæ, & cognomen flumen oppidulum, a quo in campo duobus milliaribus distante Sueci & Brandeburgenses milites Tartaros, 22. Octobris anno 1656, fuderunt, & captiuum principem *Boguslaum Radzivilum* liberarunt.

Captivus Radzivil liberatus.

GOLDAP. oppidulum ad fluuium Goldorp in Angerburgensi territorio, ad Insterburgensem præfecturam pertinens, cuius ædificandi anno 1564. initium factum est.

BARTONIÆ LOCA.

LETZEN oppidulum et arx inter duos lacus supra Angerburgum, vbi anno

1573

1573. post ingentem pestis grassationem, die solis in bacchanalibus 64. paria hominum nuptias celebrarunt.

64. nuptiæ vno die celebratæ.

RASTENBVRGVM ad flumen Guberum arx et oppidulum anno 1319. ædificatum, anno 1348. a Lituanis combustum, ac alias multa ac varia bellicis temporibus passum, vbi anno 1412. cum Anabaptistis disputatio habita est. Anno 1545. hic capite plexus est quidam, a quo parentes sæpe vapulauerunt. Anno 1560. scholam huius loci rector *Valentinus Neukirchen* valde celebrem reddidit.

Pœna hominis qui parentes verberauit.

BARTENSTEIN, oppidulum ad fluuium Allam, primo Rosenthalium appellatum, cuius ciues in Polonico bello se Crucigeris anno 1460. dedidere. An. 1331. conditum, olim e regione in opposito margine fluuii in Natangia, quam hic amnis a Bartonia separat, arcem habuit, quæ turbis bellicis destructa est. Plura vide apud *Hennebergerum in explicatione Prussicae Tabulae maioris, fol. 29. seq.*

SCHIPPENPEIL, olim Schiffenburg, anno 1319. conditum oppidulum, fere solum Alla fluuio cinctum, sub quo Guber amnis in Allam se infundit, anno 1457. incendio totum periit. Anno 1461. a Crucigeris post diuturnam obsidionem Polonis deditione ereptum est. Eandem fortunam subiere Rastenburgum, Belau, & arx Morang, eodem anno, vt *Cromerus lib. 24.* indicat, hunc locum *Sipelbien* appellans, & procul dubio more suo hoc nomen distorquens.

LEVNENBVRG oppidulum supra Schippenpeilam, sub trium fluminum, Guberi nimirum intermedii, & alterius ad sinistram ex lacu Zain descendentis, ac tertii ad dextram ex lacu Siltzen defluentis, concursum situm, anno 1326. conditum, & quater quidem fere totum incendio deletum. In hoc contigit casus ille Tragicus, quem ex *Hennebergero* doctissimus *Zeilerus* in suis historiis Tragicis commemorat.

Zain & Siltzen lacus.

Casus tragicus.

BARTEN oppidulum cum arce paululum remota, inter quam & illud, mons intercedit rudera veteris alicuius arcis sustinens. Arx anno 1365. condita esse dicitur, oppidum fluuiolo ex lacu Siltzen exeunti & Leunenburgum decurrenti appositum est.

DRINCKFVRT oppidum, vt *Hennebergerus* vult, anno 1403 ædificatum

ANGERBVRGVM, cum arce anno 1312. extructa, oppidum anguillarum piscatu nobile, ad effluxum fluuii Angerap, qui ex magno lacu emergit, ac Georgenburgi in Pregelam se confert.

Angerap fl.

NORDENBVRG oppidulum et arx parua, cum præfectura sua, septentrionali margini lacus Aschwini accumbens.

GERDAVEN, oppidulum & arx ad lacum, quem Omet fluuius transit, exeundo lambens hunc locum anno 1325. structum, & incendio anno 1585. oboriente funditus destructum.

Omet fluv.

ALLENBVRGVM sub Omet fluuii in Allam exitum, & supra fluuiorum Almoniæ, & Schwenæ coniunctorum in eundem amnem ingressum, vnde situm quidem amœnum habet, sed humidis annis humidiorem, adeo vt frumentum inde damnum capiat.

Almenia & Schwena fl.

NATANGIÆ LOCA

FRIDLAND, supra Allenburgum in sinistra amnis Allæ ripa anno 1312. erectum oppidulum, & anno 1461. a Polonis occupatum, cuius ciues, Polonico præsidio trucidato, ad Crucigeros redierunt. Horum milites præsidiarii ob stipendia non soluta vrbem diripuerunt, incenderunt, & abierunt, *Cromerus* narrat, licet *Hennbergerus* circumstantias aliter referat, nec mentionem faciat loci Holstein, quem *Cromerus* magnam vrbem esse dicit a Polonis captam. Anno 1553. Fridlandia, excepto solo templo, in fauillas & cineres incendio redacta est.

Polonicum præsidium trucidatum.

DOMINAV, Domnau, Dompna oppidulum cum adiuncto monte & veteri arce, fossis et vallis duplicibus iuxta paludem munitis, ac ipsa arce in piscina aut

palude anno 1400. extructa. Anno 1571. excepto templo, arce, et paucis horreis, totum incendio conflagrauit, plura apud *Hennebergerum* 108. fol. quære.

EYLAVIA Borussica, oppidulum, orni ligna, quæ longe, lateque distrahuntur, copiose suppeditans, eoque nomine famosum.

LANDSBERGA oppidulum anno 1580. ad *Ioannem Iacobum*, hæreditarium dapiferum de Waldpurg, anno 85. Regiomonti ex fato functum, pertinuit.

ZINTEN, ad amnem Straetge oppidulum, cuius fundamenta anno 1313. locata sunt. Duobus incendiis fœdatum anno 1520. die 5. Septembris, et anno 1593. in quo posteriori nonnisi templum, schola et molæ superstites mansere.

HEILIGENPEIL, Heiligpeil, oppidulum impurum et Habi litori propinquum, cuius nomen antiquum est *Schwantomest*, i. e. sancta ciuitas. Anno 1519. igne conflagrauit, vt et anno sequente. Anno 1571. octo mulieres, et inter illas Consulis vxor, ignis supplicio affectæ sunt.

Mulieres exustæ.

BALGA, nonnullis oppidulum, *Hennebergero liter. B. fol.* 24. arx ad Habum, sub præfectura Fischhausiana, quem locum Sueciæ rex anno 1626. in potestatem suam redegit.

CREVTZBVRGVM, oppidulum a seditiosis Prussis circa annum 1261. Crucigeris ereptum, quod anno 1414. cum Nidburgo, Hoensteinio, Allesteinio, Zirgone, Bischofswerdera, Risemburgo, et Gutstadio in Polonorum potestatem venit.

MULHAUSEN, famosum indulgentiis Pontificiis antehac ibi venditis, vnde factum, vt templum ibi magnificum extructum fuerit, in quo *Margaretha Kunheimin D. Martini Lutheri* filia, cum quinque liberis sepulta est.

Lutheri filia.

BRANDEBVRGVM, oppidum non clausum, Habo assidens, ac duobus cum dimidio milliari Regiomonte dissidens, de quo *Henricus Bunting, & Henricus Meybaum in Brunsuicensibus Chronicis* fol. 223. sequentia referunt. Anno 1265. Imperium Romanum tristia noua peruaserant, de Ethnicorum Prussorum victoriis frequentibus, & magna Crucigerorum iactura. Ea de causa *Otto* Marchio Brandeburgensis, et *Albertus*, dux Brunsuicensis, et *Albertus*, Landgrauius Thuringiæ Teutonico ordini auxiliares copias adduxere. Humidus tamen & intempestiuus annus ipsis impedimento fuit, quo minus hostes damno afficerent. Copiis ergo suis Teutonico ordini relictis, & vbique in præsidia distributis, re infecta domum reuersi sunt. Marchio extruebat tunc temporis vrbem Brandeburgum, quæ antea POCARWIN vocabatur. Hactenus illi. Arcis, cuius adhuc rudera superesse ferunt, extructionem nonnulli anno 1266. assignant. Noua arx in editiore loco sita pulchram & quadratam figuram in aspectum producit. Sub *Friderico*, Misniæ Marchione, & summo magistro ordinis, *Ioannes a Gablentz* huius loci præfectus, secale agro cuidam inferendum curauit, qui deinde allium produxit, vt *Hennenbergerus fol.* 35. refert.

Prussi Ethnici victores.

Brandeburgi origo.

Secale satum in allium mutatum.

SAMBIÆ LOCA

KONIGSPERG, Regiomontum, Regiomons, mons Regius, KROLEWIEC Polonis, Ducalis Prussiæ caput, et commodissimo situ Pregelæ fluuio in Habum influenti, sub latitudinis gradu 54. et 40. min. longitudinis vero gradu 47. et 20. min. incumbit, atque ita Dantisco paulo borealior est. Conditorem huius vrbis fuisse, quidam aiunt, Bohemiæ Regem *Praemislaum Ottocarum*, qui anno 1255. cum Marchione Brandeburgico *Ottone*, et Episcopo Pragensi et Olomucensi *Brunone*, ordini Teutonico suppetias tulit, et Ethnicos Prussos vicit. Verisimilius alii tradunt, in honorem ipsius, qui huius vrbis condendæ auctor haud paruam pecuniæ summam ad opus perficiendum donauerat, a Teutonico ordine extructam fuisse, qui ipse etiam vrbem Koninxbergam in Marchionatu nouo in huius Regis memoriam fundauit, ac eadem de causa Brunsbergam in Prussia erexit, vt

Conditor.

tanquam

tanquam monumentum esset Episcopi *Brunonis*, qui tot Ethnicos ad Christianam religionem conuersos baptizauerat. Olim hæc vrbs tanto, quanto hodie, spacio non diffusa erat. Hodierno namque tempore, suburbiis exceptis, in tres partes diuiditur. Vetus enim ciuitas primo ædificiis suis surrexit, cui temporis progres su cæteræ accesserunt. Illa non vsque adeo pulchra est, & templum, veteris ciuitatis templum vocatum, ostendit, in quo *Ioannes Lutherus* primogenitus *Martini Lutheri* filius, cum Pomeraniæ ducis nomine hic legationem obiret, & 28. Octobris anno 1575. e viuis eximeretur, vt *Ioannes Bange in Chronicis Thuringicis pag. 184. a.* indicium facit, terræ mandatus est. Vrbs hæc ante incendium anni 1260. paulo remotior fuisse, & eo in loco, in quo nunc S. *Nicolai* templum cernitur, stetisse fertur. Huic adiungitur ab *Hennebergero* & aliis, arx ducalis, quam quidam ad partem illam, quæ Lebenicht dicitur referre maluit. Imposita est colli editiori, in qua *Georgius Fridericus* Brandeburgensis Marchio & dux Prussiæ ab anno 1584. vsque ad annum 94. magnificam structuram ab imo fundo extruendam curauit, latitudine 59. pedes geometricos complectentem, & nullis columnis intermediis suffultam, in cuius fundo est cella 199. pedes geometricos longa & 38. lata; cui impositum & armamentarium, & huic templum aulicum pulcherrime exornatum. In vno latere cernere est Bibliothecam, in qua repositorium quoddam libros in folio & quarto complectitur, cunctos argento circumclusos, ex quibus vnus ab *Alberto* primo duce Borussiæ propria manu scriptus in gratiam filii, cui subditos suos bene & Christiane regendi modum & rationem præscripsit, vt *M. Adamus Olearius in Itinerario suo Moscouitico & Persico fol. 48.* commemorat. In altero latere conclauia et cameræ, ducis ac familiæ ducalis se in conspectum dant. Supra templum se conspiciendum exhibet cœnaculum singulari artificio structum, et longitudinem suam per 174. pedes exporrigens, ac in latitudinem intra muros per 59. expandens, quod nullis columnis subiectis sustentatur. Totius igitur structuræ longitudini respondens pulcherrimis picturis, præcipue vero Genealogicis tabulis Marchionum Brandeburgicorum exornatur, vt et, meatibus aditum et exitum præbentibus, fastigiis Italica structura in altum eductis, duabus turribus, et propugnaculis totum ædificium cingentibus. Proxime arcem duo lacus fluuiolo Katzbach vel Kasback, transitum præbent. Altera ciuitatis pars Kniphoff, aut Knesphoff appellata, conditorem agnoscit *Winricum Knyprod*, vel *Wenricum, Knipenrode*, magnum ordinis magistrum, qui eam anno 1380. amplificauit, imo integre fere instaurauit. Ædificiorum splendore, præsertim in longa platea, se efferens insulam occupat limosam, et paludosam Pregelæ fluuii diuortiis inclusam, et ad mercaturam exercendam plurimum commoditatis afferentem, ex qua diuersis pontibus in cæteras vrbis partes transiri potest. In hac parte locum suum habet templum cathedrale olim proprio suo Episcopo, Sambiensi nimirum (ad Sambiam enim hæc vrbs pertinet) subiectum, sed iam post reformationem, Principis iurisdictioni obnoxium, cuius reditus annui ad Academiam, et alios vsus destinati sunt. Primarius tamen huius templi pastor Episcopi titulo vsus est. Fondauit illud *Luderus*, dux Brunsuicensis, ab initio ordinis Commendator, postea anno 1331. decimus quintus magister summus creatus, vt *Chron. Brunsuic. part: 1. fol. 233. & Hennebergerus* testantur. Summorum magistrorum, Marchionum Brandeburgicorum, aliorumque magni nominis virorum monumenta in eo cernuntur, ac inter ea *Ambrosii Lobwasseri*, Doctoris iuris, consiliarii ducis Prussiæ, et professoris in Academia ducali, qui anno 1585. ex hac vita migrauit, et antequam moreretur, hoc sibi Epitaphium ipse fecit, quod *Nathan Chytraeus in delic. Europ. pag. 535. tradit*:

Expertus, Mundi vanas res esse, Nihilque
Hic quoque nunc iaceo puluis & vmbra, Nihil.

Diuisio
Vetus vrbs.
Lutheri filius.
Arx Ducalis.
Cella.
Armamentarium
Templum.
Bibliotheca.
Cœnaculum.
Altera vrbis pars.
Templum Cathedrale.
Eius fundator.
Monumenta.
Ambrosius Lobwasser.

 Sed

Sed qui de Nihilo coelumque terramque creavit,
Me cum carne mea non sinet esse Nihil.
Hac spe nil mortem feci, Nihil omnia feci,
Nil Nihili vermes posse nocere scio.

Porro in hac ipsa parte, olim Pregelmunda appellata, sedem habet Academia instituta a Marchione Brandeburgensi *Alberto*, duce Prussiæ primo, anno 1544. & priuilegiis atque immunitatibus iisdem, quibus Cracouiensis vniuersitas, fruitur, confirmata a rege Poloniæ *Sigismundo* anno 1560. Munus rectoris primus obiuit *Georgius Sabinus*. Proximo bello Germanico, cum aliæ Academiæ collaberentur, hæc magnum incrementum sumpsit. Cum huius insulæ fundus admodum lutosus sit, & paludosus, necesse est, vt ædibus palis ex vlno arbore confectis, terræque impactis, fundamentum substernatur, adeo vt hæc vrbis pars, ac præcipue pulchræ plateæ ad veterem vrbem ducentis ædificia omnia, Dantiscano more ædificata, eiusmodi palis incumbant. Pregela fluuius supra vrbem in duos dispescitur meatus, sub Kneiphouio iterum coëuntes, qui vna per milliare vnum ab vrbe defluentes Habi aquis miscentur. Tertia vrbis pars appellatur Koninxberg Lebenicht, exortum suum ad annum 1300. referens. Monialium cœnobium S. *Mariae*, & *Benedicti* in xenodochium ducale mutatum, ita tamen, vt adhuc nonnullæ virgines nobiles, & ciuium filiæ pauperculæ, sex nimirum nobiles, & sex ciues in eo alantur, est in hac vrbe, & spatiosa structura se explicat. Plurimi homines vitiis corporum laborantes, vt & alii, cum multis pueris & puellis, in hoc ædificio singulari cura sustentantur. Ducale granarium hactenus in eo loco cernitur, in quo cœnobium fuit monachorum, qui a vestitu grysei dicti sunt. Præter hæc visu digna ædificia censentur in hac parte S. *Barbarae* templum, vt et nouum, in foro equorum, nobilium hospitium, ac nobilium aula dictum. Quæuis harum vrbium propria sua iurisdictione gaudens, consulem suum habet cum iudice & scabinis peculiaribus, ac propria sua iurisdictione in criminalibus vtitur. Causæ appellando ad principis tribunal, & non alio deferuntur. Cunctæ vero tres partes in fertilissima planicie situm habentes, nullos montes aspectant, & spacioso suo ambitu Dantisci magnitudinem superare feruntur, si spaciosiora suburbia ipsis adiungantur. Onerariæ naues flumine aduerso, licet sexaginta pedibus latior non sit, proxime ad vrbem & pontem accedere possunt. Latioribus autem nauibus ex Lituania & Polonia aduehuntur omnis generis merces, vt ligna quadrata ad conficienda dolia, cineres clauellati, mulsum, coria, pelles, triticum, secale, hordeum, oryza, millium, cannabis, mel, linum, cera etc. Ligna illa quadrata, & querna, *Klapholz* vocitata, in Galliam, Italiam, Angliam, Hollandiam, & plures alias regiones transportantur, vt ex iis vietores dolia, scriniarii mensas, et alia eiusmodi opera, atque alii alia conficiant. Cineres ex ligno vario comburendo parati, doliis induntur, ac in alias regiones ad smegma conficiendum mittuntur. Ex Polonia, Lituania, et Borussia omnis generis commeatus copiosissime aduehitur, adeo vt sæpe vno die mille & quod excurrit, currus, seu bigæ, seu trigæ, seu quadrigæ in vrbem aduentantes, numerentur. Frumentum coëmptum ciues et mercatores in granaria sua reponunt. Ex Suecia, Anglia, Hollandia, aliisque locis apportantur ferrum, plumbum, stannum, pannus, vinum, caseus, butyrum, sal etc. quas merces Poloni et Lituani magna copia Koninxberga petunt, et secum auehunt. Hinc maximum lucrum redundat in incolas, ideo etiam satis elatos, & vestitu luxuriantes, adeo vt & opificum vxores vittis, ex mustelarum Scythicarum pellibus paratis, capita tegant, & tam mares quam feminæ sericeis vestibus vtantur. Incolarum magna est copia, vt sæpe in vna eademque suburbiorum domo, tam superius, quam inferius, in cellis 5. 6. 7. 8. imo. 10. familiæ habitare soleant. Nec ab incendiis periculum est grande, ob ordinem optimum eo in casu constitutum, & ædes ipsas vt plurimum ex lapidibus coctis constructas.

Academia. Ædium in hac vrbis parte fundamentum. Pregela fluv. Tertia pars vrbis. Xenodochium Ducale. Granarium. Totius vrbis magnitudo. Merces, quæ in alias regiones mittuntur. Merces ex Suecia aliisque locis Regiomontum advectæ. Incolarum copia.

ſtructas. Lingua Germanica pleriſque incolis vernacula, & familiaris; cui & Polonica, Lituanica, & Kregelica accedunt. Hortorum & ædium, vt & aliarum eiuſmodi rerum ad voluptatem facientium affluentia non eſt exigua. Academiæ inſignia ſunt duo, aquilæ cum heroë, aut equite ſtudentes muſas defendente, & inſcriptione verſuum a *Sabino* compoſitorum:

Lingua.

Academiæ inſignia

Qui regit indomito praeſtantes Marte Boruſſos,
Gymnaſio Princeps haec dedit arma ſuo.
Nempe duas aquilas inuictumque Heroa, cuius
Aonidas forti protegit enſe manus.

Vt etiam huius vrbis res geſtas attingamus, nonnullas recenſere operæ precium erit. Anno 1410 Regiomontum a Rege Poloniæ occupatum eſt. Annum 1454. vetus & noua ciuitas, ſiue Lebenicht, a Rege Poloniæ ad ordinem Teutonicum defecerunt, oppoſuit ſe Kniphouia, obſeſſa ideo, & occupata anno 1520. Regiomontum irrita obſidione a Rege Poloniæ tentatum eſt. Anno 1551 *Andreas Oſiander* primarius Academiæ profeſſor, & vrbis veteris concionator, anno 52. mortuus, magnas in Eccleſiis Pruſſicis turbas excitauit, hominem per eſſentialem iuſtitiam, quæ Deus ipſe eſt et in eo habitat, iuſtificari docens. Hinc Doct. *Ioachimus Moerlinus*, eccleſiæ cathedralis Paſtor, ſe *Oſiandri* aſſeclis opponens, anno 53. vrbe excedere coactus fuit, poſt rem inter Regem Poloniæ, Ducem, & Pruſſiæ ordines anno 1566. compoſitam, ſequente 67. Brunſuiga Regiomontum reuocatus, & Sambiæ Epiſcopus factus. Anno 1558. lanii hic per plateas circumtulerunt farcimen 189. vlnas longum. Anno 1583. iterum more ſolito aliud circumtulerunt, ipſo nouo anno ineunte, confectum ex 36. pernis ſuillis, 434. libras ponderans, et 569. vlnas longitudine complectens, cui portando 91. homines adhibebantur, farcimen tale a lanionibus dono datur piſtoribus, quo illi contra grandi pane ſimilagineo in duobus furnis coniunctis cocto remunerantur, vniuerſi poſtea veſpertino tempore feſti trium regum farcimen et panem comedentes, et genio indulgentes. Conficiuntur hæc farcimina ex minoribus, et tenuioribus inteſtinis porcinis, ac carne ex pernis porcinis deſumpta farciuntur, portata a pluribus hominibus, quorum primi et vltimi collum aliquot vicibus cingunt, bis vel ter circumuoluta. Singulis tamen annis iam, ob ſumptus, quos requirunt grandiores ac alias nonnullas cauſas, aut caſus coincidentes, parari non ſolent. *Henneberger fol.* 191. Anno 1633. iuuenis quidam 22. annorum Grinwaldo pago, 7. milliaribus Regiomonte diſſito oriundus; et *Andreas Grunheude* nominatus 29. Maii cultrum ſic ſatis longum, forte fortuna deglutiuit, qui ipſi hic Regiomonti, ſectione ex ſtomacho extractus eſt, vt priſtinæ ſanitati reſtitutus fuerit. Operationem et curam deſcripſit D. *Georgius Lothus*, Electoris Brandeburgici Archiater, et in Academia profeſſor, qui eandem publici iuris fecit. Anno 1636, fulmen tetigit quandam turrim pulueris pyrii plenam, qua funditus eruta, et in auras disiecta tota arx, et ciuitas concuciebatur, ac centum circiter ædes vitioſæ reddebantur. *Micraelius lib, 5. Pomer. pag.* 348. Anno 1649. ex centum ſtudioſis, qui in communitate, vt appellatur, fuerunt, paucorum dierum ſpacio 76. peſte obierunt. *Theatr. Europ. part. 6.* Kal. Maii eiuſdem anni diem obiit *Vlricus Schoenberger* Weidæ, palatinatus ſuperioris oppido natus, et cum annos duos ætatis cum dimidio haberet, a variolis excœcatus, qui nihilominus in artibus et diſciplinis tantos progreſſus fecit, vt alios in Philoſophia et linguis doceret, collegia Arithmetica haberet, organis, et aliis inſtrumentis muſicis caneret, eadem ipſe pararet, ac tormenta bellica, ſclopetaque minora tractare noſſet. Anno 1653. vna ſeptimana 490. homines a peſte graſſante ſublati ſunt. Anno 1656. in feriis pentecoſtes coorta eſt ingens ſeditio contra Polonos, ex vulgi fece pluribus in templum Pontificium irruentibus, illud diripientibus, tam mares, quam feminas omni pretioſo ornatu et cunctis veſtibus ad induſium vſque denudantibus, et

Res geſtæ.

Andreas Oſiander

Ioachimus Moerlinus.

Farcimina longiſſima.

Panis ingens.

Quidam cultrum deglutivit.

Turris pulvere pyrio plena, a fulmine tacta.

Peſtis.

Vlricus Schoenberger.

Peſtis.

Seditio.

facrificulos verberibus male multantibus. Aliis vero Polonorum ædes, commorationes, et diuerforia inuadentibus, et omnis generis malitias exercentibus. Verum feditione compofita nonnulli ex feditiofis, Electoris iuffu, fupplicio capitali affecti pœnas nequitiæ dederunt. Plura fcire defiderans confulat *Petrum Bertium 3. lib. rer. Germ. pag. 651. Georg. Braun. 3. part Theatri vrbium. Casp. Ens in delic. Apod. per German. pag. 651. Werdenhagen part. 3. Hanfeat. cap. 24. fol.346. David. Froelich. part. 2. viator lib. 1. pag. 331. De Oslandri feditione Chytraeum lib. 17. Saxon. fol. 444. feqq. & lib. 21. fol. 559. Cromerum, Henneberger um, aliosque auctores*, qui prolixe de hac vrbe tractarunt. *Henneberger us* anno 1595. in dimenfione vrbis, longitudinem eius ab extremo diuerforio Sackheimenfi vsque ad montem auenarium, vbi noui horti finiuntur, 1222. decem pedes Geometricas deditffe tradit.

PILLAVIA, Pillau, pagus exiguus cum fortalitio quatuor, & munimento nouem propugnacula habente ad tranfitum ex mari Balthico in Habum & Koninxbergam, vbi & portus commodus naues excipit. Koninxberga diftat feptem milliaribus, quod iter naue proficifcentibus conficiendum. Terreftri itinere Pillaviam petentibus, & ab vrbe vno miliari remotis abiegna occurrit filua, trium milliarium profectione pererranda, donec Forckheimum perueniant. Inde milliari vno confecto Fifchaufam, ac altero itidem Lochftettum iter faciendum. Pagus eft, qui arcem adiunctam habet, de qua *Hennebergerus fol.* 264. legendus. Inde fatis longum milliare Pillaviam adhuc reftat, per filuas maxima ex parte conficiendum. Pagus incolas habet pifcatores, ob frequentem Sturionum aut Accipenferum pifcationem, hic admodum celebrem. Proxime pagum mons rotundus exurgit arboribus veftitus, in cuius fummitate vectigalium præfectus, feu fcriba, ædes habet fic fatis elegantes, in anteriore parte aream viridem præmittentes, ex qua in fubiectum mare, & Habum longe lateque profpectus amœnisfimus patet. Omnes naues aduentantes hic ancoras demittere, & vectigal impofitum foluere coguntur. Locus amœnitate fua vix vlli alii cedens, ideo Prusfiæ paradifus dicitur, & cibis delicatis, aliisque deliciis, quas fuppeditat, comprimis nobilitatum. Ab hoc litus fe incuruans portum efficit obiectu arenofi tractus, latitudine fere centum paffus exæquantis, & Neringæ Dantifcanæ fe opponentis, in cuius apice munimentum fedet, vt & fortalitium, vtrumque occupatum a Sueciæ Rege, *Guftavo Adolpho*, anno 1626. In totius huius territorii litore a rufticis fuccinum fiue electrum copiofe mari hauritur, aut reticulis excipitur, ac in loca eum in finem deftinata defertur, vbi pro fingulis doliis fuccini plenis, dolium fale repletum accipiunt. Vno & dimidio milliari Pillavia diftat locus *Grecke* appellatus, qui maximam fuccini copiam, & quidem Borea tempeftatem excitante, fi triduum aut paulo amplius durauerit, 10. 15. aut etiam 20. tonnas fuppeditat. Ne autem quid fuccini fraude a pifcantibus auferatur, accuratiffima obferuatione ab iis prouidetur, qui pifcationi huic præfunt, eumque in finem patibula in litore erecta cernuntur, quibus affiguntur ii, qui fuccinum furtim auferentes deprehenduntur. Reditus ex fuccino Pruffiæ Ducibus duodecim florenorum millia quotannis afferre folent. Dolium fuccino repletum florenis 100. aut 150. vendi folet, prout melius aut vilius fuerit. Quatuor enim generum effe folet, inter quæ album excellens cætera pretio longe fuperat, & raro fe offert. Ac licet in toto litore Pruffiæ inter Dantifcum & Memelam, vt & ipfa Pomeraniæ ora maritima reperiatur, nullibi tamen, quam hifce in locis, tanta copia occurrit, vnde etiam hic ipfi acquirendo maior diligentia adhibetur, quam cæteris in locis, vbi tam frequens non offenditur. Borea tempeftatem excitante ruftici proximos pagos incolentes reticulis fuis, quæ *Grittel* appellant, mare turbatum ingreffi fluctibus obuiam tendunt, ac herbas, aut mufcum, cui fuccinum inhæret, reticulis illis hauriunt, atque in litus exportant, vbi fuccinum a herbis iftis fegregatur. De fuccino, Germanis Börnftein, Agftein, &

Iter Koninxberga Pillauiam.

Succinum.

Bertio

Bertio Augftein, quia oculis prodeft, dicto, videatur *Cafporus Schutzius, lib. 1. Chron. Pruß. fol. 50. feq. Munfterus lib. 5. Cofmogr. cap. 449. edit. vlt. Cluverius lib. 3. antiq. Germ. cap. 34. Iodocus Willichius comment. in Tacit. Germ.* & *Georgius Braun. in defcriptione Vrbis Dantifci.* Succinum autem a calore, aut ab vrendo etiam *Geleffum* appellatur, vnde nonnullis geographis occafio data, vt hanc Prusfiæ partem, Sambiam nimirum, Gleffariam appellauerint, quibus contradicunt *Cluverius dicto loco, Pontanus in Tr. Vniv. boreal. defcr. fol. 736. Rer. Dan.* qui infulam Auftraniam, feu Strandiam, antiquorum Gleffariam effe ftatuunt. *Pontani* verba hæc funt: *Gleffaria Plinii vbi fit, valde dubitatur, fortaffe veri fimilius illi, qui Gleffariam effe Ameren, onte Cimbrorum litus pofitam, exiftimorunt, in quibus Ortelius fuit, adiiciens Ameren vocari, quod Latini Gleffum ac Succinum. Vel fi placet, quae Ameroe eft proxima, Strandio efto, Strand hodie dicta nomine non admodum a Plinii Auftrania recedente. Ait enim Plinius, Barborit, quam Gleßariam dicit, Auftraniam nuncupari, quamvis in Hillegelandia ad Albis oftium pofita (quae fortoffis Tacitiin Germania caftum nemus) fuccinum etiom reperiri indigenoe referunt.* Diftrictus vero, Samlandia dictus hodie, nonnullis Sudauia dicitur, quia ex Sudavia Podlachiæ vicina nonnulli incolæ in hanc Sambiæ partem olim tranflati funt. De his *Hennebergerus fol.* 445. In Sambia, in Brufterorth, loco milliare vnum longo & lato, habitant adhuc veri Sudauienfes, ob perfidiam & defectionem olim eo delati, qui fuccino colligendo operam dare coguntur. Antiqui fomniarunt ex arboribus ortum traxiffe fuccinum, reuera enafcens ex lenta & vifcofa materia ex terra caua & fulphurea erumpente, & aqua maris falfa mox indurefcente. Æftii & Venedi, Germaniæ populi, & harum regionum incolæ primi, fuccinum in Illyriam ad Carnos detulerunt, & Venetis, Adriaticum mare, atque Padum accolentibus, vendiderunt. Nonnulli etiam Haimburgium, in Auftriæ & in Hungariæ finibus fitum, portarunt.

Succini ortus.

FISCHHAUSEN ad finum, quem Habus propter Pillaviam Sambiæ litus ingrediens efficit, oppidulum appofitum, & anno 1269. fundamenta prima nactum, fedes fuit epifcoporum Sambiæ vsque ad Epifcopum *Georgium a Polentz*, qui tradidit hunc locum Marchioni *Alberto*, Duci Prusfiæ primo, ac, religione mutata, Balgam profectus vxorem duxit. Succeffores ipfius, inter quos *Doct. Ioachimus Moerlinus*, & *D. Tilemannus Heshufius*, Koninxbergæ poftea morati, & hic diftrictus in præfecturam mutatus eft, ex qua Profefforibus Academiæ Koninxbergenfis ftipendia & frumentum datur. Arx fuperiori parti vrbeculæ accumbens fpaciofa fe explicat ftructura, lateribus coctis conftante, quam aqua circumdat. Siluæ circumuicinæ alcibus abundant, quæ circa feftum S. Ægidii libidinis ardore æftuantes capi folent, vide *Hennebergerum fol. 231 feq. Cromerus lib. 3. Rer. Polon. Adalbertum* Epifcopum Pragenfem 23. Aprilis anni 997. ab Ethnicis Boruffis prope Fifchhaufium interemptum, corpus vero eius a *Boleslao* Duce, ac poftea primo Rege Poloniæ, *Chrobri* cognominato, pecunia redemptum, ac Gnefnam delatum effe, tradit.

Epifcoporum Sambienfium fedes.

Arx.

S. Adalbertus

WALDAW, oppidulum ad Pregelam fluuium, anno 1254. a Rege Bohemiæ *Ottokero* Chriftianam fidem amplecti coactum. In bello Borusfico, & Prufforum defectione a Crucigeris receptum eft.

CREMITEN oppidulum ad Pregelam inter Waldaviam, & Tappiaviam intercedens.

TAPIAVIA ad influxum Deme fluuii in Pregelam, arx Ducalis olim *Sugurbi* appellata, cuius initium in annum 1351. cadit. In hac Marchio Brandenburgenfis *Albertus* Prusfiæ Dux primus 20. Martii anno 1668. poftquam 57. annos his regionibus præfuerat, e viuis excesfit.

LABIAVIA, arx ad fluuium Deme in lacus Curonenfis vicinia, anno 1258. ædificata, vbi vectigal foluitur, et opus hydraulicum cernitur.

NADRAVIAE LOCA.

WELAVIA oppidulum situm, qua Alla, & Pregela vndas suas consociant. In bellis se strenue gessit vsque ad annum 1460. quo annonæ defectu Teutonico Ordini se dedidit. Anno 1540. incendium exortum, præter templum, cunctas ædes in cineres redegit. Annis 1542. & 93. maxima tempestas hunc locum affli-xit. In Welaviæ vicinia, & via regia Koningsberga Ragnittam ducente, occurrit pagus Oppen famosus quercu veterrima in quodam horto admirandæ crassitiei, in qua intus caua equiti equum suum in gyrum vertere licebat, id quod Marchio *Albertus* Prussiæ Dux, & filius eius *Albertus Fridericus* fecerunt. Anno 1595. eandem adhuc incolumem fuisse *Henneberg erus* testatur, quæ cum adhuc viridis esset, proxime terram crassitie sua 27. vlnas complexa fuit. Exaruit tandem scissa, lacerata & collapsa, inscriptione infinita nominum, quæ cuncti eo aduentantes inscribere præsentiæ suæ memoriam soliti fuere.

Quercus veterrima, & crassissima.

TAPLAUKEN, nonnullis Dablack, arx ad Pregelam inter Welaviam, & Selaviam, in qua 21. Ianuarii anno 1566. canis porcum viuum peperit, diu postea superstitem. *Hennebergerus fol. 451*

SALAVIA oppidulum in dextra Pregelæ ripa supra Taplauken, anno 1395. conditum, cui vetus nomen Wostopolo, ad Sambiensem Episcopum olim pertinuit.

GEORGENBURGUM, olim Karsawin, arx cum adiuncto pago, quæ anno 1295. extructa esse fertur.

IUSTERBURGUM ad fluuium Iuster, aliis Inster, arx & oppidulum cum præfectura inligni per 13. milliaria in longitudinem, & 8. in latitudinem se extendente, in qua circiter 15. millia sutorum habitare dicuntur. In oppidulo ipso anno 1590. exusto haud pauci etiam habitant. Ex vulgo tam grandiores quam minores natu sibi calceos, ex tiliarum corticibus mira ratione connexos, parant. Tales calcei in septentrionalibus regionibus admodum frequentes sunt.

Sutorum ingens multitudo.

SCHALAVONIAE LOCA.

TILSA, vel Tilsit arx, & oppidum anno 1552. extructum, vbi nucum auellanarum maxima copia nascitur, vt patet ex *Hennebergero fol. 463. qui anno 1578. Erasmum Grosserum*, Consulem, centum oncra, seu 1200. tonnas nucum avellanarum, ter mille & sexcentis florenis constantes, Koninxbergam misisse narrat. 6. Maii, anno 1576. horribili tempestate hic locus afflictus est.

Nucum avellanarum copia.

RAGNITA, Rangnitum, arx & oppidulum celebre ad Memenum seu Nemenum fluuium, de quo *Hennebergerus* multa scribit.

MEMMEL, Memmelburgum, Curlandis Cleupeda, & Cromero Troipcs, arx est valida, fossis & vallis ingentibus cincta, cum vrbe a fluuio Tange in lacum Curonensem exeunte, & satis profundo alueo naues admittente, circumfusa; Vtriusque dicti fluuii aquis circumludentibus clausæ, origo attribuitur anno 1250. Pertinuit vero quondam hic locus ad Fratres Livonicos, qui anno 1328. eundem Crucigeris tradidere, ita vt postea eius possessio ad Prussiæ Duces peruenerit, licet Sueci aliquandiu quoque hic commorati fuerint. *M. Adamus Olearius in Itinerario suo Orientali* Suecos adhuc 19. Februarii anno 1635. munimentum quatuor propugnaculis munitum in sua potestate habuisse refert. Sed induciis anno 1635. in 26. annos pactis procul dubio ad Prussiam rediit. Incendia & bella ipsi frequentia damna intulerunt. Anno 1540. sex ædibus exceptis tota conflagrauit, qua de re *Hennebergerus* videatur. 16. aut 18. milliaribus Koninxberga distare dicitur.

Situs.

Origo.

POLANGEN in finibus Curlandiæ oppidulum, quod litori maris Baltici impositum inter Memmelam, & Heiligaviam interest.

LACUS

LACUS, siue Habus Curonensis, *Das Curisch Haff*, aqua dulci constans, triangulari figura a meridie in septentrionem excurrit, & Sambiæ, ac Nadraviæ litus versus meridiem, Nadrauiæ item & Schalavoniæ marginem, versus orientem, lauat.. Occasui angustum & longum tractum terrestrem obiicit tumulis arenariis completum, qui *Curisch Nerung* appellatus aliquot pagos habet, & Habum hunc a mari Balthico secernit, se a Sambia peninsula vsque ad arcem Memmel per 14, aut 16. milliaria, vt nonnulli volunt, extendentem. Curonensis hæc Neringa, quæ in arcis Memel vicinia angusto freto naues in Curonensem lacum admittente finitur, Sambiæ est annexa. Sambia vero ipsa quadratam figuram oblongam exhibens peninsula est, aut potius insula a septentrione Curonensi lacu, ab occasu mari Balthico, a meridie Pregela fluuio, et ab ortu Deme amni terminata. Hic vero ex Curonensi lacu emergens a septentrione in meridiem recto cursu properat, Sambiam, & Nadraviam differminat, ac in Pregelam sub Tappiavia exoneratur.

Curonensis Neringa. Sambia. Deme fl.

MEMENUS, siue Nemenus fluuius, Memmel Germanis, Niemen Polonis ex Lituania erumpit, & per tredecim ostia in Curonensem lacum se effundit. Chronum Sarmatiæ Europææ fluuium *Ptolomaei* esse statuunt *Pircheimerus*, *Decius & Cromerus*, *Erasmus Stella*, & *Rithaymerus*, Pregelam fluuium Prussiæ, Chronum esse arbitrantur.

SAMOGITIA.

SAMOGITIA versus meridiem Schalavoniam Prussiæ Ducalis extimam partem, in occasu mare Balthicum, in septentrione Curlandiam & Semigalliam, acin ortu Lithuaniam confinem habet. Eam *Hennebergerus in sua Tabula Borussica fol. 404. seqq.* prolixe describit. Eius incolæ veteres fuere Æstii, origine Germani, qui & Lituaniæ ac Masoviæ partem tenuere. Spaciosa quidem & feracissimi soli regio, sed siluis obducta plurimis, qua colitur, pagos habet, & ciuitates, tam Regis, quam nobilium, pleraque tamen ligneis ædificiis constantes. In pagis ædes oblongæ & humiles in medio focum continent, ac vno conclaui homines & bestias contra aëris ac cœli inclementiam tuentur. Hæ sitæ vt plurimum ad lacus viuos & flumina, stramentis aut asserculis teguntur, & satis viles sunt, quibus nobilium prædia & domus cultu et elegantia antecedunt. Terra ferro non proscinditur, sed ligno, licet non arenosa, sed satis tenax et fertilis se arationi huic difficiliorem præbeat. Nusquam gentium plus mellis eruitur: Candidum est, et saporis exquisitissimi, ac dulcissimi. Equis in bello ad trahendum onera, et domi in agris colendis adeo paruis vtuntur, vt mirum sit, quo pacto laboribus tantis pares esse queant. Quod ad politicum statum attinet, in satrapias Samogitia non est distributa, sed multas præfecturas habet, cum summo rerum politicarum Præfecto, qui vulgo Capitaneus appellatur. Huic Castellanus est adiunctus: In ecclesiam concernentibus rebus Episcopus hic iurisdictionem exercet, Romanam religionem profitens, qui Medniciæ sedem habens in Senatu Regni publico cum Capitaneo, et Castellano locum suum habet, ex quo cæteri vrbium Præfecti omnes excluduntur, iis exceptis, qui maiore aliqua dignitate, vt Cancellarii, Marschalci, Palatini aut Castellani, excellunt. Præcipua huius regionis nobilitas a *Caesarino Columna*, cum *Palaemone*, et aliis ex Italia in has oras transuecto, ortum ducit. Est porro peculiari in hac regione gens sub Eiragoliorum nomine nota, ex qua Lituaniæ Dux *Vitenes* descendit, alias a dicto *Columna* ortum suum ducens. In Lituanicis historiis mentio fit arcis Onkaimi in hac regione sitæ, quam a Borussis anno 1301. proditione in potestatem redactam et dirutam, Lituani redintegrarunt, sed Borussi altera vice proditorum auxilio anno 1403. captam denuo diruerunt. Ante *Sigismundum Augustum* ferarum more vixerunt, ad Polonicam vitam redacti

Fines. Qualitas. Ædes. Terra. Equi. Politicus status. Ecclesiasticus Regni Senatores. Nobilium origo. Onkaimi arx vetus.

Samaitæ a *Iacobo Lascovio*, qui agris distributis, ad religionem Christianam erudiuit: et lucos sacros exscidit.

CAUNA, Caunum, Kowno, Kaunau, Samogitiæ caput, quà Vilia et Nemenus fluuii aquas suas copulant, situm suum habens, elegantioribus ædificiis exornari cœpit ab eo tempore, quo Germani mercatores hic sedem fortunarum suarum fixerunt. Incolas enim, partim Germanos, partim Lituanos habet, ac castello munitur: Vtrique nomen Caunæ impositum à *Cunasso*, vel *Cuna*, *Palaemonis* filio, conditore suo. In vrbe collegium est societatis Iesu; sunt & monasteria alia. Habitauit in ea *Paulus Oderbornius*, verbi diuini minister, qui *Iohannis Basilidis* magni Ducis Moscoviæ vitam descripsit. Hunc locum nobilitat mulsum optimum, quod hic coctum in varias regiones transmittitur. Sub *Gedimino* Duce Lituaniæ Prussi Iurburgum, & Caunam arces occuparunt. Anno 1362. Crucigeri ex Borussia in Samogitiam irrumpentes vrbem expugnarunt, ac arcem destruxerunt, in qua 3000. Lituanorum ignis flamma perierunt. Eidem interitui obnoxiæ fuere Piastena, & Vielona, destructæ a Prussis, qui sequenti anno totam Lituaniam vastarunt, & nec Samogitiæ pepercerunt. Anno 1376. decem septimanarum spacio Lituani omnem inter Vistulam & Sanum iacentem regionem in Polonia depopulati sunt. Ipsis hac vastatione occupatis Crucigeri interea Samogitiam, & Lituaniam inuaserunt, ac Caunam obsidione cinxerunt, quæ tamen irrita fuit. Similis obsidio ipsos quoque anno 1391. vel 92. frustrata esse dicitur, anno 1655. mense Augusto, magnus Dux Moscouiæ hanc vrbem occupatam pessime tractauit, & omnia templa, vno cum cœnobio quodam excepto, cumbussit, vt *Augustinus Limmerus in Lipsiensi relatione autumnali eiusdem anni refert.*

Incolæ. Nomen. Paulus Oderbornius. Res gestæ.

MEDNIKY, Mednicia, propter originem fluuii Wirwitzæ, sedes Episcopi Samogitiæ, cuius episcopatus anno 1413. fundatus est a Rege *Wenceslao*, qui duodecim constituit primarios concionatores, secundum Samogitiæ præfecturas duodecim, qui in vrbe Medniki etiam canonici esse debebant; sic narrat *Cromerus lib. 18. rer. Polon. vt & 15. lib.* vbi duo loca in Samogitia Medniki & Velzani ab hostibus anno 1320. exusta esse ait.

ROS oppidulum ad fluuium Dubissam.

MASOVIA.

Fines. Divisio.

MASOVIA, Masaw, Masuren, quasi in meditullio Poloniæ constituta, boreales terminos Prussiæ, occiduos Poloniæ maiori, meridionales Poloniæ minori, & orientales Lituaniæ opponit, et in quatuor partes distribuitur, palatinatus nimirum tres, Plocensem, Masouiensem proprie dictum, Podlachicum, et Dobrinensem terram.

Fines. Divisio. Senatores Regni.

PLOCENSIS PALATINATVS inter Dobrinensem terram, Prussiam, Warsouiensem palatinatum et Vistulam interpositus, quatuor territoria, Plocense nimirum, Zavcrense, Mlavense et Stenense comprehendit, ac quinque senatores Regni ad comitia publica ablegat; Episcopum puta Plocensem, vt et palatinum, ac castellanos Plocensem, Racianzensem et Siepercensem.

Situs. Templa. Basilica.

PLOCKO, Polocia, Ploscum, Polocko, ad Vistulam inter Wladislaviam, et Varsaviam ciuitas, ac Episcopi et Palatini Plocensis sedes, eminentiori fluminis Vistulæ ripæ insidet, prospectu amœnissimo fluuium præterlabentem, nauesque præteruehentes, vt et cætera loca subiecta cum pomariis per circuitum vrbis dispositis, ac sapidissimos fructus ferentibus inspectaris. Templis, vt *Staravolscius* refert, ditissimis abundat, inter quæ præcipuum in suburbio Monialium S. *Mariae Magdalenae* et Benedictinorum, quorum Abbatia, et Basilica eleganter structa ac argenteis, ætatis ornamentis referta est in arce, vbi visitur inter templi eiusdem reliquias caput S. *Sigismundi* Regis, a Rege *Sigismundo III.* illi loco, sub

titulo

titulo S. *Sigismundi* erecto donatum, auro puro inclusum, & gemmis ac lapidibus preciosis exornatum. Capitulum hic æquales reditus cum Episcopo habet; nam præpositus ipse integrum territorium possidet, estque supremus dominus nobilitatis in hoc territorio commorantis, sicut & Episcopus est Pultouiensis territorii supremus princeps, a quo ad Regem prouocatio non datur. Sed ita nobiles sunt ipsius subditi, sicut alibi Varmiensis Episcopi, aut Cracouiensis in Seueriensi ducatu. Porro Iesuitæ collegium, in quo iuuentus eruditur, habet. In arce gymnasium quoque est sub capituli cura, cuius professores Cracouia euocantur. *Cromerus lib.* 4. *fol.* 71. narrat, quod interregni tempore post *Mieislaum*, patrem *Casimiri*, *Matlaus*, alias *Masos* appellatus, dicti Regis *Mieislai* pincerna, homo potens & animosus, Plocensis regionis potitus fuerit, eamque de suo nomine Masoïliam, vel Masouiam denominauerit. *Idem lib.* 7. Prussos duce *Conrado*, *Lechi Albi* fratre, hanc regionem regente, Ploscum Masouiæ caput, igne deleuisse tradit. Templum autem præcipuum ibidem in arce cum pretiosis ornamentis antea igne subito exorto conflagrasse. Post *Goslai* mortem hic locus per biennium Episcopo caruit: ante vrbem incendio consumptam *Conradus*, Masoniæ dux, *Crispinum* palatinum, bonis consiliis propositis ingruens malum depellere conantem, vita priuauit. Sequutæ sunt Prussorum inuasiones, quibus sustinendis cum dux *Conradus* par non esset, Teutonicum ordinem in auxilium anno 1227. aduocauit, sicut iam ante dictum est. Anno 1286. Lituani, & anno 1325. Poloni hanc ciuitatem occupatam exusserunt. Causa mali fuit, quod Masuri, siue Masouiæ incolæ, Teutonico ordini adhæserint. Postquam Masouiæ duces esse desierunt, hæc vrbs in Polonorum potestatem venit. Incolæ ipsius satis ciuiles partim agros & hortos pomis abundantes colunt, partim mercaturæ ob commodum nauigabilis fluminis opportunitatem student. Hoc vero Salmonum & Silurorum copiosam piscationem, Martio mense præsertim, suppeditat.

Capitulum. Episcopus. Res gestæ. Ploscum bis exustum.

SIEPERCIA, Sieprz oppidum *Beatae Virginis* imagine nobilitatum.

MASOVIENSIS PALATINATVS proprie sic dictus Podlachiam ab ortu, Lublinensem minoris Poloniæ palatinatum a meridie, Vistulam ab occasu, & Plocensem palatinatum a septentrione habet, Varsauiaque, regio alias dicitur. Ei propositus est palatinus cum castellanis septem, qui sunt Cyrnensis, Varsauiensis, Visnensis, Visegradensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, & Liuensis. In spiritualibus partim Episcopo Posnaniensi, partim Ploeensi, partim Luceoriensi subiecta est. Ampla admodum prouincia in duodecim territoria distribuitur, Cyrnense puta, Visnense, Zembroviense, Varsauiense, Nurense, Vissegrodiense, Zacrocimense, Ciechanouiense, Lomzense, Rozanense, Macoviense, & Livense, quæ omnia ab vrbibus, & oppidis, aut oppidulis, suis primariis denominata sunt. De hac Masouia *Starovolscius*, *Tota*, inquit, *habet* 45000. *equestrium familiarum*, *& sola Prasniensis regio* 7000. *continere perhibetur.* Vetustissimam autem ait Valerium Romanorum, pro gentiliciis insignibus ceruum gestantem, & tam fœcundam sobole, vt ad duo millia familiarum prope accedat.

Fines. Palatinus. Castellani. Territoria. Familiæ nobiles.

WARSOVIA, Warsau, Varsavia, Warsavia, Masoviæ, seu Masurorum caput, inter 44. & 45. longit. & 52. ac 53. latit. gradum, hactenus comitiis Regni Poloniæ publicis nobilitata ciuitas, ad Vistulam sedet, spatio sic satis amplo cum suburbiis se dilatat, ædificiis partim vilioribus, partim elegantioribus abundat, ac præter plura templa, duo palatia regia, non tamen vsque adeo magna, comprehendit. Cum regni comitia publica celebrantur, tantus hominum est confluxus, vt magna ipsorum pars in campis ante vrbem tentoria sua figere, & ibidem commorari cogatur. Fossa, & duplici muro cincta, & pari fere, quadraginta nempe milliarium interuallo Posnania, et Cracouia distans, atque ita quasi in medio regno sita, duabus constat partibus, veteri, & noua vrbe, quarum illa post Mazouiam a Polonis in potestatem redactam ædificari cœpit, & propriam suam iurisdictionem habet. Vtriusque ædes publicæ & priuatæ multæ quadrato lapide constructæ; suburbia item pulchre ædificata, & oppidulorum instar ipsi vrbis corpori adhærentia,

Situs. Vetus & noua vrbs.

Suburbia. rentia, ac opificibus artificiosis abundantia. Intus magnatum sunt palatia, & regis *Vladislai IV.* villa regia, pulchritudine & amœnitate singulari excellens; colossus item ab eodem Rege in patris *Sigismundi III.* honorem erectus. In Cracouiensi suburbio appellato, quod Cracouiam spectat, versus Viasdoviam sacellum est iussu regio extructum, quod victoriæ de Moschis trophæum, & monumentum continet, sepulchrum *Ioh. Demetrii Suiscii*, vt *Starovolscius* eum vocat, qui magnus dux Moscoviæ, & tot populorum Asiaticorum imperator, vna cum duobus fratribus Gostiniæ in carcere vitam finiuit. Hunc *Stanislaus a Kobierzycko* nominat *Basilium Suiscium*, ac cum fratribus in Gostinensi arce honeste detentum, & dolore, mœstitiaque confectum cum fratre *Demetrio*, custodiæ anno primo diem obiisse narrat. Eorum cadauera, vt idem refert, Warsouiam delata, ac post pactam cum imperatore Moscouiæ pacem, a legatis ipsius, *Vladislai* IV. permissu, in Moscouiam auecta sunt. Porro *Adamus Kysielius* Poloniæ regis legatus, castellanus tunc temporis, ac postea palatinus Kioviensis, Græcæ religioni addictus, anno 1647. *Alexio Michaëli*, cum eidem in imperio Moscovitico successionem gratularetur, marmoream tabulam cum inscriptione, regis sui nomine, donauit, vt idem auctor commemorat. Arx regia, siue palatium Regis, satis spacioso ambitu quadratam figuram format, conditoremque habet Regem *Sigismundum III.* ac versus orientem situm, lapidibus partim cæsis, partim coctis constructum est. In eo cernuntur historiæ ab Italo pictore illo celebri, *Dolabella* pictæ, vt modo laudatus auctor indicat: occupatio nimirum vrbis Smolenscii, & actus ille publicus, quo in comitiis Warsoviensibus exercitus Polonici imperator *Zolkievius*, in senatorum regni, & aulicorum regiorum præsentia, *Suiscium* magnum ducem Moscouiæ regi captiuum tradidit. E regione huius palatii cœnobium occurrit Bernhardinorum in suburbio situm. In veteri vrbe est templum S. *Ioannis* cum canonicatu insigni, fundatum anno 1403. vel 6. a *Ioanne* duce Masoviæ, vt *Martinus Cromerus lib.* 16. scribit. In hoc templo 10. Martii Styli noui, anno 1646. vespertino tempore facta est desponsatio regis *Vladislai* IV. & ducissæ de Nevers, quæ Iasdowæ in palatio, paruo dimidio milliari Warsouia distante, ob regis infirmitatem aliquamdiu commorata fuerat. In noua vrbe duo quoque visuntur templa magnifica, vnum Beatæ Virginis Mariæ, & alterum in canonicorum regularium cœnobio. Extra ciuitatem se spectandum exhibet sacellum S. Trinitatis, vbi emeriti milites aluntur, ac haud procul ab eo sacellum S. Crucis cum xenodochio, vt & aliud S. Spiritus versus occasum, cui ex lateribus, siue lapidibus coctis, constructo, itidem xenodochium adiacet. Palatium regium Iasdowæ vel Viasdoviæ amœnissimum locum occupans, & fere dimidio milliari Warsovia remotum, subiectam Vistulam inspectat, qui fluuius ad Warsoviam satis latus, & profundus, stratus fuit ligneo ponte 1150. passus longo, & a Rege *Sigismundo Augusto* extrui cœpto, ac ab eiusdem sorore *Anna* perfecto. Eius iugum vnum glaciei impetus nimius anno 1603. deiecit, cuius damni reparatu faciiis neglectus effecit, vt pons omnino totus perierit, & euanuerit. Est etiam hic Warsoviæ templum patrum piarum scholarum, in quo repositi sunt cineres *Primi* & *Feliciani*, Sanctorum Martyrum, Regi *Vladislao IV.* Romæ versanti, Papæ *Vrbani VIII.* nomine, a Cardinali *Barbarino* donati. Anno 1607. post comitia regni finita, incendium subitum vrbis magnam partem deleuit. Anno 1647. Vistulæ exundatio hanc vrbem cum vicinis locis haud parua clade affecit. Anno 1655. sub septembris mensis initium Warsouia regi Sueciæ se dedit, qui huius vrbis sine vllius militis iactura potitus est. Arx, & ciuium, qui ex vrbe excesserant, domus, vt ferunt, direptæ sunt: cæteris parcitum est. Sequente anno Poloni vrbem receperunt: iuxta eam sequutum est, 18. 19. & 20. Iulii St. vet. prælium illud memorabile, in quo Rex Sueciæ, & Elector Brandeburgensis vterque præsentes, Regem Poloniæ cum exercitu suo fuderunt. Receptæ Warsouiæ munimenta, & mœnia Sueci deiecerunt. Locus, vbi prælium illud commissum est, in relationibus

Suiscius M. D. Moscoviæ.

Arx Regia.

Templa.

Visu digna extra vrbem.

Palatium extra vrbem.

Pons ligneus.

Res gestæ.

tionibus Prag appellatur, quod nomen tamen in tabulis Masoviæ chorographicis non offenditur.

VISSEGRADVM, Wischegrad ad Vistulam in finibus Plocensis palatinatus, ad Cuiaviam *Cromerus* & nonnulli alii referunt. Anno 1329. Teutonicus ordo a Bohemis adiutus Vissegradum & arcem Naclo vi occuparunt, & igne fœdarunt, ac tandem arce Racianzo potiti sunt. Anno 1370. post mortem *Casimiri* Poloniæ regis, *Zemovitus* Masouiæ dux, hanc arcem cum cæteris, Rava nempe, Gostinino & Sochaczovia, in potestatem suam redegit, vt idem *Cromerus* refert.

CZERVINSCVM, Vissegrado et Vistulæ vicinum, diuite regularium canonicorum Abbatiâ nobilitatur. Czermiensko, et Czermielco in nonnullis tabulis, inueniuntur, in quibus Vissegradum huic loco, ratione fluuii defluentis, præponitur: in aliis tamen subiungitur.

ZAKROCZIMVM territorii sui caput haud procul a Bugi in Vistulam influxu.

PULTOVIA, Pultusk, sedes et domicilium Episcopi Plocensis, et huius vrbis, vt et territorii circumiacentis, domini, cui nobiles subditi sunt, vt Varmiensi Episcopo in Prussia, aut Cracoviensi in Severiae ducatu sui nobiles parent, nec ad Regem appellando causam transferre possunt. Ædes huius loci ex lateribus, aut lapidibus factitiis constant, et arx ipsa admodum elegans in insula, flumine nauigabili Narew circumfusa, scopulo insidet. Vrbem nobilitant collegium canonicorum, templo magnifico ornatum, & Iesuitarum, ac horti & pomaria amœna. Anno 1324. Lituani Masoviam vastarunt, & hanc ciuitatem cum 130. pagis, ac 30. templis exusserunt, eandemque anno 1337. diripuerunt. Anno 1364. aut 65. idem oppidum cum arce incenderunt. *Cromerus*. Anno 1656. Sueci hunc locum occuparunt, quem postea Poloni irrito conatu obsedere.

Episcopi Plocensis ius. *Ædes.* *Arx.* *Narew fluv.*

CAMIENIEC, oppidum in margine fluuii Bugi, & in via, quæ Warsovia per Grodnam viatores Vilnam deducit.

CIECHANOVIA supra præcedens oppidum ad eundem fluuium, quam cum Pultovia anno 1337. *Olgerdus* magnus D. Lituaniæ occupauit, a Masuris postea cæsus. Masovia certe & Dobrinensis regio plurimis inuasionibus & depopulationibus afflicta fuit a Lituanis, qui anno 1285. a *Conrado* Masoviæ duce, in auxilium vocati, *Ladislao* Cuiaviæ duci Gostininum eripuerunt, ac postea ex amicis inimici facti, eidem *Conrado* Sochaczoviam, & Plociam ademerunt, ac vbique incolis magna damna intulerunt.

Olgerdus cæsus. *Masoviæ miser status.*

CZYRSKO, Czersko, supra Warsoviam in Vistulæ ripa, locus nobilis periculo ingenti, in quo versatus est, mense Martio anno 1656. *Fridericus* Marchio Durlacensis, qui a Polonis ad angustias redactus, in collapsum quoddam, & vetus propugnaculum euadens, ædificiis circumiacentibus incendio deletis, ne hostibus vsui forent, se tamdiu defendit, donec ab ipsis relictis, non tamen sine magno discrimine Warsoviam elapsus est.

Friderici Marchionis Durlacensis periculum.

STENZYCIA, Stęzycz, infra introitum Wieperz fluuii in Vistulam, locus nobilis conuentu Rokossianorum, siue Polonicæ nobilitatis, quæ anno 1606. & 1607. in hoc loco congregata, literis Warsoviam missis regi, difficultates regni significarunt.

Rokossiani.

VARKA vel WARKA, ad Piltzam fluuium in Sendomiriensis palatinatus confiniis oppidulum optima cereuisia nobile, a quo Warsoviam 7. milliaria numerantur. Anno 1656. a Suecis occupatum, & vt fertur, exustum est.

PODLACHIÆ PALATINATUS, siue PODLACHIA, vel Podlassia, inter Lituaniam, Poloniam minorem & Masoviam interposita, a duobus senatoribus, palatino, & castellano regitur, in spiritualibus tota Luceoriensi Episcopo subest, & in tres districtus Drogiczynensem, Mielnicensem, & Bielscensem diuiditur.

Fines. *Senatores.* *Districtus.*

AVGVSTOV, Augustowa, ad lacum ex quo Biebrza fluuius in Narev amnem descendit, regi *Sigismundo Augusto* conditori nomen debet, & ducalis Prussiæ fines versus occasum inspectat.

KNYSSINUM, Cnyſſin, oppidulum inter paludes ſilueſtres, vbi regium viuarium eſſe *David Frœlichius* docet. In Chronicis Brunſwicenſibus fol. 141. legere eſt, quod *Sigiſmundus Auguſtus* Poloniæ Rex et magnus dux Lituaniæ 7. Iulii anno 1572. in oppido Lituaniæ Kniſſyn diem obierit. An hic, an vero alius locus ſit, hactenus nobis certo non conſtat.

Regis Sigismundi Augusti mors.

Palatium.

TYKOCZYNUM, TYKOCZIN oppidum nobile palatio eleganti inter paludes loco munito ſedente, & exſtructo a *Chriſtophoro Vieſiolovio* magni ducatus Lituaniæ curiæ Mareſchalco. Ad fluuium Narew ſitum habet. *Auguſtinus Limmerus in relatione Lipſienſi anni 56.* narrat, quod hic locus a præſidio Radivillio, quod duas oppugnationes validas ſuſtinuerat, ſtrenue defenſus, 9. ſeptimanarum obſidione, qua Poloni eum tentauerant, liberatus ſit, 3. Iulii eiusdem anni a *Bogislao Radzivilio* & *Duglaſſio*, Suecici exercitus præfecto, qui haud exigua clade Polonos affecerunt.

Polonis damnum illatum a Suecis.

BIALOSTOCUM, Tycocino 4. milliaribus remotum, caſtellum pulcherrimum cum templo elegantiſſimo ſecundum *Starovolſcium*.

Caſtellum pulcherrimum.

SUPRASLUM, paulo inde longius in ſiluis ditiſſimum monaſterium Ruſſorum, in quo Monachi S. Baſilii ſub obedientia eccleſiæ Romanæ habitant, vt laudatus auctor notat.

Monaſterium diues.

SURASIA, Saraſi, oppidulum ad fluentum Narew, aliquo ſpacio ſupra Tycocinum.

VYSOKIE, Wiſſokie, a Drogyzino verſus ortum in finibus Poloniæ, ſeu Breſcianenſis palatinatus.

BIELSKO, Bielſco, territorii ſui caput ad fluuiolum Bialam, in Narev flumen inde defluentem, & oppidulum fere medium inter Suraſiam, & Viſokiam, quod lignea tantum ædificia habere dicitur.

Biala fluv.

DROGICZYNUM, Drogiczynenſis territorii primarium oppidum in Bugi fluminis margine.

MIELNICUM, cognominis territorii caput ſupra præcedens oppidum in eiusdem fluminis ripa.

DOBRINENSIS TERRA inter Cuiaviam, Pruſſiam, et Plocenſem palatinatum intereſt, ac in tria territoria, Dobrinenſe, Ripinenſe, et Libnenſe diſpertitur. Senatoribus Regni tribus obedit, caſtellanis puta Dobrinenſi, Ripinenſi, et Slonenſi. Sæpe dominos mutauit, modo ordini Teutonico, tum Poloniæ regibus, poſtea ducibus Oppellenſibus, mox iterum Teutonico ordini, ac tandem Polonis ſubiecta: ſiluis fructuoſis, et lacubus piſcoſis affluit.

Fines.

Territoria. Senatores.

Dominorum crebra mutatio.

DOBRZIN, Dobrinum, ad Viſtulam inter Plociam & Wladislaviam ſcopulo impoſitum locum: *Cromerus* modo arcem, modo oppidulum, *Bertius* oppidum nominat, qui & oppidula Slonicum, Ripinum, ac Gorzno ad eam pertinere dicit. *Conradus* Maſoviæ Dux Teutonico ordini hæreditario iure poſſidendam hanc vrbem cum tota ditione ad eam pertinente conceſſit, licet eius poſſeſſio poſtea ad Polonos ſe deuoluerit. Die quodam Solis anno 1286 cum concioni ſacræ intereſſent incolæ, Lituanos & Pruſſos hanc vrbem inopinato impetu oppreſſiſſe, diripuiſſe, incendiſſe, ac incolarum magnam copiam interemiſſe, *Cromerus lib.* 10. narrat. Arcem huius loci an. 1328. Polonis deditionę eripuit Teutonicus ordo, qui poſtea flumine tranſmiſſo Wladislaviam obſedit. Eandem an. 1409. iterum occupauit, & arces Ripinum & Lipna diripuit. An. 1431. totam hanc regionem, vt & totam Cuiauiam miſere vaſtauit.

RIPINUM, Ripinenſis diſtrictus præcipuum oppidum.

LIPNA ſui cognominis diſtrictus caput.

SKOMPE oppidulum, Skampe *Cromero lib.* 10. vbi cœnobium Minoritarum imagine Beatæ Virginis Mariæ miraculoſa celebre.

Imago B. Virginis miraculoſa.

CIVRTZNO oppidum Epiſcopi Plocenſis, vbi 9. 19. Februarii anno 1629. *Ioannes Wrangel* Suecici exercitus imperator, Polonos inſigni clade affecit.

Poloni a Suecis cæſi.

FINIS.

XIV.

POLONIA DEFENSA CONTRA IOANNEM BARCLAIVM,

VBI, OCCASIONE ISTA, DE REGNO GENTEQUE POLONA MULTA NARRANTUR, HACTENUS LITTERIS NON TRADITA.

DANTISCI,
SUMPTIBUS GEORGII FORSTERI, S. R. M. BIBLIOPOLÆ.
ANNO MDCXLVIII.
Cum Privilegio S. R. M. Poloniae & Sueciae.

PRÆFATIO.

Indignanti mihi saepius, tam contumeliose descriptam, aut traductam patius gentem nostram a Ioanne Barclaio, in libro, cui nomen ICON ANIMORVM; *Deinde vera accusanti iniuriam non vindicantium hucusque patriam calumnia tanta atque impostura: Reposuere quidam, vt praestarem ipse, quae ab aliis requirerem, subiremque eum laborem, quem honori & gloriae gentis nostrae tam necessario putarem impendendum. Detrectaui aliquoties operam, ea quod serum nimis videretur, pridem scripta nunc demum refellere; sed contra institere: librum quemcunque nouum semper esse primum legentibus: neque negligentiam imitandam eorum, qui non responderunt recens euulgata: Nec differri debere amplius responsum: cum & silentium non reiectae hucusque calumniae potius in argumentum agnitionis, quam spretae malignitatis trahatur; Et auctor, nobis tam iniquus, alliciat ad lectionem multos, lenocinia styli, non eruditi certe aut virilis, sed tamen vana specie atque copia, iudicio quarundam amoeni, aut potius luxuriantis. Nempe, postquam a verbis & imitatione antiquorum penitus abstinendum sibi esse duxit, adeo a veteri, id est, vera & propria locutione abiit, vt pigmentis omnibus consumptis, fucum tantum obiecerit imperitis, & ignaris verae eloquentiae censoribus. Subeo igitur his de caussis, non illam haeresi infamem, sed innoxiam hanc alteram* εἰκονομαχίαν, *ostendamque facile, quae de nobis dixit, falsa & commentitia vt plurimum esse, & aut imperite ac temere, aut maligne ac contemptim scripta. Verba autem eius vno conspectu praemittam, mox partitim omnia expendenda.*

 IOANNES

(156) Auctor huius libri elegantissimi est *Lucas* comes *Opalinski*, ex antiqua prosapia oriundus, qui fuit primum succamerarius Posnaniensis; deinde Mareschalcus curiæ Regni, tempore Regis *Ioannis Casimiri*. Patrem habuit *Petrum Opalinium*, palatinum Posnaniensem, matrem *Sophiam Kosciczankam*, *Christophori Kostkæ*, capitanei Kiecensis filiam. Frater eius fuit *Christophorus*, Palatinus Posnaniensis, cuius filius *Ioannes Carolus* comes de Bnin *Opalinski*, castellanus Posnaniæ, procreauit ex *Sophia* comite *Czarnkowska*, *Catharinam*, Reginam Poloniæ, *Stanislai*, Regis Poloniæ & Ducis Lotharingiæ consortem, matrem Reginæ Galliæ. Doctissimus fuit Poloniæ Mæcenas auctor noster, variarum Europæ linguarum, atque adeo, quod rarum in Polonia, Græcæ & Hebraicæ gnarus. Multas adolescens Europæ visitauit Academias, & cum eruditissimorum virorum, tum optimorum librorum accuratiorem acquirens notitiam. Sagax etiam fuit ac prudens regni minister, Regi suo semper fidelis. Mortuus a. 1662. Ex vxore *Isabella Teczynska*, Ioannis palatini Cracouiensis filia, progenuit filios *Stanislaum*, gubernatorem vel præfectum nouæ ciuitatis, & *Ioannem*, regni pocillatorem, filiamque vnicam, *Sophiam*, quæ *Stanislao Lubomirski*, Mareschallo regni, nupsit. Præter Poloniam defensam edidit sub nomine PAULI NAEOCELII, id est, literis transpositis, *Lucæ Opalinii, de officiis libros tres, in quibus Sapientiæ Christianæ, id est, moralis philosophiæ, iurisprudentiæ, imo & theologiæ pleraque & præcipua, noua hactenus ratione atque methodo accurate explicantur. Cracouiæ in officina typogr. Viduæ & heredum Francisci Cezary. A. 1659.* in fol. 317. paginæ, qui liber aliquoties iterum typis exscriptus postea fuit, nempe Amstelod. a. 1668. in 12. cura Andr. Maximil. *Fredro*, castellani Leopoliensis, & Passauiæ a. 1709. in 8. Contra præscriptiones, in his officiis contra heterodoxos occurrentes scripsit *M. Aug. Melchior Heydenreichen*, Francofurtanos, quod scriptum Ienæ an. 1677. in 4. prodiit. Has præscriptiones contra heterodoxos, eundem esse librum, quem *Niesiecius* sub titulo: *de causa hæreseos ac remediis eiusdem*, opus posthumum ac deperditum credidit, accurate annotat celeberrimus noster Can. Ianocius in relationibus de Bibliotheca Zalosciana part. III. p. 96.

IOANNES BARCLAIVS IN ICONE ANIMORUM

CAPITE OCTAVO.

Hungariæ a ſeptentrione Polonia eſt, inde ad Oceanum procedens Ruſſiæque contermina. Tot ſpatiis diffuſa regio pæne nullibi in montes aſſurgit: & a planitie factum nomen, quam Scythico verbo *Pole* apellant. Campi in immenſum patent, quos nix altiſſima hyeme obruit: hac diſcuſſa ſegetes creſcunt, non in indigenarum tantum vſus, ſed & mari delatæ, per multa Baltici littoris ſpacia, ſterilibus fundis annuæ opem ferunt, ſæuæ hyemes terram fluminaque aduinciunt, quia violentia Aquilonis, nullis montibus repercuſſa, liberum vt in pelago cælum rapit: accedit ſeptentrionis vicinia, & ibi emoriens ſolis vis, præſertim cum receſſit ad brumam. Natura ſubſidium admouit profundiſſimas ſiluas, quæ & in ignem datæ frigus exbellant, & in ſuis præterea vmbris animalia alant, quorum pelles fulciendis veſtibus precioſiſſimæ habentur. Hac duplici ope vtuntur in hyemem. Alio quoque commodo ſuis ſiluis obnoxii. Quippe alicubi immenſa examina apum feruent. Agreſtia illa ſunt, nec cuiusquam cura aut paſtum aut tecta accipiunt. Vacuis quercuum ramis aut truncis inhærent; ibi cereas domos extruunt, & optimo melle implent. Hinc ingens facilisque in regionem prouentus. Ceram mercatores deuehunt; ipſi melle conficiunt potum, quem in deliciis habent. Flumina paludesque, plus iuſto quasdam prouincias obruunt, adeo vt æſtate vix poſſint adiri, concretis per hyemem vndis curricula habent, quæ lubrica glacies facile euoluit: ita per regionem feruntur: & hoc eſt commercii tempus, quo externi ad eos commeant; ceramque & pelles mercantur, ac ſi quid præter ea ſub tam rigido cœlo in precium naſcitur. Plerumque lapides extruendis domibus deſunt, Lignis ad parietes vtuntur, ſtramentoque operiunt, præterquam in celebribus oppidis arcibusque optimatum, quantum illa regio ferre poteſt, excultis. Polonis vt plurimum dura vita, cœlo aſpero, nec populi moribus factis ad noſtri ſeculi venuſtatem, & hinc aliquando ſæuiora ingenia. Diuerſoria peregrinos excipiunt, longe a noſtrarum terrarum ratione. Deducuntur in ſedem, quæ inanis, & plerumque perfoſſis ad accipiendum lumen parietibus, ventis quoque & hyemi patet, nulli quibus decumbant lecti, non

erecta

erecta ad epulas mensa, longo ac multiplici clauo paries fixus est, illic hospites sarcinas quas habent in ordinem appendunt, multo deinde stramento sternitur solum; & hoc in illis diuersoriis pro toro est. Itaque per illam regionem processuri ad iter ita se comparant, quasi domum circumducant. Cibos & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant, vt nudis illis tectis excepti sua supellectile, & famem & frigora arceant. Gens est ad ferociam, & licentiam nata, quam vocant libertatem, adeo vt infandæ barbariei legem multis seculis ibi solemnem, vix nunc demum omiserint; Ea scilicet cauerant; vt qui hominem peremisset, solueretur metu iudiciorum, si in iacentis cadauer proiecisset pauculos nummos, quorum numerus eadem lege destinabatur. Nec tam vile fecissent humanæ vitæ precium, nisi sui genii impetu pro leui facinore haberent, humanum cruorem prodigere. Ipsum nomen non tantum seruitutis, sed & iusti ac legitimi regni oderunt. Rex ad patrias leges vi & armis adigitur. Nobilitas tristibus prærogatiuis se ipsa donauit, quibus possit sibi inuicem & impune nocere, quippe Principi non satis iuris est, vt, quod peccauerint, ipse vindicet. Maxime sibi credunt; nec maior libido est libertatis in moribus vitaque inciuili, quam in religionum & cœlestium rerum sensu; de quibus, vt placet, sine metu, & sentire volunt, & loqui: scilicet immani fiducia sui, quibus sapere alieno ductu pudet. Hinc in diuersa hodie scissæ mentes, errorumque omnium lues, quicunque antiqua secula polluerunt. Quisque in suæ familiæ laudem intentus est; præsertim si in exteros incidit, & expertes suarum fortunarum. Sæuire quam decipere promptiores, & ipsi magis fraudibus, quam vi, patent.

Hæc de nobis Barclaius. Et pauca quidem ad iconem animorum, multa vero nimis ad calumniam & opprobrium gentis nostræ. Singula vt pensitemus, ait in primis:

Hungariæ a septentrione Polonia est; inde ad Oceanum procedens Russiæque contermina.

Ieiuna profecto est nimis atque imperita hæc descriptio Poloniæ, quo ad situm, amplitudinem, limitesque eius. Quam tamen leuiter notasse sufficiat. Ne enim rigidus exactor videar, veniam dandam arbitror auctori, cum toto hoc scripto geographicam diligentiam non curasse videatur, animos potius populorum quam regionum situm describens. At sciat hoc tamen lector, quicquid a Baltico littore, & Germaniæ limitibus, tum Carpato monte, ac Tyra fluuio, inde vero campis Ponto Euxino adsitis, ac demum vltra Boristhenem amnem Moscoviæ termino, ingenti prorsus terræ marisque ambitu includitur, id, inquam, totum Regni Poloniæ nomine censeri. Neque recensebo singillatim prouincias, quæ & quando in hoc corpus communis iam populi coaluere, separatum volumen requirit hic labor, præstandus aliquando patriæ, quando hactenus pauca de nobis, eaque multis erroribus referta Geographi prodidere.

Tot spatiis diffusa regio pæne nullibi in montes assurgit.

Non est montosa Polonia, nisi qua Hungariæ aut Volochiæ adiacet, & pau-

cis præterea locis. Tatri autem, Carpatei, Biesciadicique montes longo certe tractu protenduntur, altitudine Alpibus, aut Pyrenais, non impares.

Et a planitie factum nomen, quod Scythico verbo *Pole* appelant.

Deriuatio & originatio hæc nominis nostri, quanquam multorum consensu recepta, merito tamen suspecta est. Quis enim dixerit, populum ex tam leui causa nomen sumpsisse, sibique vltro indidisse? Nam non ab externis impositum hoc ipso fatentur, dum illud a vernaculo nobis verbo deducunt. Vnde probabilior illa mihi videtur, quam Cromerus a Lecho deriuat, et Polakos ait dici, quasi posteros Lechi. Cum omnibus fere nationibus commune sit, ab insigni aliquo et celebri duce nomen ducere: Aut quam opinio quorundam assignat, dum a Latinæ ecclesiæ communione nos Lachos vocari a Russis, qui Græcae adhaeserunt, etiamnum constet, vnde po Lacku significat, secundum Latinum ritum. Et hinc appareret nouitium hoc nomen genti, et vna cum Christiana religione cœptum, cuius certe antiquiores scriptores nusquam meminere. Sed cur Scythico verbo *Pole* nos vocari dicat Barclaius, cur non potius Slavonico? & vnde didicerit, Scythicum istud esse verbum? Ego certe nescio. Profecto ariolatur, &, *iam inde a principio probus*, innuit, nos Scytharum genrem esse. Atqui vt hunc primum errorem eius ostendam, non pigebit pauca adferre de gentis nostræ origine. Bastranas, Peucinos, Venedos, eas terras incoluisse, vbi nunc Polonia vtraque, & Russiæ nigræ pars est, ex Strabone, Plinio, Tacito discimus. Et Philippus Cluverius, exactus sane Geographus, apertis argumentis deducit Bastranorum, Peucinorumque terminos fuisse istos, *Vistulam*, *Aprum omnem*, vulgo Wieprz, *a fonte eius linea ducta ad Tyram* (seu Dniestr) *tum Pontum Euxinum. Istrum* (id est Danubium) *ad Hurassi* (id est Druthi) *confluentem, & hinc Hierassum, tum Carpathum ad fontem Vistulae, v que ad Oppidum Osvvzecim.* Hæc Cluuerius. Venedi porro fuerunt, vbi nunc maior Polonia & Prussia est, ad ostium Vistulæ & mare protensi, vnde Venedicus sinus. Satagit quidem idem Cluuerius ostendere, Bastranas Germanos fuisse, sed frustra. Firmiter enim assero, quidquid a mari Adriatico, Græciæ veteris, id est, Macedoniæ terminis, tum Ægei maris littore, Propontide, Ponto Euxino, Caucaso monte, Caspio mari, inde ad Obium amnem linea ducta; tum vero mari & Albi fluuio, qui veteris Germaniæ terminus fuit, ac denique Danubii parte, gentium nationumque includitur, vnius olim fuisse originis. Causas assertionis meæ habeo istas. Primo Liuius Bastranas a Philippo Macedonum Rege accitos ad Italiam populandam dicit, facilemque illis ad mare Adriaticum accessum per Scordiscos, eam ob causam ponit, *quia nec aut lingua aut moribus abhorrerent.* Porro Scordiscorum situs est, inter Danubium & Savum versus Illyricum protensus. Deinde eosdem Bastranas Thracibus permistos dicit Strabo libro septimo, & Pomponius Mela ab Illyrico cœptam oram ad Istrum Pontumque *ab vna gente*, dicit, *habitari, sed aliis aliisque praedita & nominibus & moribus.* Et Sextus Rufus, qui vixit tempore Valentiniani, totum fere istum tractum adscribit Illyrico, cuius septemdecem prouincias ponit. Et denique omnes istos populos Græciæ finibus, & tum Istro ac Ponto adsitos, nempe Dacos, Mæsos, Thracas, Pannonas, Getas, tum vero Sarmatas, velut vnius nationis, historici omnes & geographi veteres recensent, & Scythici generis esse, falso quidam dicunt, vt infra patebit, sed tamen hoc ipso testantur gentis eiusdem fuisse. Tertio vrbium nomina, quæ a veteribus illo in tractu ponuntur, idem ostendunt. In itinerario Antonini Augusti inuenio Thraciæ vrbem Orudysza, qua terminatione, non posse inueniri puto nomen, in alia lingua, præterquam Slavonica. Et S. cum Z. coniunctim efferre aliis populis insuetum, frequentissimum Slavis, & præsertim Polonis. Iam apud Ptolomeum in Mæsia vrbs Dausdava, in Dacia Zirdava, quali terminatione ab eodem prope Tyram ponuntur Carsidava & Petridava.

Plautus pseud.

Lib. 3. Cap. 43. Germaniæ antiquæ.

Lib. 40.

In Breviario Rerum Rom.

Et

Et ad Hierassum fluuium (id est Pruthum) Zargidava Tamsidava. Et in tabula Peuringeriana ad montes Bastranicos, id est Carpatum, Zagadava & Calidava. Cuius desinentiæ & nunc in Poloniæ prouinciis multa oppida inueniuntur. In Dalmatia etiam eiusdem Peutingerianæ tabulæ lego oppidum Bierzumno, & aliud Pardua, quæ Slavonica esse apertum. Alia porro vocabula non mirum est Latina aut Græca videri, etenim pronuntiatione primum ab illis viriata, postmodum scripto in terminationes Latinas vel Græcas traducta: Aut nouis etiam oppidis noua imposita, quæ per colonias a Romanis deductas, plurima fuisse condita certum est. Possem & quartum argumentum a moribus petere, illosque gentibus istis communes referre, vt equorum & arcus peculiarem & proprium illis vsum. Sed immorari diutius taedet, et satis me puto firmis argumentis omnium istorum populorum originem communem aut cognationem ostendisse. Id est, Illyriorum, Tracum, Bastranarum, Getarum, Sarmatarumque. De reliquis vero septentrionem versus gentibus, id est, Russis, aut Rusacibus, nullum est dubium. Nunc vero vt eosdem populos a Scythis diuersos ostendam, sufficere puto vnicum, sed validissimum certe, et quod totam hanc causam continet atque conficit, idiomatis ac sermonis argumentum. Nulla enim re melius gentes, aut eiusdem esse originis, aut diuersae, agnoscuntur, quam lingua, quae vere vinculum est nationum, et certissima generis eiusdem nota ac tessera: praesertim si antiqua sit, et nulla mixtione migrantium populorum corrupta. Talis autem est, quam nunc primigeniam maxima parte retinent gentes, eo quem posui ambitu contentae. Praecipue autem Russia et Moscovia. Nam et nulli Historici eo nouis populis narrant demigrasse. Et non est probabile, tam incultas, tamque desertas regiones ab aduentitia aliqua gente, pulsis veteribus et primis colonis, occupatas. Quis enim credat aut putet, loca vix quindecim gradibus a polo arctico dissita, nuper vero detecta nauigationibus Hollandicis (quarum Diarium nauticum Amstelodami Anno MDXCVIII. editum, vidi ipse et legi) a longinqua & peregrina aliqua natione petita fuisse? certe nihil eam potuit allicere, et scimus semper cultas ac vberes prouincias ab incursionibus egentium et inopum populorum, impetitas, non vero e contra. Vnde certum est, gentes quae ibi sunt, aborigines, vt ita dicam, esse, et a prima terrae illius occupatione, continua successione propagatas; Porro, illae lingua Slavonica vtuntur, quae, antiquissima et congenita illis, cum nihil habeat cum Scythis aut Tartaris, quanquam sibi conterminis, nec cum Turcis, Persis, Arabibus commune (qui omnes nunc sunt veri Scythae, eiusdem fere sermonis commercio coniuncti) nullaque prorsus vestigia verborum eiusdem notionis; Profecto sat aperte ostendit, diuersæ nos omnino gentis ab illis esse, cum plane diuersilingues simus; Neque mouere quenquam debet veterum auctoritas, qui Sarmatiam cum Scythis confundunt, & passim omnes septentrionis populos Scythas nominant. Notum est enim quanta imperitia geographiæ antiquis harum præsertim regionum fuerit, scimus quam falsa, quam diuersa, tradant, misceantque. Porro quemadmodum nuperis nauigationibus occidentem versus detectæ terræ in vniuersum Indiæ nomine vocantur, partitim vero quædam, ad arbitrium inuentorum, insignitæ sunt: Ita Græcos a conterminis Asiæ Scythis, omnes retro gentes septentrionem versus appellasse Scythas, Strabo autor est lib. 1. quasdam vero non proprio ipsis & peculiari nomine, sed prout libuit, aut ab aliqua nota indigitasse probabile est. Ita enim perpetua geographiæ fraude fit, vt externi imponant nomina populis, neque vera, aut ipsis propria, ac vernacula inquirant. A Græcis vero Romani *quoquo modo tradita pro compertis habuere.* Cum itaque apud veteres geographos, nulla exacta inquisitio apparet, sed temeraria tantum & incuriosa assertio, nullis rationibus & argumentis fulta, ideo non curandum est, quid ipsi nugantur.

Tacitus.

——— *Et quidquid Graecia mendax*
Audet in Historia —

Cuiusnam ergo (inquies) sumus originis, quæ gens, quæ natio? Dicam quid sentio. Omnem illum ambitum terræ, quem supra definiui, & gentes illas, quas vnius linguæ vinculo dixi contineri, vniuersale & genericum quondam nomen habuisse puto, sed incuria scriptorum ignotum nobis. Nam quod KRANTZIUS dicit, Vandalorum nomen commune his populis fuisse, id certe minime comprobat, neque mihi persuadet, & apertissimis a CROMERO nostro refellitur argumentis. Certe dum ego omnia expendo, video omnem istam gentem quadrifariam diuidendam. Nempe in Slavones, Getas, Sarmatas, ac Russos. Slavonicum nomen illustre quamuis ac gloriosum (gloria enim & fama nobis SLAWA est) non tamen vetustioribus scriptoribus ante cognitum, quam cum in Romanas prouincias irruptionibus cœperunt inclarescere. Certe primi eius meminere Iustinianeæ Historiæ scriptores, PROCOPIUS nempe Cæsariensis, & IORNANDES Alanus. Nam constat testimonio & illorum, & GREGORII primi ad Episcopos Illyrici scribentis, Slavos quingentesimo quinquagesimo fere post Christum anno, Illyricum, Thraciam, Mæsiam, Dalmatiamque inuasisse, & ibi sedes posuisse gentis, quæ nunc Slavonica ibidem est, & cognomine & sermone. Quamuis enim illorum populorum antiquitus communem esse dixi originem, tamen ita in mores linguamque Romanam, primum coloniarum deductione, postea vero communione ciuitatis, transiuerant, vt vix vlla vestigia priscæ gentis retinuerint. Itaque cultura & opulentia, facile imitarunt, quamuis consanguineos olim populos, ad sui vastationem & occupationem. Huic nomini præcipue accensendi sunt, præter illos, qui in Romanas migrarunt prouincias, auitis sedibus manentes Poloni. Tum vero qui in Germaniam transgressi, Moravi, Bohemi, Silesii, Pomerani, quos omnes Slavones esse, multi multis argumentis iam comprobauere. Et vel antiquissima his populis cognomina testantur, Venceslai, Vladislai, Stanislai, Boleslai. Vrbium quoque appellationes, vt Vratislavia, Iaroslavia, Preslavia, Braslavia, aliaque complura eiusdem terminationis oppida. Getæ sequuntur, seu Thraces, quibus vetus Pannonia, Mæsia, Dacia, & totus Illyrici tractus adscribendus.

Ovid. de Ponto. Lib. 1. Eleg. 5.

Quaeque aliae gentes vbi frigore constitit Ister
Dura meant celeri terga per amnis equo.

Has vero, vt dixi, nationes multum immutauit Romana inprimis dominatio, tum vero irruptio Hunnorum Scythicæ gentis, & denique Turcici imperii variæ coloniæ. Getarum vicina gens tertia, Sarmatæ, quorum veri limites fuerunt isti, (quanquam hæc confundant geographi) ab occidente Boristhenes, nunc Dniepr, a meridie Pontus Euxinus, Caucasus mons, & mare Caspiom, tum vero ab ortu Rha fluuius, qui nunc Volga. Idemque ad septentrionem deflectens fere totam Sarmatiam ambiebat, & a Russia secernebat. Quæ quarta & vltima est gentis portio. Cuius incolas veteres geographi Riphaces et Riphæos, et Roxolanos vocant; Eâque continetur alba Russia, et Ducis Moscoviæ ditiones, et septentrionales illæ vsque ad novam Zemlam regiones. Hæc igitur gens est quadrifariam diuisa, quam si vocaueris a principali nomine Slavonicam, non errabis. Illa autem nihil cum Scythis habet commune, quos vltra Europæ terminos, ad Asiaticos nempe populos relegamus, certis ac apertis limitibus ab illis diuisi, lingua omnino dissimiles, moribus, et (quod maxime notandum) religione plane dispares et aduersi. Machometanam enim Turcæ, Tartari, Saraceni, Parthi seu Persæ, Arabes, aliique cognati sibi populi auide ac vnanimiter hauserunt, Slavones vero aut Russi, quamuis contermini Scythiæ, detestantur: constantissime post abolitum paganismum Christianæ (quanquam non sine Schismate) adhaerentes. Addo vero, nullam linguam latius patere Slavonica, quod facile agnoscet, qui ab

Adriatico

Adriatico mari ad nouam Zemblam (quod nomen Slavonicum plane est, et nouam terram denotat) qui, inquam, tractum hunc maximum menfis fuerit. Plura nunc non addo, et hanc curam sepono, exacte magis & vberius aliquando impendendam. Subdit Barclaius.

Campi in immensum patent, quos nix altissima hyeme obruit.

Omnia hic et multo magis infra ad conciliandum vituperium aucta inuenies. Altissimam niuem Moscouia habet, nos saepe adeo illa non obruimur, vt aduersus frigoris vim, tegi campos et sationes tutari exoptemus. Et profecto quoties nobis niualis est hyems, Germania illam non minus experitur. Quinimo nihil frequentius apud Historicos veteres legas, quam niuem Gallicam, dici velut illis propriam, ita vt in prouerbium venerit, et Petronius παροιμιακῶς dicat: *frigidior et niue Gallica*. Et Florus, *Gallos habere quiddam simile cum suis niuibus*, dicit. *quippe primos impetus eorum acres, sed qui mox, cum pugna caluere, velut niues sole liquantur.* Lib. II. cap. 4.

Hac discussa segetes crescunt, non id indigenarum tantum vsus, sed & mari delatæ, per multa Balthici maris spatia sterilibus fundis annisue opem ferunt.

Decuimne vero almam et fecundam Cererem nostram, illam tot terrarum, tot populorum altricem, tam exili ac festina, immo vero, tam infida mentione præterire, & leui nimis præteruolare penna? Quam pauca hæc, quam tenuia, quæ de illa memorat? Dicit per littora tantum Balthica, idque sterilibus fundis & annis illam opitulari. Atqui culta illa tot vrbibus, tot oppidis Batavia, quæ Balthico certe non alluitur mari, nostro potissimum pane victitat. Atqui velut olim Sicilia, ac postmodum Ægyptus, populo Romano annonam alimentaque præbebat, ita nos horreum non Bataviæ tantum, sed multarum sumus nationum. Cum certum sit in Hispaniam quoque & Italiam deferri messes nostras, & frumentatione ista magnam Europæ partem ali ac sustentari. Et vt scias, qua copia & quanta vbertate; audi quæ hac in re comperta habeo. Constat mihi, hyeme decedente, cum nempe liquatis niuibus auctus Vistula faciliorem nauigationem præstat, vno appulsu quinque millia nauium Dantiscum secundo flumine aliquando venisse. Et, vt fatear, raro vernum defluxum tam copiosum esse; sed cum aliquoties, prout amnis intumuit, nauigatio repetatur, non quidem semper pari nauium numero, sed tamen magno satis: puto me dicturum minus, quam res sit, si quatuor millia nauium ponam, computando insimul rates seu trabes connexas, quibus etiam plurimum vtimur. Porro nauis oneraria, quales Vistula deuehit, cum maxima est, capit medimnos Romanos veteres (hac enim vtar mensura) bis mille ducentos, cum minima mille. Et, vt quam proxime omnes exæquemus, facile quælibet earum censeri poterit, mille quingentorum medimnorum; Quæ summa excrescit in sex milliones medimnorum. Cum vero medimnus fere (vt inter summum infimumque pretium ponam, & triticum cum siligine alioque grano exæquem) veneat medio nummo Imperiali, quem talerum vocamus; Prouentus anni vnius, vno ex portu, erunt tres milliones talerorum. Iam vero sciendum est, Dantiscum non deuehi frumenta, nisi e vicinis & adsitis Vistulæ regionibus, aut ab accolis aliorum fluminum, quæ eundem Vistulam intrant. Ita vt vix tertiæ partis Poloniæ sit iste prouentus, cum in Silesiam quoque ac Pomeraniam conterminam, antequam vtraque prouincia esset bello tam exhausta ac deserta, plurimum frugum inferretur: Neque ad rationes istas, nisi exigua pars Russiæ pertinet. Quæ miræ & insuetæ omnino fertilitatis, adeoque alendis & augendis seminibus idonea, vt non modo centesimum fructum (quod de Ægypto Plinius) reddat, sed quod admirandum plane est, vna satione, binam messem (ex deciduis nempe spicis alteram) quandoque adferat.

Horat. lib. 3. Ode 24. *Nec cultura placet longior annua.*

Nec opus est, vt alter Poëta inquit, *pingui fimo saturare solum.* Sed subactum vtcunque aruum, iniectamque sementem, præciso arboris ramo occant, & vberrimum inde referunt prouentum. Cum autem tam ferax ac fecunda regio, affluentiam annonæ, nec ipsa depascere, nec alio deferre queat, fit, vt vilitas eius plerumque sit maxima. Iam Lituania, quae Magni Ducatus nomine audit, ferax & ipsa, frumenta partim Chronone, quem Niemen vulgo vocant, partim Duna (qui Ptolomeo est Ruben) fluminibus deuehit, idque ea copia, vt ex portu Pilauiensi, certa fide cognitum habeam, quindecem millia *Lastorum*, exteris negotiatoribus vendita. *Last* vero continet medimnos fere quinquaginta. Et ex portu Memelensi sementis lini viginti tria millia tinarum, seu doliorum (nam id genus ibi est mensurae, continens fere medimnos duos & semissem.) Haec ergo paucis descripta vbertas, clare satis ostendit, quantum a vero abiuerit auctor, dum illam tantum littori Balthico opem ferre dicit. Iam autem, quae de hyemis atrocitate subiungit, expendamus.

Sæuæ hyemes terram fluminaque aduinciunt, quia violentia aquilonis, nullis montibus repercussa, liberum vt in pelago cælum rapit: accedit septentrionis vicinia, & ibi emoriens Solis vis, præsertim cum recessit ad brumam.

Equidem clima nostrum cum Italiae situ non compono, et hyemem non nego multo nobis acriorem esse. Sed vt apud nos sit saeuitia eius maxima, id vero nego, & Germaniae pleraeque non minorem dico, aliisque populis aeque ad septentrionem porrectis. Superat vero frigore Suecia & Moscouia multo magis borealis. Sed verba Barclaii videamus. In primis dicit *terram fluminaque hyeme vinciri.* Quid autem istud miri aut magni est. nonne hoc plerisque Europæ populis commune? Certe præcipuos eius celeberrimosque amnes, Rhenum & Danubium, *per hymem sic gelascere*, dicit Herodianus ex versione Angeli Politiani, *vt camporum in morem perequitentur. Esse autem adeo solidam firmamque glaciem, vt non pedibus modo vngulisque hominum & equorum subsistat; sed qui hausturi aquam sunt, non tam vrnas & vasa secum adferant, quam secures & dolabras, vt excisam aquam, quasi lapidem, sine vllo vase asportent.* Certe Plinius Panegiristes, eundem Danubium, dicit, *ripas gelu iungere, durotumque glacie ingentia tergo bella transportare.* Sed nempe acrior apud nos duas ob causas hyems, ob septentrionis viciniam, & camporum planitiem. Ista quam imperite dicantur, non mihi, sed omnibus credi volo geographis, quorum consensu Poloniæ situs ponitur eodem, cum parte Galliæ, & Belgio, climate; ita vt Cracovia, Metropolis nostra, vix vno gradu latitudinis Lutetiam Parisiorum superet, ab Antuerpia autem superetur; & Anglia, Hollandia, multo vero magis Scotia, ac Dania, ad gelidum accedunt axem niualemque Arcton. Iam quo ad causam alteram, physiologia item non omnino constat. Nam & Belgium sub eadem cum Polonia plaga, ac parallelo, minime item montosum, neque a Borea (qui profecto e vicino mari violentior esse deberet) vllo obstaculo defensum esse, non tamen adeo ingentibus frigoribus algere scimus; Et non per totam Poloniam vbique inueniri (vt Lucretius loquitur) *aequor campi plani*, ego tibi affirmo. Cum minor Polonia, tota fere in montes assurgat, nec tamen dispari sit aëris temperie. Alia igitur causa aliquantum intensioris (fatendum enim est) apud nos frigoris deberet assignari. Ego certe, dum illa quæ de Rheno ac Danubio, testimonio veterum dixi, dum quæ Tacitus de Germania prodidit: *Hyemem nempe potissimam anni partem occupare, terram segetes tantum ferre, fructuum vero autumnique, & bona, & nomen, ab incolis ignorari*, cum, inquam, hæc vetera, ei, quæ nunc est, omnium rerum, ac vini etiam, maximæ feracitati comparo; huc iudicio inclino, vt cultura & crebra inhabitatione,

bitatione, non non soli tantum, sed aëris etiam, putem naturam mutari. Cur enim frigidior olim, quam nunc, Germania esset? Certe nihil adferri probabiliter potest, nisi quod antea deserta ac inculta, *nullas prorsus vrbes* (vt idem Tacitus inquit) *aut vicos connexis ac cohaerentibus aedificiis haberet*, neque agriculturam impense curaret. Nunc autem frequentia ac populosa oppida, tum crebra aedificia, & numerosi pagi, ac deinque pinguis vbique ingesto fimo gleba, omnia ista, inquam, calidius exhalant, aëremque tepefaciunt: Ita vt non ob septentrionis viciniam, solemque, vt Barclaius inquit, emorientem, neque tam ob camporum planitiem, sed potius ob frequentiam minorem oppidorum, frigidior aura potuit antea Poloniae imputari, quae nunc vbique culta & habitata, multum demit ant quae frigorum saeuitiae. Ita vt eiusdem quamuis climatis regiones, ortum versus porrectas, longe aëris temperie superet: non alia sane, nisi maioris culturae causa, cum longitudo terrae ad imminuendam vim solis nil possit conferre.

Natura subsidium ad nouit profundissimas siluas, quae & in ignem datae frigus expellant, & in suis praeterea vmbris animalia alant, quorum pelles fulciendis vestibus preciosissimae habentur. Hac duplici ope vtuntur in hyemem.

Vt omnium rerum ad necessitatem vitae humanae affluentiam Polonia habet, ita & siluarum, quantum satis est. Adeo vt viuere possit.

Ligna super foco large reponens.

Attamen non tam obsita est arboribus, vt speluea habeat, aut celebrem illam Herciniam siluam, quam Caesar nouem dierum itinere latam, longam quadraginta, Mela vero etiam sexaginta dicit. Apud nos non est quid simile, nisi forte in Lithuania ad confinia Moscoviae, & extrema Russia. In Polonia vero ipsa, vbicunque ager est frumenti ferax, & sationi aptus, excisae sunt siluae, & quidem saepe nimis. Ita vt egregius Poëta, & par omnino veteribus spiritu, ac erudita amoenitate carminis KOCHANOVIUS, Satyrum inducat querentem, se pulsum propria sede, nimio incolarum lucri & quaestus studio, dum pars siluarum cessit agriculturae, pars in officinas ferrarias, aut vitriarias, absumpta est. Iam vero pellibus vtimur, sed ab extrema Moscovia magno pretio petitis; estque hic luxus inter maximos, qui Poloniam vrgent. cum Zebellinis aut Martibus suffulta vestis, cuius inter nobiles frequentissimus vsus est, constet aliquando prope duobus millibus nummûm, quos vulgo taleros vocamus. Et vna pellis, quae vix sesquipedali est magnitudine, si praestans sit, plus quinquaginta taleris veneat. Sed adnoto quae sequuntur.

Alio quoque commodo suis siluis obnoxii. Quippe alicubi immensa apum examina feruent. Agrestia illa sunt, nec cuiusquam cura aut pastum aut tectum accipiunt. Vacuis quercuum ramis aut truncis inhaerent; ibi cereas domos extruunt, & optimo melle implent. Hinc ingens facilisque in regionem prouentus. Ceram mercatores deuehunt; ipsi melle conficiunt potum, quem in deliciis habent.

Narratio ista de apibus erronea est, & multifariam falsa. Sciendum enim duplex genus apum in Polonia esse, siluestre & domesticum. Vtrumque autem (qui primus Barclaii error) non est absque diligenti cura, non quidem tanta, quam requirit Varro, cum, *Verno tempore*, inquit, *& aestiuo, fere ter in mense mellarius inspicere debet, fumigans leuiter eas, & a spurcitiis purgans alueum, & vermiculos eiiciens. Praeterea vt animaduertat, ne reguli plures existant, inutiles enim fiunt propter seditiones*; Multo vero minus ea, quam nimis exacte praecipit Columella. Operosum hoc esset, nec fructus inde pensaret laborem, sufficit quod

Lib. 3. Cap. 16.

Lib. 9.

bina quotannis inspectione curantur, Autumno nempe, cum detrahitur illis mel, & (vt rustico verbo vtar) castrantur aluearia, cum contra frigoris vim muniuntur, cum denique alueare ipsum mundum redditur. Vere autem redeunte, par cura redit, dum quomodo hyemem perpessæ, inspicitur, dum alueare iterum mundatur, dum nouis examinibus parantur sedes, excisis ex professo alueis (non, vt Barclaius inquit, fortuito vacuis quercuum ramis) nempe,

Vt cum prima novi ducent examina reges

Vere suo, ludetque favis emissa iuventus,

habeant, quo colonias deducant nouas. Iam vero domesticæ maiorem curam accipiunt, præsertim in Polonia ipsa. Nam in Russia, vbi præcipue res apiaria viget, aliquantum incuriosius habentur. Sepitur nempe locus medio in campo collocandis aluearibus, multa ponuntur vacua, vt noua recipiant examina. Dum vero tempus legendi mellis venerit, quidquid est in alveo excutitur, paucis propagationi ac feturæ relictis. Ingentem vero prouentum hinc esse, verum est. Scio quendam amplas in Russia ditiones possidentem, a subditis decumæ annuæ accepisse mellis cados mille, cadus autem venit sæpe decem aureis nummis. Sed ridiculum est, quod dicit Barclaius, pastum illis non præberi. Homo acutus, hoc nisi addidisset, periculum erat, ne cibaria diurna dari illis putarentur. Dignus profecto ob hanc ἀκρίβειαν, qua naturam nobilissimorum insectorum (aues vocat Varro, Aristoteles autem magis splendide πολιτικὰ ζῶα) scrutatus est, vt non cum Domitiano captaret mactaretque, sed pasceret potius muscas. Apparet certe vel hinc, quam accurate ista inquisiuit. Legisset saltem, quæ post Aristotelem Plinius scripsit de celeberrimo hoc regno, an Republ. potius dicam, nescio. Cum & sine Rege esse non possint, *illoque amisso, pereat ac dissoluatur ciuilis societas;* &, quod Rerumpubl. præcipuum fundamentum est, æqualitatis sint studiosissimæ. Nam (vt Plinius inquit) *nusquam separatim vescuntur, ne inaequalitas operis & cibi fiat.* Vnde puto mixtam esse formam, & laudabili prorsus temperamento, principatum legibus deuinctum, populique ac magistratuum auctoritate, ne in tyrannidem abeat, libratum. Præsertim cum inermem aculeo constet supremam hanc potestatem esse; vt beneuolentia nempe potius ciuium (quod Principum est) quam metu (quod tyrannicum) sit tuta ac secura. Sed non lubet bugoniam (vt Varro loquitur) scribere, aut curam Aristomachi Solensis imitari, qui duodesexaginta annis nihil aliud dicitur egisse. Itaque remitto lectorem ad apiarios, & vel historiæ naturalis, vel rei rusticæ scriptores. De potu autem, quem hydromeli, vel aquam mulsam vocamus, hoc addo, non nobis solum, sed & Germaniæ, præsertim in Pomerania & Dania, vsitatum esse, immo & veteribus non ignotum: cum Plinius dicat, *aquam mulsam, longa vetustate transire in vinum.* Quod testatum facit Lithuania, conditam a temporibus Vitoudi Principis asseruans, puto absque exacta Chronologiæ ratione, liquoris vetustate annotata, exemplo veterum, & Horatii, qui *Cadum Marsi memorem duelli,* & testam Consulum nomine, sæpius insignit, vti & alter Poëta, dum inquit,

accuratam diligentiam. Ciuilia animalia.

Plinius Lib. 11.

Ibidem.

Lib. 11.

Lib. 3. Ode 14.

Ovidius.

——— mihi fundat avitum

Consulibus priscis condita testa merum.

Neque tamen potus iste in deliciis habetur, quinimo fere illo cautiores abstinent; cum suppeditet nobis vinum abunde Hungaria, quæ Poloniæ cella vinaria audit.

Flumina paludesque plus iusto quasdam prouincias obruunt, adeo vt æstate vix possint adiri.

Topographiam totius Poloniæ non ponam; longum hoc est, neque mei instituti. Tantum vere & firmiter assero, nullum locum Poloniæ non peruium inueniri, ne dum prouinciam, vt ille falso dicit, vti & istud.

Concretis

Concretis per hyemem vndis, curricula habent, quæ lubrica glacies facile euoluit, ita per regionem teruntur.

Pari omnino aut fide aut peritia. Itane vero, non alia nobis itinerandi ratio, quam hyeme? & curriculis ne tantum (puto illum trahas voluisse dicere) vehimur, aut ferimur? Desunt nobis, scilicet, lecticæ cultæ omni ornatu, qui adhiberi solet: atqui audacter dicam, non est natio, quæ tam splendide, & tanto vehatur apparatu; Plurima genera sunt curruum, forma varia, & aliis insueta regionibus, elegantiæ vero singularis. Quidquid præterea vspiam, in Italia, Gallia, Germania, pilentorum, lecticarum, qua ad commodum vsum, qua ad splendorem ac luxum inuentum est, Magnates passim ac promiscue vtuntur. Seiugibus quidem concoloribus vehi adeo vsitatum, immo obuium est, vt id non ponatur in aliquo lautæ elegantiæ censu. Et cum in exteris nationibus, vilibus plerumque essedis, quæ strigosi manni, præcisa aut rasa vt plurimum cauda, trahunt, patritiis etiam non indecorum sit vti, apud nos certe puderet, sortis alicuius, aut fortunæ nobilem. Sed cum dixisset nos non posse itinerari, nisi hyeme (quod tam aperte falsum est, vt refutatione non indigeat) tum subiungit:

Hoc est commercii tempus, quo externi ad eos commeant.

Occluso nempe Poloniæ aditu, sublata viarum commoditate, quid mirum est commercia tolli? Hoc certe consequatur necesse est. Sed vt primum commentitium prorsus esse dixi, ita & hoc non ego, sed quicunque tantilla Europæ notitia tinctus, facile falsi condemnabit. Quis enim ignorat, Dantiscano celeberrimo emporio, tum vero Elbinga, Regiomonto, Riga, Stetino, aliisque portubus, ingenti copia omne genus mercium ad nos deferri? Certe Hollandia, mercimoniorum Europæ facile princeps, præcipuam negotiationem apud nos exercet, dum quicquid ex India aduexit, Poloniæ potissimum vendit. Certe Anglia pannificium, maxime nostri causa, curat; Certe aliæ regiones maritimæ, ita commercio nobiscum iunctæ sunt, vt communicatione mutua, *quod genitum sit vsquam, id apud nos natum esse videatur.* Iam vero terra quot aduehuntur merces? Italia non alibi vberius sericum vendit, cuius promiscuus & perpetuus inter nobiles vsus est. Ita vt, absque nobis esset, vnica eius, aut certe præcipua, in fouendis bombycibus œconomia, & artificium conficiendæ telæ ac vestis sericæ, penitus interiret. De Germania non dicam, quæ vicina & adsita nobis, permutat continuo suas opes. Hungaria quoque, vt iam dixi, nobis potissimum vindemiat, & generosum ac nobile merum propinat, ipsa vappam bibit. Iam Asiaticæ, id est, Turcicæ ac Persicæ merces, quanto cumulo ab Armenis aduehuntur, non est opus dicere; Nota hæc facile cuiuis esse possunt. Et Barclaius, vel a popularibus suis Scotis (nam fuit *gente Caledonius, Gallus natalibus*) scire optime potuit. Natio ista pertæsa miseræ & sterilis patriæ, *Per mare pauperiem fugiens,* apud nos quæstum facit. Antea vilissimi propolæ.

Plinius Paneg.

— *quorum Cophinus fenumque supellex.*

Iuuenal. sat 3.

aciculas tantum, cultellos, fibulas, & alia id genus minuta diuendebant, cistas & scrinia dorso baiulantes. Nunc vero (forte postquam falsam Barclaii de impeditis itineribus narrationem agnouere) curru mercimonia deuehunt, & per oppidorum nundinas vagantur. *Mercatura autem* (inquit Cicero) *si tenuis est, sordida est.* Vnde illi eo censu habentur, quo Iudæi. Estque omnino nobis clitellarius Scotus, & Iudæus apella. Κρὴς πρὸς αἰγινήτην. Hæc de externorum apud nos negotiatione; Quæ cum fructuosa esse nequeat, nisi vicissim permutentur merces, idque sit proprie commercium facere; vt penitus præcipuo isto societatis humanæ vinculo, ac commodo spoliaret Poloniam, & insociabilem plane redderet, non solum raro nos adiri, id est, nihil inferri mercium dixit, sed etiam vix aliquid a nobis emi. Addit enim,

Lib. 1. de Off.

Cretensis cum Ægineta.

Ceram & pelles mercantur, ac si quid præterea sub tam rigido cælo in precium nascitur.

Si de Scolymorrhodia, aut Lusinia, (ita Scotiam forte Euphormio nominat) ista dicerentur, verissima prorsus essent. Ibi enim profecto, vt initio satyræ ipse dixit, *nulla bruma segetes extinguit, nulli aestus adurunt*; Et si causam requiras, non alia potest assignari, nisi quia nulla proueniunt.

Nullaque in infausto nascitur herba solo.

Senec. Epigram. secundo de Corsica. Idem Consol. ad Helviam cap. 6.

Quid enim tam nudum inueniri potest, quam illud saxum? quid, ad copias respicienti, ieiunius? quid ad ipsum loci situm horridius? quid ad cæli naturam intemperantius. Tali patria oriundus cum sit Barclaius, insultat Poloniæ, illi inquam Poloniæ, quæ maxima rerum omnium ad vsum vitæ copia & vbertate affluit: & quæ vere est, vt cum Poëta compendio dicam, *Terra bonis contenta suis.* Id autem vt ostendam, velut per indicem, breuiter tamen recensebo præcipua, quæ apud nos, nón sub cœlo tantum, vt nugatur, sed etiam solo nascuntur, in pretium. In primis autem, vt a Plutonis regno ordiar; pretii omnis fons, ac origo fecunda, argentum, quod Ilcussienses fodinæ, Kielcenses, Chencinenses affatim suppeditant. Sed primæ potissimum. Situm est Ilcussium in minori Polonia, & quatuor milliaribus Cracovia dissitum, fere autem integro milliari Polonico circa oppidum, fodinas habens, quas a trecentis iam fere annis excolit, fecunda & rara metalli, per tot secula suborientis, opulentia: Cum sæpe anno vno ad sex millia pondo argenti, quas marcas vocamus, extraxerit; plumbi vero vltra quinquaginta millia centenariorum; quod ex rationibus eiusdem oppidi compertum habeo. Magnam vero probabilitatem facit, in illo tractu consimilis terræ positio, natura, color, latius venas istas protendi ac patere. Immo & experimenta idem comprobant, tentata a quibusdam et explorata. Sed quia impendio grandi res egeret (vt nempe subterraneus canalis, quem stolam vocant, aquam scaturientem, effuso, qua deuexa est terra, alueo educat) ideo res hactenus dilata est, non sine spe tamen, conatus et euentus quandoque secuturi. Ex iisdem regionibus cadmia fossilis eruitur, ingenti prorsus copia. Metallum vero istud, commixtum æri, efficit Orichalcum. Æs vero ipsum Bozecinum prope non contemnenda vbertate effoditur. Ferri denique maxima copia, pluribus ex officinis prodit. Quæ omnia Dantiscum in exterarum gentium vsus deuehuntur. Sunt et montes carbonum fossilium, sed illorum vsus nullus, cum abunde fit aliorum. Iam vero, antequam has telluris opes, e visceribus eius petitas, claudam, ingenti prorsus salis prouentu, præfabor iure merito, cum non ineleganti Poëta quodam nostro, dicamque,

Pande tuos natura sinus, & diuitis antri
Profer inexplicitum terris vectigal, & ingens
Depositum clara Lechiae sub luce repone,
Phoebe pater, si quando tuae de fontibus vndae
Restinxisse sitim licuit: salis ima petentem
Da calices hausisse nouos, da largius vrnam
Plenaque Castalis immergere labra fluentis.

Rara omnino istius (quod aliorum opsoniorum opsonium est ac condimentum) apud nos Diuum munere affluentia. Diuum inquam: nam opinio est vulgo recepta, Sanctæ Cunegundis precibus impetratum nobis a Deo istud sal terræ, et, illa indicante, detectam eius venam. Porro *sal aut fit, aut gignitur*, inquit Plinius. Vtrumque vero habet magna vbertate Polonia. Nam factitium et coctilem Russia affatim suppeditat, Samborum et Kolomiam prope, fossilem vero minor Polonia habet. Sed factitius, qui aut igni excocta aqua, aut mari adfuso in salinas, Solisque radiis humore siccato fit, frequens multis populis, et promiscuus est. Metallicus vero, et, vt vulgo dicitur, mineralis, paucis locis inuenitur. Meminit Plinius in citeriore Hispania Egelastae, et in India Oromaeni montis, *vbi lapi-*

Lib. 21. Cap. 7.

Ibidem.

sidinarum (inquit) *more caeditur renascens, maiusque regum vectigal ex eo est, quam ex auro atque margaritis.* Profecto Vieliciam aut Bochniam putes illum descripsisse. Vtroque enim loco magnæ molis cylindri solidi salis, velut rupium fragmenta, excinduntur, tanta copia, vt non vsibus tantum Poloniæ sufficiant, sed & Silesiam Moraviamque sustentent. Et magnum sane prouentum etiam nunc fisco Regio adferunt, sed immensum plane adferrent, nisi maxima pars in vsum Nobilitatis absumeretur. Velut enim annonariis legibus, olim populo Romano, frumentum e publico datum, modico aliquo pretio, aut nullo; Ita apud nos equestris ordo gratuitum fere sal accipit, habetque hunc velut vsum fructum patriæ communis, necessitatibus priuatorum deseruientis. Hæc autem vel sola copia ac vbertas salis, insulsum plane ostendit Barclaium; qui negat aliquid nobis in pretium nasci. Sali adiungo sal nitratum, quod Podolia abunde suppeditat: tum vero aliis e prouinciis sulfur. Addo denique alia, quæ iam terra non abscondit, sed benigne profert, atque alit multiplici fertilitate. In primis autem omne genus frugum, ea, quam paucis attigi, affluentia, tum vero linum, cannabem, lanam, ceram, mel, omnia ingenti numero accumulo. Boum innumera armenta, cum Iaroslaviæ sæpe triginta eorum millia, vnis nundinis, vendita fuisse sciam. Equorum item sex septem millia. Porro multæ sunt panegyres, in quibus minori quidem numero, sed tamen grandi satis, aliis populis inaudito, venales sunt. Ita vt quotannis sexaginta millia boum e Polonia ad exteros mitti, tutissime possim affirmare, præter id, quod nos absumimus. Quid dicam de siluestri prouentu? Is vero ex rebus variis maximus est. Præcipue e cineribus distillatis, quod vulgo *Potasz* vocant, cuius ad pannificium, aut forsan tincturam panni, necessarius est vsus, itaque magna copia in Angliam aliasque in oras divenditur. Tum vero pix, fecamenta pro doliis, asseres omnis generis; Ita vt, quod Ammianus Marcellinus de Cypro dixit, tanta nempe tamque multiplici omnium rerum copia abundare, *vt nauim onerariam, a fundamento carinae ad supremos vsque carbasos, aedificare, omnibusque ornamentis instructam, mari committere possit*, id ego multo potiori iure de Polonia dicam, quæ non vnam nauem, sed classes integras, nil opis externæ indiga, facile instruere potest. Quod adeo non agnoscit Barclaius, vt etiam dicat, (Lib. 14.)

Plerumque lapides extruendis domibus deesse.

Omnino: Ita vt Scoti vicos oberrantes non habeant, quo se aduersus canum assultus tueantur. Prouide facturi, si e patria peterent hunc thesaurum, quo potissimum diuites sunt. At homo nugator inaudiuit forsan, non tam crebra nobis ædificia lapide aut cocto latere strui, & hinc sagaciter certe coniecturam fecit lapides deesse. Profecto si viueret, rogarem, vt inquirere diligentius istud vellet, adiretque ipse Poloniam indagatum, curarem certe, vt cum Plautino seruo duceretur ad *latomias lapidarias* quæ pluribus in locis ad elegantiam architecturæ suppeditant, non lapides tantum communes & promiscuos, sed marmor etiam multiplex, & alabastritem. (Captiveis) Certe Sigismundus III Rex, Chencinum prope, columnas marmoreas binas excidi iussit, altitudine pedum fere duodequadraginta. Sed dum extrahuntur, & machinæ ponderi non sufficiunt, vna per medium fracta, alteram vero nuper magno molimine Vladislaus Rex statuit Varsaviæ, & memoriæ patris sui dedicauit. Quod vel vnicum argumento esse potest, non solum ad vsum, sed ne ad luxum quidem deesse nobis quidquam, & posse cultissimas quasque gentes omni elegantia æmulari & æquare. Habemus ergo; sed quod iam addit, non vtimur.

Lignis tantum (inquit) ad parietes vtuntur, stramentoque operiunt, præterquam in celebribus oppidis, arcibusque optimatum, quantum illa regio ferre potest, excultis.

Præfracte nimis negare non possum, superari nos ab aliis gentibus, & splendore, & multo magis frequentia structurarum. Effusa nempe in alium luxum natio nostra, & pertæsa longæ ædificandi moræ ac molestiæ, minus architectonicam hactenus curauit. Sed vt alia omnis luxuria, ita hæc quoque migrare ad nos videtur. Cum paucis ab hinc annis, multa vere regio splendore structa sint, quorum delineationes, breui puto, vulgabuntur. Certe peritus quidam artis ac celebris Architectus, Italus natione, cum vidisset quasdam nuperas Poloniae structuras, dixit eam, si pergeret aedificare, vt coepit, intra vnum seculum non aequaturam tantum, sed superaturam etiam hac in parte Italiam ipsam. Nobilium vero domus lateritiae cultae satis, & ligneae non tam viles, vt eas describit Barclaius. Non deest illis nitor & elegantia, neque stramento teguntur, sed scandulis, quibus totam Romam contectam fuisse ad Pyrrhi vsque bellum, auctor est ex Cornelio Nepote Plinius.

Sed hactenus de regionis natura. Nunc promissam picturam animorum imperitus Apelles orditur; in qua pari omnino, aut fide, aut diligentia, versatus est. Putes illum, tamdiu, tantoque studio, fabulas scriptitantem, commentis assueuisse, ita narrare ex fide nihil potest. Prima autem lineamenta, indolis & ingenii nostri, haec ponit:

Polonis (inquit) vt plurimum dura vita, cœlo aspero.

Cœlum idem nobis cum cultissimis populis esse, iam dixi. Cuius tamen non ea in animos hominum vis est, quae in herbas, fructus, olera. Quocunque loco mundi vixeris, aeque semper distas ab aethere, si te illo oriundum meministi, si eo rediturum cogitas, agnosces facile nil referre,

——quocunque sub aëre nasci.

Duram vero vitam cur nobis imputet, nullam causam video, praeter imperitiam. Sequitur nempe suum genium homo semper præcipitis iudicii. Et quia vltimum apud nos Septentrionem, terram sterilem, siluis obsitam, paludibus fœdam, seu ipse incuriose credidit, seu maligne ab aliis voluit credi, ideo aptat tali patriae, indolem incolarum, conformemque suae terrae facit. Quid respondeam? certe non aliud, quam, prouoco ad eorum testimonium, quibus aliquo vsu innotuimus. Et fidentur dico, non solum ad calumniam reprimendam, sed ad gloriam etiam consequendam; *nihil nobis accommodatius fore, quum penitus inspici.* Pateret facile, vitam nos viuere, omni decoro, omni honestate cultam, & non Sybaritica quidem mollitie, omni tamen affluentia commodam. Adeoque ab aliis nationibus non superamur, vt saepe in iis multa requiramus. Quod tamen non agnoscit, quinimmo,

Plinius Paneg.

Nec populi (ait) moribus factis ad nostri seculi venustatem.

Quanto verius dixisset, vanitatem! Nam certe, quidquid apud vos venustum & decorum est, repetitis peregrinationibus excerpsimus, & velut apes collegimus. Vtinam vero non etiam mellis loco & venena, morbosque varios animorum. Nam quotusquisque cum Vlysse praeteruehi gnarus (vt ait Epigrammatum scriptor.)

Martialis.

Syrenas hilarem nauigantium poenam?

Certe vt culturae & eleganniae nonnihil, ita et vitiorum a vobis sumpsisse verum est. Non tamen degenerasse omnino in vestros, id est Gallicos mores. Gallia etenim, pulcherrima (fatendum est) regionum, nunc sola fere praebere videtur morem, omnibus (praeter Hispanos) comatis braccatisque Europae gentibus. Et quidquid illa inuenit, aut innouat, id pulchrum decorumque aestimatur. Excitata nempe gentis indoles, prompto ad omnia ingenio, & laudem meruit elegantiae & imitationem. Sed ipsa hoc applausu superba, rigide nimis ab omnibus exigit, suos mores, damnatque contrarios. Cum tamen mea sententia,

Stultus

Stultus & improbus hic amor (sui) est dignusque notari. — Horatius Serm. 1. sat. 3.

Non enim ita ibi viuitur, vt id regulæ instar omnibus esse debeat. Multa in promiscuo vsu sunt, quæ prisci & melioris æui censuram non effugerent. Multa vana, ludicra, dissoluta. Innatum hoc nempe ingeniis humanis, vt nimia cultura ineptiant. Et causa in aperto. Nam permittunt sibi omnia. Ideo securi de iudicio aliorum, qui suo multum sibi placent. Ita olim Græculi, dum omnes barbaros vocant, & sua nimis amant æstimantque, scimus quantum in omni vita delirauerint. Ita Romani, eorum exemplo, moribusque corrupti, quantum a prisca illa virtute, grauitate & constantia, abiuerint; vel Senecæ verbis patet; Qui *Torpent* (inquit) *ingenia desidiasae iuuentutis, nec in vllius rei honestae labare vigilatur. Cantandi saltandique obscæna studia effeminatos tenent: & copillum frangere, & mollitie corporis certare cum femenis, & immundissimis se excalere munditiis, nostrorum adolescentum specimen est.* Putes illum plane rationem vitæ eorum, qui nunc in Europa tam culti tamque elegantes audiunt, notasse. Quod vt ostendam, operæ pretium erit afferere, grauis viri, Philippi Cominæi, de Gallicis moribus iudicium. Qui, dum ingenium Ludouici vndecimi describit, *Mea quidem haec est sententia*, (inquit) *vt arbitrer, plurimum illi profuisse, quod deserto patre, vixit onnis sex, apud Philippum Burgundiae Ducem: Nam si fuisset educotus, ita vt hodie mos est, in Gallia, puto illum ex tot difficultatibus, non fuisse emerfurum. Sic enim hodie plerumque instituuntur, quasi ad ludum facti essent, aut iacum: litterarum nullam cagnitianem hobent, in vestitu nihil madestum aut groue, in sermone nihil prudentis. negotiarum, tam ad vitam priuotom, quom publicom, ignari. Si quis est, qui, tanquam e veterno expergefactus, rebus gerendis animum adiiciat, hoc sero admodum fit, & amissis prapemadum accasionibus.* Hæc Gallus de Gallia. Quæ tantum abest, in melius mutata esse, vt putem, corruptos mores, iam a temporibus Cominæi, increuisse, & incuriam hanc, negligentiamque vitæ, plurimum auctam. Ridiculum est, & verum, quod narrabo. Dum Parisiis essem, quæsiui ab hospite de Academiæ loco (Sorbonam ibi vocant) atque perii, me vt in illam deduceret. Respondit ille, plures esse in vrbe; & num omnes, num aliquam e præcipuis adire esset animus, percontatus est. Ego ratus rudem hominem, & idiotam, Collegia singula, sub nomine Academiæ sumere, rogaui, vt præcipua saltem eo die inuiserem, reliqua postmodum aditurus; Sequor itaque præeuntem. Intramus vero amplam domum. Multi iuuenes inerant, quorum pars gladiatoriam exercebat, pars saltabat ad numeros, alii pulsabant testudinem, alii ligneo equo insiliebant, alii denique varie torquebant, iaciebantque hastas. Cum petii, quænam domus hæc esset, respondit, hanc Academiam esse, & hic nobilitatem Gallicam institui. Istisne tantum artibus, inquam: non, inquit, & toto matutino tempore equitare etiam solent. Auersus ab illo, risi effusissime. Et, o Musæ, inquam, itane gladiatorius ludus, aut palæstricon, occupat sacratum vobis Academiæ nomen? En profecto nouos Academicos, nouos Arcesilas, Carneadas, Pirrones, qui non iam nihil sciri posse docerent, sed nihil disci oportere, exemplo suo, & tota vita comprobarent. Etsi enim corpus exercere, & ad arma, ac militaria opera assuefacere, iuuentuti præsertim pulchrum & laudabile: Tamen *cum nostro omnis vis, in animo, & corpore, sita sit; animique imperio, & corporis seruitio, magis vtamur:* plus certe curæ tribuendum erit illi, qui *dux atque imperator vitae mortalium est*, ne incultu & bonarum artium inscitia obsolescat. Id vero, Gallica nobilitas non agnoscit, cuius educatio omnis, & cultura, ad corpus refertur. Im autem educari, quomodo doctrinæ quidpiam, & prudentiæ, multo vero minus sapientiæ habeant? Nihil legunt, præter amantium fabulas, id est (vt Lipsius alibi dixit) *nugatorum ingeniosos foetus, libros pestilentes, natos blande inficere, aut interficere iuuentutem.* In quo numero ex veteribus Heliodorus est, nuper vero Amadæus, Vrfeus, & qui nobis conuitium facit, & qui

Primo Controv.

Lib. 1. ex versione Sleidani.

Sallustius bello Catil.

In Notis Polit. ad cap. 10. lib. 1.

Horat. lib. 3. Ode 7.

——— *peccare docentes*
Fallax historias monet,

Ioannes Barclaius. Hos secuta infinita prope farrago narrantium, procaces virginum mores, clam parentibus habita cum procis colloquia, furtiuas literas, conuentiones nocturnas, amplexus, oscula, ac denique fugas etiam, & absque vlla violentia raptus: omnia vero ista, si Diis placet, salua pudicitia atque honestate. Hæc vterque sexus legit, miratur, & imitatur.

Iuuenal. sat. 6

Horat. lib. 3. Ode 6.

Attendit Thymele, Thymele tunc rustica discit
—— *& fingitur artibus*
Iam nunc, & incautos amores,
De tenero meditatur vngi.

Indecorum vero esset iuueni, non habere virginem, quam procet, quo beatus sit vulnere, qua pereat sagitta: Non spe aut animo connubii, sed vt amore langueat, aut potius se languere simulet, crebro suspiret, continuo adhæreat, confabuletur, officiose salutet, deducat, & omnino otiose insaniat. Hoc agunt omnes, inter speculum, & pectinem, & calamistrum occupati. Si quid diei superest, datur audiendæ histrioniæ, vel pilæ ludo. Ita tempus vitæ absumunt, homines, digni profecto, quos Æacus,, post mortem, iubeat cum Claudio, *alea ludere, pertuso fritillo.* Et nisi quandoque bello occuparentur, certe luxuria, lascivia, otio periret,

Seneca Ludo in Claudium.

In cute curanda nimis operata iuventus.

Iam vero quæ Comineus memorat de vestitu, hic continuo & in dies mutatur. Nec ille solum, sed capillitium, barba, & hoc forte male habet, quod non tota faciei forma. Quamuis absque hoc satis immutantur, & quem hodie senem vidisti, cras rasa barba, tum capillitio adscito, iuuenem videbis, ita vt sæpe riderem, quæ Medea istos, tam cito recoxisset. Vltra non lubet has amœnitates & venustates persequi: quibus carere Poloniam adeo non inficior, vt gratuler etiam patriæ. Non habemus profecto istas delicias, non habemus *Mancipia in magisterium recepta, quo nova artificia docuit fames, qui gressus nostros temperent, qui saltare*, canere, ludere, & eiusmodi nugas docti, alios doceant: De grauibus & seriis Romanis dicit Cornelius Nepos, *Scimus musicen nostris moribus abesse a persona virorum principum, saltare etiam in vitio poni.* Hoc quadrat nustræ nobilitati, quæ curis Reipubl. intenta, his artibus non indiget; Illis, qui a publicis negotiis arcentur, conuenit talibus occupari. *Expedit tibi o Caesar* (dicebat Histrio ad Augustum) *populum circa nos distineri.* Nam *virtus*, culta ac ciuilia ingenia *subditorum*, tum mentes, ad seria negotia natæ, vt ille ait, *ingratae imperantibus; quibus boni, quam mali suspectiores sunt; semperque his* (vt vere inquit Sallustius) *aliena virtus formidolosa est*; & causam puto recte assignat Panegyristes, quia nempe *patientiores seruitutis arbitrantur, quos non decet esse nisi seruos.*

Seneca Epist. 15.

Apud Dionem lib. 54. Tac. in vita Agric. Sallust Iugurt.

Sed ne videar externos mores reprehendere, proprios vero consulto præterire, paucis rationem vitæ nostræ aperiam. Istud autem inprimis: Nobilitatem Polonam non esse vrbicolam, et mercatoribus ac opificibus relinquere hanc mansionem. Villas et paterna rura quisque incolit, magno, vt infra dicam, probitatis integritatisque præsidio. Porro, quamuis ruri habitantibus, non per inertiam vita perit, actioque omnis nostra, partim in Reipubl. procuratione, partim in domesticis negotiis occupatur. Prima, honesta, imo splendida est, altera vero, seria, innocens, ac iucunda. Publica quod attinet: Inprimis comitia obimus, non solum cum suffragii iure, sed etiam cum intercedendi potestate. Magnus vero iste magnarum mentium, gloriæ comparandae, caritatis erga Patriam testandae, ac boni publici promouendi, campus est. Hic enim leges conseruamus; hic omnia censemus, vetamus, intercedimus; hic egregia moderatione, inter venerationem Principis, libertatisque patrocinium, bono patriae consulimus. Huc

potissimum

potiſſimum inſtitutio omnis noſtra aptatur et dirigitur, eo fine iuuentus nobiliſſima literas diſcit, vt eas aliquando, magne ingenii, iudicii, et eloquentiae fama, in vſum Reipubl. promat. Promit autem rara, nec vulgari aliis gentibus, laude. Dum qua equeſtris, qua ſenatorii ordinis viri diſertiſſimi, grauiſſimas ſententias, dignas poſteritatis memoria, dignas notitia exterorum, promunt ac proferunt; et priſcae illius conſtantiae, quam olim Roma in ſuis ciuibus (ſed breui tempore, neque ſub principatu) venerata, magna edunt ſpecimina. Quam diſpar autem aliarum nationum πολίτευμα? vbi in ciuili adminiſtratione, nihil come, *nihil ſimplex, nihil honeſtum, nihil illuſtre, nil forte, nil liberum.* Vbi nobilitas ἀπολιτικώτατη, *nihil conſulitur, timet multa, aſſentitur omnia.* Vbi nulla comitiorum poteſtas, nulla ordinum auctoritas, ſed vmbra & vana ſpecies conſultationis, & *muta ac ſedentaria tantum, aſſentiendi neceſſitas,* dum *vnus ſolusque cenſet, quod omnes ſequuntur, & omnes improbent,* dum imago vera miſeri illius ſenatus, quem tum vidit Roma, cum *amiſiſſet non modo ſuccum ac ſanguinem, ſed etiam colorem, ac ſpeciem priſtinae ciuitatis.* Et quem ita deſcripſit poëta.

> —— *Non conſule ſacrae*
> *Fulſerunt ſedes, non proxima lege poteſtas*
> *Praetor adeſt, vacuaeque loco ceſſere curules.*
> *Omnia Caeſar erat.*

Vbi nec *ſentire quae velis, nec quae ſentias dicere licuit,* & cum voce memoria quoque ipſa periiſſet, *ſi tam in poteſtate eorum fuiſſet obliviſci, quam tacere.* Sed ne inſultare videar alienæ miſeriæ, redeo ad narrationem quam incepi.

tractatio Reipub. Cice. ad At. lib. 1. Epiſt. 12. exners maxime negotiorum ciuilium Idem Epiſt. ad Octav. Plinius Paneg.! Cice. ad At. lib. 4. Epiſt. 15. Lucanus lib. 1. Tacitus Hiſt. 1. Idem in vità Agric.

Et hic quidem primus, vti dixi, campus eſt Reipubl. capeſſendæ. Alter vero non minus celebris, iudicia nempe, vt vocantur, Tribunalitia, absque vlla prouocatione. Vbi etiam ſupremæ ciuilis poteſtatis participes efficimur, accepto arbitrio in bona & honorem conciuium, imo in vitam etiam ipſam. Cum etenim Principes curis imperii diſtinerentur, & ius dicere ac reddere in tam amplo regno non poſſent, precibus & neceſſitati ciuium conceſſere, vt delegatos iudices ſibi crearent, certasque actiones eorum permitterent arbitratui. Legunt itaque, certa & ſtata die, binos aut ſingulos, ex quouis diſtrictu: qui, vbi conuenere, annuam poteſtatem retinent, ſed amplam, vt dixi, & Regium quidpiam præferentem. Eximia etenim eorum maieſtas ac veneratio, multis legibus aſſerta, conſtanti vſu & conſenſu nobilitatis retenta ac defenſa, quæ velut vnicum tutamen ac præſidium libertatis habet iudicia iſta. Et quidni habeat? Certe ſeu ad iuſtitiam exercendam, ſeu ad vitandam oppreſſionem vnius, ſeu ad æqualitatem retinendam facit: iudicia deferre iis, qui abuti poteſtate tanta non poſſint. Breuis enim & annua eſt; & lege cauetur, ne prorogari, aut continuari electione queat. Tertia occaſio Reipubl. tractandæ eſt, quam exigit cuiusque munus & officium. Sunt enim Magiſtri finium regundorum, qui Principes equeſtris ordinis audiunt. Sunt provinciales Iudices; ſunt denique publicæ ſecuritatis cuſtodes, capitanei, vt vocantur; inter iſtos partita eſt forenſis omnis opera. Deinde extraordinariæ quædam publicæ functiones interueniunt, auctoritate Comitiorum iniunctæ; ſed iniunctæ volentibus: nam cogere, & inuito munus quodcunque imponere, nemini fas eſt. Hæc ſunt fere publica pacis negotia quibus occupamur. Bello autem aliquo imminente, promptam multi ſubeunt militiam. Neque tantum nomina ſponte dant, ſed pro opibus, equitum peditumque pluribus centuriis & cohortibus, proprio ære ſcriptis, neceſſitati publicæ ſubueniunt. Res eſt mira, & neſcio an vllis gentibus olim & nunc ſueta. Certe vt expeditiones veteres non memorem, nuper cum Koniecpolius contra Tattaros moueret, præter ordinarium Reipubl. militem, qui ad ſubita caſuum continuo alitur, octodecem millia lecti militis, vltro a priuatis ſubmiſſi, in caſtris habuit, qui eorum ſumptu militarunt: Vt vel hinc appareat, ibi communem ſalutem omnibus eſſe curæ, vbi Regnum,

 non

non possessio, non hæreditas, non peculium vnius, sed societas legibus deuincta, sed patria communis est. Quam aliter, vbi despotæ illi & domini regnant: vbi nisi emptus, nisi coactus miles militat, vbi nulla subsidia, nisi extorta ab inuitis, & perdere se reputantibus quicquid conferunt in publicum.

Iam vero, vt ad alteram partem veniam vitæ nostræ, tum illorum, qui a publicis curis per interualla vacationem aliquam habent, *tum qui procul negotiis vt prisca gens mortalium*, sibi viuunt, vtrorumque, inquam, *non est animus, socordia atque desidia bonum otium conterere.* Seria vti dixi, innocens, & amœna est occupatio. Aut enim œconomicis laboribus tempus transigitur, dum quisque suum patrimonium diligenti industria excolit, vtilius semper reddit, & pro copia exornat; dum non erubescit, alia ruris negotia, quæ infima etiam obiisse magnos viros scimus, *gaudent sæpius terra* (vt Plinius inquit) *vomere laureato & triumphali agricola.* Aut venationi indulgetur, quæ liberalis plane & iucunda in vsu continuo nobis est. Aut lectioni etiam aliquantum datur, aut amicorum officiis, & mutuæ hospitalitati, aut denique solutæ curis edacibus vitæ. Dicunt nempe, & sentiunt tales cum Kochanovio nostro.

Salluft. Catil.

Lib. 12.

Lib. 3: Eleg. 15.

Patria rura colo: nunc fallax aula valebis:
Nil promissa equidem magna tua illa moror.
Libertas, gemmarum instar mihi, & instar arenae est,
Lydius aurifera quam vehit amnis aqua.
Hic ego nec nutum alterius, nec limina seruo,
Infringens duris molle latus foribus.
Nec votis exopto famem intaenatus herilem,
Nec cuiquam in turba pugno aperire viam.
Nullius ad leges vitam compono, licetque
Tempora mi arbitrio ponere cuncta meo.

Et alia, quæ ibi celebris poëta eleganter in laudem vitæ rusticæ subiungit. Porro, vt verissime dixit Tragicus,

Seneca Hypolito.

Non alia est magis libera, & vitio carens,
Ritusque melius vita quae priscos colat
Quam quae relictis manibus campos amat.

Verissime inquam, & vel experimento Poloniæ id dicere possis: cuius ego constans probitatis pietatisque studium, mores, vt plurimum, priscæ illius integritatis & modestiæ, totam denique vitæ rationem seriis occupationibus deditam, non alteri causæ adscripserim, quam, quod non miscemur vitiis, quæ continua illa & otiosa cohabitatio, vicissim tradit & accipit. Hinc profecto est, quod caremus deprauatione illa et corruptela morum, qua plerumque scatent animi gentium externarum. Hinc quod pacem et quietem publicam patimur, nec conspirationes, factiones, turbas, bella denique ciuilia excitamus: dum enim quisque domi suæ Rex est; dum habet, quo otium honeste ac iucunde transigat; dum mentem rerum præsentium cura occupat; non ille vasta animo concipit, aut meditatur,

Ibidem.

—non ille Regno seruit,
Aut Regno imminet, spei metusque tutus.

Hæc est, contra Barclaii calumniam, morum et consuetudinem Poloniæ defensio. Quibus non venustas, vt ille dixit, sed vanitas deest: Seria enim amamus, et illis adhæremus. Vobis, quibus (vt Senecæ verbis dicam) *omne ludicrum in pretio, quibus etiam post iuuentum canosque puerilitas remanet,* et qui senes pila luditis: Vobis, inquam, hæc omnia venusta relinquimus, et frui talibus patimur, sine æmulatione aut inuidia nostra.

Et hinc (inquit) sæuiora ingenia.

Plane, sumus truces, feri, immanes, et denique Scotis similes, quorum sæuissimas

uissimas mentes, & , *supra fas humanitatis, adeo ac inimicitiarum tenaces*, eodem libro describit Barclaius. *Caedem caede* (inquit) *repensare decarum, incendia alternis ignibus vindicare, nec aperto tantum marte, sed insidiis & fraudibus agere: & denique nihil turpe aut ignobile, modo vlciscantur inimici, reputare.* Ecce Thracum mores, aut potius Scytharum (nam sunt ex Geographis, qui Scotos ab illis dicant oriundos.) Ecce Scoti, confessione popularis sui homicidæ, incendiarii, & qui fraudibus grassantur. De nobis puto illum nihil eiusmodi sciuisse & ista scribere tantum, vt tinniat verbis, vere æs Dodonæum. Sæuitia igitur omnis abest. *At ingenii Benigna vena est*: Ingenii, inquam, ad omnia facilis, erecti, & excitati. Musas certe passim ab exterarum gentium nobilitate spretas, & ad plebeium ordinem, vt plurimum, redactas, nos soli velut proprias putamus splendori natalium; & claritudinem generis, nulla alia ratione magis illustrari censemus, quam doctrina. Vnde prima institutio nobilissimorum adolescentum, literarius ludus & schola est. Hac ad iuuentæ maturitatem detinentur, illamque egressi, peregrinationes obeunt eadem cupiditate doctrinæ. Agnoscit hoc sæpe Lipsius, & Schonæo scribens fatetur, *hac parte beatam patriam nostram esse. Apud nos* (inquit) *in omnia alia studia Nobiles versi.* Eademque Epistola, *humanitate, elegantia, omni cultu animi nos prouocare*, dicit, *laetissimas quasque gentes.* Sed quid ego dico prouocare? immo, vt ipse fatetur, superare. Nam Epistola alia, ad Marcum Velserum Germanum, (ne putes illum genti abblandiri, quod certe ingenio tanti viri alienum) *Mirum, mirum* (inquit) *Sarmatiam sic excultam hodie, vel supra Hesperiam utramque* (*gnarus dica*) *esse. Nostri homines aliter, & veteres Cimbri* (*Becani haec assertia*) *ad Cimmerias ignorantiae tenebras eunt.* Huic testimonio tanti viri addo Erasmi Roterodami iudicium, dicentis, nos, *& literis, & legibus, & moribus, & religione, & si quid est, quod a Barbariei probro vindicet, cum praecipuis & lautissimis nationibus certare posse.*

Horat. lib. 2. Ode 18.

Centur. 4. Miscel. Epist. 7.

Centur. 5. Miscel. Epist. 51.

Diuersoria peregrinos excipiunt, longe a nostrarum terrarum ratione. Deducuntur in sedem, quæ inanis est, & plerumque perfossis ad accipiendum lumen parietibus, ventis quoque & hyemi patet. Nulli quibus decumbant lecti, non erecta ad epulas mensa, longo ac multiplici clauo paries fixus est, illic hospites sarcinas, quas habent, in ordinem appendunt: multo deinde stramento sternitur solum, & hoc in illis diuersoriis pro toro est. Itaque per illam regionem processuri, ad iter se comparant, quasi domum circumducant, cibos & cætera in alimentum ferunt, lectulos in rhedis collocant; vt nudis illis tectis excepti sua supellectile, & famem & frigora arceant.

Hæc quamuis multum verbis auxit, & more suo (est enim, vti dixi, semper λαλίστατος) exaggerauit, non omnia tamen falsa dixit. Non sunt nobis hospitia quæ mensam apponant peregrinantibus, & quæ lectos præbeant. Sed qui perspectam habuerit rationem morum & consuetudinum Poloniæ, adeo istud non mirabitur, aut damnabit, vt approbet etiam, & adfateatur aliter fieri non posse. Nam tenuioris fortunæ homines, lautis hospitiis non indigent, exteri vero, præter mercatores, raro nos adeunt. Nobilitas autem tam frequentem & numerosam familiam, tam splendidum famulitium alit, vt fidem res apud externos, & rerum nostrarum ignaros, non inueniat. Certe priuati homines Regum aulas sæpe æmulantur, & stipati incedunt caterua ingenti, quam nullus tam lautus caupo est, qui commode excipere possit. Commeatus in antecessum parandi sunt, qui tot viris, tot equis sufficiant. Id autem & minore impendio fit, quam si in singula capita iniquis illis exactoribus soluendum esset, et commodius mul-

loquacissimus

 to, cum

to, cum cibi exquisiti apponantur, et ad arbitrium cuiusque parati; vnde etiam in exteris nationibus, qui laute et splendide viuunt, suo coquo et supellectili vtuntur, immo et lectos etiam ferunt. Et nos sæpius experti sumus, quam graue sit viles semesasque dapes, et crambe recoctum pransitare, quod apponunt perditi caupones. Qui, vt apud Comicum coquus loquitur,

Plaut. Pseud. Act. 3. sc. 2.

— Condita prota in patinis proferunt.
Boues qui conuiuas faciunt, herbasque oggerunt:
Eas herbas herbis aliis porro condiunt.
Teritur sinapi scelerata cum illis.

Epist. 87. & 108.

Quam item fœdum ac spurcum lecti sordes pati, sæpius puris et scabiei, et luis venereæ signa maculasque præferentis? Certe, cum Seneca, *siccum panem, & sine mensa prandium, post quod non sint lauandae manus, & lectum, qui resistat corpori, nullumque eius proebeat vestigium*, mallem; quam his spurcitiis vti. Nam præterquam in celebribus oppidis, quis neget, vt plurimum, misera hospitia esse? Quod autem de perfossis parietibus addit, falsum est: vti et alia, quæ verbis attolit. Nec tanta est molestia, quasi domus circumferenda esset, vt ille imaginabatur. Vsus ac consuetudo iam istud facile reddidit. Et apte, ac concinne, miraque celeritate omnia explicantur, atque conuasantur.

Gens ad ferociam & licentiam nata, quam vocant libertatem.

Ferociam ad Scotos iam ablegaui, agnitam ab ipso Barclaio. De libertatis apud nos modo et statu, dicam infra. Nunc vero legem, qua nos barbaros facit, a calumnia vindicabo.

Adeo (inquit, ad ferociam sunt nati) vt infandæ barbariei legem, multis seculis ibi solemnem, vix nunc demum omiserint. Ea scilicet cauerant, vt, qui hominem peremisset, solueretur metu iudiciorum, si in iacentis cadauer proiecisset paucculos nummos, quorum numerus eadem lege destinabatur.

In hac iniqua criminatione nostri, quid prius accusem nescio. Certe ei et fides, et peritia, et iudicium deest; et temeraria tantum malignitas superest. Falsum enim quod metu iudiciorum solutos homicidas, et tantum proiici dicit pecuniam in cadauer occisi. Nam etsi mulcta pecuniaria est, decisione tamen iudicum constituitur, et (quod ex imperitia auctor omisit) additur semper, in pœnam, grauis et opacus carcer, in imo et fundo turris, anno integro et sesqui-mense tolerandus, de quo pacisci, et transigere, nunquam fas est; Et conuicti transactionis factæ, iterum illum subire tenentur. Neque hæc legum benignitas cuiuis patrocinatur homicidio. In recenti, vt loquuntur, facto, et crimine, capti, tum inuasores, prædones, capitale subeunt supplicium. Qui vero glande e sclopeto occiderit, duplici mulcta pecuniaria, et biennali carcere punitur. Quid hic vero immane? quid infandum? quid barbarum? Atqui audi, o imperite, et disce, non æquitati naturali, non iuri diuino contrariam hanc legem; multis vero gentibus vsitatam; et denique, rectæ rationi valde congruam consonamque esse. Singula hæc vt ostendam, et comprobem: Fateor quidem deberi pœnam omni sceleri, natura id dictante et exigente: sed non certæ vltionis, aut vindictæ; verum societatis, ad quam homo natus est, conseruandæ causa. Nam appetitus ille reponendi doloris, quem solum vindicta respicit, non est naturæ rationali, quam solam hic spectamus, proprius, sed ei, quam cum brutis habemus communem. Vnde finis verus pœnæ, ex sententia Theologorum, *aut est* (dicam hoc verbis Senecæ illis consentientis) *vt eum, quem punit, emendet; aut vt pœna eius caeteros meliores reddat; aut, vt sublatis malis, securiores caeteri viuant.* *Emendatio* nempe eius, qui peccauit, *Exemplum*, ne peccent alii. *Securitas* denique, ne mali noceant bonis. Ad hos vero fines consequendos, non semper pœna requiritur capitalis. Quin immo et ad emendationem

S. Tom. 2. 2. Q. 107. Ar. 1: De Clem. Lib. 1. cap. 22.

illa

illa est optima, quæ postquam castigauit, pœnitentiæ & correctioni locum relinquit; Et ad exemplum magis conducit, si longe, si diuturna est: & securitati denique sufficere potest, etiam citra mortem irrogata, si grauis sit & seuera, si non conniueat, non ignoscat, & ita demum infligatur, vt potestatem adimat nocendi. Quæ omnia in lege nostra palam est contineri. Ergo hinc apparet illam iuri naturæ minime aduersari. Sed diuino forsan aduersatur, quod aperte mortem irrogari iubet homicidæ. Exod. Cap. 20. v. 12, & 15. Leuit. Cap. 24. v. 17. Verum in promptu est opponere, quod omnium Theologorum consensus, & Ecclesiæ approbauit auctoritas. Leges nempe Hebræis datas, alias morales fuisse, quæ præcepto Decalogi potissimum continentur, & quibus omnes tenentur Christiani. Alias cerimoniales, quibus non modo non tenentur, sed etiam prohibentur vti. Alias denique politicas, & iudiciales, easque nec imperatas, neque prohibitas nobis. Inter istas postremas ponitur hæc de homicidiis, a qua vt non discedendum temere concedam: ita hoc audacter affirmo, per illam non esse vetitum supremæ ciuili potestati, mitiora sanciendi, pro ingenio & natura populorum. Si enim licita ei est, citra peccatum, clementia & remissio pœnæ, quod nemo diffitetur: cur non moderatio & temperamentum? Non enim profecto ea necessitas est supplicii, quæ restitutionis. Nam restitutio, quia compensat iniuriam, non potest parte inuita a iudice condonari. Pœna vero, dum nihil accusatori confert, præter feram vindictæ dulcedinem, ideo & veniæ capax est, & multo magis moderationis; quam lex Euangelii minime certe prohibet. Imo cum repositionem iniuriæ, & vltionem adeo arcte restringat, certe multo magis talionem improbare videtur. Quam & in foro Iudaico tum demum exercitam, cum lædens pacisci nollet, Rabini testantur, *& dentem pro dente, oculum pro oculo* repeti, fas esse dicunt, sed ea cum exceptione, si aliter satisfactio non sequatur, quam & arbitrio Iudicis putant decernendam. In legibus vero decemuiralibus, recenset Lipsius, caput quadragesimum tertium verbis istis: SI MEMBRVM RVPSIT. NI CVM EO PACIT. TALIO ESTO. *Sed pœna hæc duodecim tabularum* (inquit Iustinianus) *in desuetudinem abiit; quam autem Prætores introduxerunt, in iudiciis frequentatur.* Nempe Honoraria, (vt vocabantur) & secundum dignitatem læsi, vitæque eius honestatem, pecuniaria mulcta æstimata. Quod si talio ista ad terrorem tantum data est Hebræis, nec vnquam in vsu forensi habita; si Romanis etiam nimis rigida visa est; quanto magis decet Christianos, illa, quantum fieri potest, abstinere? qui legem gratiæ habemus, omnis patientiæ ac mansuetudinis magistram. Vnde quidam capitalia supplicia vetita omnino nobis esse docent, falso quidem, sed tamen non barbarie infanda, vt nos accusat Barclaius; quin potius affectata lenitate, & pro ingenio hæresis studio contranitendi. Tertium posui, multis gentibus legem eiusmodi fuisse vsitatam. Quod certe ostendere perquam facile est. Nam *vetustissimi mortalium* (inquit Tacitus) *nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna & correctionibus agebant.* Postea vero corruptis moribus, pœnis & seueritate legum opus quidem fuit, sed illas *verisimile est* (inquit Diodoti concione Thucidides) *mitiores etiam contra maxima scelera, initio fuisse; donec, cum propter lenitatem contemnerentur, tandem ad mortem pleræque protesserunt.* Vnde & Plinius, dum inuentores rerum longo ordine recenset, *Primum iudicium Capitis in Areopago actum esse*, dixit. Et ante Draconis seueras sanguinariasque leges, puto Græcos, vt plurimum capitali supplicio abstinuisse. Certe Romani valde abstinuere, vt leges illæ sacratæ, tum vero Porcia Semproniæque testantur: quibus prohibitum cuicunque Magistratui, ciuem verberare, multo minus securi ferire, *tantumque exilium permissum in damnatos.* Quod Cicero in Oratione pro domo sua, *ius proprium dicit liberæ ciuitatis.* Reges quoque Ægyptios (auctor est Diodorus Siculus) damnasse mortis reos, ad metalla, aut aliud opus, salutari instituto. Et nunc in Italia, alibique, ad triremes passim

S. Thom. 1. 2. Q. 104. Art. 3.

Lib. 4.

Lib. 3. Annal.

Lib. 3.

Lib. 7. cap. 56.

Sallust. Catil.

 condemnantur.

condemnantur. Sed quod ad rem meam maxime facit, inter decreta Sancti Stephani Hungariæ Regis, caput 16. de homicidiis recensetur, quod totum adscribam. *Si quis accensus ira,* (inquit) *ac superbia elatus, spontaneum commiserit homicidium; sciat, se, secundum senatus nostri decretum, centum & decem daturum auri pensas, ex quibus quinquaginta parentibus dentur, decem autem arbitris & mediatoribus condonentur; ipse quidem homicida secundum institutionem Canonum ieiunet.* Quæ lex etsi multo lenior est nostra, non intra mulctam tantum consistit; tamen excusari potest eo, quod profecto

Habentur ad finem Histor. Vngariæ Bonfinii.

Τ' ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς

Pecunia, anima & sanguis est mortalibus:

Et, si hæc sufficiat ad cohibenda facinora, haud opus asperioribus remediis erit. Ecce vero, tot gentium consensus absoluit nos hoc barbaræ legis probro, quod hybrida Barclaius nobis imposuit; ostenditque, vt cum Lactantio dicam, *olim nefas visum, quamvis malos, tamen homines, supplicio capitis afficere.* Quod certe & rectæ rationi congruum consonumque est. Nam seu seueritas necessaria est, magis illa exercetur, ac ostenditur, viuentium cruciatu: *Mors enim aerumnarum requies, cuncta mortalium mala dissolvit.* Et, vt Seneca ait, *impunitatis genus est, iam non habere pœnae locum:* Denique necem vrgenti, responderi, cum altero Seneca, id est Tragico, potest.

Lib. 2.

Salluft. Catil.

Seneca de Clem.

De fine poenae loqueris, ego poenam volo.

Thieste

Seu bonum communitatis spectas; *Nemo dubitat* (inquit Quintilianus) *quin si nocentes mutari in bonam mentem aliquo modo possint; sicut posse interdum conceditur, saluos eos esse, magis e Republica sit, quam puniri.* Seu ad fines alios pœnæ respicis, iam dictum est, ad illos non requiri extrema supplicia. Et denique, si naturam humanam expendis, tot affectibus obnoxiam, & eorum impulsu, ac impetu, labi & abripi facilem: necessario suadebis mitiora, *& adhibendam moderationem* dices, *quae sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat.* Sed cum Barclaius inscitiam ostendisset suam, improbando legem non certe barbaram, sed humanam potius ac benignam, tum subiungit maligne causam eius, ac dicit:

Lib. vltimo Instit.

Seneca de Clem.

Nec tam vile (inquit) fecissent humanæ vitæ pretium, nisi, sui ingenii impetu, pro levi facinore haberent, humanum cruorem prodigere.

Solon interrogatus, cur in parricidam nullum assignasset supplicium, respondit, se noluisse pœnam sceleri ponere, quod nunquam sperasset patrandum. *Sapienterque illum fecisse,* Cicero ait, *cum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur.* Et cum Spartanus quidam interrogaretur, quare Spartæ in adulteros nulla lex esset, nulla pœna. *Nullus,* inquit, *apud nos adulter est.* Vides igitur certissimum argumentum innocentiæ esse, legum paucitatem, & addo lenitatem: Bonosque mores pœnis non egere, et *corruptissima Rep. publ.* non *plurimas* solum, sed atrocissimas *etiam leges:* Cum nempe *flagrans flagitiis animus, non levioribus remediis restinguendus est, quam libidinibus ardescit.* Sed frustra; nam vitio ingenii humani certum est, ea sæpius committi, quæ maxime vindicantur. Itaque in Italia, quamuis adeo non homicidia tantum, sed arma etiam, id est, instrumenta necis vetentur, nullibi tamen frequentiores homicidæ, nullibi sæuiora latrocinia, nullibi crebræ magis, & ex insidiis structæ cædes. Gallia etiam, scimus, quam in cassum prohibet suetas sibi monomachias: Et cum Parisiis essem, in tutum nemini noctu pedem domo efferre, ita omnes plateæ infestæ prædonibus, non modo spoliantibus, sed trucidantibus etiam errant. Imputat igitur nobis, propria aliis nationibus crimina Barclaius, quorum liberabo Poloniam, vel hac vnica, fida certe, & recentis memoriæ, narratione. Annis abhinc quindecim Varsaviam prope solennis electio Regis nostri, nunc

Pro Roscio.

feliciter

feliciter imperantis, peragebatur. Ingens omnino mole & grauitate negotiorum, maiestate consessus, numero ciuium, splendore vario, ac pompa gentis, legatorum denique nos vndique adeuntium veneratione. Quæ omnia, si apud exteros eo apparatu gesta fuissent, nescio quæ non habuissent elogia: vt est mos illorum, *qui de magnis maiora loquuntur.* Peragebatur, inquam, ista electio, ad quam præcipui e Nobilitate, stipati more gentis frequentissimo comitatu, tota Polonia conuenerant; ita vt numerus ducenta millia hominum facile superaret. In tam numeroso autem populi confluxu, nulli quamuis custodes essent, nulli vigiles; vrbs ipsa Varsavia nusquam clausa, & quocunque tempore noctis iis peruia, qui circumcirca castrorum more statiua habuere: adeo tamen secura & tranquilla erant omnia, vt vix quisquam vi peremptus, quin ne spoliatus quidem diceretur; idque toto sesqui mense, quo comitia illa durarunt: pacisque istius, ac quietis publicæ, vnicum præsidium fuit, iudicia huic fini instituta. Quæ res profecto, recte æstimanti, non minus approbat insontem Poloniam, scelerisque purum; quam arbor illa pomifera, metatione castrorum complexa, & intactis fructibus relicta, commendare solet Romani militis disciplinam. Audiamus vero vltra celebrantem Barclaium.

Ipsum nomen (inquit) non tantum seruitutis, sed & iusti ac legitimi regni oderunt.

Verum est, nos odisse seruitutem; Et quidni? pestem illam naturæ humanæ, eiusque corruptæ praecipuam labem, supremam fortunae aduersæ calamitatem, pœnam suppliciumque extremum mortalis vitæ, & miseriarum denique omnium malorumque fecundam genitricem? odimus peius angue, & abominamur hoc generis humani opprobrium; amamus vero, &, vt par est, æstimamus, illam, illam non dicam auream, sed quæ omne pretium longe superat; quæ animi præcipua dos, et beatæ vitæ compendium est, libertatem. Felices nos hac sorte! beatam Patriam hoc Dei munere, & tanto beatiorem, quo rarum magis aliis populis decus istud, ignotumque donum.

Nam quae reuisas limina dulcius
Mavortiarum maxima gentium
Regina LIBERTAS *Polono*
Orbe magis Litavisque campis?
O Providentis filia consili
O faustitatis mater, & otii
Beata nutrix, o Polonae
Primus honor columenque gentis,
Quaesita multo sanguine gloria,
Reperta multo! ——————

Vt pulcherrime cecinit incomparabilis vates Sarbievius nostras. Viuimus nempe securi: violentiæ omnis metusque expertes. Non miles spoliat, non publicanus atterit, non opprimit, non cogit ad onera Princeps. Delectus, tributa, lex maiestatis, *vnicum*, vt ille ait, *crimen eorum, qui crimine vacant.* Tum delatores, genus hominum, publico exitio repertum, seuera supplicia, carcer, proscriptio, exilium, & denique indicta causa mors: omnia ista ignota sunt nobis, pariter & inuisa. Accedimus ad Rempubl. cum lubet. Non adacti munera subimus, non ponimus sine causa iussi. Tutum est, priuatum agere, vacat periculo, gerere Magistratum, *non opes, nobilitas, omissi gestique honores pro crimine, non sinistra erga eminentes interpretatio, nullum ex magna fama periculum, nullum ob virtutes exitium.* Ita beati agimus vitam, cui nihil addi potest ad cumulum fortunæ, nisi perpetuitas. Tali vero sorte præditi, non tamen iustum ac legitimum (quod impudenter Barclaius dicit) odimus Regnum. Nunquam fere eo caruit Polonia: quæ (dicam Cromeri nostri verbis) *Vnius principatum semper, praeter duo exigua tempora amplexa est, bonis plerumque & moderatis, & a tyrannide*

Lib. 1. De Repub. Polona.

 nide

uide alienis vsa Principibus. Hanc antiquissimam nempe, naturæ & rationi maxime congruam, vsus commodique maximi, formam regiminis pridem adoptauimus, & constanter hucusque retinemus. Habemus, inquam, Regem, non tamen hæreditas illius, non patrimonium, sed imperium sumus. *Sedem ille Principis occupat, ne sit Domino locus.* Ex legibus habet imperium, non in leges, ciuibusque se datum arbitratur, non sibi ciues. Pulcherrima vero ista & præstantissima Reipubl. forma est, & quæ sola maxime potest esse diuturna. Effatum enim Aristotelis de conseruatione Monarchiarum est, τῷ τὰς μὲν βασιλείας ἄγειν ἐπὶ τὸ μετριώτερον *Vt regna nempe ad mensuram certam, & temperamentum reducantur.* Vnde Theopompus, cum Spartæ Ephoros instituit, quantum detraxisse potestati Regiæ, tantum eius diuturnitati adiecisse, dicitur ab eodem Aristotele. Et nonne merito? certe summa illa potestas, quæ Dei imaginem in terris præfert, firma & stabilis esse nequit, si munus suum officiumque non adimplet. Id vero tum demum optime præstabit, si ad Deum, prototypon suum, quam proxime accesserit. Porro, Deus ideo cuncta iuste regit ac gubernat, quia bonitatis sanctitatisque suæ præscripto, quasi lege aliqua adstrictus tenetur. Lex enim, vt ita dicam, ei immutabilis voluntas est, recti & æqui exactissima regula, quam transgredi nullo modo potest. Humana vero natura, cum corrupta & ad malum præceps sit, non iam a propria voluntate legem hanc petere debet, sed alterius, cuius nempe interest illam non aberrare, iudicio scriptam sancitamque, & suo assensu receptam, seruare tenetur. Ideoque leges potestatis velut custodes natæ, quorum standum est præscripto. Quemadmodum autem Diuinæ Maiestati ac potestati nihil detrahit ἀδυναμία τοῦ ἁμαρτάνειν: Immo quia delinquere non potentiæ st, sed infirmitatis, addit etiam, multumque naturam commendat; Ita & Regum non minuitur potestas legibus, quæ peccare tantum vetant, sed potius firmatur sta ilitur que. Vnde qui illas defugiunt, aperte vim Regni *peccandi licentia metiuntur.* Ideoque in odio fint necesse est, & præsidium a vi, & terrore tyrannidi parare coguntur. *Ego vero* (cum Sallustio) *cuncta eiusmodi imperia, magis acerba, quam diuturna arbitror, neque quenquam a multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat.* Sed vt pateat non nomine tantum & appellatione nobis Reges esse, & aliis Europæ Regibus potestate æquari, paucis illam edisseram. Scitum autem est illud, triplicia iura (nam Aristotelis partitio maxime perplacet) potestatis ciuilis & imperii esse. Primo consultationem de rebus quibuscunque et negotiis; deinde iudicia sine prouocatione; postremo, ius legendorum magistratuum. Ad hæc tria, tota regiminis ratio, et Reipublicæ administratio, commode potest reuocari. Nam ius primum consultationis, seu ad pacis tempus pertinet; condendo leges, promulgando edicta, cudendo monetam, publica opera procurando: seu belli suscipiendi, gerendi, finiendique negotium sustinet; et tum vtitur potestate delectus faciendi, sciscendi tributi, fœderum ineundorum. Ius alterum iudicandi, aut publica peragit, maiestatis, perduellionis, peculatus crimina; aut priuatas decidit, iuris et facti, causas. Tertium denique, potestatem creandorum Magistratuum, largiendorum honorum, beneficiorumque continet. Reges itaque Poloniæ, prima duo iura, coniunctim cum Senatu et Equestri ordine, habent. Tertium soli, sine participe aut socio, obtinent. Comitiorum nempe auctoritate, consultatio omnis peragitur; ita tamen, vt quicquid sancitum sit, nomine Regis promulgetur, et absque eius assensu concludi nihil possit, et ipse supremus sit belli dux, atque Imperator. Iudiciorum partem sibi ipse retinuit, partem Tribunali concessit, non absimili Gallico Parlamento. At honores et beneficia cuncta, sacri profanique ordinis, largitur ipse ex arbitrio. Ingens vero hoc, et Principum præcipuum munus, tanto vero in Poloniæ regno amplius, ac splendidius, quo benefaciendi occasio, materiesque maior est. Plurima sunt etenim, qua honoris et dignitatis, qua commodi maximi, beneficia; ita vt praefecturae, quae Starostias, vocamus, multae, provinciarum

Marginalia: Plinius Paneg. — Lib. 5. Polit. cap. 11. — peccandi nulla facultas. — Velleius Paterc. — Lib 4. Polit. c. 4.

provinciarum ad instar, sint, totusque earum prouentus, possessoribus obtingat, sed ad vitae tempus tantum concessus, vt, demortuo præfecto, redeat sub arbitrium Regis, continuamque largiendi, ac benefaciendi, occasionem præbeat. Hinc autem apparet, Reges nostros æqualem plerisque Regibus Europæis potestatem obtinere, alios vero etiam superare. Nam Germaniæ Rex, qui vulgo Imperator audit, tum Hungariæ, Bohemiæ, Daniæ, Sueciæ, Angliæ, bellum indicere, tributum sancire, leges ferre ac promulgare, absque comitiis nequeunt: nisi forte violato iure, & temeratis patriæ institutis. Et hac parte pares sunt Regibus nostris: tam ampla autem, nec circumscripta benefaciendi potestate, etiam multo inferiores. Duo tamen sunt regna, quæ nunc παμβασιλείαν præferunt (nam minutos illos tyranniones, quales Italia habet, δημοβόρες sciens omitto) Galli cum in quam, Hispanicumque. Cæterum, dum vtriusque primam constitutionem expendo, inuenio, in primis regnum Galliæ temperatum fuisse, auctoritate eorum, quos *Pares* vulgo vocant. Horum enim *tanta fuit olim auctoritas* (inquit Vincentius Lupanus) *vt de rebus omnibus ad Rempubl. pertinentibus, ad eos referret Rex; penesque eos esset rerum summa, & aequalis prope cum Rege dignitas.* Idem secundo libro. *Nostrates*, inquit, *de magnis, grauibus, & ad Rempublicam pertinentibus rebus, consultaturi, celeberrimum trium ordinum conuentum, olim habebant: Nobilitatis, Sacerdotii, Plebis. Fuitque tempus, quo omnia ad illum referrentur; nempe, si de pace ineunda, bello inferendo, regni procuratione alicui mandanda, & vectigali exigendo, ageretur, quod, Philippo Valesio regnante, communi trium ordinum consensu sancitum est.* Claudius quoque Sesellius dicit, triplici freno, summam Regum Galliæ potestatem, coërceri; Religionis nempe, Iurisdictionis, & Politiæ: idque deducit, & explicat. Hispaniæ vero imperium ex multis nuper coaluit regnis, & prouinciis, quæ suas leges, ad cohibendam dominationem, habuere; &, nisi illis spoliata essent, certe Principatus potius, quàm adeo solutæ legibus Monarchiæ, formam effecissent. Vis nempe, & oppressio, & quidquid strictus tuetur ensis, in causa est tam exlegis dominationis. Alioqui Asiatica tantum regna ista fuere, olim & nunc, indefinitæ, & nullis legibus circumscriptæ, potestatis. Europæis vero populis, ἄνομ@ δεσποτία, inuisa semper, & ægre tolerata. *Seruirent itaque Syria Asiaque & suetus Regibus Oriens:* (dicebat olim, apud Tacitum, magnanimus ille, & vere Ciuilis.) at nos seruitium pati non possumus, possumus vero Principatum, & Reges, qui *non dominationem, & seruos, sed rectorem, & ciues cogitarent.* Et nonne merito hanc imperii formam elegimus? Certe, si eadem apud alios obtineret, ista temere bellandi libido, ista concessa populorum latrocinia, istud, vt Seneca dicit, *occisarum gentium grande scelus*, cessaret facile; neque sub onere, & iugo, tot calamitatum, gemerent miserrimi populi, si absque assensu eorum bella non susciperentur, & immensæ cupiditati ambitionique Principum, aliquem obicem leges ponere possent. Vti quidem, apud nos ponunt, salutari prorsus instituto. Non tamen ideo, vt tu Barclai, more tuo, seu ignarus erras, seu prudens fallis.

Regnum summæ potestatis. populi uoros.

Lib. 1.

exlex dominatio.

Tacitus Hist. 4. Tac. 14. Annal.

Rex ad patrias leges, vi & armis adigitur.

Quinimmo gratulor patriæ meæ, tales Principes hactenus ei contigisse, qui non se supra leges esse, sed leges supra se rati, nihilque detrahi hinc maiestati suæ merito reputantes, vi & armis ad obseruationem illarum nusquam fuerunt adigendi. Gratulorque iterum, toto isto tempore, quo Polonia Regni nomine censetur, nisi semel temeritate paucorum mota in Principem arma, sed tumultuario impetu potius, quam iusto bello; quod intra exiguum tempus, sine clade mutua, sine offensis, placide conquieuit, nullo relicto mali fomite ac scintilla. Non sumus ergo Monarchomachi, quos pater Barclaii prolixo, nimiumque de fortuna Regum solicito, scripto oppugnauit. Immo quam simus φιλοβασιλεῖς ostendit cuiusdam regis nostri dictum, gloriantis, velut propria & non vulgari aliis laude,

Regum amantes.

se insidiarum metu omni solutum posse in gremio subditorum tutum securumque somnum capere. Et profecto beneuolentiæ erga Principes publicæ, non alibi inuenias maiora certioraque argumenta. Quid maius, quam cum nobis, non, *vt caeteris gentibus, quae regnantur, certa dominorum domus* sit, nec intra illam quærere Reges, nec tanquam necessario hærede contentos esse oporteat: Cum, inquam, *imperaturum omnibus, eligere* possimus *ex omnibus*; tanta tamen veneratio et amor erga sanguinem regium hactenus semper fuit, vt illum suffragiis et electione præterire pæne nefas putaremus. Immo etiam intra claustri monastici septa inquisiuimus stirpem regiam; et cum deesset proles mascula, non alia lege Valesio, et post Battorio sceptrum detulimus, quam vt in consortium eius vltimam Iagellonidem assumeret. Et denique illa potissimum ratio maiores nostros impulit ad cooptationem domus Suedicæ, nunc feliciter nobis imperantis, quod nempe materno sanguine Iagellonica esset. Vt vero omittam, quæ plurima adferre possem, Principibus exhibita testimonia gratæ et amantis Patriæ: certe rarum est et illustre istud, quod nuper post excessum Sigismundi III praecipua Nobilitas toto interregni tempore, lugubri et pulla veste vsa sit. Ita vt dum isto habitu, tot millium consessum, in comitiis electionis, vidissent gentium exterarum legati, stupuerint ad tantum vel venerationis, vel amoris erga Reges indicium in populo praesertim libero, et nullius haereditati subiecto. Et ne finem faciam proni huius erga Principes affectus ac inclinationis nostrae, facit tuum, Rex serenissime, (nam te hoc loco merito alloquar) tuum, inquam, imperium; quo huic et futuro seculo, vt tranquilli, benigni, moderatique regiminis praebetur exemplum, ita a nobis prompti obsequii et publicae in te beneuolentiae rarum statuitur documentum. Non perdis, inquam, o benigne Princeps, operam, dum ita cum ciuibus tuis, tanquam parens cum liberis, viuis. Refertur tibi gratia, et quo te, antequam imperares amore omnes sunt prosequuti, eodem in imperio prosequuntur; Quem tamen per singula signa, et argumenta, non opus est recensere: Cum et tibi constet omnium memoria, et nos iactare velut magna non deceat, cum longe maiora merearis. Satis est, quod isto tuo, nostroque exemplo, potissimum comprobetur, a nullis *magis Principem amari, quam qui maxime dominum grauantur.* Et cum vere Thales dixerit, inter rarissima, quae videntur, esse Τύραννον γέροντα: Ita nihil frequentius, quam amorem ciuium, erga bonos benignosque Principes: *neque mirum, eos etiam vltra priuatas necessitudines amari*, quia in illis, nostram vitam, nostram incolumitatem amamus. Vnde cum illi nos tributis et exactionibus, et mille iniuriis non opprimant; nos illis non insidiamur, non seditiones molimur, non rebelliones concitamus: quorum exempla, si vnquam, certe his temporibus, omnibus fere Regnis, adeo crebra ac funesta sunt, vt pudor sit, et vnicum dedecus seculi nostri, nominisque Christiani maximum opprobrium. Certe et Gallia vixdum requieuit, a continuis factionibus tumultuantium aut belligerantium Principum. Hispaniae imperium ardet vbique ciuilibus armis; et vel maxime tua, o Barclai, Britania Symplegadum more colliditur, cum tot furias facesque belli intestini nuper accendit: tamque longo, tam cruento dissidio euertit imperium, et Regem omni iure ac potestate spoliauit. Maxime autem populares tui Scoti, qui Principem, se vltro illis permittentem, scelere turpissimo ac perfidia, post longam licitationem, vendidere Anglis, postquam multis iniuriis et contumeliis prius captiuum affecerunt. Quamuis istud profecto non sine magna vindicis iustitiae admiratione. Vt qui delatum populi arbitrio Ecclesiae dominium, tam auide arripuerunt, illi ab eodem exuti omni potestate, in posterum precario reges sint, aut ne sint quidem, frustra Casaubono Schisma Anglicanum defendente, dum in argumentum diuinae voluntatis, factum velut approbantis, dicit (in Epistola multifariam falsa ad Frontonem Ducaeum Soc. IESV:) *Nam οὐκ ἀθεεὶ (inquit) mutationem hanc Anglicanam esse factam, longa pax secuta, quies publica, inaudita felicitas,*

Tac. 1. Hist.

Plinius Paneg.

Plinius Paneg. Plutar. in septem Sap. Conuiu. *Tyrannum senem.* Seneca de Clem.

Non sine Deo.

citas, primo Reginae Elisabethae, deinde Regis Iacobi, videntur probare. Malacia nempe et Halcedonia breuis ista fuit, his temporibus datura, quas videmus, tempestates. Cum caput Ecclesiae male constitutum; alii adigunt ad assensum impiorum dogmatum, quae suo arbitrio condidere: alii nullum regimem, et infinitam volunt, credendi quod velis, licentiam. Vtraque vero ratione, quam male tranquillitati eius regni consultum erit, tempus ostendet. Sed ad cœptam Apologiam redeo.

Nobilitas (subdit) tristibus prærogatiuis se ipsa donauit, quibus possit sibi inuicem, & impune nocere.

Cum multitudo coalescere in vnius populi corpus, nulla re quam legibus possit: Cum ne latrones quidem sine iustitia sociari posse, merito dixerit Cicero. Barclaii tamen tanta amentia et stupor est, vt populum gentemque sine iure dicat viuere. Nam, dum impunitatem scelerum, et nocendi licentiam nobis imponit, quid aliud nos, nisi ἀδίκους facit? Tanta vero vel inscitia, vel malignitas seipsam satis prodit, et refelli non indiget. Cum praesertim, quae argumento huic vicina de nobis dixi, satis superque falsi condemnent repetitam hanc calumniam. Addit vero:

Quippe Principi non satis iuris est, vt, quod peccauerint, ipse vindicet.

Ex sententia Lycurgi dixit alibi Cicero: *praemio & poena Rempublicam contineri.* Omnino vere. Nisi quod virtutis studium, commodi specie excitare satius putem, quam metu extorquere. Nam & facilis aestimatio est, quanto potiora sint, sponte suscepta, quam terrore expressa officia; Et manifestum, quod præmia bene agere stimulent; pœnæ vero iubeant tantum, non peccare. Non satis autem, non delinquere, si & bene mereri non studeas. Ideoque instituto patriæ, Principibus nostris, permissum magis *beneficiis, quam remediis, experiri ingenia nostra*; quia sufficere ad innocentiam, virtutemque putauimus, *si prosit bonos esse, cum etiam sit satis abundeque, si non noceat.* Accendunt itaque potius voluntates nostras, quam adigunt. Beneficentia, illicium incitamentumque præbent virtutis; præmia ipsi largiuntur, pœnas vero ad leges & magistratus transmittunt: Et denique ea potissimum parte ostendunt potentiam suam, qua proxime ad Deum accedunt, cui prodesse, non voluntatis tantum est, sed naturæ. Hoc est vtile, hoc ciuile imperium. Nam & *Regibus certior est ex mansuetudine securitas*: Et subditi tutiores sunt, constricto non nihil cohibitoque imperantium ferro. *Principum enim saeuitia, bellum est,* inquit Seneca. Et scimus quantas illa sæpe strages ciuium ediderit, quid lex illa Maiestatis, tam seuere, tam acerbe exercita, intulerit Reipubl. Romanæ: quam leui, quam indigna, quam iniqua causa, illustrium virorum supplicia memorentur. Scimus vero etiam, quam crebra sint apud exteros: Vbi eminentiorum papauerum capita decutiuntur sen per, vbi non vnus Aratus, Silanus aut Seianus vel neci deditur, vel carceri includitur. Nec inquirendum,

— quo cecidit sub crimine? quisnam
Delator? quibus indiciis? quo teste probauit?
Nil horum. Verbosa & grandis epistola venit
A Capreis. —

Terrent nos profecto hæc exempla, & ab illis merito cauemus. Solenni illa legis nostræ regula, *Neminem captiuandi nisi iure victum.* Etsi vero temperamentum istud seueritati nimiæ ponit obicem, nihilum tamen officit iustitiæ, neque detraxit quidquam auctoritati Principum; quibus potissimum iudicium de capite ciuium committitur; quod cum Senatu quidem peragunt, sed decernere tamen solent, magis expendendo, quam numerando sententias. Quod certe ostendit,

Epist. ad Brutum.

Plinius Paneg. Ium

Seneca de Clem.

Seneca de Clem.

Iuvenal. sat. 10.

ſatis eſſe iuris Principibus ad vindicanda ſcelera, contra quam Barclaius ſueta imperitia dixit.

Maxime ſibi (inquit) credunt.

Plaut. Pſeud.

Hic quid oppugnem neſcio, nec quo ſenſu iſta dicantur agnoſco. *Mihi ego video, mihi ego ſapio, mihi ego credo plurimum*; ait apud Comicum oculatus teſtis. Oculis enim ſuis quisque credit maxime. Et alioqui pauci ſunt profecto, qui ſuo diffidant iudicio. Certe non tu ex iis Barclai, cuius confidentia vel hoc ſcripto apparet, cum imperite, audacter tamen ἀλαζονικῶς καὶ θρασέως dixiſti multa. Cæterum, ſi nobis potiſſimum credimus, id eſt, popularibus, conterraneis, & notis hominibus, hoc ſenſu certe extra culpam ſumus. Nam externis quidem & ignotis plus credere, ſtultitia eſſet. Et *vafer ille Siculus inſuſurrat, Epicharmus Cantilenam illam ſuam* νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Ergo Scotis diffidimus, vtpote lucelli auidis captatoribus, meritoque putamus fidem etiam in quæſtu iis eſſe. Sed non immoror, & propero, vt vindicem Patriam ab infami calumnia, quam per impudentiam maximam inuſſit Barclaius.

Superbe & arroganter.

Cicero ad Att. Epiſt. 18. lib. 1.

Vigila, & memento diffidere; artus ſunt iſti mentium.

Nec minor (inquit) libido eſt libertatis in moribus, vitaque inciuili, quam in religionum, & cæleſtium rerum ſenſu; de quibus, vt placet, & ſentire volunt, & loqui: ſcilicet immani fiducia ſui, quibus ſapere alieno ductu pudet. Hinc in diuerſa hodie ſciſſæ mentes, errorumque omnium labes, quicunque antiqua ſecula polluerunt.

Qui hactenus nulla laude dignatus eſt Poloniam, immo omni compleuit vituperio, gentemque noſtram fecit,

Iuuenal.

—— *Monſtrum nulla virtute redemptum*

A vitiis ———

Quid miri, ſi reliqua pari affectu ſubiungit? Hoc nempe deerat contumeliæ, vt quibus paulo ante iuſtitiam eripuit, eos nunc religione ſpoliaret. Verum vt falſitatem eius omnem hactenus reuici, ita & hanc refellere in promptu eſt. Omnia namque potius eripi patiar Poloniæ, præterquam veram ac germanam pietatem. Immo firmiter & fidenter aſſeuero, inter omnes Europæ populos, quos hæreſeos afflauit contagio, nullam eſſe præ noſtra gentem, quæ Catholicæ religioni conſtantius adhaeſerit, nullam quæ cultus Diuini, pietatiſque publicae, antiquam & a maioribus acceptam rationem, maiori ſtudio & ardore, hucusque profiteatur. Denique nullam, quae maiori prudentia, moderatione, innocentia, in hac ſeculi praeſentis haereſibus infecti calamitate verſata ſit; et quae, in religione turbata, immotam pacem in diſſenſu animorum, conſenſum ciuium; inter inquieta nouis rebus ingenia, publicam tranquillitatem conſeruauit: Eo quidem ſucceſſu, quem nunc, Regno maxima parte auitae fidei reſtituto, laeti cont·emur. Sed vt id oſtendam, (nam profecto meretur res tanta vberius referri) inprimis nullam apud nos hæreſim natam dico. Peregre venit hoc malum, & incunabula ei primum Germania dedit, deinde illa vere *nutricula* non ſolum, vt olim Poëta dixit, *Cauſidicorum*, ſed hæreticorum etiam *Gallia*. Ab exteris nempe, a quibus ſemper aliquid monſtri hauſimus, hoc venenum. Cui temporibus illis maiores noſtri præſentiſſimum remedium oppoſuere: occluſo nempe omni aditu nouis doctrinis, & pœna conſtituta in eos, qui illas diſcerent, adferrent, ſeminarent. Nam inprimis, Vladiſlao Iagellone, anno MCDXXIV, cum nempe in Bohemia noua dogmata pullularent, acribus pœnis hæreſis prohibita, confiſcatione bonorum, imminutione capitis, & quod ſequitur, in captos & pertinaces, capitali ſupplicio: *Vt nempe* (legis expreſſa verba) *quos cenſura Eccleſiae non terreret, humana ſeueritate multarentur.* Paulo poſt eadem edicta repetita, & ſub Sigismundo primo, anno MDXLIV, peregrinatio quidem, quæ ante huic fini vetabatur, conceſſa; ſed pœnis & iudicio ſubiacere iuſſus, ſi quis

rediens

rediens (verba item legis) *qualescunque nouas doctrinas aut libros subministraret, & vti illis vellet.* Sigismundi Augusti temporibus, cum iam vicina nobis Germania arsisset hoc incendio, non mirum est, proximum parietem correptum fuisse eadem flamma, quam restinguere non erat tum virium nostrarum. Serpsit malum per totum Reipubl. corpus, legumque auxilio cohiberi non potuit. Itaque post mortem Augusti, interregni tempore, in conuentu publico, cauta dissidentibus securitas. Et Rex Henricus Valesius, eumque secuti Reges omnes iurauere, *pacem & tranquillitatem inter dissidentes de Religione tueri, nec vllo modo quempiam pœnis, in causa religionis, afficere.* Moderatione nempe ista vtendum erat, ne remedia exasperarent malum, cui tollendo impares eramus. Sed tamen iura Ecclesiæ illæsa mansere: honorque sacerdotii, a maioribus nostris ad procurationem Reipubl. admissi, nihilo est imminutus. Neque quicquam decessit Religioni Catholicæ, quæ ab ipso initio Christiani apud nos nominis, tot legibus fundata, & velut iam materfamilias facta, a noua hac, & nuper aduentitia hospite, nullo modo potuit premi, nedum veteri possessione exturbari. Tolerantia nempe hac consultum tantum est, vt inter ciues pax & quies esset; non turbæ, non seditiones, non mutuæ cædes, non internecina bella, quæ totam Europam hucusque exercent, & misere conficiunt. Cum autem cessarent publica ista odii irritamenta, facile rediit animus, concordiæ cupidus, & dissidiorum religionis pertæsus: puduitque, cum quibus patria, sanguine, amicitia, moribus, lege, imperio, coniunctus sis, disiungi opinione de Deo & Diuinis, & se mutuo, velut impios, auersari. Hinc temperato sectæ studio, semoto, qui præcipitare solet ingenia, affectu, expensum, quæ causæ Schismatis? quis ille animus, quæ mens primam fidem erroris accusans ac condemnans? vnde potestas ista separati cœtus, & nouæ Ecclesiæ instituendæ? quid in pertinaci hoc dissensu, non præceps, non malignum, non virulentum? Tum deinde quæsiere multi, quænam illa fuisset religio, qua primum maiores nostri in Christianismo instituti? Postquam vero hanc fuisse, quæ nunc a nouitiis istis impugnatur, historiæ, legum, actorum publicorum, totiusque antiquitatis testimonio, agnitum compertumque est; tum detecta nouitas, & facile spreta; plurimique resipuere, & derelictam repetiere veritatem. Restituta igitur templa, cultusque in illis Diuinus, Catholica pietas aucta, et haeresis maxima parte abdicata. Spes porro manet non vana, redituram & reliquis mentem, & *vnam fidem, vnum baptisma*, indiuisamque Ecclesiam fore, modo persistat Polonia in fraterna ista quiete ac concordia. Et certe nuper Rex noster ad tollendum religionis dissidium, celeberrimum conuentum Torunii indixerat; id decere existimans felicitatem temporum, qua, illo imperante, Polonia fruitur: vt quemadmodum domitis hostibus, pax est patriæ restituta, ita quoque mentium animorumque esset, vno ore, vna lege, ac præscripto Deum venerantium. Quamuis vero votis optimi Principis, & expectationi multorum euentus non responderit; tamen cum ego, nobilitatis nostræ pacata ingenia, dum exoletam prope hæresim, dum studia quiete & mora multum temperata expendo, negotium hoc successurum, nequeo desperare; si ab illo, quantum potest, arcerentur illi, quibus vel fouere expedit, vel certe non est integrum, schisma relinquere. Tales autem sunt Ministri, & ciuitatum delegati: dum illi commodi, existimationis, sacerdotiique retinendi; hi vero mutationis, & turbarum metu, tueri ac defendere malunt qualemcunque modo iam communem & receptam fidei rationem. Optandum igitur esset, iterum hoc negotium redire ac repeti; semotis, quantum fieri potest, istis, auctoritate Principis; sedulaque magis cura, cum primoribus Nobilitatis transigendum. Neque profecto causam video, cur amoueri non debeant, aut Ministri, adeo studio litigandi infecti, penes quos nulla est potestas decernendi, quomodo intelligendae sint scripturæ; aut Ciuitates, quas, & difficile est ad consensum reuocare, & indignum, tanquam æqualis cum nobilibus iuris, ad vnum conuentum vocari. Sed hæc Deo permitten-

 da.

da. Nunc vero, vt isto interuallo ad Barclaium redeam, facile, ex his quæ dixi, apparet, quam inique nos impietatis accuset, et irreligionis; quantoque verius ista, quæ nobis imponit, de aliis Europæ populis, et vel maxime de Britannia, id est, Anglia et Scotia dicerentur. Scotia, inquam, vbi vere mentium *σκοτία* est, et spissa caligo, vbi *ἀκαθαρσία* catarorum, et purissima illa impuritas regnat: vbi vix vllum vestigium Christianæ pietatis, et profanata ac euersa religio omnis vetus: noua vero *in diuersa*, vt dicit Barclaius, *scissas mentes* ad publicam discordiam agit præcipites, et

tenebræ. impuritas.

Ad arma cessantes, ad arma
Concitat, imperiumque frangit.

Horat. lib. 1. Ode 35.

Sed pauca, quæ adhuc restant, pari affectu de nobis à Barclaio dicta, expendamus.

Quisque (inquit) in suæ familiæ laudem intentus est, præsertim si in externos incidit, & expertes suarum fortunarum.

Certe propriam familiam ornare omni laude, nec contentum esse relicta a maioribus gloria, id demum est generosum esse. Neque puto tam amens fuit Barclaius, vt hoc in vitio poneret. Potius ostentationem in nobis accusat et damnat: *Quod si quid subinane, & non ἀφιλόδοξον*; si, inquam, aliqua iactantia est, profecto non de nihilo est; neque similis illi Scotorum, se passim regia stirpe ortos dicentium; tam vere vtique, quam Pallas, aut nescio quis ille Claudii libertus, regibus Arcadiæ oriundus erat. Et cum nemo eorum dignum quidpiam ea, quam fingit fortuna, præferat; omniumque rerum inops, & sæpe mendicus sit; *maiore cachinno excipitur vulgi*, quam ille inopinatus Stoicorum Rex irridetur a Plutarcho: qui cum magnifice dixisset * Ἐγὼ μόνος εἰμὶ βασιλεύς; mox, egestate sortis suæ admonitus, philosophaster misellus chlamydem poscit, & integumentum, dicitque † *γαρριγῶ καὶ βαμβαλίζω*. Sed, hac occasione, lubet pauca de familiarum laude attexere. Et primo Nobilitatis nostræ decora & ornamenta, deinde opes, postremo splendorem referre. Quæ etsi mira forsan exteris videbuntur, non opus tamen iudico, anxia veritatis pollicitatione fidem stipulari: Cum in re inquiri & nosci tam facili, & in hac luce temporis, nullus possit esse mendacio locus; cuius vsu cum natura ac consuetudine mea prohibeor, tum patriæ etiam causa: Non minus enim illa falsa prædicatione, quam aperto vituperio læderetur.

Cicero ad Att. lib. 2 Epist. 17. inappetens gloriæ.

Iuuenal.

In libello contra Stoicos magis inopinato quam Poëtas diuites.

* Ego solus Rex sum.

† Nam ex frigore contremisco.

Natalium itaque honor apud nos eximius est, et plerisque gentibus antecellit, plures ob causas. Prima est, quia auita nobilitas, et ab ipsa gentis nostræ origine cœpta, sola successione continuatur. Nullum ius adoptionis habemus; Nobilitatis prærogatiua ægre plebeiis hominibus confertur; et externæ, illustres quamuis familiæ, difficulter admodum ad iura gentis admittuntur: consensu nempe vnanimi omnium ordinum, qui nisi magnis meritis obtinetur. Suetonius dicit, Augustum *magni existimasse, sincerum atque ab omni colluuione peregrini ac seruilis sanguinis, incorruptum seruare populum, ideoque ciuitatem Romanam parcissime dedisse*. Sequitur plane hac parte maximi Principis iudicium Patria nostra, ideoque veterem conseruat nobilitatem, supra aliorum populorum morem, vbi solo arbitrio Regum, homines vilissima sæpe origine, et terræ filii, ad nobilitatis decus extolluntur: vbi (vt Satyricus dixit) *vna Quiritem vertigo facit*, et prout complacuit hero

—— Momento turbinis exit
Marcus Dama ——

Persius sat. 5.

Vbi denique exteri consulto accersuntur, ad supremas dignitates euehuntur, vt graues nempe sint patritiæ Nobilitati. Apud nos vero (dicam Plinii verbis) *Nobilitas non obscuratur, sed illustratur a Principe; & magnorum virorum Nepotes ac posteros, nec terret ipse, nec pauet, quinimmo honoribus amplificat, atque auget, & in vsum*

Plinius Paneg.

sum Reipublicae promit. Altera causa est, quod nothos et spurios, nec ad familiae nomen, nec ad hereditatis fortem, admittamus. Aliter quam apud exteros, vbi fere extra probrum est, taliter nasci. Et rege praesertim, quamuis extra matrimonii legem, sati, adeo non velant hoc dedecus, vt etiam iactent, praeferantque insignia parentum, leui signo addito, id est, linea transuersim ducta: At *fortuna non mutat genus.* Et quantumuis amplae opes ac dignitas, emaculare certe nequit hanc turpem notam. Vnde nos merito abhorremus, et abominamur flagitia ista tori: adeo quidem, vt si quis concubinam duxerit, prolemque post initum matrimonium susceperit, non spuria illa quidem, sed ignobilis tamen censetur; et hereditatem adire nullo modo potest. Hac ratione consulitur honori intaminato familiarum, quae vetustissimae sunt nobis, et omni laude ac dignitate splendidae. Tertia causa possit assignari, quod titulorum nominumque discrimina illa, quae antiquis ignota, nunc apud exteros passim obtinent, non habemus, et nupera lege vsurpare prohibemur. Non Duces, inquam, Marchiones, Comites, Barones et eiusmodi cognominum quisquilias, fatiscente imperio Romano, id est, ipsa temporum barbarie ortas: Quae si vltro ab externis Principibus delata quidam acceptauere, aut non spreuere potius, non tamen ordinem in Republ. faciunt separatum, nec vltra equestrem honorem, vltra claritudinem generis ac splendorem maiorum quidquam eis aut iuris, aut dignitatis accedit. Dignitas enim omnis a magistratibus, muneribus, officiisque publicis manat; et inter vere nobiles, honor natalium per se indistinctus est; magno vbique aequalitatis libertatisque praesidio. Certe et apud Romanos ius imaginum, et patriciorum honor, non aliunde, quam a Magistratibus fuit: Consulatu nempe, Censura, Praetura, Aedilitate. Isque ad posteros sola successione deriuabatur, et non amitti, non adimi poterat. Quid hoc vero, inquies, verae generis claritudini aut vetustati officit? officit certe plurimum: Titulis enim istis, quibus apud exteros honor familiarum constat, non personae, sed possessiones et patrimonia, stultissima prorsus ratione, insigniuntur. Ita vt Illustri quamuis sanguine, ac stirpe creti, nisi haeredes sint et successores bonorum, amittant titulos parentum, qui ad emptores vili saepe origine homines, vna cum patrimoniis transeunt. Et ita honor olim virtuti datus, & illi soli debitus, cedit pecuniae quocunque quaestu comparatae. Illa & genus & splendorem confert, & efficit, vt solo censu tota nobilitas constet. Ideoque merito suspecta est, & non aequiparanda nobis qui inempto, & gentilitio honore gaudemus. Apud Romanos olim quam aliter! Certe si imagines in atriis collocatae, id est, *expressi cera vultus maiorum, cum affixis hostium spoliis & rerum gestarum titulis monumentisque* vna cum domo ad emptorem transirent, non tamen in gloriam aut decus emptoris cedebant: quinimo *erat haec* (inquit Plinius) *stimulatio ingens, exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum.* Haec ratio deberet quoque apud exteros obtinere, ne aut clarissimorum virorum posteritas, parto a parentibus splendore excideret, aut noui homines in eorum decora et insignia titulorum irreperent. Caeterum antequam hoc de nobilitate finio, leue quamuis, dicendum est tamen (nam id saepe exteri mirantur) quare nempe omnes videamur esse cognomines, communi illa in ski nominum terminatione. Obiter igitur causam accipe: quia nempe patronymica & possessiua apud nos ita fere desinunt. Vnde exempli causa Hispanicus, nobis est Hiszpański, Polonicus Polski, sic Tenczynius, (quod nomen celeberrimae apud nos fuit familiae) Tenczynski, &c.

Horat. lib. Epod. 4

Plinius Lib. 35. Ibidem.

Opulentiam familiarum dum referam, nominibus earum abstinebo. Nam singulas recensere longum nimis operosumque esset: paucas excerpere, inuidiae ac offensae obnoxium. Hoc vere in vniuersum affirmo, non esse prae nostra gentem, quae propius ad magnitudinem illam opum Romanarum accedat, aemuletur, & in multis aequet. Possessiones & latifundia agrorum, non dicam, cum Persio,

priuatis hominibus tanta esse, *quantum non miluus oberret*; sed quae multorum sui iuris & potestatis in Europa principum ditiones longe multumque superent. Magna illa sunt, & vere admiranda, quae Lipsius, testimonio veterum, de priuatis Romanorum opibus dixit. Et praecipue dum Senecam adducit, Romanorum auaritiam insectantem ac dicentem: *Ager vni domino, qui populum cepit, angustus est? Quousque arationes vestras porrigetis, ne prouinciarum quidem satione contenti, circumscribere praediorum modum? Illustrium fluminum per priuatum decursus, & amnes magni magnarumque gentium termini, vsque ad ostium a fonte, vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis; nisi trans Hadrianum & Ionium & Ægeum vester villicus regnat: Nisi insulae, ducum domicilia magnorum, inter vilissima rerum numerentur.* Magna, inquam, ista, & tanti imperii amplitudine digna, illique soli propria. Polonia non tam late regnat, ideoque nec mirum, si etiam priuati angustius possideant. Attamen multorum auita patrimonia tam ampla sunt, vt si sparsae peruarias regni partes possessiones iungerentur, facile prouincias viginti, immo & triginta milliariorum (quae nobis eiusdem sunt cum Germania mensurae,) efficerent. Noui multos, qui centum, ducentos, trecentos, & amplius pagos, oppida viginti, immo & triginta possident. Sunt non pauci, qui, e ditionibus propriis, mille pedites, equites item mille leuis armaturae, quos *Kosakos* & *Dragones* vocamus, immo sunt, qui tria, quatuor millia possunt educere: Inter quos partitus est ager, vt modico addito stipendio ad omnem nutum heri militent. Quo ipso certe ad eam mensuram diuitiarum valde accedimus, quam Crassus definiuit: qui (vt Plinius dicit) *negabat locupletem esses nisi qui reditu annuo tueri legionem posset.* Reditus vero ipsi ex tam amplis possessionibus maximi sunt, sed non tam pecunia aestimandi (quanquam & ista abunde suppetit) quam copia & affluentia omnis annonae, omniumque rerum. Immensa quippe illa est, & si eo pretio veniret, eaque parsimonia absumeretur, qua apud exteros, certe facile illos, qui antonomastice olim diuites vocabantur, quos Plinius recenset lib. 33. cap. 10. facile, inquam, aequaremus. Paucis quaedam libabo. Messes, quas nos sexagenis manipulis solemus computare, tam abundantes, tamque opimae sunt, vt siliginis & tritici ex autumnali satu, multi decem, non pauci viginti millia, immo quidam & multo amplius sexagenarum (liceat mihi sic substantiue efferre,) demetant. Tantundem vero ex verna satione hordei, auenae, & omnis generis frugum. Sexagena vero triturata duos fere medimnos exhibet; quibus si pensio frumenti, quam coloni annuatim multis in locis magno numero pendunt, addatur, facile inde prouentus ingens poterit aestimari. Quid dicam de aliis commodis, quae res rustica & agricultio suppeditat? quid de varii pecoris numero ac emolumento? Cum in maiori Polonia, vbi res pecuaria viget maxime, triginta ouium millia quidam suis in praediis hyemauerit? In Russia vero, quot armenta boum? Moris est, septennio quouis redeunte, decumam partem a subditis omnis iumenti ac pecoris exigere. Et compertum habeo, quendam decem millia boum exdecimasse. Sed cum nimis longa haec expectatio prouentus videretur, illum ita diuisisse bona, vt in singulos annos plus mille acciperet. Plures autem sunt, qui, si eadem ratio placeret, non quidem tanto numero, sed tamen quotannis quingentos, sexcentos, & amplius habere possent. Piscinas non praetereo, e quibus vberrimus quoque petitur prouentus. Earum rationem veteribus ignotam descripsit eleganter & accurate *Ianus Dubrauius* Olomucensis Episcopus, Quanquam non tanta, vt ipse dixit, cura aut impendio res egeat, praesertim in Russia. Non enim ibi *in seminaria attritus & geniturae causa pisces imponuntur, non tenelli foetus inde petuntur, non piscinae in tres classes diuisae,* prout ista omnia exacte prorsus requirit Dubrauius. Sed riui suapte piscosi aggere retinentur, donec ad certam mensuram spatiumque saepe maximum, & ad integrum aliquando milliare Germanicum stagnauerint. Ita vero per triennium aquae detentae, per emissaria siccantur, ingentique piscium

Epist. 89.

Lib. 33. cap. 10.

numero possessores beant. Qui etsi vili pretio venduntur, tamen sæpe decem, immo vsque ad triginta millia florenorum vna e piscina reditus adferunt. Mellis prouentum iam antea retuli, quem solum agnouit Barclaius. Commoda item, quæ petuntur e siluis, & alia, quibus non lubet immorari. Finio itaque hanc strictam de opulentia nostra narrationem. Et vere testor, me consulto vbique minora vero dixisse. Nam credi sibi volenti, non modo falsa semper vitanda sunt, sed etiam sæpe nimis mira reticenda; Quia

Tarda solet magnis rebus inesse fides.

Ouidius Epist. 16.

Eadem cautela vtar, dum narrabo splendorem, aut luxum potius, gentis nostræ. In quo vtinam non tam vera essent, non tam magna, tamque modum egressa omnem, quam hæc sunt, quæ referam. Certe mallem, vt veram laudem continentiæ potius & frugalitatis, quam vanam hanc pompæ ac profusionis quæreret & mereretur patria nostra. Attamen vt purgem illam mendacii notam, quam imponit Barclaius, ostendamque, non falsa a nobis narrari *exteris & expertibus nostrarum fortunarum*, sed potius, quia nos suis opibus moribusque metiuntur, ægre forsan illis credenda; Dico in primis, familiam nos alere supra omnium gentium consuetudinem numerosam, splendidam, per varia genera, officia, ministeria distinctam. Modus & ratio eius apud Magnates est fere iste. Aulicos habent, seu honoratiores quosdam famulos, genere nobiles, ætate maturos, moribus graues, rerum peritia aut militaribus studiis insignes. Horum quilibet fere ad rhedam eleganter ornatam, sex equos concolores impensis Domini alit; equum præter ea, more gentis, phaleratum; tum necesse est, tres quatuorue habeat ministros; & præterea, dum seiugibus vehitur, aurigas binos, atque agasones. Aulici isti in itinere lecticam domini cum rhedis suis, in vrbe vere equitando, præcedunt egregia pompa, et semper anteambulones et deductores sunt. Munditics vero illis exacta et sumptuosa, vestis serica in promiscuo vsu, immo frequens etiam auro texta. Arma argento culta, et phaleræ, et omnia denique eleganti ac splendido ornatu conspicua. Salaria ampla habent, præter id, quod in victum et sustentationem eorum cum ministris et equis impenditur, alii quingentos taleros annuos accipiunt, alii vsque ad mille; quidam vltra annuam pensionem prædia singula, immo sæpe aliquot villas tenent, gratuito sibi concessas. Numerus talium sæpe ad viginti accedit, continuo aulæ adhærentium. Nam qui per interualla, & iussi tantum, ac vocati famulantur, illi certe quinquagenarium numerum excedunt, omnesque certis & constitutis pensionibus pacti sunt & obstricti. Aliud genus famulitii est, quos stipatores vocare liceat, nos vocamus, Komornikos; Lecta nempe iuuentus, quæ binis aut ternis aliquando equis meret: omnes item genere nobiles, & ab aulicis ætate tantum dispares, alioqui munditie atque cultu non multum dissimiles. Viginti, triginta aliquando & vltra habentur. His accedunt adolescentes, qui a cubiculo sunt, & qui penitiora circa herum obeunt officia. Et hæc nobilium est manus. Sequitur alia turba famularis. Musici in primis magno numero variique generis. Scio qui in solos symphoniacos Italos annuatim impendebat quinque, sex millia talerorum, præter mensam, quam illis præbebat. Iam vero structores mensæ, promos condos, coquos, & plurimos item officiales aulæ, qui tot laboribus sufficiant, longum esset referre singillatim. Potius custodum integras centurias, per nationes distinctas recensebo. Commune igitur laute ac splendide vitam agentibus centum, vt vocant, *Dragones* Germanciæ vt plurimum gentis; Kosakos centum, e Volochia fere accitos; centum denique pedites, quos Haidukos vocamus, Hungaros natione, continuo alere, & hanc ordinariam manum semper præsentem habere, vel securitatis, vel ornamenti caussa. Quoties vero domo prodeunt, nempe ad comitia, aut ad alias publicas functiones, triplo, immo quadruplo, maiori vtuntur comitatu. Vnde facile est, facere coniecturam, quantis impensis tam frequens & tam numerosa aula egeat, quantum

in ſtipendia, quantum in victum & amictum tot hominum erogandum ſit; quantum denique conſtet ſuſtentatio & pabulum equorum, qui magno prorſus numero, & ſæpe ducenti, trecenti & vltra aluntur. Ad alium ſplendorem gentis ſi tranſirem, ſi ſumptus varios, ac immenſos memorarem; ſi aſotos illos noſtros recenſerem, facile appareret, non aliam gentem eſſe, magis procliuem *ad cuncta, quis pecunia prodigitur*: Magnificos enim apparatus conuiuiorum, exquiſita cœnarum ingenia, cibos aliarum nationum, & quidquid opiparum, quidquid eruditi luxus ab illis inuentum eſt, paſſim & laute vſurpamus, *appoſitas* (vt dixit ille) *dapes, non tam ſapore, quam ſumptu æſtimantes.* Condimentis certe ciborum orbe nouo petitis, tanta copia vtimur, vt Hollandorum, qui ſoli iſta vendunt, teſtimonio ſciam, plus eorum abſumi in Polonia vna, quam in reliqua Europa omni. Veſtium vero ſumptus quantus ſit, teſtis Italia, quæ ingenti cumulo ſericum nobis ſuppeditat. Et negotiationem hanc apud nos præcipue exercet, alioqui (vt antea dixi) ceſſatura ab opere, cui ſoli maxime incumbit. Auro certe ac gemmis, purpura ac byſſo nitent ac ſplendent omnia; & aliarum gentium lautitia adeo longe a nobis eſt, vt parſimonia mera, ſed oſtentatione inani artificioſe tecta, videatur. Verum ſufficiant iſta, non in laudem certe, ſed in aſſertionem ſplendoris, quem narratum exteris imminuere, fidemque eius abrogare videtur Barclaius. Vltima vero eius, quæ ſupereſt praui in nos affectus aut iudicii nota, iam ſequitur iſta:

Tac. 3. Annal.

Lat. Pac. in Paneg.

Sæuire (inquit) quam decipere promptiores; & ipſi magis fraudibus, quam vi patent.

Iterumne ſæuitiam obiicit & improperat? Iterum hoc probro Patria vindicanda? Non certe: Nam & ſatis hac de re dictum eſt, & non lubet cum Balatrone iſto ταυτολογεῖν. Agnoſco vero & amplector nos non eſſe deceptores: Libenter aliis ſagacibus & aſtutis populis hanc palmam concedimus; & fatemur, illos in omni vita verſutiori ingenio eſſe, quam ſit (vt cum Plauto dicam) rota figularis. Non tamen fraudibus eorum patemus, & prudentia munimur, quæ merito *in vitio ponit & omnibus credere & nulli.* Niſi forte a Scotis ſæpius nos falſa & adulterina merce deceptos didicit Barclaius. Tales certe homines, & in re vili

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet.

Plaut. Pſeud.

Alioqui non illa nobis ſimplicitas eſt, quæ incautos omnibus efficiat. Scimus fraudulenta ingenia dignoſcere, poſſumusque non modo vitare eorum artes, ſed etiam cum illis ἀλωπεκίζειν. Cum autem a vi nos tutos eſſe dicit, cur non fortitudinem nobis propriam commendat vberius? Mereretur profecto hanc laudem armis inuicta gens, & nullius vnquam exteri ſubiecta imperio, nullius ſubacta potentia, & de qua olim Poëta cecinit:

Vulpinari.

Maxima pars hominum, nec te pulcherrima curat
Roma, nec Auſonii militis arma timet.

Ouid. de Ponto, Eleg. 5.

Latus lætusque eſſet campus, euagari per hiſtoriarum amœna ſpatia, & exinde argumenta petere fortitudinis noſtræ. Facile eſſet fuſos fugatosque parua manu hoſtium exercitus, caſtra capta, expugnatas vrbes memorare, & comprobare, nos vere obicem ac vallum eſſe, vel (vt proprio elogio vtar, quo nos honeſtauit Pontifex, poſt Chotinenſe cum Turcis bellum) *Antemurale orbis Chriſtiani.* Facile, inquam, haec omnia narrarem, niſi ſatis eſſent haec, quae hactenus dicta ſunt. Cum etiam paene pigeat, tantum operae in exiguam hanc ſcripti laciniam impendiſſe. Vnica eſt excuſatio, quod, etſi leui occaſione prouocatus, non leuia tamen, neque hactenus exteris nota, de origine, ſitu, indole, moribusque gentis & patriae noſtrae dixi.

FINIS.

XV.

CAROLI OGERII
ITER POLONICUM
SIVE
BORUSSICUM (137)

ANNo 1635. die 17. Maii, quæ Dominicæ Afcenfioni facra erat, illuftriffimus Claudius MEMMIVS, Regis Chriftianiffimi extraordinarius Legatus, Gedanum fiue Dantifcum ingreffus eft. Vrbs illa eft inter Europæ præcipuas, certe vniuerfæ illius plagæ longe princeps: alluitur & interfecatur fluuio Viftula, magno quidem illo, fed qui alio etiam alueo in mare fe exonerat ad oppidum *Kobelgrube*. Plurimum tritici illo fluuio Gedanum vehitur, vnde in Bataujam & alio tranfportatur: tranfportantur etiam ligna, aliæque merces, pelles, coria, fuccinum. Vrbs illa munitiffima eft, tam fluuiis ac mari, quam propugnaculis ad normam extructis, lapide nimirum coctili infra veftitis, ac viridi fupra gramine, etiam ad confpectus oblectationem, decoratis. Verumtamen mons illi imminet, vnde valde incommodari illa poteft. At eum montem, qui vicinus eft, habitant illi, muniuntque, fi bellum ingruit. In pede montis huius elegans fuburbium eft, vbi permulti degunt artifices, mediumque interfecat ac diducit fluuiolus, qui crebris vbique pontibus tranfitur.

Omnes fere illi funt Anabaptiftæ, nam & iftud dogma in hac vrbe propagatum eft, vti Lutheri, ac Caluini. Sunt & ibi Catholici ad feptem millia: at plures multo funt Caluiniftæ; longe plures Lutherani potentioresque. Vrbs illa quanquam fui iuris fit, habeatque Senatum ac confilium, quo fibi profpicit, fubeft tamen Regi Poloniæ, qui illi quotannis Burgrauium dat, eum tamen e corpore Senatorum eligere cogitur, præfidetque ille fenatui. At, cum folus fit a parte Regis, & e collegio Senatorum, nihil Regis commodis addere poteft, ita vt dicis tantum causa, atque ad fpeciem factus, vere dici poffit. Sciam, notaboque poftea, quod tributum Regi Poloniæ pendant Gedanenfes. Certe grauantur admodum illi, quod portus fuus a Suecis ante aliquot annos occupatus fit, exigantque quotannis a mercatoribus quatuordecim centena millia Thalerorum. Id vtique ægre ferunt vicini principes ac reges. Quod quemadmodum aboleri poffit, laborant, eritque inter præcipua huius arbitrii capita.

Gedanum abundat fontibus pulcherrimis, quibus plateæ decorantur, præfertim illo, qui in maiore platea eft, ante Bafilicam, in qua habetur Senatus : in priuatis ædibus etiam funt fontes qui diu noctuque

 fluunt

(137.) CAROLUS OGERIUS fuit Parifiis caofarum patronus in fic dicto *Parlamento*, deinde Gallico legato, comiti de Avaox, ab epiftolis. Natus Parifiis anno 1595, litteris operam dedit *Bituricis* & *Valentiæ* in Delphinatu. Ephemerides legationis Domini foi in Soeciam Daniam & Poloniam confecit, fub infcriptione:

CAROLI OGERII EPHEMERIDES five ITER DANICVM, SVECICVM, POLONICVM. *Cum effet in comitatu Illuftriffimi* CLAVDII MEMMII *Comitis Auauxii, ad Septentrionis Reges Extraordinarii Legati. Accedunt Nicolai Borbonii ad eundem Legatum Epiftolæ hactenus ineditæ. Lutetiæ Parifiorum, apud Petrum le Petit, Regis Typographum, in via Iacobæa, fub figno Crucis aureæ. M. DC.LVI. cum Privilegio Regis:* qui lectu digniffimus vtiliffimusqoe liber eft, & fimul cariffimus, ex quo iter hoc Polonicom denuo typis exfcriptum. Cælebs mortuus anno 1654, die 11. Augufti.

Reges Poloniæ cum litteris Latinis, alterum ad commissarios reginæ Sueciæ cum litteris Gallicis, qui itidem ad illum rescripserunt. Poloni in oppido *Mariae Vverder* degebant, Sueci in pago *Ionasdorff*. Locus, in quem conuenire vtrinque debebant, vocatur *Stumischdorff*. Mariæburgum Legatorum mansioni deputatum fuerat, ibique iam Angliæ legatus aderat.

XX. Quæ Dominica fuit, illustrissimus legatus in ecclesia monialium S. Brigittæ missam audiit: ab ipsa S. Brigitta hic conuentus fundatus est; erat quippe illa diues, seque e principe Nericiæ monialem fecit. Eius filia Catharina aliam ecclesiam, quæ vicina est, construxit; illa vtique sanctimoniæ fama præstans, quam ecclesiam obtinent hodie Lutherani. Post missam auditam, inuisit moniales illustrissimus legatus, illasque gaudio incredibili affecit. Interpretes erant duo religiosi ordinis Cisterciensis, qui directores illarum sunt. Conquestæ sunt, quod Sueci duos earum pagos teneant, vnde præcipuus illarum reditus est interceptus. Inter illas vna erat ex iis, quæ ante triginta annos aut amplius, a rege Carolo e cœnobio Vvasthenensi, quod prope Nicopiam est in Suecia, expulsæ sunt. Gerunt illæ in capite coronam quinque maculis rubris distinctam, ob vulnera Passionis dominicæ, quæ in S. Brigitta iuuenta sunt. Habent item singulæ annulum, qui profitentibus religionem datur, quoque desponsantur Christo. Eum habebant, quem ipsa S. Brigitta tulerat, quem sibi habere Rex Poloniæ Sigismundus, pater huius Vladislai, voluit, caroque emit. In illa ecclesia conciones Germanicæ fiunt a duobus Iesuitis, quorum alter mane, alter a prandio prædicant; habent illi collegium in suburbio vel pago vrbi proximo: matutinam ego prædicationem audiueram, in qua contra Iudæos, Lutheranos, & Caluinistas disseruit. Eorum concionandi modus hic est. Legunt Euangelium, ac post præfationem canitur, vel Hymnus vel Psalmus Germanice. Ambulatque aliquis per ecclesiam, qui pro concionatore stipem postulet, dum prædicat.

A prandio ego & Molæus ad Carmelitas iuimus, vbi concionem Germanicam audiuimus, inde vespertinas preces: postea processioni Dominici corporis adfuimus, primi cereum gestantes, reliquisque ceremoniis. Matutino tempore conciones fiunt lingua Polonica.

XXII. Illustrissimus legatus ad senatum Gedanensem se contulit. Duo illum senatores deduxerunt, reliqui in summis gradibus eum expectauerunt. Ingressus est in illud conclaue, in quo illi Poloniæ legatos excipiunt. Legatus in maiore subsellio solus sedit; a sinistra illius in alio subsellio sedebant senatores. Postquam eloquentissime ac facillime suo more perorauit, recessere omnes senatores in aliud conclaue, deliberaturi, quid illi responderent. Reuersis illis, qui syndicus est, iunior idem omnium, satis longam orationem habuit. Latine omnia; omnesque detecto capite, nam cum se legatus tegere vellet, nudi remanserunt, & ille pariter. Parietes & lacunar optimis picturis ac distichis Latinis, decorati sunt. Camino inscriptum: est *ad Rempublicam vt ad ignem.* Reduxerunt eodem modo illustrissimum legatum, quo duxerant. Adfuit nobis, cum illustrissimo legato, Colonellus *Duplessis*, Gallus, vir strenuus, ac vulneribus bellicis insignis, qui contra Moscos ac Suecos pro Polonis sæpius depugnauerat.

XXIII. Legati Bataui tres, qui his controuersiis disceptandis die Dominica aduenerant, in senatum iuerunt, iidemque a prandio illustrissimum legatum nostrum inuiserunt. Interim ego cum Florido, Molæo & aliis vidi maiorem ecclesiam, amplam illam quidem multis magnisque organis, epitaphiis ac altaribus decoratam, præsertimque vno altari, in quo iudicium vltimum pictum est, clauditurque duabus valuis. Fama est, Imperatorem Rudolphum quadraginta mille thaleros pro hac pictura dare voluisse. Lutherani hanc ecclesiam obtinent. Est item ibi

baptisterium clathris æneis clausum, quod septemdecim millibus thalerorum constitit: solida enim sunt omnia, tam columnæ, quam statuæ.

XXIV. Illustrissimus legatus noster legatos ordinum Belgii inuisit, eaque ipsa die Mariæburgum profectus est; remansi ego cum aliquot aliis Dantisci.

XXV. Profecti etiam sumus Dantisco Mariaeburgum, per feracissimos ac lætissimos campos: Sparsæ sunt vndique rusticorum domus exiguis interuallis, recte illæ ac commode e latere ædificatæ: horti amœni, cultissima arua, iugis aqoæ riuulis septa ac conclusa: pecorum in pratis infinita multitudo: pagi frequentissimi. Iucundum est ibi videre ciconias in fastigiis domorum ædificantes, plurimaque ligna nidis suis componendis ingerentes. Solent illæ cum abeunt, pullosque abducunt, vnum in nido pro hospite relinquere. Cicures sunt illæ admodum, nec hominum aut canum præsentia terrentur. Pietate sunt maxima tam erga prolem, quam erga parentes infirmos, eos quippe secum vehunt aluntque. Tribus milliaribus a Gedano Vistulam naue transuecti sumus, pari deinde confecto itinere ingressi sumus Mariæburgum.

Alluitur istud oppidum flumine, quod duobus supra milliaribus a Vistula deriuatur, vocaturque *Nogat*, scinditurque rursus antequam influat in mare. Erat olim equitum Borussorum, siue Crucigerorum sedes. Arcem ibi fortissimam extruxerunt, quæ adhuc extat. Antea pertinebat ad Polonos, at Gustauus Rex Sueciæ, nuper illud oppidum occupauit. Cum induciæ factæ sunt, ex pacto depositum est in manibus Electoris Brandeburgici, qui illud obtinet, debetque die 10. Iunii proxima Suecis reddere. Ea die illustrissimus noster legatus, legatus Angliæ, legati ordinum Belgii, legatique Electoris Brandeburgici, inter quos est Sigismundus, eius cognatus, profecti sunt ad locum tractatui destinatum, *Stumischdorff*, duobus a Mariæburgu milliaribus. Sueci in pago *Ionasdorff*, Poloni in oppido *Marien Vverder*, habitant, seque diebus conuentis in tentoria diuersa conferunt, quæ hinc inde sunt in extremitate pagi. In medio pago tentorium est pro mediatoribus: ad singula tentoria milites dispositi sunt, sunt præterea equitum cohortes ex vtraque parte; Sueci habent Finlandos, Poloni Tartaros arcubus suis ac pharetris pulchre instructos.

Polonorum comissarii sunt Iacobus *Zadik*, Episcopus Culmensis & Pomesaniensis, nominatus Cracouiensis, Cancellarius Regni. Christophorus *Radziwil*, Palatinus Vilnensis, magni Ducatus Lituaniæ generalis. Raphaël *de Lesno*, Palatinus Belzensis: Ernestus *Doenhoff*, castellanus Pernau. Remigius *Zaleski*, Regni Referendarius: cancellarius, vti nostri Episcopi, indutus est: Ernestus *Doenhoff*, more nostro, aut Germano. Cæteri tres in veste Polona.

Suecorum comissarii sunt, Comes *Brahe*: *Vrangel*, Generalis: *Ochsenstiern*, senator: Ioannes *Oxenstiern*, cancellarii filius; Nicodemus.

Statim atque aduenit legatus noster, Poloni eum inuiserunt, reddidit illis in illorum tentorio suas salutationes: Sueci itidem illum inuiserunt, reuisit illos. Conuenerunt deinde in mediatorum tentorium legati, effeceruntque, vt se partes aduersæ salutarent. Illustrissimus legatus noster cum Hollandiæ legatis ducebat Suecos, quos sibi elegerat, legatus Angliæ ducebat Polonos in medium, qui interiectus erat inter vtrumque illorum tentorium, locum æquis passibus incedentes, seque vicissim magna cautione obseruantes, cum pedetentim aduenissent, priores legati manum pileis admouerunt, quo factum est, vt hinc inde partes aduersæ se detexerint, paucula verba simul collocuti. Vt hoc tantum opus inchoarent, totum diem insumpserunt mediatores, redieruntque Mariæburgum ad mediam noctem; ita vt diei Veneris aduentus scrupulum de comedendis carnibus, quæ paratæ erant, plerisque iniecerit.

XXVI Constituendis domiciliis nostris transegimus.

XXVII. Legati omnes in arcem Mariæburgi, vbi Sigismundus habitat, conuene-

runt, deliberaturi quid facto opus esset. Conclusum est tandem ab illis, vt hæ duæ propositiones partibus fierent, in hæc fere verba:

Vtrum placeret Vladislaô Regi, pro se, Fratribusque suis, iuri, quod in Regno Sueciae habet, renuntiare, his legibus ac conditionibus, vt, si Christina sine prole moriatur, idem Regnum Sigismundus obtineat.

2. *Vt ditiones in Liuonia ac Prussia, per haec bella a Suecis occupatae restituantur.*

Has propositiones illustrissimus legatus noster sumpsit, earumque exempla cæteris legatis describi curauit.

XXVIII. Dies Pentecostes fuit, quam pie, si Deo placuit, transegimus. Ecclesia Mariæburgi Catholicorum semper fuerat. In eam per hæc Suecorum bella ante decem annos se Lutherani intruserunt: itaque factum est, vt inter Catholicos ac Lutheranos communis relicta sit. Habent Catholici duo altaria: Lutherani vnum. A summo mane ad horam nonam locum obtinent Catholici: ab nona ad meridiem Lutherani; qui quidem sunt multo maiore numero, maioribusque opibus. Sunt quippe tres aut quatuor tantum in vrbe Catholicorum familiæ, reliqui ex pagis vicinis conueniunt. Vnus sacerdos illis omnibus ministrat, nam officialis, idemque parochus, paralyticus est. Ergo vicarius ille sacerdos omnia munera solus obit, auditque in Paschate septingentos confitentes, & bis in die festo prædicat. Illustrissimus legatus cum posset priuatim Missam audire, vt hanc consolationem miseris Catholicis daret, maluit ad Ecclesiam illam se confere, vbi ille nosque Dominicum Corpus communicauimus. Audiit deinde concionem Polonicam: rediimus aliqui statim post meridiem ad vespertinas preces. Officialem deinde, virum bonum ac doctum in horto sedentem inuisimus. Exiguo post tempore in eadem ecclesia, cum iisdem, organis Lutheranos canentes exaudiebamus. Nec illud modo, sed & Caluinistas ex arce egredientes intuebamur; interim dum ille senex, infinitas, quas senserat, quasque timebat, calamitates, nobis recensendo, lacrymas ex oculis eliceret.

XXVIII. Legati ad tractatus locum conuenerunt. Ea die diuersæ partes procuratoria sua ediderunt, eaque in legatorum manibus deposita, Polonorum quidem apud legatum Galliæ; Suecorum, apud legatum Angliæ. Vtraque pars protestata est, ne qualitates, quas Regi diuersæ partis dabat, sibi, vel suo regi Reique publicæ nocerent, si forte tractatus ad optatum finem non peruenirent: quæ protestationes etiam in manibus legatorum depositæ sunt, & quas se recepisse legati scripto testati sunt; in quo scripto siue cautione insertæ erant illæ protestationes, descriptæ ex authentico, quod in manibus legatorum manet. Alia item cautione separata legati polliciti sunt, se (re infecta) procuratoria partibus bona fide restituturos. Scripsi ego cautiones illas, quæ ab legato nostro ac legatis Hollandiæ subscriptæ sunt.

At magna illa die contentio mota est, eo quod Poloni in suo procuratorio omiserant nuncupare Christinam, *Magnam* Principem Finlandiæ, & tantum princ: Finl. scripserant.. Petebant Sueci, vt nouum procuratorium a rege Poloniæ mitteretur, nec se vlterius procedere posse. Respondere Poloni, id consilio factum non fuisse, nec istud verbum *Magna*, addere quidquam, vel demere iuri, quod habet Christina in illa prouincia. 2. non agi in hoc tractatu de Finlandia, nec in eo controuerti: agi de Suecia, Liuonia, & Prussia. 3. cui bono hæc tituli omissio? Dicebat legatus noster, nec se etiam percipere posse, quamobrem pro hac appellatione Sueci tantopere contenderent, se quidem in Italia didicisse, quod M. Hetruriæ dux, ducis Sabaudiæ literas accipere recusasset, eo quod *Magni* titulum omiserat. At non id, sine ratione factum, quia hic *Magni Ducis* titulus erat illi præcipuus, verum tamen quod ad Christinam, cum reginæ

nomine nuncuparetur, istud M. principis nomen, dignitatem eius non augere Nihilominus quandoquidem id Sueci pertinaciter postulabant, satisfaciendum illis esse, quod & ipsum Polonis laudi tribuetur, qui se tam æquos propensosque ad constituendam pacem exhiberent. At Radzivilius, prærepta collegis suis deliberandi facultate, dixit,se illis arbitrium suum liberum relinquere, adduci se non posse, vt aliud procuratorium a rege petendum existimaret,se suosque collegas a Suecis ludificari, qui hos scrupulos inicerent. Post infinitos circultus tota die ob hanc litterulam factos, deuentum est tandem in hanc pactionem, vt cancellarii Poloni manu *Magnae* nomen adscriberetur. Rediimus in multam noctem.

XXIX. Post egressos ex ecclesia Lutheranos,Missam audiuimus. A prandio litteras scripsi ad fratrem, ad sororem, ad D.de *Son-Germano*: traditæ sunt illæ Vallæo illustrissimi legati cubiculario, quem in Galliam mittebat.

XYY. Legati ad conuentus locum redierunt. Cum e curru noster descendisset, ad prandium ab illustrissimo Poloniæ cancellario inuitatus est. Omnes commissarii aderant, excepto Radziuilio, erant præterea alii septem nobiles. Auaugurius, Theologus noster, egoque assedimus. Propinatum est regum Galliæ & Poloniæ incolumitati. Omnes conuiuæ Latine, plerique etiam Italice ac Gallice loquebantur, vinum Hungaricum, Rhenanum, Gallicum, album, rubrum præbitum est, non sine cereuisia. Pisces magni optimique appositi. Plurima inter conuiuas amicitiæ beneuolentiæque significatio facta. Iuimus inde in commune mediatorum tentorium, ac sibi inuicem legati ediderunt cautiones, quas partibus pro receptis earum procuratoriis ac protestationibus dabant. Cum legatus noster *Claudii Memmii* nomen subscripsisset,& vulgo nomine *Auauxii* nuncuparetur, subueritus est, ne Poloni, quibus suam cautionem dabat, istud ignorarent, nec istud nomen agnoscerent. Itaque misit me ad eos, vt peterem, si illa subscriptione essent contenti. Ingredienti ad illorum tentorium vniuersi mihi assurrexerunt, cumque mandatum meum exposuissem cautionemque edidissem, dixissemque, legatum nostrum Cl. Memmium vocari, esseque illustrissimæ illius familiæ nomen, sic omnia instrumenta subscribere solere,si matrimonii contractum faceret, si testamentum conderet, id nomen subscriberet. Vno illi consensu cancellarii ore mihi responderunt, se esse contentos; subiunxit dux Radziuilius: hos scrupulos (inquit) faciant Sueci,nos non facimus. Quæsiuit deinde a me palatinus Belzensis, num illustrissimus legatus e gente Memmia esset, cui Passeratius opera sua omnia nuncupauit? cum annuissem. Non est, inquit, nobis,neque cuiquam, qui litteras amet, ignota gens illa, continuoque recitauit tria aut quatuor carmina Passeratii,

Pace tuo, Memmi, nihil ignorare videris.

Accepi inde tacitus apud me omen, Memmium hunc nostrum, qua prudentia & felicitate præditus est, præcipuum pacis huius conciliatorem fore, vt vere Poloni ac Sueci in posterum profiteri possint,

Pace tua, Memmi, fruimur.

Hac die propositiones duæ Mariæburgi, apud quatuor legatos 16. Maii factæ, partibus oblatæ sunt ab illustrissimis legatis. Sueci respuerunt illas: hanc autem propositionem fecere, quam ad Polonos illustrissimi legati tulerunt:

Vt Rex Poloniae iuri haereditario, quod in Sueciam praetendit, pro se ac suis haeredibus fratribusque, pure ac simpliciter renuntiaret. Suecos Borussiam relicturos Polono, dum sumptus belli illis refunderentur, Liuoniam retenturos.

Lata est hæc propositio ad Polonos a dominis mediatoribus. At quia & ardua, & iniqua illis visa est, nihil omnino responderunt, dilatus itaque est conuentus ad perendinum. Nos ad mediam noctem Mariæburgum rediimus.

Vltima die Maii Lutherani ac Caluinistæ ieiunium sibi, pro obtinenda pa-

ce

ce indixerunt. Ego cum Theologo nostro ac Molæo ad saltum siue lucum, vrbi proximum, deambulatum iuimus. Nondum albæ spinæ flos patuerat, gemmæ tantum florum apparebant, at folia erant explicata. Multi vndique pascuntur equi, armenta, ac pecora; opimæ, ni Deus auertat, belligeraturis prædæ. Inde ad Reuerendum Officialem iuimus, cordatissimum senem, qui nos cœna excepit.

Prima die Iunii redierunt partes, Legatique Illustrissimi, ad conuentum. A prandio conuenerunt in tentorium commune Legati. Noster postea ad Polonos iuit, vt responsum ab illis quæreret, super propositione a Suecis præcedenti conuentu facta. Nihil illi certi responderunt, præsertim cum viderent, Suecos pertinaciter velle, vt antequam in alios controuersiæ articulos descenderetur, primo & quasi prologi vice, Rex Poloniæ Regno Sueciæ renuntiaret. Huic ego congressui non interfui. At audiui Illustrissimum nostrum Legatum cæteris Mediatoribus referentem, spem esse, vt Poloni regno Sueciæ renuntiare velint, sub bonis conditionibus ac mediis, quæ media vel ab illis expectanda, vel a Suecis, vel certe ab ipsis mediatoribus excogitanda. Hæc itaque mediatores delineauerunt.

1. *Abrogentur leges durae latae contra domum Sigismundi, ita vt liberum sit Suecis ex eadem Reges sibi sumere.*

2. *Fiat satisfactio Regi Vladislao, & eius Fratribus ex terris Liuaniae, prout Regi cum Ordinibus Polaniae conuenerit.*

3. *Fiat firma amicitia inter vtrumque Regnum. Et Regina Christina iungatur matrimonio eum marito non inimico Regi & Reip. Polonae. Idem faciat Vladislaus vice versa.*

4. *Liberi nasecituri ex Vladislao & coniuge eius ex vna parte, Christina atque marita eius, ab altera parte iungantur matrimonia.*

5. *Vt mutua ferantur auxilia contra vtriusque partis hostes.*

Cum hæc in pugillaribus meis descripsissem, Illustrissimus Legatus noster cum Hollandis ad Suecos iuit, petiitque ab iis, numquid a propositione, quam Polonis fecerant, discedere vellent, aut saltem eam mitigare, vt facilior pacis constituendæ via iniretur. Negauerunt; petieruntque quodnam fuisset Polonorum responsum; se illud iamdiu expectare, & numquid Regno Sueciæ renuntiare vellent, antequam vltra procederetur. Respondit Legatus, non id gratis, neque tam cito facturos Polonos; spem tamen affulgere, vt id faciant sub bonis mediis ac conditionibus. Interim iussit me legere quinque propositiones a mediatoribus excogitatas, quas Nicodemus me dictante exscripsit. Ad primam statim responderunt illi; Agi nunc de renuntiatione iuris hæreditarii, quam volebant ab Vladislao fieri: de futura electione sermonem fieri non debere: esse incolumem suam Reginam, nullum illi neque dandum, neque designandum successorem. Respondit Legatus, at delenda est illa nota, quæ Sigismundi familiæ aspersa est, cum ex illa neminem in posterum ad Regnum Sueciæ eligi posse, sub pœna Maiestatis, decretum est: tollendaque est omnis odii præteriti memoria. Comes *Brahe* replicauit, id factum iri per amnistiam, quæ constituta pace vtrique populo iniungetur. At illa amnistia (inquit Legatus noster) tametsi odia quiescant, non abolebit hanc maculam, ac nisi abrogetur istud decretum, Sigismundi familia, cum qua deinceps Sueci amicitiam se inire velle profitentur, peiore apud illos conditione erit, quam alienissimi mortalium, qui in Sueciæ Reges eligi non prohibentur. Restiterunt pertinaciter Sueci, quod quidem eos iniquissime facere, omnes qui hic Legatis nostris aderamus, vno consensu iudicauimus.

Cum in tentorium commune redierunt Legati, ac dies inclinaretur, concluserunt res proferre in sequentem conuentum, vt de principali negotio, tam

de renuntiatione Regni, quam de prouinciis tractarent. Itaque me cum Secretariis Hollandiæ ac Brandeburgi, ad Suecos miserunt, vt hoc illis significarem; responderunt illi, se expectare responsum Polonorum, rogareque mediatores, vt illis super hac re satisfieret, priusquam hinc discederent. Iterum miserunt Illustrissimi Legati ad Suecos Agentem Regis Britanniæ, Gordonum, qui eadem, quæ nos, inculcaret, nec ille quicquam profecit. Contulit ergo se ad Polonos Legatus noster, dixitque Suecorum mentem; eos responsum velle super renuntiatione Regni pura ac simplici, alioquin ad congressum non redituros. Responderunt Poloni, se renuntiationem puram ac simplicem facturos nunquam, facturos tamen propediem sub honestis ac iustis mediis ac conditionibus. Interim se biduum petere ad concludenda illa media, quæ vel scripto ad mediatores mitterent, vel se ad locum conuentus sisterent, præmonerentque Legatos, vt tam illi, quam Sueci adessent. Relata sunt illa ad Suecos per vnum ex Legatis Brandeburgicis. At quæ differentia sit inter hanc responsionem, & præcedentem? Ea nimirum, quod Legatus Galliæ sibi spem affulsisse tantum dicebat, quod Poloni renuntiaturi forent, nec quicquam tamen certi responderant: at hac vltima vice Legato eidem præcise responderunt, se renuntiaturos.

Allatum est, incerta tamen fama, triginta naues Anglicanas in fretum Daniæ, quod Oresunda vocatur, peruenisse in auxilium Polonorum.

II. Iunii quieuerunt tam partes, quam mediatores. Auaugurius se Dantiscum contulit. A prandio cum Theologo nostro, & Varenno, vrbis propugnacula lustraui, hortosque, nec florum nec arborum frugiferarum inopes; pyrorum pomorumque flores explicatissimi erant. Lilium conuallium, *Muguet*, florebat, tulipæ flauæ ac rubræ.

III. Quæ Dominica erat, ad Ecclesiam nos contulimus. Vbi nebulones quidam, antequam hora nona esset, quæ est præscriptus inter Catholicos ac Lutheranos limes, tintinnabula pulsauerunt; vnde factum est, vt Lutherani capite operto, at in silentio tamen, Ecclesiam implerent, quam ob rem apud Burgrauium Illustrissimus Legatus conquestus est. Adiit vero post Missam Reuerendum Officialem, apud quem per horam remansit A prandio inuisit Illustrissimum Legatum nostrum, Legatus Illustrissimus Angliæ.

IV. Rediimus ad conuentum, conclusum est in tentorio mediatorum, vt Illustrissimus Legatus noster ad Polonos secum ferret, sciscitaturus, quid responderre vellent ad conditiones illis propositas. Ederent tandem, quid præstarent, quid a Suecis postularent: fidenter animi sui vota mediatoribus communicarent. Sedebat omnium medius Legatus noster, habebatque a dextris Cancellarium Pol. Radziuilium, Pal. Belzensem, D. *Doenhoff*; a sinistris Legatos Hollandiæ & Referendarium Pol. Vocauit me Legatus meus, Hollandi suum item Secretarium vocauerunt, quem comitati sunt Angliæ & Brandeburgi Secretarii. Propositionem suam disertissime ac grauissime fecit noster Legatus, quæsiuitque, num Legati Hollandiæ aliquid adiungere vellent; nihil illis subiungentibus, inierunt inter se consilium Poloni, cumque resedissent, Cancellarius honesta verba ex more præfatus, subuereri se dixit, ne, si quid ipsi priores offerrent, Sueci inde superbiæ occasionem caperent. Deinde se ad Regem scripsisse, a quo nondum responsum acceperant. Cum Legati respondissent, se in sinu seruaturos quod ab illis dictum esset, nec ad Suecos relaturos: Se tantum id cupere scire, quænam illorum mens esse possit. Idem Legatum Angliæ & Marchionem Brandeburgensem a Suecis exploratum iuisse, vt deinde mediatores inter se, de mediis ad concordiam conducendibus, arbitrari possent. Subiunxit itaque Cancellarius protestatusque est, se, collegasque suos non Commissariorum nomine, nec quasi personas publicas, sed quasi priuatos de negotiis præsentibus sermonem inire.

Æquum

Aequum porro se existimare, vt, quandoquidem id tantopere Sveci contenderent, Rex Vladislaus iuri haereditario, quod in Sueciam habet, renunciet: at illum iidem ipsi Sueci eodem momento, in Regem Sueciae eligant; Ita vt ipse Regnum Sueciae, vel per se, vel per Vicarium administrare pro libitu possit.

Casimiro Regis fratri, Principatus Finlandiae detur, & Sorori dos, vti ex legibus Sueciae cautum est.

Restituantur Polonis duae Prouinciae, Liuonia, & Borussia: & insuper Esthonia, quae ex pactis cum Rege Ioanne, Sigismundi Patre, factis, Polonis tribuè debebat.

Restituantur naues captae in bello, tormentaque bellica.

Restituantur ea, quae in portubus ac alibi, sub specie vectigalis, praeter modum constitutum, Sueci receperunt.

Restituantur fructus villarum & pagorum, quos per has inducias vltra constitutos terminos inuaserunt.

Restituantur in Sueciam & in patrimonia sua exules Sueci, quorum nullum aliud crimen fuit, quam quod Sigismundo adhaeserint.

· *Caeterum, quod ad Christinam pertinet, Regem Vladislaum, qui consanguineus illius est, eius seruandae instituendaeque curam, pro sua pietate, suscepturum.*

Subiunxit Dux Radziuilius, *Legitimos Vladislai pro hac infantula metus, nè homines barbari, crudeles, regnandique auidi, eius vitae insidientur; innotescere omnibus mortalibus, quomodo ab omni aeuo erga Reges suos ipsi se gesserint: semel malos tales praesumi semper debere.*

Vt verum fatear, dum hæc Poloni ferio ac distincte explicabant, interdum meas me aures fallere; interdum me somniare mihi videbar, cum illos tam procul a mente Suecorum, atque ab illis, quæ nobis sperare fecerant, recedere videbam. Credo equidem, eos sic loqui voluisse, vt iniquitati Suecorum aliquid reponerent. Certe cum Legatus noster vna cum Hollandis hæc retulit aliis mediatoribus, stupefacti sunt omnes. Statuerunt itaque, adeundos esse Suecos, tentandosque, an aliquid de suis propositionibus remittere vellent, quod si facerent, idem postea Polonis proponeretur. Legatus noster censuit proponi Suecis posse, vt, præterquam e Borussia, etiam e Liuonia cederent. Dixit Angliæ Legatus, eos id facturos nunquam. Sed si tanta pecunia illis detur (inquit Legatus Galliæ) vt Sueciæ Proceres, quos inter, Liuoniam Gustavus partitus est, aliunde patrimonia sibi comparent, nam, si illorum commodis prouideatur, facile Liuoniam Polonis permissuros, quæ ad Sueciæ Regnum olim non pertinuerit. Cum quæreretur, vnde tanta pecunia corradi posset. Ex vectigali (inquid Legatus noster) quod in Dantisci portu Sueci obtinet, continuetur illud ad aliquot annos. At istud non permittemus (inquiere Hollandi) neque id permittet Rex meus (inquit Legatus Angliæ.) At permisistis a tot annis (subiunxit Gallus:) fecimus id quidem, respondere illi, sed rationes, quæ nos impulerunt, nunc cessant. Iuit inde Legatus noster cum Hollandis ad Suecos: Nec quicquam de his, quæ a Polonis dicta fuerant, attigerunt, petierunt tantum, num aliquid de suis propositionibus remittere vellent? negauerunt; dixeruntque, se nimis iam multa obtulisse. Proposuit Legatus Galliæ, num de Liuonia decedere vellent, si belli sumptus refunderentur? Responderunt, se nec velle, nec posse, nec proponi ilis debere. At inquit Senior ex Legatis Hollandiæ, cur ergo vobis Rex Poloniæ Sueciae Regnum permittet, gratisne faciet istud? Quid curamus (replicauit Comes Brahe) de illa renuntiatione; numquid vanus Regni titulus duabus feracissimis Prouinciis, quas iure belli possidemus, compensari debet? Vosne Hollandi, Hispaniarum Regi, vt Domini vestri nomen abiiciat, minimam e prouinciis vestris velletis concedere? Non istud quidem imprudenter (respondit Hollandus) nec de contiguis prouinciis faceremus. Sed aliquando

Gades occupauimus, pro quarum recuperatione, si Rex Hispaniae iura, quae in nos prætendit, remittere voluisset, libentissime illi suas Gades restituissemus, quæ Hollandiæ non cohærent, vti Liuonia ac Borussia ad Regnum Sueciæ non pertinent. Quid multa? affirmauere Sueci, se Liuoniam reddituros nunquam, idque mandatis suis expressissime vetitum. Proximus conuentus ad diem, qui Dominici Corporis festum sequitur, a Legato nostro remissus est.

V. Legatus noster Illustrissimus ad Insulam Marianam, *Marien Vverder*, se contulit, vt Polonos inuiseret, quibuscum pransus est: duos tantum e nostris secum duxit. Anaugurius Gedano rediit cum Henrico *Canasilles*, Gallorum Consule.

VI. Illustrissimus Legatus, Legatum Angliæ indeque Legatos Hollandiæ Mariæburgi degentes inuisit. Cum Legato pransus est Baro de Dona, cuius Patruus anno 1586. cum Duce Meduanæ, in vtriusque exercitus principiis atque conspectu, pugnauerat, atque a Duce in fronte ense vulneratus fuerat, cum prior ille Ducem in galea sclopeto minori attigisset. Refert id etiam Thuanus in historia.

VII. Dominici Corporis festum celebrauimus. Salutauit in Ecclesia Illustrissimum Legatum Canonicus quidam Vvarmiensis, natione Suecus, vir pius grauisque. A prandio Commissarios Suecos habitantes in Ionæ pago, Legatus inuisit.

VIII. Ad locum conuentus Commissarii Mediatoresque se contulerunt. Pransus est Legatus noster apud Palatinum Belzensem sub tentorio. Interfui ego huic conuiuio, bibitumque est rite: & quia laute vino Hungarico excepti fuimus, Palatinusque tametsi senex, lætissimum se, Musarumque ac musices studiosissimum exhibuit, ego Varenusque in lætitiæ cantica erupimus. Nihilo segnius, ad commune mediatorum tentorium conuenit Legatus noster, qui hinc ad Suecos cum Legatis Brandeburgicis iuit; cum inde Legatus Angliæ cum Hollandis ad Polonos iret. Nihil illo die profectum est. Legatus noster, cum hortaretur Suecos, vt ad pacem ineundam faciliores se præberent, illique se iam toties sententiam explicasse dicerent, neque Liuoniam se restituere posse affirmarent: Sit istud ergo fixum (inquit Legatus) ne restituite nobis Liuoniam, quandoquidem tanto sanguine, tantisque sumptibus illam comparatis, ibique constituistis reditus vestros; At vendite nobis illam, pecuniamque aliis vsibus vestris tam publicis, quam priuatis collocate: nunquid istud & pacis perpetuæ & mediatorum Regum gratia facere potestis? Cum statim responSere vellent: Ne properate (inquit Legatus) nobis responsum dare, scribite ad Ordines Sueciæ: qui vobis restituere vetuerunt, non vtique vetuerunt vendere. Cum perseuerarent in sua sententia, dicerentque, Ordines non ita commode conuocari posse, rediit in commune tentorium Legatus, quo etiam reuersi Angliæ Hollandiæque Legati dixerunt, Polonos duriores etiam quam antea esse factos, qui dicerent; si sibi Liuonia & Prussia a Suecis restitueretur, nescire an Rex Vladislaus Regno Sueciæ renuntiare vellet, nam Liuonia ac Prussia ad coronam Remque publicam Poloniæ pertinet, Regnum Sueciæ pertinet ad Vladislaum priuato iure, qua de re solus ille statuere potest: Regem intra paucos dies propius aduenturum, cuius voluntatem exploraturi sint, clarius responsum Mediatoribus atque adeo Suecis edituri, qui se ad conuentum non redituros, sed in suo pago remansuros, donec respondeatur, polliciti sunt. Sub vesperum Commissarios Polonos salutauit Illustrissimus Legatus noster, ac Mariæburgum hora nona regressi sumus.

IX. Post maximam diei partem studiis Germanicis insumptam, inclinato iam die, iuxta fluminis, quod Mariæburgum alluit, ripam, subobscuro, at placido tamen, cælo deambulauimus.

X. Quæ

X. Quæ Dominica fuit, Ecclesiam adiuimus satis tarde; vnde factum est, vt præces nostræ in tempus, quod Lutheranis assignatum est, excurrerint: Scilicet, vt superiore Dominica, se in Catholicos ac præsertim in Legatum, cuius persona apud omnes gentes sancta esse debet, peccasse meminissent. Itaque tametsi nona sonuisset, non nisi postquam Ecclesia excessimus, campanas pulsauerunt.

A prandio ex postulatione Principis Sigismundi, Illustrissimus Legatus noster ad Ionæ pagum se contulit, nonnulla cum Suecis tractaturus super restitutione locorum, inter eos & Marchionem Brandeburgensem facienda, vtique deinceps, neuter ille inter Suecos Polonosque censeri & esse posset. Nihil, quod acceperim hoc colloquio perfectum est, cui non interfui.

XI. Quæ D. Barnabæ dies fuit, Missam in Ecclesia audiuimus. Festus hic dies apud hos Catholicos non est. Inuisit Officialem Legatus noster, quem de profectione cogitate audierat. Monuit illum vt maneret, nihil timendum dum adesset Legatus, hoc se facillime a Suecis, qui propediem in vrbem restitui ex pactis debebant, impetraturum. At persuaderi infirmus senex non potuit. Petiit deinde Legatus, vt saltem Vicarius maneret, qui valentior erat: Vocatus est itaque Vicarius, qui nec ipse adduci poterat, vt maneret. Promisit denique post multas Legati piissimi rationes, cui lacrymæ identidem inter loquendum suboriebantur, se cum pusillam suam supellectilem alio transtulisset, in vrbem reuersurum, vt Dominica sequenti officium Diuinum celebraret. Experientia præteritorum temporum hos illis metus incutiebat: nimirum Officialis se ab Suecis ante sex annos fugatum, ac, dum fugeret, in vitæ discrimen ab insecutoribus adductum, Vicarium vero suum per nouem hebdomadas in carcere conclusum fuisse asseuerabat. Ac pro sua desensione allegabant identidem verbum Euangelii, *Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Sub vesperam extra ciuitatem deambulauimus.

Ipsa die litteræ allatæ sunt Hamburgo ad illustrissimum Legatum, quibus narrabatur, vigesima die Maii, Mareschallum Castillonæum, exercitus Gallici Imperatorem, pugna duarum horarum inter Namurcum & Leodium, exercitum Regis Hispaniæ, qui quindecim millium erat, fudisse: septemdecim bellica tormenta capta: septem millia hominum cæsa, ipsumque Marchionem *de Aytona*, Hispanici exercitus Ducem, aliosque permultos insignes viros: multos itidem esse captiuos factos, inter quos Coloredum, quem in Italia multa crudelia facta commisisse, recordatus est Legatus noster.

XII. Legati Hollandiæ Illustrissimum Legatum nostrum inuiserunt.

XIII. Illustrissimum Legatum in peninsulam arboribus consitam, vt se ab infirmiori valetudine, qua per hunc diem tentabatur, recrearet, deduximus. Illico tam florum, qui ex albispinis exeunt, odore atque conspectu, quam ex deambulationis exercitio, recreatus est.

XIV. Illustrissimus Legatus noster ex postulatione Principis Sigismundi, ad Ionæ pagum iuit, vt a Suecis induciarum prolationem pro duabus amplius hebdomadis impetraret. Noluerunt; Vidimus fortalitium, quod in ripa fluminis constituerunt, ibique tormenta bellica militesque collocatos.

XV. Commissarii Sueci Illustrissimum Legatum ad prandium in diem Dominicam inuitauerunt, quod me Principi Sigismundo significare iussit, vt illi spes fieret, aliquid a Suecis impetrandi. Sub noctem allatæ sunt Legato litteræ ab homine Normanno, vetustæ illæ quidem, nimirum super rebus Daniæ scriptæ.

XVI. Legati Angliæ Hollandiæque ac Brandeburgi, Commissarios Polonos conuenerunt ad Nudorffium, qui se potestatem dixerunt habere, vt Regno Sueciæ renuntiarent, si Borussia ac Liuonia illis restituerentur. Istud retulerunt Legato nostro Brandeburgici. Mane Legatus Angliæ nostrum inuiserat. Toto pomeri-

diano tempore ego & Theologus libros Burgrauii Mariæburgi euoluimus, vbi Leonardi Marandæi, amici mei, fabulam, quæ *Ariades* inscribitur, deprehendi, permultos in Iesuitas libellos, Thuani vbique historiam in omnibus ferme bibliothecis. In libro Latino *de statu Galliae sub Carolo IX. & aliis*, legi fabulam manu-scriptam, de quadam tabula, quam summus Pontifex ad Cardinalem Lotharingiæ mittebat, vbi a Michaële Angelo B. Virginis imago depicta erat, pro qua imagine alia substituta fuit, dolo protestantium scilicet, quæ Cardinalem obscœnis amplexibus implicatum exhibebat, &c. In cœna appositus nobis est ca pio ponderis viginti quatuor librarum, qui triginta tantum assibus emptus fuerat.

XVII. Dum Illustrissimus Legatus apud Suecos cum Legatis Hollandiæ prandio exciperetur, in Ionsdorffio; ego ac Theologus statim post meridiem ecclesiam adiimus, vbi Catholici Polonice hymnos cum lacrimis ac suspiriis canebant. Facies illa antiquæ Christianorum persecutionis fuit, videre miseram plebeculam, quæ vndique e pagis conuenerat (nam tres aut quatuor tantum sunt in vrbe Catholicorum familiæ) humi ante altare prostratam, quasi iam imminenti carnifici iugulum præberet, timentemque hinc Lutheranos, suos ciues, a quorum impetitione, calumnia, contumelia, vel in ipsa pace non quiescunt, inde ingruentes ac propediem ingressuros Suecos, qui hæreticæ prauitati militarem crudelitatem ex rapiendi trucidandique consuetudine, iampridem addiderunt. Ascendit interim suggestum Sacerdos pauidus, qui Legati nostri fide ac sponsione remanserat, quem perorantem, trepideque singula verba perpendentem, hæretici, quorum hora instat, toruum intuentur, præsentiaque sua premunt & abigunt. Notaui ego non sine dolore, dum ille inclinato in genua populo, confessionem generalem dictaret, Lutheranum acolythum, precationum suarum formulas altari proximo imponentem, non sine strepitu ac contemptu: quid nobis absentibus, quos Legati comites sciebant, fieri possit, non debili coniectura æstimabamus. Sacerdotem post peractum officium in hortulum sequuti sumus, vt ei animos, pietate certe non egebat, adderemus. Ipsa die mane in arce Pastor Caluinista suo item gregi vale dixerat, lacrymasque expresserat. Nam istic, vt verum fatear, & pace fœderum nostrorum dictum sit, Sueci reliquarum nationum ac religionum communes hostes ac contemptores audiunt.

Inuisimus postea Christianum Copium, ciuem Mariæburgensem, qui nec paucos, nec inconcinos libros habet, multa ac præclara biblia. Habet ille librum ligneum cera nigra illitum, quales erant illi antiquorum: Habet item plures legum Romanarum optimæque editionis, tam ex Italia, quam Gallia Codices, itemque iuris interpretes. Præsentes etiam ibi fuerunt duo Angli & vnus Hollandus ex Legatorum comitatu.

XVIII. Allatæ sunt litteræ ad Hollandos, quibus victoria Mareschalli Castilionæi confirmabatur. Aliæ item ad Auaugurium, factum accuratius explicantes. Illa die tam ex propria infirmitate, quam ex aëris, qui nubibus & tonitru implebatur, intemperie, somno tædioque oppressus per multas horas super lecto iacui, quod & idem Illustrissimo Legato contigit, qui Principem Sigismundum in arce me inscio conuenerat.

XIX. Princeps Sigismundus Illustrissimum Legatum vicissim inuisit, antequam ad Polonos proficisceremur Thorunium. Ea die cœnauit cum Legato Gallus e Normania, N. *Cabray*, qui sub variis Imperatoribus in Germania meruerat, nempe sub Rege Daniæ, & deinde sub Rege Sueciæ. Narrabat ille, ante septendecim circiter annos, Gustauum contra Polonos pugnantem, à cohorte quadam Croatarum captum fuisse, qui illum incognitum ad castra sua abducebant.

bant. Cum Sueci de illo vehementer anxii essent, discursarentque vndique, vt illum inuenirent, factum est, vt in illius pugnæ trepidatione atque tumultu, quidam eques Suecus imprudens, se in illam Croatarum cohortem contulerit, quasi socii essent, quod cum tandem animaduertisset, vidissetque, Regem suum captiuum, deduci: caute iste, & quasi Croata foret, impune, ac prohibente nemine, ad Regem accessit, continuoque scloppetum illi tradens: En, inquit, *Camarade* (verbum istud Regi familiare erat) hoc tibi do. Arreptum Rex nulla mora, neque deliberatione in alterum Croatam, qui illum ducebat, exonerat, alteri in os manubrium scloppeti impingit, correptaque fuga cum suo liberatore euadit ad suos. Oportuit deinde vt Rex, non sine solicitudine, hunc suum vindicem, qui se ad stationem suam receperat, exquiri iuberet, ne cogitantem quidem de vlla mercede: a quo cum peteret Rex quid postularet, vt tua (inquit ille) Maiestas det mihi aliquid ad bibendum cum sodalibus meis. Digna scilicet Regis recuperati merces! Contigit id ad milliare prope Mariæburgum, locusque mihi indicatus est.

Eodem fere tempore ad caput Vistulæ, vulgo *Nogat*, vbi Vistula scinditur prope Dantiscum, idem Gustavus ictu mosqueti vulneratus est per armum dextrum, hæsitque illi globus in sinistro nec extrahi potuit, ita vt cruorem ore naribusque euomeret, vnde transfuga quidam, qui illum sic animam quasi efflantem viderat, id ad Generalem Polonorum *Koniecpolski* statim nuntiauit, qui siue gaudio, siue alia de causa, in stuporem incidit. Retulerunt istud Legato nostro duo Hollandiæ Legati, qui hic tunc etiam erant, & cum Generali ipsa die cœnabant.

Iterum idem Gustauus in Germania, in Croatarum, credo, manus deuenit captiuus, vnde etiam a suis recuperatus est. Vt non mirum sit, hominem (nam & ipsi homines sunt) tam sæpe pericula tentantem, periculis tandem succubuisse. Nemo se tuto diu periculis offerre tam crebris potest. Quem sæpe transit casus, aliquando inuenit. At tanta strenuitate erat Gustauus, vt vulgo iactaret apud suos, vix esse, vt Reges vlli in præliis caderent, nec id fieri solere. Vt id factum esset nunquam, tametsi historia teste frequentissime acciderit, docuit pugna Lutzenensis Gustauum ipsum, docebitque posteros, eosdem casus Imperatorem manere, qui gregarium militem, si se Imperatores gregariorum periculis obiiciant. Pressi ego persæpe Stocholmiæ Gustaui tumulum, nec reluctatus est, nec se commouit, permisitque se impune calcari, is ipse, inquam, Gustauus, qui propter epistolam ab Imperatoriis Legatis Lubecæ negligentius acceptam, vt alibi narraui, tantos impetus tamque cruentos in Germaniam fecerat.

XX. Legati Hollandi Brandeburgicique Illustrissimum Legatum nostrum conuenerunt, vt quindecim dies prolatarum induciarum inter Suecos Polonosque, qui ad 25. Iulii perueniebant, ad primam vsque Augusti protraherentur. Iussit me vocari Illustrissimus Legatus, meque omnium mediatorum nomine ad Ionædorffium statim ire. Parui, cumque aduenissem, Secretarius Commissariorum Suecorum obuius mihi factus est, dixitque reliquos abesse, vnum superesse *Axelson*, qui quidem cum solus esset, nullam haberet respondendi mihi potestatem. Volui tamen illum alloqui, & quod in mandatis datum mihi erat, exequi. Recepit me ille in aula publica, in qua de negotiis agere solebant.

Cum ego illi exposuissem legationem meam, petere nimirum Dominos mediatores, vt vellent inducias ad primam diem Augusti proferre, id iam consensisse Polonos, idsibi persuasisse mediatores, Hollandos præsertim, qui, quod hanc spem animo conceperant, id etiam, vt iam pactum, ad Illustrissimos Belgii Ordines, & ad Principem Arausiæ scripserant, qua in re metuebant, ne vel mendaces, vel parum prouidi iudicarentur a suis. Secundo, has inducias ob

aliam item rationem esse proferendas, scilicet, quod Legati Galliæ & Hollandiæ, ad Regem Poloniæ proficisci vellent, qui Thorunii erat, quod iter inundatione & incremento Vistulæ incommodum ac longius erat. Itaque maiore tempore illos indigere. Subdidi aliam mediatorum petitionem, nimirum, vt Sueci omnes subsignarent epistolam, qua in illas inducias consenserant, quoniam vnicus Comes Brahe subscripserat. Respondit mihi comiter *Axelson* ad singula capita, cum tamen præfatus esset, se nihil sine Collegis concludere posse, & vnum, Collegium non facere, primo, hos quatuor aut quinque dies, qui petebantur, magni esse momenti, nec putare consensuros Collegas. Respondi ego, nihil vrgere, non ingruere exercitum, non commeatum deduci, non vrbem obsidione premi, denique modici temporis moram præiudicium magnum facere non posse, id demum petere non Polonos, sed mediatores, qui tam procul aduenerant, qui tot labores ad hos tractatus promouendos susceperant, me affirmare posse (tametsi idoneus fortasse in rebus tanti momenti fideiussor esse non possem,) nullum Polonum apud Legatum nostrum vidisse, vt credere tandem desisterent, id a Polonis postulari. Replicauit mihi ad hæc Commissarius, se cum sociis hæc, quæ proponebam, communicaturum.

Ad secundum caput, quod ad subscriptionem pertinebat, dixit, nescire se, an etiam suum instrumentum Poloni Commissarii omnes subsignassent, respondit, id verisimile esse, quandoquidem id mediatores vellent, nec eos conditiones iniquas ab altera parte postulare, ab altera non exigere; reliqui ergo illi epistolam, vt illam reformarent, tam in additione dierum, quam in subscriptione. Dedi item dicto Commissar. aliam epistolam, quam priuatim Suecis Commisс. scribebat Legatus noster, pro Catholicorum protectione. Redii deinde Mariæburgum ac post relationem Legato meo factam, iui ad Hollandos. Secretarius Hollandorum, qui a Mariana insula redierat, attuleratque consensum Polonorum vsque ad primam Augusti, omniumque subscriptionem, inuisit Legatum nostrum. Obtulit Legatus noster, vt, si vellent Hollandi, solus ad Suecos redirem, ostensurus illis Polonorum consensum, si forte ad idem præstandum moueri se paterentur: petierunt Holandi, vt sineret Legatus noster illorum Secretarium venire mecum, noluit noster, quod quo animo faciebat, ipsi non cogitabant. Optionem tamen illi dabant, vt faceret quod vellet, meque vel solum vel suis stipatum mitteret, obtuleruntque mihi tradere Epistolam Polonorum.

XXI. Illustrissimus Legatus inuisit Legatum Angliæ. Ac paulo post meridiem profectus est Thorunium. Vesperi Marianam insulam aduenimus, vulgo *Marien Vuerder*. Quæ statio Commisс. Polonorum erat, reliqui abierant, supererat Comes Belsensis. Lectos illic nullos inuenimus, decubuimus super scamna, nam in Polonia ac Prussia nulli peregrinantibus lecti dantur in diuersoriis. Oportet suos ferre, vel humi iacere, nec nisi difficulter palea emi aut inueniri potest.

XXII. Summo mane facillimum fuit nobis expergisci; sed quod omnem præteritæ noctis molestiam abstersit, transiit secundum domus nostræ fenestras, cohors peditum Palatini Belsensis: nam isti Palatini cum incedunt, siue in pace, siue in bello, paruos quasi exercitus secum trahunt. Paulo ante amiserat ille coniugem, ac duo hominum millia, qui illi subsunt, veste nigra indui suo sumptu curauerat. Id omnibus huiusinodi Magnatibus in Polonia fieri consueuit. Itaque cohors illa atra veste pulchro ordine incedebat, ac ante vexilliferum incedebant tres pari passu tibicines cum tympanista optime concordes; ita vt sponsæ alicuius deductionem ac pompam potius, quam militum agmen transire, si auribus credas, existimes Qui post vexillum incedunt, latiore spatio ambulant, ita vt cunei figuram tota cohors efficiat. Præcedebant illi Palatinum ad mansionem serotinam.

Lustraui-

Lustrauimus oppidum ego & Theologus, Ecclesiam præsertim, quæ Cathedralis olim erat, ab Lutheranis nunc obtinetur: magna illa est, & prealta. Super magnum altare suspensa sunt ingentia organa, pertinet illa vrbs ad Electorem Brandeburgensem, qui Canonicorum Episcopique domum obtinet reditusque. A castello Episcopi ad fluuium vsque porrigitur longa porticus, altis arcubus latericiis sustentata, belli, vt arbitror, vsibus commoda, nam ad extremitatem foramen ibi est altum, ad quod adscendi, non nisi per funem, potest. At fabulam populares narrant, fuisse quendam Canonicum istius Ecclesiæ, qui mulierem amabat. Is tandem increpatus ab suo Episcopo Collegisque, quod rem illicitam faceret, finxit se pœnitere velle, dixitque, parum tamen verecunde, quod amorem incacare proposuerat. Igitur, cum diues esset, hanc longam porticum arcubus impositam ædificauit, & in eius extrema, quæ ad fluuium pertingit, parte, velut turrim quadratam ad duorum, aut trium exapodorum latitudinem, honos sit auribus, latrinam fecit, ad quam quotidie secedebat: Fluuius qui in imo est, turrimque subterlabitur, *Liebe*, h. e. amor, nominatur, & hoc commento se, cum amorem incacare deinceps velle promisisset, promissis stetisse asserebat; nec ab dilectæ suæ mulieris consuetudine destitit. Istius vero luculentæ historiæ, an Lutherani isti auctores idonei sint, Delphi, credo, adeundi non sunt.

Cum Palatino Belzensi pransus est Illustrisf. Legatus, egoque cum Auaugurio & Molæo. Filius natu maior Palatini hic remansit per morbum, quem tamen iucunde ac cum suaui Galliæ recordatione, allocuti sumus. A prandio prior exiuit Legatus noster, expectauimusque Palatinum in oppidulo *Gardensee*. Ibi in illius rhedam Legatus ingressus est. Habebat centum circiter Tartaros equites siue Cosacos, arcubus ac sagittis instructos, huc & illuc citissime discurrentes, plures rhedas ac currus, in quibus nobilitas sedet non paruo numero. Totum illud iter amœnissimum fuit inter prata, riuos, nemora, agros frumentarios ac frugiferos, aduenimus sub vesperam ad Oppidum *Graudentz*. Cœnauit Illustrissimus Legatus apud Palatinum, ego item & Auaugurius. Illuc conuenit Castellanus quidam, qui Palatini sororem duxerat. Magno labore ibi lectum inueni, qui præcedentis noctis damna resarciit; Socii in stramine fuere.

XXIII. Quæ vigilia D. Ioannis Baptistæ fuit, per nemora ac prata transiuimus (prior Palatinus excesserat) ac infinitas herbas collegimus, recordantes, hunc diem, tam piis hominibus vbique terrarum, quam maleficis religiosum esse. Appensas etiam in domibus rusticorum herbas intuebamur, apud quos hic etiam mos, vti apud nos hactenus seruatus est, nisi quod, vbi abundant Lutherani, ignes solennes excitari vetant. In pago N. vbi nos Palatinus expectabat, pransimus. Deinde post prandium, cum Thorunium commode peruenire possemus, sesquimilliari procul substitimus. Ibi in herba iacens Epigramma composui ad Palatinum Belsensem, qui ante aliquot dies elegantissimos versus Legato nostro dederat: Occasionem arripui, quod inter prandium quæsitum fuerat, num in Polonia Ouidius mansisset.

Ad Illustrissimum
PALATINVM BELSENSEM, SVAVISSIMVM POETAM.

QVis porro dubitet, terris an Naso Polonis,
Exilii tempus triuerit omne sui?
Vt non id famae communi murmure constet.
Illius & faciant carmina multa fidem.

Vel te ipso, Belsi, possum conuincere teste,
Belsi, Sarmaticae stirps generosa plagae.
Nam cui tam promptum est Romanos fundere versus,
Cui facilis tanto Musa lepore nitet.
Doctus et ad Musas ipso Nasone magistro:
Tam bona non potuit vena aliunde peti.
Fallor & aut Naso priscus non occidit vnquam,
Aut in te, Belsi, Naso reuixit adhuc.

Ibi cum neque palea, neque stabulum, neque horreum commodum, vbi dormire possem, in rheda super veteri stramine dormiui.

XXIV. Ad pagum vicinum se contulit Illustrissimus Legatus, in quo Missam audiuit. Adductæ sunt deinde plures rhedæ, quibus Thorunium hora secunda post meridiem ingressi sumus. Magnus Regni Secretarius cum *Doenhoff*, fratre eius, qui inter Commissarios erat, obuius fuit Legato, non sine oratione Latina, ad quam ex tempore appositissime respondit. Cum in vrbem aduenit Legatus hospitiumque ingressus est, ab Mareschallo Aulæ Regiæ conuiuio exceptus est, adfuere illic Auaugurius ac Theologus: Ego interim Iesuitarum Ecclesiam adii D. Ioanni dicatam, musica organisque vndique resonantem. Insignis est illa Ecclesia, ac Parochia multis altaribus, tabulis, labaris, aliisque ornamentis decorata. Ibi est Cenotaphium Nicolai Copernici, qui Thorunii natus erat, fueratque Vvarmiæ Canonicus, iunctumque est Epitaphio Alberti Regis, qui anno 1501. apoplexia decessit. Nondum didici, quare hic Mathematicus, cum hoc Rege.

Nicolao Copernico Thoruniensi absolutae subtilitatis Mathematico, ne tanti Viri, apud exteros celeberrimi, in sua patria periret memoria, hoc Monumentum positum. Mort. Vvarmiae in suo Canonicatu. Anno 1543. *die* 4. *V. aetat.* 73.

Non parem Paulo gratiam requiro,
Veniam Petri neque posco, sed quam
In crucis ligno dederas latroni,
Sedulus oro.

XXV. Ad cœnam inuitatus est Illustrissimus Legatus ab Principe Radziuilio, me, Auaugurium, ac Molæum secum duxit. Inuitati sunt vtique Legati Hollandiæ, qui tribus ante horis aduenerant. Aderant permulti Nobiles Poloni, v. g. Palat. Belzensis filiusque, filius item Radziuilii, duo ex fratre nepotes, iam satis ætate prouecti; *Sauasky*, qui apud Hollandos, alibique, Legatus fuerat; omnesque fere comites legatorum Hollandiæ. Lautum fuit conuiuium, herbisque ac acetariis ornatum. Sedebat in media fere mensa Legatus noster, præscindensque cibos ante illum erat, hic est honoratior locus: a dextra Legatos Hollandiæ, a sinistra Palatinum Belzensem habebat. Propinatum est de more incolumitati Regum per quatuor horas. Illa ipsa die Princeps Casimirus, Regis frater, profectus est Viennam, vt pro Imperatore exercitum in Germania regar. Hanc profectionem tam subitam Galli interpretati sumus, quod ille nos non diligeret admodum. Inter hoc conuiuium musica tam instrumentorum, quam vocum conuiuas exhilarauit. Eunuchus præsertim Regius, quem ille ex Italia deduxit, nitidissima voce & altissima, omnem strepitum perrumpebat.

XXVI. Illustrissimus Legatus ad audientiam Serenissimi Regis Poloniæ ductus est, a magno Secretario & Gerardo *Doenhoff*. Aderant Regi Magnus Cancellarius, Dux Radziuilius, *Koniecpolsky*, Generalis armorum Præfectus, Palatinus Belsensis, & Palat. Siradiensis, Regi Sigismundo in primis gratiosus, aliique permulti. Stabat Rex inter illos tecto capite, nullo Vranisco. Ingressus Illustrisf. Legatus, solitisque corporis demissionibus rite factis, propius accedens, cum

cum Rex prior se operuisset, se, vtique ille, operuit; & quia Regem Italicæ linguæ callentissimum esse didicerat, Italice illum affatus est, dixitque.

Si ad rite obeundum Legati munus, repræsentanda sibi esset Christianissimi Regis erga Serenissimum Poloniæ Regem beneuolentia, se hoc legationis onus suscepturum fuisse nunquam; quippe quod illius digne explicandæ ac testificandæ omnino impar esset, tamque se remotum esse ab illa facultate, quam foret sui ipsius Interpres, si forte aliquo apud Sereniss. Regem vti opus haberet, ac superesset aliqua lingua, tam scienti Principi incognita. Non debere Serenissimum Regem de Christianissimi Regis amore dubitare, quod paulo tardius ad illi gratulandum misisset, huius moræ causam non in longinquitate itineris positam, sed quod Rex Christianis. distentum bellis aduersus Turcas & Moscouitas Vladislaum, interpellare noluisset. Deinde quod, cum præuideret, tempus induciarum inter Polonos ac Suecos breui transactum fore, tum demum Legatum mittere destinasset, qui non obsequiosa tantum ac solennia gratulationum verba, sed vera ac solida, in procuranda pace, officia Regi Serenissimo exhiberet, ac tametsi per alia regna in transitu fuisset Legatus, ibique per cæli marisque tempestates longiorem moram fecisset, nihilominus hoc illi primum ac præcipuum in mandatis fuisse, vt in Poloniam proficisceretur. Sed in hoc negotio, vti in aliis omnibus, contigisse, vt quod in intentione Regis Christianissimi primum fuerat, id vltimum in exequendo relictum sit. Regem interim Christianissimum lætissimo animo accepisse, tot victorias ab strenuissimo Vladislao de communibus Ecclesiæ hostibus reportatas, & cum omnes Christiani Principes tam insignibus & vtilibus triumphis palmas inferre debuerint, quidni & Rex ipse Christianissimus, qui, quod Ecclesiæ primogenitus est, iure quodam præcipui potiorem huius communis lætitiæ partem capere debet. Itaque non pœnitere Regem Christianissimum, neque Legatum ipsum, quod nunc tantum aduenerit: Nam, si maturius aduenisset, statim post euectum ad Regiam dignitatem Vladislaum, quid illi gratius ac honorificentius facere potuisset, quam eos illi successus augurari, quorum nunc illi acclamationes ac plausus ingeminat? Gaudeat igitur Serenisf. Rex in pectore, glorieturque, quod habeat Christianiss. Regem gloriæ suæ suffragatorem; pergat deinceps, quo pede cœperit: his artibus ad Heroum famam perueniri, hanc esse lacteam viam confertissimis virtutum stellis vndique conspersam, quæ ducit ad Deorum sedes. Sed nolle se in hunc Oceanum longius inuehi, quod nisi materiæ maiestate vinceretur, libentissime faceret, præsertim cum ex ea stirpe ipse sit, quæ erga Reges Remque Publicam Poloniæ iam pridem bene animata sit: Auum suum Henricum Memmium hanc celeberrimam Legationem, quæ Henrici III. causa a Polonis facta fuerat, Caroli IX. nomine excepisse, ac cum illis pro Rege, pro Regina Matre, proque ipso Henrico tractasse; vnde non inter Rempubl. modo Polonam, sed inter priuatos hos Legatos, cum Auo beneuolentia contracta sit: cuius occasione & qui Polonis beneuoli fuerint, ad Memmiorum affinitatem ac necessitudinem etiam accessisse; Monlucios nimirum, quorum alter Ioannes Monlucius, Episcopus Valentinus, qui hanc Henrici III Electionem procurauerat, ob politicas artes: Blasius alter Monlucius, Franciæ Mareschallus, ob militares virtutes, toti etiam Europæ notissimus fuit. Has ob causas, se a Rege Christianisf. e tanto insignium virorum numero, qui illi adsunt, potissimum delectum, vt priuata etiam necessitudine impulsus, Regiæ Maiestatis vota ac mandata libentius exequeretur. Polliceri se itaque, si Regiis mandatis perficiendis aliquid suæ industriæ addere posset, impensissime facturum; sperare, vt felicissimus Rex post duas a fortissimis populis latas victorias, geminamque cum illis stabilitam pacem, tertiam tandem cum his Suecis ineat, vt deinceps, ter Maximus Vladislaus, iure ac merito nuncupetur.

Finita hac oratione, cum omnium circumstantium probatione atque plausu, Rex paucula cum suo Cancellario collocutus est in aurem, ac tum demum Cancellarius grauiter comiterque Latine respondit: & post impense laudatum Christianissimum Regem, & late explicatam Serenissimi Poloniæ Regis erga illum beneuolentiam, subiunxit in fine nonnulla de laudibus Illustrisſ. Legati, tam ipsius priuatis, quam domesticis. Nos, postquam Legatus litteras Regis Reginæque Christianisſ. Regi Pol. obtulit, manumque osculatus est, idem omnes ordine fecimus. Eadem die incogitantes Hollandos Legatos Rex ad se vocari iussit, qui illum statim post nos digressos salutauerunt, ac oratione Latina affati sunt: Inde illi inuiserunt Legatum nostrum.

XXVII. Priuatum cum Serenisſ. Rege colloquium habuit statim post meridiem Legatus noster, fuitque cum illo solus per duas amplius horas. Sedentes ambo erant tectique.

Mane Illustrissi. Legatum inuiserat Cancellarius cum Palatino Pomeraniæ multisque Nobilibus, nam præclarus est Magnatum Polonorum comitatus, aderat etiam magnus Secretarius, cum multis aliis Ecclesiasticis serica veste indutis, Italicum in morem. Hollandi etiam priuatim Regem conuenerunt.

XXVIII. Post prandium Hollandiæ Legatos inuisit noster, inde Gerardum *Doenhoff.* Ille est, qui Thorunium contra Vrangelium defendit, seruauitque.

XXIX. *Koniecpolsky* Generalis armorum præfectus, Dux Radziuilius, Palatinus Siradiæ, aliique Primores viri magno comitatu, Legatum nostrum inuiserunt, cumque his ille de negotiis præsentibus, magna animi contentione certauit. A prandio iterum priuato colloquio a Rege exceptus fuit illustrissimus Legatus, a quo cum rediisset, reliquum diem mecum legendo colloquendoque transegit, cum socii mei Vistulam transuecti, in ipsam Poloniam, soli illius vsurpandi terendique causa, se contulissent. Sub vesperam duo Brandeburgici Electoris Consiliarii Illustrisſ. Legatum conuenerunt.

XXX. Postquam Illustrissimum Legatum de Missa reduximus; ego & Theologus cum Patribus Iesuitis pransimus, qui nos perquam humaniter exceperunt. Inuisit illa die Illustrissimus Legatus magnum Cancellarium, ac Palat. Belsensem. Ego qui interim in lecto decumbebam, vel inuitus a sociis raptus sum ac coniectus in rhedam, quæ nos ad vnum aut alterum milliare, in villam Colonelli Plessæi vexit. Est ille strenuus Gallus e Normania, qui vxorem duxit e Vienna Austriæ oriundam, vnius e Sparorum Suecorum familia viduam Catholicam ac probam, nec inuenustam fœminam. Venerat nobiscum alius Gallus item e Normania, nomine *de Cabien* vel *Cabray*, vir vtique strenuus, equitum cohortis ductor, qui sub Gustauo Rege, ac prius sub Rege Daniæ meruerat, Caluinista ille est, vti & Plessæus; at de religione non admodum solliciti sunt huiusmodi homines, nec de pietate erga propinquos, præ quorum charitate æstimant vel Suecos, vel Polonos, vel ipsos etiam Moscouitas, si qua pinguioris, aut certioris stipendii spes affulgeat.

Prima die Iulii, quæ Dominica fuit, summo mane, rediimus Thorunium, vt Illustrissimo Legato adessemus, qui & ipse supplicationi publicæ, quæ circa Ecclesiam fieri assolet, adesset. Illic etiam erant plures Palatini, ac inprimis Generalis Armorum Præfectus *Koniecpolsky*, apud quem pransus est Illustrissimus Legatus.

II. Festum Visitationis B. Mariæ apud Polonos solenniter celebrabatur. Plures Episcopi in Ecclesia Iesuitarum Missam dixerunt. Audiui illam M. Cancellarii, quinque Ecclesiasticis rite vestitis, ac fere centum, cum Nobilibus, tum famulis, stipati. Audiui deinde Polonic. concionem, quæ fit inter Missarum solennia. Germanica maturius fit hora septima. A prandio adii Ecclesiam Dominicanorum, vbi magnum sodalitium Rosarii: post vesperas fit processio, in qua

labara

labara gestant, itemque imaginem pictam B. Virg. quam quatuor sodales succollant; deinde etiam Venerabile Sacramentum. Aderat Prælatus, nomine *Lipski*, futurus Episcopus Culmensis, in veste ordinaria, multique alii Nobiles. Matronæ item Nobiles paucæ, quæ stellas ex vnionibus in capite gerunt, ac desuper pileos viriles nullius valoris, prætaltos ac breui fimbria; breuissimos item habent palliolos rugatos crispantesque, nec est vestis illa admodum decens. Pleræque etiam plebeiæ ac rusticæ mulieres imam vultus partem linteo inuoluunt, ne insuscentur. Floreis coronis virgines capita sua integunt, vel exornant: quæ nuptæ sunt, diadema nigrum in fronte habent. Quædam ex ditioribus ciuium feminis, reticula ex auro & serico in capite gestant. Priuatim ea die cœnaui cum Illustrissimo Legato, qui a nemine conspici voluit, ob quædam expedienda negotia.

III. Ernestus *Doenhoff*, Castell. *Pernau*. Illustrissimum Legatum inuisit, deinde Legati Hollandi. A prandio suasi illi, vt Vistulam transiret, transiit, Poloniamque tandem attigimus, nam Thorunium in Borussia est. At tametsi idem cœlum idemque ferme solum conspiciatur, afficiunt certe oculos animosque noua illa regna & loca, cum primum pedibus aut oculis vsurpantur. En hic Iagellones imperarunt; en huc venit regnauitque Henricus III. en istic etiam Ioannes Monlucius, Pibraccus, aliique viri insignes, tantum nomen reliquerunt. En hic quondam etiam ingeniosissimus Poëta Ouidius, si vera est fama, exulauit. Ingredi voluit Illustrissimus Legatus, arcem in ripa fluminis sitam, quæ Thorunio imminet, in qua etiam ad perpetuum incolarum militum monumentum, cereuisiam hausimus. Rediimus paulo post in scaphulis, quæ in fistulæ formam factæ sunt, longæ nimirum angustæque, eoque citius transuehuntur. Pons quippe dirutus erat, ex impetu fluminis, cum glacies soluuntur.

IV. Legatus Angliæ, qui tribus ante diebus aduenerat, priuatimque a Rege exceptus (nam multis antea mensibus in Poloniam aduenerat) ad Legatum nostrum misit salutandi illius gratia, ipsoque die profectus est, vti & Hollandi. Adfuit Missæ Illustrissimus Legatus, indeque Serenissimo Regi valedixit priuatim, cum tamen egregiam illi, quam vidi, orationem Latinam publice dicendam composuisset. Intromissi deinde fuimus, manusque Serenissimo Principi osculati sumus, die præcedenti imaginem suam, ad viuum expressam, Illustrissimo legato miserat.

V. Valedixi Patribus Iesuitis, dedique illis imaginem Chalcographicam Eminentis. Card. Richelii cum hac mea subscriptione.

En vobis, Reuerendi Patres, qui rem publicam Gallicam sub Christianissimo Rege administrat. En ille quem inimici nostri oderunt; cuius cum pietatis, doctrinae atque virtutis monumenta, in animis omnium nostrum haerere semper debeant, Ipsius vtique imaginem, si Gallis bene vultis, libens vobis propono ac voueo, Car. Ogerius Illustris. Cl. Memmii, Domini d'Auaux, *a Christianissimo Rege ad Serenissimum Poloniae Regem extraordinarii Legati comes. Thorunii, mense Iulio, Anno 1635.*

Hanc imaginem summe venerati sunt illi, quæsieruntque ex me, cuius ætatis, cuius coloris, cuius staturæ, quia hæc in imagine deprehendi non poterant, ille vir esset. Dicam ingenue quod animaduerti, vel se fingunt illi, vel non sunt tam aduersi Gallis, quam plerique alii, quos illic vidimus, Ecclesiastici: nam, cum socii mei, ipseque præsertim Legatus, plures deprehenderint, qui maleuolo sunt animo erga Galliam, ego certe in ipso Regis Poloniæ cubiculo, pridie quam abiremus, cum vno locutus sum; est ipse Coadiutor Archiepiscopatus Gnesnæ, quem pro huius dignitatis viro, miratus sum, cur suus erga Austriacos amor tanta perturbatione illum impleret. Sermo inciderat de re Ducis Aurelianensis, cum Margareta sorore Ducis Lotharingiæ; quærebat ille, cur istud matrimonium dirimere Rex Galliæ vellet, & cur licitum Gallis esset, leges

 Ecclesia-

Ecclesiasticas insuper habere? Respondi ego, quam potui, modeste; Christianissimum Regem nihil tale aggredi velle, vt legibus Ecclesiæ vim faceret: non illum, neque Iudices eius super lite matrimoniali, sed summum Pontificem pronuntiaturum; confirmaret Pontifex, vel infirmaret, Regem vtique pariturum.

Deinde non legem Pontificiam modo, sed Regiam & Politicam considerari debere: id vel in ipsa Hispania, quæ se tam Catholicam iactat, solere obseruari, teste Couarruuia, Ant. Augustino, aliisque. Cæterum, si in huiusmodi matrimonio, & contra Regias Galliæ constitutiones peccatum esset, e dignitate Regis esse, vt istud matrimonium dirimi curaret. Desinerent itaque se angere exteri homines, ad quos ea res non pertinet; nam fortasse etiam ex euentu tale matrimonium, quod ab initio perperam sit contractum, si Regis consensus & Ecclesiæ ritus accedat, redintegrari posse. Ad hæc nihil ille mihi apposite replicauit, exiuitque cum aliis Nobilibus, nobis insalutatis, quo suam auersi animi significationem magis patefaceret. At de illa re nihil omnino cum Iesuitis egimus, tametsi illos videremus quotidie.

Ista eadem die *Kasanowski*, magnus Regni Cubicularius, Regi inprimis gratiosus, Illust. Legatum inuisit mane. A prandio reuisit illum Legatus aliosque ex præcipuis aulicis, deinde tribus aut quatuor rhedis cum aliquot curribus, vbi impositi erant famuli & impedimenta, profecti sumus Risemburgum versus, quo se iam alii Mediatores contulerant. Pœnituit nos tam exiguo tempore in illa vrbe remansisse, propter multitudinem virorum illustrium, quos nosse cupiebamus, quique itidem se nostri cupidos satis ostendebant, neque vrbem etiam satis lustrare potuimus; nam semper Legato nostro adhærendum erat, qui ab omnibus optimatibus adibatur. Cæterum, ille cum præsertim ex egregiis animi dotibus, tum etiam ex vestium ornamentis, quæ plerosque afficiunt, vniuersæ Aulæ Regique potissimum ipsi gratissimus fuit: nam in decem circiter diebus quibus Thorunii versatus est, quinquies Regem inuisit, quinquies vtique elegantissimas vestes, quas Lutetia Dantiscum vehi curauerat, mutauit. Famulos ac pedissequos nouis etiam vestibus induit: nec isti pompæ, quotquot eramus comites, tametsi res omnes, quæ ad vestitum pertinent, duplo magis quam in Gallia vendantur, deesse voluimus. Discedens Legatus Præstaui sui, h. e. Oeconomi, siue conductoris, vxori, horologium argenteum dedit, aliud item hospitis sui vxori eleganti honestæque feminæ, qui & ipse perhumanus erat, N. Antonius *Heysselmeyer*, ac quatuor aut quinque linguarum sciens.

Profecti Thorunio tria milliaria fecimus, quæ sex & septem Gallica superant, mansimusque in pago, in quo Pomeraniæ Palatinus erat, qui duos Iesuitas, suos Capellanos, Legatum nostrum salutatum misit. Quia apud illum gratia pollebam; per hos dies iussit mihi rhedæ suæ culcitras ad dormiendum sterni, alii in palea iacuerunt.

VI. Vidimus triginta circiter Gallos ex regimento Colonelli *Du-plessis*, Dragones illi vocantur, qui pagum nostrum pertransierunt: dicebant, se a duobus annis stipendium nullum accepisse, itaque ex rapto cogi plerumque viuere. Habent perniciosissimos equos mediocres, ensem ac bombardam, nulla arma quibus se contegant. Habent aliquot currus, mulieresque, siue coniuges, siue concubinas illis impositas. In villa qua eramus, horrea erant ad condendas messes centum amplius passuum longitudine, in quæ sex portis curricula onusta intrant; est quippe illa regio tritici ferax, nec frugiferis arboribus eget. Post prandium profecti sumus hinc, transiuimusque per oppidum nomine Rasiniam, vulgo *Rasen*, a Suecis incensum ac deuastatum, in amœno tamen situ: inde venimus in oppidum Lasiniam, *Lessen*, ab iisdem Suecis dirutum. Nihil est profecto tam miserabile tamque horrendum, quam illarum ruinarum facies; videre homines, qui se ante paucos annos, florentis oppidi ciues fuisse meminerint, in ædificiorum suorum ruderibus atque speluncis

ſpeluncis quaſi defoſſos; & ſi quando exteros homines venientes aſpiciant, continuo trepidare ac fugere, ſeque in latibula ſua recondere, quaſi Suecos ſemper, aut lupos videant. Id vero nobis aduenientibus factum eſt, ſed cum Illuſtriſ. Legatus in Parochum loci incidiſſet (nam omnes ſunt ibi Catholici, res miranda!) ſignificauit illi, nos ad illos iuuandos, non etiam fugandos opprimendosque acceſſiſſe, ſeque pacis internuntium eſſe. Igitur pius Sacerdos domum ſuam vniuerſam Legato permiſit, quatuor nimirum parietes luteos ac perfoſſos, cum ſtramineo tecto, quod tota illa die perpluerat, nam adhuc reſtagnabat conclaue. Cum in illud intraui, ſubridens mihi Legatus. Potiores (inquit ille) non ſumus antiqua illa Imperatrice, auſi vtique, quemadmodum & illa,

---- *Palatino tegetem praeferre cubili.*

At alia res Legatum noſtrum admiratione pene confecit, nam cum a luſtrandis Eccleſiæ ruinis reuerteretur, conqueſti ſunt quidam ex noſtris, quod quidam Senex, qui aderat in miſera ac trita veſte, illis tectum commodare noluiſſet. Cum ſuper hac lite cognoſceret Legatus, ſeque excuſaret ſenex, quæreretque Legatus dicis cauſa, quinam ille eſſet, quid ageret, vnde viueret: didicit, illum Scotum eſſe, ante triginta annos in hoc oppidum veniſſe, ibique incolis piper, picem, butyrum, aliaque huiuſmodi vendere ſolere, illumque etiam, dum adoleſcens eſſet in Gallia, Henrico IV. per annum militaſſe. Subiunxit Legato Sacerdos, qui interpres erat, ſe ſemper audiuiſſe, ſenem illum ex nobili Scotiæ familia ortum, habereque etiamnum fratrem, qui alicubi pro Rege Galliæ militaret. Petiit Legatus, qui de gregario tantum milite intelligebat, quod nam eius nomen eſſet? Reſponſum eſt, *Haitbron* vocari, ad hanc appellationem, nam teſtis ſum, pene concidit Legatus, iuſſitque ſtatim omnes e comitatu ſuo, qui Germanice loquerentur, vt Senem hunc amplius interrogarent. Compertum eſt denique, hominem Colonelli *Hailbron*, qui pro Rege Chriſtianiſſimo duodecim hominum millia ducit, verum ac germanum fratrem eſſe. Illius filio, qui pedibus ac capite nudis ſoloque induſio amictus erat, vt ibi pauperibus moris eſt, aureum nummum Legatus donauit, quod idem Legatus Angliæ fecerat, quem pari admiratione ſpectaculum hoc diſtinuit.

At quis iſtud ſuſpicari poſſit? Miſeri illi, qui vix præ nimiis calamitatibus hominum mores retinuerunt, quique ferarum in ſpeciem ſub antris degunt, fere omnes Latine loquuntur aut intelligunt. Commodum id mihi fuit, nam pauper doliorum artifex, qui Latine ſciebat, me in thalamo ſuo molli pluma linteisque albis excepit, dum ille cum coniuge in veſtibulo excubias ageret, cui cum mane ſequenti ſex groſſos, hoc eſt, tres, aut paulo amplius, noſtrates ſolidos dediſſem, ad genua mea ſe prouoluit, nam neque Poloni, neque Sueci, ſiue in bello, ſiue in pace, quicquam ſoluere hoſpitibus ſolent, quamobrem nihil illis quam nuda cubicula offeruntur: ferunt quippe, qui illis in regionibus peregrinantur, ſuos lectos, ac neceſſariam ſupellectilem.

VII. Miſſam audiuit Illuſtriſſimus Legatus in ſacello ſuburbano, quod quidem ſacellum a piſtore quodam, cum omnia Sueci incenderent, ſeruatum fuit, quod diceret eſſe Lutheranum, peteretque, vt ſuis parcerent. Eleemoſynas ibi plures, tam in Eccleſiam pauperesque, quam in paſtorem fecit Legatus. Aduenimus hora quarta poſt meridiem Riſemburgum, quo iam cæteri Mediatores aduenerant. Mihi Molæoque idem domicilium, vt alibi, aſſignatum eſt.

VIII. Quæ dies Dominica fuit, priuatim apud Illuſtriſſimum Legatum preces fecimus, cum ſupellex Eccleſiaſtica Mariæburgi relicta fuiſſet, nam Riſemburgi nulli Catholici ſunt. At iſtic mihi magni alicuius morbi metus iniectus eſt, cum enim Senicula quædam hoſpes noſtra mane in cubiculo noſtro flores herbaſque odoriferas ſparſiſſet, a quibus tamen non abhorrui vnquam, tam fortis tamque denſus inuaſit mihi cerebrum vapor, vt per horam oculi mihi caliga-

uerint; neque id modo, sed, cum discussa hac nube aliquid vel Germanice vel Latine legere voluissem, minus intelligerem. Itaque contuli me in domicilium Legati, aliquo vel esu vel potu recreaturus vires meas. Tum vero lingua mihi titubauit, ita vt vnum pro alio peterem. Post prandium ambulationemque dissipatus est, quiqui fuit ille morbus. Legatus Angliae nostrum inuisit; Superuenere Hollandici, deinde aliqui e Brandeburgicis. Oeconomus noster ad Commissarios Polonos iuerat, vt Legati nostri nomine moneret illos, num sequenti die in loco intermedio adesse vellent? Promiserunt. Allatae sunt litterae Lutetia, quibus tandem victoria de Hispanis a Marschallo Castilionaeo narrabatur, datae illae erant 1. Iunii.

IX. Omnes Mediatores venerunt ad villam, quae inter Risenburgum & *Marien-Vuerder* media erat, illuc etiam Poloni Commissarii se contulere. Dixit ad Polonos Illustris. Legatus, caeterorum nomine, tempus tandem esse, vt si quid haberent, quod ad pacem conferre posset, promerent illud, nam nisi ad Suecos aliquid noui afferrent, continuo omnem tractatum abruptum iri: loquerentur itaque, quandoquidem Regis voluntatem nuper clarius intellexissent, ac cum aliis Senatoribus consilium cepissent. Recesserunt Comnisfarii & cum per semihoram deliberassent, reuersi sunt, ac praefata, vt moris est, venia; Cancellarius, quaecunque in his tractatibus facta fuerant, recensuit, vt se faciles ac DD. Mediatoribus morigeros praebuerint, Sueci vero difficiles, morosos ac pertinaces: conclusit tandem, se voluntatem suam Collegarumque suorum clarius aperire non posse, quam si sua ipsi mandata instructionemque exhiberent. Haec dicens, Illustrissimo Legato nostro, caeteris praesentibus, chartam plicatam dedit, in qua subsequentes articuli, quos ex illa descripsi, erant hoc ordine.

Loca in Prussia & Liuonia occupata restituantur.

Leges latae contra domum Regiam, abrogentur, amicitia vero inter Regna firmetur; vt tam Vladislaus Rex uxorem, quam Christina maritum, Regnis suis inuicem amicum sumant, liberi vero ex illis progeniti, matrimonio iungantur, & in Suecia educentur.

Satisfactionem Sacrae Reg. Maiestati, & domui Regiae Regni Ordines ex Suecia faciant.

Mutua auxilia protestentur ad inuicem ex conuentione.

Titulum Sueciae Rex vsurpet ad vitam.

Exules restituantur.

In vim securitatis, donec conditionibus totaliter satisfiat, Prouincia aliqua Regni Sueciae in possessionem Regis concedatur.

Ex locis quae dimittentur, tormenta non auferantur, & ablata restituantur.

Naues acceptae, tam ad Vismariam, quam ad Pilauiam, quae sunt, restituantur.

Telonia in Suecia, iuxta morem veterem, soluantur.

Restitutio iniuste extortorum Teloniorum, praeter pacta, moderationi Illustrissimorum DD. Mediatorum permittitur, vti etiam damna & iniuriae priuatis illatae.

Cum haec coram aliis Mediatoribus legit Legatus noster, petiit; num quid de illis articulis Pol. Commissarii sinerent mutari vel minui? Dummodo, inquiunt, illi tres primi articuli inconcussi maneant, ac praecise executioni mandentur; quantum ad alios spectat, illos vestro, Illustrissimi Mediatores, arbitrio permittimus. At vno consensu omnes Mediatores, responderunt, tres illos primos articulos a Suecis ferri non posse, nec debere illis proponi, atque adeo nullam sperandam esse pacem.

Post quatuor aut quinque horarum colloquium discessum est, ac valedictum Duci Radziuilio, qui in Lithuaniam tendebat. Narratum ibi est, Antuerpiam a Principe Arausicano obsessam, inclusumque Card. Infantem.

X.

X. Transiit summo mane per Risemburgum Princeps Radziuilius cum magna impedimentorum multitudine ac serie, pergebat ille in Liuoniam.

XI. Qui dies profectionis nostræ e Lutetia anniuersarius erat, litteras scripsi ad Fratrem & amicos.

XII. Festum Risemburgi celebratum est ab Lutheranis, qui hanc vrbem soli obtinent, ad consequendam pacem. Adii illorum Ecclesiam Germanicam, audiuique non infacundum Pastorem. A prandio Mariæburgum se contulit Illustrissimus. Legatus, distans quinque milliaribus. Statim atque aduenimus, misit me Illustrisf. Legatus ad Commissarios Suecos, vt audientiam peteret in crastinum. Nam hinc excesserant Brandeburgici, vt & Sueci vicissim ex vrbe *Memel*, secundum pacta conuenta in præcedenti tractatu. Sub noctem Angliæ Legatus, qui præcedenti die venerat, nostrum inuisit.

XIII. Illustrissimus Legatus mane per tres horas cum Commissariis Suecis fuit, quos ad pacem atque ad inducias difficillimos inuenit, quique dicerent identidem. Quandoquidem Poloni restitutionem Borussiæ noluerunt, cum illam obtulimus: deinceps, si bellum gerimus, quicquid contingat, non amplius illam restituemus. A prandio Illustrissimum Legatum Brandeburgici inuiserunt, qui & ipsi ad Suecos iuerant. Post cœnam Legatum Angliæ noster inuisit. Rumor per hos dies increbuit, Principem Arausiæ in acie ab Hispanis occisum, cum ad obsidionem Antuerpiæ se accingeret; Allatus est hic nuntius Dantisco 9. Iulii sparsusque fuerat a mercatore Lubecensi, qui naue aduenerat. Quamobrem omnes erant valde attoniti.

XIV. Legatus Angliæ, ex nostri consilio, profectus est ad Marianam insulam nuntiaturus Polonis; Suecos habere octodecim millia peditum, & quinque millia equitum, quod a popularibus suis, qui sub Suecis merebant, didicerat: Itemque, vt proponeret illis, Suecos inducias pro annis quinquaginta facere velle: Interim Borussiam restituturos, Liuoniam retenturos, dummodo Rex Poloniæ, titulum Regis Sueciæ per has inducias non vsurparet. A qua propositione, vt postea retulit Legatus Anglus, Poloni non admodum abhorruere, sed dixerunt, se facultate, istius propositionis acceptandæ, destitui; nouaque Regni totius *diaeta*, siue Comitiis, opus esse. Nihilominus, se Regi nuntiaturos, Senatoribusque, qui illum comitantur sex numero, more maiorum.

XV. Quæ Dominica fuit, in Ecclesia Mariæburgi Missæ adfuit Illustrisf. Legatus. Plurimi interea milites Sueci, & ipsi Lutherani celebrantem Sacerdotem intuebantur, cum nostra incredibili patientia, nam poterat eos Legatus expelli iubere. A prandio Comes *Brahe*, qui pridie ægrotauerat, Legatum nostrum inuisit solus. De nocte Legatus Angliæ rediit e Mariana insula.

XVI. Summo mane Angliæ Legatus nostrum inuisit, illique, quæ cum Polonis egerat, retulit. Legati Hollandici sub vesperam Risemburgo, vbi manserant, rediere.

XVII. Illustrissimus Legatus Missæ interfuit, atque inde Legatos Hollandos inuisit. A prandio iussu Legati saluum conductum pro Vicario Ecclesiæ Mariæburg. a Dominis Commissariis Suecis petii, vt tuto ad Marianam insulam, vbi suus Episcopus, Cancellarius nempe Polonus, erat, ire ac redire posset. Id in gratiam Legati concessere illi, tametsi hominem suspicione non carere dicerent: quam suspicionem depuli ego, quantum potui, asserens, esse virum minime malum, vt res est.

XVIII. Illustrissimus Legatum vnum e nostris Elbingam misit, ad salutandum suo nomine Generalem *de la Garde*, qui oculorum morbo distinebatur, quo minus Mariæburgum venire posset. A prandio inuisit Anglum Legatum, qui litteras satis frigidas a Polonis acceperat. Post cœnam venit a Generali *de la Garde*, Nobilis Gallus N. *des Ouches*, qui Legato litteras ac salutationes attulit.

XIX. Aliquot paginas historiæ Germanicæ Ioannis Sleidani in Latinum verti, vt mei in ista lingua profectus, periculum facerem. At tantæ est illa difficultatis plena, vt non nisi magno labore, ac post longam consuetudinem addisci possit.

XX. Ego, Auaugurius, & Doctor Theologus, post tot pluuios dies, qui præcesserant, deambulatum ad pagum iuimus, cumque in olitoris domo essemus, sex ibi vidimus milites Suecos, quorum panem degustauimus, qui quidem ex terra molli, cui paleæ admixtæ sunt, confectus nobis videbatur: micam eius ad Solem, vel ad ignem siccant, quam alioquin mandere non possent. Datur illis hic panis ad pondus, quoque humidior est, ac minus coctus, eo magis ponderat. Habent præterea tres grossos quotidie, qui octodecim denariis nostratibus æquiualent. I nunc, & mirare cur tanta alacritate, his dapibus pasti, in meliores prouincias inuadant. Cum sero reuerteremur, inuenimus militem Gallum, N. *Doisy*, qui nobis fere omnibus litteras ex Suecia attulerat.

XXI. Cum Legati Hollandiæ apud nostrum essent, allatæ sunt Risemburgo a Principe Sigismundo litteræ per tubicinem, quibus ferebatur, Legatos Electorales Regem Poloniæ adiisse super conditionibus ex parte Suecorum propositis, ipsumque illos, nullo alio responso dato, ad Commissarios suos remisisse, quibus voluntatem suam declarauerat. Rogabat interim Legatos Princeps Sigismundus, vt Suecos spe responsi cito faciendi sustentarent. Iussit me noster suo nomine ad Principem Sigismundum rescribere opemque suam polliceri, ac deinde me ad Commissarios Suecos misit, ad audientiam in crastinum postulandam. Me Comes *Brahe*, Commissariorum princeps, satis longo sermone distinuit, dixitque, Collegas suos identidem discedere velle, eo quod nullum a Polonis responsum fieret. Cum illum de litteris Principis Sigismundi deque earum tenore monuissem, respondit; nisi categoricum responsum afferretur die sequenti, Collegas statim post visum Legatum nostrum, Elbingam profecturos. At consequentur vos Legati, inquam, si quid deinceps boni a Polonis afferatur. Sed nos, replicauit ille, propositis conditionibus non stabimus, quandoquidem intra statutum tempus illas non acceptauerunt. Comiter ab illo dimissus, fideliter omnia Legato retuli.

XXII. Post auditam Missam, cui magna militum aliorumque Lutheranorum multitudo curiose interfuit, interim dum in domo priuata Angliæ & Hollandiæ Legati reliquique vrbis Caluinistæ, post restitutos in arcem Suecos conueniunt. Ingressi sunt vrbem, longo rhedarum ordine, tres Electorales Legati, qui statim ab Illustrissimo Galliæ Legato audientiam petierunt. Misit ad alios Legatus, si in domum suam conuenire vellent, aduenere continuo Hollandi, excusauit se Anglus, ne forte hunc honorem nobis deferret. Ergo cæteris congregatis, Electorales retulere cum multis, vti solent, præfationibus ac verbis: Regem Poloniæ ad has denique conditiones deuenisse, 1. *vt inducias pro duodecim tantum annis pacisci vellet.* 2. *vt interim titulo Regis Suetiae vteretur.* 3. *vt vel arx vel vrbs, vel insula aliqua in Liuonia illi relinqueretur, vnde fides Liuonibus fieret, Regem Poloniae illorum recuperandorum spem non abiecisse.* Arbitrati sunt inter se Legati, hac methodo, partes conciliandas esse, si dicerent, iniquum esse, quod Rex in Liuonia sibi quicquam relinqui vellet. Ex altera parte, iniquum esse, quod Sueci vellent, vt durantibus induciis, titulum Regis Sueciæ suspenderet. Quod ad tertium spectabat, nempe ad terminum induciarum, debere Suecos de quinquaginta annis, quos petebant, demere, & Polonos duodecim, in quos consenserant, addere.

Itaque post meridiem, Legatus noster solus Commissarios Suecos adiit, fecitque omnium relationem, priuatimque suas ipse rationes addidit, nec quicquam ab

ab iis euincere potuit. Rediit itaque & ad Angliæ Legatum, deinde ad Hollandiæ, tum etiam ad Electoris Legatos, vt illis, quæ gesserat cum Suecis, referret. Sic factum est, vt idem dies qui mane expectabundos, ac bonorum nuntiorum auidos, meridie lætos ac bene sperantes viderat, vesperi nos desperabundos reliquerit. Plebs interim vniuersa, quæ aduentantem bonæ spei nuntium libentissime exceperat, compotationibus vbique se tradidit immersitque, ita vt non nisi sequenti die emergeret.

XXIII. Summo mane, Hollandi Suecos Commiss. inuiserunt, super tributis maris Baltici, quæ aboleri, vel relaxari certe, contenderunt. Respondere Sueci, quandoquidem bellum ingrueret, se istud facere non posse. Deinde, hoc pendere a Marschallo Generali *de la Garde*, qui belli, stipendiorumque, ac vectigalium arbiter esset. Itaque re infecta etiam ab Suecis Hollandi redierunt. Meridie, ad Hollandos misit me Illustrisf. noster Legatus, a quibus superiora hæc didici.

Inde Elbingam profecti sumus, atque in itinere duo forralitia terrestria a Suecis seruata vidimus. Elbinga sita est in paludibus mediis; tamque natura, quam arte munita est. Fluuium habet quo alluitur, quoque merces non paucæ vehuntur. Non illa quidem ampla, sed pulcherrima est, latissimis viis atque plateis; domos habet speciosas ac nitidas ad formam Thorunii atque Dantisci. Displosione trium tormentorum bellicorum excepti fuimus. Præfectus bellicarum machinarum obuiam venit Legato, cum multis Nobilibus in equis, vbique in portis plateisque magnus militum numerus, tam in ordinem, quam in cateruas dispositus fuerat. Conspirabat huic pompæ serenus aër, frequensque populus visendi studio accurrerat. Cum in hospitium peruenit Legatus, Auaugurium ad salutandum Mareschallum misit, qui, præ morbo oculorum, domo egredi non potuerat. Interim vrbis Magistratus, Legatum satis longa oratione salutauerunt, petieruntque ab illo, quoniam in potestatem Regis Poloniæ per hæc pacta recidere debebant, vt pro ipsis intercederet. Accusabantur illi Gustauum aduocasse; & hi sunt piæ, reformatæ ac Euangelicæ, si Dis placet, Religionis fructus!

XXIV. Generalem Marschalcum inuisit Illustrissimus Legatus, per tres horas integras. Interim Ecclesiam præcipuam lustraui nulla re a Catholicis differentem. A prandio Illustrif. Legatus Epistolam ad Magnum, Gabriëlem *de la Garde* scripsit, Marschalli filium. Interim dum scribebat, coram illo, extemporaneum hoc Epigramma feci misique.

Ad te, Magne Comes, dum transit epistola Memmi,
Ingessit Comitem se, mea Musa, viae.
Lecta oculis fuerit cum littera dignior aequis,
Haec demum Musae suscipe vota meae.
Si bellum est inter Suecos, interque Polonos,
Arma tui o vtinam! sint potiora Patris.
At bellum ne sit Suecos vtinam atque Polonos,
Expugnetque tuum, Memmius, ore Patrem.

Miserunt suum Secretarium ad Illustisf. Legatum Brandeburgici; paulo post venere ad eum Commissarii Sueci, fueruntque per duas simul horas. Sub noctem venit ipse Marschallus Generalis, cum Campi Marschallo *Vrangel*, fueruntque per duas vtique horas; ac denique tam longis colloquiis factum est, vt Sueci decem annos, de quinquaginta quos pro induciis stipulabantur, demerent.

XXV. Mane Elbinga profecti fuimus multique Nobiles Illustrissimum Legatum deduxerunt ad fluuium vsque, extra suburbium, qui naui transeundus est. Inde cohorte velitum ad mediam Mariæburgi viam stipati ductique fuimus, alia nos

cohors suscepit successiue, deduxitque Mariæburgum. Litteras inuenit Mariæburgi Legatus, quibus Commissari Poloni se discessisse scribebant; rescripsit statim ad illas sua manu, iussitque me alias scribere, priuato suo nomine, ad Cancellarium Poloniæ, qui itidem priuatim illi scripserat. Scripsit etiam confestim ad Suecos, misitque ad illos exemplum litterarum, quas a Commissariis Polonis acceperat. Illud idem iussit per suum cursorem significari Legatis Angliæ & Hollandiæ, quos in via obuios habuerat, & quibuscum per horam in nemore collocutus fuerat. Qui quidem ægre ferebant, quòd Legatus noster prior ad Polonos, se relictis, transiret, negotiumque solus conficeret.

XXVI, Profecti sumus Mariæburgo mansimusque in oppido *Garnefet*, Lutherano toto, quod est vno vel duobus milliaribus præter Marianam Insulam. At hora nona, cum Legatum domum deduceremus, superuenit vnus e Brandenb. Legatis, qui ad mediam noctem & vltra Legatum distinuit: dum interim cantu, tædium, noctemque & stellas vigiliarum nostrarum conscias, falleremus.

XXVII. Illustr. Legatus ad Commissarios Suecos, scripsit, vt prolongationem induciarum, pro octo diebus impetraret, id est saluum conductum pro Brandeburgicis Legatis, qui vel Risemburgi, vel Mariæverder, morari cupiebant.

Perreximus transiuimusque per castra Polonorum, vbi illorum tabernacula (*Hutas* vocant Germani) considerauimus. Res illa valde me affecit. Transiuimus deinde præter muros Graudenti, qua in vrbe plurimi Polonorum milites sunt. Substitimus inde in pago, vbi cohortem equitum vidimus, qui *Houssarts* vocantur. Sunt illi omnes Nobiles, lanceisque vtuntur longis ac cauatis, cannabique ac colla obsirmatis, illasque in breui theca ab ephippio pendente figunt, habent in latere frameam: in ephippio sclopetos, & aliam frameam, siue ensem suspensum. Cæterum galeas, thoracesque, ac reliqua arma ex politissimo ferro. Illorum quisque habet viginti aut triginta equos, quinque præcipuos quibusque vtuntur ipsi in prælio; alios pro comitibus, proque impedimentis, quæ multa sunt; nam omnia quæ ad victum pertinent, secum trahunt.

Ad pagum, qui Thorunio milliari abest, aduenimus, vbi Palatinus Belsensis Illustris. Legatum, quem summe amat, expectauit. Noluit cum illo cœnare legatus, dedit vero illi Auaugurium & me; Post lautam cœnam remisitnos elegans Palatinus in rheda, reduxitque nos illius filius natu maior, ac in tugurium suum abduxit, vbi pullum Vrsinum, miræ alacritatis ac ioci plenum, exhibuit. Postquam magnam noctis partem hoc spectaculo fefellimus, intrauimus, nescio an hypocaustum, an stabulum dicam, nam mixtæ ibi hominibus pecudes, de loci possessione contendebant. Sex inde Palatini satellites humi iacebant interfectorum in morem: rusticus hinc domus inquilinus cum vxore, liberis, ancillis, palea plumaque inuoluti erant, in scamnis, quæ circa parietes disposita sunt; in vno angulo dormiebat Caluinista *Gernandus*, Baronis Auaugurii Secretarius, in alio noster Theologus, ac ne se forte calcibus impeterent, ambos diuidebat ingens Centurio Tartarus, recenti multoque pro sua dignitate, fœno decumbens. Parte alia ad angulum fumi, ægrotabat mulier puerpera: canes passim, anseres, porculi, pullique sparsi. Ingressi in hoc cubiculum ego & Auaugurius, se ille Theologo, qui grabatum inquilini occupauerat, coniunxit. Relictum ego scamni spatium, vbi ocreas suas, calcaria ac sclopetos quidam congresserant, intercepi: ac per infelicem noctem, quæ mihi brumali nocte longior visa est, his deliriis incubui. Interea vagiebat infans, ingemebat mater, altum stertebant lassi olidique milites ac lixæ. Qui de nocte ac sine lumine istuc intraueram, miratus sum, cum illuxit, tantam hominum pecudumque stragem ac colluuiem, emersique, quam potui, mature ac diligenter.

XXVIII.

XXVIII. Enigilaui ante auroram longeque per campos cum tubicine nostro spatiatus sum. Hora deinde octaua Illust. Legatus ascendit cum Palatino in rhedam magnoque aclongo, vt Principum illorum mos est, curruum & equitum ordine Thorunium venimus. Inter eundum vidimus transeuntes peditum cohortes, quae a Palatino Russiae, ad hoc bellum mittebantur. Paribus illi omnes vestibus induti erant paribusque armis, mosquetis nimirum muniti. Nullibi certe gentium homines magis ad speciem robustos ac fortes inuenias; nam ore ipso ac incessu terrorem incutiunt. Cæterum vniuersi illi a Moschis ac Turcis, horrendas visu cicatrices in capite ferunt, quod quidem rasum est, ideoque vulnera conspicua sunt. Bis mille ac quingentos huiusmodi homines Reipublicæ suis iste sumptibus tribuit, nam id Palatinorum munus est. Illust. Legatus Thorunium ingressus est hora decima, pransitque apud Palatinum Belsensem, me & Auaugurio conuiuis sumptis, ibi & N. *Guldenstern*, origine Suecus, at incolatu Polonus, qui Gallice optime loquitur, adfuit: Aduenit & post prandium *Bergmannus* e Brandeburgicis Legatis.

Ea ipsa die Thorunium venit Rex Serenissimus Poloniæ, Regiomonto. Venerunt etiam Legati Angliæ & Hollandiæ. *Kazanoski*, Regis Camerarius magnus Legatum inuisit.

XXIX. Quæ Dominica fuit, Illustrisf. Legatus ad priuatam audientiam Regis se contulit, hora decima matutina, postque meridiem egressus est, salutauimus vtique nos Regem manus osculo. Alii deinde Legati priuatim Regem inuiserunt.

XXX. Legati omnes in domo Cancellarii mane conuenerunt, vbi erant Commissarii Poloni. Arbitratus fuerat Cancellarius, vt in hoc congressu omnes starent, propter locorum ambitionem. Noluit id Legatus noster. Itaque primus venit: alii deinde. Primam sedem occupauit, secundam Legato Angliæ reliquit, alias sequentes Legatis Hollandiæ. Anglus suam reliquit vacuam, vltimamque post Hollandos cepit. Prior deinde Legatus noster egressus est. Plura illic media ad constituendas inducias proposita fuere, quæ tam Hollandi, quam Legatus Galliæ seorsim scripsere, quæque fortasse deinceps inseram.

A prandio inuitati sunt a Rege Legati omnes, vt in palatium eius conuenirent. Prior aduenit Legatus Galliæ in rheda regia, quæ deinde ad Anglum missa fuit, maluitque pedibus ille venire. Intrauere etiam Hollandi in cubiculum regium, vbi Rex erat cum solis Commissariis & duobus magnis Camerariis, Poloniæ scilicet, qui est *Kasanosky*, & Lithuaniæ, qui est *Radziuilius* iunior, filius nempe Commissarii. At Rex Poloniæ, qui coram tota Aula sæpius professus erat, se nullam causam inuenire, cur Anglus Legatus Gallo non cederet, se prope mensam dorso innitens constituit, atque a dextris primum proximumque Galliæ Legatum habuit, secundo Anglum, tertio Hollandos. A sinistris habuit Cancellarium reliquosque Commissarios. Primus deinde est Gallus egressus omnemque fere secum Aulam abduxit. Interea, cum iste congressus fieret, in antecubiculo regio permulti Nobiles ac Illustres viri, tam Antistites, quam alii, stabant sedebantque, qui inter se ac nobiscum loquebantur. Profecto iucundissimum mihi erat exaudire illos loquentes variis linguis, Polonica, Italica, Anglica, Germanica, Gallica, ac denique, quæ vulgaris appellari potest, Latina. Nec deerant qui Danice & Suecice loqui poterant; sed inter illos Germanica maxime, quæ nobilior est, vti præstat. Si non & Hispanicam loquentes audias, certe permultos ibi tamen Hispanicæ factionis ministros deprehendas atque fautores.

Vltima die Iulii, quæ D. Ignatio sacra est, Missam apud Iesuitas Illustrisf. Cancellarius celebrauit. Inuisi ego Ioannem Carolum *Konopatski*, Comitem, virum nobilissimum genere ac virtute, cuius pater Palatinus fuerat, ac Episcopus Culmensis. Dedi illi litteras Marchionis *Rouillaci*, Galli, quibus me per-

honorificis verbis apud illum commendabat, vnde me (qua comitate ac morum suauitate est) humanissime excepit. Est ille vir elegantissimus, decorique imprimis aspectus, qui pro sua virtute ac prudentia, regendæ Alexandri, Poloniæ Principis, adolescentiæ à Serenissimo hoc Rege commissus fuerat. Nuper ille a Rege, Abbatia vigintiquinque millium florenorum donatus fuit, seque ideo togæ addixit, maximas Ecclesiæ dignitates iure ac merito expectaturus; quippe qui doctrinam aliis virtutibus coniunxerit, plurimarumque, linguarum facultatem sibi comparauerit. Vtque id facilius coniicere liceat, subiiciam hic elegans quod mihi, inter alia multa, sui ipsius Epitaphium recitauit.

Hispaniam peragraui, Italiam perlustraui, Galliam perspexi, Germaniam emensus sum, Belgium vidi, Angliam, Scotiam, Irlandiam, Daniam, Sueciam, Norueg. circuiui, Moscouiam pertransii, in Poloniam redii; ossa ibidem mea depositurus, quibus & Epitaphium confeci.

Ossa diu iactata nimis terraque marique,
Hic requiem errorum denique repperiunt.

Missam cum illo audiui in altari, cui S. Stanislaus depictus est, ex cuius gente profectum se esse per matrem, vir per sese clarissimus, narrauit. Sed nec leue fuit, ad promouendam meam erga illum benevolentiam, quod se anno 1608. & 1609. Bituri gibus mecum literis studuisse recordaretur.

Abbas *de Gnievos*, qui in Gallia Legatus fuit, Illustrisf. Legatum ipsa die inuisit, quæ admodum pluuia atque obscura fuit.

Ipsa die, Legati Angliæ Hollandiæque Thorunio profecti sunt, Legatus noster, vt præcipitis diligentiæ eis meritum minueret, Henricum *Canazilhes*, Dantisci Consulem, ad Suecos misit, qui Legatum Angliæ aliquibus horis anteuertit, monuitque quid esset Thorunii factum, & vt Mariæburgum Elbinga se conferrent, quia Rex Commissariique Poloni Graudentum se conferebant.

Ipsa eadem die, Abbas *Aonop itsky*, inuisit Illustisf. Legatum nostrum, quem suauissimo colloquio distinuit, mutuamque beneuolentiam demeriti sunt. Me Abbas ille deinde in rheda sua, abduxit ad moniales Thorunienses, vbi duas sorores habet. Est ille conuentus secus ripam Vistulæ, constatque octoginta virginibus ex optimis familiis. Non exigium istud fuit mihi amicitiæ argumentum, quod dilectissimas sorores, a quibus tam pro sanguinis necessitudine, quam pro egregiis meritis redamatur, ostenderit. Inde longe lateque per vrbem ac extra muros, in rheda deambulauimus.

Prima die Augusti, cum Thorunio proficisci vellet ad Suecos Illustrisf. Legatus, iussit me ire salutatum suo nomine Abbatem *de Gnievos*, illique litteras a Domino *le Mague* scriptas tradere, quibus antiquum aliquot millium, aut circiter aureorum, nomen dissoluere rogabatur, aut saltem dare idoneum aliquod responsum, respondit ille mihi, se non verbis tantum, sed ipso facto velle creditori suo satisfacere, visurumque se Legatum Dantisci, vel alibi in Aula Regis, antequam discederet. Misit interim Palatinus Belsensis ad Legatum nostrum insignem taperem Turcicum, cuius fundus aureo filo, flosculi ex elegantissimis sericis coloribus erant, quem curiosissime intuiti admiratique sumus. Iussit me statim Illustrisf. Legatus Nobilissimum ac elegantissimum, Palatinum adire, agereque gratias ac vale illi dicere. Iussit vtique me ad Dominum *Kasanoski*, magnum Regis Cubicularium atque illi imprimis gratiosum, salutem plurimam suo nomine offerre, rogareque, vt in regia beneuolentia Legatum conseruare vellet. Comiter ille mihi respondit, se Regi Christianissimo tam esse deuotum, vt, tamersi ad pedes sui Regis, ex muneris sui debito, deuinctus semper esset, aduolaturum tamen libenter ad Regis Christianissimi obsequia. Cæterum suo suffragio Legatum erga Serenissimum Pol. Regem non indigere, qui per sese tam clarus ac ob recentia merita, tam gratus esset. Filius deinde Palatini Belzensis

itemque

itemque nepos Palatini Russiæ, Legatum nostrum discedentem salutatum venerunt, atque iste, se ad Regis Galliæ exercitus, tria millia militum suis sumptibus ducturum, pollicitus est. Adolescens adhuc est, & iam tamen militiæ suæ tyrocinium, in obsidione Rupellæ, posuerat, vbi cum in morbum incidisset, a Regiis medicis diligenter curatus fuit, hancque Regis erga se beneficentiam clare prædicabat. Exiuimus Thorunio, ac sequenti nocte Graudentii mansimus, quaternique in pluma fœnoque, humi decubuimus.

II. Augusti, Quidzini, siue *Marten Vuerder*, pransimus. Legatum nostrum inuisit Princeps Sigismundus, qui huc se receperat, relicto Risemburgo. Reuisit illum statim Legatus in castro vbi habitat. Mariæburgum sero aduenimus.

III. Legati omnes a prandio in nostri ædibus conuenerunt, perque quatuor aut amplius horas simul remanserunt, Commissarios Suecos expectantes, qui nondum Elbinga redierant: vnde illos per litteras suas Legatus noster euocauerat ad faciliorem congressum. Missus denique fui vespere ad illos, cum in colloquio vna essent, in cubiculo Generalis *de la Garde*: Veneruntque postmodum omnes; petierunt ab illis Legati, quidnam demum articulis, qui Thorunii xxx. Iulii, apud Cancellarium Poloniæ a Legato Galliæ propositi fuerant, vellent respondere. Itaque lecti sunt illi, a Nicodemo Commissario Sueco, ac dum legeret, Legatus noster ceterique mentem Regis Poloniæ Commissariorumque explicabant, eos ego articulos ex autographo hic descripsi.

Fiant induciae ad annos . . . . . .

Tam Regi & Regno Poloniae, quam Electori Brandeburgico restituantur loca omnia in Prussia occupata, cum tormentis bellicis & aliis rebus ad Poloniam pertinentibus, veluti supellectile Ecclesiastica, campanis, &c.

Vt nec in discessu, nec ante discessum, quicquam a subditis exigatur, qua publice, qua priuatim.

Remaneant, durantibus induciis, penes Regnum Sueciae loca in Liuonia occupata, vti nunc possidentur, ita tamen vt Euest *fluuius* (influit ille in Dunam) *sit limes inter Sueciam & Poloniam. Id includet castrum vnicum, & quidem desertum, nomine* Marienhaus.

Iura & priuilegia, quae ciuitatibus, Collegiis, vel priuatis competierunt, salua maneant.

In instrumento praesentis tractatus inscribatur, Vladislaus IV. Rex Poloniæ, *&c.* *Et* Christina Regina Sueciæ, *&c.*

In Prussia vectigalia & commercia relinquantur eo in statu, in quo erant ante bellum.

Amnistia hinc inde.

Nauis illa restituatur, quae ab aliquot diebus retinetur in portu Gedanensi.

Religionis exercitium remaneat in eodem statu, in quo erat ante bellum.

Manentibus induciis, in comitiis vtriusque Regni agatur de pace perpetua.

Agatur de tempore & loco deducendorum exercituum.

De moderandis & circumscribendis teloniis in Liuonia, eodem modo, vt ante bellum.

De modo administrationis iustitiae, in confiniis Lithuaniae & Liuoniae, & eorum locorum Liuoniae, qui sunt in potestate Polonorum.

Cautiones dentur tam a Rege, quam Regno Poloniae, Magno Ducatu Lituaniae, Electore Brandeburgico, & ciuitatibus Gedani & Regiomonti, stantibus induciis, se non permissuros, vt naues vllae portu soluant contra Regnum Sueciae, neue quicquam, per se aut per alios, tractetur in praeiudicium praesentis tractatus.

Ad has propositiones noluerunt extemplo respondere Succi, sed promiserunt, se responsuros sequenti die, hora quinta matutina, vt continuo Legati ad Regem Poloniæ ire possent.

IV. Hora condicta Illustrissimi mediatores ad castrum, vbi habitant Commiss. Sueci, se contulerunt. Dixerunt Sueci, se in illos articulos consentire, si quatuor conditiones a Polonis sibi concederentur.

1. *Vt Regina Christina nuncupetur Suecorum, Gothorum, ac Vvandalorum, & Magna Princeps hereditaria Finlandiae.*

2. *Vt induciae sanciantur pro triginta quinque annis.*

3. *Vt decies centena millia Thalerorum, pro refundendis huius belli sumptibus, a Polonis sibi soluantur.*

4. *Vt Mediatores, huius tractatus fideiussores sint.*

Respondere statim mediatores, quod Regem Poloniæ responsurum putauerunt, initoque cum Brandeburgicis consilio, vt scirent quid Dantiscani, quid Regiomontani, qui Brandeburgici Electoris subditi sunt, facere possent, nam Regem Poloniæ non soluturum quicquam: tandem Suecis Legatus Galliæ centum millia florenorum obtulit. At Comes *Brahe* pro Suecis dixit, pro hac summa manum ori admouere non dignari. Conclusum est tandem, quia induciæ sequenti die finiebant, vt, si Rex Poloniæ in primo articulo consentiret, & quod ad secundum spectabat, si ad viginti quinque annos consentiret, Mediatores possent inducias ad quatuor, aut quinque dies proferre; alioquin belli licentiam fore.

Elegit nos quatuor Illustriss. Legatus noster, vt properantius iret, ac cum transiremus per *Marien Vuerder*, misit me ad Principem Sigismundum, Electoris Patruelem, vt illi exponerem, in quo statu res essent. Graudentum deinde perreximus, vbi Rex erat, interimque pertansiuimus castra, vbi variæ militum cohortes viam nobis longo ordine prætexebant, velites, quos *Cosaquos* vocant, obequitabant, præibantque, quos iucundum nobis erat intueri. Sunt illi vt plurimum recto agilique corpore, paludamentis ferreis induti, sclopetosque in tergo appensos ferunt. Dux illorum ad Legatum nostrum accedens, cum aliquibus non inurbanis pro huiusmodi homine verbis, illum salutasset, in hæc verba desinens, Regi, inquit, nostro laus & gloria, nobis vero victoria; equum deinde citatissime impulit. Graudentum nocte aduenimus. At Legatus Angliæ, qui nos semi hora præcesserat, quasi aliquid boni nuntii allaturus, Regem, qui se lecto tradebat, interpellauit suo damno, nam hanc præcocem salutationem, imprudentiæ Rex ipse aulicique tribuerunt. In Publica Municipum æde sumus diuersati, culcitris ego rhedæ, summo Legati beneficio decubui, alii fœno; alii nudo scamno iacuerunt.

Fœnum & auena ab Aulæ Regiæ Marschallo per famulum, qui Latine balbutiebat, Legato nostro oblata sunt; acceptauit: duæ deinde pisciculorum scutellæ cum pane atro allatæ, aspernatus est. Scilicet huiusmodi sunt illæ lautitiæ, quæ adeuntibus Galliam Legatis, exhibentur.

V. Quæ Dominica fuit, Illustriss. Legatus magni Cancellarii Missæ in Ecclesia Iesuitarum interfuit, quam ille, quinque sacerdotibus ministrantibus, rite reuerenterque celebrat; cum illo ac Referendario Cancellarii domum se contulit, in quam postmodum alii Legati Palatinique, Belsensis nimirum, Russiæ, Siradiæ, ac ipse Castellanus Cracouiensis, idemque Generalissimus *Koniecpolski*. Hoc dimisso congressu, Legati domum quisque redierunt, Palatini Regem adierunt.

A prandio, hora tertia, Illustriss. Legatum Galliæ per *Ossolinski*, fratrem eius, qui Legatus nuper Romæ fuerat, iussit in castrum euocari. *Kasanoski*, qui in Regis gratia maxime florebat, Legatum in imis gradibus excepit: alii deinde Legati aduenerunt. Postremo Cancellarius aliique Palatini. Nullæ in cubiculo sedes positæ; at a dextris Regis, Legatus Gallicus stabat, postque illum Anglicus,

eus, inde Hollandici; a sinistris Regis, Cancellarius, & alii. Per septem horas & ad decimam vsque nocturnam, protractum est istud colloquium. Interim & *Cazanoskius*, qui, vt verisimile erat, ex Regis sensu inprimis loquebatur, nihil nisi bellum spirabat aduersus Suecos, iactabatque, se omnesque Polonos, bellum per triginta annos gerere malle, quam in inducias triginta annorum consentire: deludi suum Regem, cui tam longus terminus proponeretur, quem per valetudinem, insitamque (vt Legato nostro sæpius dicebat) familiæ suæ vitæ breuitatem, attingere nunquam posset, atque adeo ius suum in recuperanda Suecia persequi.

Quod ad Christinæ titulum pertinet, dolosos esse Suecos, qui illam Principis hereditariæ Finlandiæ nuncupari velint, nam Principatus Finlandiæ ad proximum Regis Sueciæ agnatum, ex lege Regni, pertinet, quemadmodum Delphinatus primogenitis Regum Galliæ, est attributus: Et sic Christinam etiam, ex hoc capite, Regis Poloniæ fratres filiosue anteuertere velle, si Rex moreretur.

Cæterum de refundendis vllis sumptibus, pro deductione Suecici exercitus, ne cogitandum quidem: se vtique in cogendo suo exercitu sumptus fecisse. Num ergo sunt Sueci potentiores, aut terribiliores Imperatore Turcarum; at, cum ille in Poloniam penetrasset, velletque aliquam pecuniam quamlibet modicam a Polonis sibi dari, ipseque Vvalachiæ Princeps, cuius ditio potissimum infestabatur, illam vltro offerret, noluerunt. Contenti sint, inuasores isti Sueci, millione thalerorum, quem quotannis ex Liuonia exigent. Sic fere loquebatur *Kazanoskius*, intimus Regis amicus ac consiliarius. At alii passim Nobiles Poloni, seu vino, seu iusta ira exarserant, etiam in contumelias erumpebant, præsertim contra Oxenstiernas, Vrangelium, & Nicodemum, quem ludimagistrum identidem appellabant. *Casanoskio* quidem, pro sua dignitate, maxime quam poteram, comiter ac leniter respondebam; at aliis, Suecorum rationes non simulate proponebam. Quod idem vicissim faciebamus, cum alloquebamur Suecos, vti nos Legatus noster præmonuerat. Interim discursabat Agens Imperatoris, modo hunc, modo illum prensando; nam ne hæc pax inter Suecos, atque Polonos ineatur, timet Imperator, qui non paucos in hac Aula clientes habet ac beneuolos, ac inprimis Palatinum Russiæ, qui bis mille & quingentos milites suis sumptibus, in castra adduxerat. Sed nec Rex Galliæ amicis ibi caret atque fautoribus, nimirum Palatino Belsensi, aliisque permultis, qui mira de Gallica comitate prædicant.

Discessum est tandem e consilio Regio hora decima, cum neque Palat. Belsensis, nec Senior Legatorum Belgii, pedibus amplius consistere possent, quam ob rem sequenti die vterque lecto decubuit.

Colloquii huius conclusio hæc fuit, *vt Rex Poloniae, titulum Christinae concederet, Reginae Gothorum, Vvandalorum & Suecorum, ac Principis Finlandiae, sine verbo* hereditariæ.

Vt non impediret, quo minus Telonium Dantiscanum, quod in portu Sueci exigebant, ad tres menses exigerent, pro refusione suorum sumptuum; qua de re Legati Angliae Belgiique ad suos Principales scriberent.

At non vltra viginti quinque annos, inducias, se consentire velle Rex asseuerauit.

VI. Summo mane, Legatus noster Henricum *Canasiles* Mariæburgum misit ad Generalem *de la Garde*, aliosque Suecos Commissarios, vt illis, quæ gesta erant, significaret, peteretque aliquot dierum inducias. Scripsit continuo ad Legatum Generalis, se quinque dies permittere, dummodo id etiam Poloni facerent. Hora quarta serotina, inter *Marien-Vverder* & *Stumam*, offendimus *Canasiles*, ac in media sylua scripsit Legatus ad Generalem Polonorum, vt in hos quinque dies consentiret. Peruenit cursor iste noster, de multa nocte, in Polonorum castra. Nos vtique nocte Mariæburgum venimus.

Yy yy yy yy VII.

VII. Generalis *de la Garde* Legatum nostrum inuisit, eumque ad Castrum, vbi iam alii Legati erant, deduxit. Retulerunt Legati, quid cum Rege Poloniæ gesserant. Consenserunt in reliqua Commissarii, præterquam in annos. Triginta quinque petebant, quinque dempserunt, ac descenderunt ad triginta. A prandio alii Legati rediere ad Polonos, noster propter morbum capitis & ad scribendas Lutetiam litteras remansit, tamque acri dolore pressus est, vt media ipsa nocte, omnes vrbis Chirurgos atque Medicos iusserit euocari. Tandem auulso genuino, paulisper, dum a cursore Regis Pol. excitaretur, requieuit. Nocte superiori maneque toto Dirsauiæ, quæ Polonorum est, displosa sunt tormenta in fortalitium Suecorum, quod est ex altera parte Vistulæ; Ignorabant scilicet prolationem induciarum.

VIII. Illustrisſ. Legatus ad Regem Poloniæ profectus est, qui illi aciem suam instructam exhibere, per cursorem promisit. Mariæburgi ego remansi, vt me a præcedentibus vigiliis ac laboribus recrearem. Ægre tamen occasionem exercitus lustrandi prætermisi, in quo multa militum genera visenda erant. At, credo, iam magnam partem per particulas videramus, præsertim die VI. cum Graudento rediimus. Nam Hussariorum cohors, e castris nobis obuia fuit, quo spectaculo nihil vidi vnquam iucundius. Sunt illi Nobiles Poloni omnes, equis præstantibus insident, armis lucidis ac splendidis operti sunt, ac Pardorum, Leonum, Tigridumque pellibus a tergo amicti, longas lanceas gerunt, quæ loris ab ephippio pendentibus sustentantur, quarum in summitate infra cuspidem, vittæ siue fasciæ fericæ reuinctæ vento impelluntur, hostiumque oculos fallunt. Præclara illa sunt, at risum non teneas, cum illorum tergo longas alas aptatas conspexeris, quibus etiam hostium equos terrere se putant, atque in fugam vertere. Equorum fræna argentea deaurataque sunt, atque a collo orbiculi ac lunulæ argenteæ dependent, lateri frameam, ephippio sclopetos, clauas, malleos, secures, ensesque appendunt. In conflictu primus aut secundus ordo tantum, his lanceis vti potest, aliis inutiles fere sunt, itaque ad alia tela recurrunt. Qui pretiosas pelles non habent, tapetes humeris suis implicant, hoc tam ad speciem, quam ad armorum iuncturas tegendas pertinet. Cæterum homines nostri, tam multa hæc impedimenta omnino improbant. Egredientes e castris camelos pascentes vidimus, quorum tergo sellæ figuram natura impressit. Aiunt, illos maximis oneribus gestandis in primis esse idoneos. Certe, cum hæc intuebar, itemque præcedenti die, cum in Ecclesia Iesuitarum togatos illos Vvaivvodas considerabam, Deum adorantes, recordabar illius adorationis, quam Orientales Magi Infanti Christo magna pompa, longoque comitum & camelorum ordine, (si pictoribus ac phrygionibus credimus) exhibuerunt.

IX. Totam diem scribendo legendoque insumpsi, dum interim Rex Poloniæ, aciem suam instructam Legatis, quos in castra euocauerat, exhibuit. Post egregium spectaculum, conuenerunt in tentorium Regis Legati omnes, quibus dixit, se inducias permittere non posse, nisi ad viginti quinque annos, itaque Legatis Angliæ Hollandiæque subiratus est, qui eum ad triginta annos venturum Suecis promiserant. In castris ac sub tentoriis decubuit Legatus noster, vti & præcedenti die fecerat. Lautisque conuiuiis a Generali exercitus exceptus fuit; de quibus omnibus quia testis non fui, non refero.

X. Post meridiem rediit Mariæburgum Illustrisſ. Legatus noster relicto in castris Auangurio, inuisitque Commissarios Suecos per quatuor aut quinque horas. Ibi tandem se ad Consilium Sueciæ scripturos responderunt, vt induciæ ad viginti quinque annos reducerentur; atque adeo cessationem ab armis, pro tribus septimanis, petierunt.

XI.

XI. Illustrisſ. Legatus ad Regem Poloniæ rediit Graudentum, obtinuitque (vt a cursore, nobis, qui Mariæburgi manseramus, relatum est) sequentem septimanam, pro ampliore tractatu. Lustraui ego interim Suecorum castra ac tentoria, vbi certe humanæ miseriæ ac prauitatis imaginem conspexi. Vidi hominum vultus, quos quia nec loqui, nec ratiocinari intelligebam, dubitaui an homines essent, adeo erant horridi, squallidi, impexi, cæterum laceri, nudi pedibus, plerique iuuenes agrestes ineptique: & illi Sueci erant, quos ex agris atque aratro, ad militiam Respublica cogit. Notaui istos, nam tum primum aduenerant, aptare locum tentoriis figendis. Recto illi ordine vexilla figunt, æquo relicto spatio, singulæque cohortes in lineam longam disponuntur, furcillas ibi, vel hastas infigunt, ac deinde huc & illuc discursant, vt ligna, asseres vndique conquirant. Hortorum domorumque sepes euellunt atque asportant, ruinosas ædes disturbant, & nisi a ducibus ac centurionibus suis seuere arceantur, etiam validas beneque consistentes effringunt, atque ex istis fragmentis nidos sibi, ac speluncas compingunt. Arboribus deinde, salicibus nimirum ac fœno, herbis, palea se integunt. Parte alia Finnos vidi, equites isti sunt, bonosque ac fortes equos alunt. Inuestigabam oculis, vbinam Domini essent, nam qui ipsi equites sunt, equisones ego esse putabam, adeo misera tenuique veste sunt: At eos strenuissimos esse tota est experta Germania. Galea ac thorace armati sunt tantum, nihil habent in brachiis, nihil in coxis, pallium in postilena religant. Si vincunt, diripiunt omnia, & quælibet illis lucro cedunt. Si vincuntur, id nullo operæ pretio fit, nisi quod nocere desinunt; cæterum de illis nulla opima spolia reportantur.

Pedites Germani se in proximo collocauerant, & quia veterani fere sunt illi ac plerumque artifices, tabernacula sua omnium melius construunt, pagos diceres, tam bene ædificant clauduntque sua pusilla domicilia, ac vt nihil desit, quod bene constitutas familias deceat, etiam coniuges habent ac liberos. Cum vltra pergerem, omnium miserrimos vidi Scotos, quos ramusculi arborum perperam ac nulla arte congesti, neque a Sole, neque a pluuia defendunt, nullo ibi ordine iacent, itaque cœmeterium potius, quam castra te videre existimes. Habent illi magna vexilla rubra, in quorum angulo est Crux Santandræana alba, in fundo cæruleo. Aliqui ex illis Catholici sunt, quos Dominica die Missæ adesse vidimus; at nullum, credo, secum in castris pastorem habent. Omnia hæc castra terrestrium propugnaculorum, quæ Mariæburgum circumdant, ambitu continebantur, ciuiumque hortos qui illic erant late deuastauerant.

XII. Quæ Dominica fuit, Missæ adfuimus, indeque in aggere, qui secundum flumen est, deambulauimus. A prandio Legati Angliæ Belgiique Graudento rediere, non rediit noster.

XIII. Rediit Mariæburgum Illustr. Legatus e Castris Regis Poloniæ, cum quo longo tempore collocutus est, ac iterum exercitum perlustrauit. Sub noctem illum inuiserunt Commissarii Sueci.

XIV. Commissarii ac mediatores ad Stumsdorffium se contulerunt, vt intermissos tractatus renouarent. Cum Illustrisſ. noster Legatus mediationis tentorium introiit, ibi iam erat Legatus Angliæ, ac Princeps Sigismundus cum aliis Brandeburgicis. At Hollandi, nescio quo prætextu, tametsi multis ante horis in pagum aduenerant, in tentorium venire noluerant. Iussit itaque me Legatus noster, vt eos suo & communi aliorum mediatorum nomine, inuitarem in tentorium venire. Responderunt mihi illi, se gratias agere Illustrisſ. Legato Galliæ, itemque Legato Angliæ, cæterum, se amplius velle deliberare, an ad tentorium irent. Id retuli Dominis mediatoribus. Itaque manifesta tum fuit æmulatio, quam in Brandeburgicos hactenus conceperant ac celauerant, quæ quidem in causa fuit, vt suadere Suecis conati sint, vt vlterius non finerent Brandeburgicos

Mediatorum vice fungi, sed eos in hostium numero censeri debere, quemadmodum Polonos: At alii Mediatores, Brandeburgicos repudiari non posse contendebant, vel eo maxime, quod ab initio illorum opera ac mediatio admissa fuisset. Interim Illustrisf. Legatus Galliæ, Secretario Brandeburgicorum dictauit quosdam articulos, qui partibus proponerentur, eos nimirum, qui Thorunii coram Rege Poloniæ, in scriptis exarati erant. Illi postea articuli, a Legato Galliæ & Brandeburgicis, ad Polonos perlati sunt &. examinati, interim venit a Suecis Legatus Angliæ, attulitque alios articulos, quos Sueci scripto redegerant. Lecti sunt vtrique illi, ac super vnoquoque sententiam suam Poloni dicebant. At id sine ordine factum est. Sed tamen non sine fructu, nam, meo quidem iudicio, præstat in medias res ingredi, quam in præfationibus inutiliter hærere; vt quidam facere consueuerunt, qui tempus ab sumunt, dum de titulis & nominibus deliberant.

1. Relinquebatur arbitrio Regis Poloniæ, an scriberet, *Vladisl. Rex Poloniae*, &c. *Magnus Dux Lithuaniae*, &c. an scriberet, *Rex Poloniae*, *Magnus Dux Lithuaniae*, &c.

2. Sueci volebant sibi restitui sumptus propugnaculorum, quæ Pilauiæ, Hoffstil, alibique fecerant, aut ea demoliri. At Poloni, & Brandeburgici, quorum est Pilauia, dicebant, loca sibi restitui debere in eo statu quo nunc sunt, sine vlla refusione sumptuum, nec permitti debere Suecis, vt ea demolirentur; non esse indulgendum malitiis hominum.

3. Petebant Sueci cautionem dari a Gedanensibus, Pilauiensibus, Elbingensibus, Regiomontanis, se non permissuros neque classem, neque nauem instrui aduersus Suecos: Respondebant Poloni ac Brandeburgici, id quidem a Gedanensibus peti posse, at non ab Elbingensibus, neque Regiomontanis, qui portus nullos haberent sibi proprios, quique a mari distarent non paruo interuallo. At id tamen contendebant Sueci, dicebantque, quo plures haberent cautiones, eo securiores inducias fore. Perstabant Poloni ac Brandeburgici, dicebantque, has Ciuitates, Elbingam nimirum & Regiomontum, non habere vlla Regalia, neque portus, & si in his pactis illæ interuenirent, periculum fore, ne aliquando hinc aliquid iuris in portubus prætendere vellent, in præiudicium Regis Poloniæ ac Ducis Prussiæ.

4. Sueci vniuersam Liuoniam sibi restitui petunt, vti nunc illam possident. At Poloni volunt excipi eam partem ac ditionem, quæ ad Ducissam Curlandiæ pro dotalitio suo pertinet, quæque post eius mortem ad Ducem Curlandiæ, eius filium redire debet. Id Sueci nolunt, asseruntque, quicquid intra limites sit Liuoniæ atque ab illis possessum est, seruari debere.

5. Vt qui velint Prussiam relinquere, ac bona sua patrimonialia distrahere, vt istud facere possint, idemque illis liceat, qui sunt in Liuonia, quique ex illa migrare volent.

6. Vt exercitus per mare deducatur a Suecis, volunt Poloni, ac Dantiscani præsertim. Sueci petunt, vt liberum sibi sit terrestri itinere egredi.

7. Petunt Sueci, vt eodem tempore quo exercitus eorum migrabit, eodem Polonorum quoque emigret. At id Poloni negant esse æquum, quum deinceps Prussia ad eos pleno iure pertineat, liberumque illis sit, ibi exercitum habere vel non habere, nec de illa re Suecos debere esse sollicitos.

8. Nolunt Sueci restituere Pilauiam, nisi in fine anni, quandoquidem vsque ad finem anni portorium, tam Gedanense, quam Pilauiense, pro suorum sumptuum recuperatione exigere debent: nam si restituerent Pilauiam, tunc non haberent potestatem cogendi eos, qui vectigalia soluere recusarent. Itaque Legatus noster hortabatur Dantiscanos, vt hæc portoria redimere vellent, ac certam summam Suecis tradere, vt statim e Borussia dimitti possent.

9.

9. Sueci petunt, vt, antequam e Borussia discedant, illis tradatur præsentis tractatus ratihabitio Polonorum in comitiis facta: Poloni dicunt, sufficere, si tractatus a Rege atque a Commissariis subsignatus sit, nec expectari debere comitia, quæ cum aduenerint tamen, ratihabitionem illam dabunt.

10. Sueci Polonique consentiunt, vt intra duos annos locus & dies assignentur, in quibus, stantibus induciis, de pace perpetua agi possit.

11. Poloni petunt, vt vtrinque Legati sint in regno Sueciæ & in regno Poloniæ, ad negotium perpetuæ pacis promouendum, & ad conciliandam populorum beneuolentiam. Nolunt id Commissarii Sueci. Quamobrem? facile est coniicere, nec eundum Delphos.

12. Brandeburgici repetunt quatuor naues, quæ Electoris sui erant. At Sueci, quibus hæc sæpius fuit recantata fabula, surdi sunt.

13. Elbingenses repetunt priuilegia sua, quæ in odium illorum defectionis ad Suecos, a Rege Poloniæ translata sunt ad Gedanenses; quæ quidem sunt, sigillum Prussiæ & in comitiis præeminentia, quibus priuilegiis ab antiquo gaudebat Elbinga, pro sua vetustate. Huius petitionis articulum separatum faciunt Sueci, asseruntque, se Elbingenses deserere non posse. Cum id satis acriter disceptaretur in tentorio Polonico, ac Gedanenses fidei suæ præmia sibi non eripi debere contenderent, eos increpuit Anglicus Legatus, dixitque, se, qui tum sub Gustauo militabat, probe memorem esse, Gedanenses non fuisse multo meliores his Elbingensibus, sed quia vrbs illorum maioribus viribus pollebat, idcirco non tam facile Gustauo se permisisse, scire quid tum gestum fuerit: At Elbingenses ex sua infirmitate, fortiori cedere fuisse coactos. Certe, cum id Legatus Anglicus palam diceret, coram Cancellario cæterisque Commissariis Polonis, pudorem Senatorum Gedanensium, qui illi pro sua dignitate replicare non audebant, non mediocriter læsit.

Ad quatuor aut quinque horas productum est istud colloquium, in angusto tentorio, vbi stantes nudoque capite in humenti solo, tam Commissarii, quam Mediatores erant. Sub vesperam inuisit Legatus noster Suecos, rediitque cum illis Mariaburgum.

Reuersus de multa nocte Mariæburgum Legatus, inuenit cursorem N. *Latour*, qui illi multas a Rege Christianissimo attulit litteras, multaque de Aula narrauit.

XV. Quæ pluuia admodum vti superior dies fuit, propter beatissimæ Virginis assumptionem, quam Lutherani non agnoscunt, Missæ cum Illustriss. Legato vniuersi adfuimus. Sub vesperam Legati Angliæ, Hollandiæque nostrum inuiserunt.

XVI. Ad Stumsdorffium Commissarii Legatique redierunt. A prandio, ob æmulationem, quæ inter Hollandos nata erat ac Brandeburgicos, duo fuere pro Mediatoribus posita tentoria. In altero Brandeburgici erant, quos adiit Legatus Angliæ. In altero Hollandici, quos Legatus Galliæ, qui misit me statim ad Anglum & Brandeburgicos, postulatum, quid facto esset opus; At illi statim ad Gallum Hollandosque transierunt. Tum Gallus cum Brandeburgicis, ad Commissarios Polonos se contulit; Anglus cum Hollandis ad Suecos.

In tentorio itaque Polonorum, cum assedissent; proposuit Legatus noster de ratihabitione, quam Sueci habere volebant, antequam loca Prussiæ restituere possent. Poloni contendebant, loca sibi restitui debere statim atque tractatum signassent, quod fieri a se promittebant atque a Rege, cæterisque Senatoribus, qui penes Regem erant. Insistebant contra Sueci, dicebantque, se non fore satis securos, quia in diæta Polonica possent ea omnia rescindi, quæ a Rege & Commissariis transacta & signata essent. Ad hæc respondebant Poloni; Istud timeri non debere, nec fieri posse, vt in diæta rescinderetur hic tractatus, &

quæcunque a Commiſſariis geſta eſſent, ob eam rationem, quod illorum poteſtas atque auctoritas in ſpeciali lege fundata eſſet, perquam cauebatur, ratum habitum iri a diæta, quicquid ab illis geſtum ac tractatum eſſet: ac vt dicta lex reſcinderetur, opus eſſe alia lege noua, quæ ne fieret, & Rex, & Commiſſarii, & reliqui Senatores, qui tractatum hunc ſignarent, intercederent vetarentque; & hanc eſſe fundamentalem Reip. Poloniæ legem, vt vno vetante ac contradicente lex nulla ferri poſſit. Itaque periculum nullum eſſe, vt hic tractatus reſcinderetur, cum Rex, Commiſſarii, cæterique Senatores, qui penes Regem ſunt, præcipue Archiepiſcopus Gneſnæ, qui Regni Vicarius eſt ac Interrex itemque Generalis, dictum hunc tractatum tuerentur. Addebant etiam, dicta lege, quæ in vltima diæta facta eſt, omnem poteſtatem Reip. in Regem ac Senatores, qui illi aſſident, quique nominati ſunt, fuiſſe translatam, ita vt excepta contributione generali, & bello offenſiuo indicendo, omnia illis permiſſa eſſent, Dictatorumque Romanorum loco eſſe conſtitutos.

Alteram rationem ab exemplis petebant Commiſſarii Poloni, nimirum in vltimis induciis, quas cum Suecis pepigerant, Suecos illis reddidiſſe quædam etiam loca, non expectata nec petita ratihabitione comitiorum Poloniæ.

Idem in tractatibus cum Moſchis & cum Turcis initis, diſceſſum ab armis fuiſſe, loca quæ reſtitui debebant, reſtituta; non expectata diætæ ratihabitione, quæ tamen cum Comitia habita poſtea ſunt, ſubſecuta eſt. Nullam denique, ab omni æuo, perfidiæ notam Polonis obiici poſſe. Præter hæc propoſitum eſt de obſidibus, de ſequeſtro, de deducenda parte exercitus. Pertinaciter Sueci contenderunt, ſe nulla loca relinquere poſſe, quin ipſa ratihabitio a Polonis Comitiis illis eſſet tradita. Interim, dum id fieret, ſe exercitum retenturos, niſi & ipſi Poloni ſuum dimitterent. Poloni vtique in ſua ſententia perſtitere; velle ſe ſtatim atque tractatus ſignatus eſſet, vt Sueci locis Pruſſiæ decedant. Mariæburgum ſero rediimus.

XVII. Ad Generalem *de la Garde*, & Commiſſarios Suecos in caſtro habitantes, contulit ſe Illuſtriſſ. noſter Legatus, vt eos ad ſequentem congreſſum præpararet: at illi ob ieiunium quod ſibi indixerant, duri ac moroſi, Legato minus obſequentes fuerunt.

Hæc ieiunia celebrantur ab illis ſemel in ſex hebdomadis, ac per illam diem non comedunt, niſi hora quinta pomeridiana, tum ſe poculis ac cibis, quaſi Bacchanaliorum dies aduenifſet, ingurgitant.

XVIII. Rediere tam Commiſſarii, quam Mediatores ad tractatum; iuit cum Brandeburgicis Legatus noſter ad Polonos, iterumque de illa ratihabitione actum, iterum lectæ explicatæque Poloniæ leges. Propoſitum eſt a Legato noſtro, vt diuiderentur loca Boruſſiæ, & donec ratificatio afferretur, Sueci interim mediam partem locorum Boruſſiæ traderent, mediam retinerent. Pilauiam nimirum, Hoffiium, & Elbingam; at reſtituerent Mariæburgum, Braunsbergam, aliaſque vrbes, ſtatim atque tractatus a Commiſſariis ſignatus eſſet. Noluerunt Poloni, ac irato ſimilis Palatinus Belzenſis colloquium abrupit, iuſſit adduci ſibi currum vt exiret. Continuo iuit ad Suecos Legatus noſter cum Brandeburgicis, retulitque Polonorum ſententiam. At iſti, cum iam audirent tubicines Polonorum, qui receptui canebant, inito breui ac ſalutari conſilio, dixerunt Legatis, ſe illorum arbitrio permittere, quid de illa ratihabitione ſtatuerent, itemque de termino induciarum, peterent a Polonis, num idem ipſis fieri placeret, vt hoc arbitrium Mediatoribus relinqueretur. Reſponderunt Commiſſarii Poloni, quandoquidem Rex in vicinia eſſet, id ab illo poſtulandum, rogaueruntque Legatos, vt ad Regem tranſirent, qui cis Marianam Inſulam caſtra collocauerat. Rediere alii Legati Mariæburgum. At Legatus noſter; qui hæc pro ſua ſagacitate præuiderat, ad Marianam Inſulam poſt Commiſſarios Polonos ſe contulit. Ibi in veſti-

mentis

mentis nostris duriter pernoctauimus apud N. *Lahaye*, Gallum, qui nos ad diuersorium suum abduxit.

XIX. Quæ Dominica fuit, Missam a Cancellario Polono celebratam audiuimus, ac deinde prædicationem Polonicam. A prandio ad castra nos contulimus, ductusque est a Palatino Belsensi Legatus noster, ad præclarum Marschalli Curiæ tentorium, vbi cum Principe Brandeburgico aliquo tempore moratus est. Interea apud *Kosanoskium* Legati Angliæ & Hollandiæ, non sine egregia compotatione, conuiuati sunt. Ductus est ad tentorium Regium, vbi omnes Palatini aderant, Legatus Galliæ, quem sequebantur adhærebantque Brandeburgici. Ductus est deinde Anglicus cum Hollandis, conclusumque tentorium. Ibi Legatus Galliæ omnibus & dignitatis sui Regis, & industriæ suæ prærogatiuis gauisus est; ac longe præ cæteris a Serenisf. Rege gratiose exceptus.

Quod ad rem attinet, noluit Rex controuersiam præsentem arbitrio Mediatorum permittere, quoniam id facere initio tractatus Sueci noluerant, cum a Polonis oblatum fuisset. At se consentire, vt Sueci, dum illa ratihabitio quam tantopere flagitant, afferretur, interim Pilauiam seruarent: at Elbinga Legato Galliæ, vt sequestro, traderetur cum præsidiariis militibus, dummodo illi Sueci naturales non essent, sed promiscue ex aliis copiis exterorum, qui in exercitu Suecico merent, sumerentur, seque Legato Gallico sacramento obstringerent.

Cæteræ vrbes statim post signatum a se tractatum, & a suis Senatoribus ac Commissariis, statim restituerentur, dumque super illa re deliberarent Sueci, in duos dies armistitii consensit Rex Poloniæ.

Continuò epistolam scripsit Legatus noster ad Suecos, misitque Henricum *Canafilhes*, qui vndecima nocturna Generalem interpellauit, at alios Commissarios non nisi mane sequenti allocutus est, qui responderunt; se quidem armistitium recipere, at prò illa die ad locum tractatus sistere se non posse, quod tamen Legatus noster per litteras suas petierat, ac per Auaugurium, quem iterum ante diluculum ad eos miserat.

Legatus Galliæ, Hollandiæ, Brandeburgi in *Marien Vuerder* illa nocte decubuerunt. Legatus Angliæ in Stumsdorff.

XX. E Mariana Insula Commissarii Poloni, Legatique Galliæ, Brandeburgi, Hollandiæque ad Stumsdorffium se contulerunt. Interim attulit Suecorum litteras Henr. *Canafilhes*, quibus se non satis mature monitos causabantur, itaque se sequenti die venturos. Ostensæ sunt illæ litteræ Polonis, qui discesserunt in sequentem diem. Remansit Legatus noster Stumsdorffii cum Brandeburgicis, reliqui abierunt. Conquesti sunt apud Palat. Belzensem Gedanenses, quod Sueci a suis villicis pecuniam exigerent, aliasque angarias imponerent. Iussus itaque sum a Legato meo id Legatis aliis renuntiare, qui Mariæburgum ibant, vt Suecis significarent.

Interim Legatus noster per Auaugurium ad Generalem *de la Garde* scripsit, vt suis Commissariis Suecicis redeundi sequenti die auctor esset. Scripsit item ad Regem Poloniæ Italice, iusserat me Latine scribere, vt vtram mitteret eligeret, suam misit, meam tamen non improbauit. Hac nocte pro bono publico, fœno recenti iacere pertuli. Soli, ego, œconomus, & *Canafilhes*, cum Legato mansimus, dum alii Mariæburgi cutem curarent.

XXI. Post præteritas pluuias ac nebulas matutinas, purior dies illuxit; Summo ego mane per rorem decurri campos Stumam versus, vnde Stumsdorffium nuncupatum est. Stuma pusillum est oppidum aquis cinctum, vbi ante sex annos quatuor millia Cæsareorum, qui Sigismundo Regi Poloniæ in auxilium venerant, manserunt in obsidione, cum in defendendo oppido quadraginta sani milites essent, ægrotantibus aliis, coactique sunt abire Cæsarei duce Mansfeldio.

feldio. Maturius solito aduenit illa die Stumsdorffium Legatus Angliæ, ac tentorium Suecorum proxime ad tentorium Polonorum collocari curauit. Poloni se satis expectari permiserunt, dubitabaturque an venirent, ob desertum a Suecis superiori die Vadimonium: venerunt tandem. Mediatores ex vsu solito operam suam diuiserunt. Anglus & Brandenburgici ad Polonos, Gallus & Hollandici ad Suecos. Proposuit Gallus Suecis, vt Pilauiam retinerent, dum ratihabitio affertur, Elbinga sequestraretur: noluerunt. Proposuit vt Pilauiam & Braunsbergam haberent, sed Elbingam restituerent. Noluerunt. Tandem post multos circuitus, cum e tabernaculo Polonorum citiori gradu Legatus Galliæ cum Hollandis erupisset, transiretque inconsultis aliis Mediatoribus, qui in communi tentorio erant, recta via ad Suecos, ingens illum turba, nescio quo subito impulsu, circumstitit, atque ad tentorium Suecorum prosecuta est, itaque admissis tantum Legatis ac eorum Secretariis, qui in tentorio communi erant, nictu me oculorum Legatus admonuit, vt præsto essem, & attenderem.

Tum ille anhelans, ac veluti dubius animi, oreque ad indignationem parato, Viri Illustrissimi, inquit, nisi quas tandem vobis propositiones facimus, acceptare volueritis, deserimus nos totum hoc negotium, & in patriam quisque nostram recedimus, testaturi vbique gentium duritiem, & pertinaciam vestram. Desiderauistis responsum Polonorum super duobus articulis, nempe super ratihabitione, & annis induciarum, voluistis vtique nos in his duobus articulis constituere arbitros; ac profecto, si id etiam consensisset Rex Poloniæ, animus nobis erat partiri quinque annos, de quibus inter vos discrimen erat, cum vos triginta peteretis, Rex Poloniæ viginti quinque solum concederet, & sic induciarum terminum in viginti septem annis cum medio statuere; quod ad restitutionem vrbium spectat, aliud fortasse, quam quod nunc cupitis, constituissemus. Itaque sic nunc existimauimus in tentorio Polonorum, eosque tametsi reluctantes ad id damnauimus, vt dum ratihabitio Comitiorum Poloniæ afferatur, Pilauiam & Elbingam seruetis. Induciæ vero ad viginti sex annos terminentur, nisi id vultis, discedimus, & res vestras belli fortunæ committimus. Itaque deliberate statim inter vos, nec quicquam nobis obloquimini. Cum in eandem sententiam nonnulla prudenter subiunxisset Senior Legatorum Hollandiæ, breui deliberatione inter se habita, dixit Comes Brahe Commissionis princeps, se Illustrissimis Mediatoribus gratias agere, pro opera tam vtiliter collocata, acceptare conditiones propositas, rogareque illos, vt apud Polonos intercederent in aliis articulis minutioribus, duriores ne essent, præsertim etiam in Spiringii contra Gedanenses lite, quæ nisi in pactis generalibus ac publicis contineretur, in priuatis certe comprehenderetur. Petierunt deinde, num placeret Dominis Polonis, vt se mutuo salutarent. Iuit de illo tentorio ad Mediatores alios Illustr. Galliæ Legatus, comitantibus illum Hollandicis, indeque ad Polonos, quo se etiam contulit postea Anglus cum Brandeburgicis, concluseruntque, vt Anglus & Brandeburgici Suecos, Gallus & Hollandi Polonos ad medium locum ducerent, ad mutuam salutationem, quod per vrbane factum est, datisque inuicem manibus, Cancellarius Poloniæ prior aliquot verba præfatus est, quæ Comes Brahe excepit. Interea, Legatus noster boni ominis voces ac vota palam concipiebat, & vt reliqua deinceps æquo iure componerent, hortabatur. Ad hoc spectaculum multa hominum millia confertim accurrerunt, qui deinde, vt tam felicem nuntium huc & illuc ferrent, dissipati sunt. Interea tamen rogauere Commissarii Poloni Legatum nostrum, vt Regem sequenti die adiret, quo ille annum illum, quem ad viginti quinque a Rege concessos, adiecerant, approbaret. Ad de multa nocte ad illum scripserunt, ne Regem adiret, quin Sueci Polonos aliquos quos ceperant, remitterent. Id cum fieri promisisset Generalis *de la Garde*, vir cum æquus pariter ac strenuus, tum etiam Legati nostri studiosissimus, licuit Legato nostro Regem conuenire.

Veniam

Veniam ego discedendi Mariæburgum a Legato petii, vt me a trium nostium insomnio recrearem, redii itaque in rheda Ioannis *Fennich*, Burgrauii Mariæburgensis. Allatæ fuerunt ipsa die Legato inter prandendum, litteræ e Gallia a Domino *Buthill*, Secretario status, ac Patre Iosepho, quibus illi de rebus hactenus gestis gratulabantur, ac super hocce præsenti Borussiæ negotio solabantur, quasi illud confici non posse metuerent; nescientes, vti neque nos ipsi sperare audebamus, quid tribus abhinc horis Deus Opt. Max. solus futuri temporis prudens, fieri permitteret.

Communicatæ sunt nobis litteræ, in tentorio mediatorum, quibus ferebatur, Marschallum *de la Force* profligasse exercitum Cæsaris, interfectum Ioannem *de Verd*, *Galassum* vulneratum, *Picolominium* in fugam conuersum.

XXII. Augusti, ex mandato Illust. Legati scripsi ad Illustrissimum eius Patrem, de superioris diei successu; scripsi etiam ad fratrem, eiusque accuratissimæ Latinæ epistolæ eadem lingua respondi. Allatus est magnus interea litterarum e Gallia fasciculus, quem postera die ad Legatum tulerunt, Stumsdorffium Remansi Mariæburgi.

XXIII. Actum est Stumsdorffii de minoribus articulis, nec parum, vt mihi nostri retulerunt, tractatus prouectus est. Ea die innumeri Poloni, Hussari præsertim, cum generosis equis ac præclaris ornamentis, Stumsdorffium venerunt, vt splendorem suum Suecis exhiberent.

XXIV. Cum Burgrauio Mariæburgensi ad tractatum me contuli, qui nos in via iucundissimis sermonibus oblectauit. Bartholomæi festum erat, itaque mane sacris adfueram. Cum adueni Stumsdorffium, duxit me Illustrisſ. Legatus eum Auangurio ad prandium, quod illi sub pellibus, Palatinus Belzensis parauerat. Missam in Cancellarii tentorio audierat. A prandio, litteris scribendis addixit me Legatus, dum in tentoriis hinc inde articulos pacis discuteret. Sueci ea die, vxores suas ad contemplandos Hussaros adduxerant, non incongruo stratagemate, oculos quippe mediatorii comitatus, a Polonis ad pulcherrimas feminas intuendas conuerterunt. Interim in tractatu non valde processum est. Propositum est de Ducissa Curlandiæ, itemque de religione Catholica in Liuonia permittenda. Remansit Stumsdorffii Legatus, redii ex eius licentia Mariæburgum in rheda Spiringii, cum N. *Lacquto*, qui Dantisco exulabat, cum ob alias res, tum pro consuetudine quam cum Gustauo & Cancellario Oxenstierna habuerat.

XXV. Iterum Commissarii, de religione Catholica in Liuonia permittenda, verba fecere, ac, cum nihil apud Suecos perfici posset, qui Catholicos prorsus aspernantur, vtrinque discessum est.

XXVI. Quæ Dominica fuit, statim a prandio Illustr. Galliæ Legatus inuisit Generalem *de la Garde*, cum quo erant alii Commissarii Sueci, in castello Mariæburgensi. Per septem horas cum illis remansit, nec tamen eos, ad ea, quæ religionem tangunt, mitiores habuit.

XXVII. Reditum est ad tractatus, & cum omnes mediatores in Polonorum tentorio conuenissent, ad eos retulit Legatus noster, quid cum Suecis superiore die egerat. Locutus est deinde Legatus Angliæ, retulitque ea, quæ tunc de iisdem Suecis, e quorum tentorio redibat, acceperat. Nimirum, eos quatuor rationibus niti, cur in Liuonia Catholicos esse non finerent, quod pauci ac fere nulli ibi Catholici essent; quod leges Sueciæ, in suis ditionibus Catholicos esse, non paterentur; quod in superioribus induciis, de iis in Liuonia permittendis, sermo non fuerat, neque a Polonis postulatum. Quod si qui denique in ea Sacerdotes essent, oporteret ab Episcopis Polonis eos mitti ac dependere, sicque subditos suos potestatibus saltem Ecclesiasticis Polonorum obnoxios fore. Ad eas rationes N. *Sobiesky*, Regni Senator, qui nuper aduenerat, petita a Cancellario venia, ordine respondit.

Ad primam quidem, Regem remque publicam Poloniæ, tantam in hac parte, de paucis ac plebeiis hominibus curam habere, quantam de optimatibus & plurimis, quorum animæ æque pretiosæ sunt; quia Deus non est personarum acceptor. Ad 2. nimirum leges Suecicas nullam in suis prouinciis religionem admittere, quam Confessionem Augustanam; respondebat, neque etiam Liuoniam esse membrum Regni Suecici, neque illam a Rege Poloniæ in perpetuum concedi. Ad 3. argumentum Suecorum non valere, cum dicerent, quia in sexennalibus induciis, de religione in Liuonia conseruanda, nihil cautum sit, idcirco in his induciis, quæ viginti quinque annorum sunt, nihil caueri debere, quia modicum illud tempus contemni potuit, magnum istud non debet. Deinde, in sexennalibus induciis, in parte satisfiebat Polonis, cum in tota Prussia religio Catholica permitteretur, neque tamen tunc de religione in Liuonia conseruanda obliti fuerant, sed maluerant illam conseruari, in prouincia vbi erant plures Catholici. Quod ad 4. pertinet, nihil a Suecis timendum esse, nam qui Sacerdotes in Liuoniam mitterentur, tali præditi essent potestate, vt amplius Episcopis Polonis non subessent. At (inquit Legatus Anglicus) dummodo nullum Catholicæ religionis exercitium fiat, libertatem conscientiæ permittent Liuonibus Sueci. Credo equidem, (replicauit Sobieskius) scilicet illam, quam homini nemo eripere potest, hoc est, credere quod libuerit, ac in mente Deum adorare. At non est illa religio sufficiens, opusque est cultu externo, vtque Deum mente, & corpore colamus, quia mente & corpore constamus, indigemusque administratione Sacramentorum; quæ in Laicorum potestate non sunt. Itaque si libertatem conscientiæ permittunt, id cum effectu permittendum est, nimirum, vt saltem in priuatis ædibus, ritus Catholicos exercere possint.

Adiit Suecos Legatus noster cum Hollandicis, & quia nos Suecis in hac parte suspectiores eramus, rogauit Hollandos Legatus, vt se tacente, ipsi mentem ac rationes Polonorum eloquerentur. Locuti sunt itaque Hollandi. At Sueci semper perstiterunt, dixeruntque, se inquisitionem in Catholicos non facturos vnquam, nec facere solere. Imo (inquam ego) qui proprior Legato nostro eram, facitis, & id vidimus Stokholmiæ, cum Gallos ipsos domus Legati accessu prohibebatis, ne sacris interesse possent. At neminem propterea puniuimus (respondit Nicodemus.) Sed tot minas, tot pœnas, inquam, interminamini, vt perinde sit: nam, si cui faces accensas admoueas, idem est, ac si illum baculis ac fustibus cogas abire, vel ingredi prohibeas. At, inquit ille, nunquam fuit facta Stokholmiæ illa Parisiensis laniena. Non illa laniena fuit, replicaui ego, sed iustitia: quippe tunc temporis, nouæ religionis homines eodem ordine apud nos habebantur, quo sicarii ac venefici. Pœnituit certe me postea quin addiderim. At fuit illa vera & truculenta laniena, cum præcipuos Regni vestri Senatores, qui a partibus Sigismundi stabant, iniquissime occidistis, atque vt crudelitatis vestræ implacabilisque in Catholicos Reges odii, monumenta exstent, longis hastilibus pia capita, ad metropolis vestræ portas præfixistis, vbi hodieque conspiciuntur.

Nihil tandem relatum est ex hoc congressu, nisi quod Sueci dicerent, se inquisitionem non facturos in Catholicos. At hoc Polonis non satisfecit, sed vt Suecos ad aliquid explicatius promittendum adigerent, hanc ipsi formulam scripto conceperunt, quam verbis tenus apud Legatos profiterentur, nec in pactis scriberetur, sed tantum fide Commissariorum constaret; verumtamen illius stipulationis, mediatores attestationem Polonis darent. Formula hæc fuit.

Homines Catholicae religionis in Liuonia, libertate conscientiae gaudebunt, & si qui inueniantur, qui cultu ac ritu Catholico vsi fuerint, id illis noxae & fraudi non erit.

Hanc formulam, Legatus Galliæ cum Brandeburgicis ad Suecos tulit; at illi, ne in isto sermone caperentur, subessetque aliqua fraus ac decipula, nihil prorsus

prorsus respondere voluerunt, nisi illud, quod Comes Brahe repetiit sæpius, *Non inquiretur.* Cumque identidem relegerent illud scriptum, audiui Nicodemum aliis admurmurantem dissuadentemque: sunt (inquit ille) verba illa captiosa. Cui cum alii hæc in parte fidentius crederent, quia nuper in Batauia ludimagister fuerat. Dixi ego, Bergmannum alloquens, oporteret illa explicari Germanice; exarsit vir grauis Nicodemus, quasi honorem eius læsissem. Vertantur, inquit, potius Gallice, scilicet Latine non intelligimus; Nutu interclusit mihi vocem ac responsionem Legatus, cumque iterum a Commissariis quæsiisset, num aliquid in gratiam Legatorum facere vellent, ac se magis explicare super illa stipulatione; renuerunt, egredientemque tentorio Legatum, cui Marchio Sigismundus adhærebat, comitari spreuerunt.

Cum se ad Polonos contulissent illi, referrentque Suecorum pertinaciam; Ecce derepente Sueci imperant tympana tubasque pulsari, vt exirent, Legatis insalutatis. Tum vero excandescere Poloni, contestarique iniuriam sibi fieri; dum adhuc cum mediatoribus deliberant, hunc obtrudi strepitum. Prior Palatinus Belzensis, vir alioquin sapientissimus, ac humanissimus, in has Gallicas voces erupit, *Mars-Dieu! nous pensent-ils estonner par ces tintamarres? Nous leur en rendrons bien d'autres.* Quem Sobieskius excipiens; Puerorum, inquit, ista sint terriculamenta, talis est nostra musica, cui ab ineunte ætate innutriti sumus; bellum volunt Sueci, bellum habeant. Permulti illa die, quod moris non erat, etiam ex gregariis militibus, in tentoria se intruserant; credo, quia de hoc religionis negotio, quod omnes afficit, agebatur; erupere isti, tumultumque inter Hussaros ac Cosacos, qui promiscui erant, fecerunt: cumque plurimi vino incaluissent, oblatam iræ occasionem facile susceperunt, ac in aliquot obuios Suecos irruerunt: Qui cum ad suos confugissent, conuerterunt se in Polonos Sueci, qui iam discessum Mariæburgum versus parabant, inuentosque etiam intra se Polonos & incogitantes ceciderunt. Exauditus sclopetorum cum vociferatione tumultus, pepulit e tentoriis Commissarios Polonos ac Legatos, qui medios se in irrumpentes Hussaros coniecerunt. Venerandus ipse tam ætate, quam vtraque, & Politica & Ecclesiastica dignitate Cancellarius, dum eos cohibere vult, equorum pedibus pene obtritus est. Cæteri Commissarii ac Proceres, irruentium equos frænis prehendebant, minisque ac baculorum obiectu prohibebant. Parte alia ad pedites Suecos Legati concursabant, quos vtique vinum, odium, æmulatio, excitabant. Iam aliquot passus fecerant, iam se conuerterant, ordines duplicauerant, furcillas sclopetorum proiecerant, aut fregerant, ad displosionem parati. Obiiciunt se iis Legati, Anglus quidem, linguæ minis ac suasionibus, quia Germanice loquebatur; Gallus vero quod poterat, oblatione corporis & capitis sui. At milites, quorum Præfecti plerique ebrii erant, quique diuersa imperabant; alius, vt se cohiberent; alius, vt in hostes inuaderent, inter se tumultuabantur; vapulabantque ab Officialibus, qui ipsi inter se diffidebant, dum alius Legatis paret, alius illos non agnoscit. Recessit inde etiam iterum atque iterum, ad ingruentes Polonos Legatus noster, quos cum Latine affaretur, Latine illi vel ipsi gregarii respondebant; itaque plus ibi potuit quam apud Suecos. Ego interea, qui prima militiæ meæ tyrocinia illa die posui, ad Commissarium Oxenstiernam, qui sub finem tumultus ab itinere redierat, conuersus, postulaui; vt homines suos cohiberet. Tres inquit ille, e nostris interfecerunt, & nostros cohibebimus! reprimant potius illi suos. Aduenit tandem Vvrangelius Campi Marschallus, qui ad peditum Suecorum cohortes accedens, nutu solo, ebrios, iratos, ac tumultuantes compescuit, cumque illos in equo ambiisset, partem abduxit, partem, quæ tentorii custodiæ deputata erat, reliquit. Accessit deinde ad mediatores, qui ab eo duos dies armistitii petierunt, quod inconsultis aliis non ausus est concedere. Inde omnes

Mediatores Cancellarii domum ingressi sunt, vbi erant alii Commissarii Poloni, qui biduum armistitii petitum noluerunt concedere, quin Rex consuleretur.

Fuere permulti qui in hoc tumultu, Mariæburgum se citatissime contulerunt, quales Spiringius aliique ex diuersis vrbibus, qui se in Regem, Remque publicam Poloniæ peccasse meminerant. Ipse Commissarius Nicodemus, qui pertinacia sua, nouisque difficultatibus continuo serendis, alios ad bellum impellabat, tanto metu perculsus est, vt, cum Mariæburgum pene exanimis cucurrisset, quinis aut senis, quibus oppidum cingitur, mœnium & vallorum ordinibus, ipsaque arce ac Generalis præsentia, tutus non fuerit, sed equos etiam, quibus Elbingam vsque fugeret, anhelans ac balbutiens postulauerit. Fuit item alius e Primariis Suecis, cuius nomini parco, qui addubitare se diceret, num in crure vulneratus fuisset, ille tamen mature aufugerat. Itaque singulorum propriæ sunt virtutes aut vitia, non vniuersarum nationum; quandoquidem apud Suecos, tam meticulosos, tamque segnes, quam alibi, inuenire possis.

XXVIII. Generalis *de la Garde*, Legatum nostrum inuisit, ac de actis diei superioris collocuti sunt, excusauitque, vt potuit, Commissariorum erga Legatos inurbanitatem. Interea reliqui Legati ad castrum ierunt, noster non iuit, vt se Commissariis Suecis subiratum significaret. At illi tandem aliis Legatis concesserunt formulam, quam in tentoriis die superiori respuerant. A prandio omnes Legati Neudorffium se contulerunt ad Commissarios Polonos, vt illis dictam formulam traderent. Poloni formulam mutauerunt, redieruntque Mariæburgum Legati alii, noster remansit Stumsdorffii.

XXIX. Toto matutino tempore, alii Legati in Castello cum Commissariis Suecis fuerunt, a quibus huiusmodi formulam obtinuerunt, quam Legato nostro Anglicus misit per Canasilhem: *Homines Catholici, &c. libertate conscientiarum & religionis gaudebunt.*

Iui & ego cum Eurebeco Consiliario Brandeburgico ad Stumsdorffium, vnde iam Legatus noster profectus erat ad castra Regis Poloniæ, quo vtique nos contulimus: ac inuenimus Legatum nostrum, itemque Principem Sigismundum, in tentorio regio. Rex voluit addi formulæ, verbum *deuotionis*, vt sic formula conciperetur. *Libertate conscientiarum ac religionis deuotionisque Catholicae.* Statim itaque scripsit Legatus noster ad Anglum per Canasilhem, qui tota nocte Mariæburgum cucurrit.

XXX. Mariæburgum rediimus; cumque sub noctem, Legati omnes in castellum ad Suecos iuissent, Sueci, quia omnes Commissarii non aderant, non responderunt, sed spem fecerunt, se crastina die, cum alii aduenissent, responsum gratiosum facturos; itaque credidimus negotium feliciter confectum.

Vltima die Augusti diuiserunt se Commissarii; duo cum Generali *de la Garde*, ad Legatum Galliæ venerunt; duo ad Legatum Angliæ, quibus responderunt, se in formulam a Rege Poloniæ conceptam, consentire non posse, seque adduci per Sueciæ leges in discrimen capitis, si Catholicæ religionis exercitium in Liuonia permitterent. Introgressus ego in conclaue, vbi cum Legato nostro colloquebantur, dixi, hanc sententiam eos, sine summa iniquitate, tueri non posse, quorum Doctores, cæterique Germaniæ Euangelici, ac Reformati in Christianissimos Reges Galliæ scripserant, eo quod libertatem conscientiarum in Gallia pati nolebant.

Respondit mihi Oxenstierna, id a Germanis potuisse scribi, a Suecis nunquam, ac per suas leges solam Confessionem Augustanam esse permissam. Replicauit Illustrissimus Legatus, cur ergo, superiori die, sibi cæterisque Legatis consentiendi in formulam spem fecerant? Cum nullum aliud congruum responsum dedissent, discesserunt; statimque omnes Legati, consilium recedendi Dantiscum in sequentem diem sumpserunt.

Quod

Quod cum intellexissent Commissarii Sueci, ac statim a prandio, omnes Legatos in Castellum venire viderent, vt veniam abeundi peterent, in formulam consenserunt, conuersusque ad me Comes Brahe, quem satis de illo articulo sollicitum per hos dies animaduerteram, dixit; Liuoniæ Catholici, antea libertate conscientiarum de facto gauisi sunt: Nunc gaudebunt ex nostra concessione. Petierunt a Legatis suam attestationem, quod non intelligebant illi, per dictam formulam, vllam permissionem celebrandæ in Liuonia Missæ admittendorumque Sacerdotum, cedere. Recusauit Legatus noster relinquendumque verbis formulæ suum sensum, atque intellectum dixit. Nescio quid ab aliis Legatis, qui & ipsi tantopere a Missa abhorrent, obtinere potuerint. Scripsit continuo Legatus noster ad Polonos, vt sequenti die, ad locum tractatus adessent.

Prima die Septembris, conuentum est ab omnibus, tam Legatis, quam Commissariis Stumsdorfii. Perlecti sunt in tentorio Polono articuli induciarum, quos iam superioribus congressibus inchoauerant. Disputatum est vehementer, super articulo sigillationis pannorum ac societate Anglicana. Nam ex quo Elbingenses a Rege Poloniæ defecerant, omnia illorum fere priuilegia ad Gedanenses translata erant, inter quæ erat illa sigillatio pannorum, sine qua sigillatione nulli panni in tota Polonia vendi poterant. Petebat ergo Legatus Angliæ, vt societas illa, quæ prius Elbingæ vigebat, restitueretur, vtque illa sigillationis necessitas tolleretur, quam ob causam valde cum Polonis altercatus est, cum dicerent, se in præsens, istud priuilegium Dantiscanum abolere non posse, quod lege comitiali latum erat, opusque esse, vt Comitia antea conuocarentur, quam id emendari posset: tandem, vt illi vtcunque satisfacerent, promiserunt, se de ea re postulaturos in proximis Comitiis.

Cum vniuersos illos articulos ad finem vsque percurrerunt ac discusserunt Legati cum Polonis, transierunt ad tentorium Suecorum, vbi breuiter illis proposuerunt, quænam fuerant Polonorum obiectiones. Armistitium prolatum ad tres dies. Rediimus Mariæburgum. Dedit Illustrissimus Legatus Brandeburgicis ingentem fasciculum litterarum ad Baronem *de Rhorte*. Scripsit item ipse ad Electorem, & ad Cancellarium Oxenstiernam, a quibus litteras acceperat.

II. Septembris, quæ Dominica fuit, a prandio Legati per sex, aut amplius horas, in castro apud Suecos, articulos induciarum discusserunt, interim ex Legati iussu, ad cubiculum me recepi, vt scriberem.

III. Redierunt omnes ad Stumsdorffium, remansi ego Mariæburgi.

IV. V. VI. & VII. Remansit Illustrisſ. Legatus Stumsdorffii, ad discutiendos omnes articulos, & per hos dies, vt negotium conficerent Commissarii Sueci, Stumæ; Poloni Neudorffii, ipse Cancellarius Polonicus, & Palatinus Belzensis sub tentoriis dormierunt.

Interea oborta est non leuis difficultas, propter occupatum quoddam Castellum a Polonis in Liuonia, quod illi retinere volebant, eo quod armistitium in Liuonia, per hos dies, non innotuerat. At futilis iste prætextus vniuersis Legatis visus est, qui etiam illud castrum reddi debere arbitrati sunt. De illa re tamen ad Regem referre Commissarii Poloni voluerunt. Itaque interim Commissarii Sueci Legatique omnes Mariæburgum rediere, die septima de multa nocte.

VIII. Propter festum Natiuitatis B. Virginis sacris adfuimus, indeque Illustrisſ. in Castrum iuit, inuisitque Generalem ac aliquos e Commissariis, qui post prandium illum reuiserunt. Confirmauit nuntium de Galassi profligatione ac morte Cancellarius Oxenstierna, litteris, quas ad Generalem scripserat, Magdeburgo datis. Itemque nuntius aduenit de expugnatione Francofurti ad Mœnum, a Suecis facta.

IX. Quæ Dominica fuit, post Missam, ad Stumsdorffium omnes redierunt, & cum Poloni declarassent, se difficultatem illam, de castelli Liuoniei occupati-

one, Legatorum arbitrio permittere, pax est conclusa, in proximum diem subsignanda. Scripsit statim ad Regem Illustrisf. noster Legatus, qui quidem Rex Dantisci erat, illique hunc tam bonum nuntium per Oeconomum suum misit. Scripsit item ad Generalem *de la Garde*, vt idem illi significaret, ac postularet, vt nauem Regiam, quæ in portu Gedanensi a multis diebus distinebatur, liberaret, vti Commissarii Sueci pridem promiserant, id eo die statim factum iri, cum pax concluderetur.

X. Articuli pacis in ordinem a Commissariis hinc inde, atque a Legato nostro, qui solus hunc siue laborem, siue honorem suscepit, redacti sunt; ac per hunc diem de prærogatiua Legatorum acriter ac studiose a Commissariis disceptatum est, cum Legatus Galliæ præferri, Angliæ æquari cuperet. Eadem fere inter Electorales & Hollandos æmulatio, quorum tamen maior paritas credebatur, nisi quod nonnullis, Electorales præstare videbantur.

Certe hanc tam grauem quæstionem, pro sua dignitate tractare, longioris esset otii, quod tamen aliquando, siue mea, siue aliorum, qui huiusmodi negotiis deputabuntur, gratia facere conabor. Dicam hic modo Illustrissimum Galliæ Legatum Christianissimi Regis prærogatiuam asseruisse, tribus validissimis rationibus, quibus resisti, nisi cum summa pertinacia non poterat. Prima quidem a iure, secunda a possessione, tertia ab exemplo. Ius istud sumi potest, tam ab antiquitate, quam magnitudine ac potentia regni, ab auctoritate Ecclesiæ, summorumque Pontificum, qui hunc Regibus Christianis, quasi filiis suis ordinem assignauerunt, a longa Regum Gallorum serie, a lege Salica, aliisque infinitis, quæ apud scriptores sunt, rationibus. Secunda ratio, qua nitebatur Legatus noster, erat possessio recens & vetus, quod in Conciliis antiquis, quod in constituendis Belgii nuperis induciis, Legati Galliæ Anglos præcesserint; quod denique ipse Legatus Claudius Memmius, Venetiis Anglicum Legatum semper præcesserat. Tertia ratio ab exemplo, erat in promptu: nimirum, quod in induciis sexennalibus, quæ mediatione eorumdem Regum sancitæ fuerant, ante sex annos, Hercules *de Charnacé*, Leg. Galliæ, N. *Roe*, Legatum Angliæ præcesserat. Si his rationibus, quæ ad Regem Christianissimum pertinent, aliquid addi posset, allegabat Memmius suos priuatim labores, tamque vtiliter collocatam operam.

Aduersus istas rationes, nihil afferebat Legatus Angliæ, nisi quod dicebat, omnes Reges pares esse, ac si qua Gallis honoris, ac ordinis prærogatiua tributa erat, id a Pontificibus Romanis proficiscebatur, quorum auctoritati Anglia pridem renuntiauerat. Quod ad exemplum attinet, eius, quod in sexen. induciis, factum fuerat, dicebat, eam ob rem fuisse, quod prior Charnacæus, Legatus Galliæ, in Prussiam aduenerat. Se vtique, qui prior aduenisset, eodem priuilegio gaudere debere, saltem apud Polonos; non impedire, quin in instrumento Suecorum, quorum Regnum Legatus Galliæ adierat, priore loco scriberetur.

Quod ad Electorales & Hollandos attinebat, difficilior erat illorum controuersia, quippe tam recens Resp. non admodum antiquis rationibus aut exemplis vti poterat, quibus se Electoribus æqualem ferre posset. Certe, qui toto tractatus tempore, summa cum æmulatione, Legati Gallici lateri adhæserant, pressérantque se, vt illum priores comitarentur, cumque ipse vtrosque summa sua comitate deuinxisset, ac præsertim iura Serenissimi Electoris, studiosissime contra Suecos defendisset, ad neutros tunc, in hac honoris contentione, inclinare voluit. Itaque ambo se ab illo relinqui indignati sunt, hæcque illi, pro sua æquitate ac studio, fuit repensa merces. Cæterum Hollandi Remp. suam Venetæ comparant, quæ proximum a Regibus honorem obtinere dicitur. At istud

negant

negant Electores, & tametsi Reip. Venetæ tribueretur, non vtique Hollandicæ tribui debere, cui sententiæ non inuitus accederem. In hac contentione Eurebecquius, Serenissimi Electoris Secretarius ac Legatus, non mediocrem operam ac industriam exhibuit, quatuorque linguarum, quas præter cæteras perfectissime callet, machinis, Polon. Germ. Gallicæ ac Latinæ, honorem Principis sui promonere nisus est. Quid autem in hac tanta re effectum sit, scribam postea.

XI. Vti & præcedenti die ac etiam sequenti missam, in Cancellarii tentorio audiuimus, ac toto mane actum est de Legatorum prærogatiuâ, cum se in omnibus Legatus Galliæ superiorem esse, Legatus Angliæ in aliquibus tantum, pari vellet, in reliquis se restiturum profiteretur: namque iste (quod notandum est) ad superioritatem, neque prætendit, neque sperauit vnquam: ad paritatem solummodo aspirauit, idque verbo tenus, nam quotidie Gallicus aliquos præcedentiæ actus faciebat, quorum hic meminisse non incongruum erit.

Primo, 21. Maii die, cum in arce Mariæburgi omnes Legati simul conuenissent, vt deliberarent inter se, de propositionibus faciendis inter partes, Legatus Galliæ prior sedem suam elegit, quod quidem temere factum non fuit, sed id præcise stipulatus est Gallus, antequam iret, cum superiore die Gordonus, Agens Regis Angliæ, Legatum Gallicum adiisset, cum eoque prolixe de Regum ac Legatorum prærogatiua, disseruisset. Deinde Legati Hollandiæ, quibus in sua domo Electorales ex humanitate decedebant, in hoc congressu Legato Gallico adhæserunt assederuntque, cum Electorales Anglico, qui in sinistra parte erat, assedissent. Præterea deliberationem ibi factam scriptamque Legatus Galliæ recepit, exemplaque aliis Legatis describi curauit.

Secundo, in tentoriis semper prior locutus est ac proposuit conclusitque, & cum se diuiderent Legati, vt duo ad Polonos, duo ad Suecos transirent, eligebat ille, comiter tamen, quos adiri mallet, aliisque Legatis fere designabat, quid dicerent.

Tertio, initio tractatus ac ferme per duos menses, Legato Gallico Hollandi adhæserunt, nec passi sunt, vt illum Electorales comitarentur; factum est deinde propter æmulationem, quæ inter illos creuit, vt Hollandi voluerint Electorales ab ordine, & nomine mediatorum excludere, cum dicerent, eos inter partes litigantes censeri debere, quæ res cum Electorales valde offendisset; ordinem suum quem hactenus dissimulauerant, recuperare voluerunt, ac tum demum Princeps Sigismundus, qui antea solus in tentorio communi manebat, dum sui Consiliarii, & Assessores Legatum Angliæ comitarentur, voluit & ipse serio, & in propria persona mediatorium munus obire, exindeque semper cum suis collegatis Gallico Legato, vsque ad finem tractatus adhæsit, ita vt Hollandi, non sine querimonia, Anglico se adiungere coacti sint.

Quarto Thorunii, Graudenti & in castris, cum Legati simul Regem adierunt, priorem Gallum accersiuit Rex, rhedamque suam ad illum misit, eandemque deinde ad Anglicum. Circumstantibus Regem omnibus Palatinis, Gallicus Legatus a dextra Regis semper stetit, ac post illum Anglicus, deinde Princeps Sigismundus, & cum omnes simul ad ianuam cubiculi Regii adessent, Legatus Galliæ præsentibus ac sequentibus cæteris prior semper ingressus est, prior vtique ac cæterorum nomine locutus.

Quinto, cum ampliori sermone, coram Rege Commissariisque Polonis loqueretur Rochus *Honnert*, Senior ac sapientior Legatorum Hollandiæ, prioremque, inter differendum, Regem Angliæ nominasset, ac deinde Regem Galliæ, statim se ipse correxit his verbis, *Quem priorem* (inquit) *nominare debui*; quæ vox ab omnibus notata, & in veritatis testimonium accepta est, ipso præsente Anglico Legato, nec refragante.

Sexto,

Sexto, per decem & amplius sessiones, in tentorio Polonorum factas, sub finem tractatus (nam apud Suecos non sedebatur) Legatus Galliæ semper sedit prior, hoc est, immediate prope Cancellarium Polonicum: nolebat tamen Anglicus immediate post Gallum sedere, sed rogabat Principem Sigismundum, vt secundus esset, ac deinde Anglus tertius sedebat, & donec Gallus aduenisset, nullus sedebat.

Septimo, in domo Legati Gallici, pluries colloquia conuentusque facti sunt ab omnibus Legatis ipsoque Anglo, at in illius domo nullus omnino.

Octauo, litteræ tam a Commissariis Polonis quam Suecis, atque ab Electoralibus missæ, semper ad Legatum Galliæ directæ sunt, quas cum ille legerat, ad alios perlegendas mittebat, rescribebatque.

Nono, cum 9. die Iulii, in villam, quæ inter Risemburgum & Marianam Insulam sita est, omnes Legati conuenissent, essentque simul in eodem atrio, aduenerunt tandem Commissarii Poloni, quibus ingredientibus, prior obuius ire Legatus Angliæ non ausus, nutu Gallum ad id impulit ac pene hortatus est; cuius rei tam ipsi Poloni, quam alii Legati testimonium perhibere possunt.

Decimo, cum in tentorio communi, de negotio inter Spiringium ac Dantiscanos ageretur, iusserunt Legati, vt Dantiscani vocarentur, qui cum Legatum Galliæ priore loco salutassent; Ipse Legatus Angliæ Gallum admonuit, vt eos interrogaret, quod statim fecit, egitque, vt & semper alias, Præsidem, ac mediatorii Senatus Principem.

Vndecimo, dicendum est cum Cicerone; *Consensus omnium gentium vox naturae.* Vniuersi Poloni, vniuersique Sueci consenserunt, hanc prærogatiuam ad Regem Galliæ pertinere, hoc esse in vsu, hoc ex historia constare, suamque esse sententiam, at nolle se tamen, in re tanti momenti, pronuntiare.

Verum quidem est, Ioannem Oxenstiernam adolescentem viginti quatuor minus annorum, filium Cancellarii Sueci, vnumque e Commissariis, solere dicere, inter conuiuandum, *nullum inter Reges esse discrimen, omnesque pares esse*; quod, meo quidem iudicio, tam temere, sua nimirum imperita iuuentute fretus, dicebat, quam sapienter Solon sua senectute nitebatur, cum aliquid audacius proponeret. Cui quidem adolescenti, cum nonnulli in patris gratiam consentirent, hos etiam rumores spargebant, ita vt ad Legatum Angliæ perferrentur. Ego certe, cum dictum Oxenstiernam priuatim alloquerer, confessus est mihi, se a Patre accepisse, in superioribus induciis sanciendis, eandem difficultatem agitatam fuisse, cumque de illa concilianda sæpe Commissarii, vtrinque egissent inter se, agnouisse vtrosque Regem Galliæ, in ea possessione esse, ac in Cancellariis Sueciæ ac Poloniæ, Galliam ante alia regna, nominatam esse atque prælatam. Cur ergo, inquam, veritatem, quam scitis, libere non profertis? cur tam strenui in bello, in consiliis estis tam timidi? Tum ille, si ipsi, inquit, Reges Poloniæ ac Sueciæ coram hic adessent, hanc tantam controuersiam diiudicare metuerent, quomodo vultis vt nos Commissarii, qui Regibus comparandi non sumus, illam disceptare audeamus? At non vos Iudices aut Legislatores hac in re esse volumus, inquam, dicite tantum ac pronuntiate, quid mens vestra sentiat, quid a maioribus, quid a libris, quid ab ipsa fama, & gentium consensu accepistis. Respondit tandem mihi ille, se suosque Collegas, effecisse apud Legatum Angliæ, vt Gallum priorem in præfationibus pactorum nominari sineret, dummodo a nullo Legatorum pacta signarentur.

Existimauerim profecto, Legatum nostrum, qua industria, qua animis, qua improbo labore consecuturum fuisse omnia quæ vellet, nisi Electoralium ac Hollandorum, qui itidem inter se de honore pugnabant, controuersia superuenisset.

Ista

Ista die post meridiem, Generales vtriusque exercitus Stumsdorffium conuenerunt. Aduenit prior Generalis Suecus, quem statim noster Legatus salutatum iuit in tentorium; aduenit deinde Polonus multo maiore numero atque pompa, nam vestes Polonæ admodum splendidæ sunt. Equos Turcicos splendidissimis ac ditissimis habenis ephippiisque instructos adduxerunt, erant quippe plusquam triginta, quorum ornamenta, lapillis Turcicis ingentibus, vndique, confertimque sparsa erant, ad miraculum ac stuporem omnium nostrum. Hunc item Generalem Legatus noster prior inuisit. Generalis Suecus, qui primus aduenerat, Thuronem Oxenstiernam ex sorore nepotem, paruumque Vrangelium ad Polonum salutandum misit. Statimque Polonus filium suum quatuordecim annorum, ad Suecum, magna stipante caterua, misit.

Paulo post, vterque Generalis cum Commissariis in loco medio se salutauerunt, ducente Polonos Gallico Legato cum Principe Sigismundo & Electoralibus, Suecos vero ducente Anglico cum Hollandis, qui deinde seorsim a Legatis, in commune tentorium ingressi sunt ac collocuti, tam de suis rebus, quam de Legatorum prærogatiua.

XII. Tandem Septembris illuxit dies, quæ laboribus nostris finem imponere debuit. Profecto, cum omnes Legati, ob suam æmulationem, animo essent alienissimo, videbatur rem conuenire non posse, stringendosque enses; recordabantur plerique, ominosi Colubri, qui 27. Augusti, quo die tumultus factus est, ad tentorium Mediatorum adrepsit, ibique a militibus cæsus; quasi diuersarum partium venenum atque odium, in Mediatores ipsos deriuari debuisset. Legatus Angliæ, qui Mariæburgo veniebat, permultos Anglos, & Scotos ex Suecicis cohortibus adduxerat, aliosque ex exercitu Polonico: Nobis vtique plurimi Galli Præfecti, ex eodem exercitu Polonico opitulatum venerant, quos N. *la Tour*, vir animosus, quem per hos dies Rex Christianiss. ad Legatum miserat, euocauerat. At hi Præfecti, non incongruo stratagemate, prouiderant, vt sui milites satellitio Commissariorum Polonorum deputarentur, quod ab ipsis Polonis ignorabatur. Cæterum, in summa anxietate, vtrimque erant Commissarii. Factum tandem est, circa meridiem, vt, cum ante ianuam Anglici Legati Gallus transiret, subito ingressus sit, Anglumque cum suis Præfectis deprehenderit, a quo cum exceptus comiter fuisset, atque ad prandium inuitatus, nulla deliberatione remansit ibi solus Legatus noster, nosque omnes remisit, remotisque arbitris, soli illi duo controuersiam suam diremerunt, consensumque est ab Anglo, dummodo non subsignarentur a Legatis pacta, consentire se, vt Rex Galliæ in præfationibus vtriusque partis, prior nominaretur. Huic consensui facillimum nostro fuit se accommodare, quippe qui habebat in mandatis siue instructione, ne se remitteret, præter ea, quæ Charnacæus fecerat, in superioribus induciis paciscendis. At enim Charnacæus prior nominatus fuerat, nec subsignauerat, neque etiam Anglicus. Cum ergo Memmius noster certus esset, se priore loco in vtroque instrumento nominatum, acquieuit; qua quidem in re superior fuit multo quam Charnacæus, qui prior quam Anglus, in Poloniam aduenerat: Memmius vero postremus aduenerat, quatuor mensibus post Georgium Duglassium, Angliæ Legatum.

In hac summa, & quæ Principes summe afficit, honoris contentione, fatendum est, Palatinum Belzensem, eiusque filios, & præsertim maiorem natu, fidelissimam ac studiosissimam nobis operam præstitisse, quippe iste omnibus consultationibus intererat, & quæcunque gerebantur, obseruabat, referebatque mihi, vel Auaugurio, si Legatum adire non posset. Ex illius dialectica desumptum fuit non leue argumentum, quod ad Legatum nostrum detuli. Nimirum quod a Colonello *Gemme*, Anglo, acceperat, in instructione Legati Anglici caueri, vt paritatem cum Gallo seruare niteretur, difficultatem tamen tractatui

nociuam, hac in parte, non faceret. Ergo (inquiebat Palatinides) impune ab hac paritate, saltem in aliquo, Legatus Angliæ desistere potest. At vero in Legati Gallici instructione cautum est, sub pœna capitis, vt Regis sui prærogatiuam seruet saltem, ne remittat quicquam ab iis, quæ Charnacæus obtinuit, congruum est itaque, vt, post tam multas contentiones, Legatus Angliæ Gallicum sibi præferri patiatur.

At tametsi Legato Galliæ, per præfationes satisfactum esset, semper tamen vrgebat, se etiam subscribere velle. Verum tamen Cancellarius Poloniæ professus est, se cum Suecis consensurum, vt sine præfatione Pacta scriberentur, nisi Legati conquiescerent. At, cum identidem instaret Legatus Galliæ, seque rem totam turbaturum assereret, nisi sibi plane satisfieret; polliciti sunt illi Commissarii Poloni, vt coram ipso Rege, ac Palatinis assistentibus, subscriberet. Cum adhuc dubitaret: Numquid pluris, inquiunt illi, præsentiam nostri Regis, quam nostram facis? acquieuit. Sic ergo res transacta, vt in communi tentorio præsentibus Commissariis, ac Legatis articuli lecti sint; &, cum recessissent Legati, à partibus subsignati. Sic autem se habent.

VERA, ET EX AVTHENTICO DESCRIPTA FORMULA PVBLICORUM PACTORVM, DE INDVCIIS VIGINTI SEX ANNORVM, INTER REGNA POLONIÆ & SVECIÆ SANCITIS.

NOS *Serenissimi, ac Potentissimi Principis, ac Domini, Domini VLADISLAI IV. Dei gratia Regis Poloniæ, Magni Ducis Lithuaniæ &c. &c. &c. atque inclytæ Reipublicæ Polonæ Commissarii, Iacobus Zadzick Episcopus Culmensis, & Pomesaniæ, Nominatus Cracouiensis, Dux Seueriensis, Generalis Præpositus Miechouiensis, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius: Raphael Comes de Lesno, Palatinus Belzensis, Rubiessouiensis Præfectus: Magnus Ernestus Doenhoff, Castellanus Pernauiensis, Derpatensis, Oberpoliensis Præfectus: Remigius de Otok Zaleski, Referendarius Regni: Iacobus a Sobiezin Sobieski, Incisor Regni, Crasnostauiensis, Iauoroniensis Præfectus, notum, testatumque facimus Vniuersis, quorum interest, quod cum Induciæ sexennales inter Serenissimos, ac Potentissimos Reges, ac Regna Poloniæ, & Sueciæ, eo inter alia fine, Anno M. DC. XXIX. sancitæ essent, vt interea vel de pace perpetua, vel Induciis longioribus, interueniente mediatione Serenissimorum ac Potentissimorum Galliæ & Angliæ Regum, aliorumque Principum, loco & tempore, de quibus per Serenissimum Electorem Brandeburgicum, &c. Vnum ex iisdem Mediatoribus, inter partes conuentum esset, ageretur: inde postquam a sua Serenitate per eiusdem Legatos Illustrissimum Principem Sigismundum, Marchionem Brandeburgicum, & Illustres ac Magnificos Andream a Kreutzen, Consiliarium Ducalis Prussiæ Regentem, & Præfectum Prouincialem; Ioannem Georgium a Sauken, Consiliarium Regentem & Cancellarium: Bernhardum a Konigseck, Consiliarium Prouincialem: Georgium a Rausken, Consiliarium Iuditii Aulici, & Petrum Bergkmannum, Consiliarium secretioris consilii, inuitati Stumsdorffium, cum Illustrissimis Serenissimæ Reginæ, Regnique Sueciæ Commissariis, Domino Petro Brahe, Comite in Visinsburg, Libero Barone in Rydholm, & Lindholm, Regni Sueciæ Senatore, Legifero Vestmanniæ, Montanorum, & Dalecarlorum: Hermano Vurangelio, Regni Sueciæ Senatore, & Exercituum Campi Mareschallo, hæreditario in Lergeholm, Skoclöster, Equite Aurato; Achatio Axelii, Regni Sueciæ Senatore & Legifero Nericiæ, hæreditario in Coxholm, &c. Ioanne Oxenstierna Axelii, Serenissimæ Reginæ Consiliario secretiore, Libero Barone in Kimitho, Domino*

Domino in Fiholm, & Tideon, &c. Ioanne Nicodemi, Serenissimae Reginae Secretario, & ad Exercitum Prussicum Commissario Generali, conuenissemus, sae interuenta in primis Serenissimi & Potentissimi Principis & Domini, Domini LVDOVICI XIII. Franciae & Nauarrae Regis Christianissimi, per Illustrissimum Dominum Claudium de Mesmes, *Equitem Auratum, Dominum* d'Auaux, *Comitem Consistorianum, & Sacrae Regiae Maiestatis per Septentrionem extraordinarium Legatum: ac Serenissimi & Potentissimi Principis, & Domini, Domini CAROLI, Magnae Britanniae, &c. Regis, Fidei Defensoris, per Illustrissimum Dominum Georgium Douglasium, Equitem Auratum, S. R. M. Legatum: nec non Celsorum ac Praepotentium DD. Ordinum Belgii, per Illustres & Magnificos Legatos, Dominos Ruchum Van den Hannert, Primarium in Suprema Hallandiae, Zelandiae, Vvestfrisiaeque Curia Consiliarium; Andream Bicker, Consulem Ciuitatis Ambstelodamensis, & Ioachimum Andreae, in suprema Frisiae Curia Consiliarium, pacis Tractatum auspicati essemus; ac diu, multumque agitassemus, ea tandem, diuina Numine fauente, praedictisque Illustrissimis Legatis indefessam operam huic negotio impendentibus, rem deduximus, vt eum praememaratae Serenissimae Reginae, Regnique Sueciae Commissariis de Induciis ad modum sequentem conuenerimus, statuerimus & conclujerimus.*

I. SInt Induciæ ex hoc die inter Sereniſſimum Principem & Dominum, Dominum VLADISLAVM IV. Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, &c. Dominum noſtrum Clementiſſimum, Suæ Regiæ Maieſtatis Succeſſores, Reges Poloniæ, Magnos Duces Lithuaniæ, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, ex vna; & inter Sereniſſimam Principem & Dominam, Dominam CHRISTINAM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque deſignatam Reginam, Magnam Principem Finlandiæ, &c. &c. &c. S. R. M. Succeſſores, Reges Suecorum, Regnumque Sueciæ, & Magnum Ducatum Finlandiæ, ex altera parte, annis ſequentibus viginti ſex, a data præſentium computando, vsque ad primam Iulii, ſtylo veteri, Anno M. DC. LXI.

II. Sit omnium vtrinque ante actorum amneſtia. Inprimis Sacra Regia Maieſtas, Eiusque Succeſſores, Reges, Regnumque Poloniæ, & Magnus Ducatus Lithuaniæ abſtineant durantibus Induciis omni hoſtilitate aduerſus Reginam, Regnumque Suecorum, eisque mediate, vel immediate ſubiectis Prouincias, Caſtra, Ciuitates ac Territoria; neque quicquam per ſe, vel per alios moliantur, aut tentent, tentariue faciant in horum detrimentum, aut præiudicium. Ad eundem modum Sereniſſima Regina, Eiusque Succeſſores, Reges, Regnumque Sueciæ abſtineant durantibus Induciis omni hoſtilitate, aduerſus S. R. Maieſtatem, Regnumque Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithuaniæ, eisque mediate vel immediate ſubiectas Prouincias, Caſtra, Ciuitates, ac Territoria, neque quicquam per ſe, vel per alios moliantur, aut tentent, tentariue faciant in horum detrimentum, aut præiudicium.

III. Sacræ Regiæ Maieſtati, ac Reipublicæ Polonæ, Sereniſſima Regina, Regnumque Sueciæ reddat eam partem Pruſſiæ, quam hactenus occupatam posſidet: Ita tamen, vt Pillauia Electori Brandenburgico, Duci in Pruſſia, immediate reſtituatur, poſſidenda eodem iure, quod ante hoc bellum habuit.

IV. In reſtituendis vero locis hoc obſeruetur, vt exhibita Comiſſariis Suecicis S. R. Maieſtatis ratificatione, nec non interpoſita cautione Senatorum, & Commiſſariorum Polonicorum, lege Comitiali, ad latus Regis a Republica delegatorum, de tradenda primo quoque tempore Reipublicæ ratificatione, Mariæburgum, cum Inſula maiori, Stuma, Brunsberga, ac Tolkemito; cum eorum Territoriis, deductis præſidiis, reddantur in manus Commiſſariorum Sereniſſimi Regis, ac Regni Poloniæ: Hauptium vero, & Iunckertrell, præſentibus vtriusque partis deputatis ſolo æquentur, ſuis cuique fundis, & bonis relictis: Et Exercitus vtrinque abducantur intra id tempus, eoque modo & ordine, quo inter Generales

nerales vtriusque partis conuenerit. Elbingam vero, cum pristino eius Territorio, atqe Insula minori, ac munimentis ibi extructis; nec non Pillauiam, cum ea parte Neringiæ, quæ eo spectat, retineat Serenissima Regina, Regnumque Sueciæ, donec ratificatio Reip. Polonæ subsecuta fuerit: qua tradita, illa quoque loca intra dies quatuordecim, deductis sine damno Incolarum præsidiis restituat, hoc obseruato, vt fortalitia omnia, Elbingæ extructa, relinquantur eo in statu, in quo nunc sunt, & eadem custodia, vt ante hoc bellum.

V. Post restitutionem locorum omnium, vectigalia in eum mox reducantur statum, & in illud ius, in quo erant ante hoc bellum, seruata in omnibus æqualitate, vbi antea fuit.

VI. In Liuonia vtraque pars, vti præteritis sexennalibus Induciis possedit, ita hisce quoque possideat.

VII. Sacra Regia Maiestas ac Respublica Polona, receptas in fidem suam Ciuitates, ac Territoria, eorumque Magistratus, Communitates, Ciues, Incolas, & Subditos vniuersos, omni meliori modo indemnes præstet, ac eadem, qua olim, clementia & gratia prosequatur, foueat, ac tueatur: gaudeantque vniuersi & singuli possessionibus, Iuribus, Priuilegiis, Consuetudinibusque suis, tam generalibus ac communibus, quam specialibus, sine exceptione, quibus ante hoc bellum gauisi sunt. Præsertim vero Ciuitas Elbingensis in vsu Sigilli Terrarum Prussiæ, & consueto sessionis loco conseruetur, postquam debitum Suæ R. Maiestati Iuramentum fidelitatis præstiterit. Saluo manente libero in locis restitutis, vti ante viguit, Euangelicæ Religionis exercitio. Manente quoque libero Catholicæ Religionis exercitio, in templo præsertim Parochiali veteris Ciuitatis Elbingensis, vti ante bellum.

VIII. Cunctæ actiones aduersus illos, qui partes Serenissimorum Regum, ac Reginæ Sueciæ quocunque modo secuti sunt, aut secuti esse insimulantur; cuiuscunque sint status, & ordinis, siue priuati vixerint, vel officio publico functi, ac seruitiis Regum, Regnique Sueciæ obstricti fuerint, vel instituendæ, vel institutæ, cessent; Et si quæ intentatæ sint, tollantur, omnique careant executione in perpetuum. Nec quisquam de iis, quæ belli, induciarumve tempore, & occasione eiusdem belli, vel induciarum intercesserint, cuiquam respondere teneatur. Et si quid in contrarium susceptum, factumve est; aut rescriptum vel decretum aliquod in absentia partis obtentùm, id omne sit irritum, nulliusque valoris.

IX. Si cui, aut quibus non placuerit in restitutis Ciuitatibus aut Territoriis manere, sed potius mutato domicilio, ad alios se conferre, liberum sit, in spatio trium annorum, a data præsentium numerando, sua diuendere, aliis elocare, aut pro suo lubitu distrahere, sine vllo impedimento, aut onere sub quocunque prætextu imponendo, saluis antiquis Ciuitatum iuribus, ac consuetudinibus.

X. Si qui Exulum, qui extra Sueciam apud Polonos versantur, & partes Serenissimorum Regum Poloniæ secuti sunt, in patriam redire, quacunque de causa voluerint, saluum quærant conductum: quo impetrato, fruantur beneficio legum, & statutorum Regni Sueciæ.

XI. Acta, Iudicata, & Decreta, cuiuscunque fuerint Instantiæ, vel Iudicii, Inscriptiones, Contractus, Transactiones, aliaque omnia, (quæ statui publico, vti is fuit ante bellum, non derogant, vel hisce pactis per expressum non sunt reseruata,) belli vel Induciarum tempore, siue Magistratuum autoritate, & iudicialiter, siue extraiudicialiter gesta, firmum robur obtineant, æque ac si priore rerum statu omnia acta fuissent, nec vlla vnquam Regiminis, & Magistratuum mutatio interuenisset.

XII.

XII. In locis quocunque tempore iuxta pacta præsentia restituendis relinquantur bona fide omnia mobilia Ecclesiarum, quæ in præsens reperiuntur, vti sunt vasa ac vestes sacræ, campanæ, aliaque ad vsum ecclesiasticum seruientia: tum libri Cancellariæ, Priuilegia, & acta publica. Si quæ tamen temporum iniuria a milite sunt direpta, aut aliorum negligentia corrupta, vlterior in id inquisitio non instituatur, nec quisquam ad restitutionem teneatur. Tormenta item bellica & Bombardæ maiores, quæ tempore occupationis inuentæ fuerunt, & adhuc in restituendis ciuitatibus vel locis sunt, relinquantur.

XIII. De iis, quæ durante bello, iure fisci cuiquam adempta, & vel fisco illata, vel aliis donata sunt, ita conuenit, vt immobilia, siue Regis & Reipub. siue etiam priuatorum sint bona, quorum donationes vtrinque factæ sunt, si donatariis iam tradita sint, antiquis possessoribus restituantur: Si vero nondum tradita, maneant penes Dominos; cessantibus de cætero omnibus quæstionibus, actionibusque ratione redituum, siue ex publicis, siue priuatis bonis perceptorum. Mobilium etiam donationes & largitiones vtrinque factæ, si ante has inducias executioni non fuerint demandatæ, irritæ sint, traditæ vero, possessoribus modernis relinquantur. Cessantibus quoque eorum nomine omnibus actionibus, irritisque obligationibus, quibus apochæ authenticæ, siue a Regum locum tenentibus, siue ab ipsis donatariis, sine fraude datæ, dummodo de iisdem donationibus per authenticum instrumentum constet, solutionis factæ opponi possunt.

XIV. Commercia pristina inter vtrumque Regnum, & prouincias subiectas restituantur, & in veteri exercitio conseruentur, redeantque omnia in eum statum, in quo ante hoc bellum fuerunt, ab omnibus nouitatibus, oneribusque hoc bello inductis, vindicata.

XV. Defluxio mercium ex Mag. Duc. Lithuaniæ, nulla ratione in flumine Duna impediatur, sitque ea in dicto flumine vectigalium ratio in posterum, quæ fuit ante hoc bellum.

XVI. Subditi fugitiui Magni Ducatus Lithuaniæ & Ducis Curlandiæ, quicunque in Liuonia reperti fuerint, suis Dominis reddantur, quod vice versa de subditis fugitiuis ex Liuonia in Mag: Ducatu Lithuaniæ, & Ducatu Curlandiæ fieri debet.

XVII. Exercitus omnes, exceptis præsidiariis, tempore supra definito ab vtraque parte ex prouincia deducantur, & quidem Suecicus per mare. Si tamen equitatui intra assignati temporis spatium traiiciendo nauium copia non suppetierit, liber illi & innoxius transitus, quam breuissimo itinere, per terram in ditiones ipsorum, sine damno incolarum Regno Poloniæ mediate, vel immediate subiectorum, concedi debet. Quod itidem obseruetur, si aliqui pedites dicti exercitus Suecici dimissi fuerint. Iustitia vero per Præfectos indilata bona fide administretur damnum & iniuriam passis.

XVIII. Iniurias tam personales, quam reales, sub hasce inducias incidentes vna pars de altera non vindicabit, salua iurisdictione ordinaria cuiusque partis, sed iustitia ab Officialibus & magistratibus competenter requiratur, eademque indilata administretur: Seueræ pœnæ in violatores pacis, fide publica roboratæ, exerceantur, nullæque repressaliæ, aut arresta, tam terra quam mari, ratione cuiuscunque iniuriæ, nisi iustitia pluribus vicibus legitime petita non administretur, admittantur: & si quæ ante hoc bellum, siue etiam durante bello concessa sunt, cassentur, ita tamen, vt quibus concessa sunt, iustitia administretur.

XIX. Quod si quid grauius inciderit, quod violationem pactorum concernere videretur, dentur vtrinque Commissarii, qui loco aliquo ad fines Liuoniæ assignando conueniant, & controuersias exortas sopiant, decidantque.

XX. Pro maiore securitate, & ne quicquam hisce pactis contrarium, durantibus induciis, a quopiam committatur, Ordines Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lihuaniæ promittant & fide iubeant, Regem Poloniæ & eius fratres, eorumque Successores ac posteros durantibus induciis, ex Regno Poloniæ magnoque Ducatu Lithuaniæ, & omnibus eis subiectis prouinciis, atque ditionibus, nihil molituros, multo minus hostile quicquam tentaturos, aduersus Serenissimam Reginam, eiusque successores, Reges, Regnumque Sueciæ, eisque subiectas ditiones ac prouincias, ciuitates, castra, munimenta ac territoria: & si quidquam tentauerint, id impedire, ac præuenire teneantur.

XXI. Sacra Regia Maiestas & Respublica Polona aduersus Sereniss. Reginam, eiusque successores, Reges, Regnumque Sueciæ, subiectasque ditiones ac prouincias nullis nauibus vel classe maritima vtatur, vel aliis quibuscunque auxilio submittat, durantibus induciis: et Dux in Prussia, Dux Curlandiæ, & ex statibus Prussiæ regalis ciuitates maiores caueant, se non permissuros hostile quicquam ex portubus suis Reginæ, Regnoque Sueciæ, subiectisque ditionibus, ac prouinciis illatum iri directe vel indirecte.

XXII. Durantibus ac currentibus hisce induciis agatur de pace perpetua, loco ac tempore, interuentuque Principum mediatorum, de quibus inter partes cura ac diligentia Illustrissimi Ducis Curlandiæ conuenerit: Ita tamen, vt si tractatus pacis perpetuæ semel, aut iterum non successerit, firmæ nihilominus & inuiolabiles maneant induciæ, vsque ad exitum hisce pactis præfinitum.

XXIII. Si qui Regum, ac Principum Christianorum hisce pactis ex vtraque parte includi voluerint, sit ipsis eius facultas, modo se ad ista, intra quinque ab hinc menses declarauerint.

XXIV. Vt hisce pactis firmius insistatur, certoque constet, bona fide ea seruatum iri, hoc modo conuenit, vt redditis vtrinque procuratoriis Dominorum Commissariorum, pacta hæc manu, & sigillo eorundem roborentur, & inuicem tradantur. Tum vt Sacra Regia Maiestas Poloniæ secundum præscriptam formulam eadem quantocius confirmet, & antequam vllius loci fiat restitutio, suam confirmationem tradat. Deinde, vt Serenissima Regina Sueciæ solenni instrumento, illa nomine suo, ac Regni Sueciæ, per subscriptionem Dominorum Regni Sueciæ Administratorum rata habeat: Et Respublica Polona eadem in comitiis primo quoque tempore celebrandis, solenniter approbet; & confecto instrumento ratificet. Quæ quidem instrumenta solennia ad formulam præscriptam nulla voce, aut syllaba mutata, per vtriusque partis Commissarios deputatos, quanto citius poterit, ad limites territoriales inter Elbingam, & Mariæburgum, sine vlla mora, & excusatione reddi vtrinque ac recipi debebunt. Ad eundem modum Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dux in Prussia, Dux Curlandiæ, & ex Ordinibus Regalis Prussiæ ciuitates maiores literas suas reuersales, quibus securitati Serenissimæ Reginæ ac Regni Sueciæ cauebitur, ante restitutionem Elbingæ, & Pilauiæ tradant. Actum Stumsdorffii, die 12. Septembris stylo nouo, Anno M.DC.XXXV.

Hos articulos die 14. eiusdem mensis, in castris ad Quidzinum, quo omnes Domini mediatores, promouendæ Regiæ ratificationis causa, conuenerant, proximo a Dominis Commissariis loco subscripsit Christianissimi Regis Legatus, coram Sacra Regia Maiestate, & Dominis Commissariis ac Senatoribus Regni, ad latus Regis Comitiali autoritate præsentibus.

Eosdem vero, die & loco supradictis ratos habuit Sacra Regia Maiestas sequenti modo:

VLADI-

VLADISLAUS IV. Dei gratia Rex Poloniae Mognus Dux Lithuoniae, &c etc. etc. Significamus vniuersis quorum interest, dedisse Nos Commissorios nostros plena potestote, ac mandotis instructos ad tractondum, interueniente mediatione Serenissimorum Gallioe, et Magnae Britanniae Regum, aliorumque Principum, de poce, out inducits cum serenissima Principe ac Domina Christina, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque designato Regino, Magna Principe Finlandiae, etc. etc. etc. Consonguinea nostra, et Regno Sueciae, qui congressi cum Serenitatis eius & Regni Sueciae Commissariis sequentio pocta, vti verbotenus infra sunt expressa, et inserta, inierunt, statuerunt, et concluserunt.

Hic suprascripti articuli ordine fuerunt subscripti, & post finem eorum sequentia verba addita.

Nos itaque VLADISLAVS IV. *Rex Polonioe, Mognus Dux Lithuaniae, etc. etc. etc. Promittimus et recipimus nomine Nostro, Successorum nostrorum, et Reipublicae Polonae, singula et vniuersa capito, poctis supra scriptis inserta, et comprehensa, bona et Regia fide, approbare, loudore, et rotihabere: sicut hisce approbamus, laudamus, et rotihobemus: Nec possuros a nostrotibus, aut aliis vllo modo violori. In quorum maiorem fidem ac certitudinem, hisce monu nostra subscripsimus, et Sigillo Regni nostri muniri iussimus. Datum in Castris ad Quidzinum, die 14. Septembris, stylo nouo, anno 1635.*

HOc pactorum exemplar scitu & permissu Senatus ciuitatis Gedanensis impressum est: eique præ aliis omnibus, antea in hac vrbe, sine authoritate publica editis, fidem adhibendam esse, idem Senatus censet.

XIII. Cum me summo mane, Marieburgum contulissem, inuisi Legati nomine Generalem *de la Garde*, cui de hac honorifica pace gratulatus sum. Comiter ille mihi respondit, interque res varias ac graues, quas Legato perferendas dabat, dolere se mihi dixit, quod filium non adduxisset in Borussiam, vt illum ad Generalem Poloniæ salutandum mittere potuisset, a cuius filio salutatus fuerat; (inquit ille) filius meus illius filio doctior est, meliusque Latine loquitur, tametsi iunior etiam sit; annui illi libens affectumque paternum, inter res grauissimas & alienissimas erumpentem, demiratus sum. Idem ipso die congressus Legato testatus fuerat, optaueratque magna mercede, filii sui præsentiam emere potuisse, vt illum Generali Polonico vicissim exhiberet, cuius quidem neque comitatum maiorem, neque grandiores equos ac phaleras inuiderat, sed tam celebrem educendi ac quasi ventilandi filii sui occasionem.

XIV. Legati omnes, ad castra Regis Poloniæ se contulerunt, separatamque audientiam habuerunt. Italice noster Regem allocutus est, summo circunstantium plausu. Tum vero effectum est, quod Commissarii Poloni promiserant, nam exhibitos, a cancellario pacis articulos & præbita ab ipso Rege penna, Legatus noster subscripsit his verbis; *Claudius de Mesmes Regis Christianissimi Legatus.* Erant adhuc in castris omnes Legati, & Secretarius Hollandiæ in ipso Regis tentorio. Articulos etiam Suecorum Mariæburgi præsentibus Commissariis ac Generali, subscripsit. Inde Quidzinum, incommodum atque infame nobis omnibus dormitorium, iuimus, quippe qui humi in exigua palea, ter aut quater sordidius, quam in vllo nosocomio ibi decubuimus, qui fere semper mos fuit per hanc Legationem Polonicam.

XV. Priuatam audientiam a Rege habuit Legatus noster, ac deinde Regem comitatus est, qui exercitum suum rite instruxit atque lustrauit. Adfuit etiam Hermannus Vrangelius campi Suecici Marschallus, qui aciem totam viginti millibus hominum constare arbitratus est. Equitum, quod etiam alibi me no-

tare memini, quatuor sunt genera, Hussari, qui lanceas gerunt, qui pellibus Pantherinis supra ferrum amicti, alasque longas quibus hostium equos terreant, ferunt. Secundum genus Reutrorum, *Reysters*, qui sclopetos & ensem, armatique sunt toti. Tertium Cosaquorum, qui indusiis ferreis tecti sunt, sclopetosque ferunt, sagittas alii ac pharetras. Quartum genus est Dragonum, miseri illi sunt, quippe qui nullo thorace, neque galea, nudum pectus inimico offerunt, infelicibus etiam ac pusillis equis insident. At tres alii ordines generosos ac validos equos habent, præclaris ephippiis ac stragulis, quæ clunes integunt, instructos: nec duces modo atque præfecti huiusmodi equis vtuntur, sed promiscue etiam equites. Rex ipse humanissimo colloquio Legatum nostrum distinuit, perque omnes ordines duxit, & cum ad castra in summi tentorium rediisset, inuitauit illum, vt animi gratia videret, quendam Moscouiticum Legatum, a quo adiri debebat. Itaque quasi incognitus remansit ibi Legatus. Sedit Rex, tecto capite, Barbarumque hominem, tetrico quam potuit ac seuero vultu, excepit. At iste longam chartam, qua sua instructio scripta erat, perlegit deditque postea Regi cum litteris sui Ducis, illique respondit Cancellarius, ac cum exiisset, Rex ipse Legato nostro, quid locutus fuerat Moschus, comiter explicuit. Tria Moschi illi Legatorum genera mittunt: maiores quidem, ad quos moris est octingentos circiter equites obuiam mittere; mediocres, e quibus iste erat, ad quos quinquaginta mitti solent. Minimos deinde, quibus nulla vel exigua pompa fieri consueuit. Expostulatum iste venerat, quod in limitibus quidam magnates Poloni, vrbes, arces & pagos contra pacta ædificassent.

Eadem illa die, Rex Poloniæ, insignem ac magni pretii annulum, quem gerebat, digito detraxit, Legatoque dedit, excusans de vilitate muneris, quod superiori die ad illum miserat. Baroni item Auaugurio elegantissimum, nec exigui valoris munus dari iusserat. Mea me fors vtique in Poloniam comitata est, nam qui per infirmam Secretarii nostri valetudinem, munus illius egeram, assiduamque præter morem meum, measque vires operam, huic negotio impenderam, qui periculis omnibus interfueram, ne gratiarum quidem actione a quoquam honestatus sui. Anglici quoque ac Hollandici Legati.

Plorauere suis non respondere fauorem
Speratum meritis.

Istis quippe singulis peluis argentea cum guttulo data est. Anglus suum pridem in diæta munus satis mediocre acceperat. Secretariis vero vtrisque, qui assidui vbique fuerant, quorum de pugillaribus nullum, vel temere prolatum verbum exciderat, nihil neque præstitum, neque oblatum. Quid, si etiam, ex illa consueta terrestri dormitione, podagram in seros annos contraxerimus? Apage sis mihi deinceps Sarmatia atque Borussia.

XVI. A Palatino Russiæ ad prandium Legatus fuit inuitatus, in tentorio magnificentissimo, cuius materia licet ex auro puro ac serico constaret, vilis erat profecto, in comparationem artis atque operis. Persicum opus id erat, floresque ac animalia villoso illo more, qui in Turcicis tapetibus conspicitur, affabre facti erant ad miraculum vsque. Lautum fuit amplumque istud conuiuium, sed multo etiam magis lætum atque hilare. Aderant Palatinus Belzensis. Lipskius futurus Culmensis Episcopus, Abbas *de Gnieuos*, Comes *Ostrorog*, Sobieskius, Ossolinskius, duo filii Palatini Belzensis; filius ac nepos ex fratre Palatini Russiæ, quatuorque alii primariæ nobilitatis, hosque omnes e comitatu Illustrissimi Legati. Præstantius quod appositum fuit ferculum, ex Alce fuit, quam *magnam bestiam* vocant, cuius pes salutaris Legato a Palatino donatus est. Eum pedem venator statim, cum ictu bombardæ belluam stranit, abscindit, maximæque est ille virtutis, si bellua illa in coitu occidatur, vel certe in tempestate, qua

in

in venerem ruit, vti nunc fit a festo D. Bartholomæi, secundum obseruationem venatorum.

Sunt inter delitias lautiores labella istius belluæ, ac dum illa comederent, infinita de pendulis domus Austriacæ labris non inurbana dicteria, Romulidæ saturi effuderunt. Incredibilis est Polonorum Nobilium libertas, qui de Imperatoribus ac Regibus, deque suo etiam Rege, liberrime, quæ sentiunt, loquuntur. Cum discederet Legatus, ei Palatinus septem eqnos rhedarios, paribus maculis aspersos, obtulit, quos cum accipere recusaret: Nisi (inquit Palatinus) eos, Excellentia vestra statim acceptare velit, iubeo accersiri septem scloppetarios, qui eos in oculis vestris mactent. Eos itaque Legatus rhedæ suæ aptari permisit, ac torquem aureum Equisoni Palatini donauit. Alit ipse Palatinus, tam est diues atque potens, tria militum millia suis sumptibus, quæ cum famulis, lixis, ac reliquo aulæ suæ comitatu, ad sex aut septem millia perueniunt. Prædicauit inter conuiuium Palatinus Belzensis, illum plus habere territorii ac ditionum, quam Dux Hetruriæ. Bona illa tam patrimonialia sunt, quam beneficialia, quæ ad hæredes non transeunt, nisi & hæredes beneuolentiam Regis mereantur, a quo beneficia illa, siue feuda, benemeritis dari solent. Itaque ex tam magnis reditibus viuit ille regifico more apparatuque, ac tametsi pusillo corpore sit, rugoso vultu, ac sanguinolentis oculis, magnificorum est tamen & liberalium morum, maximæque in Republica auctoritatis. Creditum hactenus fuerat, eum Austriacis partibus fauere, faueratque semper, at postquam tantam beneuolentiam Legato Gallico testatus est, quem huius legationis initio toruum aspiciebat, longe alia de illo concepta est opinio. Quæ quidem mutatio, tam Legati Gallici virtuti, atque industriæ tribui potest, quam quod Parisiis nuper secundus Palatini filius, ab Illustrissimo Præside Memmio, indeque ab eminentissimo Cardinali Richelio, honorifice exceptus est. Filius eius natu maior, patri nunc adest, qui Galliam peragrauit, Galliceque loquitur. Est vtique statura breui obesaque, ore etiam inuenusto, quod variolis exesum est, cæterum qui comiter nobiscum, egit, mihique Christianissimi Regis saluti propinauit.

Ad Generalis *Koniecpolski* tentorium contulit se Illustrissimus Legatus, vt illi vale diceret. Commendauit illi omnes milites Gallos, præsertimque Præfectos qui aderant, *Marruil*, locumtenens, Colonellus, *Fouossy*, *d'Angeler*, *Coridon* Maior, Colonellus *Duplessis*, qui aberat. Comiter respondit Generalis, eos sua virtute, sibi satis iam esse commendatos. Aderat ibi *Potocki*, qui Generali imprimis gratiosus, quem *Tartarorum pestem* vocant. Iste Legato nostro duos Camelos donauit. Salutauimus Generalem, eiusque filium 14. annorum, ingenui modestique oris, cuius mater soror est Palatini Russiæ. At ipse generalis, vir est altæ staturæ, longa barba, qui mos paucorum est, raso capite, annorum 43. habet ille plerumque sub toga longa, tunicam satinicam albam. Summæ est ille nec fucatæ pietatis, vexillo suo Beatam Virginem depictam habet. Nihil nisi infidelium populorum profligationem respirat, quibuscum sæpe manum conseruit, fuitque captiuus Constantinopoli; nec forti tantum est animo, sed etiam robusto atque exercitato corpore, quippe qui tam fortiter tamque recte sagittam vibret, vt militem thorace ferreo tectum transuerberet. Summæ ille est in Regno potestatis, atque ad Regem proximæ, ab eoque semel constitutus, amplius deponi non potest, quod omnibus officiis & dignitatibus commune est. Est ille præter ea Castellanus Cracouiensis, quo nomine primus est inter Laicos Regni Senator, nam Archiepiscopi & Episcopi Laicos præcedunt, vt alibi accuratius explicabo. Ad hanc tantam dignitatem, quam alioquin ex priuata virtute merebatur, suffragatione N. *Donhoff*, Palatini Siradiensis, qui Sigismundo gratiosus erat, euectus est: qui quidem Palatinus, istius Generalis sororem duxerat. Adeo potens est per vniuersum orbem fortunæ imperium, vt cum

illius subsidiis atque numine, etiam integerrima virtus, ad honorum apicem niti non possit.

E castris tandem profecti, quia Mariæburgum attingere non potuimus, Stumsdorffii mansimus, vbi, cum in semiruto longo horreo, supra segetes dormiremus, densæ, quæ per hanc noctem incubuerant nebulæ, vestes nostras ac præsertim lintea penitus madefecerunt. Conspeximus ibi, non sine voluptate, iam maturos nouæ pacis fructus, scilicet ædiculas instaurari, stabula reparari, atque concludi, supellectilem rusticam, gallinas, anseres, ex arcibus & vrbibus reduci. Optaui certe ego sæpius, vt summa aliquando voluptate perfunderer, ruricolæ cuiusdam Borussi personam induere, adeo mihi sors illorum fortunata esse visa est. At inibi tamen, præter nostram expectationem, horridus casus oblatus est. Nam cum Oeconomus Illustrissimi Legati currum a rustico quodam conducere vellet æqua mercede, ac detrectante rustico, œconomus se iure suo abducturum minaretur, recessit continuo domum vir agrestis ac ferox, inscensoque protinus equo, & rapta bombarda œconomi caput collineauit, ac deinde, cum se intercipi a nostris metueret, aufugit. Insigne profecto, ac plusquam belluinæ ferocitatis exemplum, in eos sæuire, a quibus tantum, tamque recens beneficium acceperat! nec istud modo, quod toti prouinciæ commune fuerat, sed præterea Legatus a Rege vectigalium immunitatem in aliquot annos, pro huius pagi incolis impetrauerat.

XVII. Meridie Mariæburgum rediimus, vbi Savackius, Polonus erat, qui Regiam ratificationem attulerat. At quoniam in sigillo Rex Poloniæ, se Suecorum Regem nominabat, eum Sueci remiserunt, vt sigillum mutaretur.

XVIII. Hollandi Legato nostro valedixerunt mane. Anglus a prandio. Illique protinus Dantiscum, iste die sequenti eodem se contulit.

XXI. Rediit Savackius, attulitque sigillum, in quo Cancellarius Poloniæ titulum Sueciæ obliterauerat. At Sueci dixerunt, id sibi non sufficere, quia imputari illis posset, quod ipsimet literas illas deleuissent, volebant ergo, vt scripto Cancellarius Poloniæ, huius facti attestationem daret, vel nouum sigillum, vbi hic titulus omitteretur, apponeret. Responsum est a Savackio, nouum sigillum cudi non posse, nisi ex auctoritate Comitiorum. Cancellarium vero huius rei attestationem scripto dare non posse, eo quod in tractatu conuentum expresse fuerat, ne de illa omissione tituli articulus fieret, nec quicquam scriberetur. Petierunt Commissarii Sueci a Legato nostro, vt illius rei attestationem daret; quod facere noluit ob eam rationem, ne præiudicium Polonis fieret. Rediit itaque Savackius, cum formula cautionis a Legato nostro conceptæ, Cancellario Poloniæ offerenda, quæ res in multam noctem Legatum in Savackii hospitio distinuit.

Dedi ego Savackio literas, ad Agentem Ducis Curlandiæ perferendas.

XX. Stanislaus Koniecpolskius, exercituum Polonicorum supremus Generalis, falcatum ensem ex chalybe Damasceno, auro, gemmisque insignem, ad Illustrissimum Legatum nostrum misit, per Gallum quendam, cuius ope ad machinamenta bellica vtebatur, nomine *Beauplan*, quem comitatus est alter Gallus Capitaneus e regimento Arcizevscii, nomine *Nicolai*, certe non absimili vultu a Parisiensibus Nicolais, qui quidem per sexdecim annos captiuus apud Turcas, ac Koniecpolskii, dum & ipse vinctus per duos annos fuit, eiusdem fortunæ consors fuerat. Egregium istud munus comitata est humanissima, & elegantissima, epistola, quam vt ipsius Generalis manu, ita & marte, iure conscriptam dixeris, adeo spirat genium militaris iuxta ac literati viri, quique vt cum Poëta loquar.

- - - *Geticum moderatur Apolline, Martem:*

Sic autem se habet. *Illustris-*

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine, Amice obſeruandiſſime.

VAledictionis officium iterato Illuſtriſſimæ & Excellent. D. V. perſoluo, perſoluturus coram ac ſtrictiſſime eam amplexurus, ſi per negotia, quorum concurſu premor, ſi per miſſionem inauctorati militis, quæ ex religione & formula pactorum debetur, liceret. Eam ob rem per præſentes id exequor, atque ex animo Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ D. V. non ſolum felix fauſtumque iter, verum etiam, tot ipſius laborum ac meritorum digna ac iuſta præmia, ex animo cupio voueoque, quæ iam & cælitus ſunt decreta, & a Chriſtianiſſimo ac Potentiſſimo Rege, omnino ſperanda. Porro, cum Excellentiſſimæ Illuſtriſſimæque D. V. ſumma prudentia, ac ſiſtendo ſanguini Chriſtiano accommodata conſilia, me ferro accinctum diſcinxerint, ſpolium laborum Illuſtriſſimæ & Excellentiſſimæ D. V. libens eidem offero, meque ciuem in hoc bello pacatum, ipſius opera agnoſco. Suſceperit itaque hocce pignus amoris, cultus, ac meæ erga ſe obſeruantiæ, feliciſſimeque tractarit, vt potius ſanguine hoſtium Chriſtiani nominis ſtillet ac rubeſcat, quam ferrugine vileſcat. Cæterum optimam valetudinem, proſperrimumque rerum ſucceſſum, Illuſtriſſimæ ac Excellentiſſimæ D. V. precor, ſtudiaque ac officia mea paratiſſima defero Ex caſtris ad Mariæ Vverder, die 19. Septembris Anno Domini M. DC.XXXV.

Illuſtriſſimae & Excellentiſſimae Dominationis Veſtrae

Amicus & ſeruitor, Staniſlaus a Koniecpol, *Koniecpolſki*, Caſtellanus Cracouienſis, exercituum Regni Poloniæ ſupremus Generalis, Buſcenſis, Barenſis, Coueljenſis P. Coſkierouienſiſque &c. &c. Præfectus.

Reſpondit illico Legatus, non minus prompte, quàm eleganter, in hæc verba:

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME Domine, Amice obſeruandiſſime.

TAntum abeſt, vt de Excellentia veſtra quicquam meruiſſe exiſtimem, vt etiam, cum me pacis huius conciliatorem geſſi, vehementer illi diſplicuiſſe metuerim. Nam qui ſopiendo huic grauiſſimo bello incubui, maximam profecto gloriae ſegetem, quae ſe virtuti veſtrae offerebat, praecidiſſe arbitror. Intelligo nunc tamen operam meam, vabit ingratam non fuiſſe; & ex magnifico munere, quod ab Excellentia Veſtra mihi allatum eſt, inſigne beneuolentiae erga me veſtrae argumentum, libentiſſime agnoſco & deoſculor. Satis equidem fari non poſſum, quam incredibili gaudia perfundor, cum eum enſem manu contrecto, quo timendus tota Septentrione, totaque oriente Koniecpolſkius, accinctus eſt. Eum, inquam, enſem, qui gentibus terrori, Chriſtianis ſpei atque fiduciae ſemper fuit. Vtinam ex voto Excellentiae veſtræ a me, vel a meis, ethnicorum cruore rurſus imbui poſſit. Ea interim vti libet in perrumpendis tot periculis & hoſtibus, qui reditui meo in Galliam afficere volent: atque ego, qui hactenus pacis pararius fui, bellatoris perſonam induam, dum ſtrenuiſſimus Polonici exercitus Imperator ciuem aget; ac tandem cum patrios lares contingere mihi Deus dederit, tum vero potiore armamentarii mei loco, fatalem enſem ipſe appendam, eumque ad vltimam ſanguinis, nominiſque mei poſteritatem peruenire iubebo. Nan eum rubigine deteri, non ſitu ac puluere ſordeſcere patiar: ad eum contrectandum aſſilient, anhelabuntque filii nepoteſque mei, donec adultae aetatis priuilegia, eum impune ſtringere ac vibrare poſſint; cuiuſque erit fortior ac generoſior inoles, eum ego illi iure precipui da, ac praelego. Caeterum, tam eſt ſplendidum, tamdue magnificum & nobile iſtud munus, vt nemo deinceps illud viderit, qui non eius pretium ſumme aeſtimet; at qui donatoris praeſtantem virtutem, atque dignitatem clarius

libentiusque, quam ego faciam, praedicet, nemo certe erit in toto orbe terrarum; nemo vtique, qui maiori cum obseruantia & obsequio sit

ILLVSTRISS. ET EXCELLENT. D. V.

Mariæburgi die XX. Septembris Anno Domini M.DC. XXXV.

Amicus & seruitor Claudius *de Mesmes* Comes *d' Auaux*, Christianissimi Regis per Septentrionem extraordinarus Legatus.

XXI. Quæ dies Diuo Mathæo festa erat, Missam audiuimus in ecclesia Mariæburgensi, reliquum diem, vti & sequentes, litteris in Galliam scribendis insumpsi: laborabat interea Legatus dolore colico, nihilominus surrexit e lecto, vt Arcifzewscium, qui a Generali, Cancellarioque Poloniæ mittebatur, susciperet, qui quidem pro illa sigilli difficultate missus fuerat. Certe ad illius conspectum, quia ex præcipuis ac strenuissimis Poloniæ Colonellis erat, creditum est, Suecos mitiores fore; istum enim præcipue delectum, vt, si ambages ac scrupulos amplius quærerent, bellum illis denunciaret.

XXII. Rediit ad Polonos iste Collonellus, relatoque Commissariorum Suecorum responso iterum.

XXIII. Quæ Dominica fuit, sub vesperam reuersus est ad Generalem Sueciæ, indeque ad Legatum nostrum, resque omnis peracta est ad vtriusque partis votum.

Ista die piissimus Legatus noster ad ecclesiam se contulit, ac Dominicum Corpus communicauit, præsentibus infinitis etiam Lutheranis, Caluinistis, Anabaptistis, qui hactenus impune in hanc ecclesiam intrauerunt, verum, quæ deinceps solis Catholicis remanebit: fuitque decantatum canticum *Te Deum laudamus*, ex eoque die aliquot nobiles Poloni, qui recesserant, redierunt, diuinisque sacris interfuerunt.

XXIV. Iacobus Pontus *de la Garde*, Generalis supremus exercituum Sueciæ, cum comite *Petro Brahe* conuenerunt Legatum domum, illique valedixerunt nobisque singulis; donauit etiam Generalis Illustrissimo Legato septem maiores equos albos, rhedæ aptandos. Aliquot ante diebus Generalis vxor, imaginem Reginæ Matris Sueciæ recens factam miserat.

Ad Generalem Comitemque salutandos, iuit in castellum cum nobis omnibus Legatus; iterumque atque iterum manus prensatæ ac vota pro mutua incolumitate facta.

XXVI. Ipse vtique Legatus, vt animum, a grauioribus curis relaxaret, camelorum suorum spectaculo vacauit, indeque quid de camelis Plinius narraret, euoluimus. Aduenit sub vesperam Marolius ex exercitu Polonico.

XXIX. Qui dies Diuo Michaeli sacer erat, post missam auditam, Mariæburgo profecti sumus Dantiscum, per serenissimum tempus, perque fertilissimos agros: nullibi tot anseres, tot vaccas pingues ac vberibus distentis videas. Hollandi sunt, qui agros illos exsiccarunt, paludesque inutiles longis canalibus ac riuis effossis in arua, prata, ac hortos frugum plenos commutarunt. Milliari infra Dirsauiam, Vistulam pontone transiuimus. Ibi præsidium aliquot militum Dantiscanorum inuenimus, qui fortalitium terrestre custodiebant. Illud quod e regione, a parte insulæ maioris, Sueci fecerant, iam reliquerant. Paulo post hunc transitum, viginti aut triginta equites e præsidiariis Dantisci, nos ad vrbem vsque præcesserunt. Milliari ab vrbe, Galli nobiles nonnulli nobis obuiam venere, interque illos apparuit, ex improuiso alter e cubiculariis Legati qui e Gallia, quo quatuor ante mensibus fuerat missus, redibat, nobisque omnibus literas afferebat. Quas ego accepi, illæ me in affectus valde contrarios distraxerunt. Soror quidem de restituta Cornificii Vlfeldii valetudine scripsit, lætatusque sum de tam felici nuncio; virum quippe e primariis Daniæ familiis ac

per

per ſeſe nobiliſſimæ virtutis, ſumme diligo. At frater mihi de N. Bardini, viri doctiſſimi, indigna ac præmatura morte, quippe qui flumine inter lauandum abſorptus eſt, nuntiauit. Miſeratus ſum hanc tam luctuoſam ſortem, & eo magis, quod nouiſſim per Petri Bonartii litteras, me ſalutauerat, viciſſimque ego ſalutem illi plurimam, quam vtinam Deus Opt. Max. in animam illius conuertat, impertieram.

XXX. Quæ Dominica fuit, a duobus Dantiſci Senatoribus Reipublicæ nomine Illuſtriſſ. Legatus ſalutatus fuit, qui multis verbis de hac pace, tam vtiliter conſtituta gratulati ſunt. Cum ille comiter reſpondiſſet, expoſtulauit apud illos, de famoſis libellis, qui e Belgio ad librarios Dantiſcanos allati fuerant, aduerſus principes Galliæ viros, præſertimque Emineut. Card. At illi ſtatim ad librarios ſuos iuerunt,omniaque exemplaria prehenderunt, atque ad Legatum miſerunt. Iuit poſtea Illuſtriſſ. Legatus ad eccleſiam Dominicanorum.

A prandio inuiſit illum N.*Fourbez*, Legatus Regis Poloniæ, qui e Dania redibat, quem IoannesVldricus, ſpurius Regis Daniæ filius, commitatus vsque Dantiſcum fuerat, exieratque ipſo die quo nos aduenimus. Bergmannus item, Conſil. Brandeburgicus, Legatum inuiſit. Ego poſtea cum duobus aliis ex noſtris ad hortum ſuburbanum iui, vbi ſexcenti alii ſunt admodum culti, ornatique, eſtque ille vrbis egreſſus amœniſſimus.

Prima die Octobris Opalinſkius, Polonus Palatini Poſnanienſis filius, Illuſtriſſimum Legatum inuiſit, comitatusque eſt in ædes, vbi erat N. *Fourbez*, quem Legatus noſter viciſſim adire voluit. A prandio Legatum inuiſit Eurebecquius. Ea die increbuit fama, Gallos, Nouarram cepiſſe, id ferebant litteræ Vienna allatæ. Ego, ac Theologus libros euoluimus apud bibliopolam, variaque poëmata pro Chriſtianiſſimo Rege, ac pro Eminentiſſimo Cardinale Pariſiis edita decurrimus.

I I. Die Octobris cum animaduertiſſet Illuſtriſſ. Galliæ Legatus, circumferri per vrbem Gedanenſem pacta Stumſdorffiana, veritati rei geſtæ non congruentia, quæ malo more iniuſtuque magiſtratus, ab Chriſtianiſſimi Regis Sereniſſimique Electoris æmulis edi iuſſa fuerant, vt horum pseudopactorum venditio ſiſteretur, ac prohiberetur, miſit me Illuſtriſſimus Legatus ad Senatum Gedanenſem, in quem cum a ſecretariorum aliquo introductus fuiſſem, ſedereque rogatus fuiſſem in ſcamnis maioribus, vbi ipſi ſedent, omnesque nudo capite eſſent, ſtans ego locutus ſum, ſi bene memini, in hæc fere verba: Generoſi admodum, ac ſpectabiles Domini, Illuſtriſſimi Chriſtianiſſimi Regis Legatus, miſit me ad nobiliſſimas Dominationes veſtras, primo, vt illis ſuo nomine plurimam ſalutem impertirem, deinde ad rogandum illas, vt velint aliquem ex ſuis ſecretariis, vel quempiam alium ad Illuſtriſ. Legatum deputare, cum quo de negotio, quod vrget, communicare poſſit, vt ſtatim ad vos referat, antequam ex hoc loco emigretis. Deſtinauerat ipſe ad clariſſimum huius Senatus Præſidem ſe conferre, vt de illa re apud eum ageret, ſed nuntiatum eſt, illum hodie rus ſe contuliſſe. Iuſſit itaque me, quia mature facto opus eſt, ad vos poſtulatum venire, vt gratiam iſtam quam petii, illi faccre velitis, quam quidem cum poterit, referet vobis maximam. Inito prius conſilio, iuſſerunt mihi per ſyndicum reſponderi: ſe Illuſtriſſ. Legato ſumme obnoxios, miſſuroſque ſtatim aliquem e ſuis, qui illum domum conueniret. Statimque ſecutus me eſt ille ſyndicus, cui Illuſtriſſimus Legatus coram Domino Bergmanno Electoris Brandeburgici conſiliario, pactorum menda indicauit. Eodemque momento ex Senatus decreto, omnia huiusmodi exemplaria prehenſa ſunt ac fiſco adiudicata.

Excepit illa die prandio Illuſtriſſ. Legatus nobilem adoleſcentem Venetum,

nomine *Prioli*, tresque Gallos, qui Constantinopoli veniebant, ac Marchionem Isidolium, qui captiuus in Moschouia fuerat, adiutum venerant.

V. Inuisi Dominum Eurebecquium, Electoris Brandeb. Secretarium, virum in plurimis linguis facundum, in pluribus scientem.

VI. Adii duos Iesuitas apud Officialem Dantiscanum in ecclesiæ maioris vicinia degentes, qui pro Catholicorum ope ibi diuersantur. Habent illi collegium in suburbio Schotlandiæ ducentosque circiter Scholásticos. Fuit illa dies Diuo Brunoni sacra; Itaque duo e nostris in Chartusiam, quæ quatuor milliaribus distat, iuerunt. A prandio tres Galli, qui Constantinopoli veniebant, Illustrissimo Legato valedixerunt, & cum nautis Hollandis abierunt. Bergmannus & Eurebecquius Elect. Brand. Consiliarii, Legatum adierunt, ac de rebus Pomeraniæ, deque Principum Germaniæ inter scribendum titulis fuse locuti sunt.

VII. Quæ Dominica fuit, ac præterea Diuæ Brigittæ sacra, Legatus ad Moniales missæ audiendæ causa se contulit, vbi non mediocrem populi Catholici pietatem contemplati sumus. Inter missæ solennia prædicant, ac postea processionem Dominici Corporis faciunt, antequam præfationem dicant, quod alibi fieri non vidi. Adfui precibus vespertinis apud Dominicanos rosarii festum celebrantes.

VIII. In montes Dantisco imminentes ascendimus, vnde tota vrbs facile circumspici potest. Est animus Dantiscanis murum vrbis, ad illorum summitatem porrigere, ne ab hostibus, si quando ingruunt, occupentur; quod nisi maximo sumptu fieri non potest.

IX. Post prandium funeris cuiusdam matronæ pompam contemplatus sum. Priores Scholastici cum suis præceptoribus incedunt veste vulgari. Miserabiles, ac infimæ sortis pueri vltimi incedunt, canuntque. Succollatur deinde feretrum ab octo honestioribus, qui ex manu serta, aureo argenteoque filo facta, gerunt, qualia lectorum columnis præfigimus. Sequuntur deinde filii bini natu maiores, ac postea minores, pileo demisso longisque palliis amicti. Postremus est maritus, qui pallii sinu vultum obnubit, comitantur illum propinqui omnes veste lugubri. Postea incedunt Optimates ac Magistratus in palliis longis ac luctuosis. Longo deinde interuallo eunt feminæ, primo filiæ, quæ singulæ ab ancillis sustentantur, vultuique strophium admouent, vt videri non possint. Omnes deinde aliæ mulieres binæ incedunt, in vestibus nigris, quod visu graue, ac speciosum est; sunt enim pleræque præstanti statura, magnamque oris, incessusque dignitatem exhibent. Virgines ab huiusmodi cæremoniis arcentur. In templo deinde canunt ac prædicant. Ac tametsi ecclesia Lutheranorum sit, Caluinistas nihilominus, qui domestica sepulchra habent, inibi nullo scrupulo sepeliunt.

X. Venit ad Legatum quidam ex Elbingensi ciuitate, qui illi ciuitatis nomine craterem aureum obtulit, quem accipere noluit; at humanissima epistola ad illorum epistolam rescripsit.

XII. Illustrissimus Legatus post dissimulatos, per tres aut quatuor dies, febris paroxysmos, qui illum meridie inter prandium subibant, lecto se tradidit. Hac occasione ego cum illius pharmacopœo in hortum ciuis cuiusdam iui, ubi multas plantas, herbasque salutares contemplatus sum. Erant ibi maturæ sapidæque ficus, at vuæ immaturæ, illas nihilominus vel inuito soli genio, ad aliquam tandem maturitatem cura, & cultura sua promouent.

XIII. Cum in curia Mercatorum, vbi perpetua compotatio fit, deambularem, librosque promercales euoluerem, aggressus me est quidam N. Ruardus, quocum per duas horas collocutus sum Latine, ac deinde Gallice, qui me ad ædes suas adeundas inuitauit. Didici postea ab aliquo, eum esse Arianorum pastorem: sunt quippe Gedani huiusmodi homines, qui clam congregantur, inscio, vel dissimulante Senatu.

XVI

XVI. Mane Legatus recreatus a morbo inuifit Dominum N. *Viceconti*, Summi Pontificis Nuntium, qui apud Dominicanos hofpitium fumpferat. Legatum reuifit a prandio Nuntius.

XVII. Cum Illuftriffimo Nuntio Apoftolico, Illuftriffimus nofter Legatus in eadem rheda ad Oliuenfe monafterium iuit, quod milliari vno, Gedano diftat. Eft illud Ordinis Ciftercienfis. Monachi omnes cum Abbate ante portam ecclefiæ Nuntium expectabant, cui Crucem ofculandam Abbas præbuit; eidemque Abbas manum poftea ofculatus eft, ac deinde finguli Monachi, quorum vnus breuem orationem habuit, ad quam cum breuiter Nuntius refpondiffet, aqua luftrali omnes nos afperfit. Ingreffi fumus deinde ecclefiam canentibus monachis, atque organis, deinde celebrata Miffa. Eft illa ecclefia longa, atque angufta, marmore, atque picturis optimis decorata, itemque fubfelliis grandibus ac recte fabricatis. Ibi feptuaginta duo Duces Pomeraniæ fepulti funt, quorum imagines pro magna parte vifuntur. Nouies fuit illa ecclefia vaftata ac direpta. Nouiffime a Carolo Caroli filio Sueciæ Admiralio, quem nouimus.

Ibi habent lapidem, quem dicunt olim panem fuiffe, ac miraculo in lapidem conuerfum, quæ fuerit huius miraculi caufa, nondum dici. Lauto conuiuio a Domino Abbate, qui Koniecpolfkii propinquus eft, excepti fuimus. Aderat Prior Dominicanorum Gedanenfium. Inde rediimus cum Illuftriffimo Nuntio ad portas Gedani, præter quas duo milliaria ipfe confecit Varfauiam verfus.

XVIII. Ego, & Theologus ad difput. Theol. quæ in gymnafio Gedanenfi fiebat, iuimus. Lutheranus adolefcens thefes defendebat, quas fex Dominicani impugnatum venerant, duo primi de libris Canonicis difputarunt fatis confufe. At tertius qui de iuftificatione fola per fidem, clare omnino ac Theologice, ita vt Doctorem Lutheranum iugularet, eoque adigeret, vt a Dominicano poftularet: an Argumentum, quod formabat, in Diui Pauli textu præcise comprehenfum effet?

Certe nebulonum illorum amentiam, aut impudentiam fatis demirari non poffum, qui noctuas nos, ac lucifugas identidem appellitent, vt ifte in fua præfatione fæpius fecerat, & ad confpicuum argumentum, quod & Diui Pauli auctoritate, & vera ratiocinatione nitebatur, peruicaciffime nulla allata folutione refiftebat. Sed o inauditam barbariem! cum inter loquendum vnus e religiofis Papam nominaffet; Inceftus fcurra Papam, nihil aliud quam monftrum effe, coram Religiofis, quos inuitauerant, coram nobis, quos Chriftianiffimi Legati comites fciebat, impuriffimo ore obganniuit.

XIX. Ego ab alio Paftore Lutherano domum inuitatus fum ad colloquendum, qui quidem, quia in Anglia atque Gallia humanitatem aliquam didicerat, paululum abfterfit indignationem, quam in illum hefternum fubulcum conceperam. Dedit ifte mihi orationem Latinam, quam coram Belgii Legatis paucis ante diebus habuerat. Vocatur Ioannes *Mochinger*. Vna cum illo in pomœriis ciuitatis deambulaui. Vidi apud illum Biblia Hebraïca, breuiori volumine quam vnquam viderim, quæ ex Anglia attulerat, optima ac luculentiffima editione. Eft item ille Rhetoricæ Profeffor, in gymnafio Gedanenfi, ciuitatis ftipendiis.

XXII. Nuptiæ celebratæ funt in hofpitio Illuftriffimi Legati noftri, ad quas ipfe inuitatus fuit, eum ego Baroque Auaugurius comitati fumus. Hæc fere cerimonia obferuata fuit: matronæ fingulæ in domum nuptialem conueniunt, circa meridiem. Viri deinde cuncti bini incedentes, fponfum adducunt, fiftuntque in atrio fiue veftibulo domus. Collocatur fcamnum in medio. Ingreditur atrium Paftor, feque ad illud fcamnum ftatuit nudo capite, nec labra mouet. Euocantur deinde ex intima domo virgines, quæ binæ incedunt, inter duas grandiores, quæ vltimæ funt, fponfa exiftit, nigra vefte, cum aliæ omnes co-

loribus distinctæ sint; ac circumdato pastore ibi stante, nec se mouente, ex altera parte scamni ante illum statuitur sponsa itemque sponsus. Aperto tunc libro, minister Euangelium nuptiale illis legit, ac deinde breui adhortatione facta, verba solennia profert. Tum vero musica instrumenta, vocesque personant. Statuitur inde sponsa prope ianuam, ibique ab ingressis & ingredientibus salutatur, ac donis donatur. Vasculum illi argenteum Legatus donauit, ego, & Auaugurius aureos nummos, charta, vt moris est, inuolutos, cum votis, ac omnibus lætis. Ad mensam deinde assedimus, paulo ante horam secundam a meridie; ad septimam vsque ipsam edimus ac bibimus. Eius sunt latitudinis illæ mensæ, vt si illas ante instratas mappas videris, theatra esse putes, in quibus fabulam potius, quam conuiuium exhiberi debere suspiceris. At, cum illatæ sunt dapes, compotatioque incaluit, tam eum, qui tibi e regione est, exaudire potes, quam si inter vtrumque fluuius esset interiectus, cum tamen nulla ibi interfluat aqua, sed vini meri cereuisiæque riui, ac cataractæ vndequaque restagnent. Adeo ibi magnum est aquæ odium, vt nulla etiam iuscula, vel offas inferant; fœminæ, vti & viri, mutuo sibi propinant: certis interuallis Paranymphi mensas circumeunt, petuntque a conuiuis, an illis satisfactum sit. Tum etiam illi priores, verbis quibusdam conceptis, felicitatem futuri matrimonii augurantur, ac primario conuiuæ (Legatus noster is fuit) præbibunt. Iidem postea versus, ac odas, in sponsorum gratiam compositas distribuunt, vbi sponsam, quamlibet deformis illa sit, Venere, aut Helena pulchriorem appellant: Maritum vero Apolline, Mercurio, Socrate prudentiorem ac sapientiorem; at ille plerumque caupo est, aut stabularius, aut certe mercator minorum gentium, qui pallida sulphurata fractis permutat vitreis. Veste tamen serica nigraque induuntur omnes, ab ipsis Senatoribus hac in parte distingui non possunt, nisi quod plebeii isti manicellas lineas(*manchettes*) non solent ferre, alii honoratiores ferunt. Totum conuiuium perpetua vocum instrumentorumque musica exhilarauit. Hora tandem septima pulsante, quædam ex præcipuis feminis, quasi cæteris aliis continentior foret, potestatem nobis exeundi fecit, iugumque tam longæ comessationis excussimus. Inceperunt deinde choreæ, in quibus manum conseruimus, ad illorumque morem, qui difficilis non est, saltauimus ad multam noctem, non sine renouatione poculorum, quæ, inter tripudiandum, amatores venustuli amasiis suis porrigunt. Quid de sponsa deinde factum sit, si quis inquirat: credo, idem, quod in Gallia, aut alibi; priores enim cum Legato discessimus, qui se, cum cubiculum suum attigisset, tum demum beatum esse putauit, illique eo nomine gratulatus sum.

XXIV. Franciscus Floridus, Theologus noster, *nunc Sereniss. Mariae Lud. Reginae Poloniae, Confessarius, & Canonicus Varsauiensis*, suum in Italiam iter arripuit, impetrata ab Illustrissimo Legato venia, nobisque rite, ac peramanter salutatis, in Dania ac Suecia, vbi nullus Sacerdos consistere audet, eius ope ac ministerio vsi sumus; ac præsertim in ingenti maris Balthici discrimine, quo per tres dies conflictati sumus, illius pietatem, ac prudentiam præsentissimam sensimus. Tandem, cum iam a multo tempore in animum induxisset Italiam adire, nosque in vrbe Catholica, saltem vbi sacerdotibus esse licet, vti sunt nonnulli, reliquisset, cisio Polonico, quatuor rotis, ac duobus equis instructo, cum mercatore Gedanensi, qui natione Gallus erat, N. Ioannes *de Vantes*, Torunium vsque, quod ad Vistulam est, nobis cernentibus faustumque iter precantibus, discessit. Commendauit ille mihi aliquot libros, quorum catalogum feci, deditque aliquot reliquias S. Erici Suec. Regis, quas Vpsalia attulerat. Et hic finis illius suauissimi consortii fuit, quod vtinam breui in communi patria redintegrari possit.

XXVII. Mercatorem Gedan. N. *Vpogen*, qui argentariam exercet, cum B. Auaugurio adii, in cuius atrio non contemnendas tabulas contemplatus sum. Nobis iste, qui tamen optime valebamus, aquam vitæ, quasi deliquium patienti-

bus

bus, quater aut quinquies per femihoram propinauit. Egebat illius pecunia Auaugurius, itaque hoc fœnore illa nobis accipienda fuit.

Oportuit tamen, vt fe Legatus totius fummæ capitalis adpromifforem faceret, fub beneficio Auth. *Hoc fi debitor.*

XXVIII. Quæ Dominica fuit, ad fuburbium Schotland, in ecclefiam Iefuitarum fe contulit Illuftriff. Legatus, vbi nobiles Polonos, Polonasque, eximiis torquibus ac catenis ornatas vidimus; colore funt illæ oleagino, videnturque oleo aut alia pinguedine inunctæ: diuerfum fere omnibus erat capitis ornamentum, fubftructumque auro, vnionibusque ad noftratium rufticarum fponfarum morem: vix oftendebant capillos, nifi quod in fronte, ac fincipite hinc inde, iuxta naturalem, quæ crinibus femineis ineft, feparationem, atque fiffuram difcriminati erant, ac diuifi. Erat inter illas noua nupta, quæ ifto die in mariti domum duci debebat, quam folennitatem vocant ipfi *transmigrationem.* Poft celebratam cum mufica, organisque miffam, duo Iefuitæ Legatum conuenerunt duxeruntque ad collegium, quod ex altera parte fluuioli eft. Hortum vidimus innumeris frugibus confitum, qui in montem excelfum extenditur, vnde omne Gedanum videri poteft, liberque patet in multa milliaria profpectus, quo amœniorem alibi non vidi. Ibi ad benigniorem folem vites longo murorum ligneorum ordine feruerunt, quarum quidem racemi ad Cal. Nouembris incipiunt liuefcere, nonnullique etiam mufcatelli fpeciem ferunt; at fi ori admoueas, labrufcæ funt tantum ac omphantum. Ex illa vindemia quidam e noftris aliquot vuas fucciderunt, quæ in prandio condimentis adhibitæ, neque hebetis, neque infipidi guftus inuentæ funt.

Pyra certe ac poma prunaque nec pauca, nec contemnenda habent. Nuces funt illis in deliciis, neque paffim in agris, fed in hortis illas ferunt, rariores funt enim quam apud nos: denique domus illa villæ magis rufticæ, quam collegii litterarii fpeciem habent, adeo gallinis, anferibus, aliifque huiusmodi referta eft. Valde illi Illuftr. Legato, pro conftituta pace, gratulati funt.

A prandio Illuftr. Legatus Præconfulem ciuitatis inuifit, qui nobis abfinthii pontici vfum declarauit, ftomacho nimirum vtilem, nec hepati aduerfum; ori aliquot grana indi debent, ac deinde cum vini hauftu forbentur.

XXX. Vidimus in ecclefia Dominicanorum funus, quod peragebatur nobili feminæ Polonæ, quæ tamen ante fex menfes defuncta, nec dum tumulata fuerat. Viri qui aderant, non alia vefte, quam ordinaria induti funt, nifi quod illa nigra eft. At mulieres, puellæque longe diuerfa, ab folita vefte, amiciuntur. Picturis magis effet iftud depingere, quam fcriptoris: neque enim vel Latine vel Gallice iftiusmodi veftium nomina mihi fuccurrunt. Certe, illæ, quæ fecundo ordine erant, ad Sorbonicorum Doctorum formam accedebant, cum pellibus fuis inuoluuntur. Quæ luctuofum habitum non gerebant, longis, ac incommodis, pretiofis tamen veftibus, indutæ erant, quæ humum verrunt. Habent in pileis, qui pellibus farti funt, vniones, ac breues auri calamos infertos, fub mento lintea habent quafi mappas noftras, quas attollunt ad os, atque ad nafum, aduerfus cœli iniurias, diceres eas ægrotare, adeo illis ceruix, ac fauces reuinctæ funt. Inter miffæ facrificium facta fuit oratio funebris. Ad offertorium mulieres altare ambiunt, atque ad locum fuum redeunt, quod item repetunt, poftquam dicitur *Agnus Dei*, credo quod in poftica altaris parte oblationem fuam faciunt, viri non item. Poft miffam preces aliquas noftris longiores faciunt. Cum ad foffam accederemus, oftenfum eft nobis cranium adhuc pileo tectum, qui quidem pileus integer erat ex ferico, nec dum decoloratus, punicei nimirum coloris, & tamen cadauer illic depofitum fuerat, ante viginti duos annos.

Feretra fua panno nigro contegunt, ita vt lignum non appareat, alibi colore nigro lignum pingunt crucemque albam, vti vidimus in Suecia apud ipfos Lutheranos.

Post conditum cadauer, in mediam ecclesiam conueniunt propinqui, inuit tique omnes viri ac feminæ, in circulum, ac duo ex illis aliquot verba faciu in defuncti commendationem ac superstitum solatium. Illi ipsi erant, quos b duo ante in ecclesia Iesuitarum videramus in veste nuptiali, ita vt proxima illi gaudii (quod plerumque fit) luctus occupauerit.

Prima die Nouembris, omnes cum Illustriss. Legato ecclesiam Dominic norum adiimus, processioni interfuimus, ac Sacrosanctum Domini corpus con municauimus. Alius Polonice, alius Germanice, alius Latine, cæteri Italice co fessi sunt: qui Gallice tantum sciuerunt, Theologum nostrum, qui abierat, de derauerunt.

Ego certe vtique illum ob aliam rationem magnopere desideraui, cum ist austeris Patribus, eo quod Lutheri biblia legeram, absoluendi mei scrupulus i iectus esset, cum tamen affirmarem, me ad addiscendam linguám Germanicam s lum illa vsurpasse. Rediimus deinde ad vespertinas preces officiumque defu ctorum, hancque diem totam pie, ex piissimi Legati exemplo transegimus.

II. Die, supplicationi ac missæ, quæ fit pro defunctis, diligenter interf mus. Processio facta fuit, in qua 4. Euangelia, in 4. stationibus recitata sun quæ de resurrectione mentionem faciunt. Hunc ritum in Gallia vsurpari non m mini. Interim Sacerdos qui præit, aquam lustralem vndequaque aspergit. L gatus Angliæ post meridiem nos inuisit.

III. Præconsul vrbis Dominus *Cirenberg*, Legatum nostrum adiit. Est le senex lepidissimi consortii, qui per variorum sermonum occasionem narra nobis res miras, quas quidem eo diligentius notaui, quod ab homine sagaci, & Ca uinista, hoc est durioris fidei, recitabantur. Prima hæc fuit.

Antonius *Meidel*, Liuonus, Admiralius Sueciæ, sub Rege Ioanne, patre Sigi mundi, cum pertransiret Lappiam, & quodam die nihil, neque potus, neque c bi inuenisset, haberetque secum seruum vnicum, ac canem, incidit in viduæ ar culæ domum, a qua cum cibum rogauisset, illa se nec panem, nec quicquam a ud ad manducandum habere affirmauit. At, cum mulier e conclaui exiisset, leque omnia rimatus, caseos asseri impositos deprehendisset, partem vnius ca suo fregit ac tradidit, quod cum anus ingrediens animaduertisset, minata est h mini infortunium, statimque canis exanimis cecidit, quo spectaculo territus ille seruus, edere non sunt ausi: cumque hæc canina anima, maleficæ illius indignati ni sufficienter litatum esse crederet, donec sequens illucesceret dies, per hanc n ctem in stramine iacere pertulerunt. At circa mediam noctem, tanti dolor Admiralium inuaserunt, vt quasi energumenus, ac rabidus, per horam integra volutauerit sese, ac tandem vultus illi omnino toruus remanserit, ita, vt neq loqui, neque manducare posset, sed per calamum tantum iuscula illi, ac liquor infunderentur, si tamen in belluina regione, iuscula homini commoda ac salutar fieri potuerunt. In hac metamorphosi, cum iter faceret, ac denique ad cuiusda senis tugurium peruenisset, miseratus eius casum seniculus, petiit, num subleua vellet ac pristinam faciem recuperare, fierique istud posse, si pares dolores p vellet in morbo curando, quos in contrahendo sustinuisset. Dum in hoc pactu non libenter modo, sed auide etiam consensisset, media nocte cum iisdem ac tissimis cruciatibus conflictatus est per horam, qua transacta restituta est illi p stina forma, relictaque per aliquot horas summa membrorum omnium fatigati Hanc portentosam historiam se ab ipso Admiralio audiisse affirmauit nob Cirembergius, aliam deinde subdidit.

Scabinus fuit Gedanensis, nomen non memini, cuius institor Stocholm cum esset, a muliere quadam amatus fuit, ita vt illum dimittere nollet, persuader que omnibus illecebris ac promissis, vt in Suecia remaneret. Tandem, cum le sæpius a Domino suo reuocaretur, consiliumque reuertendi sumpsisset, libidin

sa ac

sa, ac impotens mulier ab illo capillos aliquos popoſcit, in abſentiæ ſolatium, amorisque pignus: ille, qui amaſiæ ſuæ mentem, qui maleficorum in illa regione opportunitatem nouerat, quiddam læuum ſubueritus, vrſinæ pelli, qua veſtes inter peregrinandum contegebat, pilos detrahit, ſuis non abſimiles, eosque ſerico intextos, cum plurima amoris ſignificatione, feminæ donat, amantemque (tametſi Dido refragetur) fallit. Scandit nauim, pluribusque milliaribus a littore Sueco aberat, cum de multo die ſtratæ pelli Vrſinæ decumbit; ac cum iam indormiſceret, ſentit pellis ſuæ villos ſub capite velli; euigilat, nihil videt: ſomnum repetit; tum illam iterum ſibi ſubtrahi ſentit: iraſcitur, quaſi aliquis e ſociis illum laceſſeret: neminem penes ſe conſpicit, vigilansque etiam trahi abripique pellem ſuam videt, quam cum retinere vellet, fortiusque illa traheretur, inclamat, euocatque ad miraculum vectores, ac nautas, quibus cernentibus (ſtupenda res) pellis vrſina per aërem, quaſi altera Caliſto iterum ab Ioue in ſeptentrionem rapiatur, transportari atque abripi viſa eſt.

Tertia hæc fuit.

Quidam Italus equorum inſtitutor, N. *Horatio*, qui poſtea etiam Gedani fuit, Stocholmiæ per aliquot annos hanc artem exercuit. Quodam die, cum imprudens domum introiſſet, in qua debitorem ſuum pecuniæ exigendæ cauſa quærebat, inuenit illius vxorem, quæ doloribus partus vicini conflictabatur, cuique aderat obſtetrix, quo ſpectaculo territus ille, ſtatim aufugit, eodemque momento acutiſſimis alui, ac pectoris cruciatibus correptus fuit; Ita vt in medici cuiusdam, amici ſui, domum ſe recipere cogeretur, vbi, cum præſentiſſima, ac optima remedia illi adhibita eſſent, dolores tamen ſedari non poterant: cumque in ea re, neque morbi cauſam, neque curationem inueniret medicus, artisque ſuæ vanitatem fateri cogeretur: vxor eius quæſiuit ab ægroto, quonam ſe contulerat, quidve fecerat, cum his torminibus tentatus fuit: reſpondit ille, ſe talem domum ingreſſum fuiſſe, vbi parturientem mulierem cum obſtetrice deprehenderat. Quam domum, cum ſtatim medici vxor adiiſſet, intellexit ipſo momento feminam peperiſſe, narrauitque, quid Horatio contigiſſet, cumque paulo poſt domum ſuam rediiſſet, inuenit Horatium dolore omnino liberatum. Vnde caſum illius, maleficæ iſti obſtetrici, a qua toruum conſpectus fuerat, vniuerſi, qui apud medicum fuerant, tribuerunt.

Quidam alius, qui in Sueciam nauigauerat, cum cuperet ſcire, an vxor viueret, quam Gedani reliquerat, quidve ageret, in magum incidit, qui illi ſe id declaraturum promiſit, ſub aliqua pecuniæ ſponſione. Magus ignem accendit, in eum ſe iniecit, inſiluitque, credo, quod euanuit ex oculis iſtius, ac poſt quadrantem horæ comparuit, attulitque cultrum, quem e conſpectu iſtius curioſi vxoris rapuerat, affirmauitque illam domi eſſe ac nere, in cuius rei veritatem cultrum illum, qui homini probe notus erat, exhibuit, ac reliquit. Iſte cultro aſſeruato, cum poſt aliquot menſes Gedanum rediiſſet, ac quodam die cum vxore colloqueretur, vti plerumque fit otioſe inter coniuges, narrauit illa, ſe tali die quem memorabat, maximo metu correptam fuiſſe, cum penes ſe cultellum nemine conſpecto, abripi vidiſſet, quæ res illam tam ob miraculum, quam ob ſubiti euentus ſignificationem, vehementiſſime terruerat, cum crederet læui quidpiam ac funeſti marito contigiſſe: Infelix quæ pro zelotypo, ac ſuſpicaci viro ſolicitudinem tantam conceperat! Quæ cum maritus intellexiſſet, confeſſus eſt illi, quæ cum mago geſſerat, cultrumque illi ſuum repræſentauit, ac de tempore, quo iſtud acciderat, de momento ad momentum conuenerunt.

Inſignis omni ſcelerum genere femina, e nobili Ranzouiorum gente, quæ & ſexus ſui modeſtiam exuerat, & virilem veſtem animumque induerat, quæ

 bello,

bello, quæ facinoribus variis interfuerat; tandem cum hominem Gedani occidisset, in carcerem coniecta fuit. Dictum fuit Præconsuli, auunculo huius Cirembergi, viro docto prudentique, vt ab illius feminæ maleficis artibus sibi caueret. Semel cum in Senatum iret, iniecta est calide e carcere charta quædam inuoluta, quam cum ab apparitore colligi iussisset, statim ille, qui colligebat, in faciem concidit, ac tametsi aliunde læsus non esset, non potuit nisi sociorum ope subleuari. Aperta est charta, inuentæ sunt in illa aciculæ, crines, & aliæ nugæ. Mulier tandem facinorosa decollata fuit. Id se etiam a suo auunculo sæpius audiisse referebat Cirembergius: aliam denique super induxit, quam iam audieram, narrationem.

Quidam, qui e Suecia proficisci vellet, vt quo intenderat, celerius perueniret, ventum emit, de ventis enim tempestatibusque negotiatores ibi sunt: Datum est illi a venditore strophiolum tribus nodis reuinctum. Primus nodus erat benigni, ac secundi venti, secundus fortioris, tertius tempestatis; quos si solueret, his euentibus certo frueretur. Ingressus est nauim in maxima tranquillitate. Soluit primum nodum strophioli: en adspirauit secundus, benignusque ventus, qui cum lentior esset, secundum nodum soluit, continuoque fortior ventus nauem impulit, ita vt intra exiguum tempus ad optatum portum peruenire spes esset. At, cum per incuriam strophium, cui tertius relictus erat nodus, ex hominis istius pera cecidisset, atque a nauta quodam collectus, qui pecuniam in illo nodo inuolutam credidit, solutusque esset, continuo oborta est talis tempestas, vt post magnam iactationem ad scopulos nauis allisa sit, atque confracta, vectores tamen ac nautæ, mercatorque iste ventosus, seruati sunt, qui historiam deinde narrauerunt.

Hæc omnia se ab ipsis, quibus acciderant, vel ab hominibus fide dignis, quos nominabat, se accepisse Ioannes Cirembergius, vir grauis Illustrissimo Legato mihique referebat.

IV. Die Nouembris, quæ Dominica fuit, Illustriss. Legatus adiit Dominicanos, processionique rosarii interfuit, adfuit item illic Princeps Dominicus, adolescens ditissimus, quem e Regum Poloniæ stirpe esse aiunt; a sinistra Legati nostri incedebat. Ibi eodem tempore ante missam prædicatio Germanica, eodemque tempore Polonica fit; Germanicæ interfui, canuntque laici psalmos hinc inde vernacula lingua, in locis tam diuersis, sed se exaudiunt inuicem. Post prandium litteras in Sueciam scripsi ad P. Vvibium, aliasque etiam descripsi iussu Legati.

V. Cum satis mane ad Dominicanos iuissem, vidi copiosam plebeculam, quæ Polonice in Monachorum claustro psalmos, hymnosque Polonicos canebant, sine sacerdote vllo.

Ductum est funus post prandium viduæ cuiusdam Præconsulis, quod e fenestra, vt morem Lutheranum intueretur, conspexit Legatus, quem quidem morem me superius annotare memini.

VI. Litteras nostras in Sueciam conclusimus; scripsit Legatus ad vtramque Reginam, ac omnesque Regni Administrarores, excepto Cancellario, qui Vismariæ est.

VII. Vniversi Carolum Auaugurium, qui in Sueciam proficiscebatur, comitati sumus ad ripam Vistulæ. Ibi ascendit in mercatoriam nauiculam, qua remeando flumen, Hostium vsque, in aliud fluminis diuortium descendit, vnde per *Frisch haff* Pilauiam delatus est, ubi nauim bellicam, quæ illum Stocholmiam ferret, ingressus est. Ægre illum dimisimus, cum quo, per annum & amplius, placidissime ac humanissime (vti ille comissimus est) conuixeramus. Maximum ille, ac sincerum Illustrissimo Legato honorem detulit, maximum Legatus retulit, ac cum plurima amoris significatione dimisit. Abduxit secum Franciscum

ſcum Gernandum, virum valde bonum, doctumque, ex Palatinatu oriundum, in quo nihil niſi Catholica religio deſiderari poteſt, qui vtique e Dania omnium peregrinationum noſtrarum, ac laborum particeps fuit, teſtisque aſſiduus ac idoneus eorum omnium, quæ Stumsdorffii geſta ſunt. Alios duos ſecum duxit, ſiue milites ſiue aſſeclas, Spinæum ac Pratenſem. Faxit Deus vt breui rurſus conueniamus.

IX. Illuſtriſſimus Legatus cum Ioanne Cirembergio, Senatus Gedanenſis Præſide, inuiſit Illuſtriſſimum Legatum Angliæ, proximo ab vrbe lapide commorantem, qui nos humaniſſime excepit, multoque vino proluit.

Ea die aduenit Gedanum Vvrangelli Secretarius, qui rogauit Senatum, vt pedites Suecos, qui in Pomeraniam tranſire volebant, præterire per ſuum territorium ſinerent, eo quod tres eorum naues militibus Anglis, Scotisque onuſtæ, per tempeſtatem perierant, vna tamen ab igne. Huic poſtulationi adiunxit ſe Legatus noſter. Retulit idem Secretarius, aliam nauem, quæ in Sueciam tendebat, Memeliam fuiſſe delatam.

X. Adii Vvaltherum *Roſemberg*, Senatorem Gedanenſem honeſtiſſimum virum, qui Gallice etiam loquitur; Ille mihi Ioannis Roſ. filii ſui infortunium narrauit, nimirum, eum in naue deprehenſum fuiſſe, quæ ſine commeatu, ac diplomate Regio e Gallia ſoluerat, quæ cum, Dantiſco rediens, a claſſiariis Regiis prope Diepam intercepta fuiſſet, adoleſcens iſte omnibus ſuis veſtibus, pecunia, ſupellectile, ſuccino, ac cera, quam vendere deſtinauerat, ſpoliatus fuerat, cum tamen mercator non eſſet, ſed ſtudiorum peregrinandique ergo in Galliam mitteretur, eæque merces illi in ſumptuum quos faceret, penſionisque, quam ſolueret, ſubſidium a prouido parente donatæ eſſent. Petiit a me pius pater, vt Legati noſtri litteris iuuaretur, ſi forte apud Parlamentum Rothomagenſe gratia, aut auctoritate valeret, nam ibi rem iſtam diſceptari cœpiſſe. Spopondi me apud æquiſſimum Legatum interceſſurum. Pupugit me certe adoleſcentis caſus, ſiue quod olim Scholaſticus fui, ſiue quod etiamnunc peregrinus cum ſim, nolim me in huiusmodi calamitatem incidere.

XII. Aliquot artificum, qui ſuccinum vendunt, officinas luſtraui, vbi puſilla naturæ miracula contemplatus ſum: in illo quippe, & muſcas, & ranas congelatas vidi, aliaque eiuſcemodi, quæ homines otioſi ac curioſi magno mercentur.

XIII. Offendi in via Ioannem *de Vantes* mercatorem, qui Torunio reuerterat, plurimamque ſalutem a Theologo noſtro mihi referebat: aiebat iſte ſe, milites glorioſos e partibus Imperatoris vidiſſe, qui ſuper menſa *Ludouicum* debellabant, Galliamque inter ſe partiebantur, quaſi ex diuiſione Cæſaris, cum hi Celticam, alii Belgicam, alii vero Aquitanicam ſibi ſumerent. Commouit certe me hic primum nuntius, ſed cum eundem poſtea Gedani paſſim in popinis, ab hominibus madidis, atque mero titubantibus recantari intelligerem, deſii timere; præſertim cum hæc conſilia a Ferdinando, non a Iulio Cæſare perfici debeant.

XIV. Inuiſi *Schvvartzvvaldt*, ſcabinum Gedanenſem, qui mihi egregiorum pictorum tabulas, quas ex Italia attulerat, oſtendit, duæ præſertim, meo quidem iudicio cæteris præſtabant: vna D. Magdalenæ, quæ tota nuda eſt, niſi quod capillis, vbi opus eſt, contegitur: altera eſt Iudithæ, quæ Holophernis caput crinibus geſtat, quam mulier vetula, ſpiranti ſimilis, ſubſequitur. Oſtendit item mihi puerum natantem, e cera Mich. Angeli, argento expreſſum. Oſtendit & equum argenteum, ab inſigni ſculptore Florentino factum, quem equeſtris ſtatuæ, quæ in ponte nouo Pariſiis eſt, fictorem eſſe dicebat. A quo ſculptore ſe audiiſſe ſæpius referebat; pœnitere illum iſtius equi Pariſienſis, cupereque, mille aut amplius aureorum iactura, ne extaret, adeo ex illo tempore, quo eum fudit, in peritiam artis ſuæ creuerat.

XV. Sub noctem Gordonus, Agens Regis Angliæ, cum ſuum inuiſiſ-

ſet, noſtrum Legatum quam primum ſalutatum venit, illique narrauit victoriam, quam paucis ante diebus, Bannerius Suecorum in Saxonia Dux, de Saxonicis retulerat; cæſa nimirum duodecim hominum millia, a Baudiſſeno ducta. Dixit, Regem Angliæ ad Imperatorem expoſtulatum miſiſſe, quod Palatinum Rheni in patrimonium ſuum reſtituere nollet, vti promiſerat, atque adeo eidem Palatino Regem Angliæ exercitum dare, vt ſe Chriſtianiſſimo Regi, aliisque fœderatis coniungeret, initamque magnam amicitiam inter Galliæ, Angliæque Reges, quod Seneterii, Legati extraordinarii opera, factum erat.

XVI. Thorunio allatus eſt a mercatoribus quibuſdam nuntius, Galazzum a Duce Bernardo Vveimario in Lotharingia profligatum eſſe ad triginta hominum millia.

Inuiſit Cirenbergium Proconſulem Illuſtriſſ. Legatus, cuius filiam Conſtantiam Cirenbergiam, canentem ludentemque inſtrumento organico audiuit. Formoſiſſima illa eſt totius vrbis femina, omnium, quæ feminas decent, artificiorum perita, muſices vero ad miraculum vſque. Eſt illa præſtantiſſima voce, canitque ad Italicum morem, qui ſolus in Polonia, ac Germania notus eſt. Cum illius fama in Italiam perueniſſet, dignam illam iudicauere inſignes muſici Mediolanenſes, cui librum dicarent, nuncupatum: *Flores præſtantiſſimorum Virorum*, intellige de muſicis, *a Philippo Lomatio delibati*. Cui libro elegantiſſimam epiſtolam ad *Conſt. Cirenbergiam* præpoſuerunt. Quidam qui Dantiſci fuit, quique nunc in Belgium tranſiit Neranus, in illius laudem ſuauiſſimos verſus elegiacos conſcripſit: meliores certe toto hoc ſeptentrione non legi.

Coram illa Varenus noſter cecinit, cuius modulos moremque canendi valde laudauit, confeſſaque eſt, ſe nunquam Gallice canentem quemquam audiuiſſe. At illa tamen cantionem Gallicam nobis præſentibus cantare auſa eſt, ſuo tamen Italico more: doceri ſe deinde a Vareno poſtulauit, cumque illo cecinit. Lectiſſimæ feminæ virtutes laudauit impenſiſſime humaniſſimus Legatus, præſertimque modeſtiam, non illam vulgarem atque ſeruilem, ſed quæ honeſtos ingenuosque natales redolet.

XVII. Litteras Latinas ſcripſi ad quosdam Poloniæ Proceres; Interim dum Illuſtriſſ. Legatus ad Regem præcipuosque Palatinos ſcriberet.

XVIII. Quæ Dominica fuit, Illuſtriſſ. Legatus ad eccleſiam Carmelitarum ſe contulit, qui illum comiter ſuſceperunt. Prædicationi Polonicæ interfuit, miſſæque, magno plebeculæ concurſu. Liberalitatem ibi ſuam in pauperes religioſos contulit, vti paſſim facere ſolet.

XIX. Illuſtriſſ. Angliæ Legatus, qui ad primum ab vrbe lapidem diuerſatur, Legatum noſtrum ad prandium inuitauit. Illum comitati ſunt Gordonus, Agens Regis Angliæ, ac Proconſul Cirenbergius. Adfuit iſti conuiuio vxor Gordoni ad morem Anglicum veſtita, tametſi Dantiſcana ſit, quæ ſua pulchritudine, atque cultu oculos nobis perſtrinxit, nam in comparationem matris eius, quæ Germanico, & ſororis, quæ Polonico more indutæ erant, illa e veneris grege conducta videbatur; adeo brachia, papillasque denudauerat, capillos ſparſerat, atque torſerat, pretioſa deinde, ac conſpicua veſte, ad mollitiem vſque ſe inſtruxerat, ſcilicet illa ex Anglia redibat, vbi per duos menſes has artes, tam feliciter didicerat; ad quas etiam quaſi ſuopte genio, non ſatis inſaniret, ex mariti, qui illam deperibat, perſuaſione impellebatur, qui hoc oſtento tam præclaro vniuerſum Gyncæum ſiue Polonicum, ſiue Germanicum, obſcurare credebat. At dici non poteſt, quantum inuidiæ inuſitati illi habitus, apud ſeueros populos concilient, quorum feminæ reconditis capillis ſuis, belluarum ſiue pelles, ſiue crines pro maximo cultu induunt. Humaniſſime a Legato Anglico excepti fuimus, ac pro regione lautiſſime.

XX. Litteras accepi a Domino Fran. Florido Varſauiæ datas, 8. Nouembris, vbi plura narrantur; ſcripſit item ad Illuſtriſſ. Legatum noſtrum, Regem Poloniæ

loniæ salutauerat, eiusque Fratrem, Carolum, Nyssæ in Silesia Episcopum, itemque sororem Hispanico more vestitam, vultu satis venusto, statura deteriore. Quædam Guldestierna toti gynæceo præstabat.

Misit idem ad me breuiculum Latine scriptum, quo ferebatur Principem Casimirum periculum vitæ vix euasisse cum Gallis decertando, Opolskium interemptum. Coloredum iussu Regis Hungariæ in custodia positum, qui Principem in discrimen duxerit.

XXI. Ego cum Varenno adii Constantiam Cirembergiam, cum qua per plures horas cecinit. Animaduertimus, diem illam esse vigiliam B. Ceciliæ, quæ Parisiis tanto musicorum concursu celebratur, quam illi cum virgine, nos cum castissima femina transegimus.

Eadem die insignem Phrygii operis tapetem vidi apud vnum e Præconsulibus Dantiscanis, cuius vxor est artifex: tam est opus illud tersum, subtile, ac rite adumbratum, vt optimæ picturæ adæquari possit.

XXII. Descripsi plurimas Illustriss. Legati litteras ad varios Palatinos, addidique vnam ex meis ad Illustriss. ac Reuerendiss. Nuntium Apostolicum, qui est in aula Polonica, vt legendorum aliquot librorum facultatem mihi concederet, quam D. Theodorico, Legati nostri Oeconomo, ferendam dedi.

XXIII. Missus fui ad Gedanensem Senatum ab Illustriss. Legato, vt Legioni Baronis *Schut*, Sueci, qui Pilauia in Pomeraniam terrestri itinere transire volebat, commeatum daret, quia mare per summas tempestates imperuium erat. Didicimus, B. Auauguriumper quindecim dies Pilauiæ moratum esse, ac denique, cum nauem quæ in Sueciam solueret, non inueniret, in Hollandica, Elsingoram vsque profectum. At quod nos valde anxit, relatum est, duabus horis postquam in nauem ascendit, summam tempestatem fuisse obortam.

A prandio Mochingerus, vir πολύγλωττος, Illustrissimus Legatum inuisit, ac deinde Dominus Bergmannus.

Prima Decembris duos PP. Dominicanos, viros pios, & doctos, cum quibus non inutiles sermones conseruimus, Illustriss. Legatus prandio excepit. Didicimus ab illis solum istud Gedanense a Ducibus Pomeraniæ Dominicanis datum fuisse, eorumque originem vrbe ista antiquiorem esse, quæ tamen deinde in hanc potentiam creuit, vt monachi pene oppressi sint, ac deleti. Arguitur nihilominus eorum vetustas, ex ædificiorum vetustate, atque ruina imminente.

III. Magnam litterarum copiam e Gallia accepit Illustriss. Legatus, tam a Rege, Ministrisque, quam ab Illustriss. suo Patre, qui vtique ad me scribere cum summa comitate non dedignatus est. Datæ erant recentiores litteræ 26. Octobris, accepi item litteras a Fratre meo, atque a Stephano Caminæo Latinas, Marchio *de S. Chamont* scripsit ad Legatum nostrum, se ad Regem Daniæ proficisci, quod vtique mandatum Rex Christianissimus nostro Legato dederat, si Regi Daniæ propior esset. Litteras a *de la Tour*, de cuius salute timebamus, accepimus. Itaque fausta contigerunt omnia, præsertim cum ex Aula impensissimæ laudes Illustrissimo Legato nostro tribuerentur.

V. Illustriss. Legatus Baronem *Schut*, Suecum, prandio excepit. Ac deinde adiit *Vpogen*, virum bonum, qui argentariam exercet. Per hos dies impressa fuerat typis Dantisci relatio, quæ impudenti mendacio narrabat, Parisiis tumultum esse factum aduersus Card. Richelium; nec id tantum, sed constare pro certo, quatuor prouincias in Regem rebellasse; quæ calumniæ cum expressissime litterarum nostrarum tenore refutarentur; iussit me Legatus Cirembergium Præconsulem adire, ac suo nomine de illa relatione conqueri. Quo quidem de negotio cum Præconsul apud Senatum postero die retulisset, arcessitus est typographus, qui aliam Stetini impressam relationem exhibuit, vnde hanc fabulam transcripse-

ferat, quod illi excuſationis loco fuit. Verum tamen prohibitum, ne deinceps res huius momenti incaute ederet in vulgus.

VII. Illuſtriſſ. Legatus Anglicus noſtrum adiit, ac poſtea per ſerenum frigus extra ciuitatem deambulauimus, didicimusque ſuperiori die, nauim mercatoriam in portu fuiſſe abſorptam, tam vehemens fuerat illa tempeſtas. Aliquot antea diebus duæ aliæ ibidem perierant, inter quas fuit illa nauis bellica, quæ ad Regem Poloniæ pertinebat, quæque a Suecis, dum Stumſdorffii ageremus, retenta fuerat Credo, in illa totam Poloniæ claſſem fuiſſe poſitam, nam portus ſibi proprios illa non habet. Pilauia, Regiomontum, ac Memelia, ad Electorem Brandeburgenſem, quatenus Pruſſiæ Ducalis Dominus eſt, pertinent. Habet itaque Rex Poloniæ tantum locum ſiue ſtationem, vbi portus inſtitui poteſt, quatuor milliaribus, aut quinque a Dantiſco in Pomerania; Ibi eſt oppidum N. *Putſke*. At enim ea eſt Polonorum incuria, vt quoniam nunc cum Suecis conuenerunt, de illo portu inſtituendo ac claſſe ædificanda amplius non cogitent.

VIII. Conceptionem Beatæ MARIÆ Virginis, apud Dominicanos celebrauimus. A prandio Legatus inuiſit *Cetton*, Scotum, qui Admiralius appellatur, nam mare, quod illi ſubiaceat, nondum deteximus, neſcioque cur illi hic titulus tribuatur. Habet vxorem e Belgio, Gallice loquentem; ab illis valde comiter fuit exceptus Legatus.

X. Litteras e Gallia accepit Legatus, quibus ferebatur, Ducem Sabaudiæ ac Marſch. Crequium a Valentiæ obſidione receſſiſſe. Relationes Belgicæ ferebant, aſperrimum fuiſſe inter Gallos, ac Cæſareos prælium ad Lotharingiæ limites, incerto tamen rumore. Litteræ Gaillicæ ferebant, ex communi fama deſtinari ad conuentum, qui Conſtantiæ iniri debet, ex parte Regis Chriſtianiſſimi Marſch. *d' Eſtrée*, *Bethune*, *d' Auaux*. Vel etiam aliquos credere nullum conuentum fore, adeo partes ad bellum exarſerunt. Aliquot inſignes viros ex noſtris in velitationibus contra Cæſareos factis cecidiſſe, Marchionem N. *de Mouy* ac *Caheuſacum*, quem noueram, per relationes Gallicas didicimus.

XIII. Sudo ſerenoque cælo cum duobus ſcabinis honeſtis Viris, *Brant* ac *Ferber*, ad Schotlandiæ pagum, ſiue Suburbium ſpatiatum iui. Diuiſum eſt ſuburbium illud inter ciuitatem, ac Remp. Dantiſcanam, ex vna parte, & Epiſcopum, ex altera, ſuntque ibi plurimi omnium artificiorum fabri. Sunt plures item eccleſiæ, Ieſuitarum alia, alia Lutheranorum. Sunt & illic Anabaptiſtarum, quorum magnus numerus eſt, conuenticula, nam publica templa non habent. Interluit pagum, quam longus eſt, limpidus fluuius, aggeribus munitus, qui quidem ad ciuitatem, non ad Epiſcopum, pertinet; ex eo, quia altior eſt, manant canales, ex quibus tam multi publici priuatique fontes per Gedanum ſaliunt.

Ea die Illuſtriſſ. Legatus a Theodorico, quem Varſauiam miſerat, litteras accepit, quibus ferebatur, Regem doluiſſe, quod illuc ad comitia Legatus Galliæ ſe non contuliſſet.

XV. Legatus Britannicus Vbaldum, Dantiſcanæ militiæ præfectum, ſtrenuum, celebremque in Germania virum, ad Legatum noſtrum ſalutandum deduxit, nimirum quia ille Germanice tantum loqui ſciebat, ideoque ſe illi cum ſumma humanitate comitem, ac interpretem Legatus Britannicus adiunxit. Eius eſt virtutis præfectus iſte, vt, mercatoris qui pannos vendit, filius cum ſit, atque adeo tabernæ ac mercimoniis a natura deſtinatus, rem militarem tamen tam feliciter aggreſſus ſit, vt nuper illum Imperator honeſtiſſimis litteris ac conditionibus oblatis ad ſtipendia ſua compellauerit; quod recuſauit tamen, ſiue quod Imperatori ſeruire nolit, ſiue quod ſua ſorte ſit contentus. Militauit antea ſub Suecis, ſed illis nunc vehementiſſime aduerſarius eſt, eo quod Cancell. Oxenſtierna Secretarium eius, qui pecuniam pro ſtipendiis Vbaldi flagitabat, percuſſerit, nec dignatus ſit illius litteris reſpondere, quod graue in Germania putant. Hanc ab Oxenſtierna

acceptam

acceptam contumeliam, parum abfuit, quin Vbaldus, in Oxenſtiernæ filio vlciſceretur; nam, cum e tractatu Stumsdorffico ille rediret, ac per Dantiſcum in Pomeraniam transiret, miſit in Oxenſtiernæ diuerſorium aliquos ex officialibus ſuis Vbaldus, qui illum ſuperbe aggreſſi, ſuum Præfectum mirari dicerent, cur tam fidenter in vrbem, in qua ipſe imperaret, ingredi auſus eſſet, præſertim cum illatam ſibi a Cancellario iniuriam non ignoraret. Ad quas voces cum prudenter, ac ſummiſſe iunior Oxenſtierna, alioquin ſatis ſuperbus, reſpondiſſet, ſe iſtius rei prorſus ignarum eſſe, ſeque apud patrem operam ſuam collocaturum, vt Vbaldo ſatis fieret, remouit a ceruicibus ſuis intentatam, ac paratam vltionem. Interea Legatus Britannicus illum ſedulo admoneri curauit, vt niſi mature ex vrbe ac ditione illa ſe eriperet, periculum eſſe, ne vel ab Vbaldo, vel ab aliis Cæſareis militibus inuaderetur; cui conſilio ſtatim paruit. Dixit Legato noſtro Vbaldus, ſe ſi litteras, quibus ab Imperatore euocabatur, tunc cum Oxenſtierna tranſiit, accepiſſet, ſe ad ſatiandam vindictam, Imperatoris partibus acceſſurum fuiſſe, captoque Oxenſtierna atque Imperatori tradito, fidem ſuam hoc pignore nexurum atque addicturum fuiſſe.

Certe, cum per hos dies Gedanum appuliſſemus, quibus iunior Oxenſtierna tranſierat, audiuimus viros non ignobiles, qui dicerent, ſe conuiuio interfuiſſe, in quo Vbaldus baculum exhibuerat ac ſuſtulerat, quo ſe Oxenſtiernam percuſſurum fuiſſe diceret, niſi ſubmiſſe officialibus ſuis reſpondiſſet. I nunc, ac proceribus, miniſtriſque Regnorum inuide fortunam; quibus ab hominibus nullorum ſtemmatum tanta pericula creari poſſunt.

Memini Comitem *de la Garde*, Suecici exercitus Ducem, dicere Legato noſtro, hunc Vbaldum, & Artichauſſium, Colonellum Polonum, qui Meſuæ oppiduli præfectus erat, plus ſibi moleſtiæ facturos, ſi bellum gereretur, quam integros exercitus, ac ipſos ſiue Saxoniæ, ſiue Brandeburgi Electores.

XVII. Audiuimus non ignobilem pictorem, apud quem imaginem B. Virginis Alberti *Dürer* inuenimus. Eſt illa Angelis circum caput ſepta, dextra Chriſtum infantem, ſiniſtra floſculum album tenet. Minor eſt illi oculus ſiniſter, quod cur factum eſſet, cum interrogaret Legatus. Quandoquidem (inquit pictor) hoc ita eſt, recte ac cum ſumma ratione factum fuiſſe oportet: neque enim mihi huiusmodi artificem reprehendere licet, at admirari tantum, longiſſimoque, ſi poſſim, interuallo imitari.

Accepit litteras Illuſtriſſimus Legatus a March. *de S. Chamont*, quibus ferebatur, hanc pugnam in Lotharingia, de qua rumor vbique peruaſerat, veram non eſſe, Galaſſumque fame preſſum verſus Bohemiam receſſiſſe.

Aperitur ea die in tres dies ſequentes circum Metropolitanam eccleſiam mercatus, in quo omne genus infantilium nugarum proponunt. Huc omnes matronæ, ac virgines præcipuæ, ac etiam plebeiæ confluunt, emuntque, quod filiis, vel cognatis infantibus donent, quibus perſuadent, ſi erga naſcentem Chriſtum pii ſint, omne genus ludicrorum, ac bellariorum illis abunde affuturum, illis itaque hac ſpe illectis, in vigilia Natalis Dominici ieiunare perſuadent, & antequam dormitum eant, vel lancem, vel corbem menſæ, aut alibi apponunt, quo Chriſtus de nocte munera ſua conferat. Interim ſeruo, aut ancillæ campanulas in tibiis nectunt, qui per tenebras in infantium, qui id auide expectant, cubiculum cum ſonitu ſe inſinuet, ac tum demum pueri puellæque Chriſtum aduentaſſe autumant; & cum dies illuxit, magno cum gaudio, & exultatione munuſcula, quaſi cælitus allata, venerantur, ac deinde pertractant, eaque etiam vt plurimum, antequam dies elapſa ſit, effrinxerunt.

Eodem artificio famuli ſuas lances dominis, aut aduenis offerunt, vt ſuum Chriſtum, ſic loqui conſueuerunt, hoc eſt, ſua Xenia conſequantur.

XXV. Pie, vti Chriſtianos decet, natalem Dominicum tranſegimus. Interfuimus

terfuimus mane concioni Germanicæ, Processioni Dominici Corporis cereos gestantes, ac deinde ad Sacrosanctam mensam inter missarum solennia accessimus. A prandio vespertinis precibus, iterumque processioni, magno populi tam Polonici, quam Germanici concursu. Interim Lutherani in ecclesia maiore suas preces maximo vocum, organorum, aliorumque instrumentorum concentu, ad noctem vsque protraxerunt, quibus ob diei religionem (tametsi id maxime ob musicam cuperem) interesse non potui.

XXIX. Petrum Krugerum, insignem Mathematicum, adiit Illustrissimus Legatus cum P. Bergmanno: duas ille nobis sphæras, ex Copernici mente fabricatas, exhibuit, explicuitque.

Vltima die anni huius 1635. maximo gaudio perfusus sum, cum litteræ Baronis Auaugurii ad nos perlatæ sunt, quæ illum Elsingoram appulisse significabant. Nam horrenda tempestas, cuiusque paris apud homines memoria non extat, per hos dies, quibus e portu Pilauiæ soluerat, non modo mari Baltico, quod periculis ac scopulis infame est, sed & ipsi Oceano incubuerat: quippe in Oceano ad Noruegiæ plagas, sexdecim supra centum naues, octodecim vero in mari Baltico ad Bornholmiam insulam, periisse narrabant. Memorabat mihi per litteras suas Gernandus, discrimen quod in ipsissimo loco, ac freto per eos ipsos dies anno præterito subieramus, in istius recentis comparationem perexiguum fuisse. Credo, quia in illius sensu ac experientia, præsenti, istud recentius erat. Verumtamen in eo maius esse potuit, quod anno superiori, in fortissima, ac munitissima naue, quinquaginta, aut amplius nautas, ac remiges habebamus: cum miseri illi in tenui ligno, ad summum sex aut septem viros haberent, certe, cum istius nauigationis historiam intueor in litteris Gernandi, horresco relegens.

Ea ipsa die litteras Lutetia a fratre, a sorore, a Claudio Richello, atque a P. Bonartio iucundissimas accepi, ac per fausta illorum omnium vota, amicorumque aliorum commendationes, conclusi feliciter (quoniam ita placuit DEO) annum M. DC. XXXV. (138.)

DE

(138) Hic tandem finem imponit itineri suo Polonico optimos OGERIVS, qui non magnopere forte curans Latinitatem, magisque res quam verba ponderans, haud eleganter scripsit Latine, id quod ei, viro pragmatico, & Gallo iter facienti, facile quidem ignoscendum. Nescio vero vtrum hoc ei condonandum, quod tam multa itineri suo, plane haud necessaria, atque adeo nugas, quibusdam in locis, admiscoerit, nisi forte pro domestico suoque tantum vsu, ephemerides illas conscripserit. Parum enim refert posteros, scire, quibus diebus litteras ad fratrem amicosque in Gallia exararit, siue ab ab iis acceperit, vel quo tempore e lecto surrexerit, atque ambulatum sit expatiatus. Cui bono deinde fuit Cirembergii historiolas, vel potius nugas, referre, ad quas credendas nullus vnquam physicus verus inducetur, qui melius naturæ leges cognoscit, quam omnes eiusmodi fabularom narratores. Quid mirum, si homo colico morbo, spasmis, vel aliis cruciatibus inopinate corripiatur? Qood si vero vrsina pellis, vel culter, per centum & plura milliaria artificio quodam per aërem transportari possit, cur non & homo, aliæque res quæcunque? Et cum hæc fieri possint, cur principes in gerende bello hoc magno artificio, quo omnia ad animi proposita peragere possent, non vtuntur? Religioni scilicet sibi ducunt magis vti, qui certe stulti sunt, quod artem suam tantum apod plebeios pro numulis quibusdam exerceant, multa vero millia aureorum a principibus accipere recusent. Quæ amplius Angliæ regno, quam strophiola illa, tribus nodis reuincta, deficiunt? Sed Angli sine dubio ignorant, ventos in Suecia emi posse, ibique *de ventis & tempestatibus*, vt auctor noster ait, *esse negatiatores.* Quam physices ignorantia! credere, quod venti tempestatesque ab hominum arbitrio dependeant. Quando homo geometriæ expers tibi narrabit, in pago quodam esse rusticos, qui triangula rectilinea describere sciant, quorum anguli simul sumti excedunt summam 180. graduum, tunc vel ridebis, melioca doctus, vel fidem ignoranti ignorans adhibebis, præcipue si testimonium prætoris, viri fide digni, accedat.

Finis Itineris Poloniti.

XVI.
DE FLVVIO
MEMELA LITHVANIÆ
QVI CVRA ET INDVSTRIA

Generosi ac Clarissimi VIRI DOMINI NICOLAI TARLO, manibus permeabilis factus est.

Carmen elegiacum.

AVCTORE

ADAMO SCHROETHERO SILESIO.

CRACOVIÆ
Lazarus Andreæ excudebat.
M D L I I I.

GENEROSO
AC CLARISSIMO VIRO

Domino NICOLAO TARLO de Sczekarzowice, Signifero Præmisliensis S. M. R. Aulico Hæredi in Arce Laski, &c. Domino suo obseruandissimo, Adamus Schroetherus Silesius.

NVLLI DVBIVM ESSE POTEST, *Magnifice ac Generose Domine Tarlo, eam demum veram, perfectam & solidam esse laudem, quæ a viris laudatis proficiscitur. Cum igitur omnium ore, a viris magnis, excellentibus, ac omnino laudatis, ob singulares & animi & corporis tui dotes, ob singularem prudentiam, eruditionem, & doctrinam, plurimarum rerum vsum, & experientiam, animique magnitudinem, virtutem, & industriam, cum aliis plurimis & arduis in rebus, tum praesertim maximeque quod iam fortissimo animo, infracta & insuperanda virtute, singulari consilio, & prudentia, & laboris constantia fluuium Memelam, qui prius scopulis eminentioribus innauigabilis, permeabilem & nauigationibus aptum perfeceris, te magnis & eximiis laudibus euehi, praedicari, & in cælum vsque extolli audias: Propterea, quod ex ea re, magna commoda, & infinitae vtilitates, non tam populis Lithuaniae, & negotiatoribus, quam toti regno, regioque ærario prouenturae sint: iure tibi gratulari debes, diuinitus virtutis tuae tam graues testes tibi contigisse. Quantam enim voluptatem, optimum & sapientiss. huius regni Principem* SIGISMVNDVM AVGVSTVM, *ex his tuis meritis coepisse existimas? Qui cum pro sua singulari sapientia intelligat, quibus in rebus vera gloria posita sit, haud dubie felici euentu harum rerum mirifice commotus est. Et quamuis semper plurima praeclari ingenii ac voluntatis optimae, signa in te perspexerit antea, tamen postquam tua virtus, iam quasi ex vmbra in solem, ac quodammodo in aciem producta, multo illustrior facta sit, longe maiori studio, te complexurus est. Ego igitur tum non solus S. R. M. tuam virtutem admirari, sed & omnes bonos magnifacere & laudare videam, veluti vnus de populo, te propter has virtutes, & admiror & amo: meque non exiguum operae pretium facturum videor, si & meo suffragio, pro qualicunque ingenii mei tenuitate, praeclaram tuam famam ce-*

lebrem: indignum videlicet existimans, istam tuam egregiam laudem non ad omnem posteritatem propagari debere. Nam hic honor debetur virtuti, ne patiamur eam oblivione obrui. Et quamuis bona fama ad aliquod tempus durat, tamen nisi haec eadem literis consecrata posteritati commendetur, temporis diuturnitate & iniuria tandem intermoritur. Quae vero literis & Poëtarum monumentis mandantur, multo stabiliora sunt, neque vllo æuo obliterari possunt. Quis enim Alexandrum magnum, eiusque praeclara & ingentia facta, qui in breuissimi temporis spatio, totum terrarum orbem suo subiecit imperio, nosset? Quis diuum Iulium non minori virtute & fortuna præditum? quis Hectora & Achillem? quis præterea multos excellentes viros? quorum catalogum hic recensere, perlongum foret, quorum aliqui pro salute Patriae & Reipublicæ maxima subire pericula non dubitarunt, qui extima & plurima infortunia, pro iuuanda, amplificanda, & liberanda patria sustinuerunt. Quis, inquam, tot tamque praestantes viros nosceret? quæ nam esset horum per tot saecula memoria? nisi doctorum hominum studio, perpetuae memoriae consecrati essent. Sunt enim multi & magni viri, qui multum virtute prudentia, magnisque animi & corporis dotibus valuerunt, vt vel magnum etiam præstent Achillem, quorum memoria, ob hanc vnicam saltem causam, quod literis & sacro Musarum praeconio non comprachensa est, omnino intercidit. Quod et Horat. lib. 4. Od. testatur, inquiens: Vixere fortes ante Agamemnona multi, sed omnes illachrymabiles vrgentur, ignotique longa nocte, carent quia vate sacro. *Cum itaque et ego videam, tuam Magnific. omni studio, industria, animique viribus, omni denique conatu, in hoc vnicum incumbere, huic vnico deditam esse, vt virtute et magnanimitate tua, et singulari animi corporisque fortitudine, commoda et vtilitates totius amplissimi Regni Sarmatiae amplificare, dilatare, augere, et promouere in dies magis magisque possis, idque nullam aliam ob causam, quam vt honestam et nunquam intermorituram famam (quae omnibus diuitiis aliisque rebus pulcherrimis præstat, cuiusque maxima est habendi ratio) tibi compares; hoc breui et exiguo carmine, tuas laudes extollere, et memoriae prodere volui. Et quamuis mei* iuuenilis ingenii vires *tantæ non sunt, vt animi tui magnitudinem æternæ memoriæ, satis sufficienter commendare possint, malimque ego ipse ex aliis talis quidpiam, quod sit operæ pretium, audire, quam meum sermonem ingerere: tamen magnif. tuam, Vir generosissime, maiorem in modum, pro singulari tua humanitate, oro, vt hoc meum* iuuenile ludicrum, *pro tua excell. ntia humanitate, grato animo suscipere, approbare, defendere, et a maleuolorum calumnia, tuo patrocinio vindicare non digneris. Sunt enim haec tempora iniquissima nostris studiis, quibus magnanimos viros, qualis et tu es, fauere decet. Omnis et honestarum artium tutela ipsis commissa est. Ad tuam igitur fidem atque humanitatem, licet antea prorsus, ignotus, nulloque familiaritatis vsu tibi deuinctus, sed sola egregiae tuae virtutis fama, quæ omnium ore celebratur, ad lu tus & impulsus, confugio, speroque, neque tibi, neque aliis honestis, et candide iudicaturis viris, hoc meum studium (quo primam officiorum meorum significationem exhibere volui) ingratum, sed omnino acceptum fore. Quod si a tua Magnitud. fieri perspexero, posthac, ceu stimulis impulsus, ea quæ maius laudis et gloriæ incrementum, non tam tuæ Magnificentiæ, quam toti Sarmatiæ Regno, allatura sunt, aggrediar. Postremo me meaque studia, tibi aliisque bonis et honestis viris, quibus omne meum studium, et industriam animi defero, humiliter commendo. Deum Optimum Maximum votis ardentibus oro, vt Magnificentia tua Nestoreos feliciter annos valeat, virtutisque tuæ egregia laus et gloria, apud omnes, vberiore cum incremento, et gratiarum actione dilatetur, et innotescat.*

Datum Cracouiæ 6. Calendis Augusti
Anno MDLIII.

DE

DE FLUVIO

MEMELA LITHVANIAE QVI CVRA & industria Generosi, ac Clarissimi viri Domini NICOLAI TARLO nauibus permeabilis factus est.
Carmen Elegiacum.

AVCTORE ADAMO SCHROETHERO, SILESIO.

EST locus vmbrosis circumdatus vndique syluis,
Hic, vbi littoreas Istula voluit aquas.
Quo nullus Grachi iucundior extat ad vrbem,
Auxiliare liquet numen inesse loco.
Sæpius hic celebres, clarissima turba, Poëtæ
Fingunt tranquillæ carmina mentis opus.
Dum pius hic chari laudes meditatur Iolæ,
Complacet & Domino qualibet arte suo.
Dum cupidus teneræ formam canit alter amicæ,
Optat & vt placito possit amore frui.
Hic quoque me Vatum vestigia prima sequentem
Delectat varia conditione locus.
Cuius ad arcanos, viridi sub fronde, recessus,
Mouimus hesterno musica plectra die.
Dumque Sigismundi famamque decusque potentis,
Qui regit imperio, Sarmata regna, cano.
Dumque laboro Ducum mihi conciliare fauorem,
Quemlibet, & studiis demeruisse meis,
Dumque precor triplici trinum modulamine numen,
Vt Regni, maneant candida fata, statum.
Dulcibus impletur subito concentibus aër,
Gratius humana voce sonatque melos.
Audio festiuis mulcentem plausibus auras,
Et dare nescio quem, carmina læta, chorum.
Quidquid id est, inquam cœlo descendit ab ipso,
Humanæ superat, quodlibet artis opus.
Progredior, rerum succensus amore nouarum,
Quis precor his præsens (si queat) esse neget?
Progredior, sonitumque sequor, sonitumque sequendo,
Ad ripas venio lene fluentis aquæ.
Hic Arethusa choros, hic Xantho, Lysis, & Opis
Ducit, & ad numerum commouet apta pedes.
Hic Ephyre, Drymo, fontanaque numina circum
Saltant, his etiam cærula Doris adest.
Plurima Nereidum ludebat in amne Dearum,
Mirificis aliæ dum cecinere modis.
Præterea niueæ circum caua littora Nymphæ
Nectebant facili, laurea serta, manu.
Cumque salutarent te fluminis Istula regem,
Edidit harmonicas Callianassa notas.
Ipsa sed, o aliis quantum formosior, Ægle
Nescio quos læto protulit ore sonos.

Adde quod & Dryades aderant, hilaresque Napææ,
Nec Pan, cum Satyris, saltibus aptus, abest.
Hæc ego conspiciens, propius vestigia verto,
Nobile concipiens, aure patente, melos.
Cumque susurrantes dubius spatiarer ad vndas,
Hæc noua lætitiæ, quid sibi signa velint;
Nympharumque chorus tantum cur gaudeat, & quæ
Excitet æquoreas vndique causa Deas.
Ecce caput raucis vdum pater exerit vndis
Istula, conspicuum reddit & ore vadum.
Et quamuis vrnam manibus, sceptrumque tenebat,
Ob maiestatem plusque verendus erat.
Attamen vt dubium me circum littora vidit
Humida, solertes ferre, referre pedes.
Talibus ipse meas implet sermonibus aures.
Optime Pierii cultor Adame chori,
Accipe quæ noua sint festiui gaudia plausus,
Accipe cur resonant carmina læta, Deæ.
Non abit vlla dies quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et veniat quidquid numinis vnda fouet.
Illa Sigismundi, tali mihi Principe dignas
Enumerat dotes, ingeniique decus.
Omnibus hæc narrat quam iustus, & omnibus æquus
Regnet, & in miseros quam pius esse solet.
Tertia commendat studium virtutis auitæ,
Et veram pura cum pietate fidem.
Præterea memorat quam sacras Palladis artes
Sedulus assidua sedulitate, colat.
Et quanto semper doctos dignetur honore,
Quorum mens rerum cognitione nitet.
Principis vnde sibi nomen sapientis adeptus,
Et palmam summæ nobilitatis habet.
Altera Sarmatici canit aurea sæcula Regni,
Rege sub hoc nullis interitura malis.
Commemorant aliæ curam, quam strenuus omnem,
Pectoris & studium concitet omne sui.
Inclyta ne Regni Respublica corruat vnquam,
Salua sed vt stabili sit, maneatque pede.
Vt sua, Posteritas olim, serique nepotes,
Pectoris infracti Regia facta sciant.
Hæcque Polonorum dum prospera tempora laudat,
Lithuaniæ clarum prædicet illa statum.
Nam quæcunque prius Litauis incognita terris,
Priuabant summos vtilitate viros.
Vel quæ tractandis semper nimis ardua rebus
Visa, vel humana non superanda manu.
Hæc modo iam partim lucem produxit in ipsam
Cura Sigismundi consiliumque Ducis.
Suntque Luthomirski studio, vigilique labore,
Commoda per varios multa parata locos.
Ille vir Æmonium virtutibus æquat Achillem,
Æquat, & egregios nobilitate viros,

Ioannes Luthomirski S. R. M. curiæ thesaurarius.

Hic

Hic vt tergeminum Regis dilatet honorem
Nititur, & Regni sedulus auget opes,
Alter & eximiæ Petrus virtutis alumnus
Id studet, vt Regni promoueantur opes.
Namque Sigismundo dum vult placuisse potenti,
Nullum curarum ferre grauatur onus.
Non abit vlla dies, quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et veniat quidquid numinis vnda fouet.
Hæc & plura mihi dum quælibet ore recenset,
Sarmatiæque rogant, candida fata, Duci.
Nunc at habent alias ad dulcia iubila causas,
Cum Nymphis Dryades, Mereidesque Deæ.
Nunc & habent homines cur dulcia iubila cantent,
Et reddant Domino, carmina læta, Deo.
Inter ego claros non vltimus Istula Diuos
Gaudeo, res fructu non caret illa suo.
Et tu si Superos tantum Schroetere vereris,
Ede profecturo gaudia nostra stylo.
Ortus apud Grodnæ sinuosus Memela fines,
Saxoso Litauas perluit amne plagas.
Præterit, & Caunæ loca mercatoribus apta
Vrbis, & inde tuos Prussia stringit agros.
Inuius hic semper, nec nauibus vtilis vllis
Et propter rupes & fera saxa, fuit.
Hunc aggressus erat Heroum maximus ordo,
Tentauit durum quisque laboris onus.
Peruius at postquam, nullaque meabilis arte
Visus, opus fortes destituere manus.
Regales vero cum posset reddere fructus
Si foret excultis, nauibus aptus, aquis.
Ecce, potens, quo se gens fert Tarlouia claram,
Tarlo, sui studium pectoris omne parat.
Pectoris omne parat studium, vigilique labore,
Naturæ solidum frangere tentat opus.
Tentat, & infracta rem mente fatigat, at illam
Euentu multi posse carere putant.
Dum tamen inuidiam spernit virtute parandam,
Dumque vocat faciles, in sua vota, Deos.
Vincit & assiduo cedit natura labori.
Memela nunc spatio liberiore fluit.
Quique prius rupes, & inutile pondus alebat,
Nunc vehit omnimodas, nauibus aptus, opes.
Nunc merces varias, plenis vehit amne phaselis,
Multaque vicinis fert alimenta locis.
Hoc opus attulerit Regni quot commoda gazis,
Et quantum Litauos vtilitate iuuet,
Quantumuis Dryadesque velint, viridesque Napææ
Nulla potest certis enumerare notis.
Præterea Tarlo gelidas vbi Memela ripas
Stringit, habet gratis pinguia rura locis.
Hæc poterunt Domino maiores reddere fructus,
Ditabit mira Memela gratus ope.

Petrus Chwalicowski magnus Procurator Magni Ducatus Lithuaniæ.

Nicolaus Tarlo.

Quantumuis famam tanta virtute paratam
Non vllo pretii tempore vincet honos.
Propterea Schroetere vides, resonantia plectro
Carmina cæruleas concelebrare Deas.
Gaudent, seque volunt nostris æquare Deabus,
Quod vaga iam puro flumine regna colent.
Sæpe quod humanas poterunt & carpere voces,
Mulcebit quoties nauita lætus aquas.
Adde quod & placidas florentia serta per vndas
Sæpius a populo prætereunte, ferent.
Hinc etiam Satyri, syluestria numina, læti
Ducunt lasciuos per iuga summa choros.
Lignorum poterunt plenis excludere syluis
Pondera, quæ cupido deferet amne ratis.
Sic varios hominum genus hæc aptabit ad vsus,
Sic Satyrique ferent apta theatra iocis.
Omnia iam rerum lætantur, & omnia gaudent,
Turbaque Nympharum, Naiadumque chorus.
Nulla dies & erit quin huc mea gaudia Nymphæ,
Nicolaus Tarlo.
Et veniet quidquid numinis vnda fouet.
Magnificasque ferent miro modulamine laudes
Tarlonis, summi clara per astra Poli.
Ante licet magnum sua cognita fama per orbem
Viuit, & ad Solis vergit vtramque domum.
Vel quod magnificis, clarisque parentibus ortus,
Et genus a summis nobile ducit auis.
Vel sua quod virtus varias laudata per oras
Existit, pretio nec caret illa suo.
Multorum mores, multas quod vidit & vrbes,
Et didicit linguis quatuor ille loqui.
Quod vacat & sacris, concessa per otia, Musis,
Palladia multum laudis ab arte ferens.
Præbet & hospitii depulsis iura Deabus,
Et doctos certa conditione iuuat.
His, aliisque licet clarus virtutibus, inter
Magnanimos habeat nomina clara Duces.
Attamen ingentes æterno Carmine grates,
Et sibi dum Nymphæ, Naiadesque parant.
Audiet ista patens conuexi machina cœli,
Quidquid & occasus quidquid & ortus habet.
Iam mercatores quidam, qui commoda Regni
Tractant, hauserunt auribus illa suis.
Mirantur, quod, quæ nulli superanda putarant,
Tarlonis studio iam superata vident.
Mirantur, laudantque virum, statuuntque trophæa,
Signa per æternos non abolenda dies.
Dumque sibi cupidi prosperrima quæque precantur,
Pocula, proque viri multa salute leuant,
Quid facient alii, quos Regni publica tangit
Cura, Palatini? magnanimique Duces?
Quotque dabit meritas Maiestas Regia grates?
Quo dabit & dignum semper honore frui?

Præ-

Præmia me certe nam iudice multa meretur,
Dignus ob id tota posteritate legi.

Nicolaus Radziwil Dux in Olika Palatinus Vilnensis.

Quas Radiuillus aget gratanti pectore grates?
Cuius fœcundos Memela lambit agros.
Qui Radiuillus habet nullum virtute secundum,
Princeps, consilio, diuitiisque potens.
Qui licet a claris titulos proauis, atauisque
Et genus inuictæ nobilitatis habet.
Vt sua vel totum sint nomina nota per orbem,
Stemmatis & clari, dextera fama, sui.
Nam sibi nobilitas concessit, & inclyta virtus
Vt tria cum gemino cornua pisce gerat,
Cornua, venatrix quibus vtitur ipsa Diana,
Cum generosa truces cuspide figit apros.
Addita cornigeræ sunt aurea lumina Lunæ.
Ferreus & fortis calceus vnus equi.
Heroum quæ sunt insignia vera potentum,
Magnorum quæ sunt præmia vera Ducum.
Non tamen hac fuerat palma contentus auorum
Nec ratus est fortes ista decere viros.
Sed sibi cura fuit propria virtute, manuque
Nobilium verum posse parare decus.
Ergo diuersi dominator Carolus orbis,
Vidit vt infracti, fortia facta, viri.
Hunc quantum potuit signis ornauit opimis,
Addit & claro nobile stemma Duci.
Addidit & titulis Aquilam pernicibus alis,
Qualem Ferdnandus Cæsar in orbe gerit.
Insuper adiunxit galeas ex ordine trinas,
Qamlibet ex merito, pulchra corona decet.
De quibus ascendit mediam Iouis ales, & huius
Erectum præstans fert diadema caput.
Estque leo primæ, rapidum tenet altera Gryphem,
Ista decent fortes, fortia signa, Duces.
Este nec immemores vos qui vaga rura tenetis,
Memela qua placidis labitur altus aquis.
Vos duo Slucenses, claro de stemmate fratres.

Georgius & Simeon Duces Slucenses.

Vester vt æterno tempore duret honor.
Cingite Tarlonis victrici tempora lauro,
Signaque gratificæ plurima mentis eant.

Georgius Wyrszylo Castellanus Vilnensis.

Tu quoque nobilium lumenque decusque virorum
Virszylo, quem Litaui, Sauromatæque colunt.
Quem tantis opibus, fœlicia fata, bearunt,
Diuitis vt superes splendida quæque Mydæ.
Profer amabilibus gratantia carmina verbis,
Nobile Tarlonis nomen ad astra ferens,

Nicol. Radziwil Palatinus Trocensis.

Et qui Trocenses recte Radiuille tueris,
Dum tibi Tarlonis cura laborque placet.

Stanislaus Kiszka Palatinus Wytebscensis.

Et tu, quem summis virtus Heroibus æquat,
Qui populi curam Wytebiensis agis.
Edite iam gratam testantia iubila mentem,
Edite iam multis iubila læta notis.

L l ll ll ll l Qui

Stanislaus Kiszgal, Pocillator Magni Ducatus Lithuaniæ.

Hieronymus Chotkiewitz Castellanus Trocensis

Hieronymus Korycki, Magister equitum S. Regiæ Maiestatis.

Quique tuum Kyszgal caput inter nubila condis
Virtutis certa dexteritate tuæ.
Gaudia multa velis variis effundere signis,
Materiam plausus cur mediteris, habes.
Tuque potes dignas, præstans Hieronyme, laudes
Tarlonis grato concelebrare modo.
Et sibi pro tali studio, talique labore,
Grates sinceris dicere nominibus.
Nil minus egregia clarus virtute Koryczki
Tarloni grato pectore gratus erit
Vos etiam quibus est commissa potentia rerum,
Inclyta Sarmatici regna per ista soli.
Si clarum patriæ bene custoditis honorem,
Si quid vos Regni, prospera fata, mouent.
Vnanimi meritas persoluite pectore grates.
Et date sacrificis, thura Sabæa, focis.
Et, qui Tarlonis, summum laudate parentem,
Noluit euentu facta carere suo.
Dumque viro fœlix, faustumque rogabitis æuum,
Nomina Tarlonis nescia mortis erunt.
Istula qui fluuios inter sum maximus omnes,
Quos colit, aut vnquam Sarmatis ora colet.
Tarloni semper fœlicia fata precabor,
Dum mea Sarmaticos vnda rigabit agros.
Nulla dies & erit quin huc mea gaudia Nymphæ,
Et veniet quidquid numinis vnda fouet
Actaque magnanimi referent Tarlonis, vt ille
Longæua possit posteritate frui.
Ergo age quod Nymphæ faciunt viridesque Napææ,
Istula quod facio, quis sibi turpe putet?
Hos & mansuris mandes Schroetere libellis,
Quos tibi sincero fudimus ore sonos.
Dixit, & vmbrosis subito caput ingerit vndis,
Et sua Nympharum quælibet antra subit.
At postquam calamo, quæ iusserat ille, notaram,
Scripta dedi rapido nostra ferenda noto.
Vt quascunque notis agitata ferentur ad oras
Nobile Tarlonis nomen in orbe canant.

FINIS.

RE

XVII.
REGNI POLONIÆ
SALINARVM VIELICIENSIVM DESCRIPTIO CARMINE ELEGIACO.

Iam denuo ab Auctore, Adamo Schroetero, Silesio, Poëta Laureato & Philosopho reuisa & aucta.

LECTORI

Quæ sacra sint arcana salis quis & illis vsus,
Certior hoc lecto carmine LECTOR eris.
Quisque Salinarum sit prudens ordo statusque
Hic docet, enumerans pauca, sed apta, liber.

CRACOVIÆ
Ex Officina Typographica Mathiæ Wirzbiętæ. Anno a Christo nato 1565.

AQVILA SIGISMVNDI AVGVSTI REGIS POLONIÆ &c.

Candida sanguineo sibi quid velit ales in horto?
Ales, quæ summi est fida ministra Iouis.
Seruit vt illa Ioui, sic seruit & illa potenti
Augusto, Regi, terra Polona, tuo.
Hinc & bellatrix sequitur victricibus alis
Quo sua cunque loco castra virosque locat.
Victoremque notat, quia sanguine candida gaudet,
Hanc in sanguineam, Dii posuere domum.

INVICTO AC POTENTISSIMO,
SIGISMVNDO AVGVSTO, DEI GRATIA REGI POLONIÆ:
M. D. Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazouiæ, &c. Domino ac Hæredi.
Regi ac Domino suo clementissimo.

ADAMVS SCHROETERVS SILESIVS, POETA LAVREATVS

Consueuerunt plerumque Poetæ non vulgares, SIGISMUNDE AUGUSTE, *Rex Serenissime totius potentis Sarmatiæ summum decus et columen, vel Heroas inclytos, quorum, patrocinio et fauore fruuntur, vel admirandam dispositionem, situm, et delicias locorum, in quibus versantur, suis lucubrationibus notiora exteris reddere, et posteritati commendare. Horum ego morem et consuetudinem, omnibus ingenii mei viribus, etiam inter grauiora studia, ita obseruare et sequi studui, ne quis merito me id, quod munus et ipsa studiorum meorum ratio postulare videtur, neglexisse, aut silentio præ-*

teriisse, dicere possit. Quapropter, Rex serenissime, cum in hoc inclyto Poloniæ Regno Musis humanioribus deditus, diu viuam, duabus iam præcipue rationibus adductus, hoc studiorum meorum specimen ingeniique fœturam in publicum edere volui. Primum vero, vt quædam huius Regni ornamenta, quæ non paruam sua vtilitate laudem merentur, exteris per mea scripta, magis nota esse possint. Deinde vt et multorum clarorum virorum de me susceptæ expectationi satisfociam. Salinas igitur Wielicienses, admirondo naturæ fæcunditate fertiles, quæ vigili prudentia, consilio, ac studio Magnifici, ac Clarissimi viri, Hieronymi Buziuski, multos iam per annos feliciter coluntur, reguntur, semperque in maius euehuutur, describendas Musis meis proposui. Has igitur subito notatas calomo, Rex Serenissime, Maiestati tuæ dedico, Regioque tuo subsicio potrocinio, vt multi Maiestatis tuæ authoritate adducti, honc descriptionem legont libentius, maioremque scriptis adhibeant fidem. Quamuis vero longe pretiosiori munere dignus es, tamen Regia Maiestas tua, hoc meum exiguum scriptum lœto suscipere vultu, ne dedignetur, magisque donantis animum, quom donum ipsum aspicere velit. Sique hoc scriptum meum a Regia majestate tua clementi susceptum intellexero animo, studebo, vt aliquando scripta, quæ maiorem gloriam et lucem M. T. et potentissimo Sarmatiæ Regno odferont, sequontur. His Sereniss. R. M. T. DEO Optimo Maximo patri luminum, humiliter commendo, qui tibi omnibusque tuis gratiam et pacem, & amplissimum Regni tui iucrementum, per Filium suum vnigenitum Iesum Christum, in salutem totius Christianæ Reipublicæ felicissime lorgiatur.

Datum Cracouiæ Idibus Maji Anno M. D. LXIIII.

MAGNIFICO, AC SPECTABILI DOMINO,

DOMINO HIERONYMO BUZINSKI Sacræ Regiæ Maiestatis Secretario & Supparo Cracouiensi, Domino & patrono suo optimo.

QVem tua te summis virtus Heroibus æquat
Stemmate Buzini, consilioque potens.
Magnanimos inter non vltima fama Polonos
Quos tulit, aut vnquam Sarmatis ora feret.
Qui tantum claris superans virtutibus omnes
Buzinæorum quos tulit alta domus.
Quantum Sol stellas vincit splendore minores,
Et prior est celeres pegasus inter equos.
Felicem quicunque suum post funera nomen
Viuere Pieridum munere posse, videt.
Felicem, cuicunque facer contingere vates
Et potuit Clarias demeruisse Deas.
Herculis ante dies quis nescit & Hectoris ante
Illustres meritis occubuisse viros?
Stemmate qui clari, qui consilioque potentes
Publica priuatis præposuere bonis.
Et charos armis qui defendendo penates
Tristia pro patrio multa tulere solo.
Quique forisque domique graues in rebus agendis
•auxerunt patrias commoditate plagas.
Attamen illorum, longæui carmine Vatis
Nomina quod careat, nocte sepulta iacent.
O infelices, o terque quaterque dolendos!
Quorum perpetuis noctibus acta latent.

Quid

Quid iuuat Heroas virtutibus vndique claros
Insignesque fero Marte fuisse duces?
Quid iuuat ob patriam, quid charos propter amicos
Tristia diuersis multa tulisse malis?
Ignoti tenebris cum nocte premantur & alta,
Nunc fama miseri, qua celebrentur, egent.
Ne vero Generose tuas Hieronyme laudes,
Et tua ne patiar nomina nocte premi.
Vt sit proque tuo tibi gratia digna labore,
Qui vigil & regni, Regis & auget opes
Assidua curas dum sedulitate salinas,
Nec summum illarum ferre grauaris onus.
Accipe, quem salsi montes genuere libellum,
Accipe de meritis carmina facta tuis.
Quidquid & occasum, quid Solis & iocolit ortum:
Hic te cum sera posteritate leget.
Qui generosa tuæ mirentur nomina stirpis
Quique tibi fatum molle precentur, erunt.
Tu modo qua bonitate soles, ne desere Musas
Mæcenas summo sanguine nate, meas.
Sic quem sincero veneraris pectore, Christus
Concedat vitæ, prospera fata, tuæ.

SALINARUM VIELICENSIUM
DESCRIPTIO

per ADAMUM SCHROETERUM SILESIUM, Poetam Laureatum.

TEmpora paulatim nocturna minora diurnis
Fecerat igniuomis, Lucifer almus, equis.
Et stellate tuis aries discesserat oris, *(Sol in Tauro.)*
Ignea dum tauri regna calentis adit.
Iamque latent Hyades, quæ nomen ab imbre tulerunt, *(Suculæ occultantur.)*
Hæ quia continuis imbribus ora rigant.
Et cum sole simul, nitido procedit ab ortu *(Pleiadum media cum sole oritur.)*
Pleiades in medio quam statuere suo.
Tempus odoriferi veris iucundius extat,
Et spirat pulso mitior aura gelu.
Quando nouenarum tibi delphice Phœbe sororum
Talia ductori verba diserta, loquor.
Quod faustum, felixque meis sit & vtile cœptis
Phœbe, parens cytharæ dulcisonantis ades.
Sæpius vtque soles tenero succurere vati,
Mite, meum firmet, te duce numen, opus.
Doctarùmque choro facilis permitte Dearum,
Aspiret votis dexter vt ille meis.
Vtque mihi semper promptas in carmine vires
Præbuit, aonio plectra regente, stylo.
Sic ferat auxilium oostris iam versibus æquum,
Dictet & egregium, voce sonante, melos.
Quid iuuat hic humiles inter sterilesque myricas
Serpere? sublatum iam petat astra caput.

Qui loca Parnaſſi ſuperauerit ardua montis,
Cinxerit & lauro non moriente comas.
Effugiet tenebras, vitaque fruetur in æuum,
Contemnetque tuas mors truculenta minas.
Hæc eſt nobilitas, quæ tendit ad ignea cœli
Aſtra, nec eſt vllis interitura malis.
Hancque petam, finem ſi ſors minus æqua petitum
Deneget, attamen id me voluiſſe ſat eſt.
Non datur optatam cuiuis contingere metam,
Interdum votis accidit eſſe parem.
Laudo voluntatem, nec acumen nobile mentis
Improbo, cordatos ſors iuuat ipſa viros.

Viliſcum. Eſt locus hunc veteres dicunt, noſtrique Viliſcum,
Millia qui Grachi diſtat ab vrbe duo
Huc recto ducam faciles ego tramite Muſas,
Hoſpitio poterunt conueniente frui.

Sal triplex. Diuina cultas luſtrabimus arte ſalinas,
Vnde venit triplicis copia larga ſalis.
Harum præfectos, cultores. atque magiſtros,
Nil minus & magni grande laboris onus
Experiar, memorique vigil mihi mente reponam,
Senſero quæ ſcriptis eſſe notanda meis.
Hæc vt nota magis magno memorentur in orbe,
Nam ſunt æterno carmine digna cani:
Auſpiciis igitur pulcherrime Phœbe ſecundis,
Hoc mecum diuas ire iubebis iter.
Quid precor impediat?quid ſponte volentibus obſtet?
Te duce, nulla ſuum ferre grauatur onus.
Non teneras nimium lædent torpentia plantas
Frigora, nec damno Syrius vſtus erit
Diffugere niues, campis & amœna ſolutis
Gramina iam redeunt, & viret omnis ager.
Vernus & heſperio Zephyrus procedit ab orbe
Pictaque diuerſis floribus arua rubent.
Ecce mouent choreas ad concaua littora Nymphæ.
Mollibus ornatæ tempora pura roſis.
Semideæ rident Dryades, viridesque Napææ,
Dulce ſonat gratis & philomela modis.
Hancque iubent Satyri, montanaque numina Panes.
Propoſitam nobis continuare viam.
Iamque ſatis Grachi regalia vidimus vrbis
Mœnia, magnifici deliciasque loci.
Cuius ego repetem ſi ſplendida quæque decusque
Cultores varia quæ ratione iuuant,
Vix poſſem paucis procul eſſe diebus ab vrbe,
Quis tanta nollet commoditate frui?
Sed cum Sarmatici iam nobilis ordo ſenatus,
Et ſua quisque Ducum regna domusque petat.

Finis conuentus Cracouienſis. Nos quoque Grache tuos breue tempus linquere muros,
Poſſe puto, pretium fama perennis erit.
Nam licet exiguum, paruumque ſubibo laborem,
Effugiet ſummos, attamen ille rogos.

Nobis.

Nobiscumque potes comitantibus ire Deabus,
Si placet hos Phœbo fudimus ore fonos.
Annuit, en adſunt ad vota petita ſorores,
E quibus Euterpe talibus orſa loqui.
Cultor Apollinei generis Schrötere, quod optas,
Simus vt ad placitum turba parata tuum.
En ſumus, & faciles tua iuſſa capeſſimus omnes,
Inceptum fauſte perficietur opus.
Namque diu volui, voluit chorus idque Dearum,
Quas veneror cultu conueniente, ſoror.
Perpetuis celebres vt verſibus eſſe Salinæ
Poſſent, & longa poſteritate legi.
Namque Sigiſmundi florent hoc tempore Regis.
Hunc & inaudita fertilitate beant.

Trecentis annis fuiſſe ſalinas.

Trecentos quamuis ſtabiles præclara per annos,
Sint ſolitæ domino ferre tributa ſuo.
Hæ tamen idcirco nil decreuere, ſed altas,
Dant velut e cornu diuite ſemper opes.

Salinarum dignitas.

Semper opes præbent ſalſas e diuite cornu,
Quæ ſuperant aurum Pannonis ora tuum.
Aurifer his longe cedit Pactolus & Hermus,
Cedit & ipſa rubens diuitiis vnda Tagi.
Deſcribunt alii Cyri monumenta Poetæ
Quidquid & egregii, labilis orbis habet
Ille iocos fingit molles, hic nubibus æquat
Regia Mygdonii laudibus æra Mydæ.
Ære quidem fateor venduntur & ære parantur
Omnia, quæ mira conditione iuuant.
Improbo nec tyrio ſaturatas murice veſtes.
Nec gemmas rubei quas tulit vnda maris.
Omnia quæ docto deſcribunt carmine vates,
Dum petit ingenio quilibet alta ſuo.
Quale ſed ipſe tibi nomenque decusque parabis?
Commoda ſi referes ordine certa ſalis.
Quique Salinarum ſit prudens ordo, ſtatusque
Augeat, & ſalſas quis labor acer opes.

Sal quid & vnde.

Ergo ſalis quicunque cupis cognoſcere dotes
Vnde ſit, & quid ſit ſal, quid & illud agat.
Da noſtris faciles tacitus ſermonibus aures,
Ex verbis poteris doctior eſſe meis.

Creationis modus.

Eſſet cum rerum rudis, indiuiſaque moles,
Vnicus & toto vultus in orbe foret.
Amplius & nollet, verbum DEVS ipſe, latere,
Incepit ſacro talibus ore loqui.

Fructus cœli.

Sit cœlum: cœlumque tuos protrudere fructus
Incipe, ſol ſubito lunaque facta fuit.
Condidit & terram, dedit & ſua ſemina terræ.
Seminis vt fructus pro ratione ferat.
Poſthac fecit aquas, his lucidus additur aer,
Seminibus propriis omne repleuit opus.

Dies.

Diffugiunt radiis tenebræ ſolaribus actæ,
Et maius voluit lumen habere diem.

Nox. Decedente suas recipit nox sole tenebras,
Luna tenebrosis frigida gaudet equis.
Cœlum. Firmauit cœlum varie fulgentibus astris,
Terra. Stellifera est duplicis machina tota poli.
Tellurem voluit solidam, quod posset aratro
(Namque hominem debet terra fouere) coli.
Aqua. Vnda tulit pisces, sal, gemmas, atque metalla,
Ex liquido hæc ortum singula nata trahunt.
Præterea iussit liberrimus esset vt aer,
Aër. Libera quo per eum quælibet iret auis.
Hæc Verbo DEVS Omnipotens elementa creauit
Quatuor, in sese quicquid & illa fouent.
Cum donis elementa suis, quod credere multis
Durum est, sed verum, crede, probanda loquor.
Verbum fiat factum triplex corpus. Non sunt ex nihilo, sed sunt ea condita verbo,
Quod verbum statuit conditor esse triplex.
Isque triplex verbum qui dixit trinus & vnus
In tria diuisum fecit id esse, DEVS.
Sal, sulphur, & Mercurius aut liquor, tria prima omnium rerum. In tria, diuisit triplici DEVS omnia verbo,
Corpora, quæ rerum machina grandis habet.
In sal quod primum est, in sulphur Mercuriumque
Hæc tria, sal, sulphur, Mercuriumque nota,
Hæc tria prima nota, tu qui cupis abdita rerum
Discere, quique vigil tollis ad astra caput.
Sal omnibus inest rebus. Si quis forte neget cunctis sal rebus inesse,
Ille neget, claro sole nitente, diem
Ne vero quisquam cœlo vagus erret aperto,
Neue putet temere quid fabricasse, DEVM.
Nec quis mentis inops me dicat falsa locutum,
Exhibeo manibus signa probanda tuis.
Sal ex omni fit cinere. Omnia vertantur, vertuntur vt omnia certis
Ignibus in cinerem, sal cinis omnis habet.
Æquora si vertas, pereat si machina cœli,
Quidquid & immenso cum Ioue, terra tenet.
Non plus nec minus inuenies, quam quæ tria dixi,
Cognita sunt veris hæc tria prima sophis.
Sal cur vnum ex tribus primis. Quærere si vero quisquam rudis ausit in arte,
Cur sal ex primis, pars fiet vna tribus,
Sal seruat a putredine. In promptu causa est, sal a putredine seruat
Corpora naturæ cuncta, soluta beat.
Sal destructum destruit corpora. In quo destructum fuerit sal corpore, & illud
Destruit, & mira conditione nocet.
Cancer. Morbus gallicus. Nascitur hinc Cancer, circum sibi proxima rodens,
Externisque lues Gallica missa plagis.
Vlcera. Vlcera quæ vario consumunt corpora morsu.
Sal integrum est Balsamum Hæc a destructo sunt generata sale.
Integra conseruant salia, & sunt Balsama rerum,
Omne fugant nocuum Balsama fida salis.
Sal externus. Hæc eadem casu si quo lædantur acerbo,
Per salis externi restituuntur opem.
Hinc adhibent medici multis sal nobile curis,
Quis tuto medica tollet ab arte salem?

Nemo

Salis vsus in medicinis.

Nemo, qui diros medicamine tollere morbos
Audet, Apollineæ Doctor & esse scholæ?

Sal commune.

Plurima sal per se sanat commune, quod autem
Non mouet, id rebus sal facit ex aliis.
Namque prius dixi, quod in omni corpore sal sit
Quod destructoris vincere possit opus.
Propterea Christus, via, lux, de lumine Lumen,
Dixit Apostolicis talia verba viris.

Sal mundi, Apostoli.

Sal estis mundi, quia vos mea dogmata nostis,
Et desiderium pectoris omne mei.
Quæ fidei commissa dedi mysteria vestræ
Hæc per vos, viuit quicquid in orbe, sciet.
Velle meum gentes, sine felle, docebitis omnes.
Accipient sacrum me tribuente salem.
Vtque meæ nullo lædantur dæmonis astu
Vos velut abstergens sal volo Christus, oues.

Sal Reg. 4. Cap. 2.

Mortiferas sal sanat aquas, fructuque carentem
Tellurem multa fertilitate replet.

Sal in sacris.

Cumque foret superis consueto more litandum,
Sal veteres libis apposuere suis.
Sal homines potuit diis conciliare supernis
Tempore quo neque thus, myrrha nec vlla fuit

Vxor Loth in statuam salis.

In statuamque salis Lothi cur versa sit vxor,
Hæc committo sacris excutienda viris.

Sal mensæ. Sales.

A sale principium mensæ fuit inter amicos,
A sale mens cultos mouit amica sales.

Ex sale fixo vitrum.

Ex sale præterea fixo, nitidissima fiunt
Vitra, quibus bibitur nobile sæpe merum.
Adde quod humanis nil aptius vsibus vsquam.

Sal in cibis.

Est sale, diuersi commoditate cibi.
Cinnama dant quamuis stomacho satis apta sabæi,
Et piper & rubri plurima fila croci.
Attamen haud vllum placabit aroma palatum
Officium nisi sal præstet vbique suum.
Piscibus haud vnquam, vel carne fruêre ferina,
Nec reliquæ poterunt membra fouere dapes,
Quidquid & effundit rerum natura creatrix,
Si sal defuerit displicet omne gulæ,

Prouerbium Panem cum sale.

Inde vetus vulgi verbum sonat, vtere pane
Cum sale, purpureis vt videare genis.

Salinum.

Felicem patrium tenuis cui mensa salinum
Præbet, & optatæ tempora pacis agit.

In fouendis gregibus.

Nouit & vpilio, tardi nouere bubulci,
Dulcia qui patriis iugera bobus arant.
Quando salem pecori lambendum quilibet offert,
Quid iuuet herbiuagos vtilitate greges.
Nec modo plena domum facit vbera ferre capellas,
Carpere quas auido mouerat ore cibum.

Sal prouocat ad venerem.

Quin etiam reddit pingues, nutritque fouetque
Et pecus ad Veneris prouocat omne iocos.
Adde quod & mirum tibi parte videbitur omni,
Quantumuis paucis notius esse velim.

Cum tamen eximio te sim dignata fauore,

Sal causa inventi velleris aurei.

Mens mea secretum deteget omne tibi.
Asper vt Æsonides sociis comitatus Achiuis
Aurea phrixeæ terga petebat ouis.
Venit & ad sæuos spaciosa per æquora Colchos,
Æetis subiit cultaque tecta Ducis.
Cumque salutasset curuato poplite Regem,
Audaci tales protulit ore sonos.
Qui premis arbitrio Scythiæ Rex optime gentem,
Quicquid et alta vagi phasidos unda rigat.
Aurea cum sociis peregrinus vellera posco,
Quæ mihi susceptæ causa fuere viæ.
Tu mihi per nemus hoc, piceis quod frondibus atrum
Luce caret, dubio significabis iter:
Vt quam diuersò sequimur discrimine rerum
Incidat in nostras præda petita manus.
Rex ait, Aeolium via devia ducit ad aurum,
Res tua Sisyphii plena laboris erit.
Æripedes tauros, ignem qui naribus efflant,
Cogeris insolito supposuisse iugo.
Terrigenasque viros, vigilemque domare draconem
Est opus, hosque neci qualibet arte dabis.
Talibus auditis commotus Iason abibat,
Et dubia certam mente petebat opem.
Acta sed Æmonium furibundo Colchis amore,
Tutum secretis artibus esse facit.
Ne sit & armatis & torno præda draconi,
Ducat & vt Martis sub iuga panda boues,
Edocet, & species inclusas pixide quasdam
Colchis amatori præbet amica suo.

Sal fundamentum Artis.

In quibus obtinuit primas sal nobile partes,
Æeam primo mouit & illud ouem.
Et vacuus patrias rediisset Iason ad oras
Sal nisi præsentem rite tulisset opem.
Præterea locus est nemoralibus abditus vmbris,
Circum dulcisonis vndique septus aquis.

Salis vsus in laboribus Vulcani.

Hic vbi littoreas vagus Istula voluit arenas,
Immortale putes numen inesse loco.
Cuius ad arcanos cum nuper sola recessus
Aoniæ facerem dexteritatis opus.
Quod Rex Sarmatiæ leget inclytus atque probabit,
Et sua quod Iuno, lætus hymenque leget.
Ecce Medusæam quatiens gravis Ægida Pallas
Armorum strepitu terrisonante, venit.
Vtque solum tetigit volucres delapsa per auras,
Me subito visa gaudet, ouatque Dea.
Aduolat & verbis me sic affatur amicis,
Pieris æternum sit tibi diua decus.
Vtque sit ambabus non vltima gratia nobis,
Tu comes exigui Musa laboris eris.
Fumida tecta Dei, quem Lemnia terra veretur,

Vulcanus.

Auspicio tecum prosperiore petam.

Vt

Vt mihi terribilem clypeum, galeamque minacem,
Armaque diuinæ præparet artis opus.
Armipotente manu quæ vinci nescia reddam,
Bellorum victrix militiæque parens.
Lechus. 1. Vt Lechus varias me sæpius auspice gentes
Vicit & infesto victor ab hoste fuit.
Duxit & augustos augusta laude triumphos,
Et meritis statuit læta trophæa suis.
Sic premet ille suos signis victricibus hostes,
Hæc mea qui digna gesserit arma manu.
Gesta sed illius tu clara volumine reddes,
Ilias æternum quod superabit opus.
Turba Poetarum ne desit & inclyta præstes,
Carmine qui meritum nomen adastra locent.
Vergilianum. Vt nati natorum & qui nascentur ab illis
Sigismundus 2. Armorum, fatum molle precentur, hero.
Namque Sigismundo donabimus illa potenti,
Sarmatiæ quem gens edita, Marte colit.
Vt superum dignus merito, diuumque fauore,
Hæc gerat in rigidos victor, ouansque Getas.
Iniiciatque feris adamantina vincula Moscis,
Ipsorum duro colla prematque iugo.
Recta mones, inquam, sequor en Tritonia Pallas
Efficiam partes prompta, volensque meas.
Regis prudentia & humanitas. Hunc quia Pierides Regem veneramur, & illum
Gratia cum gemina dia sorore fouet.
Hunc ego nutriui sacris Heliconis in vmbris
Phocidis & succos me sibi dante, bibit.
Inde quibus Clarias est gloria parta per artes,
Diligit, & summi collocat ille loco.
Officina Vulcani. Imus & vt proprior secretis Ætna cauernis
Cernitur, apparent Mulciberisque fores.
Ecce DEUS viridi placidam sub fronde quierem
Fessus ab assiduo membra labore, capit.
Protinus & surgit, fortassis numine nostro
Motus, cælestes sensit adesse Deas.
Mouit at vt propius prudens vestigia Pallas,
Ætnæi vultus & stetit ante fabri.
Incipit & causam cur venerit explicat omnem
Regia Sarmatico poscit & arma Duci.
Dum loquitur, veniunt vasti Cyclopes ad antrum
Brontes & Steropes, Lennius, Acmonides,
Ingentesque salis massas & frusta trahebant,
Copia mirabar quid velit illa salis.
Et quamuis per me potuissem scire, salinas
Attamen his subito rebar inesse locis.
Lennius vtque videt dubiam me, protinus inquit,
Illud ab Armenio sal procul orbe venit.
Salis vsus in purgandis & soluendis metallis. Cum superum variis exaspero tela figuris,
Firmaque magnanimis regibus arma paro
Sal mihi præcipuum curatque facitque laborem
Nam miris soluit, purgat & æra modis.

Nec tam grata forent, vigili licet igne parentur,
Auxilio certi deficiente ſalis.
Quod mihi præterea de gemmis rettulit Indis,
Sal ſuperi ſummo conſtituere loco.

Sal in gemmis.
A ſale mollities Alabaſtro & Saturno, durities Adamanti & Marti venit.

NamqueAlabaſtriten mollem,durumqueAdamantem
Reddit, id occulta fit ratione ſalis.
Firmat & indurat ferrum plus quam fuit ante,
Mollificant plumbum munera certa ſalis.

Sal mare magnum.

Inſuper & magnum mare, ſal, pars docta ſophorum
Quæ rerum claret cognitione, vocat.
Et mare quod multa ſalſedine diues abundet,
Sint quod & in puro myſtica tanta ſale,
Quod citius poſſes incertas æquoris vndas
Diſcere, quam ſacri commoda cuncta ſalis.

Argo nauis.

Hinc Argoque locum tenet inter ſidera nauis,
Quod tulit electos per freta ſalſa viros.
Namque viris, nauique fuit commune periclum
Et quod virtutes ſenſerit illa ſalis.

Aurum ſine ſale non diſſoluitur in aqua n.
Sal facit aurum ſpirituale.

Adde quod in croceam ſol nunquam vertitur vndam
Munere cuiuſuis deficiente ſalis.
Sal commune poteſt totum diſſoluere ſolem,
Sal, quod ſol fiat ſpiritualis, agit.
Spiritualis, vt in primum non vertere corpus
Sis quamuis chymica doctus in arte queas.

Aurum potabile verum.

Hæc eſt, quæ ſummos tollit medicina dolores,
Succurrit ſummis hæc medicina malis.
Hæc Ioue teſte loquor certiſſima, tu quoque vates
Hæc noſti, manibus ſunt ea facta tuis.
Hæc quamuis medici vulgares irrita dicant,
Quæ poſſunt, dicunt, non ſibi nota, negant.

Salis myſteria.

Quod ſi ſumma ſalis melius myſteria noſſent,
Fixa darent ſtomacho nulla metalla tuo.
Aurea cur pilulas depingit bractea nigras?
Bractea, quis, quod non fixa ſit illa, neget?
Sæpe aliquis gemmas membris temerarius ægris
Præbet, quas ſtomachus diſſoluiſſe nequit.
Hic ſi ſumma ſalis melius myſteria noſſet,
Non ſe fraudaret, conſuleretque malis.

Elixir magnum Philoſophicum.

Prætereaque Sophis res eſt, quæ maxima mundi
Dicitur, Elixir, eliciturque ſale.
Dicere plura velim, ſed quis mihi vellicat aurem?
Et finem dictis impoſuiſſe iubet?
Nam ſacra ſunt arcana ſalis, quæ ſcire prophanos
Non decet, hæc dignis Dii tribuere viris

Salis arcana ſacra.

Hæc modo ſufficiant, iſto pro tempore, dicam
Plura tibi,quando reſque locuſque dabit.
Propterea cum ſint tot tantaque commoda rebus
Omnibus, auxilio proueniantque ſalis.
Iam mihi, iam Muſis tecum libet ire Viliſcum.
Noſtra profecturis caſtra mouebis equis.
Et qua Sarmaticas potero ratione Salinas
Ad formoſa poli ſidera ferre, feram.

Dixit

Dixit & impleuit lætis mea pectora flammis,
Lætitiæque dedi plurima signa nouæ.
Lætus & iniectis ferratis ora lupatis,
Torqueo, cornipedis tergore vectus equi.
Mœnia sed postquam veteris regalia Grachi
Liquimus & Clarii culta theatra Iouis.

Casimiria.

Vtque tuas veniens subeo Casimiria portas,
Transgressus ripas Istula vaste tuas.
Ecce mihi sese mons latus & arduus offert
Qui mihi cum Musis prætereundus erat.

Mons diui Benedicti.

Qui, quod sacratam Benedicto sustinet ædem,
A cultore suo nomen adeptus, habet.
Collis in hoc viridi surgens ferit æthera vultu,
Miror an humana ducat ab arte situm.

Sepulchrum Grachi.

Culmine pyramidi similis, radice rotundus,
Deprimit illius firma columna caput.
Qui velut excubias omnes agat altus in horas
Late Grache tuas vndique spectat opes.
Vnde suumque trahat structura hæc nobilis ortum,
A populo nosci prætereunte nequit.
Diua sed Euterpe dubio sic fatur Adamo,
Disce quid ista sibi pyramis alta velit.

Grachus vrbis conditor.

Omine Cracouiam dextro qui condidit vrbem,
Grachus, consiliis, ære, manuque potens.
Vt diuersarum numerosa pericula rerum
Vicerat, aut armis, aut grauitate togæ:
Vtque senex vitæ iam mitia fata trahebat,
Extremi metuens funera mœsta thori.
Condere pyramidem viridi de cespite iussit,
Huc vbi templa pius iam Benedictus habet.
Atque suos proceres, meus hæc cum membra relinquet
Spiritus, & cœli sede fruetur, ait.
Hoc date gramineo corpus mortale sepulchro,
Me date telluri, me quia terra dedit.
Contineant alios præstantia marmora Reges
Sculptaque Phidiaco splendida saxa stylo.
Hic igitur vivens vt iusserat, ille quiescit
Sarcophagum, viuus quem sibi fecit, habet.
Nonne potest felix dici, ter & ille beatus?
Cuius in optatam membra locantur humum.
Hæc mihi dum verbis, & plura recenset amicis,
Phœbus ad oceani labitur actus aquas.
Ne premat & subitis me nox inopina tenebris,
Vlterius celerem calcar adurget equum.

Situs Vilisci.

Vtque salis plenum cursu properante Viliscum
Cultaque magnifici vidimus arua soli.
Vidimus & circum cliuosos vndique colles,
Et loca spiciferæ non satis apta Deæ.
Qua sed in hesperias sol mergitur aureus vndas,
Vrbis habent æquum grata vireta situm.
Arx iacet egregiis illic circumdata muris,
Optima magnanimis, conueniensque viris.

Suppa. Sarmatico *Suppam* dicunt sermone, quod olim
Hoc sit ab exigua nomen adepta casa.
Supparius. Hinc & Supparium veteres dixere coloni
Primus honoratam quod regat ille domum.
Hanc vbi praeterii, venerandaque templa Deorum,
Templum Vilicense Opposito Suppis aedificata loco,
Vtque paludosae superaui dura plateae,
Sic quod ab assiduis vsibus esse solet.
Ecce meus, dudum qui me praecesserat illuc,
Zacharias Tencha Zietauien. Tencha, prior mentis pars & amata meae
Vidit vt ingressum fora me resonantia questu,
Inquit, Pierii fontis Adame decus.
Te per Apollineas, quas diligis ipse sorores,
Perque solum, nati quo sumus ambo, precor.
Hoc subeas Christo feliciter auspice tectum
Hospitio poteris non meliore frui.
Albertus Kociela telonarius. Ille tributa licet vectigal & exigit hospes,
Non tamen idcirco reiiciendus erit.
Integer est vitamque gerit sine crimine puram,
Quaque potest doctis parte placere, placet.
Iamque diu prudens Helyconis amabile numen
Cum Musis summa sedulitate, colit.
Nam Graias quamuis artes, didicitque Latinas
Nil minus Hebraeo nouit & ore loqui.
Huc igitur Schrötere veni, venit hesperus, hospes
Ad tua si pateris vota paratus erit.
Optima paruimus socio, rectumque monenti,
Ad stabulum duci pingue iubetur equus.
Hospes equi motus strepitu, citus aduolat, & me
Ominibus saluum gaudet adesse bonis.
Inquit & o quoties votis, precibusque petiui
Vt posses animo notior esse meo.
Illam crede diem niueis signabo lapillis
Quae te sub nostros duxit amica lares.
Vxor ad haec laeti plausus imitata mariti
Hospitis optari me iubet esse loco.
Hinc mensis fessi discumbimus arte paratis,
Ad partes veniunt vina, dapesque suas.
Multaque de rebus vulgaribus inter edendum
Materiaque placet de grauiore loqui.
Hospes facundo dum plurima differit ore,
Miscet amabilibus seria dicta iocis,
Sic & ait, iuuenes quoniam cognoscere vultis,
Inueni quae sit causa & origo salis.
Iam praebete meis faciles sermonibus aures,
Quod loquar historiae non liber istud habet.
Rex Boleslaus pudicus. Ista Boleslaus cum Sarmata Regna teneret,
Nomina cui sancti casta pudoris erant.
Laesus & inuicti fulgente cupidinis arcu
Esset, spumigerae consilioque Deae.
Et sociam peteret thalami, quae ferret amanti
Gaudia legitimi non abigenda thori.

Magna-

Magnanimum Regni Rex aduocat ille Senatum,
Iussa legunt proceres, conueniuntque Ducem.
Vt venere, thoro Rex talibus orsus ab alto,
Quae sit conuentus discite, causa, Patres.
Cœlica sanctarum quoties mysteria rerum
Munificique lego certa statuta DEI.
(Nam iussis parere Dei delector, & illa
Donec in hoc fuerit corpore vita sequar)
Grata quod est video superis coniunctio vitæ,
Iuraque certa Deus quod velit esse thori.
Auctior vt fiat vasti generatio mundi,
Orbis in omne vagi quæ dominetur opus.
Et ne sectemur vetiti commercia lecti,
Quæ fugit auspiciis pronuba Iuno suis.
Ergo consortem thalami, sociamque pudici
Expeto, sint votis dextera fata meis.
Mittitur ad Belum subito legatio Regem,
Imperii dominum, Pannonis, ora, tui.
Poscit & illius præstantem Sarmata natam.
Exemplum veræ quæ pietatis erat.
Annuit ipse parens, Regi despondet & illa
Ipsa sui sequitur iussa verenda Patris.
Cum vero patriis ad nos secessit ab oris,
Liquit & eximii, regna paterna, soli.
Argenti variis cum nollet & ipsa grauari
Dotibus innumeras namque ferebat opes.
Res ait est iucunda quidem nec inutilis aurum
Albaque sub nostris orta metalla plagis.
Non tamen hæc cuiuis fatum lachrymabile donat,
Inque casa raro pauperis esse solent.
Inquit & o talem mihi da pater optime dotem,
Conueniens Iro, quæ sit & apta Mydæ.
Cui si sancta fauent talem tibi numina dotem
Accipe, nil tibi mens nostra negabit, ait.
Protinus ad patris proficiscitur illa salinas,
Promonet inceptum Iupiter æquus iter.
Cum venit e digitis gemmam quam forte gerebat,
Demit, & hanc salsis inicit illa locis.
Inde Polonorum Kunigundis vt inclyta Regi
Iuncta fauore ducem demeruitque pari.
Nescio quo causa visendi tempore venit,
Hos, vbi nostra modo tecta videntur, agros.
Iussit & has subito terras inscindere ferro,
O quam felici res ea cœpta die.
Annulus, in patrias quem miserat illa fodinas
Cernitur, & puri copia plena salis.
Hinc sal inuentum Regno memoratur in isto,
Reginam meritis hucque tulisse suis.
Hæc est incerti potior sententia vulgi,
Sed caret ista sua, fabula ficta fide,
Huc venisse puto Kunegundis tempore, quosdam
Ingenii summa dexteritate viros.

Belus Rex Vngariæ

Kunigundis despondetur Boleslao.

Historia Kunigundis.

Annulus Kunigundis.

Inuentio salinarum.

Qui cum vidissent aliis fortasse sub oris,
Qua ratione facent, inueniantque salem.
Non sine consiliis hoc tentauere periti
Quodque Phryges superat fertilitate, solum:
Protinus, aggressi tantum, potiuntur habentque
Optatis maius, fine carensque bonum.
Hoc & adhuc felix trecentis floret ab annis,
Regales quamuis effodiantur opes.
Floret & annosum diues florebit in æuum,
Sarmatiæ referens certa tributa duci.

Tria salinarum præcipua officia.

Sunt tria præterea præfectis munia nostris,
Quæ nos præcipuo ducimus esse loco.

Hieronimus Buzinski Præfectus salinarum.

Sanguine magnorum Buzinus ortus auorum
Clarus & ingenii nobilitate sui.
Qui certis magnum virtutibus æquat Achillem,
Claraque qui propriæ nomina laudis habet.
Ille salinarum primus moderatur habenas,
Hunc & præfectum Suppariumque vocant.
Hinc est cura prior summarum tradita rerum
Illius inque humeris omne recumbit onus.
Illud & insomni studio, vigilique labore
Officium præstat, Rege iubente, lucens.
Maior & vt Regni thesaurus & auctior exstet.
Strenuus id summa sedulitate mouet.

Mons nouus Buzenin.

Idque nouam propter salis exstruit ille fodinam,
Hæc habet auctoris nomen adepta sui.
Res hæc auspiciis apparet cœpta secundis,
Effundet vena fertiliore salem.
Huic immortalem Buzinius vndique laudem
Nomen, & æternum, quo celebretur, habet.

Ioannes Ocieski Cancell. & Camerarius Regni.

Nobilis hunc sequitur Regni Camerarius, ingens
Sarmatico meritis nactus in orbe decus.

Adam Ocieski Camerarius terræ Cracouiensis.

Quem quasi custodem, Regni proceresque Ducesque
Constituere, salis ne minuantur opes.
Ille senex postquam lumen vitale reliquit
Illius curam frater Adamus obit,

Stanislaus Morstein montium magister.

Tertius est montes qui lustrat vbique Magister
Nomen ab officio conueniente ferens.
Nocte, dieque vigil curans, ne quid vlla fodinis
Inferat horrendi, vasta ruina, mali.
Sed paucos hunc ante dies immitia nostris
Fata pium terris eripuere senem.
Quem falsi montes & quem fleuere salinæ,
Continuis & adhuc imbribus ora rigant.

Erasmus Morstein succedit patri.

Sed senis ille locus nato concessus Erasmo est,
Sæpius infirmo qui patre gessit onus.

Florianus Morstein succedit fratri.

Nunc at is eligit placidæ sibi tempora vitæ
Pacificique colit pinguia rura soli.
Frater & hinc fratri, quod sors ita certa ferebat
Succedit, grati nomina floris habens.
Quod bene Dii vertant, illo florente, salinæ
Florent, nec quicquam quo minuantur, adest.

Plura officia. His tribus officiis quædam præstantia subsunt,
Quæ circa curas suntque manentque graues.
Præfectum grauium commissa potentia rerum
Aggrauat, innumeris sollicitatque modis.
Propter id eximiæ sibi nobilitatis alumnum
Legit, & huic proprias credidit ille vices.

Ioannes Piaskowski Prosupparius & Ensifer Lanciciensis.

Nomine Pyaskouium, claro de stemmate natum,
Quique decus generi contulit omne suo.
Hic quanta rerum multarum mole grauetur,
Quisquis ab officio computet illa suo.
Vir bonus & prudens, longosque colendus in annos,
Dignus & a tota posteritate legi.
Est etenim fidus Musarum cultor & hospes
Hunc merito Musæ cur venerentur habent.
Isque tuum bello Lanciecia nobilis, ensem
Pectore magnanimus, Marte furente, gerit.
Iungitur huic dignusque locum statione secundum

Andreas a Schadeck Notarius.

Nobilis Andræas Schadcouiensis, habet
Hic acceptorum summam rationibus infert,
Quælibet & vigili sedulitate notat.
Et ne quem solito fraudet mercedis honore,
Continet in certis nomina cuncta libris.
Præterea pretium, quod quisque labore meretur,
Inscribit tabulis peruigil ille suis.
Hæc est in nostris non vltima cura salinis,
Hæc grauat hunc clarum, tempus in omne, virum.
Attamen ille vacat, concessa per otia Musis,
Et sacra Pierii pocula fontis amat.
Nubibus inde suum fama caput intulit altis,
Nobile phœbæa nomen ab arte ferens.
Turba frequens cum nos docilis petit æmula Musæ,
Hocque cupit tota mente videre solum.
Excipit & summo doctos complexus amore
Promouet, & varia conditione placet.
Qui te cum nostras venisse videbit ad oras
Signa tibi gratæ plurima mentis erunt.

Stigarii duo.

Sunt duo præterea quibus est hinc nomen adeptum,
Ad loca quod crebro scandere salsa solent.
Descendunt, quoties roseis aurora capillis
Aurea formoso semouet astra die.
Ad partes tunc quemque suas via cognita ducit,
Imperium certis dispos uere notis.
Vtque laborantes, veluti iussere, laborent,
Interdum blande, verberibusque monent.
Et curant superis sal vt reddatur ad auras
Ictibus excisum quod iacet assiduis.

Caspar Coszchwic Silesius.

Quorum Casparus primum sortitus honorem,
Inclyta Coschuiciæ gloria gentis, habet.
Illius vt tristes rupetunt stamina Parcæ

Mathias Koncicki succedit.

Koncicius partes nobilis hasce subit.
Nobilitate minor nulli, virtute secundus
Cuilibet, Aonii magnaque fama chori.

 Alter

Ioannes Gutowski

Alter & insigni Gutouius editus ortu
Ducit ab eximiis nobile nomen auis.
Illius vt suasit prudentia suasit & vsus
Supparii Bochnæ nunc agit ille vices,

Ioannes Gemiolkowski a Silnieza.

Huic Gemiolcouius succedit origine clara
Natus, Sylniciæ gloria magna domus.

Iannnes Ianitius ponderator.

Hinc est Ianicio, quod ponderat omnia nomen.
Omnibus officium non minus hisce gerens.
Omnem namque salem trutinis examinat æquis,
Et memor expensi cogitur esse salis.
Vir pietate potens, morum grauitate verendus,
Et colit adductas ex Helicone Deas.
Egit in Italia multis studiosus ab annis,
Nactus & est magnum cognitione decus.
Materia vt vero salis exsiccante necatus

Periit Phtysi.

Occidit & medicæ nil valuere manus.

Ioannes Noropinski.

Suscipit officium Noropynius ordine recto,
Nobilis ingenio, militiaque grauis.
Austerius facie sed pectore mitis & æquus
Conuiuis animo conueniente placens.

Andreas Grabowski Dispensator.

In *Suppis* vero Grabouius ardua curans
Dispensatoris nobile præstat opus.

Martinus Wallman.

Illius inque locum post fata suprema locatur,
Nomen ab inuicta valle, viroque trahens.
Cracouiæ licet is vitalibus editus auris
Ille tamen vitam Saxone natus agit.
Saxone, nobilium prognato stirpe, Leone
Quem gerit in titulis, ista probante, suis.
Carpimus interea genialis fercula cœnæ,
Hospite tam gratis ora mouente sonis.
Lætaque iucundis iubet interponere mensis
Gaudia, festiuos ore, manuque sonos.
Sed mihi de vestris mens est audire salinis.
Inquam, plura velis explicuisse precor,
Nil minus & læto tollemus brachia plausu.
Sumpturi facili dulcia vina manu.

Tres ad descensum putei.

Ad nostras trino descenditur ore fodinas,
Sub terrasque tribus faucibus itur, ait.

Mons Regius.

Nomen habet Regis sacro iunctissima templo,
Quæ primum Regno protulit alma salem.

Mons Seraph.

Altera Seraphii titulum sortitur, habetque
Hoc quæ præcipuas tempore præbet opes.
Illam Seraphius Clariæ celeberrimus artis
Secretum studii cum sequeretur iter.
Sumptibus inuenit propriis, magnoque labore,
Sic voluit Regi perplacuisse suo.

Mons Bonericus.

Tertia magnanimi meritis laudata Boneri,
Inuentoris habet nomina clara sui.

Seuerinus Bonerus.

Ille Bonerus erat ad murmur amabile Rheni
Natus & hunc tulerat Teutonis ora virum.
Quale sed hic fuerit lumenque decusque Polonis,
Attulerit nostris commoda quotque plagis:

Id

Id tremuli nouere senes, nouitque iuuentus,
Sarmaticæ matres, Sarmaticæque nurus.
Ipse licet vatum laus immortalis Homerus
Viuat, & Aonia nobilis arte Maro,
Nescio quis tantæ præstantia pondera molis
Audeat ingenio supposuisse suo.
Quod velit illius clarissima facta Boneri
Inter Apollineas astra referre notas.

Puteus aquarum.

Hic & aquæ puteum montis fecere magistri,
Tollitur ad superas hinc salis vnda plagas.

Sal coctilis ex aqua inferiore.

Quæ cum ferratis fuerit bene cocta patellis,
Dat purum nobis vilis illa salem.

Muria

Tamque fauore potens superum natura fodinis

Casæ in quibus sal coquitur.

Est data, perpetuis si premerentur aquis.
Non tamen inferrent nostris incommoda rebus,

Muria extracta non congelatur frigore.

Vnda daret grati plurima plaustra salis.
Huius & est muriæ prædiues copia salsæ
Nunquam sub nostris absoluenda casis.
Illaque cum gelidas est viribus acta sub auras
Natiui tantum nempe caloris habet.
Vt cum frigoribus concrescunt omnia strictis
Sentiat arctoum non tamen illa gelu.

Densior aquis vulgaribus.

Nec mergi patitur gallinæ aut anseris ouum
Quod reliquis forsan densior esse solet.
Salsaque comportant quidam ramenta ministri,
Fulua quibus numero cedit arena Tagi.
Post soluuntur aquis vulgaribus illa, supernis
Cum fuerint torto reddita fune locis.
E quibus efficiunt nostri sal nobile lymphis,

Sal coctilis e ramentis.

Infusas labris cum super igne coquunt.

Iulius Ludouicus Decius salis Præfectus.

Hasque casas æquis Decius moderatur habenis,
Et subit excocti munia certa salis.
Regia quem variis cum certa negotia curis
Cogant diuerso sæpius esse loco.

Thomas Turski.

Officio ciuem præfecit Vielicensem
Qui gerat absentis sedulitate vices.
Fudit vt has hospes sincero pectore voces,
Hæc ait est nostri summa, caputque status.
Interea Clariæ præclaros artis alumnos
Optabam studiis conciliare meis.
Istaque per puerum generoso carmina misi

Andreæ a Schadeck Notario.

Andreæ, libros qui rationis habet.
Cum tua clara mihi quæ tendit ad ardua virtus
Et placeat, vera cum pietate, fides,
Raraque naturæ bonitas, moresque verendi,
Et quod Apollinea pectus ab arte nitet.
Inque tui ducant, ferrum ceu magnes, amorem,
Cur te non stabili semper amore colam?
Semper amore colam te vir celeberrime, semper
Ad partes veniet mens mea prompta suas.
Dignus es, at quamuis melioris carmine vatis,
Et tua sunt clario nomina digna stilo.

Attamen ingenium, ſtudiumque probabis Adami,
Cum mea te memori Pieris ore canet.
Pectore me tantum iam complectaris amico,
Et meus officii munere creſcat amor.
Candida ſic faueant, vultu tibi fata ſereno.
Inque tuos veniat, nil niſi dulce, lares.
Cras & vbi lucem, cœlo fugientibus aſtris.
Tithoni roſeis proferet vxor equis.
Cum fueris, curis turbaque remotus ab omni
Sint mihi colloquii tempora pauca tui.
Aoniæ poſtquam cultor celeberrimus artis
Hæc legit digitis ſcripta notata meis.
Dixit, honoratos non vltimus inter amicos,
Hic Schröterus erit tempus in omne mihi.
Illius & quauis ratione leuabo Camœnas,
Vt videat Muſis, me bene velle ſuis.
Meque videre virum nox impedit altâ volentem,
Et graue curarum, ſæpe quod inſtat, onus
Nil minus vt tractet me molliter hoſpes Adamum
Præbibat & feſſo pocula multa, iubet.
Noctis & vt quartam læti tranſegimus horam,
Mollibus intulimus membra leuanda thoris.
Mane ſalutabam clarum virtutis alumnum,
Cui dederam Muſæ carmina miſſa meæ.
Protinus optato qui me dignatus amore,
Pectore ſuſceptum candidiore fouet.
Quantaque præſtiterit noſtris benefacta Camænis
Non capit exiguus, nec breuis iſta liber.
Cum vero lautæ caperemus prandia menſæ,
Acceptus dominis gratus & hoſpes eram.
Suauiter & ſpatium traduximus omne diei,
Quisque dedit faciles ad mea vota manus.
Tunc ego me dixi præfectis ordine claris
Velle ſalinarum mane videre ſitum.
Poſtera lux oritur, tepidis Sol clarus ab vndis
Formoſum nitido rettulit orbe diem.
Coſchwitius noſtræ non vltima gloria gentis,
Ad puteum famulo me properante vocat.
Hinc ad Seraphii cum veni concaua montis
Ora, precor claro dextera fata viro.
Lignea præualido circumdata machina ferro
Quatuor intrepidis acta mouetur equis.
Illi prægrandis, robuſtaque reſtis adhæret,
Omnia quæ ſuperis extrahit apta plagis.
Poſthac montanis induti veſtibus, imus
Huc vbi nigra vagis faucibus ora patent.
Illic turba ſtetit trepido concuſſa tremore,
Ima timens tremulos ad loca ferre pedes.
Incenſis illi ſtipulis & ſtramine luſtrant,
Quam ſit ad infernum foſſa profunda ſitum.
Amoui nebulas animo, dubiumque timorem,
Mens tamen hæc pauidi plena timoris erat.

Machina extractoria.

Induſium montanum

Incenſo ſtramine oſtenditur timidis altitudo.

Ne

Ne tamen hæc animus meus intentata relinquat,
Optabam placidos in mea vota Deos.
Prendimus inde manu fellas e fubere textas,
Ad funem grandem quisquis & arte ligat.
Coniungunt binos iterumque iterumque fedentes,
Sic femel innumeri pallida regna petunt.
Vfibus affueti rutilantem lampada geftant,
Et ne lædantur, cum pede quisque cauet.
Dum nos per puteum proni demittimur altum,
Pars canit, at doctæ nil cecinere Deæ.
Inquit & Euterpe, non res Schröterc videtur
Gratior, in viridi plectra mouere loco?
Vt tetigere folum primi, fe quilibet apte
Explicat, vt reliquis poffit & effe locus.
Terricolæ circum fauces ftant vndique fratres,
Indufiis cincti, lampada quisque gerens.
Grandibus & peris velati membra, lucernis
In quibus apta ferunt pinguia feua boum.
Protinus anfractus varii, variique meatus,
Oftendunt miras fignificantque vias.
Non ego tot curuis ambagibus atria Cretæ
Dædaleas credo compofuiffe manus.
Hic licet Ægides comitantia fila fequatur,
Et faciat tutas has Ariadna vias.
Non, nifi forfan eat fido comitatus Achate,
Illæfum poterit ferre, referre, caput.
Dumque ita per totos falfos erramus hiatus,
Longius & cupidi continuamus iter.
Vehimus ad latas Cameras (fic Sarmata dicit)
Quæ fpatio fuperant fefta theatra fuo.
Quæ velut excelfis firmantur templa columnis,
Ne ue ruant folido de fale fulcra premunt.
Quædam lignorum ftruibus loca fulta tenentur.
Sal facit vt pylios ftent, maneantque dies.
Grandes ad fauces voluuntur & vndique maffæ
Quas bancos, vulgi lingua Polona, vocat.
Credibile eft Arabes muros, turresque domosque
Talibus e maffis ædificare falis.
Scribitur, id fierique poteft, modo ficcior efto
Hic locus, aut pluuia diffoluantur aqua.
Ille latus cuneis findit, ferroque rigenti,
Hicque fecat glebas fub pede fæpe graues.
Ille ferit ftando, iacet hic, fedet ille fupinus.
Et quo quisque poteft aptius, illud agit.
Præterea multi fua nudi membra laborant.
Nocte dieque frequens quilibet vrget opus.
Non illic difcrimen habet nox atra, diesque
Æternis premitur noctibus ille locus.
His igitur merces perfoluitur æqua laborum,
Sic non, pro fpacio temporis, æra ferunt.
Turbaque fofforum cum magnas fedula maffas
Commouet, omne tonat fulminis inftar opus.

Marginal notes:
Modus defcendendi.
Fofforum habitus, Indufium, Lampas. Pera.
Varii falinarum meatus
Cameræ (vt vocantur.) Columnæ ex fale.
Fulcra lignea quæ a fale indurefcunt.
Volutio bancorum.
vfus falis in ædificiis Pl. lib. 31. cap. 8. lib. 6 cap. 28.
Modus fecandi.
Nullum temporis difcrimen.
Merces pro labore.

Muria. Præterea montes destillant vndique guttas,
Non tamen hæc aliquid adferet vnda mali.
Canales. Illa sed in puteum deducta canalibus altum,
Tollitur ad nostras, vtribus hausta casas.
Segmenta parua. Paruaque conuerrunt teneri segmenta ministri,
Illaque carpentis ipsa sub ora trahunt.
Inque casis eadem dulces resoluta per vndas,
Albentem tribuunt constituuntque salem.
His igitur multas dum montibus erro per horas,
Vlterius fessi vix potuere pedes.
Dumque salis video tam puros vndique montes
Fulua quibus cedit diuitis vnda Tagi.
Magnalia Dei & naturæ. Et dum naturæ magnalia specto, Deique
Sal gemmæ. Quam natura potens & Deus ipse fiet.
En mihi sal sese multo præstantius offert.
Istis quod nunquam rebar inesse locis
Sal, velut albescens niuei, quæ gemma, nitoris
Crystalli præ se corpora pura ferat.
Præterea ne quid longæuo carmine dignum
Ignoto possem præteriisse pede.
Coschuicius, qui me fidus comitatur Achates
Vndique dum lustro salsa theatra loci,
Inquit, Adame tibi referam mirabile dictu,
Non tamen experta res cares illa fide.
Montibus in nostris aqua prosiliendo cauernas
Si qua sibi cursu non remorante, facit.
Materia interdum pinguis simul exit, & illam
Vulgo sal nitrum lingua Polona vocat.
Sal nitrum. Hanc vbi propter eunt fossores, insilit vltro
Ignibus, & flammam concitat illa leuem.
Flamma cauis ardens hinc inde mouetur in antris,
Nec, nisi materia deficiente, perit.
Dum furit, incautum si quem vaga corripit, illum
Lædit, & infesto quo furit igne, necat.
Hanc sed vt effugiat fossorum turba, videndum est
Vt terram pronus quilibet ore premat.
Effugit hanc cautus ratione pericula flammæ,
Consumptusque suis viribus ignis abit.
Dixit, at hæc alta dum mecum mente reuoluo,
Id nitrum dici non bene posse, patet.
Nam nitrum non se sic ignibus iniicit vltro
Illud ad incensum fulguris instar agit.
Murmurat inferiora petens, non tendit in altum
Nec circumfertur, seu vaga flamma, diu.
Naphta. Materies vero hæc, species calidissima Naphtæ,
Visa mihi est, dico sulphur, & esse salis.
Quis nisi mentis inops, naturæ & luminis expers,
Sulphura non nouit sulphure posse trahi?
Propter id oblatas cupide petit æmula flammas,
Gaudet & in socio sulphure sulphur agit.
Ignis in igne furit, in sulphure sulphura gaudent,
Id multi tacite præteriere Sophi.

Naphta mihi credas res est non vltima rerum
Præcipue puro proxima naphta sali.
Hanc mites superi Regno tribuere potenti,
Sarmatici minor munera tanta soli.

Altius barathum Nyedzialek.

Miror, at inferius nobis immane baratrum
Cernitur, atque die nomina solis habet.
Quis tantum molitur opus? prius ipse putabam
Tartara nos medio posse videre die.
Istud at vt vidi, vidi nigra tartara Ditis,
Moxque dedi timidas corde tremente notas.

Inferior machina extractoria.

Vixque mihi visa est ibi quæ rota lignea stabat,
Qua salis humana frusta leuantur ope.
Hic quæ bis seni mortales munia præstant,
Illa supra quatuor perficiuntur equis.
Hæc ego cum vidi, satis est potuisse videre
Dico, iuuent alios ista theatra viros.
Ad putei vero cum venimus ora patentis,
Languebant tarda corpora nostra mora.
Non patet ex imo Solis lux alma, superni
Nec possunt nostros percipere aure sonos.

Signa volentium exire.

Ictibus ingentes strepitus, sonitusque mouemus,
Pulsantes ferro robora querna graui.
Quam primum pedibus nostrum sensere tumultum,
Demittunt restem nosque paramus iter.
Pensilibus vero sellis, vt reddimur auris,
Clamo, salinarum rite valete, lares.
Vos & Apollinea dignabor arundine salutus
Quod nunc optatis perfruor ipse locis.
Vos igitur sacro Libetrides ordine Musæ,
Cum vestrum viuat nec moriatur, opus.
Vidistis Regni claras; celebresque salinas
Splendida quæ superant diuitis æra Mydæ.

Salinæ Bochnæ & Salinæ Russiæ.

Bochna licet largas, & Russia lata fodinas
Vtraque Sarmatico sub Duce diues, habet.
Has precor æternis faciles mandate libellis,
Schröterum qui me forsan amabit, erit.

FINIS.

ARMA
MAGNIFICI DOMINI HIERONYMI BUZINSKI,
Secretarii Regii & Supparii Cracouiensis &c.

Sinceri referens formam rosa candida cordis,
Hæc præsens foliis quæ rosa quinque viret.
Indicat, ex animo, Regi, Regnoque fideles
Hæ præclara rosæ sunt quibus arma, viros.

Inclytus in propriis gerit hanc Buzinius armis
Qui fidus Regni Regis & auget opes.

ARMA
GENEROSI DOMINI PIASKOWSKI
Prosupparii Vieliciensis, & Lanciciensis Ensiferi &c.

Dux gregis est aries, illum Piascouius heros.
Et gerit. antiquos gaudet & inter auos.
Hunc fore præfectum præsciuit prisca vetustas.
Talia præfectos arma decora notant.

GENEROSO AC CLARISSIMO DOMINO IOANNI PIASKOWSKI
Prosuppario Vieliciensi & Lanciciensi Ensifero &c.

IAne, nouenarum decus immortale sororum,
Primaque Piascouiæ gloria Iane, domus.
Magna tuæ quamuis extant præconia gentis,
Et genus exornant splendida facta tuum.
Et quamquis totum venerabile nomen in æuum
Clarus ab antiquis ordine ducis auis.
Inter vt insignes animi virtute Polonos
Acta tuæ posses multa referre domus.
Impiger ipse tamen propriis virtutibus addis
Antiquo generi lumina clara tuo.
Excolis ingenium studiis dum pectus honestis,
Quod multa rerum cognitione nitet.
Hinc matura tuæ creuit prudentia mentis,
Qua graue curarum nunc moderaris onus.
Nunc dum Supparii, quo gens Bułinia gaudet
Assidua peragis sedulitate vices.
Lanciciæ strictum dum bellipotentis & ensem
Strenous armisono Marte furente, geris.
Domque studes curas inter variosque labores
Pectora doctorum demeruisse virûm.
Dum cupis & sacros tibi conciliare Poëtas
Delicias animi vir generose tui.
Propter id insignis tantorum fama laborum
Hæc tua, perpetuo carmine digna legi.
Æternis per me totum cantata per orbem
Versibus, implebit solis vtramque domum.
Hincque tuum cunctis dicetur nomen in oris,
Perpetuæque tibi nomina laudis erunt.
Namque velut docti semper dixero Poetæ,
Nobilis æternum est fama patrimonium.
Victoræ nostro si sunt in carmine vires,
Si me posteritas, per mea scripta, leget.
Carmine tu mecum, vitus tua postulat illud,
Post tua Pyasconi, fata superstes eris.
Tu modo mitis ades, & nostras affere Musas,
Dulcia sic gratæ tempora pacis agas.

GENEROSO AC CLARISSIMO DOMINO IVSTO LUDOVICO DECIO S. R. M.
Secretario, ac Carbario Wieliciensi &c.

DIgnum laude virum, claro si culta lepore
Musa perire vetat?
Et si, quam faciunt longæui carmino Vatis,
Fama perennis erit?
Tu Generose Deci, quem Teutunes atque Poloni
Non sine teste colunt,
Munere Pieridum post vltimafunera viues,
Effugiesque rogos.
Non genus aut præclara domus, qua clarior ipso
Sole oitente nites.
Id neque magnorum memorabile nomen auorum
Nobilitasue facit.
Viuida sed virtus, proprio tibi parta labore
Ingeniique decus.
Quis nescit quanta curarum mole graueris
Nocte dieque vigil.
Dum salis excocti præstantia pondera, dumque
Munera plura subis,
Dumque Sigismundi secreta negotia Regis,
Ingeniosus agis.
Attamen adductas, concessa per ocia, Musas
Ex Helycone colis.
Quæ te pro meritis redamant, venerantur, & alte
Constituere loco.
Æternumque tibi meditantur carmine nomen,
Perpetuumque decus.
Quod neque tempus edax, neque mors, neque tarda vetustas
Auferet e medio.
Illud & ipse meis conabor viribus, vllas
Si mihi Musa dedit.
Num mihi sint faciles Musæ, num Iupiter æquus,
Experiere Deci.
Hæc modo quæ paucis iam scripsimus, accipe vultu
Candidiore precor.

NOBILI AC DOCTISSIMO VIRO DOMINO
ANDREÆ a SCHADEK Notario Vieliciensi.

NOstræ præcipuum decus Thaliæ
Andrea, generis decore clari
Ornatissime, quem Iouis nouena
Æterno soboles honore dignum,
Postremo minime statu locatum
Præ cunctis reliquis, amat, colitque
Qui claram niuibus manent ad arctum.

Si

Si natura parens amica rerum
Centum docta mihi dedisset ora,
Et singoas totidem foauiores,
Quas vel Cecropiæ probent Athenæ:
Quæ vel Nestoreo graoes lepore
Blandis flectere vocibus Catones
Et possent rigidas mouere Tigres.
Non facundia gratias opima
Dignas vlla tuis referre factis
Posset, quæ studiis tulere nostris
Dextra semper opem benigniore,
Qoæ si singula gratus æstiune,
Tentem dicere facta gratiarum,
Laodum cresceret Ilias tuarum
Æternos superans libros Homeri.
Quas vero tua mens hunesta laodes,
Candor mentis & integræ, fidesque
In Christum veneranda, proximumque
Et virtos tua præpotens meretur,
Per se Pierides tuæ fauentes
Famæ, conspicuas ferent per orbem
Digno carmine, quod probante Phœbo
Annosum poterit legi per æoum.
Id sunt pollicitæ sacros per amnes
Quas ipsis Helycon virens ministrat,
Nec paruas tibi gratias Poloni
Insignes meritis graoes & armis
Debent, si modo præmium labori
Victuro datur, vt datur, perenne.
Quod iam Sarmatici hinc & inde Regni
Diuersas duplicis populi per oras
Longæuo celebres libro Salinæ
Quod nunquam fuit antea, leguntur,
Andrea' meritis Polona claris
Gens inoicla suis, id omne debet.
Nam Musis graoe te nihil iubente,
Aut vnquam fuit, aut erit, canoris.
At, quod prætentis ego diebus.
Non præsens fuerim celebriori
Per te, læticiæ, licet vocatus.
Com tædas DEUS & sacer sacerdos
Sancireot duce & auspicante Christo
Sponso legitimas tibi secundo.
Concedas veniam mihi petenti,
Curis impediebar inquietis.
Christus quem veneraris æqoiore
Constans pectore, te beatiore
Id cœpisse velit benignus hora.
Anna, quæ grauitate, virgo, morum,
Et forma faciei, gratiaque
Linguæ, virgineoque quæ pudore
Vincit Sulpitiam, sacrum iugalis
Exemplum fidei, tibi perita
Multas ante alias, graues vel auro
Argentuoe, quieta multa tecum
Viuat tempora, te colens, amansque
Vt mentis pietas tuæ meretur.
Consors Anna tui pudica lecti
Te fæcunda beet subinde, multa
Grata prole, thori beatioris.
Id præstans pietas docet fotorum
Qua deuota DEUM colit parentem
Et Christom proprio pius recemit
Qui nos sangoine, qui graues dolores
Pro nobis subiit crucisque lignum.
Vos concordia iungat æquiore
Ambos vincule, vt vna mens duorum
Fiat, semper idem petens, volensque,
DEUS pacificæ parens quietis,
Longæuam tribuens vtrique vitam,
Vestitis omnia prosperis rebus
Concedat, toeatur, augeatque
Qua sanctos benedictione Patres
Primæuo voluit virere sæclo.

IN FELICISSIMVM NATALEM

CLARISSIMI AC NOBILIS VIRI, Domini ANDREÆ a SCHADECK, Salinarum Vieliciensium Notarii, studiorum fautoris optimi.

PHœbe sacrorum pater alme Vatum
Ede festiuum resonante plectro
Carmine, & illis citharæ canoris
Sidera pulses.

Gratiæ, iunctis soa dona Musis
Adferant, & dum noua signa lætæ
Mentis ostendent, sacra quæque velet
Tempora Lauro.

Si qood applaosu potiore tempus
Debuit doctis peragi Camoenis.
Hæc dies totum celebris feratur
Laude per orbem.

Namque Natalis fuit illa, clari
Festus Andreæ, gelida sub Arcto
Qui fouet nemo melius, benigno
Pectore Musas.

Vt ratis multis agitata ventis,
Vltimam rerom metuens ruinam
Nauitæ cura, studioque docti
Effogit Orcom.

Sic nouem quando grauiora Musæ
Fata perpessæ, propria carentes
Sede, diuersis agitantor oris
Exulis instar.

Hoius Andreæ studio tuentur,
Hasque ceu charom pater omnis æquus
Filium summa pietate curat:
Nutrit alitqoe.

Dignus id propter meliore versu,
Dignos vt toto memoretur æoo,
Solis Occasus sciat hunc & Ortus
Munere Phœbi,

Illius Musæ faciant perenne
Nomen & claram sine nube famam.
Qua nihil maius, meliusque terris
Acta relinquunt.

Hicque Natalis redeat secondo
Sæpius nobis, bene saluus, astro.
Grata solennes dabimus quotannis
Thura per aras.

NOBILI AC EGREGIO DOMIMO MATHIÆ KONCZYCFI STIGARIO VIELICIENSI &c.

NEcte Koncici nostro generose tacebo
Carmine, pars animi semper amanda mei.
Me, mihi crede, toi, quicquam si credis amico,
Nominis immemorem non videt vlla dies.
Lucifloo Phoebos nunquam procedit ab ortu
Accenditue soas nox tenebrosa faces.
Vultus ante meos tua dolcis oberrat imago
Admonet, & memorem me iubet esse tui.
Me iubet esse toi memorem, tua nomina sæpe
Miscet amabilibos commemoranda sonis.
Com reputo, quanto me sis compleaus amore,
Quam dederis faciles in mea vota manus.
Tempore Vielisci quo charos amicus & hospes
Ipse tibi fato candidiore fui.
Cum, quanto Musas habeas in honore, recordor
Altius ingeniom quæ coluere tuum.
Com reputo quam sit tibi nobile mentis acumen
Qood facit insignes, ingenuosque decet.
Laudibos extollo felicem terque beatum
Me tibi qui firmo ionxit amore, diem.
Nulla tui nostræ venient obliuia menti,
Donec in hoc calidus corpore sanguis erit.
Qoæ loca cunque petam terris peregrinus & alto
Tu me Koncici dulce sequeris oous.
Hinc quod diuersæ gentes mirentur, habebunt,
Cum de Koncicio carmina facta canam.
Et generosa tuæ pereant ne nomina famæ
Vindice Pieridum munere tutus eris.
Tu modo me simili quo te Schröterus amore
Prosequor, obserues, tempus in omne, Vale.

DE SA-

Rr rr rr rr r

XVIII.
DE SALINIS CRACOVIANIS
OBSERVATIO

AVCTORE

IODOCO WILLICHIO *RESELLIANO*

Edita Cracoviæ Anno 1543. nunc vero iterum recuſa Dantisci apud Georgium Förſterum Anno 1645. Cum Priuilegio S. R. M.

Sereniſſimo & Inuictiſſimo Domino, Domino VLADISLAO Quarto, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, &c. nec non Suecorum, Gotthorum, Vandalorumque hæreditario Regi, Domino, Domino Clementiſſimo.

Sacra Sereniſſima Regia Maieſtas, Domine Domine Clementiſſime.

SVbterraneum Vieliciense incendium exortum anno 1644. die 16. Decembris, me permouit, vt chartas, quas in hoc genere ſepoſitas aſſeruabam, euoluerem. Incidit autem in manus hæc Iodoci Willichii Reſelliani obſeruatio, quam in peregrinatione Prutenica conquiſiueram. Quia vero Sacræ Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis veſtræ auctoritate præſtantiſſimæ mihi tunc Bibliothecæ patuerunt, æquum eſt, hanc obſeruationem ſub eodem Sacræ Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis veſtræ nomine, poſt centum annorum reuolutionem, iterum, iſto præſertim tempore, in lucem proferri. Accipe igitur, Sereniſſime Rex, benigna & ſerena fronte. Quantulumcunque enim hoc eſt, quia tua auctoritate partum, in alium transferri non debet. DEUS Optimus Maximus Sacram Sereniſſimam Regiam Maieſtatem veſtram diu feliciſſime conſeruet, cui me ſtudiaque mea humillime commendo. Datum in Miedzyrzecz. 20. Martii. 1645.

Sacræ Sereniſſimæ Regiæ Maieſtatis Veſtræ

Humillimus cliens
Ioannes Broſcius.

IOANNES BROSCIVS Lectori Beneuolo S. P.

RErum naturæ cognoſcendarum ſitis multos olim traxit in Sarmaticas regiones, niſi quis auri potius ſacram famem potiſſimam ſtatuat cauſam. Sed vtrumque ſimul eſſe potuit. Vtilitate enim plurimi mortalium excitantur ad inquiſitionem cauſarum: vbi nulla commoda ſperantur, quis induſtriæ intendit neruos? niſi quem priuata contemplationis delectatio ad labores, quibus Dii omnia vendunt, excitet. At maxima pars mortalium, ſcientias, & rerum inquiſitionem, prorſus, vt

Vulgus amicitias, vtilitate probat.

Cum ergo plurima metallorum genera veteres in Sarmatiæ montibus reperiri cognouiſſent, crebræ peregrinationes inſtituebantur, rei explorandæ cauſa. Ioſephus Scaliger, ſcribens in Manilii Aſtronomica, ad illud libro 4. *Scrutari cæca metalla*; hæc addit: τὰς μεταλλείας *Romani fatentur ſe a Beſſis didiciſſe: auctor Caſſiodorus. Claudianus:*

Poſſeſſi quicquid fluuiis euoluitur auri,
Quicquid luce procul venas rimata ſequaces
Abdita pallentis fodit ſolertia Beſſi.

Beſſos autem vel Bieſſos (quorum nomen etiam nunc in montibus Bieſczad, eorumque incolis, retinetur) Ptolomæus in Sarmatiæ Europeæ deſcriptione

tione ponit ad Carpatum montem. Strabo libro 7. *Corallos & Bessos, Aemi accolas, vsque in Pontum vergere*, scribit: *Bessos autem magna ex parte montem Aemum incolere, & propter latrocinandum latrones vocitari*, refert. Relatione, vti existimo, dubia Bessos ad Aemum ponit: vel quod genus eiusmodi hominum vagum esse soleat, facileque a Carpato ad Aemum transire possit. Deinceps vero cum salis copia Dei beneficio in Polonia innotuisset circa Boleslai Pudici, & Diuae Kunegundis tempora, non est dubium, artifices euocatos fuisse ex illis regionibus, vbi sal reperiretur, nominatim vero ex Thuringia: ex quibus *Vitellio est, auctor librorum Opticae, filius Turingorum & Polonorum, qui nominatim suam Poloniae terram vocat*, sub altitudine poli 50. graduum. Mihi quidem hoc argumentis liquidissimis ex antiquorum manuscriptis constat, quod coniectura olim *Adamus Schröterus* Silesius in Regni Poloniae salinarum Vieliciensium descriptione colligebat, anno 1564. sub Hieronymo Buzinio, salinarum Praefecto.

Huc venisse puto, Kunegundis tempore, quosdam
Ingenii summa dexteritate viros,
Qui cum vidissent aliis fortasse sub oris,
Qua ratione secent inueniantque salem,
Non sine consiliis hoc tentauere periti,
Quodque Phryges superat fertilitate, solum.
Protinus, aggressi tantum, potiuntur, habentque
Optatis maius fine carensque bonum.
Hoc & adhuc felix trecentis floret ab annis,
Regales quamuis effodiantur opes.
Floret, & annosum aeues forrbit in aeuum,
Sarmatiae referens certa tributa Duci.

Antiquiora, ante Typographiae vsum inuentum, non nisi ex antiquis manuscriptis petenda sunt. At ante Schröterum celebris est plurimorum ex media Germania migratio in has terras, historiis expressa, ad quos, rem salinariam & metallicam magno commodo tractantes, alii Philosophi saepe peregrinabantur: vt Ioachimus Vadianus, Iodocus Willichius, Georgius Ioachimus Rhaeticus, suasu Nicolai Copernici, tum propter has, tum propter alias caussas. In hos autem omnes singularis & eximia fuit Bonerorum liberalitas. Nam Rhaeticus auxilio & liberalitate Ioannis Boneri obeliscum 45. pedum Romanorum ad obseruationes siderum erexerat: Ioachimi Vadiani extant aliqua in commentariis super Pomponium Melam, quae etiam ante quadraginta annos Achatius Cmita in descriptione Bochnensi descripserat: Iodoci Villichii obseruatio de salis Cracouianis peruenerat ad manus meas in peregrinatione Pruthenica, cum essem in oppido Ressel, Episcopatus Varmiensis, vna cum Reuerendo Domino Andrea Zagorio, Canonico Varmiensi, qui eandem obseruationem a cognatis Willichii impetratam mihi donauerat. Multa praeclara hac obseruatione continentur. Quod autem Willichius refert, *Vadiano*, Heluetio Poetae, Cosmographiae, rerumque naturae obseruatori diligentissimo, *subito eius loci infinitam ne dicam satietatem, sed maleuolentiam obortam esse*; quid istis verbis innuat, non liquet. Comparatione tamen locorum ex commentariis Vadiani in Pomponium Melam ambiguitas omnis tollitur. Saepe locus pro hominibus sumitur. At Vadianus Polonorum summam humanitatem praedicat. Verba eius placet describere. *Sarmatia*, quemadmodum Ptolomaeus scribit libro tertio, *a septentrione Oceano Sarmatico & parte terrae in arctos incognitae terminatur; ab occasu Istula, ab ortu confinibus Chersonesi Tauricae, ipsaque Maeotide, & Tanai, adusque Rhiphaeos, & ignota, quae supra eos sunt; a meridie Carpatiis montibus: Huius ista pars hodie Polonia dicta, a planitie videlicet terrae, quam ipsi vernacula lingua*

Pole *etiamnum vocant. Orientale eius latus in secundi libri principio pro virili explicuimus. Reliqua sequi calamo non pigeret, nisi hodie reddidissent plerique, inter quos diligentissime Raphael Volaterranus. Coloni plane e Germania profecti videntur: nam cum Boiemis lingua communicant, & sunt cum vitæ sinceritate, tum morum candore mansuetiores, quam vt Scythici sanguinis esse, qui nunc hobitant, quispiam existimet: vtque in Germania vetusta ferocitas, ita Germanorum in Polonia, Scythica feritas hodie incognita est. Regem habent: is erat, dum hæc scribebam, Sigismundus Casimiri filius, Princeps seculorum dignus memoria. Est enim & bello (vt paucis ambiam) & pace insignis; tanta formæ præstantia, vt dignam regno Maiestatem, vel sola videntibus offerat. Huius mater, longe Lampido illam Lacedæmoniam vincens, Regis vxor, Regis filia, neptisque, Regis soror, & sex Regum pientissima parens, vt alibi fumus testati, exstitit. Gens ipsa Christiana religione insignis, & optimorum Antistitum hodie custodia incolumis. Qos inter (quot equidem noverim,) Erasmus est Vitellius, Præsul Plocensis, Ioannes Lubrantius Posnaniesis, Matthias Dreuicius, Vladislauiensis, Ioannes Couarski, Cracouiensis, & candidissimi animi Petrus Tomitius, Premisliensis, viri in vniuersum, cum seorsum literatissimi, & magni Patroni: Id quod in Præsulibus Christianis non naturæ solum, sed etiam gratiæ munus esse videtur.* Plura ibi digna lectu reperies. Hoc enim suffecerit ad demonstrationem, loci illam satietatem vel malevolentiam obortam Vadiano, quam Willichius commemorat, non ad homines, sed ad periculi, cum se demitteret, significationem; vel ad aeris subterranei crassitiem esse referendam. Quod sane manifestum sit, vbi profunditatem Bochnensem Vadianus comparat Vieliciensi, per scalas, quibus descenditur. *Cumque* (inquit) *Vielicia fossæ sint, præter cameros, alicubi octodecim scalarum altitudine, quarum nulla breuior sit octo cubitis, multis interim longioribus, constat, Bochnae, præter primarum faucium immanem profunditatem, in altissimam fossam octoginta scalarum altitudinem durare, & quotidie fieri altiorem, innumera salis excisa copia.* Scalas numerauit Ludouicus Decius noster, Regis Sarmatiæ a Secretis, & Ioannis Boneri salinarum Præfecti a ratinnibus, amoenissimi ingenii, & eximiæ doctrinæ homo: mihi sane nonnullo metu perturbatiori, tum & alia demirato, quorum gratia veneram, id ipsum obseruare non dabatur. An vero Vadianus, neglectis aliis propter quæ venerat, per scalas reptans, aliquid otiosum meditabatur? vt possitne ibi locum habere illud, *Nox erat*, hoc est, si Chrysippo credimus, dies non erat? Hæc nimirum erat satietas, hæc maleuolentia loci, in quo nulla dierum & noctium esset vicissitudo, scalis, hoc est, periculis refertissimi.

Ac quid mirum est, Vadianum exhorruisse, cum & Schröterus circa barathrum Niedzialek metum non dissimularit?

Miror, et inferius nobis immane baruthrum
Cernitur, aque die nomina Solis habet.
Quis tantum molitur opus? prius ipse putabam,
Tartara nos medio posse videre die.
Illud at vt vidi, vidi nigra tartara Ditis,
Moxque dedi timidas corde tremente notas.
Vixque mihi visa est, ibi quæ rota lignea, stabat,
Qua salis humana frusta leuantur ope.
Hic quæ bis seni mortales munia præstant,
Illa supra quatuor perficiuntur equit.
Hæc ego cum vidi, satis est, potuisse videri,
Dico, iuuent alios ista theatra viros.
Ad putei vero cum venimus ora patentis,
Languebant tarda corpora nostra mora. moxque deinde:
Pensilibus vero fellis vt reddimur auris,
Clamo, salinarum rite valete Lares.

Atqui

Atqui si diutius immorari, salinasque illas philosophice considerare illis fuisset datum, an aliquid ad publicam utilitatem non potuissent inuenire? aliter enim alii in illas fossas se demittunt, quibus vnica lucri, nulla philosophiæ cura; aliter ii, qui rerum proprietates & caussas inquirunt. Illud autem admiratione dignissimum videtur, quod ad salis fodinas vt plurimum sulphurei fontes prope reperiantur, vt Bochnæ, & Vieliciæ, in Swoszowicze: quantula enim hæc distantia est? ac inter ipsas cauernas salis, sæpe naphtha ad ignem prosiliens multos amburit. Et ante aliquot annos æstate feruenti memini, terram inter Cracouiam & Vieliciam arsisse multis diebus. Hæc, lector, præfari libuit. Opto, vt *Iodoci Willichii Dialogi salinares*, qui fortasse alicubi latent, aliquando prodeant. Vale, & Willichium de salinis philosophantem lege, quem, ne iota quidem immutato, exhibeo.

PRÆSTANTISSIMO D. SEUERINO BONERO A Balitz, Præsidi Biecensi, Salinarum Regni Sarmatici præfecto, &c. Iodocus Willichius Resellianus P. S. D.

QVam verissime a Lucretio salem πανακείαν dictum fuisse, a remotiorum multitudine, mihi in animum induco. Nam si quis iustam hac de re rationem inierit, quibusnam morbis tam externis, quam internis, tam communibus, quam singularibus, a capite vsque ad calcem conduceret; magnam eius vim comperiet, cuius specimen in nonnullis formis præberi citra negotium potest. Morsus sane a serpentibus, quidni origanum, mel & hyssopum suo libramento sali commisceat vncturus? Ictus a scorpionibus quidni ex seminis lini quadrante huic congesto cum oleo aut aceto locum perungat? Si quem pustulæ, papulæ, verrucæ nondum confirmatæ torserint, cur non sebum vitulinum illi in vnguenti speciem addat? si quem oculi cruore suffusi & sugillati, cur non mel cum æquali myrrhæ pondere eidem aut vngendo, aut fouendo adiungat? Quod si horum tibi copia præsens non affuerit, priuatim sal linteolo inuolutus ex aqua feruenti impositus, sugillationibus facilem medicinam dabit, & officium faciet suum. Si infantes oris vlceribus, quæ Græcis sunt ἄφθαι afflicti fuerint, sal linteolo concerpto illitus curabit: abscessus quoque gingiuarum, qui οὖλαι nominantur, infricatus, plurimum repurgat, siccat, & denique astringit: putridis atque erosis dentibus succurrit sola salis bene mane sub lingua eliquatio. Linguæ scabritiem salis comminuti frictio tollit: lepris, furunculis, lichenibus, psoris, pruritui, quorum in classe absque controuersia, vt hodie illis nomen inditum est, pustulæ Gallicæ recensentur, idem cum vuis passis enucleatis, origano, fermento, & sebo bubalo medetur. Si anginæ discruciant & pene strangulant, sal cum aceto & oleo commistus, & ad fauces illitus, extenuat, dissoluitque; si quem voluptuarium podagra enecat, quid obstat quæso, quo minus eundem tritum cum farina, melle, & oleo, aut emplastri, aut vnguenti modo, vsurpet? Quid multis? quid commodorum salis in morbis curandis horas longa & fastidiosa narratione, delicato lectori consumimus, cum omnium libri huius rei sic pleni sint, vt lecti citius deuorentur, quam attentius perlegantur? Est enim nihil in hac vita, quod officium suum absque sale tiie præstaret, cuius vsus in cibis communis ad concitandam appetentiam esse solet. Qua propter iis, qui cibum non sentiunt, vt salsamentis & salsuginosis potius victitarent, quam dulcibus, quam glutinosis, optime consultum esse plerique omnes diiudicant. Quantum vero commoditatum pecori offerat, neque opiliones, neque armentarii, cum canalibus affabre paratis salem lambendum proponant, vehementer ignorant, vel quod

lactis copia largior, & gratior in caseo dos sit, vel quod eius acrimonia auiditas lexcitetur, & corporis meatus præcipue, vt propter nutrimenti distributionem, inque totum corpus digestionem fiat iter laxius, aperiat, vel quod obesitas nimia, quam pecori morbosam esse rei pecuariæ magistri experientia edocti probe tenent, non minus dissiciatur, quam absumatur, vel quod fœcunditatem, cum cibo salis omne pecus ad Venerem promptius atque salacius reddatur, aliquantulum promoueat. Quamobrem cum tot & tanta salis commoda sint, quid igitur rerum est, vt Lucretii salsum dictum nun summis laudibus exornetur? Mihi quoque iuxta cum aliis nihil esse totis corporibus, tum sale, tum sole vtilius asserere, & *prouerbium*, quod est: *Panem cum sale estare*, omnibus de meliori nota pro necessitate commendare indulgeo. At vero cum tantæ in agro Cracouiano salinæ, non sine DEI Optimi Maximi summa beneficentia adeo extent, optime Bonere, vt non paruam ærario Regio istinc accessionem fieri existimem, maiorem iudico, si accommodatior salis aut coquendi, aut distrahendi ratio haberetur. Siquidem immensus hic est numerus, & sicut Tragœo, vt Iulio Polluci aridet, Neptunus agros in salem vertit, ita Regi Sarmatarum atque amplissimo atque inclitissimo euenit, adeoque ex his salinis ædificia, non secus ac olim apud Hammonitas, (vt qui passim arenis circumdati sunt,) & turres, perinde atque multis retro sæculis in sinu Graiugeno, perquam apposite ex salis quadratis molibus construerentur, propter tantam earum multitudinem & firmitudinem, cuius spectatores seduli eramus. Superiori enim septimana otiosi isthuc iter conuertimus, in primis Reuerendissimus & illustriss. Princeps & Præsul Lubusianus ac Ratisburgensis, D. Georgius; iuxta cum illius Celsitudine, Strenuus, vere nobilis tum genere, tum moribus, Gotfridus a Kanitz, ad pericula fortis, ad vsum & disciplinam peritus, ad consilium prudens, ad casum fortunamque felix, amicus mihi, non tam iucundus, quam gratus: Post hos, legationis Marchiæ Proceres, reliqui nobis voluntate, animo, sententiaque coniunctiores, per puteum demissi eramus, deducti postea in interiores salinarum cauernas visi sumus non in campos Elysios, sed in profundissimum barathrum peruenisse: nunquam tamen ita perculsi sumus, vt a mente destituti fuissemus: nunquam consilium, quod prius intenderamus, repudiare voluimus: mox Deo ac propitio ac dextro ad superos reuersi, epulati, in Beatas insulas deportati nobis videbamur, maxime cum eius spectaculi & scenæ nobis multa exempla edita fuerant, tam a Principibus quibusdam Germanis, quam a doctissimis viris, nimirum modo a Vadiano, Heluetio Poeta, Cosmographiæ, rerumque naturæ obseruatore diligentissimo, cui subito eius loci infinita, ne dicam, satietas, sed maleuolentia oborta est; modo a Iodoco Ludouico Decio, qui non minus cæteris ornamentis plurimis, quam æstimatione innocentiæ floret, in omnibus vitæ partibus moderatissimus, lepore & gratia affluens, quem nunc doloribus oppressum audimus, non tamen misere spiritum ducere; modo ab Anshelmo Ephorino, qui a tuo, præstantissime Bonere, latere vix latum culmum discedere sibi permittit, imo familiarissime ad tuas ædes ventitat, vt sua officia, studia, cogitationes, voluntatem denique omnem deferret, vt morbum subinde recurrentem lepidis narrationibus, salutaribusque medicamentis alleuaret, depelleretque, in cuius familiaritatem me venisse, tam gaudeo, quam qui maxime: modo a te ipso exemplum cepimus, cui omnia sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur, cui earum cura delegata est, cum in eius muneris delegati executione non sis ignauus, sed oppido quam industrius & solers. Proinde non potui non hanc meam obseruationem qualemcunque tumultuaria quadam opera consutam tibi dedicare, quo benigni mei in te heroa animi significationem præberem. *Erit tempus, quo grauiora hac de re eodem penu depromentur*, cum domum & ad chartaceam meam suppellectilem saluus atque incolumis

lumnis rediero. Nunc vero hanc ipsam animi gratia quam hora succisiua, veluti per transennam perspicito. Iudicium tuum, & acutum & nimis exquisitum æquissimo animo expectaturus sum. Bene Vale. Feriis D. Georgii. Anno Domini M. D. XLIII. Cracouiæ.

De Salinis Cracouianis.

DUo oppidula non longe a iugis montium Sarmaticorum in agro Cracoviano accliui, sunt Viliscum atque Bochnium; illud quidem est Cracovia VIII. M. P. hoc autem xxx. M. plus minus interest, in quorum vtroque salinæ insignes & celebres florent, atque a loco illæ Viliscanæ, hæ Bochniacæ; a negotiatoribus vt plurimum, ab eius ciuitatis capite, Cracouianæ dici cœptæ sunt, in quibus tantus optimi salis numerus est, quantus in vniuersis Halis Germaniæ nunquam inuenitur, siue Noricorum, siue Sueuorum, siue Hermundurorum, non ita longe a Meliboco. Siquidem sal in iisdem dumtaxat non sine multo labore coctilis habetur; cuius rationem neque Plinius, neque Tacitus satis perspicue intellexisse videntur, quorum prior quidem in Gallia, Germaniaque ardentibus lignis aquam salsam infundi memoriæ prodidit obscurius, pro eo atque rerum naturalium scriptorem decet: Posterior vero in Hermunduris *Salem progigni* scriptum reliquit, *non vt apud alias gentes, eluuie maris arescente vnda, sed super ardentem arboris struem fusa, ex contrariis elementis igne atque aquis concreta.* Quibus verbis haud obscure significat nunc salem marinum, humore præsertim coacto & assiccato in litore; qualem Hispania & Gallia in diuersas regiones diuendit & distrahit; cui non absimilis est, tum lacustris quod genus est in lacu Tarentino, Cocanico in Sicilia; tum stagnalis, cuiusmodi est Memphiticus, qui extractus, sole exiccatur; nunc coctilem quoque notat, qui non super struem ex salsæ aquæ affusione conficitur, sed certis focis in labris, Vilisci æneis atque ferreis; Luneburgi plumbeis percoquitur; illic longiora bis tanto suntatque lata, hic pene quadrata, in singulis casis (sunt enim quadraginta octo,) bina; illic tres palmas profunda, hic vix quincunquem altitudinem inuenies; illic quaternis horis super cratem in pyramides surrigitur, hic binis percoctus in calathos colligitur. Vilisci quoque duplex sal colligitur, vnus quidem coctilis, alter vero, qui aliis est metallicus, aliis natiuus, aliis saxeus, alibi purioris notæ, alibi minus, iuxta materiei defæcatæ naturam, qui ferreis pistillis, in mortariis contunditur, & in saliendi officio si non primas, alteras certe habet. Certum quidem mihi ex phisologia est, id salis genus ex vaporis exhalationisque, non tam per solis calorem, quam natiuum, decoctæ, adeoque nimis perustæ mistione fieri. Qua enim liquescit, modo niuis naturam, modo vaporis; qua friabilis est, exhalationis admodum terrestris proprietatem præ se fert, ex cuius copia indies magis atque magis succrescit, cuius hic propter magnum numerum ratio non initur, quæ Μετεωρολόγοις non potest non esse perspecta. Quare a veteribus obseruatum est, in Phrygia, Cappadocia & Aspendi tantum salis de nocte succrescere, quantum de die excisum est. Notum quoque est, Oromeno Indiæ monte non minus renasci, atque auferri. Liquet & iuxta Caspias portas, æquor per salis flumina (quæ ibidem sic dicuntur) veluti gelu coiisse & in salem condensatum esse, sub quo purior amnis defluit. Quisnam redundantibus halinibus id ipsum acceptum non ferret? Quidnam causæ est, cur apud Hammonitas tanta salis copia sub arena (a qua Hammoniacus, & vulgo Armoniacus appellatur,), æstuanti colligatur, noctibusque cum luna succrescat? Vstionem autem immodicam Alexandri Magni vel sola peregrinatio ad Iouem, quem sibi, Philippo repudiato, esse patrem voluit, diuini honoris amantissimus, dilucide declarat. Quidnam de Naphthico dices? nonne & hic Napthæ, multum

ſalis adnaſcitur? nimirum cum Naptha olei vice in lampadibus abſumitur, mox ſal in fundo ſubſidet: Qua de cauſa quæſo alia, atque irato Deo, ex Aſphaltidis aduſtione, cuius & Moſes in Zodomeorum & Æmorrheorum deturbatione meminerat? Proinde cui non manifeſtum eſt, vt in his quoque ſalinis de integro progignatur, etiam nobis propter molis magnitudinem nondum ſentientibus? quibus probe cognitis mox dicas licebit, cur Bochniacus ſal ſit albior & purior, quam Viliſcanus, ſi quidem illic minus glareæ atque argillæ eſt admiſtum, hic autem magis, tametſi qualitas materiei exſiccatæ, & nimis aduſtæ huic negotio non parum, cum pro exuſtionis modo ſubinde fiat permutatio, accommodata ſit, cuius multitudinem montes ſalis vtrobique teſtificantur, niſi quod Bochnii ſalinæ ſint aliquot orgyis altiores, Viliſci latiores circumquaque ad quemlibet mundi cardinem. Quod quisque vſu comperiri poteſt, & interim obſeruabit, vt Bochnii, non ſecus ac in quibusdam aurariis & argentariis, ſcalarum auxilio deſcendatur, per multos anfractus in tantam altitudinem, vt Titanas in meditullio terræ ſepultos, ſicut Poëtæ fabulantur, deliteſcere crederes, adeoque Tartarum eſſe vix abnegares. Viliſci per puteum quendam quadratum, ex lignorum contignatione conſtructum, inquiſitores tanti miraculi & operæ quotidie per funem ductarium aſſe craſſiorem, cui adnexæ ſunt ſellæ reſtibus contextæ penſiles, quibus ſpectatores ſalinarum inſident, demittuntur, orgyis amplius centenis: mox cuilibet integrum, quo volet, expatiari. Semper enim ſeruuli lampada ferentes itineris ſuſcepti duces vltra ſtadia bina & tricena quoquo verſum adſunt. Nam in tanto cuniculorum ambitu eſt Labyrinthus, qualem nunquam Dædalus vel apud Cretenſes, vel apud Cumæos excogitauerat: hic vere Theſei, vt dicitur, filo opus eſt, hic multi Tireſiæ requiruntur, quorum opera vſus per ſcalas altius aut conſcendet, aut deſcendet. Agnoſceres ſane iſtic veluti in ciuitate quadam, magnifice extructas quasdam ædes cænacularias, quas per me modo cryptas, modo cauernas, modo manſiones, modo cuniculos voces licebit, qui fulcris ſalſis magis ſuſtinentur, ne quicpiam corruat, quam ligneis trabibus, quæ rariſſime hic extant, absque dubio ipſius ſalis natura nunquam computreſcentes. Atque hic non minus ædificia conſtruerentur, quam ab Arabibus in ſuis Carris, cum columnæ & epiſtylia ſalſoſa aqua conferruminarentur. Quid multis! hic vtrumque oppidulum hisce ſalinis excauatis nititur; in horum cuniculorum vnaquaque crypta ſeruulorum alii nudi, peronati tantum & braccati, ferreis malleis & cuneis, ſalis magna fruſta more lapicidarum exſecant, quæ Latinis ſunt micæ, nunc glebæ, nunc ſegmenta, ſcammata, a quibus bancas hic vocari more Germanico non dubito: his præmiolum penditur, non aut diei æſtimatione, aut noctis, (ſunt enim hic craſſiores tenebræ, quam apud Cimmerios ſuos Homerus cenſuit,) ſed ſegmentorum commenſuratione, ſi quidem in ſingulos cubitos drachma ſoluitur. Quare fit, vt non tempus, ſed labor, & induſtria operarii ad calculum vocetur. Alii deinde miniſtri ſuis inſtrumentis ad fauces putei ſegmenta conuoluunt & machina quadam tractoria, qualem vix Vitruuius agnouit, ſupra terram extrahunt; alii ramenta ſalis conuerrunt, quæ poſtea aqua dulci macerata, coquendi ſalis pro loco & neceſſitate magnam copiam ſuppeditant; alii ex fontibus aquam ſalſam vndequaque ſcaturientem exhauriunt, exhauſtam per tubos ad alterum puteum deriuant, deriuatam ſaccis, qui ex coriis vaccinis conſuti ſunt, ad focos ſalinares vsque per machinam tractoriam transferunt: huius vero aquæ, cuius apud Hiſpanos olim muriæ nomen erat, tanta eſt multitudo, vt maceratu nullo modo, *ſi experientes acceſſerint*, opus eſſet. Sunt enim vbique fontes, qui ponticulis ex ridicis ſubſtratis iunguntur, atque niſi neceſſitas vrgeret, cum cuniculi ſuppleti eluerentur, tum vero ſeruulorum labor per exuberantem vltra alueos factos aquam impediretur, vix & ſalem percoquerent. Tantæ ſunt rupes ſolidæ, ſalis

pleniſſimæ,

plenissimæ, non veræ glebæ sunt, sed montes perpetui, in quibus visuntur aliæ venæ perlucidæ, cum illic sit sal candidus & densus, qui candidissimus & admodum perspicuus est, Crystalli instar; gemma vocatur, & est satis familia. Nam sicut gemma in pala vel bulla, aut Crystalloides humor in oculis translucet, emicatque, ita hoc salis genus vndiquaque nitet & resplendet, vt plurimum in massis prægrandibus, cuius salis glebas quindenis libris grauiores aliquoties repertas fuisse, nonnulli asseuerant: Sæpe primas frontes laterales speculares apparent, non aliter atque sal Cappadocus, sed in recessu verissimus sal existit. Sunt & aliæ venæ nigricantes, carboni non candenti, sed extincto perquam similes, ex quibus saltem drachmæ pondo villo quodam dilatum, etiam aluum conficere quidam adnotarunt, & si quis animum adhibuerit, salis flos erit, propter quandam rubiginem, cui hanc facultatem Pedacius Dioscorides designauit. Vilisci salinæ bona ex parte obscuriores sunt, ex copiosiori halituum exustorum copia, Bochnii magis conspicui & albicantes; illic montana cum suis conuallibus argumento esse possunt, hic loci & campi vliginosi aliquantulum æquitas. Nunc vero tam supra sapore salis, quam pondere, a plerisque controuertitur, siquidem primum salem intra cauernas esse amariorem, sed extractum nonnihil dulcescere, non pauci censent: Deinde experientia, quam sæpe appellare mihi in more positum est, quo res iuxta cum ratione testatior sit, testificatur, segmenta scamma a intra mansiones esse multo leuiora, sed in aëre bis tanto esse grauiora; Prioris quidem hæc esset ratio, meo (si quid iudico) iudicio, exhalationem nimis adustam alicuius amaritudinis esse causam; at cum foris aut rore aut imbre externo conspergantur, gratiorem imbibere saporem. Qua de causa veteres tam prudentissimi, quam sapientissimi, constanter pronuntiarunt, *Suauiorem sal in rores faciunt, copiosum aquilones, & omnem, pluuia dulcescere*: atque agricolarum testimonium accedit, vt rore dulciores pecoribus reddantur herbæ. Posterioris vero hæc decernatur mea sententia, qua aliis vti frui licebit: cum adhuc in Cryptarum mansionibus meatus ex aëris siccitate, caliditate, & subtilitate, qualis est internus, sicut sensui patet, segmen a citra negotium subleuantur, sed simulatque extracta fuerint, magis atque magis per aëris humiditatem exteriorem, iidem meatus obstructi condensantur; id quod saccharicei negotiatores neutiquam ignorant, experientes magis quam scientes, vtpote cum saccharum humidum, quod rarius æquo esse solent, ad fornaces assiccant, vt libratione emptori fraudem faciant: Neque minus artifices, qui libros literarios compingunt, experientes comprobant. Hi enim soluti, plumis fere leuiores sunt, sed malleo & prælo condensati quanto propter aërem humidiorem conclusum grauiores? Cæterum Plinio alia est causa, cuius sententia spiritus cuniculorum madidus subleuandis oneribus adest, ad similitudinem aquarum, in quibus onerariæ quoque naues quam facillime mouentur. Quæ sane quam sibi constet, & philosophis sit consona, ipse atque eius sectatores viderint. Perpendant per Musas oro, & animum attendant: Primum, num spiritus madidus suapte natura, vt quicpiam subleuet, par sit. Deinde, num aquæ spiritus humiditate tam graues sustineant, & dimoueant. Neque parum quosdam torquet, cur sal siccissimus, sit quoque salsissimus: peritus & non tantum sciens, exhalationem, plusquam satis, imo pene ad extremum adustam, vehementius redundare, atque vaporem, respondebit. Neque dissimile illud ipsum est, cur Bochniacus sal sit suauior & candidior, cuiusmodi & Tarentinum fuisse authores memoriæ prodiderunt. Quoniam contrario modo vaporis copia magis exuberat, quam vstulata exhalatio, qui tam candoris quam

fragilitatis in eodem auctor est. Neque adeo obscura erit ratio philosopho industria, ex materiei commistæ conditione atque proprietate, cur Bochniacus sal sit albior atque Vilifcanus, cur Memphiticus rubeus, cur Cappadocus croceus, cur in Bactris circa Oxum ruffus, cur in Ætna purpureus, cur in Lusitania iuxta Strabonem purpureus albeat. Color enim non aliter materiæ qualitate & temperatura, atque in ipsis metallicis, variatur. Quis non Pannonico auro plus sulphuris exusti inesse, quam Rhenano diceret; Quis non plus argenti viui purioris argento aut Sarmatico, aut Germanico, quam Sehondanino tribueret? Proinde & salem & metalla pro materiæ qualitate, modo, temperie, & mistione, alium atque alium imbibere colorem, nemo veluti a mente destitutus, tantopere admirabitur. Porro de sale factitio, qui ex muria concoquitur; qui ex ligno, veluti hebeno; ex harundinibus, qualis est medicis sal Indus; ex iuncis & herbis, quod genus est pharmacopolis sal alcali vulgo dictus; ex succino & aliis quibuslibet rebus; de nitro tam natiuo quam factitio, eoque multiplici atque nitrato sulphure *in dialogis salinaribus copiosius plana fient.* Hoc tamen neutiquam silentio est prætereundum, quod in Vilifcanis salinis interdum spectra oberrent, sed non, nisi cum quid grauius, quod DEUS bene vertat, propediem accidet, atque eadem aut Protei, aut Vertumni modo in varias formas se adeo commutant, vt nunc catum, nunc suem, nunc hominem, nunc aliud atque aliud animalis genus vltro citroque cursitans quis diceret: mihi in animum induco, esse quoddam Dæmoniorum genus, (sicut eorundem apud Psellum & Diuum Augustinum sex sunt formæ,) terrestre, quod neque semper, neque vbique noxium est, sed subinde, vt in quibusdam metallicis, etiam operas concitat, puluerulenta in situlam congerit; ita hic suo vaticinio quoque hominem prudentiorem esse efflagitat, quo sibi a futuro periculo diligentius caueat. Meminerit tamen quisque veteris cuiusdam dicti, cuius & Plinius meminisse haud dedignatur: *Ostentorum vires in nostra potestate esse, ac prout quæque accepta sint, ita valere.* CRACOVIÆ, per Hieronymum Vietorem. Anno Salutis M. D. XLIII.

FINIS.

Tomi Primi.

INDEX LOCUPLETISSIMUS

res omnes memoria dignas, nec non nomina propria, tum prouinciarum, vrbium, aliorumque locorum, tum hominum in se continens.

Littera n significat adiectas ab editore annotationes.

Amerathes

INDEX

 Bialy

Ripl

C.

Calua-

couiunæ

Czer-

Donen

F.

Fredla

H.

Ifauia

K

Krusson,

Loba-

O.

P.

Pacificat.

 Piſca-

Sawol-

skry-

Twer-

 Vilia

Vrati-

 wschauio